COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOS. MAX. PERONNE

CANON. DIŒCESIS SUESSIONENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRÆ PROFESSOR.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS TERTIUS

IN JOSUE, JUDICES, RUTH

ET IN LIBROS I, II ET III REGUM.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXIV

COMMENTARIA

IN JOSUE.

PROLOGUS ET ARGUMENTUM.

Jesus Nave, ait S. Hieronymus Epist. ad Paulinum, *typum Domini non tantum gestis, sed et nomine præfert: Jordanem transit, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia (allegorice) Ecclesiæ, (anagogice) cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit.*

Ab Evangeliis (quibus toti novo Testamento coronidem imposui), redeo auspice Deo ad vetus Testamentum, ab antitypo ad typum, a Jesu inquam ad Josue, qui Mosi ejusque Deuteronomio (ubi Pentateuchum finivi) successit (1). Ubi ergo manum de tabula amovi, illic rursum admoveo, ac a Josue usque ad Psalmos veterem historiam psalmosque pertexo, itaque pariter toti veteri Testamento duobus tomis (si Deus vitam viresque dederit) coronidem imponam. Olim ante 40 annos hæc ipsa Lovanii in publicis prælectionibus dictavi et docui. More meo solito brevis, imo solito brevior ero, ne tomi in S. Scripturam nimis excrescant, et quia libri hi sunt historici, qui planam, facilem et jucundam a Josue usque ad Davidem prisci ævi historiam enarrant, ideoque commentatione tanta non egent, quanta Prophetæ, Evangelia et Epistolæ. Sensui litterali moralem subjungam, quoties eum in S. Hieronymo, Augustino, Origene, Theodoreto, Rabano, Ruperto cæterisque Patribus reperero litterali insistentem et accommodum.

Quæritur ergo *primo*, cur liber hic inscribitur Josue? Respondeo, quia gesta Josue describit, quibus ille Chananæam bello subegit, illamque duodecim tribubus divisit, ac Rempublicam Israelis in eadem constituit, eamdemque tam in pace quam in bello prudentissime gubernavit. Voluit enim Deus in Josue dare exemplar optimi Imperatoris, Ducis et Principis, multo excellentius quam Xenophon descripserit in *Cyro*, Plato in *Republica*, Aristoteles in *Politicis* : quod proinde merito omnes Christiani Principes sibi ob oculos ponere, ac jugiter intueri et imitari debeant. Adde Josue videri libri hujus auctorem, de quo mox plura.

Quæritur *secundo*, an liber hic sit Canonicus S. Scripturæ? Respondeo, non tantum esse Canonicum, sed proto (primo) canonicum, adeoque inter primos S. Scripturæ libros, de quorum auctoritate nemo unquam orthodoxus dubitavit, censeri. Porro Hebræi hunc librum in suo canone collocant inter Prophetas primum. Hebræi enim, teste S. Hieronymo in *Prologo Galeato* (qui quasi galea S. Scripturæ præfigitur), S. Scripturam tripliciter partiuntur, illamque dividunt in *Thora*, id est, legem sive Pentateuchum Mosis; in *Nebiim*, id est, Prophetas; et *Ketubim*, id est, Hagiographa. Prophetas autem alios nuncupant priores, alios posteriores. Inter priores primum statuunt Josue; secundum, librum Judicum; tertium, Samuelis, sive librum primum et secundum Regum; quartum, Regum, nimirum librum tertium et quartum eorumdem. Posteriores recensent Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et duodecim Minores Prophetas : priores vero illos, licet historici sint, Prophetarum tamen ordine et nomine numerant, sive quia a Prophetis conscripti sunt, sive quia omnis ista illorum historia futura Messiæ tempora mutuo quodam vaticinio adumbrabat.

Quæritur *tertio*, quis sit libri auctor? Respondeo, Theodoretus hic, *Quæst.* XIII; Abulensis, *Quæst.* V, et Andreas Masius, illum longe post mortem Josue ex antiquis diariis et annalibus (qui cap. x, vers. 13, vocantur « liber justorum ») ab aliquo spiritu Dei afflato sive Propheta fuisse collectum, puta ab Esdra, ut sentit Masius; a Samuele, ut Abulensis : idque verisimilius esse patebit ex libri decursu, maxime cap. x, vers. 12 et 13, cap. XIX, vers. 47, cap. XI, vers. 16, ac ex fine libri. Porro diaria hæc ab ipso Josue primitus fuisse conscripta censent Hebræi, qui ipsum Josue hujus sui libri faciunt auctorem, idque satis significatur cap. ult., vers. 26 : «Scripsit, inquit, omnia verba hæc

(1) Josue primo vocatus *Oseas*, significans *salvator*, et deinde *Jehosua*, id est, *Jovæ salus*, nomen hoc accepit a Moyse ob zelum suamque fidelitatem eximiam. Filius erat Nun et de tribu Ephraïm. Moysi acerrime deditus, a Deo electus fuit ad gubernandum populum Israeliticum post hujus legislatoris obitum.

in volumine legis Domini. » Sicut enim Moses sua gesta scripsit in Pentateucho, sic et Josue, Mosis discipulus et successor, sua hic describit; perinde ac Julius Cæsar sua acta et bella in ipsis castris sigillatim conscripsit, indeque librum vocavit *Commentarium de Bello Gallico,* etc. Diariis autem hisce a Josue vel ejus Amanuensi conscriptis, nonnulla in hoc libro addita sunt ab eorum collectore, quæ post mortem Josue contigerunt, uti sunt ea quæ cap. XV de Axa, filia Caleb, et cap. XIX, vers. 47, de filiis Dan narrantur, ipsa denique mors Josue cap. ult.

Porro quis, qualis et quantus fuerit Josue, patebit ex libri decursu. Audi Ecclesiasticum cap. XLVI, vers. 1, ejus velut heroum herois elogia et magnalia recensentem : «Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra civitates rhompheas! Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem et in descensu perdidit contrarios : ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. » Vide ibi dicta. Fuit ergo Josue Dux, Princeps et Imperator Israelis; fuit Propheta Deo familiaris, zelator legis cultusque divini; fuit victor et triumphator, qui, expulsis Chananæis, populum fidelem in terram promissam reduxit, ideoque expressus fuit typus Jesu Christi, qui suos fideles facit triumphare de carne, mundo et dæmone, itaque eos in terram viventium et in cœlis regnantium reducit. Hinc et Josue præter morem illius ævi fuisse cælibem et virginem, imo ante Eliam cæterosque omnes primum vexillum virginitatis erexisse docet S. Ignatius, *epist. ad Philadelphios;* S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.,* et S. Chrysostomus, serm. *De Martyribus,* quem audi : «Ab origine mundi innocens Abel occiditur, Henoch Deo placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Helias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur. »

Denique Hebr. *Iehosua,* et crasi *Iosua,* sive *Iesua,* Græce Ἰησοῦς, Latine *Jesus,* idem est quod *Salvator.* Hæc ergo omnia unum idemque sunt nomen, quo primum Josue noster, deinde ejus antitypus Jesus Christus appellatus est. De hoc nomine multa habet hic noster Serarius; ego quoque plura de eodem dixi *Num.* cap. XIII, vers. 17; *Matth.* cap. I, vers. 21, et *Philipp.* cap. II, vers. 10. Narrat B. Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.,* cap. XL, Florentium patrem suum gravibus febribus et doloribus afflictum, cœlesti monitu nomen Jesu Nave hastulæ inscriptum capiti supposuisse, itaque illico omni morbo et dolore liberatum.

Porro ad hæc omnia Josue a Mose, jubente Deo, electus et impositione manuum ordinatus, auctoratus et quasi consecratus est dux populi, *Num.* cap. XXVII, vers. 18; ac rursum ab eodem ad tam heroica opera animatus est, *Deuter.* cap. XXXI, vers. 7 : «Confortare, ait, et esto robustus; tu enim introduces populum istum in terram, etc. Dominus ipse erit tecum. »

Quæritur *quarto,* quæ sit libri hujus materia et argumentum? Respondeo, argumentum est prosequi historiam Mosis, eamque pertexere usque ad finem vitæ Josue. Moses enim in Genesi conscribit historiam mundi, incipiens ab ejus creatione, illamque pertexit usque ad mortem Joseph patriarchæ, ubi Genesim finit. Deinde in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio prosequitur historiam Israelis a morte Josephi, ac præsertim gesta sua usque ad mortem. Josue vero hic, Mosi succedens, sua et Israelis post mortem Mosis heroica facta recenset, ac præcipue bella quibus Chananæam devicit, eamque inter Israelitas possidendam distribuit. In hoc ergo libro clarissimum divinæ providentiæ et fidei in promissis servandis exemplum resplendet : utpote in quo liquet quod Deus, post promissionem Abrahæ de Chananæa possidenda datam anno 470, qui fuit annus a creatione mundi 2494, et ab egressu Hebræorum ex Ægypto 40, omnes duodecim tribus a Jacob, Isaac et Abraham progenitas, salvas in terram promissam ejusque possessionem induxerit. Hoc est quod dicitur *Exodi* XII, 40 : « Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit 430 annorum.» Adde nunc numero 40 annos peregrinationis in deserto, qui fluxerunt ab egressu ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan, habebis 470 annos jam dictos.

Itaque causa litteralis scribendi hujus libri fuit, ut creationis mundi historia a Mose cœpta, ut Ecclesiæ veteris continua propagatio ordine temporum non interrupto pertexeretur, utque divinæ Providentiæ fides in promissis præstandis toti mundo testata fieret.

Moralis causa fuit, ut in Josue daretur idæa perfecti Principis, optime tam in bello quam in pace Rempublicam gubernantis. Cicero Pompeium laudans quatuor dotes in Imperatore requirit, scilicet scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem et felicitatem. Hæ omnes in Josue mirifice elucent. Unde Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. XVI, censet Josue esse angelum illum ac ducem quem promisit Deus, *Exodi* cap. XXIII, dicens : « Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, et introducat in terram quam paravi tibi; intende illi et exaudi eum, ne inobaudieris eum : non enim

celavit te, quoniam nomen meum super illum est. Angelum quidem eum dixit ob magnitudinem virtutum quas erat editurus, et ob officium Prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem; Jesum autem, ob nominis sui futuri sacramentum.»

Allegorica, ut in Josue pingeretur Jesus Christus debellans peccatum et omnem inferorum potestatem. Unde de Josue ita canit Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.*, in carm. cap. III :

Spiritus hunc Sanctus socium sibi nomine junxit, etc.
Nominis exemplum, Christi virtutis imago.

Vide nostrum Salianum, tomo II, anno mundi 2600, ubi omnia Josue facta Christo adaptat.

Tropologica et anagogica, ut in eodem repræsentaretur, qua ratione fidelis quisque ceu miles septem non gentibus, sed vitiis capitalibus animæ debellatis, victor in terram viventium vincentibus promissam contendere debeat. Ita Origines, Theodoretus, Rupertus. Hac de causa Josue, uti fide sua Jordanem divisit siccavitque, ac solem stitit, sic innocentia sua Mosen superavit; Moses enim Deum offendit ad aquas Contradictionis, adeoque a terra promissa exclusus fuit, ut in eam Israelem induceret innocens Josue, *Num.* cap. XX; nil enim in Josue culpatum fuit, sed laudata omnia, ac præsertim ejus erga Deum fides, fiducia, obedientia, religio, charitas, zelus, fortitudo, integritas, justitia, politia, paupertas, etc., quibus ipse meruit in Sanctorum catalogum referri in *Martyrologio Romano*, ad diem primum septembris, quo hæc scribo. Denique audi S. Augustinum, lib. XVIII *De Civit.* cap. XI : «Moysi successit Jesus Nave, et in terra promissionis introductum populum collocavit ex auctoritate divina, debellatis gentibus, a quibus eadem loca tenebantur. Qui cum populum rexisset post mortem Moysi viginti et septem annos, etiam ipse defunctus est, regnante apud Assyrios octavo decimo Amynta, apud Sicyonios sexto decimo Corace, apud Argivos decimo Danao, apud Athenienses quarto Ericthonio.»

Quinto quæritur, quot annorum gesta complectatur hic liber. Respondeo? omnes fere consentiunt Josue per septem annos gessisse bella ad subigendam Chananæam, quæ omnia hic describuntur. Inde secuta est pax, in qua quot annis superstes fuerit, et populum gubernarit Josue, non omnino constat. Variant enim Interpretes et Chronologi. Rabbi Moses enim censet Josue mox post bella obiisse; alii Josue post bella, pacis annos dant decem vel undecim, ita ut universim præfuerit populo annos septemdecim vel octodecim. Ita Genebrardus, lib. I *Chronol.*, Salianus, Torniellus, Adrichomius, Arias et Lucidus; Josephus vero, lib. V *Antiquit.*, cap. I, in fine, Josue universim attribuit annos viginti quinque; Beda et Bellarminus, viginti sex. Hebræi autem, quos sequuntur Patres, ut Eusebius, lib. X *Præpar.*; Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.*; S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XI; Sulpitius, lib. I *Sacræ Hist.*; Magalianus et Masius in cap. ult. *Josue*, eidem dant annos viginti septem. Quare cum Josue mortuus sit anno ætatis 110, ut patet cap. ult., vers. 20, sequitur eum ducatum populi suscepisse anno ætatis 83. Deme enim annos 27 ducatus ejus ab annis 110 vitæ ejusdem, incides in annum initi ducatus 83. Quæ harum sententiarum sit verior, indicabo cap. ultimo.

Porro Moses Genesim orditur a creatione Adæ et mundi; finit vero eam in morte Joseph, quæ contigit anno mundi 2310, a diluvio 633, ab Abraham 361. A morte vero Joseph usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, et ducatum Mosis fluxere anni 144. Moses autem præfuit populo 40 annis. Ergo Josue ei immediate succedens, cœpit imperare anno a creatione mundi 2494, a diluvio anno 837, ab Abraham 545, a Repromissione 470, a morte Joseph 184, qui fuit ante nativitatem Christi annus 1436. Vide Chronotaxim quam præfixi Pentateucho.

INTERPRETES.

Scripsit in Josue Origenes homilias 36, qui more suo moralis est. Ad litteram scripsit Theodoretus, Procopius, et S. Augustinus Quæstiones triginta. Exstant tom. IV, post *Quæstiones in Genesim totumque Pentateuchum.*

Posteriori sæculo scripsit Rupertus, Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, ac fuse et exacte Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis. Nostro sæculo docte ac pie scripsit Andreas Masius, consiliarius Ducis Cliviæ, et linguarum apprime peritus; sed hoc habet quod subinde vulgarem interpretem carpat, licet fere in rebus minutis. Habet etiam nonnulla minus sana vel sane sonantia, ut de cruce non adoranda, et de imaginibus in altari non collocandis, quæ caute legenda et intelligenda sunt. Notavit ea D. Joannes Molanus in limine operis posteriori editione. Masius excellit in geographia et locis singulis terræ sanctæ graphice describendis.

Masium secutus est Arias Montanus, qui in elegantia styli excellit. E nostris copiose commentatus est Cosmus Magalianus, docte et recondite Nicolaus Serarius, accurate Jacobus Bonfrerius (1).

(1) Quibus adde Emmanuel de Naxera, cujus Commentarii edit. 3a Antuerpiæ in lucem exiit ann. 1658.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo Deus apparet Josue, eumque corroborat ad invadendum Chananæam. Secundo, vers. 10, *Josue jubet populum parari in tertium diem, ut Jordanem transeat, ac Rubenitis et Gaditis præcipit ut cæteras tribus armati præeant, uti se facturos promiserant.*

1. Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei : 2. Moyses servus meus mortuus est, surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel. 3. Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. 4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. 5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ : sicut fui cum Moyse, ita ero tecum; non dimittam, nec derelinquam te. 6. Confortare, et esto robustus; tu enim sorte divides populo huic terram pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis. 7. Confortare igitur, et esto robustus valde; ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus : ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. 9. Ecce præcipio tibi, confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere; quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. 10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite : 11. Præparate vobis cibaria; quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 12. Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse ait : 13. Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. 14. Uxores vestræ, et filii, ac jumenta manebunt in terra quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem : vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis, 15. donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis : et sic revertemini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea quam vobis dedit Moyses, famulus Domini, trans Jordanem contra solis ortum. 16. Responderuntque ad Josue, atque dixerunt : Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus, et quocumque miseris, ibimus. 17. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi : tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. 18. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare, et viriliter age.

Vers. 1. 1. ET (1) FACTUM EST, etc., UT LOQUERETUR.—Hebr. *Et factum est, et locutus est*, hoc est, *et locutus est*. Tò enim *factum est* redundat more Hebræo. Unde Noster clare vertit : *Et factum est ut loqueretur;* τὸ *et* copulat hunc librum cum fine Deuteronomii; illius enim acta ordine prosequitur : licet alioqui Hebræis *vau*, sive *et*, sit initiale, tantumque notet libri exordium, ut dixi *Ezech.* cap. 1, vers, 1, ad illa : « Et factum est in trigesimo anno. »

POST MORTEM MOYSI, — post expletos triginta dies luctus, quibus Hebræi planxerunt mortem Mosis, *Deut.* cap. ult. 8; illis enim lugendum et quiescendum erat. Ita Abulensis, Serarius et Cajetanus, licet contrarium autumet Lyranus, Salianus et Masius Thalmudicos secuti, de quo cap. III. Quare cum Moses mortuus sit sub diem tertium februarii, ac deinde eum planxerint Hebræi per triginta dies, uti patet *Deuter.* cap. ult. 1 et 8, ac statim post planctum Josue sumpserit imperium populi vice Mosis, auctoratus et roboratus hic a Deo, hinc sequitur hanc apparitionem et confortationem ei factam sub diem tertium mensis primi Nisan; cujus decimo die Hebræi transierunt Jordanem, ut patet cap. IV, 19; ac 14 die celebrarunt Pascha, ut patet cap. V, 10.

UT LOQUERETUR DOMINUS, — per Angelum vices Dei gerentem, sicut et per Angelum locutus erat Mosi, eique legem dederat in Sina, ut patet *Galat.* cap. III, 19. « Angeli enim sunt administratorii Dei spiritus, » *Hebr.* I, 14. Quocirca quoties in veteri Testamento Deus dicitur apparuisse vel locutus esse, non ipse per se, sed per Angelum id præstitit, uti in Pentateucho ostendi. Porro Angelus hic locutus est Josue, vel locutione spiritali objiciendo menti ejus notiones verborum horum, eo modo ac si Josue Deum ipsum præsentem loquentem audiisset, aut locutione corporali in assumpto corpore apparens et oretenus loquens ad Josue : utrumlibet enim est probabile. Josue ergo hic immediate a Deo per Angelum constituitur et auctoratur dux populi, ideoque ab eo per omnia eruditur, dirigitur, prosperatur victoriis, decoratur spoliis et regnis locupletatur : cum cæteri reges et principes a Deo non immediate, sed mediante electione populi vel optimatum constituantur.

S. Hieronymus in illud Apostoli, *Constituas per civitates presbyteros, sicut et disposui tibi,* ad. Tit. cap. I, 5 : « Moyses, inquit, amicus Dei, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, et in Ecclesia erigere columnas : sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deterius taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. »

Vers. 2. 2. SURGE, — id est, eia age. Est enim vox hortantis, excitantis et animantis, non autem jubentis, ut in pedes se erigat.

QUAM EGO DABO. — Hebr. *do, q. d.* Ita certo dabo ac si jam darem, imo jam hoc ipso momento dare incipio.

Vers. 3. 3. OMNEM LOCUM QUEM CALCAVERIT VESTIGIUM PEDIS VESTRI, VOBIS TRADAM (Hebr. נתתי *natatti,* id est dedi, tradidi, hoc est, jamjam certissime tradam), SICUT LOCUTUS SUM MOYSI. — « Omnem locum, » id est totam Chananæam, in quem pergebant Hebræi, promisit Abrahæ, Moysi et Hebræis, *Genes.* cap. XV, 18; *Exodi* XXIII, 31; *Deut.* cap. XI, 9, et alibi sæpe. Nunc Deus promissa præstat, ac per Josue Hebræis eam possidendam tradit, quia summus illius mundique totius est Dominus. « Domini enim est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo, » *Psal.* XXIII, 1.

Tropologice Origenes, *hom.* 1 : Chananæa nostra est concupiscentia, puta motus superbiæ, iræ, libidinis, gulæ, impatientiæ, acediæ, avaritiæ : quos si generose pugnando calcaverimus, nobisque subjecerimus, eis dominabimur duce Josue, id est, per gratiam Jesu Christi.

Rupertus vero hic cap. VI : Omnis locus, ait, est omne cor, vel omnis conscientia, quam calcat pes Jesu, id est, quæ se calcandam subjicit pedibus Jesu instar Magdalenæ; hæc ergo est ipsius Jesu, hæc est Salvatoris et sempiternæ salvationis, ut eam Jesus, id est, Salvator et salus possideat. E contrario quos non calcavit vestigium pedis Jesu, id est, qui non sunt ei traditi et subditi, hi diabolo dati sunt, ac proinde non populus acquisitionis, sed perditionis filii sunt.

S. Bernardus autem subtiliter et pie serm. 15 in psalm. *Qui habitat* : « Sperate, ait, in Domino, omnis congregatio populi; quemcumque enim locum calcaverit pes vester, vester erit : pes vester utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit; si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit et non titubet. » Qui ergo sperat in Deum, omnia ab eo obtinebit, quia Deus id passim in Scriptura et Evangeliis promisit : quare cum ipse sit fidelissimus, promissa præstabit, cumque sit clementissimus et liberalissimus, non patietur vinci se spe nostra, sed eam superare sataget. Unde idem S. Bernardus, serm. 3 *De Annunt.* : « Sola, ait, spes, apud te (Domine) miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis. »

Anagogice, Origenes per omnem locum accipit cœlum, cœlique gloriam et felicitatem : « Lucifer, ait, sedem habebat in cœlis; postea vero quam factus est Angelus refuga, si eum vincere potero et subjicere pedibus meis, si meruero ut Dominus meus Jesus conterat Satanam sub pedibus meis, consequenter locum Luciferi accipere merebor in cœlis. »

Denique S. Franciscus : Calcare, ait, est contemnere; contemnit autem omnia, calcatque paupertas spiritus. Ipsa ergo est omnium Domina et mundi Regina, juxta illud : « Fideli totus mundus divitiarum est. » Ita refert Lucas Waddingus in dictis et scriptis S. Francisci. Avarus enim, ait S. Bernardus, terrena esurit ut mendicus, pauper spiritu contemnit ut Dominus. Causam dat S. Cyprianus in Oratione Dominica, dicens : « Qui renuntiavit jam sæculo major est honoribus ejus et regno.

et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat.» Et S. Chrysostomus, hom. 15 *ad Populum* : « Sicut, ait, e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla, ac non solum homines et arbores, sed etiam urbes integræ et magni exercitus, formicarum instar super terram ire videntur: sic qui animo erecto in cœlestia quasi in sublimi commorantur, iis omnia humana, potentia, gloria, opes ita minuta et exigua apparent, ut ne digna quidem judicent, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent. »

Talis igitur est aquila, quæ, ut ait Job, XXXIX, 27 : « In arduis ponit nidum suum, etc. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt : » nimirum « mens fixa in cœlo mundi ludibria ridet. » Talem se fuisse fatetur S. Gregorius cum religiosam vitam in monasterio ageret. Scribens enim ad Theoctistem, sororem Imperatoris, lib. I, *epist.* 5 : « Nihil, ait, in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem : sustollam te super altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui et ipsa quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat. »

Vers. 4. 4. A DESERTO ET LIBANO USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM, OMNIS TERRA HETHÆORUM USQUE AD MARE MAGNUM CONTRA SOLIS OCCASUM, ERIT TERMINUS VESTER. — Circumscribit hic Deus terram promissam trans Jordanem a tribus mundi plagis, indeque ternos ei assignat terminos : ipsa enim Arabiam Desertam habet ad meridiem, Libanum et Euphratem ad septentrionem, mare magnum, id est, Mediterraneum ad occidentem. Omittitur quartus orientalis plagæ terminus, videlicet Jordanis, quia non longe ab eo consistebat Josue, indeque Deus terram hanc ipse ostendebat.

LIBANO. — Septuaginta, *Antilibano* : sed idem est mons, qui versus mare Mediterraneum velut laxiore valle dividitur, et apud Tripolim Libanus, apud Sidonem Antilibanus dicitur, ait Strabo lib. XVI. Græce Ἀντιλίβανος proprie idem est quod *mons Libano oppositus* : Antilibanus enim apud Sidonem ita curvatur, ut Libano opponi videatur. Unde S. Hieronymus in *Locis Hebr.* : Omnis regio, ait, quæ est supra Libanum ad Orientem, respiciens circa regionem Damasci, quæ cecidit in sorte tribus Manasse, Antilibanus appellatur.

Porro Libanus Hebr. dicitur a לבן *Laban*, id est *albus*, quod nive semper albeat in summitate ; item a לבנון *lebanon*, id est *thus*, quod Libanus cedrorum, pinorum, cypressorum aliarumque resinosarum et thuriferarum arborum ferax sit, ait Masius et Adrichomius. Libanus enim est omnium Syriæ montium maximus, altissimus, fertilissimus, amœnissimus, pulcherrimus. Hinc patet cur Ecclesiasticus, cap. XXXIX, vers. 18, dixerit : « Quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, » id est ad gratiam, gratis et amœnis frondibus ; « et collaudate Dominum, et benedicite Dominum in operibus suis. » Item cur gloria Ecclesiæ decori vel odori Libani comparetur *Isaiæ* cap. LX, vers. 13 : « Gloria Libani, ait, ad te veniet, abies et pinus et buxus. » Et cap. XXXV, vers. 2 : « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. » Et *Osee* cap. XIV, vers. 7 : « Germinabit sicut lilium, erumpet radix ejus ut Libani, erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. » Et *Cant.* cap. IV, vers. 8 : « Veni de Libano, sponsa mea. »

OMNIS TERRA HETHÆORUM, — id est, Chananæorum. Est synecdoche. Ex una enim gentes cæteras sex terram promissam incolentes intelligit, sicut alibi easdem vocat Amorrhæos, qui ex hisce septem gentibus una tantum gens erat. Sic *Gen.* XXVII, vers. ult., Rebecca non vult ut Jacob filius suus accipiat uxorem de filiabus Heth, sive Hethæam, id est Chananæam, uti explicatur cap. XXVIII, 1. Ita Abulensis.

Porro Hethæi progeniti et appellati sunt ab Hethæo, filio Chanaan, filii Cham, filii Noe, *Genes.* cap. X, vers. 15, et incoluerunt locum, qui ab ipsis dictus est Heth in regione Hebronis. Unde ab Hethæis hisce Abraham emit speluncam duplicem in Heth ad sepeliendam Saram, *Genes.* cap. XXII, vers. 26. Erant autem Hethæi viri fortes, bellicosi et formidabiles, ut et nomen ipsorum indicat. Hethæi enim Hebr. dicuntur חִתִּים *Chittim*, id est, conterentes et pavorem incutientes. Unde apud Hethæos erant gigantes terribiles dicti Enacim, incolæ Hebronis, *Numer.* cap. XIII, vers. 33. Hethæus quoque erat Urias, miles fortissimus, quem David occidit gladio filiorum Ammon, ut uxore ejus potiretur, II *Reg.* XII, vers. 9. Hethæos ergo hic præ cæteris gentibus Chananæis nuncupat, quia hi ob robur suum erant formidabiles Josue et Hebræis, *q. d.* Ne timeas Hethæos, licet giganteos et pugnacissimos ; ego enim illos domabo, tibique subigam. Ita Masius.

USQUE AD MARE MAGNUM, etc., ERIT TERMINUS VESTER. — Nota : Hi fuere ampli et vasti limites Chananææ a Deo Hebræis promissi, sed eos omnes reipsa non obtinuere Hebræi, partim ob suam ignaviam, partim quia Deum suis sceleribus offenderunt, seque ejus promissis indignos reddiderunt, ut patebit *Judic.* II, 20.

5. SICUT FUI CUM MOYSE, ITA ERO TECUM, — te adjuvans, pro te pugnans, Chananæos percellens, tibique subigens, ac dividens siccansque Jordanem, sicut Moses divisit siccavitque mare Rubrum. Chaldæus vertit, *sicut verbum meum fuit auxilio Moysi, sic erit verbum meum auxilio tibi*, itaque passim ipse vertit, quando in Scripturis dicitur Deum mortalium rebus interesse, ad easve descendere, ut eis opituletur, idque facit ad insinuandam, ut videtur, generationem verbi a Patre æterno. Unde et Patres, ut S. Justinus, *Dialog. contra Tryphonem*; Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, et alii quos in Genesi citavi, docent in apparitionibus Dei, Vers. 5.

quæ narrantur in veteri Testamento, semper apparuisse Filium, non Patrem, nec Spiritum Sanctum, hoc est Angelum in illis apparentem gessisse personam Filii, ut significaret eum quandoque in terram descensurum, et carnem assumpturum ad salvandum homines.

NON DIMITTAM, NEC DERELINQUAM TE, — nisi tu vel tui me prius derelinquant, uti dereliquit me Achan rapiens spolia e Jerichunte contra meum præceptum, ideoque vos dereliqui ad tempus, ac cædendos tradidi Chananæis incolentibus urbem Hai, cap. VII. Porro quod Josue, hoc omnibus fidelibus justisque Jesu Christi filiis promittitur. Unde Apostolus, *Hebr.* cap. XIII, vers. 5 : « Sint mores, ait, sine avaritia, contenti præsentibus; ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam. » Hinc etiam S. Augustinus et Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 11, docent hunc esse stimulum justis : « Ut magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant; Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. »

Vers. 6. 6. TU ENIM (armis subiges, et subjectam) SORTE DIVIDES POPULO HUIC TERRAM, — ut sis typus Jesu Christi, qui cœlum aperuit, illudque electis suis distribuit.

Audi S. Chrysostomum, hom. *in Acta*, sub finem : « Educite, ait, in bellum centum myriades, et unum sanctum, scimus quia plura operetur. Exiit Jesus Nave in bellum, et solus omnia operatus est strenue, et ita alii nihil proficiunt : multitudo, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his qui non sunt. » Et post pauca : « Vellem, inquit, ut multitudine ornetur Ecclesia, sed multitudine probata : si autem hoc fieri nequit, saltem pauci illi probati sint; hoc videtis quod melius sit habere unum lapidem pretiosum, quam mille obolos. »

Vers. 7. 7. CONFORTARE IGITUR, ET ESTO ROBUSTUS VALDE, — Hebr. מאד *meod*, id est nimis, hoc est valde; oportet enim pro lege et Deo ultra naturæ vires conari, ut legem Dei supernaturalem impleamus; quod ergo nimis est naturæ, hoc satis est gratiæ et charitati. Ingenti ergo et cœlesti robore opus est, ut concupiscentias, tentationes omniaque legi Dei adversantia vincamus, itaque totam Dei legem exsequamur. Qua de causa ter hic repetit Deus τὸ *confortare, et esto robustus*, ut patet vers. 6, 7, 9, ut indicet eum trino summoque robore sanctissimæ Trinitatis indigere.

UT CUSTODIAS (mente) ET FACIAS (opere) OMNEM LEGEM QUAM PRÆCEPIT TIBI MOSES. — Intelligit legem generatim latam, datamque toti populo a Mose in Sina, quæ Deuteronomio cæterisque quatuor Pentateuchi libris continetur : non autem legem aliquam specialem Josue traditam, ut patet vers. 8. Dicit tamen speciatim : « Quam præcepit tibi, » ut sciat Josue legem communem sibi præcipue, ut duci, esse impositam et commendatam a Deo, ac proinde illam sibi præ cæteris cordi et curæ esse debere, ut eam ipse primus servet, ac deinde ab aliis servandam curet, idque faciat non tam verbis et minis, quam vita et gestis, ut videlicet ipse dux populo animata et oculata sit lex, uti Cyrus ait apud Xenophontem.

NE DECLINES AB EA AD DEXTERAM VEL SINISTRAM. — *Primo*, declinare ad dexteram, est addere aliquid legi; ad sinistram vero, est aliquid ab ea demere, aiunt Hebræi et Vatablus. *Secundo*, Serarius : declinare ad dexteram, inquit, est legem ob spes et commoda prævaricari; ad sinistram vero, ob metum et minas eamdem transgredi.

Verum dico esse Hebraismum, qui non aliud significat quam recta legis via incedendum esse, ut ab ea neutram in partem quis declinet, si ad cœlum pertingere velit, sicut viatores rectam regiamque viam tenent, ut ad terminum viæ perveniant, ne semitis vel diverticulis in speciem planioribus et brevioribus se ab ea abduci sinant, ne in avia abducantur, ac a termino aberrent, ut volentes tendere in Jerusalem, eant in Jericho. Sic enim peccatores volentes pergere in cœlum, a via legis aberrantes, in fine vitæ inveniunt se in gehenna et tartaro. Pro *ab ea* Hebr. est ממנו *mimmennu*, id est *ab eo*, quod scilicet lex præcepit : sed *mimmennu* ponitur pro ממנה *mimmenna*, id est, *ab ea*, scilicet תורה *thora*, hoc est lege. Est enallage generis.

UT INTELLIGAS CUNCTA QUÆ AGIS. — Hebr. *ut intelligas omnia in quibus incedis*, id est, omnia quæ agis. Actiones enim et opera Hebr. vocantur viæ, quia per illas quasi per vias tendimus ad felicitatem, cœlum et Deum : *ut intelligas*, id est, ut prudenter agas; hoc enim est Hebr. תשכיל *taschil*; sic sæpe in Proverbiis prudentia vocatur intellectus, scientia, doctrina, sapientia practica, scilicet quæ hominem ducit ad salutem, ideoque beat.

Hinc patet Josue a Deo electum in successorem Moysi, et ducem populi ob suam fidelitatem, probitatem et obedientiam, qua tum legi Dei, tum Moysi Domino suo obedierat. Unde S. Ephrem, tract. *De Virtute*, cap. II : « Jesus, inquit, filius Nave, perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, ut Moysis successor fieret : » nimirum, qui bene suo superiori paret, rite aliis imperat, ideoque imperare meretur.

Vers. 8. 8. NON RECEDAT VOLUMEN LEGIS HUJUS (*Deuteronomii* et *Pentateuchi*, quæ dedi Moysi) AB ORE TUO : SED MEDITABERIS IN EO DIEBUS AC NOCTIBUS, UT CUSTODIAS ET FACIAS OMNIA QUÆ SCRIPTA SUNT IN EO, — *q. d.* Legem Dei assidue animo oreque versato : Hebr. enim הגה *haga*, significat meditari ita sæpe et fervide, ut ex fervida meditatione verba legis quasi susurrando in ore nascantur et ebulliant; utque illa populum tibi subditum doceas. Hinc illud : « Os justi meditabitur (id est, meditato, vel ex meditatione), loquetur sapientiam. » Innuit Principis esse populum docere legem Dei, uti fecit Moses in Deuteronomio, ac Jagello, prin-

ceps Poloniæ, qui ore suo catechizando et concionando Polonos docuit fidem legemque Christi. Sane hæc pietas et hoc legis studium Josue ad tot tantasque victorias viam stravit, ut vere dixerit Rab. Simeon : « Exemplum legis fuit vexillum Josue. »

DIEBUS AC NOCTIBUS, — scilicet per vices interpolatas, hoc est, frequenter, diligenter, assidue; continuo enim et semper meditari in lege Dei homini in hac vita est impossibile, utpote qui dormire, comedere, laborare debet. Quare nimis stricte R. Ismael rogatus a sororis suæ filio, num post Mosen evolutum liceret sibi Græcorum scripta legere, respondit licere, dummodo id non faceret die vel nocte. Omne enim diei et noctis tempus dandum esse legi, juxta hoc Dei præceptum.

TUNC DIRIGES (Hebr. תצליח *tasliach*, id est, prosperabis, fortunabis, felicem facies) VIAM TUAM (id est, vitæ tuæ actiones), ET INTELLIGES EAM.—Hebr. תשכל *taschil*, id est, prudenter dispones eam, sive intelligens et prudens eris, uti dixi vers. 7. Nota hic junctam esse prudentiam cum prosperitate et felicitate, quasi matrem cum filia; prudentia enim actiones prosperat, sæpe in hac vita, et semper in futura; nam eas semper dirigit ad felicitatem æternam.

Vers. 9. 9. NOLI TIMERE, QUONIAM TECUM EST DOMINUS DEUS TUUS IN OMNIBUS AD QUÆCUMQUE PERREXERIS. — Quis enim timeat, Deo comite, imo duce? Quare hoc singulis imitandum est, ut satagant in omnibus quæ agunt et destinant, Deum habere studii operisque sui ducem, ideoque ejus opem initio operis humili prece efflagitent, uti sæpe monui. « Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? » *Rom.* VIII. Præclare S. Ambrosius, lib. II *Offic.* cap. I : « Vitam beatam efficiunt, inquit, tranquillitas conscientiæ et securitas innocentiæ. » Idem, lib. II *De Jacob et vita beata*, cap. VI : « Perfecta, ait, virtus habet mentis tranquillitatem et stabilitatem. Perfectorum est enim non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo, adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. »

Vers. 11. 11. PRÆPARATE VOBIS CIBARIA, — non manna; hoc enim quotidie cadebat e cœlo; et quotidie colligendum erat, nec in alterum diem servari poterat; si enim servabatur, putrescebat, *Exodi* XVI. Sed pulmenta et carnes ex præda regnorum Og et Basan, v. g. oves et boves ibidem captos mactate, coquite, salite, et in vasa condite.

Nota : adhuc pluebat Hebræis manna e cœlo; nam manna defecit demum decimo quinto die mensis, cum fruges novas Chananææ gustarunt et possederunt Hebræi, ut patet cap. V, vers. 12. Hinc ergo patet Hebræos in deserto præter manna (quod multi gulosiores fastidiebant, præsertim cum per octo et triginta annos assidue illud comedissent), aliis quoque cibis, ut carnibus, quibus deliciosa illa gens inhiabat, ut patet *Num.* cap. XI, vers. 13, usos fuisse, quos manna velut pani quasi obsonium adhibebant. Id patet ex eo quod cibos hosce emerint a vicinis Idumæis et Moabitis. Audi Deum *Deuter.* cap. II, vers. 6 : « Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis. » Et vers. 27, Hebræi aiunt Sehon regi petentes ab eo transitum : « Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via, etc. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur. » Hinc et *Deuter.* XXIX, 6, non de carne, sed de pane duntaxat et vino dicitur : « Panem non comedistis, vinum et ciceram non bibistis. » Pientiores vero ex Hebræis, æque ac pauperiores in deserto ex solo manna vivebant, atque in eo gustabant carnes, pisces, ova, et quicquid gustare vellent, juxta illud *Sapient.* cap. XVI, vers. 20 : « Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. »

QUONIAM POST DIEM TERTIUM (1) TRANSIBITIS JORDANEM. — Quæritur, quomodo hoc sit verum : nam cap. sequenti Josue misit exploratores in Jericho, qui præter tempus itus et reditus per triduum latuerunt in montanis, ut dicetur cap. sequenti, vers. 22; quibus ad Josue regressis, ejus jussu Hebræi moverunt castra ad Jordanem, ibique hæserunt tres alios dies, ut patet cap. III, vers. 1. Unde ut minimum sex dies intercesserunt transitum Jordanis. Quomodo ergo dicitur, « post tertium diem? »

S. Augustinus hic, *Quæst.* I, putat Josue tempus tridui hic præstituisse non ex revelatione et certitudine divina, sed ex spe humana : sperabat enim eo tempore transitum fieri posse, si exploratores cito revertissent; sed eis tardantibus et non redeuntibus mutata fuisse Josue consilia.

Verum facilior et commodior responsio est, si dicamus hic esse hysteron proteron, missionemque exploratorum, adeoque totum caput secundum anteponendum esse huic præcepto Josue : voluit enim Scriptura promptam obedientiam et executionem Josue verbis jussuique Domini proxime subnectere, quomodo videlicet ipse mox totum populum ad transitum Jordanis a Domino præceptum et prædictum comparare se jusserit; ac deinde cap. secundo redit ad ea quæ præcesserunt, quibus scilicet Josue transitum hunc particulari ratione præmunivit. Igitur hi tres dies, de quibus hic fit mentio, iidem sunt cum illis cap. III, vers. 1, ubi dicitur Josue commoratus cum Hebræis apud Jordanem per tres dies, ac postero die transiisse Jordanem. Ita Abulensis. Et sane hæc sententia novo duci Josue majorem conciliat auctoritatem

(1) Isti tres dies numerandi sunt a postridie ejus diei quo Josue sic locutus est : scilicet septimo die mensis Nisan; nam infra IV, 19 dicitur, Israelitas transiisse Jordanem decima die primi mensis, *Abib* sive *Nisan* dicti.

et gratiam apud suos populares, quæ multum imminuta fuissent, si in primo ductu eum falsum vel spe sua frustratum vidissent; ac melius respondet promissioni Dei hic vers. 9 et cæteris.

Hic ergo fuit rei gestæ ordo: Josue peracto tricenario luctu mortis Mosis, die tertia mensis primi Nisan, id est martii, excitatus roboratusque a Deo, capessit populi ducatum. Unde eodem die ex Setim, ubi degebat, mittit duos exploratores, qui explorent Jericho; quæ a Setim, teste Josepho, distabat sexaginta stadiis, id est septem milliaribus Italicis, quæ faciunt duas leucas Gallicas cum dimidia. Milliare faciunt mille passus : leuca est iter unius horæ. Exploratores in Jericho excepti a Rahab, proditi, et quæsiti ab incolis, a Rahab occulte dimissi latuerunt in montanis per triduum : quare reversi sunt ad Josue sub finem diei sextæ ejusdem mensis Nisan; quibus auditis Josue nocte proxime sequenti movet castra ex Setim ad Jordanem, ubi tres dies commorans jubet populum parare cibaria, cæteraque ad transitum Jordanis; unde postero die, qui fuit decimus Nisan, divisum a Deo Jordanem sicco pede cum Hebræis transit, ut patet toto cap. III, et cap IV, vers. 19; sequenti vero undecimo Nisan, Josue populum circumcidit in Galgalis, cap. V, vers. 2. Mox decima quinta die ad vesperam ibidem celebrant Pascha cap. V, vers. 10; cumque jam fruges terræ sufficerent alendo populo, deficit manna ningere, ibidem vers. 12 ; die decima quinta Nisan, Josue jussus a Deo circuit muros Jericho, per septem dies, ac tandem die septimo, qui fuit vigesima prima Nisan, clangentibus tubis corruunt muri Jericho. Hebræi eam ingressi succendunt, statuuntque æternum anathema, salvant Rahab, quam Salmon filius Nahasson, princeps tribus Juda, sibi in uxorem adsciscit cap. VI, vers. 20 et seq.

Mystice, S. Augustinus, serm. 106 *De Tempore* : « Quid est aliud, ait, dicere : Parate vobis cibum ad diem tertium, nisi, Trinitatis suscipite sacramentum? Post hæc Jordane transito, quasi Baptismi completo mysterio, populus Israel terram repromissionis ingreditur. »

Et Rupertus hic cap. VIII, censet hæc allegorice impleta esse in Jesu Christo, quando die tertia resurgens Apostolis dixit : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *q. d.* Ego die tertia resurrexi a mortuis, idcirco vos in morte mea terna mersione baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut quomodo ego surrexi a mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis. »

ET INTRABITIS AD POSSIDENDAM TERRAM. — Hebr. ירשת *larescet*, id est *ad hæreditandum*, velut avita prædia et hæreditatem suam, ut scilicet terram Chanaan a Deo vobis datam jure quasi hæreditario possideatis. Addit S. Augustinus, serm. 105 *De Temp.*, Deum reddidisse Hebræis Chananæam quasi jure debitam, eo quod illa, ut habet traditio, in divisione orbis obtigerit Sem filio Noe, sed ejus posteros ex illa expulerunt Chananæi. Unde Hebræi ex Sem prognati rursus eam hic repetunt, quasi sibi ex proavo suo debitam.

12. RUBENITIS QUOQUE ET GADITIS; ET DIMIDIÆ TRIBUI MANASSE AIT. — Hæ tres tribus petierant a Mose portionem terræ cis Jordanem sitæ, illamque ab eo obtinuerunt ea lege, ut ipsi cum cæteris tribubus pergerent trans Jordanem, easque armati præirent ad debellandam Chananæam reliquam, ut eam inter se cæteræ tribus dividerent. Promiserunt id tres tribus Mosi; Josue ergo hic promissum ab eis reposcit. Vide dicta *Num.* cap. XXXII. Vers. 12.

13. MEMENTOTE. — Hebr. זכור *zachor*, id est *memento*, o trina tribus, vel *meminisse*, scilicet vos oportet. Est enallage, vel temporis vel numeri. Vers. 13.

ET OMNEM TERRAM, — hanc scilicet cis Jordanem, in qua consistimus, quæ fuit Og et Sehon regum Amorrhæorum, quam vobis Moses possidendam dedit.

14. JUMENTA, — pecora et pecudes. Hæc enim vocant hebr. מקנה *mikne*, Septuaginta κτήνη, id est possessio, opes, substantia, quæ olim consistebat fere in pecoribus. Vers. 14.

TRANSITE ARMATI ANTE FRATRES VESTROS.—« Ante, » id est coram aliis tribubus, ait Masius. Simplicius alii « ante, » scilicet ut cæteras tribus præcedatis, ut vertit Noster cap. IV, vers. 12. Sic enim eis animum addetis ad invadendam et possidendam terram trans Jordanem, sicut vos eam possidetis cis Jordanem.

OMNES FORTES MANU. — Licet enim Moses ab omnibus viris harum trium tribuum exegerit promissionem præcedendi cæteras tribus trans Jordanem, tamen permisit Josue successori suo libertatem evocandi ex eis quos vellet et quotquot forent utiles, vel necessarii. Josue ergo ex eis fortiores duntaxat evocavit, quia cæteris non indigebat, ac cæteri relinquendi erant domi ad tutelam terræ cis Jordanem sitæ, ne a Chananæis aliisque vicinis invaderetur.

17. SICUT OBEDIVIMUS IN CUNCTIS MOYSI, ITA OBEDIEMUS ET TIBI.—Patres horum sæpe rebelles fuerant Mosi, ideoque exclusi fuere terra promissa, ac mortui in deserto; filii vero eorum obedientiores fuere Mosi, ideoque in terram hanc inducti sunt. Aut certe id dixerunt illi, qui in cunctis obedierant Mosi; si alii idem dixerint, qui subinde Mosi rebellarant, mentiuntur quidem, sed fatentur tamen se in cunctis Mosi obedire debuisse, ac simili modo sese deinceps obedituros Josue quasi novo duci spondent. Vers. 17.

TANTUM SIT DOMINUS DEUS TUUS TECUM; SICUT FUIT CUM MOYSE. — Hæc vota sunt populi, fausta novo suo imperatori succlamantis, non vero conditiones imperii, *q. d.* Quod ad nos attinet, obediemus tibi in omnibus : cæterum optamus ut Deus, qui te Mosis successorem delegit, omnia tua secundet, sicut cum Mose eum fecisse scimus.

Ita factum. Unde Josue Hebræis fuit quasi alter Moses.

Dux ergo et præses uni Deo nitatur, eique per orationem et pietatem, innocentiam, obedientiam, sit gratus et familiaris. Audi Leonem Imperatorem aurea suo duci hac de re præcepta dantem in *Tacticis*, in Epilogo : « Primum, quidquid dicturus facturusve es, a Deo principium habeat, nihilque sine illius commemoratione ac deprecatione agatur. Cur enim non principium rerum agendarum a Deo capiendum sit, cum Deus Pater noster, factor et inspector dictorum factorumque omnium, judex cogitationum omnium notionumque cordis, nullaque creatura abdita coram eo sit, sed omnia nudata et explicata ante oculos ejus sint, quemadmodum divinissimus Paulus loquitur ? Itaque præter sententiam ejus nihil a nobis agendum est. »

Aliam deinde causam diviniorem subjicit : « Cognatio enim quædam nobis cum illo est, talisque affectus qualis erga patrem esse debet. Nam illius munere in lucem aspectumque venimus, pro illo et vivere et mori debemus ; benignitate illius alimur, in ipso vivimus, movemur et sumus : tantum illi obedimus, quantum subjecti præfecto, servi domino, magistratus regi ; omnes illius sumus, qui omnem habet imperium ; nobis per illum omnia subjecta sunt, tum animata, tum inanimata, nos vero illum colimus ; universa bestiarum natura a nobis gubernatur, nos vero ab illo pascimur principe pastorum, qui nostra causa nostram naturam induit. » Vide plura, quibus idem stabilit et inculcat, ac demum sua *Tactica* ita de Deo et cum Deo concludit : « Unde par est te, Imperator, supplici mente semper Deo preces adhibere, et in omnibus auctori salutis, pro iis quæ maxime salutaria sunt, supplicare. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue mittit exploratores in Jericho : illos excipit, abscondit, dirigitque Rahab. Jerichuntini rem odorati, illos persequuntur ; illi, vers. 9, *cum Rahab supplice pacti fidem silentii, ejus domui salutem promittunt, ejusque signum dant funiculum coccineum. Dimissi ergo ab ea per funem fugiunt, vers.* 15, *latentque in montibus tres dies, ac demum, vers.* 27, *ad Josue redeunt, narrant pavorem Jerichuntinorum, ac spondent de eis victoriam.*

1. Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, et dixit eis : Ite, et considerate Terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. 2. Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent Terram. 3. Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens : Educ viros qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam ; exploratores quippe sunt, et omnem Terram considerare venerunt. 4. Tollensque mulier viros, abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me ; sed nesciebam unde essent. 5. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt ; persequimini cito, et comprehendetis eos. 6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. 7. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis, illisque egressis statim porta clausa est. 8. Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait : 9. Novi quod Dominus tradiderit vobis Terram ; etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores Terræ. 10. Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto, et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis. 11. Et hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum : Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum. 12. Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei ; detisque mihi verum signum, 13. ut salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte. 14. Qui

responderunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos. Cumque tradiderit nobis Dominus Terram, faciemus in te misericordiam et veritatem. 15. Demisit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro. 16. Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. 17. Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos. 18. Si ingredientibus nobis Terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos ; et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam : 19. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. 20. Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. 21. Et illa respondit : Sicut locuti estis, ita fiat; dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra. 22. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti : quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. 23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte; et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi, 24. atque dixerunt : Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

Vers. 1. 1. MISIT IGITUR JOSUE FILIUS NUN (Septuaginta *Nave*, sed corrupte : ex affinitate enim litteræ Græce ν cum η, pro νοῦν corruptum est ναυῆ) DE SETIM DUOS VIROS EXPLORATORES. — Hæc verba nectenda sunt versui 9, cap. I, ac ponenda ante vers. 10. Est enim hic hysteron proteron, ut ibi dixi ; Josue enim, excitatus et corroboratus a Deo ad invadendam Chananæam, illico id fecit, misitque exploratores in Jericho Jordani vicinam, ad eam primo subigendam. Quare : « Misit igitur, » hoc est, *miserat igitur* (1), scilicet antequam juberet Hebræos parare se ad transitum Jordanis post tres dies cap. I, vers. 10. Ponitur enim præteritum perfectum pro plusquam perfecto.

Mystice S. Augustinus, serm. 106 *De Temp.*: « Jesus, ait, duos exploratores mittit, quia verus Jesus daturus erat duo præcepta dilectionis. Quia et revera quid nobis aliud quos mittit verus Jesus, nisi ut diligamus Deum, diligamus et proximum. Dixit ergo Jesus : Præparate vobis cibum, et estote parati ad diem tertium. Sicut enim tunc præparatis cibis die tertio ventum est ad Jordanem fluvium : ita et nunc in Ecclesia Catholica assumptis spiritualibus cibis fidei, spei et charitatis, pervenitur ad Trinitatis mysterium, et ad Baptismi sacramentum. »

DE SETIM. — Setim erat in campestribus Moab juxta Jordanem et montem Nebo, ubi ante mensem mortuus erat Moses, *Deuter.* XXXIV. In Setim fornicatus est populus cum filiabus Moab et Madian, ibique Phinees Israelitam cum Madianitide fornicantem pugione confodit, *Num.* XXV. Et hoc loco dictæ sunt arbores Setim, quarum ligna sunt omnium levissima, nitidissima et pulcherrima, et quæ putredinem non sentiunt; unde ex iis cunctæ tabulæ arcæ, tabernaculi et templi factæ sunt.

DUOS. — Rabbini dicunt, vel potius fabulantur hos duos fuisse Phinees et Caleb ; sed quis credat Phinees jam Pontificem a Deo designatum, et Caleb auctoritate et annis gravem, ad tantum periculum electos? Præsertim cum Septuaginta Romæ correcti eos vocent νεανίσκους, id est juvenes, et ita vocantur cap. VI, vers. 23, in Hebræo.

IN ABSCONDITO. — Hebr. חרש *cheres*, id est, tacite, occulte ; ita Chaldæus : tum ne eos incarcerarent et occiderent hostes Jerichuntini ; tum ne id scirent sui Hebræi, qui uti ante ann. 38 ob missos exploratores murmurarant, ita nunc rursum facile murmurare potuissent. Adde in rebus arduis, præsertim bellicis, summa expeditionis sæpe consistit in secreto arctissimo. Facile enim a civibus res secreta ad hostes emanat. Ita Cajetanus, Masius et Serarius.

Rabbini τὸ *cheres* interpretantur *mutum* vel *surdum*, aut *figulum*, quasi jusserit Josue exploratoribus ut se simularent surdos et mutos, utpote linguæ Chananæorum ignaros; vel, ut alii, figulos, quodque ferrent vasa fictilia, quasi ea venditurі in Jericho. Sed hæc sunt Rabbinorum commenta et fabulæ. Verisimilius dicerent eos simulasse se esse rusticos. Sic enim exploratores solent ut rustici, qui libere urbes ingrediuntur, incedere, ac machinationes suas simulatione rusticitatis obte-

(1) Nil obstat quin admittatur sensus litteralis vocis hujus *misit*, supponendo quod Josue viros exploratores misit eodem die quo jubebat Hebræos parare se ad transitum Jordanis post tres dies : etenim de Setim ad Jordanem sunt sexaginta stadia, nempe tres leucæ communes, et totidem a Jordane ad Jerichuntem : an viri fortes et expediti potuerunt igitur redire ad Josue ante decimum diem mensis, quo Josue Jordanem transivit.

gere. Nam radix חרש *charas* per *scin* significat non tantum tacere et obsurdescere, sed etiam arare et fabricare : חרש *cheres* vero per *sin* significat testam et vas fictile.

CONSIDERATE TERRAM,—non tantum Chananæam, sed Jordani vicinam, quam proxime transito Jordane invadere destino, an scilicet munita sit, an incolæ sint bellicosi, an animati et parati ad prælium nobiscum ineundum, etc. Sic Leo Imperator suo belli duci ita præscribit in *Tacticis*, cap. XIII, num. 2: « Exploratoribus et speculatoribus sedulo hostium statum exquires, qui notent illorum quanta multitudo, qualis acies : itaque te adversum eos præparabis, ut ne subito ac de improviso invadare ab illis.» Et cap. XX, num. 178 : « Si quid clam hostes facere volueris, vel castra movere, vel aliquid aliud gerere, nulli hoc consilium, nisi uni alicui ex præfectis credas : talibus enim temporibus permulti sunt, qui remunerandi cupiditate consilia tua hostibus prodituri sunt. » Eodemque cap. num. 216 : « Quoniam venator bonus lupos et vulpes artificio venatur, sic et tu hostium speculatores solertia capies. Si enim extra vallum tuum custodias locaveris, deinde jusseris ut utrumquemque ignotum teneant, et interrogent, neque dimittant priusquam præfecti nomen et contubernii unde sit, et tesseram ejus contubernii commemoraverit, et eos qui hæc facere nequiverint exploraveris quinam sint, facile speculatores illorum invenies. »

Solerter quoque Vegetius, lib. III *De Re milit.* cap. ult., hunc exploratores deprehendendi modum suggerit: « Cum explorator hostium, inquit, latenter aberrat in castris, omnes per diem ad tentoria sua redire jubeantur, et statim deprehenditur explorator, » quia non habet tentorium.

URBEMQUE JERICHO. — *q. d.* Præcipue et præ aliis locis lustrate urbem Jericho. Id jubet, quia Jericho in regione illa erat urbs primaria Jordani vicinissima et munitissima. Similes phrases sunt III *Regum* XI, 1 : « Rex Salomon amavit mulieres alienigenas et (id est, sed præcipue) filiam Pharaonis. » *Ps.* XVII, 2 : « Eripuit eum de manu hostium, et de manu Saul, » scilicet præcipui et acerrimi sui persecutoris. II *Reg.* II, 30 : « Defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Azaele, » omnium primario. *Marci* XVI, vers. 7 : « Dicite discipulis, et (id est, præcipue) Petro. »

Porro Jericho olim urbs fuit magna, populosa (unde et suum regem habuit, ut patet vers. sequenti), sita in regione campestri et pinguissima. Ibi balsamum, quod est liquor odoratissimus, præstantissimum provenit, nusquam alibi. Abundat rosetis, cannis mellis, palmetis, unde et civitas Palmarum appellata est : ut videatur fuisse mundi paradisus. Distat, teste Josepho, lib. V *Belli*, cap. IV, a Jordane sexaginta stadiis, hoc est, septem milliaribus Italicis cum dimidio, quæ leucas Gallicas unius horæ duas cum media efficiunt : distat a Jerusalem stadiis 150, hoc est milliaribus Italicis octodecim cum dimidio, quæ faciunt leucas Gallicas sex cum quadrante. In Jericho hospitatus est et habitavit Elisæus, IV *Reg.* II. Ibidem Christus Zachæum e sycomoro vocavit, *Lucæ* XIX.

Dicta est Jericho vel a ירח *iareach* id est Luna, quod Lunæ nascentis formam habeat planities illa, quæ ambit Jerichuntem : ita Arias Montanus; vel a רוח *ravach*, id est dilatare, quod in latissimo sita sit campo; vel a ריח *reach*, id est odor, quod suavissimum balsami, mellis, rosarum, etc., exspiret odorem. Ita Josephus, Masius, Pagninus.

Symbolice, Jericho typus est mundi, qui instabilis est, et mutatur ut Luna; ac latissimus est, et odoratas delicias suis amatoribus exhibet, sed quæ illico instar odorum et vaporum evanescunt. Unde Jesus ex ea Zachæum ad se advocavit, docens contemnere mundana, et ambire cœlestia utpote præstantissima, et in æternum duratura. Ita S. Gregorius, Rupertus et alii.

QUI PERGENTES (vel natatu, vel vado, ut innuitur vers. 7, vel scapha Jordanem transmittentes), INGRESSI SUNT DOMUM MULIERIS MERETRICIS, NOMINE RAHAB.—Pro *meretricis* hebr. est זנה *zona*, quod et cauponariam sive tabernariam, ut vertit Chaldæus et Rabbini, et meretricem significat. Meretricem hic vertunt Septuaginta, et cum talem eam nuncupet S. Paulus *Hebr.* XI, 30, fieri potest ut Rahab et cauponaria et meretrix fuerit. Sæpe enim feminæ marito carentes, quæ publicis hospitiis dant operam, fornicationis subeunt periculum, aut certe suspicionem : licet noster Serarius in *Tobiæ* VI, cap. I, *Quæst.* III, multis contendat illo ævo non fuisse in usu cauponas, nec hospitia publica. Quare certum est Rahab meretricem fuisse, incertum an fuerit cauponaria. Prudenti sane consilio, Deique ductu exploratores hi domum Rahab adierunt, ubi occultissime latitarunt, utpote portæ vicinam, et muro urbi adhærentem. Erat ergo illa eis ad quiescendum et latendum, æque ad effugiendum, si res posceret, opportunissima. Ita Arias, Vatablus, Masius et alii.

NOMINE RAHAB. — *Rahab* hebr. idem est quod *dilatatio*, vel *se dilatavit*, uti fecit hæc, cum nupta Salmoni, Davidis, Salomonis, regum omnium, ipsiusque Christi effecta est mater, de quo paulo post plura. Porro Rahab hoc tempore fuisse inquit Torniellus quatuordecim, vel quindecim annorum, æque ac ejus maritum Salmonem : nam sub annum ætatis centesimum genuerunt Boos, proavum Davidis, ut patebit in fine libri *Ruth*; sed hoc difficile est creditu : unde illud examinabo cap. VI, 25. Notat S. Hieronymus in cap. I *Matth.*, in genealogia Christi non nisi infidelitate, vel luxuria infames nominari feminas, scilicet Ruth, Thamar et Rahab, ut qui, inquit, propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Ita quoque S. Ambrosius, Chrysostomus, Euthymius et alii.

Excepit et Rahab exploratores Hebræorum, illuminata et impulsa a Deo, quasi divini consilii

in Chananæa fideli populo subigenda procuratores. Intellexit enim Deum in hac re velle uti sua opera, ac proinde velle ut ipsa eos exciperet, absconderet et dirigeret : quare ipsa debuit parere Deo, et cives impios patriamque suam Dei populo tradere, et ut ita dicam, prodere, sicut Abraham debuit Deo jubenti immolare suum Isaac.

Vers. 3. 3. MISITQUE REX JERICHO AD RAHAB.—«Rex,» id est regulus, dux, princeps urbis Jericho. Tunc enim singulæ urbes suos habebant reges, id est rectores et duces. Unde cap. XII, 9, triginta urbium triginta nominantur reges, quos Josue devicit. Rex ergo hos duos peregrinos censuit esse Hebræos et exploratores : pavidis enim tempore belli omnes sunt suspecti ; suspicionem auxit peregrina illorum vestis, lingua et mores.

Vers. 4. 4. TOLLENSQUE MULIER VIROS ABSCONDIT. — Ex Hebræo clare cum Vatablo sic vertas : *Acceperat autem mulier duos illos viros, et abdiderat illum* (id est, unumquemque illorum seorsim, ait Arias); abdiderat autem illos Rahab, antequam regii nuntii eos quæsituri advenirent. Cum audiit mussitare vicinos, duos illos peregrinos ad se divertentes esse exploratores, aut alio indicio, vel certe probabili suspicione conjecit, duorum horum ad se adventum regi nuntiandum fore. Quare conjiciens delationem hanc, metuensque inquisitionem et scrutinium domus suæ, prudenter illud prævenit, et exploratores abscondit : ac forte regiis nuntiis ad scrutinium adventantibus, ipsa adhuc occultandis exploratoribus occupabatur; idque insinuat Noster, dum vertit : « Tollensque mulier viros, abscondit. »

Porro Rabbini, quod est in Hebræo, *abdidit illum*, in singulari, sic explicant, scilicet Rahab unum duntaxat absconderit, scilicet Caleb; Phinees enim ei responderit : « Ego sum sacerdos; sacerdotes vero, quippe Angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, cerni nequeunt. » Itaque solum Caleb, non vero Phinees a Rahab fuisse absconditum arbitrantur; sed hæc Rabbinorum commenta, solita sunt fabulonum istorum figmenta. Probabilius Philo, non ille celebris, sed Biblicarum antiquitatum scriptor obscurus (Hebræus tamen), ait hos exploratores fuisse duos filios Caleb, scilicet Cenez et Seeniamian. Unde id habeat, ignoro.

Vers. 5. 5. NESCIO QUO ABIERUNT.— Mentitur vafra mulier. Calvinus hic ei id vitio tribuit, sed ita ut virtuti hospitalitatis admixtum, ei non fuerit ad culpam imputatum. Sed hic est error in Deum blasphemus. Facit enim Deum quasi cæcum, qui sinat sibi obduci velarique oculos, ut vitium non videat; aut malorum symmysten et socium, qui vitia non censeat esse vitia, neque ea vitio vertat. Fuit tamen mendacium hoc non perniciosum, sed officiosum, ideoque veniale, præsertim in femina rudi et pagana, quæ sibi persuadebat mendacium hoc casu esse licitum, imo honestum, utpote necessarium ad salvandos hospites. Nec id mirum, cum olim Plato, Origenes, S. Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Cassianus, aliique plures tam Christiani, quam Gentiles, censuerunt mendacium subinde esse licitum, illoque utendum esse quasi helleboro, uti ostendi in mendacio obstetricum, *Exodi* I.

Porro Abulensis hic, *Quæst.* XXX, censet Rahab a Deo motam fuisse ad peccatum veniale, scilicet ad mendacium hoc officiosum. Deus enim, inquit, potest movere hominem ad peccandum venialiter, propter magnum bonum, quod inde sequitur, et ne in majora peccata incidat. Simili modo, inquit, si quis alterum quærat ad mortem injustam, et alius simplici mendacio ejus vitam conservare possit, debet conservare, et si mentiri recusaverit, alius injuste peribit.

Verum hæc sunt falsa et paradoxa. Deus enim nullius peccati potest esse auctor, cum sit summa puritas, veritas et sanctitas. Rursum, mentiri non licet, etiamsi inde totius mundi salus sequeretur. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona, ait Apostolus, nec mendacium necessarium est ad salvandam alterius vitam; potest enim quis in tali casu uti amphibologia : et si necessarium esset, non tamen mentiri liceret, quia mendacium intrinsece malum et peccatum est, quod nullo casu facere licet.

Dices : Hoc mendacium erat in exitium suæ gentis, quam prodebat Hebræis hostibus; ergo erat perniciosum. Respondeo, mendacium hoc fuisse quidem damnosum Chananæis et Jerichuntinis; tamen quia Rahab Dei instinctu certo sciebat illos ob sua scelera a Deo esse proscriptos et exitio addictos, adeoque Hebræis cum suis possessionibus deditos, non debuit illa, nec potuit nisi improbe patrocinari causæ injustæ Jerichuntinorum, et causæ, belloque justo et pio Hebræorum adversari, ac Deo ipsi reluctari. Quin vero ut Deo obediret, cordata admodum fide et pietate, mortis discrimini fortissime et sanctissime se objecit, ut ab ea merito eam laudet Apostolus, *Hebr.* XI, 31, et operibus hisce justificatam esse asserat S. Jacobus cap. II, vers. 25. Quare ipsa illuminata tactaque a Deo, a libidine sua per pœnitentiam et castitatis propositum ad Deum sese convertit, factaque est Hebræa et sancta, adeoque hoc generoso hospitalitatis actu, quo Hebræis ingressum in Chananæam patefecit, se nobilitavit, Hebræosque sibi adeo devinxit, ut ob hanc ejus beneficentiam Salmon, princeps tribus Juda, eam in conjugem acceperit, ex eaque prognati sunt omnes principes et reges Juda, ac tandem Christus ipse, ut patet *Matth.* I, ubi ipsa nominatur, et præ aliis feminis ponitur in genealogia Christi : quia videlicet fuit alienigena et meretrix, et quia de populo Dei optime merita. Licet enim esset alienigena, tamen jam conversa ad Judaismum duci potuit in uxorem a Judæo principe. Talium enim connubia non vetantur *Deuter.* VII, 3, sed alienigenarum

duntaxat persistentium in idololatria, ut patet ibidem vers. 4.

Hebræi tradunt Rahab hac fide et pietate promeruisse, ut octo Prophetæ et Sacerdotes ex ejus stirpe procrearentur, scilicet Jeremias, Helcias, Suraias, Maasias, Baruch filius Nerie, Hanameel, Sellum, Ezechiel et Huldam. Fuit Hanameel filius Sellum, patruelis Jeremiæ. Rursum iidem numerant novem feminas gentiles, quæ maritis Hebræis nubentes, vel Hebræis adhærentes, ab iis conversæ fidelem magnamque sobolem procrearunt, scilicet Agar Ægyptiam, uxorem Abrahæ; Aseneth, uxorem Joseph; Sephoram Madianitidem, uxorem Mosis; Sephoram et Phuam obstetrices, quæ infantes Hebræorum a cæde Pharaonis servarunt, *Exodi* I, 15; Pharaonis filiam, Rahab, Ruth et Jahel. Porro S. Augustinus, lib. *Contra mendacium*, cap. XV: «Quod scriptum est, inquit, Deum bene fecisse cum Hebræis obstetricibus, et cum Rahab Jerichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis.»

Vers. 6. 6. IN SOLARIUM. — Hebr. גג *gag*, id est tectum, ut vertit Chaldæus et Septuaginta, quod in Judæa erat planum, ut in eo ambulare, cubare, sedere liceret. Vide dicta *Deut.* XXII, 8. Dictum solarium, quia soli expositum. Tropologice Origenes, hom. 3 *in Josue*: «Hæc, inquit, susceptos eos in superioribus collocat, atque in editis et excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui a Jesu mittitur, invenitur deorsum et humi jacens, sed in superioribus permanet.»

OPERUITQUE EOS STIPULA LINI. — Hebr. *in linis ligni*, sed Hebræi lina ligni vocant lina lignea, sive quæ lignescunt, puta lina, quæ integra canna constant, quod Latine Latinus interpres clare expressit, vertens *stipula lini*. Nam ligni nomen Hebræi tribuunt etiam plantis, ut junco, hyssopo, lino, quæ calamo suo sensim durescunt et lignescunt, ut patet III *Regum* IV, 33. Temere ergo Masius hic carpit nostrum Interpretem. Illi enim favent Chaldæus et Josephus, qui vertunt, *lini fasciculos*. Et Pagninus vertens, *culmos lini*, et Tigurina vertens, *cauliculos lini*. Hic versus explicat versum 4.

Vers. 9. 9. NOVI QUOD DOMINUS TRADIDERIT VOBIS TERRAM. — «Tradiderit,» id est tradere decreverit, assignarit, donarit, ac reipsa mox traditurus sit. Noverat hoc Rahab partim ex miraculis et portentis, quæ Deus pro Hebræis pugnans operatus erat; partim ex Dei ipsius instinctu et revelatione.

Quæres, qua lingua Rahab cum Hebræis exploratoribus collocuta sit? Respondeo, sua, id est Chananæa. Hanc enim calluisse videntur exploratores; imo hæc ipsa Hebraicæ erat affinis et vicina, ut patet ex nominibus quibus Chananæi suas urbes et homines vocitarunt, qualia sunt Salem, Sichem, Jericho, Cariatharbe, Bethlehem, Melchisedech, Adonisedec, Rahab, Abimelech, etc. Hæc enim Hebræa sunt. Pluribus id probat Serarius hic *Quæst.* XXV.

ELANGUERUNT. — Hebr. נמוגו *namoggu*, id est, instar ceræ *liquefacti sunt*, dissoluti et tabefacti sunt: pavor enim ingens liquat, enervat et dissolvit omne robur, omnesque animæ et corporis vires. Chaldæus, *fracti sunt*; Vatablus, *consternati sunt metu vestri*, hoc est panico terrore acti quasi colliquescunt. Septuaginta, vers. 11, vertunt ἐξέστημεν, id est, obstupuimus, extatici facti sumus, extra nos rapti defecimus, emoti sumus e mente nostra. Pavor enim facit inopes consilii, emotæ mentis, et quasi amentes.

10. QUOS INTERFECISTIS. — Hebr. החרמתם *hecheramthem*, id est anathema fecistis, anathematizastis, id est velut anathema, id est hostiam Deo et justitiæ vindictæque divinæ consecratam immolastis et occidistis. Vide dicta *Levit.* cap. XXVII, vers. 28. Vers. 10.

11. DOMINUS ENIM DEUS VESTER IPSE EST DEUS IN COELO SURSUM, ET IN TERRA DEORSUM, *q. d.* Deus vester solus est Deus verus, qui cœlum et terram æternis regit imperiis, et ubivis locorum operatur ea quæ voluerit. Hebr. enim est *Elohim*, quæ vox significat Deum qua gubernatorem rerum omnium. Sensus est, *q. d.* Cum Deus verus pro nobis pugnet, nec Chananæi, nec quis alius illi vobisque obsistere poterit, aut vos possessione terræ hujus arcere, uti sat arguit illis injectus a Deo pavor, qui eos alioqui fortissimos, imbelles et enerves reddidit. Chaldæus vertit, *et quod Dominus Deus vester sit Deus, cujus divinitas est in cœlo supra, et dominatur super terram subter*. Hoc est quod ait Moses *Deuter.* XXXIII, 26: «Ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna; ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere;» ubi plura hac de re dixi. Rahab ergo partim ex miraculis et prodigiis, partim ex Dei illustratione, cognovit idola Chananæorum esse deos falsos fictosque, solum autem Deum Hebræorum esse Deum verum (Hebr. enim est *Jehova*), ideoque in eum credidit, speravit, dilexit, ac pœnitens peccatorum suorum veniam ab eo flagitavit, itaque justificata est, uti docet Apostolus, *Hebr.* cap. XI, vers. 31, et Jacobus cap. II, 25. Vers. 11.

14. ANIMA NOSTRA SIT PRO VOBIS IN MORTEM, — hoc est, pereat anima nostra, id est, pereamus nos, Deus nos perdat, vel terra nobis dehiscat, si vobis Hebræi nocuerint. Jurant enim, uti petierat Rahab, juramento exsecratorio, ut patet vers. 17. Sciebant enim id Josue et Hebræos ratum habituros, imo illi pro tanto hospitalitatis, qua aditus in terram promissam pandebatur, officio, gratias acturos, ac majora beneficia illi relaturos. Sciebant pariter legem Dei jubentis omnes Chananæos occidi, non intelligi de ea quæ tam amice Hebræos exceperat, eisque viam in Chananæam ad tot victorias aperuerat. Hoc enim eis epiikia dictabat; Chaldæus vertit, *animæ nostræ tradi-* Vers. 14.

tæ sunt pro animabus vestris. Clare Vatablus: *Animas nostras pro vobis morti devovemus, præstituros nos beneficium et fidem tibi;* quod sic explicat, *q. d.* « Servabimus vos etiam, si nobis sit moriendum. » Sed prior explicatio est germanior.

FACIEMUS IN TE MISERICORDIAM ET VERITATEM. — « Veritatem, » id est æquitatem et fidelitatem, ut vertit Vatablus, officium scilicet officio reddendo, et fidem salutis quam tibi dedimus, reipsa præstando. Est enim veritas justitiæ, uti est loquelæ, ut bonum quod vere promisimus, vere præstemus, de qua ait Joannes in *Evang.* cap. VIII: « Ille (diabolus) in veritate, id est, in fide et obedientia Deo promissa, non stetit. » Et in III *Epist.*: « In veritate ambulas. » Et alibi: « Dominus aspiciet veritatem. » Et: « Universæ viæ Domini misericordia et veritas. »

Vers. 15. 15. DEMISIT ERGO EOS PER FUNEM DE FENESTRA. — Sicut Paulus Damasci e fenestra demissus est in sporta, cujus hi exploratores fuere typus et figura, *Actor.* IX, 25.

DOMUS ENIM EJUS HÆREBAT MURO. — Septuaginta: *Quoniam domus illius erat in muro, et in muro ipsa habitabat.* Quod Romæ quoque et alibi fit, ubi summa est pax: nam tempore belli id periculosum est; per domos enim muro hærentes exploratores, hostesque ipsi secure in urbem ingredi et egredi possunt.

Vers 16. 16. AD MONTANA CONSCENDITE, — quasi ad avia et semota. Mystice Origenes: Apostolis, ait, jussit Christus cœlestia prædicare, quasi dicat: Nolite per valles incedere, humilia et dejecta refugite, excelsa et sublimia docete.

INNOXII ERIMUS A JURAMENTO HOC QUO ADJURASTI (ita jurare fecisti, sive ad quod nos adegisti. Ita Pagninus et Vatablus) NOS.

Vers. 18. 18. SI INGREDIENTIBUS NOBIS TERRAM, SIGNUM FUERIT FUNICULUS ISTE COCCINEUS. — Ita legunt Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Romana, sine negatione; Complutenses tamen et alii legunt cum negatione: *Signum non fuerit.* Sensus ergo est, *q. d.* Innoxios non præstabimus, fidemque nostram liberabimus ab hoc juramento, quo juravimus te tuosque servare, si funiculum istum alligaveris ad fenestram, ut ex eo quasi signo domum tuam omnes Hebræi a cæteris internoscant, sciantque illam esse quam servaturos nos juravimus. Ita Vatablus.

Verum quia Hebr. נקיים *nekiim,* id est innoxii, potius significat immunes et obligatione juramenti solutos, sive, ut vulgo dicunt, deobligatos, ut patet vers. 17 et 20: hinc ex Hebræo hic videtur esse sensus, *q. d.* Juramento nostro liberi solutique erimus, si duo quæ jure exigimus non servaveris. Exigimus enim *primo,* ut funiculum istum nobis pro signo des, tuam esse domum; *secundo,* ut tuos cognatos omnes in tuam domum congreges, itaque sciamus esse tuos, non alienos; si hæc duo non servaveris, juramento nostro nos soluti erimus: sin servaveris, eo obligatos nos censebimus, illudque sancte servabimus. Unde Complutenses aliique, ut dixi, per negationem legunt: *Innoxii erimus, etc., si signum non fuerit funiculus iste.*

FUNICULUS (Hebr. *funis*) ISTE COCCINEUS. — « Iste, » scilicet qui hic se oculis nostris offert. Alii: « Iste, » scilicet quo nos per murum demisisti, ut idem funis crassior, quo exploratores e manu Chananæorum liberat, Rahab quoque eorum liberatricem de manu Hebræorum liberaret. Exploratores dant signum funis, quod petierat Rahab vers. 12, quodque antequam a muro demitterentur dare debuissent, sed id eis ob periculum turbatis animis tum non occurrebat, cum omnes ad periculi fugam per securam e fenestra demissionem toti intenderent.

COCCINEUS. — Dei providentia id factum, ut per eum, utpote rubeum, Christi sanguis repræsentaretur. Unde S. Ambrosius lib. V *De fide,* cap. V, censet Rahab hoc coccineo fune significare voluisse passionem Christi, cujus fide et meritis liberabatur a morte animæ et corporis. Audi eum lib. V *De fide,* cap. IV, sub finem: « Vidit hoc meretrix, et quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ Passionis attollens, coccum in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret. Ita foris JESU nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ Passionis periclitantibus ad salutem. Unde quia intellexit Rahab cœleste mysterium, dicit Dominus in psalmo: Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. »

Sic et S. Augustinus in *Psalm.* LXXXVI: « Memor ero, inquit, Rahab. Quæ est ista? Meretrix illa in Hiericho, meretrix quæ suscepit nuntios, et alia via ejecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi. Salvata est ibi, et Ecclesiam gentium significavit. Unde Dominus superbientibus Pharisæis dixit: Amen dico vobis, publicani et meretrices præcedunt vos in regno cœlorum. Præcedunt, quia vim faciunt. Impellunt credendo, et ceditur fidei, nec obsistere potest quisquam, quia qui vim faciunt, diripiunt illud. » Sic et S. Hieronymus, epist. 2 *ad Nepotianum,* multis docet coccineum esse symbolum sanguinis Christi, æque ac charitatis ignitæ, qua ardebat Rahab. Et Origenes hic *hom.* 4: Sanguis Christi est signum redemptionis, inquit, in domo Rahab, id est in Ecclesia.

ET OMNEM COGNATIONEM TUAM, — puta non solum parentes, sed avunculos, materteras, patrueles, imo et affines, scilicet cognatorum uxores et cognatarum maritos; hi enim per uxores et maritos pertinebant ad Rahab, ejusque censebantur cognati. Negat hoc Abulensis, Quæst. LV, eo quod vers. 13, Rahab solos fratres suos et sorores petierit liberari. Sed immerito, nam nomine fratrum

et sororum nepotes et cognati apud Hebræos intelliguntur; quos enim ibi fratres vocavit, hic cognatos vocat.

Vers. 19. 19. SANGUIS IPSIUS ERIT IN CAPUT EJUS. — « Sanguis, » id est, culpa sanguinis sui effusi in ipsummet recidet, *q. d.* Ipse sua culpa peribit, non nostra, quia pacta non servavit.

Vers. 20. 20. MUNDI, — id est, liberi et juramenti obligatione soluti.

Vers. 21. 21. DIMITTENSQUE, — puta valedicens eis, v. g. dicendo: « Ite in pace, » vel « Pax vobiscum; » jam enim funiculo eos per murum dimiserat: hic ergo dimissis valedicit.

Vers. 22. 22. PERVENERUNT AD MONTANA, ET MANSERUNT IBI TRES DIES, — non integros, sed dimidiatos vel inchoatos. Nam die tertio mensis Nisan sive martii, missi a Josue lustrarunt Jericho, et hospitati sunt apud Rahab; sed cum illico eorum adventus nuntiatus esset regi, illeque eos inquiri juberet, Rahab eadem nocte eos per murum demisit: demissi et dimissi latuerunt in montanis ad tres dies, scilicet die quarta, quinta et sexta Nisan, sed inchoata; nam die sexto ad vesperam redierunt ad Josue. Quare non videtur verum, quod scribit Josephus, eos post ingressum suum in Jericho, sequentem diem totum insumpsisse in exploranda Jericho, sic enim proditi et capti fuissent, et satis ex Rahab intellexerunt metum statumque urbis, ut tanta lustratione non esset opus, præsertim in tanto periculo, omnium oculis in eos intentis. Nam ob viciniam Hebræorum omnes Jerichuntini erant consternati, et quasi exanimati, ut ait Rahab: quare urbem suam clauserunt et arctissime custodierunt, singulos ingredientes exacte inspiciendo et examinando, ac nominatim peregrinos, eorumque nomina ad regem deferendo, uti fieri solet singulis diebus ad vesperam in urbibus, quæ vicinum hostem metuunt. Si quis nolit hisce temporis angustiis arctari, malitque tres dies integros latebrarum accipere, dicat exploratores a Josue fuisse missos, venisseque in Jericho, non tertio die Nisan, post expletos triginta dies luctus ob mortem Mosis; sed ante eos expletos die primo Nisan, ita ut secundo die Jerichuntem explorarint, tertio die redierint, latuerintque in montibus tres integros dies, ac die sexto reversi sunt ad Josue. Ita ex Lyrano et Masio Salianus.

Vers. 24. 24. ET TIMORE PROSTRATI. — Hebr. *timore liquefacti*. Vide dicta vers. 9.

Allegorice S. Augustinus, Origenes, Rupertus: Rahab, inquiunt, repræsentat Ecclesiam Gentium: *Primo,* quia sicut ipsa, ait Rupertus, cap. x, prius erat prostibulum dæmoniorum et lupanar idolorum, sed ex infideli et incesta per receptionem exploratorum Hebræorum facta est fidelis et casta: sic gentes idololatræ et impuræ, per receptionem Apostolorum, factæ sunt Christianæ et sanctæ. *Secundo,* sicut Rahab per funiculum coccineum, sic Ecclesia per sanguinem Christi salvata est. *Tertio,* Rahab servavit omnes cognatos, itaque, ut videtur, omnes ad fidem et cultum veri Dei Hebræorum adduxit; unde et Rahab hebr. idem est quod dilatatio: sic Ecclesia per omnes gentes se dilatavit. *Quarto,* extra domum Rahab omnes occisi sunt: sic extra Ecclesiam omnes pereunt, nullique salus conceditur. *Quinto,* Rahab justificata est per fidem et hospitalitatem, sic et Ecclesia per fidem et charitatem.

Tropologice, Rahab est omnis peccatrix et pœnitens instar Magdalenæ, quæ per Josue et exploratores, id est, per JESUM et viros Apostolicos, ex luxuriosa, fit casta et sancta, ideoque ab excidio gehennæ servatur, imo et alios servat, dum eisdem pœnitentiam et puritatem suo verbo et exemplo persuadet.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jordanem miraculose divisum, duce arca fœderis præeunte, sicco pede transeunt Hebræi.

1. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra; egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi tres dies. 2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium, 3. et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes: 4. sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium, ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam; et cavete ne appropinquetis ad arcam. 5. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini; cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. 6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt

ante eos. 7. Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quod, sicut cum Moyse fui, ita et tecum sum. 8. Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, et dic eis : Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. 9. Dixitque Josue ad filios Israel : Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri. 10. Et rursum : In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergezæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum. 11. Ecce arca fœderis Dei omnis terræ antecedet vos per Jordanem. 12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. 13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient : quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent. 14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem; et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. 15. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), 16. steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent. 17. Populus autem incedebat contra Jericho; et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

Vers. 1. 1. IGITUR JOSUE DE NOCTE CONSURGENS MOVIT CASTRA, — scilicet finiente, puta in crepusculo matutino. Hebraice enim est, *manicavit mane*. Ita Septuaginta; vel, ut Chaldæus, *in aurora*. Ita Noster quoque accipit noctem cap. VI, vers. 12. Non enim nox obscura, sed aurora lucifera apta est movendis castris et expeditionibus bellicis. Discat hic princeps et belli dux non stertere in multam lucem, sed ante solem in aurora surgere, juxta illud Homeri :

Οὐ δεῖ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Non decet noctem totam dormire virum consiliarium.

Hebræi censent hanc noctem sive auroram fuisse nona die Nisan, sive martii. Asserunt enim Mosen mortuum fuisse die septima februarii, et die septima martii sequentis, nempe sub finem triginta dierum luctus, Dominum allocutum Josue, et eodem die promulgationem factam populo de parandis cibis; quinta vero die ejusdem mensis missos fuisse exploratores, et octavo die ipsos reversos; nona autem die filios Israel profectos a Setim venisse ad ripam Jordanis, ac decima die Jordanem transisse.

Verum aptior est ordo, si dicamus Mosen mortuum sub diem tertiam februarii; inde post triginta dies luctus, sub diem tertiam martii, Deum excitasse Josue ad Chananæam invadendam. Quare Josue eodem die misisse exploratores, qui post triduum, die sexto martii, ad vesperam redeuntes ad Josue, illum animarunt ad Chananæos perculsos aggrediendum (1). Josue ergo postero mane diei septimæ castra movit ad Jordanem, ac per præconem edixit ut omnes pararent se ad transitum Jordanis, post tres dies futurum. Pararunt se ergo per dies tres, scilicet septimum, octavum et nonum, ac decimo die Jordanem transierunt, ut dixi cap. I, vers. 11.

ET MORATI SUNT IBI TRES DIES — jam dictos, parantes se ad transitum. Hæc verba non sunt in Hebræo, Septuaginta et Chaldæo hoc versu, sed sequenti, ex quo noster Interpres ea huc transtulit claritatis causa.

Vers. 2. 2. QUIBUS EVOLUTIS, — id est, ad finem tendentibus, puta sub vesperam diei nonæ.

Vers. 3. 3. QUANDO VIDERITIS ARCAM FOEDERIS, — in qua Deus residebat super propitiatorium et Cherubim, indeque dabat oracula *Exodi*, XXV, 10. Deus ergo hic in arca residens præibat castra, et Jordanem divisit, ac populum sicco pede per eum traduxit.

ET SACERDOTES STIRPIS LEVITICÆ (ex Levi patriarcha prognatos) PORTANTES EAM. — Licet enim in peregrinatione per desertum arcam portarent Levitæ, puta Caathitæ, uti jusserat Deus *Num.* IV, 15, tamen in re gravi et miraculosa portabant eam sacerdotes, uti hic ad findendum Jordanem, et cap. VI, ad prosternendos muros Jericho, et ad inferendum eam cum majestate in magnificum Salomonis templum recens ab eo ædificatum, III *Reg.* VIII. Perperam ergo Sigonius, libro V *De Repub. Hebr.* cap. IV, per sacerdotes stirpis Leviticæ hic intelligit Levitas. Minus recte quoque Chaldæus vertit, *Sacerdotes et Levitas*.

VOS QUOQUE CONSURGITE, ET SEQUIMINI PRÆCEDENTES. — Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, *ibitis post eam*, scilicet arcam; sed arca portabatur a sacerdotibus : eos ergo sequendo sequebantur pariter arcam.

(1) Verisimile est quod Josue moverat castra antequam exploratores redirent ad Setim, ob insuperabiles difficultates tantam rem moliendi paucissimis diebus istis.

Vers. 4. 4. SITQUE INTER VOS ET ARCAM SPATIUM CUBITORUM DUUM MILLIUM, — seu pedum trium millium, qui efficiunt quinque stadia, hoc est medium milliare Italicum, et insuper centum quinque et viginti passus, quod est iter Sabbati, ait Josephus, lib. XX *Antiq.* cap. VI; stadium enim est octava pars milliaris : milliare autem faciunt mille passus; quare quinque stadia continent sexaginta quinque et viginti passus.

Cur post arcam bis mille cubiti? Resp. Primo. Secundo. Quæres, cur tantum interstitium inter arcam et populum præcepit Deus? Respondeo *primo*, religionis et reverentiæ causa; arca enim Deum repræsentabat, imo eum quasi gestabat, qui iter in terram promissam Hebræis pandebat, ac quasi dux præibat. *Secundo*, ut omnes commodius arcam, et miraculum divisi per eam Jordanis eminus cum admiratione, exultatione et gratiarum actione Deum glorificantes conspicerent, quomodo scilicet a sacerdotalibus pedibus aquæ diffugerent, exaresceret alveus, medias per undas via sterneretur, ait Serarius; atque, ut ait S. Augustinus, *Quæst.* III, ne si tam grande populi agmen post arcam proximum pergeret, non eam omnes præeuntem viderent, neque nossent qua sequerentur. Utramque hanc causam assignat Josue, dum statim subdit : « Ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini, etc. Et cavete ne appropinquetis ad arcam. » Ex hoc autem præcepto factoque intelligendum relinquitur,

Columna nubis quæ solebat castra præcedere, evanuit. quod columna illa nubis, quæ movendis castris solebat signum dare, illaque motu suo præire, iterque ostendere, jam evanuerat, nec amplius apparebat : alioqui enim ipsa more suo castra hic præivisset, non arca. Ita S. Augustinus, Abulensis, Hugo, Lyranus, Cajetanus, Arias, Dionysius et alii. Mystice in Josue, id est Jesu Christi ducatu, nulla est nubes, nulla caligo umbratica, sed aperte veritas, quam attulit arca fœderis, id est, lex nova.

Aliæ causæ. Alias causas addit Masius, nimirum quod alveus Jordanis esset duorum millium cubitorum, ut arca alveum hunc in adversa ripa egrederetur, cum Judæi eumdem in citima ripa ingrederentur. Verum Geographi terræ sanctæ asserunt Jordanem circiter triginta cubitos duntaxat in latitudine continere.

Rursum, ut significaretur duo millia annorum effluxura ab hoc Jordanis transitu usque ad nativitatem Christi; sed errant in computu : nam fluxere tantum anni 1456, ut patet ex Tabula Chronographica, quam Genesi præfixi.

Porro R. Salomon censet hic duas fuisse arcas, scilicet arcam fœderis et arcam continentem ossa Joseph, eo quod Hebr. sit בינו *benau* plurale; sed errat, tum quia in Hebræo legendum est alio puncto בינו *beno*, in singulari, id est *inter eam*, scilicet arcam, uti legit Noster, Septuaginta et Chaldæa; tum quia etiamsi legas *benau*, illud quidem est affixum nominis pluralis, sed significans rem singularem; alioqui enim dicendum fuisset ביניהם *benehem*, id est *inter eas*, scilicet arcas, uti norunt Hebræi. Mystice arca significat humanitatem Christi, a cujus præstantia et perfectione nos peccatores longissime distamus.

Vers. 5. 5. DIXITQUE JOSUE AD POPULUM : SANCTIFICAMINI, — lotione vestium et secubitu, *q. d.* Lavando vestes et abstinendo ab uxoribus mundate vos, et religiose comparate ad trajectionem Jordanis tam admirabilem et divinam. Hæc enim sanctificatio, sive lustratio corporalis fuit rudis illius sæculi priscique populi, quæ typus fuit lustrationis spiritualis per contritionem et pœnitentiam a Christo inducendæ. Hinc eadem lustratio præcepta fuit Hebræis, cum eis Deus daturus esset legem in Sina, *Exodi* cap. XIX, 10, et cum prostraturus esset muros Jericho hic cap. VII, vers. 13, et cum David a Samuele in regem deligendus foret, I *Regum* XVI, 5, et alibi. Interius vero « sanctificamini, » excitando firmam fidem, et spem obtinendi a Deo ea quæ ipse promiserat. Unde subdit : « Cras enim Dominus faciet mirabilia. »

Disce hic continentiam et castitatem vocari sanctitatem, quia ipsa purificat animam et corpus. Hinc Apostolus ait, I *Thess.* IV, 4 : « Ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione. » Et I *Corinth.* VII, ait de virgine : « Ut sit sancta corpore et spiritu. »

CRAS ENIM FACIET DOMINUS MIRABILIA, — scilicet Jordanem dividet, siccabit, sistet, attollet, ut vos traducat. Loquitur Josue æque ac Moses instinctu et jussu Dei, non ut princeps, sed ut Propheta, ac ut talis a Deo auctoratus imperat sacerdotibus res sacras vers. seq., ut scilicet arcam tali ritu transferant, quod ut merus princeps licite facere non potuisset. Nam, ut docet S. Ambrosius epist. 13 *ad Marcellinam sororem*, Imperatori cura murorum, Episcopo cura sacrorum a Deo commissa est. Sed audi eum generose Valentiniano Imperatori, ecclesiam pro Arianis petenti intonantem : « Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est : Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesia. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. »

Josue ut Propheta sacerdotibus imperat, non ut princeps.

Vers. 8. 8. CUM INGRESSI FUERITIS PARTEM AQUÆ JORDANIS, STATE IN EA. — Pro *partem* hebraice est קצה *katse*, id est finem, extremitatem, per quam Masius intelligit ulteriorem ripam, *q. d.* Cum transgressi fueritis Jordanem, consistite in ejus extremitate juxta adversam ripam, donec populus transeat, et seniores lapides e Jordane tollant ponantque in monumentum hujus transitus. Unde et Pagninus vertit, *cum veneritis ad finem aquæ Iarden, in Iardem stabitis.*

Serarius vero accipit citeriorem (hanc enim significat קץ *kets*, vers. 12) ripam, *q. d.* Cum primum attigeritis aquas Jordanis, ibi subsistite, do-

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

nec diviso Jordane sensim defluat aqua, ac relinquat alveum siccum, per quem transeatis ad adversam ripam, ut dicitur vers. 13.

Ego inter utrumque medius incedo, ac cum Serario citeriorem quidem ripam accipio, verum ita ut non in ea, sed in medio Jordanis subsistere sacerdotes jubeantur. Nam non in ripa, sed medio Jordanis constitisse sacerdotes diserte asseritur vers. ult., et cap. IV, vers. 10. Hebræum enim *katse* proprie significat sectionem et partem a toto præcisam; hæc enim jam est totius finis et extremitas, atque hac de causa Noster et Septuaginta semper hic *katse* vertunt *partem* : nam radix קצה *katsa* significat præcidere, abscindere, detruncare, extrema succidere. Sensus ergo est, *q. d.* Cum veneritis ad *katse*, id est, ad sectionem Jordanis, ubi scilicet Jordanis sectus jam finitur, atque utrimque sua extremitate jam secta terminatur, ingredimini hanc ejus sectionem, sive partem jam sectam, atque in medio ejus subsistite, tum ut populus fidenter transeat, videns arcam et sacerdotes in medio Jordane jam fisso siccoque intrepidos consistere, nec metuat aquarum post arcæ transitum in alveum suum reditum et revolutionem; tum ut ibidem lapides duodecim erigantur, et alii duodecim tollantur erigendi in Galgalis, ad monumentum perpetuum miraculosi hujus transitus. Unde hebraice ad verbum est : *Cum veneritis ad sectionem Jordanis, in Jordane (medio) subsistite.* Rationem dat noster Serarius : Congruum erat, inquit, ut arca eo loco subsisteret, ubi maximum erat periculum, ut tanto fidentius totus populus pertransiret. Si enim arca in alterutra ripa substitisset, vereri potuissent timidiores, ne salva arca, ipsi in medio alveo aquis in suum locum redeuntibus obruerentur.

In medio Jordanis stetit arca.

Hic igitur rei gestæ fuit ordo : Sacerdotes cum arca præcesserunt agmen populi per duo cubitorum millia versus Jordanem; cumque ipsi ad eum pervenissent, aquasque pedibus tangerent, illico aquæ quasi arcam, vel potius Deum in arca residentem venerantes fugerunt; Angelus enim eas illico dissecuit, alveumque siccavit : per eum ergo perrexere sacerdotes usque ad medium alvei jam siccati, ibique constiterunt, donec totus populus transiret, et lapides jam dicti tollerentur, et in monumentum erigerentur : populus enim per alveum tuto secureque transibat, non dubitans se fore ab aquis immunem, ubi ab iisdem immunes esse videbat sacerdotes et arcam.

Comparatio divisionis Jordanis et maris Rubri. Primo. Secundo.

Divisio ergo Jordanis facta per Josue, partim similis fuit divisioni maris Rubri factæ per Mosen, *Exodi* XIV, 22, ut ibi ostendi; partim dissimilis et major : nam *primo*, illa facta est per virgam Moysi super mare extensam, hæc vero per arcam Deum vehentem, quæ proinde nobilior erat virga Mosis. *Secundo*, ibi Angelus divisit mare sub initium noctis, sed ventus ab eodem inductus, illius jam divisi alveum tota nocte flando siccavit, ut sub auroram illud sicco pede transirent Hebræi : hic vero Angelus dividens Jordanem, illico eumdem siccavit, præsertim quia is exiguus erat et arenosus. *Tertio*, ibi aquæ maris ab Angelo divisæ, in montes quasi erectæ constiterunt immotæ, quia mare ipsum non fluit, sed in eodem loco immotum consistit : hic vero Jordanis fluens assidue aquas in Jordanem divisum defluebat; quare Angelus illas colligere, et in montes altiores erigere debebat, ne alveum jam siccatum invaderent et obruerent.

STATE IN EA,— intrepidi, quia Deum in arca præsentem habetis protectorem, ut hac animositate reliquum populum animetis, et corroboretis ad transitum : state ergo, quia vobiscum stat Deus.

10. IN HOC SCIETIS QUOD DOMINUS DEUS VIVENS (Hebraice אל חי *el chai*, id est, *fortis vivens*) IN MEDIO VESTRI EST. — Qui scilicet vivus, agilis, vegetus, omnia vivificans, vegetans et roborans, divina sua industria, providentia et omnipotentia, vos per Jordanem transvehet, traducetque illæsos, salvos et incolumes. Vers. 10.

13. ET CUM POSUERINT VESTIGIA PEDUM SUORUM SACERDOTES, QUI PORTANT ARCAM DOMINI DEI UNIVERSÆ TERRÆ IN AQUIS JORDANIS, AQUÆ QUÆ INFERIORES SUNT, DECURRENT ATQUE DEFICIENT (hebr. יכרתון *iiccaretun*, id est *excindentur*, hoc est ita defluent et deficient, ac si funditus exscisæ essent). QUÆ AUTEM DESUPER VENIUNT (de novo affluent), IN UNA MOLE CONSISTENT. — Hebraice, *in uno acervo stabunt*, hoc est in unum acervum, et quasi montem sensim ex novæ semper aquæ affluxu crescentem et intumescentem, attollentur. Hinc patet sacerdotum pedibus quasi repulsas Jordanis aquas sese dissecuisse, ut iis aditum panderent. Sacerdotibus autem hæc vis data fuit a Deo, propter arcam quam portabant : arca enim erat scabellum pedum Dei sedentis super Cherubim et propitiatorium, quod erat quasi operculum arcæ, super illam instar sedis et throni expansum, ita ut arca subjecta esset quasi scabellum pedum ejus, juxta illud : « Adorate scabellum pedum ejus, » id est, adorate et veneramini arcam, *Psal.* XCVII, vers. 5. Vide dicta *Exodi* XXV, 10, ubi dixi arcam allegorice significasse humanitatem Christi, propitiatorium vero ejus divinitatem; symbolice vero arcam repræsentare B. Virginem et Sanctos. Hi enim sunt quasi arca Deum in se continens, ac proinde ab eis fugiunt aquæ tum deliciarum, tum tribulationum hujus mundi. Vers. 13.

15. JORDANIS AUTEM RIPAS ALVEI SUI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT. — Hebraice, *tempore novarum frugum*. Erat enim tunc dies decimus mensis primi Nisan, qui partim martio, partim aprili respondet, quo in Palæstina, utpote regione calida, maturescunt segetes aliquæ, præsertim hordeaceæ, adeoque tempus messis ibidem a Nisan incipere patet *Levit.* XXIII, 10; *Exodi* XIII, 4; *Deut.* XVI, 1; *Josue* cap. V, vers. 11. Vers. 15.

RIPAS SUAS IMPLEVERAT. — Septuaginta, *Jor-*

danis autem implebatur secundum totam ripam suam. Verum quia hebr. על *al,* et *secundum* et *supra* significat, hinc secundo vertas: *Et Jordanis implebatur,* id est, *exundabat super omnes ripas suas.* uti vertit Masius et Vatablus, et ita vertit Noster I *Paral.* XXII, 15, *q. d.* Jordanis tunc erat maximus, nec poterat capi alveo suo. Solet enim Jordanis tempore messis exundare, sive quod ea singularis fluminis istius sit natura, sive quod, ut communis habet opinio, e montibus Jordani vicinis nives per æstum solis liquatæ copiosam in eum aquam effundant. Ita Abulensis, Masius, Arias. Idem accidere Tigri æque ac Nilo docet *Eccli.* cap. XXIV, vers. 35.

Tempus hoc exundationis Jordanis elegit Deus huic trajectui Hebræorum, ut tanto singularius esset beneficium, quanto admirabilius erat miraculum.

Vers. 16. 16. STETERUNT AQUÆ DESCENDENTES IN LOCO UNO.— Hebr. *in acervo uno;* Chald. *in utre uno;* Septuaginta, πῆγμα ἕν, id est, *concretio* vel *congelatio una* (aquæ enim stabant quasi conglaciatæ instar montis crystallini), ET AD INSTAR MONTIS INTUMESCENTES APPAREBANT PROCUL AB URBE QUÆ VOCATUR ADOM (ita Hebræa, Septuaginta, Romana. Male ergo Complutenses et alii legunt *Edom*), USQUE SARTHAN, — id est, ab Adom (quæ *usque ad Sarthan,* scilicet pertingit, et fines suos extendit) usque ad Bethabara, ubi Hebræi Jordanem transibant. Nam Hebraice est *ab Adom,* vel *in Adom* (hebræa enim quædam legunt באדום *beadom,* id est in Adom, quædam מאדום *meadom,* id est ab Adom) *urbe, quæ est a latere,* vel *ad latus Sarthan.* Sic et Septuaginta in Regiis et Complut. Unde mirum est in Romanis pro *Sarthan* legi *Cariathiarim,* id est, urbs sylvarum; nisi dicas ita dictam quoque fuisse Sarthan ob vicinas sylvas. Sensus ergo est, *q. d.* Aquæ Jordanis arcæ Dei præsentia repulsæ, cum continuo novæ affluerent, adeo intumuerunt et quasi in montem excreverunt, ut mons ille in altum sublatus a loco trajectus, qui inde dictus est *Bethabara,* id est domus transitus, remote et procul apparuerit illorum locorum incolis usque ad urbem Adom ignobilem, sive usque ad locum Sarthan tam celebrem (Sarthan enim est ad latus urbis Adom), hoc est usque ad lacum Genesareth, sive mare Galilææ, quod et Tiberiadis dicitur, ut fuse probat hic Masius ex III *Regum* IV, 12, ubi Sarthan dicitur opposita esse Jezrahel, quæ vicina erat civitati Bethsan, sive Scythopoli: mare autem Galilææ terminabat Scythopolim.

Apparuit ergo hic aquarum mons ex Bethabara usque ad Sarthan et mare Galilææ, quod est spatium viginti leucarum sive horarum.

Imo ex Hebræo videtur hic esse sensus, quod aquæ hæ Jordanis intumescentes non tantum apparuerunt, sed et continua serie intumuerint a Bethabara usque ad Sarthan, *q. d.* Aquæ Jordanis, arcæ Dei aspectu repulsæ, cum assidue novæ affluerent, et hæ rursum mox ab Angelo retrorsum repellerentur, ipsa hac repulsa refluxerunt, atque hoc refluxu suo tam longo tractu intumuerunt, quantus est a Bethabara usque ad Sarthan, puta per viginti leucas, sive quantus fere est a mari Mortuo, hoc est a lacu Asphaltite (juxta illum enim est Bethabara), usque ad mare Tiberiadis. Unde Hebræa et Chaldæa habent, *steterunt aquæ usque ad Sarthan:* ita Masius. Nimirum Deus omnium opifex, qui terminum ponit aquis, easdem quovis muro adamantino fortius hic retinebat (1).

Minus recte Adrichomius hic fingit aliud Sarthan juxta Bethabara, in quo scilicet Hebræi Jordanem trajecerunt, indeque mons ille aquarum Jordanis visus intumuerit usque ad Adom.

Symbolice, Rupertus censet hic repræsentari spatium temporis, quo Hebræi possessuri erant terram promissam, scilicet a trajectu Jordanis sub Josue in Bethabara, usque ad Adom et Sarthan, id est, usque ad Titum et Romanos, qui eos ob occisum Jesum Christum mactarunt, afflixerunt, expulerunt: *Adom* enim hebraice idem est quod *rubra, Sarthan* vero idem, quod *tribulatio eorum.*

Tropologice, fidelis a transitu Jordanis, id est, a baptismo, debet intumescere, id est, crescere in patientia et virtute usque ad *Adom,* id est, effusionem sanguinis et martyrium, ac *Sarthan,* id est, arctationem et tribulationem extremam. Cum ergo tribularis, o Christiane, animos sume ac dilata; nondum enim usque ad Adom, id est, usque ad sanguinem restitisti, ut fecit Christus et

(1) Philosophus Fernensis perpluresque alii increduli miraculum esse transitum Jordanis negarunt, dicendo latitudinem Jordanis non superare quadraginta pedes, ideoque facillimum fuisse Hebræis pontem ligneum injicere super aquas. Verum certissime constat ex sinceris et perspicacibus testimoniis Antonii Regnaut, Maundrell, Morisson, Rev. Patris Naud et Shaw, qui diu commorati sunt in ripas Jordanis, 1° Jordanis alvei latitudinem mediam, qualis assignatur a supradictis scriptoribus Maundrell et Shaw, esse quinque et septuaginta pedum, id est ea duplo ampliorem, quem falso assignat Voltarius. 2° Alvei cujus fluminis latitudinem fuisse sexto sæculo ter quatuorve ampliorem ea quæ superest decimo nono sæculo, cum ex relatione Antonii Regnaut, qui scribebat anno millesimo quingintesimo septuagesimo tertio, ripas Jordanis æque distantes fuisse ac ripe Tibridis, cujus latitudo fere est trecentorum pedum. 3° Jordanis alveum esse altissimum et suas undas volvere cursu adeo præcipiti, ut nemo eas confligere possit.

Ex quibus supradictis invictissime sequitur: 1° quod erat impossibile Josue ligneum pontem super Jordanis aquas injicere, nam tunc ejus latitudo erat fere mille et ducentorum pedum; aliunde Hebræis adhuc ars erat ignota pontes fabricandi. 2° Quod erat impossibile Josue Jordanem transire cum suo exercitu per alvei aditum, nullus enim adest fluminis aditus quando alvei sui undæ ripas implent. Igitur haud est dubium Jordanis ab Hebræis stupendum transitum effectum esse miraculi ad perpetuandam et confirmandam veram religionem totius populi, imprimis vero juventutis, suamque fidem in uno solo Deo opifice et gubernatore totius orbis.

Martyres. Cogita quanta passi sint S. Laurentius, S. Vincentius, S. Euphemia, S. Febronia cæterique Martyres, et parum tibi videbitur quicquid pateris.

QUÆ AUTEM INFERIORES ERANT, IN MARE SOLITUDINIS (in lacum Asphaltitem, in quem conversa fuit Sodoma et Pentapolis post cœleste incendium), QUOD NUNC VOCATUR MORTUUM (eo quod nullum animal vivum alat, sed omnia viventia in illud illata illico moriantur), DESCENDERUNT. — Jordanis enim recte labitur in hoc mare, eoque absorbetur et quasi evanescit.

Vers. 17. 17. POPULUS AUTEM INCEDEBAT CONTRA JERICHO, — (male nonnulli legunt, *contra Jordanem* : nam « contra Jericho » habent Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Romana). Hic locus, in quo Hebræi sicco pede transierunt Jordanem a Deo divisum, hebraice dictus est *Bethabara*, id est *domus*, hoc est locus, *transitus*, ubi S. Joannes Baptista baptizabat, ibique Christus ab eo baptizatus est, *Joan.* cap. I, vers. 28 (vide ibi dicta) : nimirum, ut quo loco baptismus primum isto Hebræorum trajectu fuerat adumbratus, eodem quoque primum perficeretur a Joanne. Transitum enim Jordanis baptismum præfigurasse docet S. Augustinus, serm. 106 *De Tempore* : sicut enim Josue Hebræos per Jordanem traduxit in terram promissam, sic Jesus suos fideles per baptismum traduxit in cœlum. Hinc et S. Hieronymus in *Locis Hebr.* litt. B : « Bethabara, inquit, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat : unde et usque hodie plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur, » uti S. Basilius ex Cappadocia profectus est ad Jordanem, in eoque baptizatus.

Porro Arias, pag. 265, censet Bethabara eumdem esse locum cum Bethbera de quo *Judic.* VII, 24, id est domus frumenti vel comestionis, id est, locus fertilis ob aquarum Jordanis viciniam et irrigationem; unde juxta illum Hebræi fruges terræ comederunt cessante manna, *Josue* V, 11 et 12.

ET SACERDOTES, QUI PORTABANT ARCAM FŒDERIS DOMINI, STABANT SUPER SICCAM HUMUM IN MEDIO JORDANIS ACCINCTI, — donec totus populus secure et sine metu transiret, ut ostenderetur populo miraculum hoc transitus fieri virtute Dei, qui Dominus et princeps erat fœderis (tabularum duarum Decalogi) arca contenti, cujus fœderis compos populus, non tantum pervio, sed et sicco omnino uteretur Jordanis alveo. Hoc est quod canit Psaltes *Psalm.* CXIV, 7 : « Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum? A facie Domini (super arcam residentis) mota est terra, a facie Dei Jacob. »

Moraliter Origenes, *homil.* 4 : « Sacerdotum ministerio, ait, deducitur populus ad terram repromissionis. Et quis hodie in sacerdotibus tantus ac talis est, qui in illo ordine mereatur adscribi? Si enim sit aliquis talis, cedent ei flumina Jordanis, et ipsa elementa verebuntur; pars aquarum fluminis retrorsum resiliet, pars vero in mare salsum rapido cursu effugiet. » Et inferius : « Beati qui appropinquant arcæ, id est, Deo; sed memento quod scriptum est : Qui approximant mihi, approximant igni pios illuminanti, impios adurenti. »

ACCINCTI. — Hebraice הכן *hachen*, id est *firmando*, scilicet se in eodem vestigio, hoc est firmiter, pede fixo. Chaldaice *fixe*, aut *recte*, et sic uti cœperant. Ita Arias; Tigurina, *de industria;* Septuaginta, Aquila et Symmachus, *parate*, ad transeundum; Masius, *parando*, scilicet populo transitum : licet enim *hachen* sit verbum infinitivi hiphil, tamen apud Hebræos hæc verba sæpe capiuntur pro adverbiis, ut patet *Osee* cap. V, 2, et cap. IX, 9; *Jonæ* cap. IV, 4; *Isaiæ* cap. XXXI, 6, in Hebræo.

OMNISQUE POPULUS PER ARENTEM ALVEUM TRANSIBAT. — Hebraice, *et omnis Israel transibat per aridum, usque dum absolvisset omnis populus transire Jordanem.* Sic et Septuaginta, Chaldæa, Vatablus, Masius et alii.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Josue duodecim lapides erigi, tum intra, tum extra Jordanem ad perpetuam transitus Hebræorum memoriam.

1. Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue : 2. Elige duodecim viros singulos per singulas tribus; 3. et præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. 4. Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus, 5. et ait ad eos : Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel,

6. ut sit signum inter vos : et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes : Quid sibi volunt isti lapides? 7. respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum ; idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum. 8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. 9. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis; et sunt ibi usque in præsentem diem. 10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit. 11. Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. 12. Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses : 13. et quadraginta pugnatorum millia per turmas, et cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Jericho. 14. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. 15. Dixitque ad eum : 16. Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane. 17. Qui præcepit eis, dicens : Ascendite de Jordane. 18. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant. 19. Populus autem ascendit de Jordane, decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam urbis Jericho. 20. Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, 21. et dixit ad filios Israel : Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis : Quid sibi volunt lapides isti? 22. docebitis eos, atque dicetis : Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, 23. siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis ; 24. sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus : 25. ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

Vers. 3. 3. PRÆCIPE EIS UT TOLLANT DE MEDIO JORDANIS ALVEO, UBI STETERUNT PEDES SACERDOTUM, — non præcise ex loco pedum, sed ex loco vicino. Nam versu 4 dicunt : « Ite ante arcam, etc., et portate inde singuli singulos lapides, » nimirum duodecim, ut significent duodecim tribus Israel juxta eos Jordanem siccum transisse. Hebr. addunt הכן *hachen*, id est *firmando*, sive stato fixoque pedes, ut dixi cap. III, vers. ult. Septuaginta τὸ *hachen* referunt ad lapides. Unde vertunt *parietes*, scilicet *durissimos*, qui durent ad multa sæcula, ut Noster transtulit.

QUOS PONETIS IN LOCO CASTRORUM, — in Galgalis, ut patet vers. 19 et 20.

Vers. 6. 6. UT SIT SIGNUM, — et trophæum victi a vobis vinctique quasi Jordanis, indeque totius Chananææ, quod scilicet duodecim tribus Deo duce flumen hoc, indeque totam terram promissam miraculose superarint; *secundo*, ut sit signum easdem tribus a Deo conscriptas esse cives et incolas, adeoque hæredes ejusdem terræ; *tertiam* causam dat vers. 15 : « Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Dei manum. » *Quartam* ibidem : « Ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore, » ac posteros vestros doceatis Deum timere, amare et colere, qui tanto prodigio vos in hanc terram induxit, et inductos conservabit, quamdiu in ejus fide et cultu perstiteritis : quando autem ab eo defeceritis, ab ea expellet, uti illos expulit per Babylonios, ac deinde per Titum et Romanos. Disce hic quam rigide Deus exigat beneficiorum suorum memoriam, et gratos iis præmiet, ingratos iis privet et puniat.

CRAS, — id est, deinceps futuris sæculis. Hebræi enim per *cras* significant tempus futurum, sicut per heri et nudiustertius præteritum. Est synecdoche et catachresis.

Vers. 9. 9. ALIOS QUOQUE DUODECIM LAPIDES POSUIT JOSUE IN MEDIO JORDANIS ALVEO. — Hinc patet hos lapides non fuisse positos in ulteriori ripa Jordanis, ut contendit Masius, sed in medio Jordanis. Ita enim constanter vertit Noster et Septuaginta. Positi autem sunt iisdem de causis quibus priores extra Jordanem in Galgalis, ut scilicet Dei gloria et rei

(1) Ex hac voce *alios* verisimilius concludi patet duo monumenta erecta fuisse in Jordane ab Hebræis; quæ hypothesis admitti nequit. Auctoris enim sensus fuit ad mentem omnium gentium revocare munumentum ab Hebræis in hoc loco fuisse erectum ad perennem memoriam beneficentiæ et omnipotentiæ divinæ.

gestæ veritas omnibus sæculis testata fieret, ac lapides hi ferientes assidue oculos Hebræorum, mentibus eorum Dei beneficentiam, omnipotentiam, timorem et reverentiam jugiter repræsentarent. Positi autem videntur Dei, si non jussu, ut priores in Galgalis, certe instinctu, licet id Scriptura non exprimat. Poterant vero lapides isti esse monumentum, ac conspici notarique ab iis qui in ripa consisterent, præsertim decrescentibus aquis, quia erant lapides grandes, et Jordanis aquæ purissimæ maximeque perspicuæ esse perhibentur, ait Abulensis et Arias. Denique non videntur lapides hi præcise in medio Jordanis collocati : ibi enim ægre videri potuissent, sed versus ripam, ubi conspici poterant. Nam τὸ *in medio* idem est quod sub medium, versus medium, non longe a medio.

Hos lapides designasse videtur S. Joannes Baptista, dicens, *Matth.* III, 9 : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. » Joannes enim baptizabat in Bethabara, ubi Jordanem transierant Hebræi. Erant enim hi lapides figura gentium, ignorantia Dei et errorum fluctibus obrutarum; sed tandem de imo vitiorum et tenebrarum alveo ad Ecclesiam, et filiorum Dei gloriam, a Joanne et Christo per baptismum suscitandarum. Ita Rupertus, Abulensis, Magalianus hic, ac Remigius, Anselmus et alii in cap. III *Matth.*, et Pineda in *Job* I, vers. 1, num. 38.

Denique Cajetanus opinatur hos duodecim lapides in unum acervum fuisse congestos. Verisimilius Abulensis, Serarius et Magalianus censent seorsim singulos fuisse erectos, ut innuit hic Scriptura, idque ad repræsentandum duodecim tribus Israel, quæ per Jordanis alveum sicco pede transierant.

Porro jussit Deus statui hoc monumentum divisi Jordanis, quia fuit opus admirabile et divinum. Celebrant historici Euphratis divisionem, quam *primo* fecit Semiramis; *secundo*, Cyrus; *tertio*, Alexander Magnus. Cyrus enim Babylonem expugnavit, Euphratem, qui eam interluit, in fossas plurimas derivando, ac per siccum Euphratis alveum in urbem milites immittendo, teste Herodoto, lib. III, et Xenophonte lib. VII. At quot mensibus in his fossis effodiendis laboratum est? quantis impendiis? a quot hominum millibus? Josue vero Jordanem, inferendo duntaxat in eum arcam fœderis, illico divisit siccavitque, ac per eum tricies centena millia hominum, cum tot millenis gregibus ovium, boum, asinorum; camelorum, equorum, curruum, etc., paucis horis traduxit, ac eodem die cum omnibus perrexit in Galgala, qui locus distat a Jordane quinquaginta stadiis, teste Josepho, lib. V *Antiq.* I, hoc est sex milliaribus Italicis, id est, sex millibus passuum, et insuper ducentis et quinquaginta passibus.

Simili modo Elias pallio suo percutiens Jordanem eum divisit, ac per divisum sicco pede transiit : idem fecit Eliseus IV *Reg.* XXVIII et XIV. Vide hic quanti Deus faciat suos fideles et sanctos, utpote qui in eorum gratiam flumina secet, et elementa cætera commutet. Simili modo sub finem mundi Angelus siccabit Euphratem, ut reges per eum transeant, *Apoc.* XVI, 12.

Allegorice, transitum Jordanis apposite Origenes, Rupertus et Theodoretus, ac S. Gregorius, homil. 26 *in Evang.*, applicant sacramento Baptismi et Pœnitentiæ, ac morti cujusque fidelis, de quo plura in fine capitis. Hinc et duodecim lapides in Jordane positos duodecim Patriarchas repræsentasse, alios vero in Galgalis locatos figuram gessisse duodecim Apostolorum asserit Rupertus. Sic et S. Augustinus serm. 106 *De Temp.*, qui et causam addit : « Post mortem enim Moysis, sepultis Patriarchis Apostoli surrexerunt; sic et in Psalmo legimus : Pro patribus, inquit, tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram; sic sepultis Patriarchis, Apostoli nascuntur, quomodo sepulto seniore populo, junior populus Jesu duce in terram repromissionis inducitur. »

Quin et Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* cap. XIII : « Deprehendo, inquit, duodecim lapides ab Jesu de Jordane electos, et in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur, proinde ut fontes et amnes, rigaturi aridum retro et desertum a notitia orbem nationum, sicut et per Isaiam : Ponam in terra inaquosa flumina. Proinde ut gemmæ illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus pontifex Patris. Proinde ut et lapides solidi fide, quos de lavacro Jordanis Jesus verus elegit, et in sacrarium testamenti sui recepit. » Ubi adverte Tertullianum lapsum videri memoria, cum ait, duodecim hos lapides conditos in arcam testamenti : nil enim tale habet hic Josue, imo hoc erat impossibile; arca enim parva tot tantosque lapides capere non poterat. Forte Tertullianus, per *in arcam* intellexit *ante arcam*, vel *coram arca*, licet hoc non sat respondeat ejus antitypo de Apostolis, dum typum explicans subdit, per duodecim lapides in arca significatum esse, duodecim Apostolos in sacrarium Ecclesiæ a Christo fore recipiendos.

10. SACERDOTES AUTEM QUI PORTABANT ARCAM, STABANT IN JORDANIS MEDIO, DONEC OMNIA COMPLERENTUR, QUÆ JOSUE, UT LOQUERETUR AD POPULUM, PRÆCEPERAT DOMINUS, ET DIXERAT EI MOYSES. FESTINAVITQUE POPULUS, ET TRANSIIT. — « Quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, » scilicet ut tollerent duodecim lapides, eosque secum deferrent in Galgala, in perpetuum transitus monumentum, utque secure transirent per Jordanem in terram promissam, memores se Deum habere in arca præsentem et ductorem. Videtur ergo Josue Mosis imitatione et jussu, intra alveum Jordanis juxta arcam et sacerdotes consistens, transeunti et circumfuso populo beneficii illius memoriam inculcasse, legisque et præceptorum Dei summam repetiisse, ac eorum custodiam acri Vers. 10.

exhortatione commendasse. Josue enim quasi ducem præcessisse populum cum arca, patet *Deut.* III, vers. penult., ubi id ei Deus per Mosen præcepit, ac mox cap. IV, vers 1 et seq., mandata sua populo inculcat. Idem ergo hic videtur fecisse Josue. Ita Arias et alii. Est autem hoc versu anacephalæosis sive recapitulatio jam dictorum, sternens viam sequenti narrationi.

FESTINAVITQUE POPULUS, ET TRANSIIT, — tum quia omnes eodem die paucis horis transire debebant Jordanem, et pergere in Galgala, ipsamque Chananæam : erat autem populi turba copiosa et quasi innumera; tum quia infirma erat eorum fides, et pro se quisque verebatur ne horribilem illum aquarum Jordanis montem a dextris exstantem, et in aere quasi pendulum non sat cito effugeret. Festinabat ergo quilibet, et alius alium prævertere conabatur.

Vers. 11. 11. CUMQUE TRANSISSENT OMNES, TRANSIVIT ET ARCA DOMINI, SACERDOTESQUE PERGEBANT ANTE POPULUM. — Hæc fuit rei gestæ series et ordo. Sacerdotes cum arca præcesserunt populum per bis mille cubitos, primique ingressi Jordanem, deinde in medio ejus constiterunt, ac populus juxta arcam transiit; interim Josue eum exhortante ad Dei cultum et obedientiam, stetit arca, donec totus populus cum omnibus armentis et impedimentis transiret, ut eis fiduciam transeundi daret. Cumque omnis populus transisset, arca quoque reliquum Jordanis transiit, ac rursum tota Hebræorum agmina præivit per bis mille cubitos usque ad Galgala, ubi figenda erant castra, ut esset itineris dux, populi propugnatrix, et hostium terror. Ita Abulensis, Serarius et Salianus. Arcam sequebantur tribus Ruben, Gad, et dimidia Manasse, deinde cæteræ novem tribus. Arca ergo quæ prima transitum Jordanis cœperat, eoque fisso iter siccum patefecerat, ultima absolvit, rursumque populum præcedens illi se ducem præbuit, illi antelata velut solium regis Dei, vectaque humeris sacerdotum, quorum officium est exemplo suo aliis anteire. Audi Leonem Imperatorem in *Tacticis* duci belli in itineribus præcepta dantem, cap. IX, num. 12 : « Sin admodum lubrica et difficilia loca fuerint, teipsum oportet primum eo transire, deinde ibi consistere et commorari, donec omnes sine offensione transierint. » Et num. 13 : « Hoc enim patrem nostrum regem Basilium fecisse cognovimus, quando contra Germanicam Syriæ civitatem copias duxerat, et Paradisum fluvium anticiparat, qui lampadibus in medio constitutis, ipse sua ipsius præsentia atque ope universum exercitum facile et sine offensione traduxit, qui sæpe manum illis afflictis porrexerat, et quosdam ex periculis eripuit. »

Vers. 13. 13. ET QUADRAGINTA PUGNATORUM MILLIA. — Τὸ *et* significat, *id est*, *q. d.* Ex Rubenitis, Gaditis et Manassensibus quadraginta millia præcesserunt castra Hebræorum in Chanaan. Unde Hebræa et Chaldæa carent τῷ *et*; sic enim habent : *Circiter quadraginta millia transierunt ante Dominum* (id est ante arcam, vel potius coram arca consistente in medio Jordanis; Chaldæa, *ante populum Domini*) *ad bellum versus campos Jericho*. Sic alibi quoque accipi τὸ *et*, ostendi *Levit.* VI, 1 (1).

Vers. 15. 15. DIXITQUE AD EUM, — scilicet Deus ad Josue. Ex Hebræo clarius vertas cum Masio, *dixerat enim*, vel *dixerat autem ad eum*. Est enim hic repetitio, sive enarratio clarior versus undecimi qui præcessit, ut quomodo in suum alveum revolutus sit Jordanis, apte recenseat, scilicet cum ultima arca, quæ suspenderat, suspensumque detinuerat Jordanem, donec populus transiret, Jordanem transiit, illico aquæ quasi officio suo circa arcam venerandam perfunctæ, in alveum suum redierunt.

Vers. 18. 18. ET FLUEBANT SICUT ANTE CONSUEVERANT. — Hebræi addunt, *per omnes ripas suas*, hoc est, alveo pleno, imo exundante. Vide dicta cap. III, 15. Fluxit autem Jordanis uti prius, quia Deus molem illam aquarum in alto suspensam sensim demisit, ut per alveum suum defluueret suo cursu in mare Mortuum, sive in lacum Asphaltitem. Nam si Deus totam aquarum molem simul laxasset, illa omnia longe lateque obruisset, quin et castra Hebræorum saltem ultima mersisset.

Vers. 19. 19. POPULUS AUTEM ASCENDIT DE JORDANE DECIMO DIE MENSIS PRIMI (1). — Hinc patet Hebræos integros quadraginta annos peregrinatos fuisse in deserto, ac finiente anno quadragesimo transiisse Jordanem, et ingressos esse terram promissam, detractis quinque diebus. Exierunt enim ex Ægypto decima quinta die mensis primi, quo Pascha celebrarant, et agnum Paschalem immolarant; ingressi vero sunt terram promissam decimo die ejusdem mensis, eo quod ibidem circumcidi deberent ad celebrandum Pascha decima quinta die. Porro fallitur Torniellus, qui in *Annal.* scribit, Hebræos transisse Jordanem nona die mensis primi, ac in ripa Jordanis pernoctasse, mox sequenti mane diei decimæ perrexisse in Galgala. Nam ascendere de Jordane hic idem est quod transire Jordanem, et pergere in Galgala. Utrumque ergo factum est eadem die decima, non nona mensis primi. Porro fuit hic annus a creatione mundi 2494, a diluvio 837, ab Abraham 543, quo Hebræi transmisso Jordane ingressi sunt Chananæam, uti dixi in fine procemii, juxta chronotaxim quam Genesi præfixi.

CASTRAMETATI SUNT IN GALGALIS, — id est, in loco, qui postea dictus est Galgala. Est prolepsis sive anticipatio; necdum enim huic loco inditum erat nomen Galgal, sed paulo post cap. V.

Porro in Galgalis, ob loci opportunitatem, diutissime mansere Hebræorum castra, ibique depositi fixique sunt duodecim lapides sublati e Jordane. Hinc patet lapides hos non fuisse posi-

(1) Decima die primi mensis anni sancti erat die septimo anni civilis.

tos in arca, uti ait Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XII.

Minus recte quoque R. Levi censet eos juxta arcam collocatos, cum eaque transferri solitos : depositi enim fixique sunt in Galgalis, ibique perpetuo manserunt, ut patet ex hoc versu, et ex versu 3; imo S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*, asserit lapides hos a S. Paulo visos in Galgalis. Quare falsum quoque videtur quod ait Josephus, ex lapidibus hisce erectum fuisse altare, in eoque Josue sacrificasse.

Vers. 23. 23. SICCANTE DOMINO DEO VESTRO AQUAS, — eas scilicet dividendo et suspendendo; ut siccus vobis ad transeundum maneret alveus : vel siccavit aquas Jordanis, id est, siccavit Jordanem ipsum, alveumque Jordanis. Nam aquæ proprie non fuerunt siccatæ, sed pars defluxit, pars altera in altum erecta fuit suspensaque.

Vers. 25. 25. UT ET VOS TIMEATIS DOMINUM, — id est, Deum quasi Dominum vestrum rerumque omnium agnoscatis, ametis, veneremini, omnique reverentia et studio colatis. Hoc enim est σέβησθε, ut vertunt Septuaginta. Recte enim advertit Masius timoris nomine omnem religionem et cultum, piumque affectum erga Deum significari in veteri Testamento. Erat enim lex illa vetus timoris; sicut nova est amoris, nimirum, ut ille ait : « Primus in orbe Deos fecit timor. » Sic *Levit.* cap. XVIII, vers. 14, dicitur : « Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum, » id est, obedies Deo præcipienti ne maledicas surdo. *Deut.* VI, 13 : « Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, » illum amando, reverendo, colendo, laudando, gratias agendo, etc. *Deut.* X, vers. 12 : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum? » ut timeas, id est, ut illum ames et colas. I *Reg.* XII, 24 : « Si timueritis Dominum et servieritis ei. » Timet ergo Deum, qui illi debitam servitutem, id est latriam, obedientiam cultumque omnem exhibet. *Tobiæ* cap. IV, ult. : « Multa bona habebis, si timueris, » id est colueris « Deum. » *Psal.* II, 11 : « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. » *Psalm.* XXXIII, 10 : « Timete Dominum, omnes sancti ejus, » timore non servili, sed filiali, sicut filii timent offendere parentes, ne eis displiceant, scilicet ex amore, non ex timore; « quoniam non est inopia timentibus eum. » *Psalm.* CXVIII, 38 : « Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. » Ibidem versu 120 : « Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. »

Allegorice, sicut transitus prior Hebræorum, quo duce Mose transierunt mare Rubrum, repræsentat baptismum, in quo sanguine Christi candidamur a peccatis antea commissis : sic transitus posterior Hebræorum, quo duce Josue transierunt Jordanem, figurat pœnitentiam ejusque Sacramentum, quo abluimus peccata post baptismum admissa.

Jordanis typus pœnitentiæ.

Primo, Jordanis est fluvius populi fidelis, qui ad radices Libani oritur, crescitque ex confluxu duorum fluviorum, scilicet Jor et Dan (unde Jordanis est dictus), indeque per amœnissimos campos labitur, ac tandem efficit lacum Genesareth, sive mare Galilææ, ex quo rursum egrediens fertur in mare Mortuum, eoque absorbetur : quare Jordanis Judæam et Judæos disterminabat ab Arabibus, Moabitis cæterisque Gentilibus. Sic baptismus suscipitur ab infideli, eumque facit fidelem; pœnitentia vero suscipitur a fideli, eumque perficit facitque sanctum. Primo.

Secundo, sicut Hebræi, post transitum Jordanis, celebrarunt Pascha : sic post pœnitentiam sumitur Eucharistia, in qua Christum quasi Agnum Paschalem manducamus. Secundo.

Tertio, sicut per Jordanem Hebræi ingressi sunt terram promissam : sic per pœnitentiam ingredimur vitam sanctam, quæ nos ducit in cœlum. Tertio.

Quarto, « Jordanis » hebraice idem est quod *fluvius judicii* : talis est pœnitentia, in qua pœnitens est accusator sui, et sacerdos judex, juxta illud Pauli : « Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur; dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur, » I *Corinth.* XI, 31. Quarto.

Quinto, per Jordanem ibatur in desertum, uti per eum in eremum ivit Joannes Baptista pœnitentiæ dux et præco, ac Christus, postquam baptizatus fuit a Joanne, ivit in desertum, ibique jejunavit quadraginta diebus, orationi et contemplationi vacans. Sic S. Maria Ægyptiaca, transito Jordane, ivit in solitudinem, ibique in summa abstinentia, sanctitate et oratione vixit per septem et quadraginta annos. Hinc ibidem frequentia magna exstitit Monasteriorum, sanctorumque Monachorum, Ascetarum et Anachoretarum, quorum duces et primipili fuere Elias, Eliseus et filii Prophetarum. Quinto.

Sexto, sicut Jordanis hic a Deo actus intumuit, et conversus est retrorsum : sic pœnitens vitam commutat, ut qui prius terrena ambiebat, jam ambiat cœlestia (uti explicat S. Augustinus illud *Psalm.* CXIII : « Jordanis conversus est retrorsum »), quæ reipsa, si perseveret, consequetur, ac tum dicet cum Jacob : « In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior, » *Genes.* XXXII, 10. Sexto.

Septimo, Naaman leprosus lavans septies in Jordane lepram abluit, IV *Reg.* V : sic peccator per pœnitentiam expurgat lepram peccati. Rursum hic adapta septem mirabilia Jordanis, quæ recensui *Num.* XXXIV, 12. Septimo.

Denique Jordanis fluvius nos tacite admonet omnia vitæ hujus, tam prospera quam adversa, fluere, et illico præterfluere : quare illa humiliter, hæc fortiter esse superanda, ut utraque generose calcantes in cœlum contendamus, ac mentem in beata æternitate figamus; alioqui enim si fluxum Jordanis, id est, hujus mundi sequamur, Octavo.

illa nos secum vehet in mare Mortuum, ubi fuit Sodoma, id est, in Tartara. Rursum, sicut Hebræi, transito Jordane, cum Chananæis assidue bella gesserunt, donec iis expulsis terram possederunt: sic et nos post pœnitentiam et mutationem vitæ, assidue cum septem vitiis capitalibus confligamus oportet, donec quietem terræ, id est, animæ nostræ, hic in terris, ac tandem in cœlis obtineamus.

Quocirca Origenes hic, *hom.* 5 : Transire Jordanem, inquit, est omnia implere, quæ mandantur in Evangelio, ut omnibus terrenis nudati ad terram viventium in cœlis tendamus, ac præsertim servemus illa quæ octo beatitudinibus continentur, scilicet : « Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, » etc. Hinc S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* cap. VI, explicans illud *Job* IV : « Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, » illud attribuit sanctis quos diabolus devorare conatur : « Jordanis, ait, Hebræo vocabulo descensio eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui viam veritatis appetentes, semetipsos abjiciunt, atque a vitæ veteris elatione descendunt : cumque æterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam aliena derelinquunt; et non solum in eo gloriam non quærunt, sed hanc cum se obtulerit, etiam contemnunt. » Claudat agmen S. Bernardus, qui serm. *ad milites templi*, cap. IX, ait : « Quid in fluminibus isto (Jordane) eminentius, quod ipsa Trinitas sibi quadam evidenti præsentia dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus Sanctus, Filius est baptizatus, » *Matth.* cap. III.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Circumciduntur Hebræi in Galgalis. Mox, vers. 10, *celebrant Phase; deficit manna, cum fruges terræ comederunt. Denique, vers.* 13, *Angelus armatus apparens Josue eum animat, jubetque ut solvat calceos, eo quod in terra sancta consistat.*

1. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad Occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel. 2. Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. 3. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle præputiorum. 4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis : Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, 5. qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, 6. per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit; donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis Terram lacte et melle manantem. 7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue : quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. 9. Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem. 10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase, quarta decima die mensis ad vesperum, in campestribus Jericho ; 11. et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni. 12. Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel : sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. 13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? 14. Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. 15. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? 16. Solve,

inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

Vers. 1. 1. REGES AMORRHÆORUM, etc., ET RÈGES CHANAAN. — Septuaginta ; *et reges Phœniciæ*. Sub his duobus populis omnes septem gentes habitantes in terra promissa intelliguntur per synecdochen, scilicet Hevæi, Jebusæi, Hethæi, Pherezæi et Gergezæi, *Deuter.* VII, 1. Porro Amorrhæi vocabantur, qui versus Jordanem habitabant; Chananæi, qui versus mare Mediterraneum, quos Septuaginta hic vocant Phœnices; alibi passim vocantur Palæstini sivi Philistini; imo subinde non solum Philistini, uti sunt Gazæi, Azotii, Accaronitæ; sed et omnes Judæi et Idumæi vocantur Phœnices; uti ex Dionysio Afro, et Strabone, lib. XVI, docet Masius. Hinc mulier quæ a Matthæo, cap. XV, vers. 22, vocatur Chananæa; a Marco vocatur Syrophœnissa. Et sane Tyrum et Sidonem, quæ erant Phœniciæ metropoles, olim ad Chananæam sive ad terram Judæis a Deo promissam pertinuisse omnes consentiunt, etsi Hebræi ob suam ignaviam nunquam iis potiti sint. Pulchre et fuse idipsum confirmat hic Masius et Arias, et Pererius *in Exodum*, pag. 186, in fine.

Chananæi erant Phœnices.

DISSOLUTUM EST COR EORUM, ET NON REMANSIT IN EIS SPIRITUS. — Est hyperbole, *q. d.* Ita Chananæi et cæteri, ob Hebræorum per Jordanem sicco pede transitum, animo sunt percussi, ac si vita et spiritus eos exanimes defecisset. Septuaginta, *liquefactæ sunt mentes eorum, et consternati sunt, et non erat in eis prudentia ulla*, suggerens consilium conveniens ad resistendum Hebræis.

Porro, cor vocata est ea pars animi, in qua fortitudo et constantia est posita; spiritus vero illa animi vis, qua sapimus, et quod agendum sit dispicimus et deliberamus : nam corde liquescente et fatiscente, scilicet cum per metum labascit fortitudo, perturbari simul ac fatiscere sapiendi facultatem, necessum est.

Vers. 2. 2. EO TEMPORE AIT DOMINUS AD JOSUE : FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS, ET CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL. — « Lapideos, » Septuaginta, *petrinos;* Masius, *saxeos;* Hebraice est צוריים *tsurim*, quod Chaldæus, Cajetanus, Arias, Pagninus et Vatablus vertunt *acutos;* alii, *cote exacutos*. Melius Noster, Septuaginta, S. Augustinus, Theodoretus, Origenes, Rupertus, Masius et alii vertunt *lapideos*. Hebr. enim צור *tsur* passim petram, lapidem et saxum significat. Unde et *tsor* (indeque *Tor* et *Tyrus*) dicta est urbs illa potens Phœniciæ, eo quod in rupe maris esset ædificata,[1] ideoque inexpugnabilis. Sic et Sephora, uxor Mosis, cultro lapideo filios circumcidit, *Exodi* IV. Et multi censent Christum circumcisum fuisse cultro petrino (1).

(1) Refertur cultros lapideos adhuc esse in usum apud quasdam gentes, quia sunt ad circumcisionem aptiores, nullam producentes æstuationem.

Quæres, cur Josue jusserit Hebræos circumcidi cultro petrino? Respondeo, litteralis causa fuit, quam dat Theodoretus, quod eo loci petrarum erat copia, ferri vero et chalybis inopia. Versabantur enim Hebræi circa Arabiam, quæ e copia petrarum dicta est Petræa, ubi petras exacuunt instar ferri, ex eisque cultros faciunt acutissimos. Sic et alibi olim ferrum erat rarum, ideoque carum magnique pretii. Unde Lycurgus apud Spartanos monetam cudi jussit ex ferro, ut ejus gravitate et pondere furta arceret, teste Plutarcho in ejus Vita. Et Catullus Atyn castratum scribit silice : Cur cultro lapideo circumcisi. Causa litteralis.

Devolvit, *ait*, ipse acuto sibi pondera silice.

Quin et Græcos olim silice calamos acuisse scribit Julianus, lib. VI *Epigr.*: « Lapidem, ait, qui obtusam acuit genam calami. »

Allegorica causa fuit, ut hi cultri petrini essent typus et figura Christi, qui spiritualis est petra, et spirituali circumcisione non carnem a præputio, sed mentem a vitiis circumcidit, et corpus a morbis et morte circumcidet in colle præputiorum, id est, in resurrectione mortuorum, ait Rupertus hic, cap. XVI; sic et Theodoretus, Quæst. I, Origenes, Procopius et alii. Allegorice.

Porro S. Augustinus, serm. 141 *De Tempore;* S. Bernardus, serm. 1 *De Circumc.*, et Magister Sententiarum in IV, agens de circumcisione, censent circumcisionem debuisse fieri cultro lapideo, eo quod idipsum hic jubeat Deus : sed hoc præceptum soli Josue datum est, non cæteris. Unde *Gen.* cap. XVII, vers. 10, ubi circumcisionis institutio et præceptum a Deo sancitur, nulla lapidei cultri fit mentio. Quocirca etiamnum Judæi se suosque circumcidunt cultro ferreo, non lapideo. Ita Abulensis, Hugo Victorinus, S. Thomas, Lyranus, et diserte S. Justinus (qui fuit Judæus, puta Samaritanus) dialog. *Contra Tryphon.* : « Prima, ait, illa vestra circumcisio olim fiebat ferro, et etiamnum fit, ideoque permanet in vobis cordis duritia; at nostra, quæ est secunda, fit per acutos lapides, puta per Christum et Apostolos, qui vitia cordis circumcidunt. »

CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL. — Cur « secundo? » An semel circumcisi recrescente, vel attracto præputio (quod olim fecit Symmachus, S. Scripturæ interpres, et alii a Judæis ad Samaritas transfugientes, ut ostendi I *Corinth.* VII, 18), secundo illud circumcidere jubentur? Minime gentium. Circumcisio secunda quæ?

Primo ergo Theodoretus, *Quæst.* III, et Masius putant hanc circumcisionem dici secundam, respectu primæ, quæ facta est ab Abraham, qui jussu Dei primus se cum tota familia circumcidit, *Genes.* XVII. Verum respectu Abrahæ hæc non se- Resp. Primo.

cunda, sed plusquam decima, imo centesima erat circumcisio ; nam post Abraham per 400 annos usque ad Mosen omnes ejus posteri fuere circumcisi.

Secundo. *Secundo*, Vatablus secundam dici censet respectu primæ, quæ facta est a Mose, qui populum ex Ægypto eductum in Sina circumcidit. Sed de hac Mosis circumcisione nec Scriptura, nec Philo, nec Josephus, nec alius quis meminit.

Tertio. *Tertio*, R. David Kimchi et Cajetanus τὸ *secundo* interpretantur vicissim, sive per vices, *q. d.* Non simul omnes circumcide, ne circumcisi omnes langueant, sintque invalidi ad resistendum Chananæis, sed duabus vicibus eos circumcide, ut dum hi circumciduntur, alii adhuc incircumcisi sint validi ad pugnandum cum Chananæis. Verum hoc remotum et alienum est.

Quarto et genuine. Dico ergo cum S. Augustino hic, *Quæst.* VI, et Abulensi, non juberi hic eumdem hominem secundo circumcidi, sed eumdem populum, qui primo in parentibus suis circumcisus fuerat in Ægypto, idque nutu et hortatu Mosis, uti sentit Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, R. Levi et alii. Idem vero populus secundo jubetur circumcidi in filiis, qui incircumcisi manserant per 40 annos quibus peregrinati fuerant in deserto; hi ergo intermissam tot annis circumcisionem resumpserunt in Chanaan. Hunc genuinum esse sensum patet ex iis quæ sequuntur, præsertim vers. 3, 5 et 6. Idem enim hic fuit populus, qui a Mose eductus ex Ægypto, et a Josue inductus fuit in terram promissam; qui primo fuit circumcisus in Ægypto tempore Mosis, imo omnes necdum circumcisi, fuere circumcisi paulo ante exitum ex Ægypto. In exitu enim celebrarunt Phase, et comederunt agnum Paschalem; hunc enim nemo comedere poterat nisi circumcisus, *Exodi* cap. XII. Cessavit deinde populi circumcisio ob peregrinationem in deserto per quadraginta annos : finita vero hac peregrinatione, cum jam Israel ingressus esset in Chanaan, omnes eousque incircumcisi fuere a Josue circumcisi, ideoque vocatur hæc secunda populi circumcisio. Ita Masius, Lyranus, Pererius, Serarius et alii.

Tropologice. Tropologice noster Jacobus Alvarez, tract. *De mortificatione* : Prima, ait, circumcisio in Ægypto facta externam mortificationem designat; secunda vero in transitu Jordanis effecta, internam mortificationem significat, quæ merito fit in colle præputiorum: quoniam qui interiora mortificare audet, jam collem, id est, aliquem gradum perfectionis ascendit. Harum prima exterior, si sola accipiatur nulla habita ratione secundæ, non multi momenti est, quippe quæ animum incircumcisum ac vitiis subjectum relinquit.

Vers. 3. 3. CIRCUMCIDIT EOS IN COLLE PRÆPUTIORUM, — id est, in loco et colle ita dicta a circumcisione præputiorum ibidem facta a Josue, sicut idem eadem causa dictus est Galgala, vers. 9.

Vers. 5. 5. QUI OMNES CIRCUMCISI ERANT. — Hinc verisimiliter a contrario nonnulli colligunt, aliorum, qui circumcisi non erant, neque murmurando rebelles Deo fuerant, neminem in deserto mortuum esse; idque insinuat Psaltes, *Psalm.* CV, 37, et Moses, *Deut.* XXIX, 5.

Vers. 6. 6. POPULUS AUTEM QUI NATUS EST IN DESERTO PER QUADRAGINTA ANNOS ITINERIS LATISSIMÆ SOLITUDINIS, INCIRCUMCISUS FUIT. — Quæritur, qua de causa in deserto omissa fuit circumcisio, cum a Deo esset præcepta, *Genes.* XVII?

Cur Hebræi incircumcisi in deserto? Resp. Primo. *Primo*, Thalmudici, tract. *De jure Levit.*, et ex eis R. David hic asserunt per quadraginta annos, quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto, non spirasse Aquilonem, sive Boream ventum nubibus inimicum, idque ne columnam nubis ducem itineris dissiparet. Atque hac de causa Hebræos abstinuisse a circumcisione, eo quod illum ventum sibi putent observandum, quod plagis medeatur. Verum hæc sunt fabulonum istorum commenta, imo meræ nugæ et næniæ.

Secundo. *Secundo*, Theodoretus hic, *Quæst.* II; S. Hieronymus, lib. I *in Epist. ad Galat.*; Damascenus, lib. IV *De fide*, cap. XXVII, et alii hanc dant causam, quod in deserto populus Israel per se et loci natura sat distinctus et separatus erat a cæteris gentibus, ideoque non opus erat eum circumcidi. Circumcisio enim ea de causa fuit instituta, ut per eam Israel distingueretur a cæteris. Hæc ratio congrua est, sed insufficiens. Nam et in Judæa divisi erant Judæi a cæteris gentibus, et tamen debebant circumcidi ob alios fines potiores, scilicet ob præceptum Dei, atque ut hac ratione nomen darent Synagogæ, fierentque filii Abrahæ et populus Dei, sicut nunc fit per baptismum.

Tertio. *Tertio*, S. Augustinus hic, *Quæst.* VI, censet omissam fuisse circumcisionem per populi inobedientiam: quare illum eam omittendo peccasse; verum hoc peccatum in populo suo redarguisset Moses et Scriptura, quod tamen nusquam facit.

Quarto. *Quarto*, Gabriel Vasquez in III *part.* disp. CLXIV, cap. II, suspicatur filios hosce mansisse in deserto incircumcisos ob culpam et murmur parentum; ob hoc enim Deum ipsos parentes punivisse morte, eorum vero filios incircumcisione. Idem hic suspicatur Masius et Pererius in cap. XVII *Gen.* Sed nil tale innuit Scriptura, imo contrarium insinuat, scilicet Deum patribus rebellibus rejectos surrogasse filios, cum iisque novum fœdus (cujus symbolum erat circumcisio) pepigisse, eosque induxisse in terram promissam, a qua parentes ob rebellionem excluserat.

Quinto et genuine. Dico ergo : Vera omissæ in deserto circumcisionis causa fuit, quod Hebræi ab ea excusarentur per assiduam peregrinationem, quia in eo nullam stabilem certamque habebant quietem : sed quoties movebatur columna nubis viæ dux, toties eam sequi et castra movere debebant Hebræi. Hoc autem facere nequivissent, si eo die, vel paulo ante fuissent circumcisi. Circumcisio enim grave vulnus infligebat corpori acremque dolorem, ut

nec pugnare, nec ambulare posset, ut patet in Sichimitis, idcirco a Simeone et Levi cæsis ad vindicandum Dinæ stuprum, *Genes.* XXXIV. Quare ob crebrum incertumque motum castrorum Hebræi fuere excusati a circumcisione, ne per eam in vitæ periculum incurrerent. Ita Abulensis, Lyranus, Masius, Serarius et S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXX, art. 4.

In Chanaan vero, ubi figenda erat sedes, circumcisi fuere, mox in ipso ejus ingressu, puta in Galgalis; idque *primo*, quia lex erat conditio fœderis inter Deum et Abraham ejusque posteros initi de danda eis Chananæa : legis autem inchoatio et quasi janua erat circumcisio, uti Christianismi est baptismus : per circumcisionem ergo eos capessere terram promissam par erat; *secundo*, quia paulo post, scilicet 14 die mensis ad vesperam, jussu Dei comedendus erat agnus Paschalis, vers 10; hunc autem nemini comedere fas erat, nisi prius circumciso, itaque in familiam Abrahæ et Synagogam Israelis cooptato; *tertio*, quia in ipso limine Chananææ, Respublica Hebræorum tum civilis, tum sacra statim instituenda erat, ac consequenter omnes leges Dei etiam cæremoniales (inter quas prima erat circumcisio) et judiciales ab Hebræis erant observandæ. Unde statim celebrarunt Phase, ut sancte et religiose auspicarentur possessionem terræ promissæ. Decimo ergo die mensis primi Nisan transiere Jordanem et castra fixerunt in Galgalis, ac sequenti die undecimo ibidem circumcisi ob plagam vulneris quievere tres dies, atque quarto demum die, qui fuit 14 Nisan, ad vesperam celebravere Pascha.

Moraliter, discant hic fundatores et gubernatores rerumpublicarum suum regimen ordiri a Deo, ejusque lege et cultu, uti orditur hic Josue; Deus enim propitiatus illud secundabit. Discat et quisque fidelis sua officia et actiones inchoare cum Deo et a Deo, juxta illud : « A Deo incipe. »

Porro mendose hic et *Num.* XIV, 33, Septuaginta pro quadraginta annis peregrinationis deserti habent duo et quadraginta annos. Constat enim præcise tantum fuisse quadraginta.

Rursum mendose habent μαεδαρίτιδι, pro quo per metathesin litteræ δ cum β legendum μαδβαρίτιδι, quod nomen ex Hebræo מדבר *midbar*, id est desertum, mutuati ad Græcum idiotismum inflexerunt. Eremum ergo madbaritidem vocant eremum Hebræorum, sive quam Hebræi vocitarunt suum *midbar*, id est desertum.

Denique potuit hæc populi circumcisio uno die, scilicet undecimo Nisan peragi, quia circumcidere poterat quivis circumcisus, etiamsi non esset sacerdos vel Levita, sed laicus : unus autem poterat per diem multos circumcidere. Circumcisi autem tunc erant, et superstites vivebant, qui circumcisi egressi fuerant ex Ægypto, cum necdum attigissent annum vigesimum : qui enim eum attigerant, hi omnes ob murmur mortui sunt in deserto. Rursum qui primi die undecimo hic circumcidebantur, hi mox alios plures circumcidere poterant.

UT OSTENDERET EIS TERRAM LACTE ET MELLE MANANTEM. — Corrige cum Romanis, Hebræis et Septuaginta, *ut non ostenderet*. Juraverat enim Deus se omnes murmuratores occisurum in deserto, *Numer.* XIII.

9. HODIE ABSTULI OPPROBRIUM ÆGYPTI A VOBIS, (quia hodie a vita et moribus incircumcisorum per circumcisionem in gentem, Synagogam : legem et religionem meam sanctam transtuli. Idcirco) VOCATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS GALGALA, — id est *amotio*, scilicet præputii, et consequenter opprobrii Ægyptiorum : גלל *galal* enim significat volvere, devolvere, removere, auferre; a *galal* geminata prima syllaba fit *gilgal* et *galgala*. Unde hic locus dictus est *Gilgal*, *Galgal*, *Galgala*, a S. Hieronymo *Golgal*, quæ olim fuit civitas inclyta in recto itinere a Jordane in Jericho : a Jordane distans stadiis quinquaginta, a Jericho decem : in Galgalis Saul a Samuele unctus est in primum regem, I *Regum* VII, 10. Ibidem fixi sunt duodecim lapides, testes transitus Hebræorum per Jordanem divisum. In Galgala quoque versatus fuit Elisæus propheta, IV *Reg.* IV, 38. Rursum S. Hieronymus, Beda et Lyranus *Galgala* vertunt, *rotam*, *revolutionem*, *circulationem* Unde a *galal* et *gilgal* formatum est *gulgolet*, et Chaldaice *gulgolta*, indeque *Golgotha*, id est Calvaria sive cranium, ita dictum a convolutione, quia rotundum. Hinc mons Calvariæ, ita dictus a craniis reorum ibi plexorum, in quo crucifixus est Christus. Quare Josephus *Galgala* interpretans *libertatem*, consulere voluit pudori Hebræorum more suo, ac Vespasiani et Romanorum auribus blandiri, si non adulari.

Vers. 9. Galgala unde dicta? Et golgotha.

Tropologice Origenes, *hom.* 5 : « Si, inquit, post remissionem (quasi circumcisionem) peccatorum ultra non pecces, vere ablatum est a te opprobrium Ægypti. Si vero iterum peccaveris, iterum in te vetera revolvuntur opprobria, idque eo magis, quo multo majoris criminis est Filium Dei conculcare, et sanguinem testamenti pollutum ducere, quam legem Moysi negligere. » Ægyptii enim tempore Josue erant incircumcisi; Gentiles, idolis et vitiis addicti. Postea tamen circumcisionem acceptarunt, ut docet *Jerem.* cap. IX, vers. ultim. Vide ibi dicta. Illam eos acceptasse nonnulli autumant tempore Salomonis, cum is duxit uxorem filiam Pharaonis regis Ægypti, III *Reg.* X.

Rursum, noster Alvarez, tract. *De mortificatione*, opprobrium accipit active, quo scilicet Ægyptii Hebræis ex Ægypto exeuntibus improperabant illos ire ad famem et mortem, *q. d.* Certe vidistis quia siccato Jordane in hanc regionem transivistis, et terram vobis promissam occupastis, et in ea tanquam in terra vobis pacifica circumcisi estis, et per tres dies sine ullo timore donec sanaremini, quievistis : non ergo ad mortem eduxi vos ex Ægypto, ut vestri oppressores dicebant,

sed ut liberi et securi viveretis. Ita et a nobis spiritalem circumcisionem, id est mortificationem colentibus, mundi opprobrium auferetur; quia mundani videbunt nos per abnegationem nullo modo vitam perdidisse, sed vitam carnalem et Deo invisam, pro vita spiritali et Deo grata commutasse.

Vers. 10. 10. ET FECERUNT PHASE QUARTA DECIMA DIE MENSIS (primi Nisan) AD VESPERUM, — ob causas datas vers. 6: fuit hoc tertium Pascha Hebræorum. Primum enim celebrarunt pridie quam egrederentur ex Ægypto, *Exodi* XII; secundum anno sequenti, post acceptam legem et erectum tabernaculum in Sina, *Num.* IX, 2; tertium hic. Allegorice Josue hic novum primumque in terra sancta Pascha celebrans, repræsentat Jesum Christum novum Pascha, id est, Eucharistiam in ultima cœna instituentem.

Vers. 11. 11. ET COMEDERUNT DE FRUGIBUS (de frumento) TERRÆ DIE ALTERO, AZYMOS PANES, ET POLENTAM EJUSDEM ANNI, — « de frugibus, » sive hornis et præteriti anni, ut vult R. David et Vatablus, eoque alludit vox Hebr. עבור *abur*, a radice *abar*, id est transivit, præteriit; sive potius novis præsentis anni, uti exprimunt Septuaginta. Porro Hebraicum *abur*, et Chald. *ibbura*, quaslibet fruges significat anni tam præsentis, quam præteriti. Ita Masius.

DIE ALTERO. — Hebraice, *crastino Paschæ*, id est postridie primæ diei azymorum, puta secundo die azymorum, sive die decima sexta mensis Nisan; illo enim primum Deo offerre debebant manipulum spicarum, antequam vescerentur frugibus præsentis anni, juxta legem *Levit.* XXIII, 14.

R. David vero per crastinum Paschæ accipit primum diem azymorum, sive decimam quintam Nisan. Pridie enim illius, puta decima quarta ad vesperam, comederunt agnum Paschalem. Ipse enim, ut dixi, fruges accipit hornas, id est, anni præteriti, quibus vesci licebat ante oblatum manipulum spicarum die secundo azymorum; hic enim offerebatur quasi primitiæ novarum frugum anni præsentis, non præteriti.

POLENTAM. — Hebraice קלוי *kalvi*, id est tostas fruges. Vide *Levit.* II, 14.

Vers. 12. Manna defecit, tur? 12. DEFECIT MANNA, — scilicet pluere vel ningere e cœlo. Deus enim qui Hebræis ob alimenti inopiam manna fuerat largitus, oblata alterius cibi copia manna subtraxit: perinde ut aves afferunt cibum pullis in nido dum teneri sunt, at cum crescendo validiores facti, sibi sufficere possunt, eas sibi relinquunt, ut sibi annonam parent. Deus enim uti non deest in necessariis, sic nec redundat in superfluis.

Illustre exemplum est apud Theodoretum in *Philotheo*, cap. X. Theodosius Abbas, inquit, instar Mosis orans, et virga petram percutiens, ex ea fontem aquæ perennis elicuit, qui monasterium a se in loco arido ædificatum irrigaret. Hic fons exstructo postea in monasterio lavacro exaruit, sed eo destructo rursus fluere cœpit, quasi necessitati succurrens, et cum ea cessante cessans.

Tropologice, qui voluptates terræ ambiunt et gustant, privantur cœlestibus: Deus enim spiritum orationis et contemplationis in deserto manentibus tribuit, carnis nimirum voluptates et sæculi ambitionem relinquentibus; et ab illis qui corde in sæculum redeunt, abscondit. Hi paulatim ex spiritualibus carnales fiunt, et hujus mannæ suavitatem gustare desinunt; illi vero quotidie magis puri et spirituales evadunt: gustato enim spiritu desipit omnis caro. Et vice versa, cui sapit caro, huic desipit spiritus. Audi S. Bernardum, epist. 3 *ad Fulconem*: « Quomodo ignis et aqua simul esse non possunt, sic spirituales et carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel et favum menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit et ventrem, cœlestis panis jejunam deserit mentem.» Idem, serm. 6 *De Ascensione*: « Errat omnino, inquit, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitretur. » Audi et S. Hieronymum, epist. 4 *ad Julianum*: « Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cœlo et terra appareat gloriosus. » Tropologice.

Anagogice Rupertus hic, cap. XVII: Manna, ait, terrestre, id est Eucharistia, deficiet, cum fruges solidas cœli nobis exhibebit Christus. Ibi enim ipse seipso, quasi pane vitæ nos pascet, et quasi vino divino inebriabit, juxta illud: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, *Psalm.* XXXV, 9. Anagogice.

Audi Rupertum: « Pascimur mente legendo vel audiendo verbum Dei, pascimur et ore manducando de mensa Domini panem vitæ æternæ, et bibendo calicem salutis perpetuæ. At ubi venerimus ad illam terram viventium, in illam beatam Sion, ubi in sua specie videbitur Deus deorum, neque verbo doctrinæ indigebimus, neque in istis speciebus panis et vini, sed in propria substantia videndo panem Angelorum manducabimus. Igitur postquam comederunt terræ fruges, defecit manna, quia videlicet postquam venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. »

Allegorice manna defecit, id est bona legis veteris defecerunt, cum Jesus eis substituit Eucharistiam, qui vere est panis Angelorum et manna cœlorum. Ita Nyssenus in *Vita Mosis*. Allegorice.

Vers. 13. 13. CUM AUTEM ESSET JOSUE IN AGRO URBIS JERICHO. — Hebraice, *cum esset in Jericho*, id est, in ditione vel agro urbis Jericho, nisi malis præpositionem *in* pro *apud* per enallagen Hebræis usitatam sumi. Simile est cap. X, vers. 10.

Sive ergo ex Galgalis Josue castra moverit in agrum Jericho, sive castris manentibus in Galgalis (Galgala enim a Jericho tantum decem stadiis, id est vix media leuca distabant), Josue dux pervigil de Jerichunte primo obvia excidenda sollicitus, deque excidii ejus ratione et modo consilia animo versans, Deumque orans, in agrum Jerichuntis exierit, aut etiam locum oppugnandæ urbi opportunum speculatum iverit : ibidem hæc ei objecta est visio, quæ illi ad rem peragendam animos adderet : ita dum magna sanctaque animo machinamur, Deus se consiliis nostris insinuat, viresque et modos ea exsequendi demonstrat.

VIDIT VIRUM STANTEM CONTRA SE. — Hebraice בנגדו *benegdo*, id est, coram se, e regione et ex adverso sui. Erat hic Angelus specie גבר *gebir*, id est viri. Unde nonnulli eum Gabrielem fuisse putant.

EVAGINATUM TENENTEM GLADIUM, — instar præliantis; ideoque galea quoque, thorace et balteo accinctus, uti opinatur Serarius. Solet Deus vel Angelus congruam personæ et rei, de qua agitur, et ob quam apparet, formam, speciemque et habitum assumere. Strictus ergo fulminansque gladius in viri fortis manu, Dei potentiam et vindictam repræsentat Josue quasi militi ducique suo assistere, eique præsentem et paratam esse ad bellum tam cruentum contra Jerichuntem conficiendum. Ita Rupertus. Sic Christus apparuit Magdalenæ in horto ut hortulanus, duobus discipulis peregrinantibus ut peregrinus, Stephano stanti certantique stans, *Actor.* VII, 55.

PERREXITQUE AD EUM. — Septuaginta, *aggressus est eum.* Nota hic intrepidos Josue animos, quibus solus solo armato occurrit, iisque verbis salutat, quæ plane aut duellum aut amicitiam decernant.

ET AIT EI : NOSTER ES, AN ADVERSARIORUM ?— Putant aliqui Josue putasse virum hunc esse hominem, non Angelum, eique dixisse : Ex nostrisne es, an ex Chananæis? Unde Angelus subjicit :

Vers. 14. 14. NEQUAQUAM. — Non sum vester vel ex vestris castris egressus, neque ex adversariorum, sed sum Angelus Dei. Ita Abulensis, Serarius et alii. Ex adverso videtur Josue ex tam augusta viri forma cognovisse, vel certe suspicatus esse eum esse Angelum tutelarem vel Hebræorum, vel Chananæorum, ideoque rogasse : « Noster es, an adversariorum? » Ita Origenes hic, *hom.* 4, qui ait Josue dubitasse an bonus an malus esset hic Angelus. Sic et S. Gregorius, Arias Montanus et alii. Favet Chaldæus qui vertit, *opitulatum nobis venisti, an hostibus nostris?*

Porro a Josue Angelum quidem cognitum fuisse, et an ipse custos esset amicorum, an hostium, internoscere voluisse, Jobius Monachus apud Photium in sua *Bibliotheca* cum multis aliis, in hunc fere modum scribit. Multa enim Josue docebant neque aliquem esse hunc ex hostili acie, ac neque ex proprio exercitu, ut quod subito astitisset, quod nemo adversariorum auderet vel per medias hostium copias transire, vel in conspectum imperatoris venire; quin et quod tanta usus audacia, nihil omnino hostile fecisset; alioqui nec sapientissimi imperatoris erat ignorare, qualis contribulium esset habitus atque apparatus, qualis item alienigenarum. Verum noverat quidem Josue visum illud, unum intelligentium spirituum esse; sed hoc cognoscere avebat, utrum quod apparuisset ex hostibus esset, an de illo exercitu qui protegebat Israel.

Tropologice, simili modo cum instinctibus et impulsibus animæ agendum, rogandumque : « Nostri estis, an adversariorum? » ut si ab Angelo bono immittantur, admittantur; si a malo, repellantur.

Hinc et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moralium*, cap. XXII, ait Josue timuisse hic illusionem diaboli : ipse enim « Satanas transfigurat se in Angelum lucis, » II *Cor.* XI. « Hanc transfigurationem, inquit, Josue timuit, quando videns Angelum, cujus esset partis inquisivit dicens : Noster es, an adversariorum? ut videlicet si adversæ virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab illusione resiliret. »

Idem habet B. Petrus Damianus, lib. II, *epist.* 7, quæ ordine est 28.

Moraliter, S. Antonius apud S. Athanasium, ex hoc dicto factoque Josue, docebat nos idem facere debere in quovis timore, tentatione, horrore, præsertim cum spectra vel phantasmata nos percellunt, ut audacter ea invadamus, rogemusque qui sint, et unde veniant. Hac enim audacia metum omnem et dolos diaboli discutiemus. Audi S. Antonium : « Cum aliqua se vobis obtulerit visio, audacter requirite quis sit ille, et unde venerit; ac sine mora si sanctorum fuerit revelatio, Angelica consolatione timor vertetur in gaudium. Si vero diaboli fuerit tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescit : quia maximum est securitatis indicium interrogare quisnam est et unde? Sic et Nave filius auxiliatorem suum interrogando cognovit, nec Danielem percunctantem latere potuit inimicus. »

QUI RESPONDIT : NEQUAQUAM (sum adversariorum), SED SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI, — tam cœlestis (*q. d.* Sum princeps omnium Angelorum) quam terrestris, puta fidelis populi sive Israelitarum, hoc est : Ego sum Michael, qui præsum Ecclesiæ tam Angelicæ in cœlis triumphanti, quam vestræ hic in Chananæa militanti. Ita Theodoretus, Lyranus, Abulensis, qui addit hunc Angelum fuisse eumdem cum illo qui castra Hebræorum in columna nubis quasi dux viæ præibat, et alii passim. Nam Michael, *Daniel.* X, vocatur princeps gentis Judæorum, et confligit cum Angelo Persarum, ut Judæos fideles e captivitate Babylonica liberet. Vide ibi dicta. Audi nostrum Franciscum Suarez tract. *De Angelis*, lib VI, cap. XIX, num. 22.

« Hinc nonnulli putant illum Angelum fuisse Michaelem, qui princeps populi Israel dicitur *Daniel.* cap. X. Abulensis vero, *Quæst.* LXXI, credit fuisse Gabrielem, qui etiam curam habebat populi Judaici, ut ex *Daniel.* cap. VIII, IX et X constat : et fortasse Michael habebat superiorem curam, et Gabriel propriam totius exercitus bellatorum. In quo sensu etiam probatur inde dari Angelos custodes exercituum, præsertim fidelium, et qui causam Dei agunt. Quod etiam confirmari potest ex illo *Psalm.* XXXIII : Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Quo etiam testimonio ad hoc Patres communiter utuntur. » Hucusque Suarez.

Michael ergo fuit olim præses Synagogæ Judæorum, sicut nunc est præses Ecclesiæ Christianorum, ac ut talis ab ea invocatur, ut eam contra dæmones, contra infideles et quoslibet impios tueatur et propugnet. Sic quælibet regna et provinciæ suum habent Angelum præsidem, æque ac singuli exercitus fidelium, uti habuit Judas Machabæus Angelum equitem in veste candida hastam auream vibrantem, qui castra præibat, II *Machab.* XI, 8; et Ezechias rex, cujus Angelus occidit una nocte centum quinque et octoginta millia Assyriorum. Hoc est quod canit Psaltes, *Psal.* XXXIII, 8 : « Immittet (Hebr. חנה *chone*, id est, castra metabitur) Angelus Domini in circuitu timentium eum. » Quare dux et milites in præliis assidue suum hunc Angelum invocent, orentque cum Juda Machabæo : « Dominator cœlorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum, » II *Machab.* XV, 23. Ad hoc Deo militant Virtutes, Potestates, Principatus et Dominationes. Sic Angelus in columna nubis præivit castra Hebræorum in deserto per quadraginta annos, eisque plurimas victorias contra Amalec, Og, Sehon, etc., dedit.

ET NUNC VENIO, — ut singulari mea præsentia, licet invisibili vobis assistam, ac pro vobis muros Jerichuntis prosternam, itaque vos in urbem inducam, indeque cæteros Chananæos debellem, ac eorum civitates et arces vobis tradam.

15. ET ADORANS, — non latria ut Deum, sed dulia ut Angelum præsidem. Adoratio enim, sive ut Hebr. השתחוה *histachave*, id est incurvari et incurvatio, in Scriptura non soli Deo datur, sed Angelis quoque et hominibus, quomodo Japones, Sinæ aliique Orientales se incurvantes, et fronte humum ferientes suos reges adorant, id est, venerantur. Et hoc significat Græcum προσκυνεῖν (1). Vers. 15.

Moraliter, notanda hic prompta et demissa animi Josue religio et devotio erga Angelum.

16. SOLVE CALCEAMENTUM, — *q. d.* Memineris te coram Deo, cujus vices ego gero, quemque ut legatus repræsento, stare, iisque quæ vides, et deinceps audies voluntatem consiliumque summi Numinis tibi declarari, cui proinde reverentiam exhibere par est depositione calceorum; locus enim hic Dei per me apparentis præsentia sanctus sacerque est. Idem jussit dixitque Angelus Mosi in rubo ardente apparens, ac forte idem fuit utrobique. Vide dicta *Exodi* III, 5. Porro plura hic Angelus dixit Josue de modo expugnandi Jerichuntem, quæ audiemus capite sequenti, vers. 2. Vers. 16.

Disce hic qua religione et reverentia in templis versandum sit, ut non fabulis, sed orationi vaces, quamque Deus non tantum interiorem, sed et exteriorem cultum cæremoniamque requirat. Unde pro « locus in quo stas sanctus est, » Hebr. est *sanctitas est*, id est, sanctissimus est ob Dei præsentiam.

(1) Curatius notandum est hanc vocem *adorans* non indicare semper in Scripturis adorationem proprie dictam, sed aliquando simplex indicium venerationis exterioris. Calviniana hæresis nostris his diebus catholicam fidem lacessere non desinit hanc causam recti judicii defectu.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue, arcæ per septem dies circumductu, Jerichuntem ruentibus muris expugnat, statuitque anathema, et delet funditus, solam Rahab cum suis servat, ac ejus reædificatori Dei maledictionem imprecatur.

1. Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi. 2. Dixitque Dominus ad Josue : ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. 3. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem : sic facietis sex diebus. 4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis : septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. 5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus

vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. 6. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis ; et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini. 7. Ad populum quoque ait : Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini. 8. Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, 9. omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. 10. Præceperat autem Josue populo, dicens : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis : Clamate et vociferamini. 11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra, mansit ibi. 12. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, 13. et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæo usus est : præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes, et armatus populus ibat ante eos ; vulgus autem reliquum sequebatur arcam et buccinis personabat. 14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. 15. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. 16. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel : Vociferamini ; tradidit enim vobis Dominus civitatem : 17. sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino ; sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt : abscondit enim nuntios quos direximus. 18. Vos autem cavete, ne de his quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. 19. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. 20. Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat ; ceperuntque civitatem, 21. et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt. 22. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. 23. Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israel manere fecerunt. 24. Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt, absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro : quæ in ærarium Domini consecrarunt. 25. Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem ; eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens : 26. Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. 27. Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra.

Vers 1. 1. JERICHO AUTEM ERAT CLAUSA ET MUNITA. — Hebraice סוגרת ומסגרת *sogeret umisgeret*, quod Masius, Vatablus, Pagninus vertunt, *Jericho erat claudens se et clausa*, id est, diligentissime erat clausa, plane obserata et occlusa. Unde Noster et Septuaginta id explicantes vertunt : « Jericho erat clausa et munita. » Et clare Chaldæus : *Erat autem Jericho occlusa foribus ferreis, et munita vectibus æneis ante filios Israel. Non erat qui exiret ex ea, neque qui intraret in eam Non erat qui exiret ex ea ad pugnandum, neque qui intraret in eam ad pacificandum.*

Hic versus inseritur quasi per parenthesin, ut melius intelligantur mira illa, quæ deinceps Angelus præcepit duci Josue ad urbis tam munitæ expugnationem. Unde Pagninus versum hunc collocat ultimum capitis præcedentis.

Vers. 2. 2. DIXITQUE DOMINUS AD JOSUE : ECCE DEDI IN MANU TUA JERICHO. — « Dominus, » id est, Angelus legatus Dei, ejusque personam repræsentans.

Unde Hebraice vocatur Jehova, quod est nomen Deo proprium. Deus enim per Angelum loquitur, sicut Rex loquitur per legatum. Sic Angelus vice Dei promulgans ejus legem in Sina vocatur Jehova, *Exodi* XIX, 20. Pergit enim hic loqui Angelus, qui in fine capitis præcedentis Josue jusserat, ut se excalcearet, et excalceatus audiret jussa Dei; hic ergo illa pandit et promit, docetque modum quo Deus velit expugnari Jerichuntem, scilicet non fragore armorum, sed clangore tubarum.

Vers. 3. 3. CIRCUITE URBEM (ita remote ab ea, ut sitis extra teli jactum, ne quis ex ea illud in vos jaciat) CUNCTI BELLATORES SEMEL PER DIEM : SIC FACIETIS SEX DIEBUS. — Hebræa addunt : « Et sacerdotes tollant buccinas quarum usus est in Jubilæo, et præcedant arcam fœderis; » quæ Noster rejecit in versum sequentem. Unde liquet primis quoque sex diebus sacerdotes clanxisse buccinis, sed semel duntaxat per dies singulos, septimo autem die septies.

Vers. 4. 4. SEPTIMO AUTEM DIE SACERDOTES TOLLANT SEPTEM BUCCINAS QUARUM USUS EST IN JUBILÆO, — scilicet in anno quinquagesimo, qui totus erat festus et lætus. Erant hæ buccinæ ex cornu, non arietum, ut habet Chaldæus, sed boum, ut ex S. Hieronymo et aliis ostendi *Levit.* XXV, 20.

SEPTIES CIRCUIBITIS CIVITATEM, ET SACERDOTES CLANGENT BUCCINIS, — scilicet septies, cum cæteris sex diebus semel tantum circuirent, ideoque semel tantum clangerent, uti dixi vers. 1; itaque reipsa factum esse patet ex ipsa præcepti hujus exsecutione, quæ narratur versu 13. Ita Abulensis.

Sed cur jubet Deus Sacerdotes clangere buccinis Jubilæi iisque expugnari Jerichuntem? Respondeo, ut significaretur tempus instare, quo terra sancta a Chananæis, tanquam iniquis et injustis possessoribus, ad Deum quasi communem verumque Dominum et Principem vindicata, aliis iisque justis et fidelibus traderetur colonis, puta Hebræis Abrahæ posteris, quibus a Deo erat addicta. In Jubilæo enim prædia et possessiones venditæ, vel quovis modo alienatæ, ad primos redibant heros et dominos, *Levit.* XXV. Judæi autem in patre suo Sem, filio Noe, possederant Palæstinam, sed posteri ejus ex illa a Chananæis fuere expulsi. Jure ergo hic quasi in Jubilæo eorum posteros, scilicet Hebræos, quasi primos pristinosque heros in illam reduxit Deus; ideoque buccinis Jubilæi eos clangere jussit.

Aliam causam dat Procopius : « Cur, inquit, tubis corneis ac jubilæis classicum canere jussit? Eo quod animalibus cornigeris cornua murorum vice sunt, adeoque nobis loco cornu Dominus esse debet, juxta illud : Protector meus cornu salutis meæ, » *Psalm.* XVII, 3.

Tertiam causam dat S. Ambrosius in cap. X *Lucæ*, vers. 30, dicens : « Religionis insignia arma sunt sacerdotis, » *q. d.* Sacerdotum arma sunt non galeæ capitis, sed buccinæ Jubilæi, quia his suam religionem et sacerdotium testantur, quo prostravere Jerichuntem.

Porro hæc cæremonia pompaque per septem dies circumeundi Jerichuntem et buccinis clangendi, speciem habebat obsidionis et oppugnationis (sed umbratilem, videlicet; ut Hebræorum fides exerceretur, et a timore excitaretur clangore tubarum, ac ut manifestissime pateret non humana arte, sed Dei unius voluntate et potentia urbem superari. Ita Abulensis, Arias, Masius et alii.

Hoc est quod ait Apostolus, *Hebr.* XI, 30 : « Fide muri Jericho corruerunt circuitu septem dierum.» « Fide, » qua scilicet Josue et Hebræi crediderunt Deo idipsum promittenti, ideoque ei obediunt urbem circumeundo et clangendo.

Hic autem fuit ordo totius pompæ. Hebræi bellatores armati præibant circumeuntes urbem quasi se ostentantes urbi ad eam invidendam : illam mox sequebatur arca fœderis cum sacerdotibus bajulis et duce Josue. Claudebat agmen vulgus imbelle. Arca ergo erat in medio, et anterius armatis, posterius cætero populo cingebatur, ne a Jerichuntinis erumpentibus intercipi posset. Unde arca hic non præcessit, nec ab armatis distabat duobus millibus passuum, uti factum erat in transitu Jordanis; sed eos immediate sequebatur. Primis sex diebus semel circuiere urbem clangendo; septimo vero die septies, ac tum ultimo circuitu, et clangore ac clamore horrisono totius populi corruerunt muri Jerichuntis; atque Hebræi eam cingentes suo quisque loco ingressi illam vastarunt et concremarunt, feceruntque anathema.

Huc pertinet præceptum Leonis Imperatoris datum ab eo suis ducibus et militibus in *Tacticis*, cap. XX, num. 188 : « Quando, inquit, in acie, sole contra lucente cum hostibus conflicturus es, priusquam prælium committatur, jube milites sursum arma, nudos gladios, ferrea scuta et illustria, et hastarum cuspides tollere; hæc enim si admodum fulgeant, in aliquam perturbationem hostes conjicient. Quando vero jam manus conserturus es magno cum clamore vocis et armorum contra hostes contendant, itaque prælium cum hostibus ineant. »

Moraliter discant hic Duces et Præsides suos subditos semper labore aliquo occupare, ne marcescant otio. Unde Leo Imperator ducibus suis ita præcipit in *Tacticis*, cap. XX, num. 175 : « Si exercitum tuum ad labores assuefacias, paratos et obedientes eos tibi semper habebis, et aciem servantes, et corpore robustos. Otium enim languida et infirma facit corpora, timidas effeminatasque mentes reddit : exercitatio autem et labores corpora strenua ac robusta, mentes viriles atque alacres facit. Ante tempus igitur omnia ad res agendas idonea præparentur, ut necessariis temporibus omnia in promptu sint. »

Anagogice, « Jericho, » id est, *Luna*, typus est mundi mutabilis et perpetuo sese mutantis, qui in die judicii canente tuba Archangeli evertetur, et igne conflagrationis comburetur. Ita Origenes hic *hom.* 7.

Tropologice, sicut tunc clangentibus buccinis muri Jerichuntis corruerunt, ita nunc in lege nova, personante prædicatione Apostolorum et successorum, cadit mundi superbia cum suis turribus et vitiis. Unde S. Chrysostomus, hom. 21 *in epist. ad Ephes.* : Israelitæ, ait, Jerichuntem everterunt, choreas agentium et cantantium more potius, quam bellatorum. Audi Origenem : « In adventu Jesu (Josue), inquit, muri Jericho subversi sunt, in adventu Domini mei Jesu mundus vincitur : si tubam prædicationis ejus audis et sequeris, tibi destructus est mundus. » Subditque Jesum destruxisse mundi muros, id est, firmamenta, scilicet idolorum cultum, divinationem dæmonum, commenta augurum, aruspicum et magorum, ac Oratorum eloquentiam, et Philosophorum sapientiam, rationes et argumenta. Clanxit autem Christus tubis quatuor Evangeliorum, ac Epistolarum SS. Petri, Pauli, Jacobi, Joannis et Judæ.

Audi S. Augustinum, serm. 106 *De Temp.* : « Sicut tunc canentibus tubis muri ceciderunt, ita et nunc oportet ut civitas mundi, id est, superbia cum suis turribus, avaritia scilicet, invidia atque luxuria, simul cum populis, id est, omnibus concupiscentiis malis, assidua sacerdotum prædicatione destruatur atque dispereat. Non ergo oportet ut sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum, dicentem : Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, » *Isaiæ* LVIII. Et post nonnulla : « Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed et cor concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu, et strenuos quosque hortetur in bonis, et remissos terreat pro delictis. Nam sicut in prælio tuba formidolosi militis mentem dejicit, et animum fortis accendit : ita et sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos viri sancti corroborat, nec parcit voci, ut parcat saluti, et uno eodemque sono isti adhortationem dat, quemadmodum sit fortior ad vincendum; illi terrorem incutit, quemadmodum sit tardior ad peccandum. » Causam inferius subjicit : « Nam sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfigurasse credimus, quam hujus temporis sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono austerum judicium nuntiare, tristem gehennæ interitum prædicare et quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor destructis cæmentorum muris ad populi interiora pervenit : ita nunc prædicatio sacerdotum destructis pravis cogitationibus ad animæ nuda pertransit. Et sicut sacræ vocis sonus contumacem populum destruxit et captivavit, ita et nunc sacerdotalis prædicatio populum peccatorem subjugat. »

Sed cur septenario circuitu et clangore ruit Jericho? Respondeo, quia septenarius in Scriptura sacer est ob festum septimæ diei, sive sabbatum, atque significat universitatem, quia sex diebus Deus creavit mundum, et septimo quievit. Hinc septem hic fuere buccinæ, septem sacerdotes, septem clangores, septem dies circuitus et clangoris. Vide dicta *Levit.* XXIII, 24, et *Num.* XI, 3. Audi S. Augustinum loco citato : « Septenario numero nunc per sacerdotes Dei non tam una civitas destruitur, quam totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis urbis nuncupatione universi mundi habitus figuratur : ita septem dierum circulo totius mundi spatia distinguuntur; per quæ sacerdotalium prædicationum tubæ ipsi sæculo excidium annuntiant, et judicium comminantur, sicut scriptum est : Quoniam mundus peribit, et omnia quæ in mundo sunt. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut et Christus in æternum manet. » Mysticam septenarii circuitus significationem et causam assignabo vers. 15.

Denique S. Chrysostomus, homil. 5 *De Pœnitentia*, et Procopius hic notant septem dierum circuitum præcepisse Deum, ut Jerichuntinos percelleret, et ad pœnitentiam peccatorum induceret. Hoc enim spatium pœnitendi ex sua clementia iis dedisse, ut excidium evaderent, sicut tres dies dedit Ninivitis prædicante Jona cap. IV, qui et per eam excidium evaserunt.

Vers. 5. 5. CUMQUE INSONUERIT VOX TUBÆ LONGIOR ATQUE CONCISIOR. — Hebraice, *cum trahent in cornu jubilæi.* Masius, *cum cornu jubili inflabunt sono productiore*, ideoque concisiore, ut recte addit Noster, tum quia trahere vocem est vocem concidere et frangere : sic enim dum terram trahis, eam serrando incidis; tum quia dici halitus hominis tubam inflare nequit, quin inflationem hanc retrahat, infringat et incidat, ut respiret, et halitum spiritumque ad inflandum resumat.

Vers. 7. 7. ARMATI PRÆCEDENTES ARCAM DOMINI. — S. Chrysostomus in *Psalm.* XLIII, quærit : Si muri erant casuri, cur armis induuntur? Ac respondet, ut facilius Hebræi crederent urbem a se expugnandam; armantur ergo quasi revera bellaturi. Planius dicas velle Deum ut nos sibi in miraculis cooperemur, ac faciamus id quod est ex parte nostra; tunc enim faciet Deus id quod suum est. Deus enim ab otiosis abest, negotiosis adest, et conans juvat conantem, *q. d.* Armate vos, o Hebræi, et cum armis circuite urbem; tunc ego vobis adero, ac muros prosternam, ut armati urbem ingredientes, armis vestris cives omnes mactetis, et civitatem evertatis.

Porro Josue hic accurate servat præcepta militaria, quæ assignat Vegetius, lib. III *De Re militari*, cap. ult., dicens : « Exercitus labore proficit, otio

consenescit. Nunquam ad certamen publicum producas militem, nisi cum eum videris sperare victoriam. Subita conterrent hostem, usitata vilescunt. Nulla consilia meliora, quam illa quæ ignoraverit adversarius antequam facias. Quid facturus, tracta cum paucissimis et fidelissimis, vel potius ipse tecum. »

Vers. 8. 8. BUCCINIS CLANGERENT. — Harum ergo clangore, sine balistis, sine arietibus, corruere muri Jericho.

Disce hic tropologice quam infirma, exilis et vana sit Jericho, id est mundi gloria, utpote quæ solis tubarum flatibus ruit et evanescit. Audi S. Gregorium, lib. XX *Moral.* cap. XXIV : « Præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur. » Audi et S. Chrysostomum, hom. 1 *in Epist.* I *ad Corinth.*: « Non videtis pueros, quando ludentes struxerint aciem et ordinarint milites ; et eos præcedunt lictores, et præcones, et puer incedit in medio, loco Imperatoris, quam sint ea quæ fiunt puerilia? tales sunt res humanæ, iisque viliores et abjectiores, ut quæ sint hodie, cras non sint. »

Vers 9. 9. RELIQUUM VULGUS ARCAM SEQUEBATUR.— Hebr. est מאסף *meassaph,* proprie idem est quod *congregans,* sive *colligens,* scilicet præeuntem turbam, hoc est *claudens agmen,* ut vertit Masius, Vatablus, Pagninus et alii. Septuaginta, *extremum agmen,* scilicet senum, famulorum, proselytorum, puerorum, feminarum, reliquique imbellis vulgi, quod arcam sequebatur. Prima enim acie præibant bellatores, in media erant sacerdotes cum arca et buccinis, in ultima erat reliquum hoc vulgus. Porro Chaldæus vertit, *et tribus stirpis Dan ibat post arcam.* Quin et Masius vertens, *claudentes agmen,* per hos intelligit Danitas, Aseritas et Nephthalianos ; hæ enim tres tribus solebant claudere agmen castrorum in deserto. Verum in deserto arca erat in medio castrorum et duodecim tribuum ; nam sex tribus antecedebant arcam, scilicet Judas, Issachar, Zabulon, Ruben, Simeon et Gad; sex vero sequebantur arcam, scilicet Ephraim, Manasse, Benjamin, Dan, Aser et Nephtali, ut patet *Num.* x, 12, 21 et sequent. Hic vero omnium tribuum bellatores armati præibant arcam, ut patet hoc versu ; vulgus vero imbelle sequebatur arcam. Quare minus recte Cajetanus censet tribum Ruben, Gad et dimidiam Manasse præcessisse arcam, reliquas vero novem tribus post arcam incessisse.

AC BUCCINIS OMNIA CONCREPABANT.— Hinc collige non solum sacerdotes, sed et reliquum populum buccinas suas inflasse ; sed hæ diversæ erant a buccinis sacerdotum, quæ erant Jubilæi ; populi vero erant vulgares et populares. Voluit enim Deus populum non esse otiosum, sed Deo et sacerdotibus in clangendo consentire et cooperari, ut horrisono omnium clangore Jerichuntini percellerentur. Negat id Masius, Lyranus et alii ; sed clare id significat Noster, et Septuaginta hic ; et clarius vers. 13, ubi dicitur : « Vulgus autem reliquum sequebatur, et buccinis personabat ;» quæ verba ita manifesta sunt, ut sine violentia ad sacerdotes torqueri nequeant. Quod ergo vers. seq. Josue populo imperat silentium, fuit hoc vocis et clamoris, non buccinarum et clangoris. Ait enim :

Vers. 10. 10. NON CLAMABITIS, NEC AUDIETUR VOX VESTRA, NEC ULLUS SERMO EX ORE VESTRO EGREDIETUR. — Ecce hic nulla clangoris et buccinarum fit mentio, aut vetatio. Causam dat Procopius et Chrysostomus, hom. *De Pœnitentia* : Jussit, inquit, vulgus in cauda consequi, ut doceret neminem Dei aciem deserere debere, verum pro virili adversis copiis resistere, sive in eadem stent acie, sive decertantes sequantur.

DONEC VENIAT DIES (septimus) IN QUO DICAM VOBIS : CLAMATE ET VOCIFERAMINI. — Hebræa et Septuaginta, *clamate, et tunc clamabitis ;* Masius, *ululate, et ululabitis ;* quod Noster significantius eodem sensu vertit : « Clamate et vociferamini, » quasi communi omnium voce vos invicem cohortantes ad prælium, ac quasi communibus animis armisque Jerichuntem invasuri. Hebraice est תריעו *tariu,* quod Noster et alii in *Psalmis* vertunt *Jubilate.* Unde Vatablus hic vertit, *Vociferamini, tum jubilum edite,* hoc est triumphum canite, quasi certi de victoria et urbis expugnatione. Et Origenes hic, *homilia* 7, vertit, *Jubilate.* « Beatus populus, inquit, qui scit jubilationem. Quare vociferatio populi concors et unanimis jubilatio quædam fuit, et victoriæ acclamatio per modum hymni aut gratiarum actionis, ut merito dici beatus hic populus valeat, quippe qui sciat jubilare. » Et inferius : Si jubilationis consensum de teipso exigas, id est, si cogitationum et sensuum tuorum populus concordem semper et consonam proferat vocem, ut in verbis et factis verax sis et constans, ac spiritus carni dominetur, jubilationis emitte vocem, quia tibi victus est mundus. Hæc Origenes fusius, sed ego brevitatis studio plura ejus verba in pauca contraxi.

CIRCUIVIT ERGO ARCA. — Hebr. יסב *jasseb* in Hi- Vers. 11. phil, id est *circumduxit.* Sed Hiphil sæpe pro Cal sumitur ; unde omnes hic vertunt, *circuivit.*

12. IGITUR JOSUE DE NOCTE CONSURGENTE. — Hebr. Vers. 12. בבקר *babboker,* id est, in aurora, mane, sive in crepusculo matutino cum diesceret, quando finitur nox, et incipit lux cum die.

15. DIE AUTEM SEPTIMO. — Tradunt Hebræi ex Vers. 15. Thalmud Babylonico, tract. *De sabbato,* cap. I, septimum hunc diem fuisse sabbatum, eoque muros Jericho corruisse (ad religionem cultumque sabbati populo persuadendum) septima urbis circuitione septimoque clangore ; ita ut primus dies circuitus fuerit Dominicus. Sic et Lyranus, Serarius et alii. Hinc Marcion blasphemabat Deum veteris Testamenti fuisse sibi contrarium, utpote qui sabbati quietem Judæis præcepisset, et tamen

hic illos in sabbato urbem circuire juberet. Sed respondet Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. XXI, Deum in sabbato prohibuisse opera humana duntaxat, non divina, seu quæ Dei jussu fiunt, quale hic erat circuire urbem; Deus enim erat Dominus sabbati, nec tantum in eo dispensare, sed et illud abolere poterat, uti prius illud instituerat. Judæis ergo fixit legem sabbati Deus, non sibi ipsi, quia ipse semper etiam sabbato operatur in cœlo et in terra omnia, quæcumque generantur et fiunt.

Circuitus septem Jerichuntis ad quid?

Porro Josephus scribit primum diem circuitus Jerichuntis fuisse diem Paschatis, sive decimam quintam Nisan. *Seder Olam rabba*, id est, Chronicon Hebræorum magnum, et Serarius censent fuisse primum diem post octavam Paschæ, qui erat vigesimo secundo Nisan. Verum nihil hic certo statui potest, cum Scriptura nil de eo tradat.

Mystice Ambrosiaster (nam S. Ambrosium non esse auctorem patet, ex eo quod meminit Longobardorum Italiam invadentium, quæ invasio diu post mortem S. Ambrosii contigit) in cap. I *Apoc.*, hos septem Jerichuntis circuitus, ad septem Ecclesiæ et justorum sæcula refert : « Jericho namque, inquit, omne corpus reproborum, quod est civitas diaboli, significat; per filios vero Israel electi significantur; per sacerdotes, prædicatores; per tubas, doctrina prædicationis ; per populum vero qui eos sequebatur, omnes justi designantur, qui eorum doctrinam sequebantur, et actus imitabantur; per arcam autem quam ferebant, Christus intelligitur, qui in sanctis cordibus eorum habitans portabatur. »

Et paulo inferius : « Prima igitur circuitio ad eos justos qui ante diluvium fuerunt, pertinet, qui et filii Dei dicti sunt; civitatem igitur Jericho tamdiu circuierunt, quamdiu a societate reproborum se sequestraverunt.

» Secundæ diei circuitus ad eos qui post diluvium usque ad Moysen fuerunt, pertinet : qui et ipsi civitatem Jericho circumierunt, quia ab iniquitatibus reproborum se separaverunt.

» Tertius vero circuitus ad eos qui sub lege fuerunt, pertinet : qui quanta sollicitudine a societate iniquorum se secernere deberent, ipsa lex manifestat. Prophetæ vero ad quos quartus circuitus pertinet, in tantum peccata principum hominumque impiorum spreverunt atque reprehenderunt, ut pro hoc quidam eorum lapidati, quidam imterfecti, quidam vero in occisione gladii mortui sunt. Apostoli vero et hi, qui ex Judæis crediderunt, ad quos quintus circuitus pertinet, quanto studio se ab infidelium Judæorum consilio atque operibus segregaverint, Lucas in Actibus Apostolorum narrat. Gentes vero ad quas sextus circuitus pertinet, quanto ardore se a societate impiorum disjunxerint, martyres requisiti dicant. Septimus vero circuitus ad eos, qui temporibus Antichristi futuri sunt, pertinet; sed et illi quomodo Antichristi ministrorumque ejus refutabunt perfidiam, hic liber manifestat. Septimo ergo die circumeuntibus sacerdotibus cum arca Jericho, atque vociferantibus, muri Jericho ceciderunt, omnisque populus cum rege suo interfectus est : quia prædicantibus in fine mundi prædicatoribus veritatis finemque mundi annuntiantibus, subito finis mundi adveniet, omnisque civitas diaboli destruetur, atque cum ipso capite suo diabolo perpetua morte damnabitur. »

16. DIXIT JOSUE AD OMNEM ISRAEL : VOCIFERAMINI. Vers. 16. — Vox Josue non poterat audiri a toto populo, utpote qui constabat tribus hominum millionibus. « Dixit » ergo id iis qui sibi vicini erant, et hi idem dixerunt proximis, et hi sequentibus, et ita deinceps usque ad ultimos. Aut certe « dixit, » id est, per præcones edixit, uti solet fieri in castris. Aut denique « dixit » duodecim principibus duodecim tribuum, quisque ex eis idem dixit singulis capitibus familiarum in sua tribu, et hi vicissim singulis patribus, et hi omnibus suis filiis et famulis.

17. SITQUE CIVITAS HÆC ANATHEMA. — Hebr. Vers. 17. חֵרֶם *cherem*, id est, res Deo soli devota, et in ejus honorem (ut de sceleratis qui eum læserunt, justa sumatur vindicta, itaque per eam divinæ justitiæ hoc piaculum litetur, quo honos Dei ablatus quasi restituatur) morti et excidio, vel reali, vel civili addicta. Tam enim *cherem* et anathemata sunt quæ Deo in perpetuum dicantur, et ad profanos usus redire nequeunt, uti hic erat aurum, argentum, æs, ferrum, etc., quam quæ Deo in holocaustum adolentur, aut per ferrum ignemque abolentur. Vide dicta *Levit.* XXVII, 28, et *Num.* XXI, 2 et 3.

Cur Jericho combusta?

Quod vero præter legem *Deuteron.* XX, vers. 16, qua solum jubetur ne ulli Chananæorum parcant, sed omnes occidant, hic insuper jubetur ipsa urbs Jericho concremari, quod in aliis Chananæorum urbibus deinceps a Josue expugnatis factum non legimus, causæ fuerunt tres.

Prima, quod Deus Jerichuntem primam hostilem urbem, sibi quasi primitias Chananææ deposceret : primitiæ autem integræ Deo persolvi debebant. Ita Josephus, Theodoretus, *Quæst.* VI, et Hebræi.

Secunda, quod solius Dei vi hic parta esset victoria et Jericho expugnata, cum in cæteris urbibus subigendis Hebræi acriter decertarint, et eas insultu militari superarint.

Tertia, quod Deus voluerit exemplum severæ vindictæ cæteris Chananææ urbibus in prima Jerichunte statuere, eisque terrorem incutere, et simul ad pœnitentiam sceleratissimæ vitæ provocare.

Porro hæc Josue gessisse Dei instinctu, vel Angeli monitu, licet Scriptura non exprimat, par est credere ex dictis cap. I et cap. V, in fine, et cap. VI, vers. 2. Sic Romani urbes hostiles diris et anathemati certa verborum formula devovebant. Livius, lib. VIII, narrat Decium consulem in bello

contra Latinos se una cum hostibus anathemati devovisse, hac prece : « Jane, Jupiter, Marspiter, Quirine, Bellona, Lares, vos precor uti populo Romano vim victoriamque prosperetis; hostesque populi Romani terrore, morteque afficiatis; sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica populoque Romano legiones auxiliaque hostium mecum diis Manibus tellurique devoveo. »

Vers. 18. 18. VOS AUTEM CAVETE NE DE HIS QUÆ PRÆCEPTA SUNT QUIPPIAM CONTINGATIS, ET SITIS PRÆVARICATIONIS REI. — Hebraice, *Tantum servate vos ab anathemate, ne forte anathematizetis* (anathematis culpam et pœnam vobis imponatis) *et capiatis de anathemate* (clarius vertit Masius : *Ne forte anathematizetis*, id est, capiatis de anathemate; τὸ enim *et* est ἐξηγητικόν, id est, explicativum, idemque valet quod, *id est*), *et ponatis castra Israel in anathema,* ut propter anathema per sacrilegium Deo sublatum, castra ipsa fiant anathema, id est, excidio a Deo per justam vindictam addicantur; quod Noster vertit : « Et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur, » ne scilicet unus qui aliquid ex Jericho sufurabitur, peccati et anathematis sui contagio et communione, omnia castra involvat et contaminet peccato, æque ac pœna peccati furtique sui. Castra enim censebantur esse unum corpus politicum, sive unus populus; quare quæ unus ex eis peccasset, Deus occulto judicio in omnes vindicare, omnesque anathemati, id est excidio, subjicere decreverat. Sensus est, *q. d.* Cavete ne ex Jerichunte anathemati addicta quidquam sufuremini, ne sitis causa anathematis et perditionis, non tantum vestræ, sed et totorum castrorum Israel. Similis phrasis est cap. seq., vers. 1 et 11; *Matth.* XXVI, 8; *Joan.* XII, 4; *Deut.* XXI, 8. Hac quoque de causa toties in Scriptura ingeminatur : « Auferte malum de medio vestri, » de quo plura cap. seq.

Porro pro תחרימו *tacharimu,* id est *anathematizetis,* Septuaginta vertunt ἐνθυμηθέντες, id est, in animum inducentes, cogitantes quasi pro ר legentes affine, puta ד, pro *tacharimu,* legerint תחמודו *tachmodu,* id est, desideretis, concupiscatis, ait Masius; aut certe, ut Serarius, Septuaginta nove acceperunt τὸ ἐνθυμηθέντες pro ἐνθυμωθέντες, id est, in ira ponentes, scilicet iræ et vindictæ Dei subjicientes, eamque in vos accersentes : θύμος enim non tantum animum, sed et iram significat.

Vers. 19. 19. QUIDQUID AUTEM AURI ET ARGENTI FUERIT, ET VASORUM ÆNEORUM AC FERRI, DOMINO CONSECRETUR. — Hebraice, *sanctitas est ipsi Domino,* id est, quasi res sancta et sacra Deo consecretur; unde, ut talis, sit « repositum in thesauris ejus. » Chaldæus, *in thesaurum domus sacrarii Domini inferatur,* puta in tabernaculum, quod erat quasi templum mobile Hebræorum, ad ejus usum et ornatum. Jericho enim facta erat *cherem,* id est anathema : tota ergo Deo soli cedere debebat, scilicet urbs per incendium, aurum vero, argentum et æs (sub quibus stannum, chalybem, plumbum cæteraque metalla, quorum rarior erat usus in tabernaculo, intellige) per oblationem in tabernaculo : nil vero ex ea in privatos vel profanos usus converti poterat.

Tropologice Procopius : Viros Dei, inquit, non divitiarum, non gloriæ, non potentiæ, non sapientiæ sæcularis cupidos esse decet. Est autem aurum divitiarum figura seu imago; argentum gloriam repræsentat, æs sapientiæ loquacitatem, ferrum robur et potentiam. Deus simul cum Achan propinquos ipsius perdidit, quod facinoris ipsius conscii fuissent. Ipse quidem pœnas dat; populus autem ad pietatem redditur instructior, cautione sacrilegii tanquam rei pestiferæ eis subeunte.

Vers. 20. 20. IGITUR OMNI POPULO VOCIFERANTE ET CLANGENTIBUS TUBIS. — Hebraice est, *et clamavit populus, et clamaverunt tubis.* Prius sacerdotes clanxerunt tubis, deinde populus hoc clangore excitatus clamorem suum clangori junxit. Unde Vatablus vertit, *Conclamavit igitur populus, postquam clanxerunt cornibus.* Sic et Masius. Ac clare Septuaginta in editione Romana, *Et clanxerunt tubis Sacerdotes; ut vero audivit populus tubas, jubilavit universus populus jubilatione magna.* Hebraice enim תריעו *tariu,* quod Noster vertit, *Clamaverunt, vociferati sunt;* Septuaginta vertunt ἠλάλαξε, id est jubilavit; ἀλαλάζω enim est jubilo, vociferor, clamo, ululo. Vide dicta vers. 10, ubi adverte ἀλαλάζειν duo significare, *primo,* clamorem edere militarem ad congrediendum, qualem edunt milites ante pugnam instructa acie conflicturi, ut animos iramque in hostes exacuant. Unde Masius vertit, *ululate; secundo,* jubilare, sive exultare et canere triumphum parta jam victoria; quanquam Varro asserat jubilare proprie significare querelam, sive quiritationem rusticorum aliorum opem implorantium. Utrumque huic loco congruit. Nam Hebræi clamabant ante pugnam, quasi invasuri Jerichuntem; et simul jubilabant, quasi ex Dei promissione certi de victoria et ejus excidio. Porro Leo Imperator in *Tacticis,* cap. XX, num. 204, de clamore militum ita sancit : « Ut robur exercitui inseras, præcipe ut si hostes cum clamore contra tuos veniant, tui statim cum silentio et taciturnitate præcedant : sin illi silentes ac taciti ambulaverint, tum clamore ac stridore armorum tui illos invadent. »

MURI CORRUERUNT. — Hebraice, *ceciderunt mœnia subter se.* Chaldæus, *labebatur murus urbis, et absorptus est subter se.* Audi Cajetanum : « Dicendo *sub ea,* manifestat quod vel in fossam circumcirca, vel majori miraculo sub terram casurus erat murus, ut Israelitæ non impedirentur a ruinis muri, sed liberum haberent ingressum circumcirca in civitatem. » Septuaginta, *cecidit murus circumquaque,* impellentibus scilicet ad hoc signum sonumque murum Angelis, vel Deo con-

cursum suum muro stanti ad standum subtrahente. Sicut enim sole subtrahente radios suos lux evanescit, sic Deo subtrahente concursum suum res corruit et evanescit. Porro potest Deus subtrahere concursum suum rei ad consistendum erectæ, itaque facere ut res erecta non consistat, sed corruat, et non subtrahere ad existendum, sed rem in sua existentia conservare. Ita fecit hic: subtrahendo enim concursum erectioni muri fecit eum labi et ruere; conservando vero eumdem existentiæ muri, fecit ut lapides muri ruentis in suo esse permanerent, et non abirent in nihilum, utique in nihilum abituri, si Deus ab existentia eorum concursum suum subduxisset. Præter hunc Dei concursum necessarius fuit alius, quo Deus concurrit cum muri casu, ut scilicet is ex alto in terram caderet et rueret.

Omnis enim res sicut in sui creatione, sic et in sui conservatione intime pendet a Deo; conservatio enim est quasi continua creatio. Sic Christi vox dejecit armatam cohortem in monte Oliveti, et Paulum in campo Damasci : vox Domini confregit cedros Libani, vox Petri dejecit Ananiam et Saphiram, et Britannos hæreticos jussu S. Germani decantatum Alleluia, ut Beda testatur lib. I *Histor.* cap. XX. Et Albigenses illud ex hymno : « Hostem repellas longius, » ut narrat *Historia* Simonis Montisfortii (1).

Quin et Robertus Franciæ rex psallens cum sacerdotibus, urbis Avellonis quam obsidebat, muros dejecit, suisque in eam aditum patefecit, uti narrat Lipsius in *Exempl. polit.* cap. II.

Vers. 21. 21. ET INTERFECERUNT OMNIA QUÆ IN EA ERANT.— Hebraice יחרימו *iacherimu,* id est anathematizarunt, perdiderunt, exciderunt. Jericho enim erat *cherem*, id est anathema et excidio addicta.

Mystice Lyranus : « Jericho, ait, significat civitatem culpæ, quam fecit amor sui usque ad contemptum Dei. Hæc civitas triplici muro clauditur, muro scilicet carnalis concupiscentiæ, temporalis affluentiæ, et mundialis excellentiæ. » Et paulo post : « Triplex hic murus subvertitur sonitu sanctæ prædicationis, clamore devotæ orationis, circuitu propriæ discussionis; qui circuitus debet fieri septem vicibus, id est perfecte, quia perfectio numero septenario designatur. Qui enim convertitur de culpa ad gratiam, debet diligenter et perfecte discutere propriam conscientiam. Quidquid autem in hac civitate reperitur saluti contrarium, debet interimi. Quod autem ibi invenitur auri philosophicæ sapientiæ, argenti eloquentiæ, vasorum æneorum, id est, naturalis industriæ, quæ valet ad multa, sicut et vasa ferri, id est, corporalis et temporalis potentiæ, debet Domino consecrari, id est, de cætero bonis actibus applicari. Rahab cum suis propter opus pietatis salvatur, quia secundum dictum Salvatoris, *Matth.* cap. V : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. »

Vers. 22. 22. PRODUCITE EAM (Rahab) ET OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT. — Hebraice הוציאו *hotsiu,* id est, *educite* illam, scilicet extra domum suam. Hæc enim tota urbe conflagrante pariter conflagravit. Tota enim Jericho erat anathemati et incendio addicta. Aliqui tamen ex vers. 25, censent domum Rahab ab incendio communi servatam, ac Rahab eductam extra castra, de quo vers. seq. Notet hic dux belli fidem hosti datam a suis servare, sicut Josue servavit fidem datam Rahab ab exploratoribus. Unde S. Ambrosius in cap. X *Lucæ,* vers. 30 : « Iste (Josue), ait, sollicitus magis fidem servare, quam vincere, meretricis prius mandat salutem quam excidium civitatis. »

Porro, perperam Masius Rahab hanc censet esse diversam a Rahab, quæ ponitur in genealogia Christi *Matth.* cap. I; eodem inclinat ibidem Theophylactus. Nam S. Hieronymus et alii passim docent esse eamdem.

Vers. 23. 23. INGRESSIQUE JUVENES. — Hebraice, *juvenes exploratores.* Unde patet eos fuisse non senes, sed juvenes, utpote ad tale facinus aptissimos. Perperam ergo Rabbini censent exploratores hos fuisse Caleb et Phinees, qui (aiunt ipsi), licet ætate essent senes, robore tamen et vigore erant juvenes.

EXTRA CASTRA ISRAEL, — quia illa sancta erant per circumcisionem, per publicum Dei veri cultum, per arcam fœderis, per Josue, sacerdotes, etc.; Rahab vero erat e gente infideli et impia, ac necdum publice Judaismo nomen dederat : cognati quoque ejus et affines erant adhuc infideles et idololatræ; sed paulo post a Josue et Hebræis ad fidem cultumque unius Dei, et ad judaismum fuere conversi, ideoque inter castra Israelis admissi. Ita Abulensis, Masius, Salianus et alii.

Vers. 25. 25. ET DOMUM PATRIS EJUS. — Per « domum » non materialem, sed familiam intellige, puta fratres, cognatos et affines Rahab. Unde R. Simeon : Rahab, ait, sua fide tantam apud Deum consecuta est gratiam, ut etiamsi ducentos homines cognatos sibi conjunctos habuisset, atque illi cum ducentis alienis prosapiis affinitatem contraxissent, omnes illius gratia salvati fuissent.

Porro nupsit postea Rahab Salmon principi tribus Juda, si non ut primaria, certe ut secundaria uxor; erat enim polygamia tunc licita. Torniellus et Salmeron putant Rahab nupsisse Salmon anno ætatis suæ decimo quarto, Hebræi quinquagesimo; verisimilius Salianus censet Rahab fuisse quinque et viginti vel viginti annorum (fuerat enim meretrix), Salmonem vero fere quadraginta annorum exstitisse.

FECIT JOSUE VIVERE, — id est, sanam et incolumem cum omnibus suis præstitit, in vita conser-

(1) Corruentes muri Jericho Hebræorum ululatibus divinum est miraculum ad fidem stabiliendam. Prædictus fuerat mirabilis hic eventus a Josue; quæ prædictio haud incertum facit hoc miraculum eo quod naturales hominis inspirationes superet.

vavit; hoc enim significat Hebraice הֵחֵיא *hecheie*. Minus recte ergo Hebræi exponunt : alimenta ad vitam necessaria ei suppeditavit, licet et hoc fecisse Josue non sit dubium.

Vers. 26. 26. IMPRECATUS EST JOSUE, DICENS : MALEDICTUS VIR, etc., QUI ÆDIFICAVERIT JERICHO. — Dira hæc imprecatio Josue facta est Dei instinctu, ut par est credere, idque eo fine, ut æternum in ruderibus Jerichuntis exstaret monumentum divinæ potentiæ, et vindictæ in impios ejus cives; ac benignitatis, veritatis et fidelitatis in pios Israelitas, quod omnibus sæculis terrorem incuteret, omnesque ad Dei timorem et cultum provocaret. Ita Masius, Arias et cæteri.

IN PRIMOGENITO SUO. — Masius, *In primogenitum suum jaciat ipsius fundamentum, et in minimum suum collocet illius valvas*, quasi lapides jaciendo in fundamentum Jerichuntis, eosdem jaceret in suos, iisque eos lapidaret et occideret. Sensus est, *q. d.* ait Masius : Quisquis unquam per futura sæcula ausus fuerit instaurare Jerichuntem a Deo statutam anathema, hic cum prima urbis fundamenta jecerit, maximum natu ex filiis suis amittat, deinde inter ædificandum cæteros omnes ex ordine, postremo autem minimum omnium, cum jam opere absoluto ad januarum locationem devenerit. Ita Rupertus hic cap. XVI, qui et culpæ congruam hanc fuisse pœnam ostendit, dicens : « Ut ambiendo conditoris nomen, totum cum effectu perderet genitoris honorem, » *q. d.* Justum est ut conditor vetitæ urbis desinat esse genitor sobolis. Ita has diras reipsa incurrit inobediens Hiel, qui Jerichuntem reædificans filios amisit, ut patet III *Reg.* XVI, 34, ubi dicitur : « In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho; in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus : juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun. »

Tropologice, destruit Jericho, qui abrenuntiat Satanæ et mundi pompis; reædificat vero, qui vertitur ad vitia : hic amittit primogenitum in fundatione, et novissimum in portarum positione, quia et fundamenta fidei, a quibus bona virtutum ædificia inchoantur, et claustra bonæ actionis perdit. Ita Beda, et ex eo Angelomus; et Eucherius in III *Reg.* XVI, 34.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achan furatur ex spoliis Jerichuntis, ideo cæduntur Hebræi ab Haiensibus; mox, vers. 7, orante Josue Deus furtum Achan sortitione detegit, ideoque ipse furtum confessus, vers. 20, cum suis igne consumitur.

1. Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurparunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate, iratusque est Dominus contra filios Israel. 2. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis : Ascendite, et explorate Terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai. 3. Et reversi dixerunt ei : Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant et deleant civitatem; quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos? 4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, 5. percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines, persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes : pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est. 6. Josue vero scidit vestimenta sua et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel : miseruntque pulverem super capita sua, 7. et dixit Josue : Heu, Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem! 8. Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? 9. Audient Chananæi, et omnes habitatores Terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra; et quid facies magno nomini tuo? 10. Dixitque Dominus ad Josue : Surge, cur jaces pronus in terra? 11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum : tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua. 12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet :

quia pollutus est anathemate, non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. 13. Surge, sanctifica populum, et dic eis : Sanctificamini in crastinum ; hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Anathema in medio tui est Israel ; non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. 14. Accedetisque mane singuli per tribus vestras, et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. 15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua : quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israel. 16. Surgens itaque Josue mane applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda. 17. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi : 18. cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi (1), filii Zare de tribu Juda. 19. Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. 20. Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic, et sic feci. 21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. 22. Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul. 23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. 24. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem (et omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, 25. ubi dixit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel ; et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. 26. Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

VERS. 1. 1. FILII AUTEM ISRAEL PRÆVARICATI SUNT MANDATUM, ET USURPAVERUNT DE ANATHEMATE, — id est, de spoliis Jerichuntis, quæ anathemati, id est, exitio et incendio a Deo erat addicta. Nota : Unus Achan id fecerat ; illius tamen unius peccatum per synecdochen toti societati et corpori, puta populo Israel, cujus ipse pars erat, tribuitur, ut ostendatur,

Primo, quam Deo res exosa et invisa sit peccatum, utpote quod ab uno admissum tam multos iræ et vindictæ Dei subjecerit.

Secundo, quantum valeat bona vel mala societas, utpote in qua sit, ut communis vitæ et conditionis, sic et vitiorum virtutumque et actionum omnium communio.

Tertio, quam præsides et superiores debeant singulis in congregatione sua, cui præsunt, invigilare, ne unius peccatum in totam congregationem redundet, imo suo contagio proserpat. Sicut enim ovis ovi affricat suam scabiem, sic vicinus vicino affricat suum scelus. Ita Origenes hic, *hom.* 17. Audi S. Chrysostomum hom. 1 in verba Isaiæ, *Vidi Dominum* : « Lues quædam, inquit, est peccatum, per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut ubi cognorint quantas minas una peperit transgressio, fugiant ultionem ; de multis alioqui sumendam æternam vindictam. »

Quarto, quam singuli de locis suis ex charitate debeant esse solliciti ; utpote quorum virtus vel vitium non solum in ipsos, sed et in totam congregationem a Deo præmietur vel vindicetur. Quocirca S. Matthias Apostolus, teste Clemente Alexandrino, lib. III *Strom.*, dicere solebat : « Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si ita se gessisset, ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus esset reveritus, ut non peccasset. » Hinc toties ingeminat Scriptura : « Auferte malum de medio vestri. »

NAM ACHAN, etc., TULIT ALIQUID DE ANATHEMATE. — Septuaginta Achan vocant *Achar*, et ita ab omnibus vocatur I *Paral.* cap. II, vers. 7. Achan ergo fuit *Achar,* id est turbator, quia suo furto turbavit tota castra Israel, ut ab Haiensibus hostibus cæderentur. Unde I *Paral.* cap. II, 7, causa cur vocetur *Achar* addicitur, dum dicitur : « Qui turbavit Israel. « Radix enim עכר *achar* significat turbare. Unde locus supplicii Achar vocatus est

(1) Septuaginta et Vulgatus I *Paral.* XI, vers. 6, vocant Achar filium Zambri, vel Zamri ; non vero Zabdi, ut Hebræa.

vallis Achor, id est, vallis turbationis, ut patet vers. ult. Porro hæc Achan tentatio fuit humana: difficile est enim militem victorem a spoliis hostium cohiberi; unde idem sæpe victoriam quam peperit, perdit. Audi S. Ambrosium, lib I *Offic.* cap. XXXIX : « Frequenter pulsis hostibus, inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis cæsorum capitur præliator, inter ipsos quos stravit, miserandus occubuit, et triumphis suis allectæ legiones dum spoliis occupantur, hostem in se revocarunt qui fugerat. » Quoties id vidimus in Christianis Turcas sternentibus?

FILII ZABDI. — I *Paral.* II, 7, vocatur filius Zamri. Avus ergo Achan fuit binomius, tamque Zabdi quam Zamri vocabatur. Hæc ergo fuit ejus genealogia : Judas genuit Phares et Zare de Thamar, Zare genuit Zabdi, Zabdi genuit Charmi, Charmi genuit hunc Achan, qui proinde fuit quartus a Juda; a Juda autem usque ad furtum Achan, fuere anni ut minimum 260; quare quisque eorum generare debuit anno ut minimum 65 : nam quater 65 faciunt 260, sed hoc illa ætate erat frequens.

Vers. 2. 2. CUMQUE MITTERET JOSUE VIROS CONTRA HAI. — Urbem hanc ex S. Hieronymo, Josepho et aliis ita describit Adrichomius in *Descript. terræ sanctæ* : « Hai, quæ et Chai, et Josepho Ada vel Aina, Hieronymo Agai et Ai, civitas quondam pulcherrima, et in montanis, ut ait Bredenbachius, capta a Josue succensa; rege suspenso et cæso populo. In Isaia Aiath appellatur, ut notat Benedictus, per quam Sennacherib rex transiit oppugnaturus Jerusalem, *Isaiæ* cap. X. Fit ejusdem mentio *Jerem.* XLIX, 1; *Esdr.* II, 2; *Esdr.* VII. Ejus Hieronymi tempore vix parvæ ruinæ residebant, et locus tantummodo monstrabatur. Est ad Occidentalem plagam Bethelis, non multum ab ea distans. »

QUÆ EST JUXTA BETHAVEN, AD ORIENTALEM PLAGAM OPPIDI BETHEL. — Hinc patet Bethaven distinctum fuisse locum a Bethel. Ipsa tamen Bethel (1), id est, domus Dei, dicta est quoque Bethaven ab Osee, cap. IV et seq., id est domus idoli et iniquitatis, ob collocatos in ea a Jeroboam vitulos aureos, quos quasi idola Israel adoravit.

Vers. 5. 5. ET CORRUERUNT EX EIS TRIGINTA SEX HOMINES. — Ecce unius Achan furtum punit Deus cæde sex et trigintahominum, et fuga trium millium, qui quoniam, ait Procopius, deteriores forte aliis fuerunt, opportune suorum delictorum lueruntsupplicium.

PERSECUTIQUE SUNT EOS ADVERSARII DE PORTA (urbis Hai) USQUE AD SABARIM. — Masius censet hunc locum dictum fuisse Sabarim ab hac strage et contritione Hebræorum : שבר *scabar* enim significat frangere, confringere, conterere. Porro Septuaginta et Chaldæus pro *Sabarim* aliis punctis legentes השבירום *hisbirum*, vertunt, *usque dum contriverunt eos.* Cajetanus Sabarim interpretatur *saxa fracta*, quod locus esset saxosus; confragosus et præruptus.

(1) Bethel erat sita ad septentrionem Jericho.

PERTIMUITQUE COR POPULI. — Hebraice, *liquefiebat cor populi, et evadebat in aquam*, fiebat fluidum, solutum, trepidans et languidum instar aquæ.

6. JOSUE VERO SCIDIT VESTIMENTA SUA, — ex pu- Vers. 6. blico calamitatis sensu et dolore, quem ipse velut dux præ omnibus, imo pro omnibus acerrimum sentiebat.

Porro scissio vestium erat cæremonia olim usitata in luctu, vel in rei et sceleris alicujus atrocitate. Sic Jacob ob filium Joseph amissum scidit vestes suas, *Genes.* XXXVII, 34. Idem fecit Caiphas ob speciem blasphemiæ, ut ipse putabat, *Matth.* XXVI, 65.

MISERUNTQUE PULVEREM SUPER CAPITA SUA. — Hoc alterum est signum luctus, humilitatis et pœnitentiæ, datum primitus Adæ post lapsum : « Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris,» *Genes.* III, 19. Sic Job cap. ult., vers. 6 : « Ago pœnitentiam, ait, in favilla et cinere. » Et David : « Quia cinerem tanquam panem manducabam, » *Psalm.* XXXVI. Et Daniel, cap. IX, 9, cœpit Deum « deprecari in jejuniis, sacco et cinere. » Sic rex Ninive prædicante Jona, cap. III, 6, pœnitens « indutus est sacco et sedit in cinere. » Judith quoque, cap. IX, 1, itura ad Holophernem, « induens se cilicio posuit cinerem super caput suum. » Idem fecit Esther itura ad Assuerum, cap. XIV, 2, et Mardochæus, cap. IV, 1. Hinc multi Sanctorum, ut S. Martinus, S. Carolus Borromæus, S. Franciscus morientes, cilicio et cinere aspersi animam Deo reddiderunt. Idem etiamnum faciunt multi fideles et religiosi.

7. ET DIXIT JOSUE : HEU, DOMINE DEUS! — Josue, Vers. 7. quia dux populi, ejus cladem in se suscipit, pro eoque plangit coram Domino, ut veniam obtineat, et toti populo salutem victoriamque impetret. Idem faciat Princeps et Prælatus in publica calamitate : hæc enim a publica persona et Principe deprecanda et amolienda est.

UTINAM, UT COEPIMUS, MANSISSEMUS TRANS JORDANEM! — videlicet in Galaad commorantes, puta in regnis regum Og et Basan. Sic enim evasissemus cladem hanc, quam transito Jordane apud urbem Hai accedimus.

8. MI DOMINE. — Hebraice בי אדני *bi Adonai*, id est Vers. 8. *in me Domine*, scilicet respice, ut benignis misericordiæ oculis me totumque populum intuearis, nobisque reconcilieris. Est placida et fidens Dei compellatio, quam Noster optime vertit : « Mi Domine. »

9. DELEBUNT NOMEN NOSTRUM DE TERRA, ET QUID Vers. 9. FACIES MAGNO NOMINI TUO? — *q. d.* Parvi momenti est nostrum (qui viles homunciones et peccatores sumus) nomen exile deleri de terra, sed eo deleto delebitur quoque de terra nomen tuum, Domine, quod magnum est. Nos enim fere soli illud novimus et colimus. Ratio est, quia tu promisisti te terram hanc nobis liciturum : jam autem cum permittis nos ab ejus incolis cædi, dicent gentes te promissa tua præstare non potuisse, itaque

adiment tibi nomen et titulum Omnipotentis; vel certe noluisse, itaque tibi tollent nomen sancti et fidelis in promissis. Rursum cum nomen tuum magnum JEHOVA cæteris et Gentibus non indicaris, illudque soli Mosi et Israelitis revelaris, ut ab illis solis adoretur, si Israelem perdis, quis nomen tuum celebrabit et colet? Si nobis juste irasceris ob scelera nostra, nosque vis castigare, consule saltem gloriæ tuæ et sanctificationi nominis tui, ut nos non perdas, sed more tuo protegas, ac in Chananææ possessionem, uti pollicitus es, inducas, ut omnes gentes nomen tuum glorificent, teque omnipotentem, fidelem et benignum erga tuos fideles agnoscant, timeant et venerentur. Efficax est hæc oratio, quæ Deum quasi stringit et cogit ad miserendum, ne nomen ejus sanctum a gentibus rideatur et blasphemetur.

Vers. 10. 10. SURGE, CUR JACES PRONUS IN TERRA? — Prostraverat ergo totum se Josue pronum in terra, ut summe coram Deo se humiliaret, summamque ei reverentiam æque ac pœnitentiam exhiberet. Jacens enim pronus quasi dorsum suum Deo ad verbera offerebat, *q. d.* En ego pro populo reum me tibi offero: quod ille peccavit, ego exsolvam. Amove ergo ab eo flagella tua, illaque in dorsum meum converte et reciproca quantum lubet. Unde Deus exoratus: « Surge, ait, quid jaces? » quasi dicat: Surge, noli te diutius affligere, scio quid velis, faciamque ut scias quid facto sit opus, ad cladem a tuis acceptam resarciendam: ego enim cor tuum contritum et humiliatum despicere nequeo, sed benigne aspicere a mea pietate quasi cogor.

Vers. 11. 11. PECCAVIT ISRAEL, — unus ex Israel, scilicet Achan, qui noxam dedecusque suum toti Israeli afflavit.

MENTITI SUNT. — Mentitus est Achan; professus est enim se servaturum pactum meum legemque et sententiam anathematis in Jerichuntem a me fulminatam: porro non verbo, sed facto mentitus est, anathemata mea sibi suffurans et rapiens.

Vers. 13. 13. SURGE, SANCTIFICA POPULUM, — id est, jube ut populus se sanctificet, hoc est, lustret et purificet lotione vestium, præsertim et secubitu, ut scilicet lavet vestes, et ab uxoribus abstineat, itaque excitetur ad luctum et pœnitentiam. Vide dicta cap. III, vers 5, et *Exodi* XIX, 10: ut hac lustratione comparetur ad anathema hoc occultum deprehendendum et vindicandum, itaque mihi reconcilietur.

ANATHEMA IN MEDIO TUI EST, ISRAEL, — quasi dicat: O Israel! tu officii tui pactique es proditor, utpote qui anathemata mea fureris, habeasque et abscondas in medio tui. Quare « non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. » Audiant hoc Principes et Prælati, ut anathemata, hoc est sacrilegia et scelera auferant e populo, si Deum placare, publicasque bellorum, famis et pestis clades ab eo immissas avertere satagunt. Audiant Leonem Imperatorem suo duci de die belli mandantem in *Tacticis*, cap. XIV, num. 1: « Hoc ante omnia præcipiendum est, ut purus ac sanctus exercitus tuus sit, et pridie vesperi preces efficaces ac diuturnæ adhibeantur, omnesque Deo consecrentur, verbis factisque persuadeantur se Deum adjutorem habere, atque hoc modo ad bellum puros, sinceros alacresque procedere. »

Vers. 14. 14. ACCEDETISQUE MANE SINGULI PER TRIBUS VESTRAS, ET QUAMCUMQUE TRIBUM SORS INVENERIT, ACCEDET (illa tribus inventa rea) PER COGNATIONES SUAS, ET COGNATIO PER DOMOS, DOMUSQUE PER VIROS. — *Primo* ergo, jacta fuit sors per duodecim tribus, ac inventa est rea tribus Juda. *Secundo*, jacta fuit per omnes cognationes descendentes a Juda, et inventa est rea cognatio Zare. *Tertio*, jacta fuit per omnes domos et familias progenitas a Zare, et inventa fuit domus sive familia Zabdi. *Quarto*, jacta fuit sors inter omnes qui erant e familia Zabdi, et deprehensus est Achan reus anathematis, sive furti et sacrilegii, ut patet vers. 16 et seq.

QUEM SORS INVENERIT, — id est qui sorte data vel jacta fuerit deprehensus. Hebraice est, *quem ceperit Dominus*, quod

Primo, Hebræi explicant de arca fœderis. Talmudici enim affirmant omnes Israelitas juxta arcam transire jussos; et, reliquis impune ac libere abeuntibus, solum criminis reum veluti injecta manu ab arca ita retentum, ut ne pedem quidem ulterius movere potuerit. Ac si ante sanctitatem illius arcæ clarissime radiantem, occultari non posset illius furti ac sacrilegii turpitudo; et quod de Deo cecinit David: « Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos, » *Psalm.* V, vers. 6, hoc ipsum de arca dici possit, quæ nemini apud se maligno patrocinetur.

Secundo, R. Salomon censet Achan fuisse deprehensum per Rationale Pontificis, in quo erant duodecim gemmæ, inscriptæ duodecim nominibus duodecim tribuum Israel; putat enim omnes tribus transisse juxta Rationale, et cum transiret tribus Juda, gemmam smaragdi (ut dixi *Exodi* XXVIII, 17), in qua scriptum erat nomen Judæ, offuscatam fuisse, suaque fuscedine et nigredine tribum Judæ ream esse denotasse; sed deinceps quæ cognatio, et quæ domus, quæ persona in tribu Juda rea foret, per sortes fuisse exploratum. Verum tunc dici solet Deum consultum per Ephod, vel per *Urim* et *Tummim*, respondisse, quod hic non dicitur.

Tertio, vere Achan deprehensus fuit per sortem, quæ hoc vel simili modo peracta est, ut chartulis singulis singula nomina eorum, qui erant in domo Zabdi inscriberentur, illaque in urnam imponerentur, ut cujus chartula primo educeretur, ille haberetur reus, ac deinde Josue educens chartulam primam, invenit in ea nomen Achan, qui proinde reus est habitus. Probatur id *primo*, quia Noster diserte ait eum sorte fuisse deprehensum.

Secundo, idem asserit Josephus, R. Levi, B. Gerson et Interpretes.

Tertio, quia capi a Domino, est capi a sorte imperata et directa a Domino, ut patet I *Reg.* X, 20, ubi Saul sorte electus est in regem. Ibidem, cap. XIV, vers. 42, sorte deprehensus est Jonathas violasse juramentum patris de jejunio; atque utroque loco Hebræum est idem verbum quod hic, scilicet נִלְכַּד *nilcad*, id est *captus est*, Jonathas et Saul. Sane utrobique Hebræa expendenti, et cum hoc loco conferenti liquet idem utrobique dici. Ergo cum ibi capi a Domino sit capi a sorte, ut vertit Noster, Septuaginta et alii, idem hic quoque de sorte accipiendum est. Nam « sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, » *Proverb.* XVI, ult. Denique eo tempore communis usus erat sortium, et per illas rem conficere erat facillimum et expeditissimum. Hinc Jonas, cap. I, captus est sorte; S. Matthias in Apostolum electus est per sortem, *Actor.* I.

Nota ex Divo Thoma, II II, *Quæst.* XCV, art. 8, triplicem esse sortem. Prima est divisoria, qua res aliqua, v. g. hæreditas inter hæredes sorte dividitur : sic milites inter se diviserunt vestes Christi per sortem, *Joan.* XIX, 24. Secunda sors est consultoria, cum per illam in dubiis, quid faciendum sit, deciditur, v. g. utri subvenias, si uterque æque indigeat, et uterque tibi æque sit proximus, nec utrique subvenire valeas. Tertia sors est divinatoria, qua quæritur veritas rei arcanæ vel futuræ. Duæ primæ sortes licitæ sunt, ut docet S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. XXVIII, et epist. 180 *ad Honoratum*. Tertia sors, scilicet divinatoria, illicita est et superstitiosa, nisi Deo palam jubente, vel interius instigante mittatur, uti hic factum; tuncque non tantum est licita, sed et certa ac divina : Deus enim jubens vel instigans ad sortem, hoc ipso promittit se sortem directurum, ut in eum vere cadat qui quæritur. Vide dicta *Jonæ* I, et *Actor.* I, in sorte Jonæ et Matthiæ, et *Prov.* XVI.

Vers. 16. 16. SURGENS ITAQUE JOSUE MANE APPLICUIT ISRAEL PER TRIBUS SUAS. — « Applicuit, » id est, admovit sorti, sive sortes eis dedit, idque coram Domino, id est, coram arca fœderis, quia Dei jussu fiebat hæc sortitio, et quia a Deo exspectabatur promissa sortis directio in eum, qui sacrilegii occulti commissi vere erat reus.

Vers. 19. 19. ET AIT JOSUE AD ACHAN : FILI MI, DA GLORIAM DOMINO DEO ISRAEL, — *q. d.* Da veritatis sive veracitatis honorem primæ et æternæ veritati, id est judicio divino sorte hac ostenso, confitendo scilicet rectum verumque esse hoc Dei de te judicium, teque vere esse sontem, nocentem et reum sacrilegii, ut tam nobis totique Israeli, quam tibi tuæque saluti æternæ per pœnitentiam et confessionem consulas et prosis : confitere ergo veritatem, quæ Deum minime latet, ac mihi Dei vices gerenti, teque juridice interroganti et constringenti indica quid feceris : sic enim si veritatem verumque tuum sacrilegium; quod latet, confitendo manifestaris, Deum glorificabis. Ostendes enim Deum vere te per sortem reum designasse, et ab eo facile veniam culpæ et pœnæ æternæ impetrabis. Ostendes pariter Deum vere esse justum et sanctum, ideoque sacrilegiorum et scelerum vindicem, æque ac fidelem in promissis : quæ omnia cedent in magnam Dei gloriam, facientque ut omnes eum metuant et revereantur. Confessio ergo rei glorificat Deum quem offendit. Audi S. Bernardum, epist. 113 *ad Virginem Sophiam* : « Ama, inquit, confessionem, si affectas decorem. Confessioni jungitur decor, jungitur pulchritudo. Confessionem et decorem induisti, *Psal.* CVIII, 2. Revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lavantur : si bona opera, confessione commendantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ et peccatorem purgat, et justum reddit purgatiorem. Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur, peccatoris est vita, justi gloria. » Audi et S. Augustinum in *Psalm.* XCIV : « Quare maxime pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua ? Quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua : tanto enim major est laus ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis. »

20. VERE EGO PECCAVI DOMINO (in Dominum, ejus mandatum de cavendo anathemate violando), ET SIC, ET SIC FECI, — enarrando ea quæ ex Jericho suffuratus erat, ut sequitur. Videtur ergo Achan pœnituisse, ac per pœnitentiam et satisfactionem lapidationis evasisse pœnam æternam, et ad salutem pervenisse : incendio enim corporali et temporali redemit æternum animæ incendium in gehenna, instar Ananiæ et Sapphiræ. *Actor.* V. Noluit enim se occultare, et incendium hoc effugere, sed ad illud animose se obtulit. Quare licet eum damnatum asserat Cassianus et Concilium Aquisgranense sub Pipino, salvatum tamen eum censent Rabbini, Cajetanus, Masius, Serarius, Magalianus et Abulensis, *Quæst.* LV, quem audi : « Non videtur, inquit, quod iste fuerit æternaliter damnatus, quia pro peccato suo condignam pœnam hic tulit; non ergo videbatur quod post mortem puniendus foret, potissime quia videtur de peccato suo doluisse Achan, et illud confessus est humiliter dicens : Vere ego peccavi Domino Deo Israel. » Dubitat tamen S. Augustinus, cujus verba citabo vers. 25. Vers. 20. Achan salvus.

Moraliter, disce hic quanta sit vis pœnitentiæ, de qua Tertullianus, lib. *De Pœnit.* cap. IX : « Tantum, ait, relevat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Satisfactione confessio disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi Vis pœnitentiæ.

hominis disciplina est conversationem injungens misericordiæ illicem. »

S. Ambrosius in *Psalm.* XXXVII : « Plurimum, ait, suffragatur reo verecunda confessio, et pœnam quam evitare non possumus, pudore sublevamus. »

S. Augustinus in *Psalm.* LXVI : « Ut nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic et confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus ut confiteamur peccata nostra, quod ea ipse scire non possit; sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat quod nobis ante tribunal Judicis æterni objiciat. Ideo vult ut magis defendere, quam accusare peccata nostra velimus. E contrario autem Deus noster, quia misericors est, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit; si nos agnoscimus, ille ignoscit. »

S. Chrysostomus, serm. *De Pœnit. et Conf.* : « In externis, ait, judiciis post confessionem confusio et pœna, in divino virtus, justitia, merces et absolutio; idcirco Psaltes suspirans istud ipsum, ne quis veritus pœnam post confessionem, neget peccata : Confitemini, ait, Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Et Pro-
Psal. CXVII. pheta : Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris,» *Psalm.* CXVII.

Origenes, hom. 2 *in Psalm.* XXXVII : « Sicut hi, inquit, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut copiam humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste imminentem, si vomuerint, relevantur : ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati : si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. » Sic Serapion confessione expiavit non tantum furtum suum, sed et furandi cupiditatem, uti narrat Cassianus, *Collation.* II, cap. XI.

Vers. 21. 21. VIDI ENIM INTER SPOLIA PALLIUM COCCINEUM.— Hebraice, *pallium Sennaar,* id est Babylonium. Babylon enim erat in terra Sennaar, *Genes.* X, 2. Ita Chaldæus, Masius, Cajetanus, Vatablus et alii. Noster et nonnulli Hebræi coccineum vel purpureum vertunt. Nam Persarum finitimarumque gentium luxum eo se ostentare solere vel ex eo constat, quod captis ab Alexandro Magno Susis, illic inventa fuerint decem millia pondo, sive talenta purpuræ Hermionicæ, teste Plutarcho in *Alexandro.* Josephus vocat chlamidem regiam, totam auro contextam. Vestis enim regum erat purpura.

REGULAMQUE AUREAM QUINQUAGINTA SICLORUM. — Hebraice, *linguam auream quinquaginta siclorum,* hoc est laminam auream, in linguæ formam fusam, vel extensam, quæ ponderabat et valebat ducentos aureos. Siclus enim aureus appendebat quatuor drachmas Atticas, hoc est quatuor aureos, sive dimidiam unciam auri; sicut siclus argenteus appendebat quatuor drachmas argenti, sive quatuor julios Romanos, vel quatuor regales Hispanicos. Quare siclus aureus valebat duodecim siclos argenteos, ut colligitur I *Paralip.* XXI, 25, collato cum II *Reg.* XXIV, 24. Nam aurum argenti esse duodecuplum, sive unam unciam auri valere duodecim uncias argenti docet Plato in *Hipparcho.* Ergo tota sacrilegii Achan materia quadringentorum aureorum non excedebat pretium, et tamen tantam Deo offensionem et iram, tantamque publicis rebus calamitatem attulit.

Porro quod noster Vilalpando in *Apparatu,* part. II, lib. II, disp. IV, cap. XXIII, opinatur, et multis contendit, regulam sive laminam hanc fuisse gladium idoli cujusdam, v. g. Martis, ideoque Deum tam acriter punivisse Achan eum suffurantem, conjectura est levibus et incertis subnixa indiciis.

Moraliter, disce hic quam cupida, avidaque et effrænis sit avaritia, adeoque quam Josue facilius fuerit sistere solem et lunam, quam cohibere avaritiam. Audi S. Ambrosium, lib. II *Offic.* cap. XXVI : « Jesus Nave, inquit, qui potuit solem sistere ne procederet, avaritiam hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem ejus sol stetit, avaritia non stetit. Sole itaque stante confecit Jesus triumphum, avaritia procedente pene amisit victoriam. »

CONTRA MEDIUM TABERNACULI MEI. — Hebraice, *in medio tabernaculi mei.*

23. PROJECERUNTQUE ANTE DOMINUM, — id est ante arcam et tabernaculum, quod erat quasi domus et solium Dei inter Hebræos habitantis. Ibi ergo projecerunt hæc sacrilegia, ut Domino redderentur, quæ Achan sacrilege abstulerat, sibique vindicarat. Vers. 23.

24. AD VALLEM ACHOR, — quæ scilicet paulo post dicta est « Achor, » id est turbationis, eo quod Achan turbator Israelis ibi e vita exturbatus sit, ut patet vers. ult. (1). Vers. 24.

25. QUIA TURBASTI NOS, EXTURBET (Hebraice *exturbabit*) TE DOMINUS, — e castris Israel, æque ac e vita, hoc est, te reum plectat, lapidet et comburat. Loquitur Josue ut judex sententiam in Achan reum et confessum pronuntians, non ut exitium imprecans. Unde videtur limitare eam ad mortem præsentis vitæ, ut vitet æternam in gehenna. Vers. 25.

LAPIDAVITQUE EUM OMNIS ISRAEL. — Quæres, quomodo Hebræi lapidarunt sacrilegum Achan, cum eum Deus vers. 15, jusserit igne comburi velut anathema? S. Augustinus hic, *Quæst.* IX, per ignem intelligit lapidationem, quod per illam velut ignem expiaretur omnis sacrilegii culpa. « Duæ, inquit, causæ mihi occurrunt, propter quarum alteram Josue non combussit hunc Achan.

(1) Hæc vallis in territorio Jericho erat supra viam ducentem ad Jerusalem.

Aut enim vere pœnituit, et ita dignus non erat igne gehennæ, idcirco nec igne voluit eum Jesus comburere; aut non pœnituit vere, et ita fuit æterno igne torquendus. Ideo illam pœnam ignis reservavit Josue Domino, et ipse aliam pœnam, scilicet lapidationem inflixit. »

Verum facilior et planior responsio est, Achan et lapidatum fuisse et combustum. Dum enim rogus ille jussu Dei struitur, incenditur, conscenditur, populus sceleri et scelesto indignans, ac placandi Numinis avidus, ut Achan quasi catharma et communem Israelis perniciem a se propelleret, a lapidibus manus continere non potuit, quin eum, ut sacrilegum et anathemati addictum, lapidarent : lapidatum deinde igni tradiderunt (licet noster Serarius censeat Achan prius vivum combustum, deinde cineres ejus lapidibus obrutos fuisse). Unde sequitur :

ET CUNCTA QUÆ ILLIUS ERANT, IGNE CONSUMPTA SUNT. — « Cuncta, » scilicet boves, oves, asini, tabernaculum, supellex, quin et filii et filiæ : hos omnes enim nominavit vers. 24. Unde patet cum Achan filios quoque et filias, adde et uxorem (licet id neget Abulensis) : hæc enim cum marito censetur una esse caro unaque persona (sic factum est uxoribus Core, Dathan et Abiron, *Num.* XVI, 27), fuisse combustos. Achan enim erat Israelis anathema, quod totum cum omnibus suis perimendum erat. Ita Abulensis hic, *Quæst.* LXVIII, licet ipse eos non igne, sed lapidibus obrutos putet.

Dices : Quo jure, peccante patre, cum eo plectuntur filii et filiæ? Nam Deus, *Ezech.* XVIII, sanxit : « Filius non portabit iniquitatem patris. » Respondeo, verisimile est filios et filias Achan grandiores furto paterno consensisse et cooperatos esse, abscondendo res ab eo furto sublatas ex cupiditate et avaritia. Ita Procopius. Si qui ejus filii et filiæ parvuli fuerunt et infantes, adeoque furto immunes et innocentes, hi tamen juste quoque a Deo cum patre nocente occidi jussi sunt, quia Deus est absolutus vitæ necisque omnium, etiam innocentum Dominus, atque ob culpam saltem originalem, mortis reatu et debito quandocumque et quomodocumque (id est, quocumque mortis genere) Deus volet, solvendo, omnes etiam infantes illi obstringuntur; sic igitur hic quoque Deus filios Achan paterni criminis non conscios pari cum patre pœna damnavit, ut eo gravior esset patris pœna, quo ipse ob suam culpam videbat infantes quoque suos secum plecti; ac ut tali supplicio, talique anathemate omnia castra metu Dei percellerentur, ne quis deinceps tale quid attentare auderet. Vide *Deuter.* XIII, 15, ubi jubetur urbs tota perimi, statuique anathema, ex qua egresssi sunt idololatræ dicentes et docentes : « Serviamus diis alienis. » Sic *Numer.* cap. XXXI, vers. 17, jubet Deus omnes Madianitas masculos, etiam parvulos interfici, eo quod ipsi Hebræos impulerint ad cultum Beelphegor. Sic II *Reg.* XXI, nepotes Saulis ob ejus scelus vivi fuere crucifixi.

Porro notat Abulensis, *Quæst.* XXXI, Deum nusquam jubere filios occidi ob culpam parentum post eorum necem, sed ipsis adhuc viventibus, ut scilicet parentes viventes filiorum cædem sentiant et doleant, itaque in filiis puniantur. « Solum, inquit Abulensis, puniuntur peccata patrum in filiis, eis viventibus; post mortem autem patrum quicquid accidat filiis, jam non est pro peccatis patrum, sed pro suis, quia pater non posset puniri in filiis post mortem, cum pœnam illorum non agnoscat, cum nesciat an nobiles, an ignobiles sint, ut dicitur *Job* cap. XIV, 21, de mortuo : « Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. »

Moraliter, disce hic quam grave et tetrum sit peccatum, quamque Dei oculos offendat, utpote quod morte etiam innocentum expiandum fuit, ac morte ignis : verisimile est enim eos omnes non prius strangulatos, sed vivos fuisse combustos.

Gravitas peccati. Audi S. Augustinum, *Quæst.* VIII, alta hic Dei judicia expendentem, et tres hujus supplicii causas assignantem. *Prima* est : « Non enim aliud, quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri; et tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis, et unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita. » Et nonnullis interjectis *secundam* causam assignat : « Simul etiam ostenditur quanta connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non in seipsis singuli, sed etiam tanquam partes in toto existimentur; per unius igitur peccatum, mortemque paucorum admonitus est populus universus, tanquam in corpore universo quærere quod amissum est. » *Tertiam* denique subjicit : « Simul etiam significatum est quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset, quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo possent cæteri esse securi. » Subdit deinde Augustinus id Josue, vel alteri homini judici non licere, sed soli Deo, « qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, liberare vel perdere; » sed tamen Deum post mortem neminem perdere ob patris, sed solum ob propriam ejus culpam.

Et sacrilegii. Moraliter, disce hic quam acriter Deus vindicare soleat sacrilegia. Sic Heliodorus templi pecuniam auferre satagens ab Angelis flagellatus, vix precibus Oniæ Pontificis mortem evasit, II *Machab.* III, 26. Lege horrendam Antiochi Epiphanis sacrilegi mortem, II *Machab.* cap. IX, vers. 5 et sequentibus.

Exempla sæculare. Leo Constantini Copronymi filius, religiosus quidem Imperator et pius ab initio; verum ubi coronam Ecclesiæ a Mauritio donatam gestasset,

carbunculi morbo percussus, ardenti febre tandem exstinctus est, teste Zonara, tom. III, et Glyca IV part. *Annal.*

Petrus Aragonum rex Tarraconensem Ecclesiam invadens, a S. Thecla ejus protectrice sibi apparente alapa percussus sensim extabuit, ac moriens facti pœnitens jussit Tarraconæ Episcopum in pristinas possessiones restitui. Ita habet Vita S. Theclæ, et Hieronymus Suritanus, lib. X *Annal.* cap. XXXIX.

Princeps Capuanus, direptor bonorum Ecclesiæ cœnobii montis Cassini, anno Domini 1078, cæcitate percussus fuit, uti narrat Leo Ostiensis, lib. III *Hist. montis Cassini*, cap. XLV.

Julianus avunculus Juliani Imperatoris Apostatæ, cum suis quæstoribus Felice et Elpidio inauditis morbis lethalibus ictus, ob direptum magnum Antiochæ templum miserrime interiit, uti narrat Nicephorus, lib. X, cap. XX.

Magis horrendum est quod ex B. Petro Damiano narrat Baronius, tom. XI, ad annum Christi 1055, comitem quemdam Germaniæ ob occupata et distracta bona Ecclesiastica, ad inferos cum hæredibus damnatum, ibi crepitantibus flammis exuri.

Religiosorum. Porro ejusdem anathematis et sacrilegii rei sunt Religiosi, qui contra votum paupertatis bona monasterio communia surripiunt, et sibi appropriant: Religioso enim proprium habere non licet, talesque ut anathemata exterminandi sunt. Sic S. Petrus Ananiam et Sapphiram, quod contra votum partem pretii ex agro vendito sibi retinuissent, morte punivit, *Actor.* V. Narrat S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustoch.*, monachum quemdam morientem reliquisse centum solidos, quos texendo lino acquisierat, quos Macarius, Pambo et Isidorus, cæterique seniores decreverunt infodiendos esse cum eodem, dicentes: « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » Unde tantus, inquit, cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* LV, narrat se, cum Abbas esset, Copiosum monachum, qui tres aureos occultaverat, morientem a nemine visitari, sed ab omnibus vitari jussisse, ac mortuum in sterquilinio sepeliri, eique ab omnibus declamari : Pecunia tua sit tecum in perditionem. » Auctor sermonum *ad Fratres in eremo* apud S. Augustinum, tom. X, *serm.* 5, jussit Januarium monachum, cum centum et undecim siclis, quos in cella absconderat, sepeliri, omnesque flendo ei intonare : « Pecunia tecum sit in perditionem. » Plura vide apud nostrum Jacobum Alvarez, tract. *De paupertate*, lib. V, part. I, cap. V.

Vers. 26. 26. CONGREGAVERUNT SUPER EUM ACERVUM MAGNUM LAPIDUM. — Alia est hæc lapidatio ab illa, de qua vers. 25; illa enim facta est vivo Achan, hæc mortuo : ut scilicet per eam acervus lapidum erigeretur, in perpetuum lapidationis prioris et vindicati sacrilegii monumentum.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue, metum fugamque simulans, Haienses ex urbe Hai ad se insequendum elicit; quibus egressis, a tergo latentes in insidiis in urbem civibus vacuam immittit. Quare in Haienses egressos conversus, eos trucidat, urbemque concremat, ac spolia inter suos dividit. Secundo, vers. 30, *fœdus populi cum Deo instaurat, ac benedictiones legis observatoribus promissas, et maledictiones ejus transgressoribus comminatas in montibus Garizim et Hebal proclamari jubet, juxta jussa Mosis,* Deut. XXVII.

1. Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas, neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hai, ecce tradidi in manu tua regem ejus, et populum, urbemque et terram. 2. Faciesque urbi Hai, et regi ejus, sicut fecisti Jericho, et regi illius; prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis : pone insidias urbi post eam. 3. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai; et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, 4. præcepitque eis dicens : Ponite insidias post civitatem; nec longius recedatis, et eritis omnes parati. 5. Ego autem, et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus et terga vertemus; 6. donec persequentes ab urbe longius protrahantur : putabunt enim nos fugere sicut prius. 7. Nobis ergo fugientibus et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem : tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. 8. Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis ut jussi. 9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter

Bethel et Hai, ad Occidentalem plagam urbis Hai : Josue autem nocte illa in medio mansit populi, 10. surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad Septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex Occidentali parte ejusdem civitatis : 13. omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis Occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio. 14. Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. 15. Josue vero et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam. 16. At illi vociferantes pariter et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, 17. et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes), 18. dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. 19. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ latebant, surrexerunt confestim ; et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam. 20. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere : præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. 21. Videnque Josue et omnis Israel quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai. 22. Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur, 23. regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. 24. Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem. 25. Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. 26. Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. 27. Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue. 28. Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum. 29. Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce ; projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. 30. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel, in monte Hebal. 31. Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi : altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit ; et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas. 32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel. 33. Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac judices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel. 34. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine. 35. Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis et advenis, qui inter eos morabantur.

Vers. 1. 1. TOLLE TECUM OMNEM MULTITUDINEM PUGNATORUM, — ut totis viribus adoriaris Hai, et inde reliquas Chananææ urbes, utque Hebræis priore suorum clade consternatis animos addas ; ne

putent se ob paucitatem fuisse cæsos, ac denique ut omnes prædæ et spoliorum Haiensium participes efficias.

Vers. 2. 2. FACIESQUE URBI HAI ET REGI EJUS, SICUT FECISTI JERICHO ET REGI ILLIUS, — ut omnes domos urbis comburas, et cives omnes occidas una cum rege, uti fecisti in Jericho.

Vers. 3. 3. ET ELECTA TRIGINTA MILLIA VIRORUM FORTIUM MISIT NOCTE.

Vers. 4. 4. PRÆCEPITQUE EIS DICENS : PONITE INSIDIAS POST CIVITATEM. — Dices : Vers. 12 dicitur Josue posuisse in insidiis quinque millia virorum duntaxat, quomodo ergo hic insidiis dantur triginta millia? Respondeo cum Abulensi, insidias hasce universim fuisse triginta millium, uti hic dicitur, sed ex iis deputata fuisse quinque millia duntaxat quæ, Haiensibus urbem egressis ad Hebræos persequendum, urbem a tergo ingrederentur, eamque succenderent : reliqua vero quinque et viginti millia ad hoc destinata fuisse, ut se cum Josue contra Haienses aperto jam marte pugnante lateraliter conjungerent, et ut insidiis quinque millium urbem invasuris, si illæ detegerentur, aut invaderentur, essent auxilio ; unde iis præcepit dicens :

NEC LONGIUS RECEDATIS, ET ERITIS OMNES PARATI, — ad insidias quinque millium, si invadantur, defendendum, vel si id non fiat, ad mecum contra Haienses pugnandum. Denique ut Haienses undique cingatis, et fugientes excipiatis et occidatis, ne quis effugiat.

Vers. 5. 5. CUMQUE EXIERINT CONTRA NOS, SICUT ANTE FECIMUS (revera fugiendo), FUGIEMUS ET TERGA VERTEMUS — fugam simulando.

Vers. 6. 6. DONEC PERSEQUENTES AB URBE LONGIUS PROTRAHANTUR. — Fuga ergo hæc materialis erat duntaxat, non formalis, uti fuerat prior ob stragem ab Haiensibus editam. « Fugiemus » ergo, hoc est, ut sequitur, « terga vertemus, » et retrorsum curremus, quasi territi, et cædi metuentes uti prius. Quare erat hic simulatio fugæ potius quam fuga. Estque hoc stratagema familiare militibus in præliis. Simulant enim fugam, ut hostem ex urbe extrahant, ac extractum cingant et cædant.

An simulatio fugæ sit mendacium? Quærit hic S. Augustinus an hæc simulatio sit licita? Videtur enim esse mendacium, quod semper est turpe et illicitum : sicut enim mendacium fit verbis, sic et factis, ac tum dicitur simulatio, quæ non est aliud quam mendacium in actionibus vitæ, scilicet cum quis per has intendit aliud significare quam interius in animo sentit, uti faciunt hypocritæ, qui simulant sanctitatem, ut alios decipiant, eorumque gratiam sibi concilient. Respondeo esse licitam, quia, ut recte notat Cajetanus, mendacium non tam facile committitur factis, quam verbis : verba enim proprie instituta sunt ad significandum mentis conceptus, non facta; unde verba determinatam et præcisam habent significationem, quæ si mentis conceptui adversetur, est mendacium ; facta autem latam et indeterminatam, imo dubiam et ambiguam sæpe habent significationem. Quare etiamsi videantur mentis conceptui adversari, revera tamen non adversantur, ac proinde nec continent mendacium, v. g. si Josue hic verbis dixisset Haiensibus : Nos metu vestri fugimus, quia timemus a vobis cædi, mentitus fuisset. Jam autem hoc non dixit verbis, sed factis hoc visus est dicere, sed revera non dixit. Fugit enim, hoc est retrocessit, non ut significaret se metuere Haienses, ideoque fugere, sed ut eos ex urbe eliceret ad se insequendum, ac insequentes cingeret et mactaret. Hoc enim vere intendebat, non aliud, et hoc vere significabat hæc materialis ejus fuga, id est retrocessio : non ergo mentiebatur, quia quod facto significabat, hoc corde intendebat. Sciebat tamen Haienses aliter suam hanc fugam interpretaturos, scilicet se fugere metu cædis, itaque decipiendos; sed hanc eorum deceptionem ipse facto suo non significavit, nec formaliter intendit, sed tantum fieri permisit ob suum commodum, ut scilicet eos ex se deceptos ipse caperet et occideret. Idem quotidie fit in præliis : unde communis militum hominumque est sensus in hujusmodi stratagematibus bellicis nil esse vitiosum, nullumque mendacium, sed ingeniosam industriam ad hostes superandum, parandamque victoriam. Quare talis fuga communi militum æstimatione non censetur esse fuga, sed simulatio fugæ, atque simulationem facto ipso præ se ferre et significare, non autem veram fugam. Nullum ergo in fuga hac est mendacium, quia ipsa ex communi hominum usu et æstimatione non fugam, sed simulationem fugæ duntaxat indicat et significat. Simulatam enim fugam aliter significare nequeunt milites, quam simulate fugiendo, quod dum faciunt, significant id quod in corde intendunt, ac proinde non mentiuntur, licet hostes putantes eos vere fugere, fallantur et decipiantur; sed id fit non ex significatione militum, sed ex suspicione et imprudenti temerarioque judicio hostium, cujus culpam et pœnam ipsi sibi imputent, non aliis. Celebre est Platonis dictum : « Hostes industria magis et arte vinci, quam viribus, » quorum alterum ducis est, alterum militum.

Audi Leonem Imperatorem in *Tacticis*, cap. XX, num. 185 : « Insidiæ omnes vehementiores habent impetus, quam cæteræ incursiones; eæ tamen quæ a tergo fiunt, longe vehementissimæ. Nam hujusmodi insidias aliquando si comparaveris, longe meliores efficacioresque videbis esse iis quæ a latere fiunt. » Et num. 8 : « Alia, inquit, inimicis dicito, alia ipse facito. Res graves atque secretas cum multis ne communices, sed paucis iisque fidelioribus amicis tuis. Ita enim hostes decipere sæpe necessarium esse diximus. » Et num. 53 : « Ad omnes vitæ partes, præterquam in bello, incallidum te esse præcipimus; ibi autem et in iis imperatoriis consiliis dolus

adjuvat, ubi hostes eo decepturus es. » Juxta illud :

Dolus, an virtus quis in hoste requirat ?

Ratio est, quod hic nulla injustitia intervenit, nec fides data hosti frangitur, sed solertia et prudentia militari res geritur, qua fit ut et hostibus belli consilia occultentur, ac victoria certior securiorque sit, et minori militum jactura comparetur. Quocirca Xenophon in *Hipparcho* : « Nihil, ait, in bello utilius dolis. » Antigonus rogatus quomodo essent hostes aggrediendi, dixit : « Aut dolo, aut vi; aut aperte, aut insidiis. » Lysander ait : « Si in prœliis leonina pellis sufficere non possit, induenda certe vulpina est. » Ammianus, lib. XVII, refert ex rege Sapore, « esse quosdam qui prosperos belli eventus, seu viribus, seu insidiis contigissent, maxime laudabant. » Agesilaus apud Plutarchum : « Hostes, dicebat, in bello fallere, non justum solummodo valdeque gloriosum, sed etiam suave et lucrosum esse. » Brasidas insignis dux, apud Thucydidem, lib. V, asserebat : « Illa belli furta pulcherrimam laudem habere, per quæ hostes maxime decipiuntur, et amici plurimum juvantur. » Generosior tamen est pugna et victoria, si aperto marte confligatur et hostis superetur. Unde cum Alexandro Magno dux quidam suaderet ut noctis occasione contra Darium uteretur : « Absit, ait, meum non est sufuratas quærere victorias. » In eadem sententia erat Virgilianus ille Turnus, *Æneidos* lib. IX, ubi detestatus veteres Græcorum insidias, et apertas Latinorum pugnas Trojanis comminatus, sic inculcat :

Tenebras et inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant : nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palam certum est igni circumdare muros.

Antiochus, illustrem victoriam de Galatis per insidias consecutus, illacrymavit dicens, ut habet Alciatus, *Emblem.* CXXIII :

Ut superasse juvat, sic superasse pudet.
Nemo, *inquit*, mentis altæ clanculum velit occidere hostem.

Vers. 9. 9. JOSUE MANSIT IN MEDIO POPULI. — Rex ergo sit in medio regni, quasi centrum in circulo, ut omnia circumcirca æque circumlustret, curet, dirigat, administret, sicut cor est in medio hominis, et sol in medio mundi. Vide Julium Frontonem libris quatuor quos scripsit *De Stratagematibus*; ac lib. II, cap. V, multa insidiarum exempla recenset. Accipe pauca e multis. Tomiris Scytharum regina Cyrum Persarum ducem æquo marte certantem, simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi repente converso agmine natura loci adjuta devicit.

Insidiarum exempla.

Ægyptii conflicturi acie in eis campis, quibus junctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commissoque prælio fugam simulantes, hostes in insidias sevocaverunt, qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhæserunt circumventique sunt.

Maharbal vinum infecit mandragora, quæ soporem infert; nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, et omni vino infecto, fugam simulavit : cumque Barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum avide merum hausissent et in modum defunctorum strati jacerent, reversus cepit eos ac trucidavit.

Annibal, cum sciret sua et Romanorum castra in eis locis esse quæ lignis deficiebantur, ex industria in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit : qua velut præda Romani potiti, in summis lignationis angustiis insalubribus se cibis onerarunt. Annibal, reducto nocte exercitu, securos eos et semicruda graves carne majorem in modum vexavit.

Alexander Macedo, cum hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his, quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, speciemque præberent totius exercitus : ipse per avias regiones circumducta manu, hostem superiore aggressus loco depulit.

Iapyges P. Licinio Proconsuli pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt, qui recepti, et in postrema acie collocati terga Romanorum cecíderunt.

Scipio Africanus cum adversa haberet bina hostium castra, Syphacis et Carthaginensium, statuit Syphacis, ubi multa alimenta erant, aggredi nocte ignemque injicere, ut ex ea re Numidas quidem ex suis castris trepidantes cæderet, Pœnos autem, quos certum erat ad succurrendum sociis præcursuros, insidiis dispositis exciperet. Utrumque ex sententia cessit. Hæc omnia hisce Josuanis insidiis sunt persimilia, ac ducum magnorum stratagemata.

10. RECENSUIT SOCIOS, — tum ut ex eis ordinaret aciem per centurias militum contra Haienses pugnaturas; tum ut ex inito numero postea constaret, num quis in pugna futura occubuisset, et quot illi forent; tum denique ut paucas militum turmas præmitteret, majorem vero partem exercitus longiuscule subsequi juberet; ne ab Haiensibus conspici posset. Si enim Haienses totum exercitum Hebræorum, qui erat sexcentorum millium, vidissent, consternati fuissent, nec ausi urbe egredi : jam autem videntes paucitatem eorum, qui præmittebantur, ausi fuere eos invadere, uti fecerant prius. Vers. 10.

12. QUINQUE AUTEM MILLIA VIROS ELEGERAT, ET POSUERAT IN INSIDIIS INTER BETHEL ET HAI. — Eo ordine et fine, quo dixi versu 3, scilicet ad urbem civibus egressis vacuatam invadendam et occupandam. Pro *Bethel* perperam Septuaginta habent *Bethaven*. Bethel enim legendum cum Hebræis, Chaldæis et Romanis, æque ac versu 9. Vers. 12.

13. OMNIS VERO RELIQUUS EXERCITUS AD AQUI- Vers. 13.

LONEM (urbis Hai) ACIEM DIRIGEBAT, ITA UT NOVISSIMI ILLIUS MULTITUDINIS OCCIDENTALEM PLAGAM URBIS ATTINGERENT. — Pro *novissimi* Hebraice est עקבי *icbe*, quod Chaldæus, Masius, Pagninus et Vatablus vertunt *insidias*. Radix enim עקב *ekeb*, significat calcaneum; inde עקב *akab* est supplantare, insidiari, decipere : unde Jacob idem est quod *supplantator*. Verum Noster, Septuaginta, Arias et alii melius vertunt *extremi*, vel *novissimi* : Hebraice enim עקב *ekeb*, quia significat calcaneum, quæ extrema hominis est pars, hinc significat rei extremum et novissimum. Sensus ergo est, *q. d.* Josue direxit aciem exercitus sui ad Aquilonarem urbis Hai partem, ita tamen ut ultimum agmen, sive novissimi, ad Occidentalem urbis partem, ubi latebant insidiæ, se dilatarent, ut scilicet insidiis se jungere, et si opus esset, auxilium ferre possent. Eodem ergo redit sensus, sive vertas *insidias*, sive vertas *novissimos*; insidiæ enim erant ad Occidentem, ibi pariter erant novissimi eo se dilatantes.

ABIIT ERGO JOSUE NOCTE ILLA (cum toto reliquo exercitu), ET STETIT IN VALLIS MEDIO. — Videtur hic versus pugnare cum versu 9, ubi dicitur : « Josue autem nocte illa mansit in medio populi. » Sed respondeo non pugnare. Est enim hic anacephalæosis, sive recapitulatio. Hic ergo fuit rei gestæ ordo : Josue noctu, præmissis insidiis, eas cum toto populo eadem (non sequenti, ut vult Masius) nocte subsecutus est ad dimidium vallis, quæ media erat inter ipsum et urbem Hai; sed ita ut major exercitus sui pars non ita foret conspicua, ac vel colle, vel fossis, curribus aut sylvis tegeretur, ne Haienses tantam multitudinem cernentes terrerentur, nec urbe egredi auderent. Mansit ergo Josue nocte illa in medio populi sive castrorum, sed sub finem noctis, puta summo mane, paucis secum delectis sociis versus urbem contendit, ut Haienses foras pelliceret. Quod ergo hic ait, « nocte illa, » intellige finiente, hoc est in aurora, sive summo mane in crepusculo. Haienses igitur videntes eum cum paucis, illico in eum ex urbe eruperunt, ac a multitudine Hebræorum sensim se aperiente circumventi, omnes ad unum cæsi sunt.

Discat hic dux belli a Josue esse vigil et matutinus, atque audiat Leonem Imperatorem in *Tacticis*, cap. II, num. 4 : « Sobrium autem et vigilantem esse decet, ut in maximo acierum apparatu animo quasi excubet. Nocte enim quando animus maxime requiescit Imperatoris, sæpe sententia versando mutatur, sæpe cogitando confirmatur. »

Vers. 14. 14. CONTRA DESERTUM, — id est contra aciem Josue, quæ veniebat ab Aquilonari urbis parte, ubi pariter erat desertum; vel, ut alii vertunt, locus campestris : utrumque enim significat Hebræum ערבה *araba*. Hebræi addunt למועד *lammoed*, id est, ad tempus constitutum, scilicet illa hora, quæ eruptioni a rege erat indicta.

15. JOSUE VERO ET OMNIS ISRAEL CESSERUNT LOCO SIMULANTES METUM, — id est fugam ex metu, quasi fingerent metuentes cædi ab Haiensibus, ut prius ab eis cæsi fuerant. Hebraice est ינגעו *innageu*, id est *percussi sunt*, hoc est, simularunt se percuti, vel ita se gesserunt ac si percuterentur et fugarentur. Sic enim Hebræi sua verba sæpe per videri vel apparere exponunt. Vers. 15.

16. AT ILLI VOCIFERANTES PARITER, ET SE MUTUO EXHORTANTES PERSECUTI SUNT EOS. — Fideliter Interpres reddit sensum, etsi non verbum verbo. Ad verbum enim Hebræum est, *et evocati vel exciti sunt omnis populus in civitate, persequendo eos*, *q. d.* Haienses urbe egressi, videntes Hebræos fugere, suo clamore exciverunt omnes qui in urbe manserunt, ad persequendum eos, ita ut nullus in urbe remaneret. Vers. 16.

17. ET NE UNUS QUIDEM IN URBE HAI ET BETHEL REMANSISSET. — Vide hic temeritatem et stoliditatem Haiensium, ortam ex præfidentia prioris victoriæ. Debuerant enim ad urbis tutelam aliquos relinquere, ac portas ejus claudere, ne per insidias Hebræi illam occuparent; sed excæcati a Deo volente eos tradere Hebræis, neutrum fecerunt. Vers. 17.

18. DIXIT DOMINUS AD JOSUE : LEVA CLYPEUM QUI IN MANU TUA EST CONTRA URBEM HAI. — Pro *clypeum*, Hebraice est כידון *kidon*, quod Josephus quoque, Symmachus et Theodotion vertunt *clypeum* Septuaginta vero, Chaldæa et recentiores vertunt *loricam*, vel *telum*, aut *hastam*, aut *vexillum*. Verisimile est Josue clypeum hasta in altum sustulisse; ut ab insidiis a tergo urbis a se dispositis conspici posset : illudque eis signum a Josue fuisse datum (licet Scriptura id non exprimat), quo admonerentur, urbem civibus egressis vacuam a tergo invadere. Vers. 18.

Erat *secundo*, hæc clypei a Josue elevatio, signum præsentis opis, virtutis et ultionis divinæ, sicut et elevatio manuum Mosis contra Amalec, dum Josue cum eo pugnaret; unde et altare a se in victoriam erectum vocavit : « Dominus exaltatio mea, » vel « Dominus vexillum meum, » *Exodi* XVII, 12 et sequentibus. Vide ibi dicta. Hinc clypeum eousque omnes in altum elevatum tenuit Josue, quousque omnes Haienses cæderentur, ut dicitur versu 26.

Porro S. Hieronymus (si tamen ipse est auctor) Quæst. *in libros Regum*, asserit locum hunc, in quo clypeum extulit Josue, esse aream illam, in qua arcam nutantem tangens tenensque Oza a Deo percussus occubuit, II *Reg.* VI. Unde I *Paral.* cap. XIII, vers. 9, vocatur arca *Chidon*.

Allegorice Origenes : Josue sive Jesus protendit manus versus Hai, id est mundum a dæmone vastatum, ac vastationi (hanc enim significat Hebraice Hai) et excidio ob scelera a Deo addictum, quando Jesus Christus manus suas cruci affixit, et affixas tenuit, donec omnis contra dæmonem et mundum victoria consummaretur. Elevatio clypei fuit signum Christi crucifixi.

Audi S. Augustinum, serm. 93 *De Temp.*, extensionem manuum Mosis contra Amalec (quod multo magis Josuanæ hic elevationi hastæ competit) extensioni manuum Christi in cruce contra diabolum allegorice adaptantem : « Advertite, fratres : Moyses manus quidem levat, non tamen extendit. Cui ergo servabatur ut manus extenderet, nisi Domino nostro Jesu Christo, qui extentus in cruce universum orbem complexurus, brachia pietatis expandit? Moyses ergo levavit manus ; et licet non expandit, tamen ista elevatione mysterium crucis ostendit. Videte, fratres, jam tunc per Sacramentum crucis superatas esse adversarias gentes. Et nos, fratres dilectissimi, si adjuvante Domino manus erigimus, diabolum superamus. In manibus opera debemus accipere : si ergo talia sunt opera tua ut illa possis in altum in conspectu Domini levare, potes etiam et tu in teipso adversarios tuos exstinguere. Quis bene manus levat, nisi qui per eleemosynam jugiter in cœlo thesaurizat? »

Porro apte clypeus in hasta repræsentat crucem Christi, quia crux nobis est clypeus et hasta : ipsa enim omnia arma tam defensiva quam offensiva subministrat. Ipsa enim est clypeus nobis ad repellendum omnes tentationes carnis et dæmonis. Ipsa est hasta ad carnem configendam et domandam.

Vers. 19. 19. SUCCENDERUNT EAM, — ignem injicientes in aliquas Haiensium domos, ut fumum excitarent, quod signum darent Josue et Hebræis a se captam jam esse urbem. Nam postea Josue rursum totam urbem jussit cremari, vers. 28.

Vers. 20. 20. VIDENTES FUMUM URBIS AD COELUM USQUE CONSCENDERE. — « Ad cœlum, » id est altissime. Est hyperbole. Sic Poeta ait :

It clamor cœlo.

Et :

Aurea femineus perstringit sidera clamor.

NON POTUERUNT ULTRA HUC ILLUCQUE DIFFUGERE. — Habebant enim a tergo urbem suam Hai jam ab hoste incensam, a sinistra altera insidiarum triginta millium partem, a fronte vero et a dextera totum reliquum Israelitarum exercitum, qui ab ortu ad meridiem se distendentes fugam paulo ante simularunt; jam vero conversi eos invadentes, undique cingebant, quod fuit consilium Josue, ut nemo hostium evaderet.

Hebræa habent, *non erant eis ad fugiendum* יָדַיִם *iadaim*, id est *manus*, id est *locus* : ita Masius et Pagninus; vel *facultas* : ita Chaldæus et Vatablus. Utrumque enim significat *iadaim*, scilicet et locum, et vires sive facultatem.

Vers. 27. 27. PRÆDAM CIVITATIS DIVISERUNT SIBI FILII ISRAEL. — In Jericho præda omnis fuit combusta, quia Deus eam statuerat anathema ad terrorem cæterarum urbium. In Hai vero Deus prædam dedit Hebræis, ut eos pauperes ditaret et animaret ad secutura prælia.

Vers. 28. 28. QUI SUCCENDIT URBEM, ET FECIT EAM TUMULUM SEMPITERNUM, — Hebraice, *excussit Josue Hai, redegitque eam in acervum perpetuum, et in desolationem usque ad diem hanc*; Chaldaice, *fecit eam cumulum desolatum in perpetuum ad vastitatem.* Pro *sempiternum* Hebraice est עוֹלָם *olam*, quæ vox sæpe non æternum nec perpetuum significat, sed longum tempus, quod tamen insigni quapiam rerum conversione interrumpatur. Sic Hai hic juxta nomen suum a Josue vastata et vasta, rursum post mille annos ædificata et habitata fuit tempore Esdræ et Nehemiæ, cap. XI, vers. 31, quando videlicet nova post captivitatem Babylonicam videbatur esse ætas, novumque sæculum.

In Hai ergo impletum fuit illud *Isaiæ* XXIV, 10 : « Attrita est civitas vanitatis, deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. » Vide ibi dicta.

Vers. 29. 29. REGEM QUOQUE EJUS SUSPENDIT IN PATIBULO. — Septuaginta; *in ligno gemino*. In cruce enim et patibulo duo sint ligna oportet, unum erectum, alterum transversum, sive instar crucis, sive instar litteræ Græcæ Γ, aut Hebrææ ד, quod Origenes hic, *homil.* 8, allegorice de Christi cruce interpretatur. Christi crux, ait, gemina fuit, hoc est gemina et duplici ratione constat : quia visibiliter in cruce crucifixus est Christus, invisibiliter vero ipse diabolus, juxta illud *Coloss.* II : « Chirographum quod erat nobis contrarium, tulit illud de medio affigens cruci suæ, exuens principatus et potestates traduxit, libere eas triumphans in ligno crucis. » Sic enim habet Græcus, pro quo Latini habent « in semetipso. » Crux ergo fuit trophæum diaboli, in qua ipse crucifixus est et triumphatus. Hinc aiebat Paulus : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Galat.* VI. Nos enim mundo crucifigimur tunc, cum veniens princeps mundi in nobis non invenit quidquam; et nobis mundus crucifigitur, cum peccati concupiscentias non recipimus. Huc usque Origenes.

Porro Josephus more suo hæc omnia narrat ad pompam, ut gratiora sint auribus Vespasiani et Romanorum, utque apud eos famæ et honori gentis suæ, puta Judæorum, consulat. Unde plura habet S. Scripturæ dissona, imo contraria, ut quod ait, Hebræos cepisse et servasse parvulos, feminas et servos urbis Hai, cum diserte Scriptura, cap. VIII, vers. 25, asserat omnes ejus incolas a viro ad mulierem fuisse occisos.

Vers. 30. 30. TUNC ÆDIFICAVIT JOSUE ALTARE DOMINO DEO ISRAEL IN MONTE HEBAL. — « Tunc, » scilicet sub illud tempus, quo devicta Jericho et Hai secure poterat Josue eum Hebræis pergere in Sichem, ad montes Garizim et Hebal, ut eum jam terra a Deo promissa potirentur, confirmarent fœdus olim cum Mose initum cum Deo in monte Sina, idque in eodem loco, in quo patriarcha Abraham, cum

primum relicta Chaldæa terra sua, vocante Deo, Chananæam esset ingressus, altare Deo erexerat, *Genes.* cap. XII, vers. 7. Vide dicta *Levit.* capit. XI, vers. 30. Porro hos montes Garizim et Hebal sitos esse juxta Sichem, non juxta Jericho, ut vult Eusebius sive Hieronymus in *Locis Hebraicis*, diserte docet Josephus, lib. IV *Antiq.* cap. ult., S. Hieronymus in *Epitaph. S. Paulæ*, Adrichomius et alii.

Vers. 33. 33. ET PRIMUM BENEDIXIT. — Clare Noster sejungit ac dividit, quæ in Hebræo commiscentur hoc modo : *Sicut præcepit Dominus Mosi ad benedicendum populum Israel.* Subaudi, sic fecit Josue juxta formam benedicendi a Deo præscriptam, *Numer.* VI.

34. POST HÆC LEGIT, — hoc est, legi jussit a Levitis. Ita enim præceperat Deus per Mosen, *Deut.* cap. XXVII, ubi totum hunc ritum benedicendi et maledicendi explicui; quare hic ea non repetam. Vers. 34.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gabaonitæ, simulantes se exteros et remotos, pacem a Josue et Hebræis dolose impetrant. Quare incaute eis jurantes Hebræi, dolo licet cognito, parcunt; sed ob fraudem lignationi et aquationi eos addicunt.

1. Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Jebusæus, 2. congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo eademque sententia. 3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue, Jericho et Hai, 4. et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, 5. calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis : panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frusta comminuti; 6. perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israeli : De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt : 7. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. 8. At illi ad Josue : Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait : Quinam estis vos? et unde venistis? 9. Responderunt : De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, 10. et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth : 11. dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ : Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite : Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum. 12. En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti; 13. utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt et soluti; vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumpta. 14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. 15. Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur : principes quoque multitudinis juraverunt eis. 16. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. 17. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim. 18. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. 19. Qui responderunt eis : Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere. 20. Sed

hoc faciemus eis : Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus ; 21. sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus, 22. vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis : Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis ? 23. Itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. 24. Qui responderunt : Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. 25. Nunc autem in manu tua sumus : quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. 26. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur. 27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

Vers. 1. 1. QUIBUS AUDITIS. — Refert ad stragem ab Hebræis editam in Jericho et Hai, non ad fœdus in Hebal cum Deo initum, quod proxime præcessit : illud enim obiter tantum inseritur ; nam posterius contigit post expugnatas urbes intermedias, ut secure omnes pergere possent in Sichem et Hebal, uti jam dixi.

LITTORE MAGNI MARIS, — puta maris Mediterranei, quod erat magnum respectu maris Galilææ et maris Mortui, quorum utrumque est in Judæa. Porro juxta mare Mediterraneum habitabant Tyrii, Sidonii aliique Phœnices, qui gente et genere erant Chananæi, item Philistini, qui Chananæis expulsis eorum urbes occuparant. Quare hi omnes (eorumque regiones) traditi erant Hebræis, etsi sua ignavia eas reipsa non occuparint.

Vers. 3. 3. AT HI QUI HABITABANT IN GABAON. — Gabaon urbs erat magna et potens, habebatque incolas robustissimos, ut dicitur cap. x, 2 ; distabat a Jerusalem itinere duarum circiter horarum versus Occidentem, sita erat in tribu Benjamin in monte : unde dicta Gabaon, id est mons vel collis. Audi Adrichomium in *Descript. terræ sanctæ,* pag. 17 : « Gabaon metropolis olim et regia urbs Hevæorum, qui orti ab Hevæo filio Chanaan, distat ab Jerusalem stadiis plus minus quinquaginta, in monte Silo sita, ut auctor est Brochartus. Unde et ibi dicitur fuisse excelsum maximum. Habuit sub se civitates Caphira, Beroth et Cariathiarim : post vero attributa est filiis Aaron Levitis. Nunc vero, ait Hieronymus, ostenditur villa eodem nomine in quarto milliario Bethelis contra Orientalem plagam, juxta Rama et Remmon, ubi Salomon obtulit victimas. Hujus incolæ Gabaonitæ induti vestibus tritis, et vetustatem præ se ferentibus, in dolo supplices ad Josue venerunt in Galgala, et callide fœdus inierunt : deprehensa fraude in aquarios et lignarios templi perpetuo mancipati sunt, dicti Nathinæi, id est dati vel donati ad serviendum templo ; quos cum Saul postea delere voluisset, ob hoc tota terra tribus annis fame afflicta est. Hic Salomon in tabernaculo Moysi (erat quippe hic tabernaculum, I *Paral.* XVI, 21, et II *Paral.* I), immolatis super altare æneum mille hostiis, sapientiam a Deo petiit et obtinuit, » III *Reg.* III, 9.

Vers. 4. 4. ET CALLIDE COGITANTES. — Hebraice, *fecerunt etiam ipsi in calliditate,* vel astutia astutaque prudentia, videlicet callide et prudenter cogitantes quomodo sibi prospicerent, uti faciebant alii Amorrhæi : sed hi belli inibant consilia, unde victi cæsique sunt ; at Gabaonitæ prudentiores, simulatione remotioris habitationis, vitam ab Hebræis petierunt et impetrarunt. Videbant enim se, licet bellicosos et fortissimos, Deo pro Hebræis pugnante, resistere non posse. Quare hac in re non peccarunt, sed pie et prudenter egerunt. Videbant enim se excidium evadere non posse, nisi per hanc simulationem supplices fierent Hebræis, in qua licet mendacia nonnulla miscuerint, tamen bona fide putarunt in articulo tantæ necessitatis licitum esse mentiri, quod olim putavit Plato, Cassianus aliique viri sapientes.

TULERUNT SIBI CIBARIA. — Sic quoque vertit Chaldæus, quin et Septuaginta, si apud eos, uti ex Syro vult Masius, legatur ἐπισίτισαντο, non autem ἐπεστήσαντο, id est *instituerunt,* uti legunt Complutenses : sic et Hebræa, si pro ר legatur affine ד, scilicet יצטידו *iitstaiadu,* pro יצטירו *iitstaiaru.* Radix enim צידה *tseda* significat victum vel annonam. Masius vero, Cajetanus cæterique recentiores, quia per ר legunt *hitstaiaru,* hinc vertunt *legatos egerunt,* vel *legatos se simularunt ;* ציר *tsir* enim significat legatum, inde in Hitpael התצטיר *hitstaier* significat legatum agere vel simulare. Ita Marinus in *Lexico.*

SACCOS (cibariis aliisque rebus ad iter necessariis plenos) VETERES ASINIS IMPONENTES. — Ita legendum cum Hebræo, Chaldæo, Romanis et cæteris. Irrepsit ergo mendum in Septuaginta, qui pro ὄνων, id est asinis, habent ὤμων, id est humeris.

Vers. 5. 5. QUÆ AD INDICIUM VETUSTATIS PITTACIIS CONSUTA ERANT. — « Pittaciis, » id est variis frustis resarta. Hebræum enim טלאו *talu* significat varium vellus diversis particulis consutum, quod S. Franciscus

dicere solebat, vestes et calceos rappeciatos paupertatis esse indices, ideoque eos suis asseclis commendabat. Hinc Masius vertit, *quorum sola frustis suppacta erant.*

PANES QUOQUE; etc., DURI ERANT, ET IN FRUSTA COMMINUTI. — Hebr. vocantur panes נִקֻּדִּים *nickudim,* id est *punctorum,* scilicet qui præ ariditate in frusta et micas, ceu puncta comminuerentur, aut comminui facile possent. Unde Arias vertit, *panes punctatos;* Vatablus, *mucidos;* Septuaginta, *situ obsitos et corrosos;* Masius, *mucore maculosos:* mucidus enim habet mucoris maculas quasi puncta; Chaldæus, *crustulas;* alii, *adustos,* a rad. *iacad,* id est urere.

Vers. 6. 6. PERREXERUNTQUE AD JOSUE, QUI TUNC MORABATUR IN CASTRIS GALGALÆ. — Verisimile est enim Josue post eversam Jerichuntem et Hai, rediisse ad prima castra in Galgalis, ideoque in Galgalis fixisse et munivisse castra contra incursus Chananæorum. Galgala enim erat juxta Jordanem, trans quem morabantur in urbibus munitis tribus Gad, Ruben et dimidia Manasse, quas ad se evocare, vel ad eorum urbes se recipere poterat, si a Chananæis premeretur. Quare ex Galgalis processit ad expugnationem Jerichuntis, Hai et cæterarum urbium, relictis impedimentis et imbelli turba in Galgalis, utpote loco et natura et arte munitissimo, præsertim ob viciniam Jordanis, atque expugnatis eversisque urbibus redibat ad castra in Galgalis, ibique manebat donec Dei monitu in alias expeditiones evocaretur, ut colligitur ex cap. X, 7, 43; XIV, 6.

Modus figendi castra. Audi Leonem Imperatorem de loco castrorum præcepta suis ducibus dantem in *Tacticis,* sive de ordinanda acie cap. XI, num. 1 : « Aplicta igitur, sive fossatum (nam aplictum proprie fossatum totius exercitus est) valide quantum potes munies. Si in locis spatiosis laxisque commode castra ponere potueris, ita facias : sin minus, non negligenter, sed sedulo, firmiter et dense castra pones; illa autem loca imprimis fugies, quæ aliquid prope celsius ac eminentius habent, ne illud inimici noctu et confertim anticipantes, multa mala vobis ex eo loco inferant. » Et cap. XX, num. 27: « Castra munire semper tutum est, et amicitiæ pacisque tempore. Si prope hostes fueris, fossatum circumducito vel ex lapidibus, vel ex lateribus circumvallatum, et ita castra tua in tuto ponas. Si enim aliquid adversum contingat, minus imperatorium erit dicere aliquando : Non putaram.» Idem præceptum dat Vegetius, Ælianus, Cyllenius, Lipsius, Valtrinus et alii, qui de re militari scripserunt. Subjungit Leo non expedire ut castra diu eodem loco consistant, ob sordes et immunditias, quæ a singulis quotidie in loco arcto egeruntur, ideoque aerem inficiunt, ac morbos et pestem generant, uti in Italia et alibi experti sumus, et in dies experimur, per adventum exterorum pestem invehentium.

DE TERRA LONGINQUA VENIMUS. — Mentiuntur, sed id sibi licitum putant ad salvandam suam suorumque vitam; et licet mendacium hoc mox ab Hebræis deprehendendum scirent, tamen ob religionem juramenti quod extorserunt, sibi parcendum sperabant.

7. NE FORTE IN TERRA QUÆ NOBIS SORTE DEBETUR, HABITETIS. — Hebraice tantum est, *forte in medio mei* (id est, terræ meæ, mihi scilicet a Deo promissæ, et inter nos sorte dividendæ) *tu habitas.* Tangunt rei punctum et veritatem, *q. d.* Si terra vestra nobis a Deo promissa est, nolumus eam a vobis occupari et nobis adimi. Unde Deus vetuerat Hebræis ne cum incolis Chananææ fœdus inirent, sed omnes mactarent. *Deuter.* VII, 2; *Exodi* XXXIV, 12, et alibi. Vers. 7.

8. AT ILLI AD JOSUE : SERVI, INQUIUNT, TUI SUMUS. — Dicunt hoc non tantum per aulicismum, uti aulici dicere solent sibi invicem : Servus tuus sum; sed vere et sincere. Sciebant enim sibi ab Hebræis parcitum non iri, nisi eis se subjicerent et servos efficerent. Cupiebant ergo servitute vitam redimere. Unde et Josue mortem naturalem eis in civilem, id est, in servitutem convertit. Ita Serarius et alii. Id magis patebit ex eorum dictis vers. 9 et sequentibus. Vers. 8.

9. RESPONDERUNT. — Hebraice, *et dixerunt filii Israel,* id est, quisque Israelita, *ad Hevæum* (Gabaonitæ ergo erant Hevæi) : *Forsitan in medio mei tu sedes* (habitas), *et quomodo feriam tecum fœdus?* Hoc enim vetuerat Deus, *Deut.* VII, 2. Vers. 9.

DE TERRA LONGINQUA VALDE VENERUNT SERVI TUI IN NOMINE DOMINI DEI TUI. — Hebraice, *ad nomen Domini Dei tui,* hoc est, exciti fama potentiæ et prodigiorum Dei tui, quibus ipse in deserto Og et Sehon reges, vestros hostes, percussit. Tacent excidium Jerichuntis et Hai, quia illud novum et recens erat, nec poterat ad longinquos (quales se fingunt) tam cito pervolare. Vide hic eorum astutiam artemque fallendi. Unde nonnulli censent a *Gabaon* et *Gabaonitæ* derivatum Italicum *gabare* et *gabatore,* id est, decipere et deceptor. Hinc patet Gabaonitas, metu potentis Dei vindictæ in hostes Hebræorum exercitæ perculsos, ejus majestatem, potentiam et divinitatem agnovisse, ac in eum ut solum Deum verum credidisse, vel ut in eum credant eamque colant, promptos et paratos se offerre : ideoque Deus eos præ cæteris Chananæis in sua idololatria obstinatis servavit, ac Josue et Hebræos impulit ut eis parcerent, proselytos facerent et suæ Ecclesiæ unirent. Aiunt ergo : « Venimus in nomine Domini, » Hebraice, *ad nomen Domini, q. d.* Venimus excitati per nomen et famam gestorum admirandorum Dei tui, ut vobiscum in eamdem societatem conjungamur. Ita S. Augustinus, Lyranus, Cajetanus, Arias. Alibi venire in nomine Domini est venire Dei ope, potentia et virtute, ut *Psal.* CXVII : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Et *Joan.* XVII : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, » id est, virtute tua. « Cum essem cum eis, ego servabam eos in

nomine tuo, » id est virtute a te mihi data; sed ambulare in nomine Domini, est eum colere, invocare, et in eum sperare, ac rem quampiam aggredi.

Vers. 14. 14. SUSCEPERUNT IGITUR DE CIBARIIS EORUM,— non ut ex eis ederent: habebant enim recentes ex frugibus terræ panes; sed vel in symbolum amicitiæ et fœderis, ut volunt Lyranus, Arias, Vatablus et Cajetanus: cibos enim accipere, et prægustatos ab aliis degustare, antiquum et vulgatissimum fuit mutuæ communicationis, fidei, amicitiæ, hospitalitatis symbolum apud omnes olim nationes, et hodie quoque ab Orientalibus, æque ac ab Hibernis observatur; vel, ut Masius, explorandi causa, ut nimirum explorarent an vera dicerent, an scilicet vere panes essent vetustate aridi et mucidi, ut ipsi asserebant. Opponit enim hoc ei quod sequitur:

ET OS DOMINI NON INTERROGARUNT, — *q. d.* Veracitatem legatorum ac longinquitatem explorarunt suis oculis et manibus, non autem consulendo Dominum per pontificem Rationali, in quo erant Urim et Tummim, induto. Vide dicta *Exodi* XXVIII, 30; adeoque errarunt et decepti fuere. Fuit ergo hic aliquod Hebræorum peccatum, *primo*, inconsiderationis, quod cum Deum haberent præsentem, dirigentem et respondentem, eum in re tam gravi non consuluerint; *secundo*, temeritatis et præcipitationis, quod tam cito cum peregrinis et incognitis, imo de mendacio suspectis fœdus inierint, illudque juramento firmarint, nec prius rem tantam magis examinarint, an quis dolus in ea lateret, uti vere latebat; sed Deus id permisit, lumenque suum eis subduxit, ut Gabaonitas jam se agnoscentes et metuentes tam in vita, quam in sui agnitione metuque et cultu servaret et promoveret. Quocirca Leo Imperator suo belli duci ita præcipit in *Tacticis*, cap. XX, num. 9: « Tarde ac circumspecte deliberare, et ea quæ deliberata constitutaque sunt aliqua cunctatione aut formidine non rejicere, necessarium cum primis est: timor enim non solum tuta res non est, sed etiam rebus bonis inventis adversissima est. »

Moraliter, disce hic in rebus dubiis et arduis Deum consulere, ejusque lumen implorare, ac viros doctos et religiosos, præsertim Confessarios ac Superiores, qui locum Dei tenent, adire et audire. Si sapis ergo, nil magnum inchoato, nisi prius Deo consulto et propitiato. Ita Judas Machabæus semper ante prælium legitur Deum invocasse, ideoque ejus ope tot tantasque victorias obtinuisse excepto ultimo prælio, in quo non legitur orasse, ideoque licet fortiter pugnans, occubuit.

Vers. 15. 15. FECITQUE JOSUE CUM EIS PACEM, ET INITO FOEDERE POLLICITUS EST QUOD NON OCCIDERENTUR,—Hebraice, *ad vivificandum eos*, id est quod vitam eis conservaret, nec eos occideret. Hic enim erat finis pacis et fœderis a Gabaonitis expetiti. Audi S. Ambrosium lib. III *De Officiis*: Josue, inquit, quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognovit fraudes eorum; neque Dominum interrogavit, sed cito credidit. Adeo sancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos posse non videretur: quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit ignorant. Libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere quod non sunt.

Fœdus cum Gabaonitis licitum.

Quæres, an Josue licite potuerit fœdus inire cum Gabaonitis, eisque vitam dare, cum Deus vetuisset Hebræis fœdus cum Chananæis (quales erant Gabaonitæ) inire, jussissetque eos omnes occidi? *Exodi* XXII, 32. Respondeo, licite potuisse Josue fœdus cum eis inire positis duabus conditionibus. Prior erat, ut Gabaonitæ suas urbes, agros et ditiones cederent Hebræis: ipsis enim a Deo datæ erant; ac proinde eis se ut servos subjicerent. Posterior, ut fierent proselyti, ac relictis idolis suis, fidem cultumque veri Dei susciperent, itaque in unam cum Hebræis Ecclesiam ac Rempublicam transirent. Causa enim cur Deus eos jusserat occidi, erat quod ipsi essent idololatræ et scelerati, ac periculum erat ne Hebræos ad sua idola et scelera pertraherent. Hanc enim causam dat Deus, *Exodi* XXIII, 32 et 33, et *Deut.* VII, 4. Hoc autem periculo cessante permittebat Deus ut eis parceretur et vita condonaretur; utrumque autem præstitere Gabaonitæ: nam et servos se obtulere Hebræis, et eorum Deum agnovere, paratosque se obtulere ad ejus religionem capessendam; ergo Josue eis parcere poterat. Id ita esse patet *primo*, quia simili modo Hebræi dedere fidem Rahab Chananææ, quod ipsam omnesque ejus cognatos et affines servarent, ac fidem datam præstiterunt, quia scilicet Rahab cum suis se subjecerat Hebræis, ac parata erat fidem et religionem eorum capessere. Cur non simili modo poterat Josue vitam condonare Gabaonitis?

Prob. I.

Secundo, quia Josue de facto pepercit Gabaonitis, postquam dolo eorum detecto cognovit eos esse Chananæos, voluitque fidem eis datam et juratam servari. Hoc autem facere non potuisset, si hoc fœdus fuisset illicitum et a Deo vetitum. Nulla enim promissio, etiam jurata rata est et valida, quæ Deo Deique legi et jussui adversatur. Nemo enim potest se obligare aut promittere se legem Dei violaturum, vel contra eam facturum.

II.

Tertio, quia Deus severe punivit posteros Saul, eosque jussit crucifigi, II *Reg.* XXI, 1 et seq., eo quod Saul Gabaonitas contra fidem a Josue datam occidisset. Voluit ergo Deus fidem eis datam esse ratam, ac sancte servari.

III.

Quarto, quia Deus, *Deuter.* XX, 10, jubet Hebræis ut hostibus offerant pacem, ac si eam acceptent, cum eis fœdus ineant. Sub his autem etiam Chananæos comprehendi censent Interpretes. Nam quod Deus ibidem vers. 15 et 18, differentiam facit inter Chananæos prope, et alias gentes longinque

IV.

habitantes, in eo tantum facere videtur, quod velit Chananæos omnes omnino occidi, ne Hebræos ad idola sua pertrahant, in cæteris autem Gentibus velit parci mulieribus et infantibus. Magis idipsum patebit ex dicendis vers. 19.

Vers. 17. 17. GABAON, ET CAPHIRA, ET BEROTH, ET CARIATHIARIM. — Videntur illis Chananæorum urbibus nomina indita variis de causis, petitis a loci situ, natura et ingenio, item a commodis et incommodis, quæ illis certæ res vicinæ afferebant. Sic Gabaon Chananæum vocabulum *culmen* significat, quia urbs hæc sita erat in monte; Caphira significat *leunculum*, quia fortes instar leonum habebat incolas; Beroth significat *puteos*, qui ibi erant excellentes et copiosi; Cariathiarim idem est quod *urbs sylvarum*, ob earum ibidem copiam. Ita Arias. Proprie Gabaon idem est quod collis iniquitatis et doloris, ait S. Hieronymus in *Nomin. Hebr.*, quia Gabaon ante Josue erat urbs scelerata, ideoque doloribus plena, donec eam servavit et salvavit Jesus.

Vers. 19. An juramentum obligavit? 19. JURAVIMUS ILLIS IN NOMINE (per nomen) DOMINI DEI ISRAEL, ET IDCIRCO NON POSSUMUS EOS CONTINGERE. — Quæritur, an juramentum hoc Principum datum Gabaonitis de vita eis servanda, illos obligavit ad fidem, quam eis dederant, præstandam? Obligasse negant Abulensis, Masius, Arias, Magalianus, Serarius et S. Augustinus hic, *Quæst.* XIII.

Negant nonnulli. Ratio est *prima*, quia hoc fœdus et juramentum fraude et dolo Gabaonitarum fuit extortum; *secunda*, quia in eo intervenit error personæ: putabant enim Josue et Principes se non cum vicinis Chananæis, sed extraneis et remotis, puta Arabibus vel Syris, quales se mentiebantur Gabaonitæ, fœdus inire et jurare, iisque tantum se obligare intendebant. Juramentum enim, ut docent Sylvester, Lessius et cæteri, sequitur naturam sui actus vel contractus, atque intelligi debet secundum conditiones et restrictiones, quæ in tali actu vel contractu intelliguntur. Hic autem intelligitur illa conditio: « Si non estis Chananæi. » Quare cum Gabaonitæ essent Chananæi, Hebræi intendebant quod cum illis nollent pacisci, nec fœdus inire, ac consequenter illis juramento se non obligare. *Tertia*, quia ipsum factum erat contra legem Dei, jubentem omnes omnino Chananæos deleri, *Num.* XXIII, 52; *Deut.* XX, 16. Putarunt tamen Principes se hoc juramento obligari: ex quo errore colligas quanta ea ætate fuerit nominis divini reverentia et religio: permisitque Deus, quem consulere neglexerant, eos errare, ut inde Gabaonitarum salutem eliceret, in eosque suam clementiam ostenderet. Fuerunt tamen obligati Israelitæ renovata pactione, quia fraudem paulo post cognoscentes, prius pactum fidemque eis datam ratam habuerunt, ad hoc Deo eos impellente; nam Deo placuisse ut illis pacem ultro petentibus parceretur, fidesque data servaretur, connivendo in lege mortis contra Chananæos lata, patet ex eo quod fœdus hoc a Saule violatum gravissime Deus sit ultus, II *Regum*, cap. XXI, vers. 1. Hæc sententia est probabilis.

Melius alii affirmant. Probabilior tamen est contraria, scilicet hoc fœdus et juramentum obligasse Josue ac Hebræos ad fidem, et vitam Gabaonitis datam præstandam, uti censent Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. X; Gratianus, lib. XXII, *Quæst.* IV, cap. finali, ac fuse solideque Suarez, lib. II *De Juramento*, cap. XVIII, qui citat S. Thomam, Bonaventuram, Richardum. Ratio est:

Prob. I. *Prima*, quia Deus permiserat, imo quasi jusserat parci Chananæis, si ipsi pacem peterent, ac suas urbes cederent Hebræis, eorumque religionem capesserent, uti ostendi vers. 15. Omnia autem hæc præstitere Gabaonitæ. Ergo poterat, imo ex charitate debebat eis parci, fœdusque cum eis iniri. Idipsum satis significat Scriptura, cap. XI, 19, ubi ait: « Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent sicut præceperat Dominus Moysi, » *q. d.* Ideo jussit Deus deleri Chananæos, quia ipsi obstinate restiterunt Hebræis; quia vero id non fecere Gabaonitæ, qui erant Hevæi, sed pacem petierunt, idcirco illam eis dari voluit Deus.

II. *Secunda*, quia dolus hic Gabaonitarum non erat circa substantiam rei, aut circa id quod juramentum requirebat ut esset validum, sed circa accidens duntaxat, scilicet circa proximitatem vel longinquitatem habitationis eorum; ergo non vitiabat, nec irritabat juramentum, nec fœdus juratum. Fuisset circa substantiam, si ipsi voluissent suas urbes suamque idololatriam retinere, itaque fœdus inire cum Hebræis: hoc enim erat a Deo vetitum, ideoque Hebræi nullo ad hoc juramento se obligare poterant; jam autem, cum offerant sua prædia Hebræis et eorum religionem cupiant amplecti, substantiam fœderis a Deo permissi, imo jussi præstant: nec dolus illam violat aut elidit. Quare non fuit hic error personæ, sed alicujus accidentis personæ. Volebant enim Hebræi cum præsentibus Gabaonitis contrahere fœdus; sed errabant in accidente, putantes eos remote, non propinque habitare, quod fœdus non vitiat: sicut si quis contrahat matrimonium cum femina præsente, valide contrahit, esto erret, putetque eam esse Italam, cum sit Germana.

Dices: Josue non intendebat contrahere cum Gabaonitis, nisi hac conditione, quod non essent Chananæi. Respondeo, adde, vel non manerent Chananæi, si scilicet vellent persistere in hostilitate, infidelitate et impietate Chananæorum. Jam autem Gabaonitæ hæc tria a se abdicarunt, cupieruntque in amicitiam, religionem et pietatem

Hebræorum transire. Quare jam non Chananæi, sed potius Hebræi et proselyti censendi sunt, cum qualibus Josue optabat fœdus inire.

III. *Tertia,* quia dolus hic non erat noxius, sed commodus Hebræis. Quid enim profuisset eis cædes et mors Gabaonitarum, nisi ad opinionem et infamiam crudelitatis barbaræ, quod petentes pacem mactassent, apud omnes gentes conciliandam? Vita autem eorum multum Hebræis profuit, quia eis usi sunt quasi servi ad lignationem et aquationem. Ergo dolus hic non vitiabat fœdus, nec faciebat Hebræos involuntarios; nam paulo post cognito dolo voluntarie fœdus initum approbarunt.

IV. *Quarta,* Gabaonitæ supplices petebant vitam duntaxat, offerentes se ad omnem servitutem; quis nisi barbarus id eis negasset, eosque trucidasset? Sane id non fecit Taberlanes, nec Amurathes, nec Ottomanus, nec quis alius quantumlibet crudelis et tyrannus.

V. *Quinta,* Josue potuisset et debuisset, ac proinde voluisset eis parcere, si ipsi sine dolo fatendo se Chananæos se ipsi subjecissent, et in servos addixissent. Hæc enim erat mens Dei, uti jam ostendi. Ergo cum ipsi idem nunc faciant, eis parcere debuit, esto dolus aliquis interveniat : unde et de facto dolo cognito eis pepercit.

VI. *Sexta,* id diserte ipsi hic fatentur et asserunt : « Juravimus, inquiunt, illis in nomine Domini Dei Israel (cujus fidem et cultum ipsi agnoscunt et suscipere cupiunt) : et idcirco non possumus eos contingere. » Et mox : « Ne contra nos ira Dei concitetur, si pejeraverimus. » Nota τὸ *juravimus,* scilicet in præterito; loquuntur ergo de juramento non post dolum agnitum renovato, sed primitus ante doli cognitionem præstito, eoque se obligari asserunt. Idem patet ex violatione hujus juramenti, quam Deus ultus est crucifixione posterorum Saulis, II *Reg.* XXI. Hinc patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ. Deniqne verisimile est Eleazarum Pontificem cognito dolo Deum consuluisse (hoc enim jusserat Deus *Num.* XXVII, 21), quid in re tam gravi et perplexa facto foret opus; aut certe Josue Deum orasse, et ab eo audisse ut Gabaonitis parceret, eorumque tam corpora quam animas per veræ religionis professionem servaret.

Dices : Chananæi erant homines sceleratissimi et corruptissimi, ideoque Deus omnes deleri jusserat, ne sua vitia affricarent Hebræis. Ergo licet Gabaonitæ metu mortis promitterent morum et vitiorum emendationem, tamen eis Hebræi credere non debebant, sed metuere ne paulo post in pristina scelera relaberentur, ideoque illos omnes delere, uti jusserat Deus. Respondeo, communiter id verum erat, at non in Gabaonitis, qui tam serio se in servos ad omnia paratos et ad veri Dei cultum offerebant. Adde eorum mentem et constantiam fuisse probandam, eisque adhibendos fuisse religionis magistros, æque ac inspectores et custodes, qui si deprehenderent eos ad sua idola relabi, ad Josue idipsum referrent, cujus erat eos castigare et exterminare, uti jam fit Maranis et Judæis ad Christum conversis; nec dubium Josue idipsum præstitisse. Verum eventus docuit Gabaonitas in fide et Judaismo fuisse constantes, ideoque Deus eorum cædem in Saulis posteris adeo graviter vindicavit. Rebellionis hic non erat periculum, quia Gabaonitæ erant pauci exarmati et inter Hebræos distributi, ut inter se coire et contra eos conspirare non possent.

Disce hic quam sancte fides, præsertim jurata, sit servanda hosti, etiam impio et infideli, quales erant Gabaonitæ. Idem diserte docet sancitque Leo Imperator in *Tacticis,* sive de acie ordinanda. Fide enim sublata evertitur omnis hominum contractus et societas, quæ fidei quasi innititur, ut homines jam non homines, sed leones, tigrides et feræ esse videantur.

21. SED SIC VIVANT, UT IN USUS UNIVERSÆ MULTITUDINIS LIGNA CÆDANT, AQUASQUE COMPORTENT. — Vers. 21. Principes hic Gabaonitas vita donant, sed servitute damnant, idque juste, tum quia vitam duntaxat eis promiserant et jurarant; tum quia Gabaonitæ dolum fecerant; et fraude juramentum extorserant; tum quia ipsi erant Chananæi; quos Deus volebat occidi, et si quibus ob deditionem parceretur, eos servituti addici. Mitis ergo fuit hæc eorum pœna, quæ tandem facta est honorata sors et conditio serviendi templo, uti patebit versu ultimo.

QUIBUS HÆC LOQUENTIBUS, VOCAVIT GABAONITAS JOSUE, — ut Principum sententiam approbans, eamdem quasi summus Princeps et Judex promulgaret Gabaonitis. Recte quoad sensum vertit Interpres, quod in Hebræo sic ad verbum sonat, *Cum locuti essent de illis Principes, vocavit eos Josue,* etc. Hebraice enim כאשר *caasar* non tantum *sicut,* sed et *cum,* vel *quando* significat.

23. ITAQUE SUB MALEDICTIONE ERITIS, — puta sub servitute et onere lignandi et aquandi. Servitus enim onerosa est species quædam maledictionis, id est, maleficentiæ et castigationis. Vers. 23.

27. DECREVITQUE IN ILLO DIE EOS ESSE IN MINISTERIO CUNCTI POPULI, ET ALTARIS DOMINI. — Duplex ergo fuit onus et officium Gabaonitarum : Prius, comportare ligna et aquam totis Hebræorum castris. Unde a Josepho, lib. XI *Antiquit.* cap. IV et V, vocantur δημόσιοι, id est, publici servi. Vers. 27.

Posterius, eadem comportare tabernaculo, et postea templo, cui fere soli addicti fuere post divisionem castrorum et tribuum, terræque promissæ possessionem, præsertim tempore Salomonis, idque ex præscripto et distributione exactiore officiorum templi facta a Davide, quem verisimile est eos vocasse Nathinæos, quorum crebra est mentio *Esdræ* cap. II, 43 et 50; cap. VIII, 20; *Nehem.* III, 26 et 31; I *Paral.* IX, 2. Nam Gabaonitas hos esse Nathinæos non tantum recentiores docent, ut Lyranus, Masius, R. Salomon, Sigonius,

lib. V *De Repub. Hebræorum*, cap. VII; Ribera, lib. III *De Templo*, cap. IV; Vilalpando in *Apparatu*, part. I, lib. II, cap. VII; sed et S. Hieronymus (si tamen ipse est auctor) in *Tradition. Hebr.* in lib. I *Paral.*: « Nathinæi, inquit, id est donati (a radice נתן *nathan*, id est dedit), sunt Gabaonitæ, eo quod ad serviendum dati sint ad templum Domini, » donati, scilicet primum a Josue hic: unde Hebraice est יתנם *iitenem*, id est *dedit eos* (unde Nathinæi nomen) *Tabernaculo;* deinde a Davide: donati, inquam, ut subservirent Sacerdotibus et Levitis, non proxime tanquam Subdiaconi Diaconis, ut vult Sigonius, sed remote, ut laici, et exteri personis sacris ex Levi oriundis, idque indicat Scriptura, *Esdræ* cap. VIII, 29, et I *Paral.* IX, 2. Unde et valde verisimile est Gabaonitas sacris Judaicis fuisse initiatos, ac per circumcisionem in Judaismum transisse, uti bene probat Abulensis. Atque hac de causa Josephus eos vocat sacros servos, id est, servos sacri templi. Nathinæus ergo hebraice idem est quod *Deodatus*. Sic apud Carthusianos et alios Religiosos fratres laici vocantur donati vel oblati, scilicet ordini et Deo. Hi ergo Nathinæis priscis sunt similes, ac recte Nathinæi vocari queunt.

Dices : Salomon in templo fabricavit mare æneum aquis refertum, item aquæductus plures, quibus aqua influeret in templum. Erat insuper probatica Piscina juxta templum ad abluendas victimas Deo sacrificandas. Hebræi quoque ligna offerebant templo, et ad illud convehebant : ergo ad neutrum munus opus erat Nathinæis. Respondeo negando consequentiam. Nam Salomon tot aquæductibus alleviavit quidem onus Nathinæorum, non tamen omnino sustulit. Nam ex aquæductibus Nathinæi aquam deportare debebant, non tantum ad altare, sed etiam ad omnes sacerdotum culinas altari vicinas. Idem dico de lignis. Insuper sacerdotes Nathinæis utebantur ad quoslibet templi usus, uti nos utimur sacristanis eorumque ministris. Templum enim erat vastissimum instar urbis, ac quotidie plurimæ, et subinde millenæ (uti fecit Salomon) in eo oves, vituli et boves sacrificabantur, ad quorum ablutionem, coctionem et crematiouem ingens vis aquarum requirebatur. Quare sicut Sacerdotes et Levitæ per vices serviebant templo, tumque habitabant in templo, sic et Nathinæi; alioqui verisimile est eos sparsim habitasse in urbibus sacerdotibus assignatis, eisque serviisse. Denique Salomon in fabricando templo inter alios operarios usus fuit Nathinæis, uti docet Vilalpando et alii.

IN LOCO QUEM DOMINUS ELEGISSET,— ad collocandum in eo Tabernaculum cum arca fœderis, Cherubim et Propitiatorio, et consequenter ad sui venerationem, cultum, sacrificia et adorationem. Hic locus primo fuit in Galgalis, deinde in Silo, tertio in Nobe, quarto in Gabaa, denique in templo, cum illud Salomon extruxit. Porro arca mansit in Galgalis toto septennio, quo Josue Chananæos debellavit : arca enim erat in castris, castra autem erant in Galgalis, ut patet cap. X, vers. ult. Bellis septennalibus finitis, octavo anno ducatus sui, Josue transtulit arcam e Galgalis in Silo, ut patebit cap. XVIII, vers. 1.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque reges Chananæi oppugnant Gabaonitas quasi transfugas ; sed eis Josue succurrit, hostes fugat, qui lapidibus e cœlo pluentibus conteruntur. Mox, vers. 12, *Josue sistit solem et lunam, donec hostes omnes profligaret. Deinde, vers.* 22, *quinque reges in spelunca latentes pedibus calcari et suspendi jubet. Denique, vers.* 28, *plures urbes expugnat, quo facto revertitur ad castra in Galgalis.*

1. Quæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Hai et regi illius), et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum, 2. timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi. 3. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens : 4. Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, et ad filios Israel. 5. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ mise-

runt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei : Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum ; ascende cito, et libera nos, ferque præsidium : convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. 7. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi. 8. Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos ; in manus enim tuas tradidi illos : nullus ex eis tibi resistere poterit. 9. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. 10. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel : contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth-horon, et percussit usque Azeca et Maceda. 11. Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca ; et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. 12. Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis : Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. 13. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. 14. Non fuit autea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel. 15. Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ. 16. Fugerant enim quinque reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda. 17. Nuntiatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda. 18. Qui præcepit sociis, et ait : Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant ; 19. vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite : nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. 20. Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ad internecionem pene consumptis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. 21. Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero : nullusque contra filios Israel mutire ausus est. 22. Præcepitque Josue dicens : Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges qui in ea latitant. 23. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum ; et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. 24. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant : Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum colla pedibus calcarent, 25. rursum ait ad eos : Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti ; sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. 26. Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperum. 27. Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. 28. Eodem quoque die Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores ejus : non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho. 29. Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam : 30. quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel ; percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus ; non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, sicut fecerant regi Jericho. 31. De Lebna transivit in Lachis cum omni Israel : et exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. 32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna. 33. Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis : quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internecionem. 34. Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit, 35. atque

expugnavit eam eadem die : percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis. 36. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam : 37. cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratæ : non reliquit in ea ullas reliquias ; sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. 38. Inde reversus in Dabir, 39. cepit eam atque vastavit : regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii : non dimisit in ea ullas reliquias; sicut fecerat Hebron et Lebna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius. 40. Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem, et Asedoth, cum regibus suis ; non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel, 41. a Cadesbarne usque Gazam. Omnem terram Gosen usque Gabaon, 42. universosque reges, et regiones eorum, uno impetu cepit atque vastavit : Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo, 43. reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

Vers. 1. 1. QUÆ CUM AUDISSET ADONISEDEC REX JERUSALEM, — quæ a Gabaon tantum distabat duabus leucis sive horis, ideoque ejus rex invasit Gabaonitas, quod ad Hebræos transissent, quodque sibi vicini panderent Hebræis iter ad suam Jerusalem expugnandam. Videtur Adonisedec hoc nomen assumpsisse a Melchisedech, qui in eadem ante 400 annos regnarat, eamque justis suis legibus, moribus et exemplis fecerat sedem צדק *tsedec*, id est justitiæ, ut scilicet in ea vigeret justitia, Dei cultus, veraque religio. Audi Masium : Vocabantur priscis illis temporibus omnes reges Hierosolymæ (ut autumant Judæi) vel Melchisedech, vel Adonisedec, quorum illud regem Justitiæ, hoc dominum Justitiæ significat. Unde conjicitur urbem illam primum *tsedec*, id est justitiam (quam in ea plantarat primus justus sanctusque ejus rex Melchisedech) fuisse nominatam : postea vero *salem*, id est pacem, quod in ea secure et pacifice habitaretur (nam nomen Jebus, quod aliquando illi a vulgo attributum est, I *Paralip.* XI, 4, incolarum, non urbis proprium erat), ac deinde Jerusalem, idque factum est sive a Davide, ut innuit Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. III, sive ab aliquo alio, per conjunctionem sive combinationem duarum vocum. Nam cum Abraham eodem loco sacrificaturus filium suum, loco nomen dedisset אדני יראה *Adonai iire*, id est, videbit vel providebit Dominus sibi victimam, ex illo *iire*, id est providebit, et vetustiore nomine *salem*, conflatum est nomen *Jerusalem*, id est, providebit, aut videbit pacem, sive visio pacis. Hæc Masius. Vide dicta *Genes.* XXII, 14. Falluntur ergo Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XVIII, et Hegesippus, lib. III, cap. IX, dicentes Melchisedech urbis conditorem posuisse hoc nomen Jerusalem, eo quod ipse ad vetus nomen *salem* addiderit τὸ ἱερόν, id est *sacrum*, propter ædificatum ibidem a se templum, quasi Jerusalem idem sit quod ἱερόν, id est, sacrum templum urbis *Salem*. Alii cum Eusebio, lib. IX *Præpar.* cap. IV, Salomoni id tribuunt, quasi Jerusalem idem sit quod ἱερόν, id est, sacrum templum Salomonis Verum nec Melchisedech, nec Salomon Græce locutus est, sed Hebraice.

Errat pariter Stephanus Byzantius, lib. *De Urbibus*, asserens a Solymis montibus Solymos dici et Salem, quæ postea dicta est Ælia ab Ælio Adriano Imperatore ejus restauratore.

A vero quoque alienum videtur quod scribit noster Christophorus a Castro in cap. IV *Baruch*, sub finem, Jerusalem dictam a Jebusæis incolis, *q. d.* Jerusalem, id est, *timete* urbem nostram *Salem*, ut vel ipso urbis nomine vicinis civitatibus terrorem incuterent. Alienum pariter videtur quod indicat S. Hieronymus, *De Locis Hebraicis*, litt. *T*, Jerusalem dictam a *Jebus* filio Chanaan et pronepote Noe, ac *Salem*, (Jebusæi enim incoluere Jerusalem), commutata scilicet littera *S* in *R* euphoniæ causa, quasi Jerusalem idem sit quod Jebussalem.

Divinitus autem hæc nomina urbi data sunt, propter œconomiæ passionis, crucis et mortis mysterium in ea peragendum, in quo mysterio justitia, pax et felicitas totius orbis posita fuit, juxta illud *Thren.* II : « Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? » Et illud *Psal.* LXXIII : « Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. » Et illud *Isaiæ* II : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et *Apoc.* XXI, 2 : « Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.» Vide Tobiam, cap. XIII, 11 et seq., in elogiis Jerusalem exultantem. Audi Adrichomium in *Descript. Jerusalem* : « Jerusalem civitas Dei electa, sancta et gloriosa, fundata in montibus sanctis, loci eminentia, cœli solique felicitate cunctas mundi urbes superans, in totius orbis et Judææ medio, ceu centrum et umbilicus terræ sita est; et tanquam regia inter omnes accolas, velut caput in corpore eminet, splendidisque ædificiis sicut sol præ cæteris lucet. Tantaque gloria illustratur, ut singulari quodam privilegio unicus olim electus a Deo locus, ac non tantum fidelis cujusque

Jerusalem qualis et quanta?

animæ, verum etiam militantis Christi in terris Ecclesiæ, denique et beatæ illius in cœlo triumphantis exstiterit figura. Urbs perfecti decoris, gaudium et exultatio universæ terræ. Hæc circa annum a mundo creato 2023, tempore Abrahami a Melchisedech rege condita, Hebraice Salem, Græce vero Solyma vocata est; atque ab eo 50 annis possessa videtur. Quam deinde Jebusæi a Jebusæo filio Chanaan prognati occupaverunt; a quibus Jebus et Jebusæum aliquando dicta est; quo tempore ejus regem Josue occidit. Tenuerunt autem eam Jebusæi annos octingentos et viginti quatuor, tantumque urbis fidebant firmitati, ut Davide rege ipsam oppugnaturo per contemptum cæcos, claudos et mutilos in mœnibus collocarint, dictitantes hos ad arcendum hostem sufficere. » Hucusque Adrichomius.

Denique S. Hieronymus, epist. 17 *ad Marcellam*, invitans eam ut Roma migret Jerusalem : « In tribus nominibus, ait, Trinitatis demonstrat fidem : Jebus, Salem et Hierusalem appellatur. Primum nomen calcata, secundum pax, tertium visio pacis. Paulatim quippe pervenimus ad fidem, et post conculcationem ad pacis visionem erigimur : ex quo Salomon, id est pacificus, in ea natus est, et factus est in pace locus ejus. Et in figura Christi sub etymologia urbis, Dominus dominantium et Rex regum nomen accepit. »

Vers. 2. 2. URBS ENIM MAGNA ERAT GABAON, ET UNA CIVITATUM REGALIUM. — Hebraice, *sicut una civitatum regni, q. d.* Gabaon erat una ex præcipuis regni Chananæorum civitatibus. Septuaginta, *una præcipuarum civitatum regum* ; Masius, *quanta ulla urbium regni;* Chaldæus, *regnorum.*

Vers. 4. 4. QUARE TRANSFUGERIT, — impune scilicet « ad Josue, » *q. d.* Quare permittemus impunitum hoc Gabaonitarum a nobis ad Hebræos transfugium ? *q. d.* Puniamus hanc eorum a nobis apostasiam, et exscindamus eos, ne quis audeat eos imitari, et ad Hebræos transfugere, « quia pacem fecit cum Josue. »

Vers. 9. 9. IRRUIT ITAQUE JOSUE SUPER EOS REPENTE TOTA NOCTE ASCENDENS DE GALGALIS, — *q. d.* Josue tota nocte proficiscens de Galgalis, summo mane pervenit ad Gabaon, ac subito et ex improviso in castra hostium eam obsidentium irruit, itaque eos somno sopitos, turbatos pavidosque oppressit. Nota hic novum stratagema Josue, quo celeritate et matutina irruptione hostium castra turbavit et superavit. Prudenter enim ait Themistocles, magnus Græcorum in præliis dux, « amicos patientia, hostes celeritate superandos esse. » Et Julius Cæsar : « Veni, vidi, vici, » quod imitatus Carolus V, pientius dixit : « Veni, vidi, vicit Christus. » Celer et pervigil fuit Annibal, æque ac Vespasianus Imperator. Vide dicta *Apoc.* cap. III, vers. 3. Sic Troja a Græcis capta est, qui, ut ait Virgilius, *Æneid.* II :

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Noctu ergo summe contra hostes tam corporis quam animæ excubandum est. Noctu enim dæmones perambulant ut turpia, scelesta et infanda concitent. Quare contra eos sub noctem, ut opem Dei et angelorum imploremus, recitamus *Psalm.* XC : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, etc. Non timebis a timore nocturno, etc. A negotio perambulante in tenebris. » Chaldæus, *non timebis a timore dæmonum, qui ambulant in nocte, a morte in tenebris ambulante.*

Vers. 10. 10. IN GABAON, — in agro Gabaon; obsidebant enim Gabaon. Vide simile cap. V, vers. 3.

PERSECUTUS EST EOS, — scilicet Israel Amorrhæos, vel Deus per Israelem quasi militem suum. Hebræi enim sæpe subticent verbi suppositum illudque ex circumstantiis, quasi obvium lectori intelligendum supplendumque relinquunt.

Vers. 11. 11. DOMINUS MISIT SUPER EOS LAPIDES MAGNOS DE COELO (1). — Lapides grandinis intellige. Addit Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. II, tonitrua et fulmina; quare non solum lapidosa et inusitatæ magnitudinis grandine, sed etiam tonitru et fulminibus terribilem fuisse hanc tempestatem, æque ac fuerat illa Ægyptiaca, *Exodi* IX, 23. Similia fulminum auxilia a Deo fuisse immissa legioni Christianæ (quæ inde Fulminatrix est appellata) sub Marco Aurelio Imperatore, narrat Eusebius, libro V *Histor.* cap. V; ac Theodosio Imperatore contra Eugenium prælianti narrat Claudianus, dum ita canit :

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris,
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Sic ad Samuelis preces Deus Philisthæos per tonitrua perculit, et Hebræis percutiendos objecit, I *Reg.* VII, 10.

Vers. 12. 12. TUNC LOCUTUS EST JOSUE DOMINO. — Chaldæus, *tunc Josue laudavit Dominum*, et laudando eum rogavit fiducia plenus, ut sisteret solem, donec plenam de hostibus cæsis obtineret victoriam; qua prece ad Deum præmissa, Josue fidens omnino divinæ virtuti opique, imperavit soli quietem et solstitium. Ecclesiasticus, cap. XLVI, 4, docet Josue id fecisse ex zelo et justa ira contra hostes populi Dei, utique impellente eum Spiritu Sancto. Vide hic quam potens sit fides magna in Deum; sed hanc nobis suggerat et inspiret Deus oportet, uti eam inspiravit Josue : alioqui enim temerarius fuisset imperando soli stationem. Hoc est quod Christus promisit *Matth.* XXI, 22, dicens : « Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. » Quantum ergo credis et speras, tantum a Deo accipies. Quis ergo non summa speret a Deo, ut summa accipiat ?

(1) Quævis sit opinio Interpretum de grandineis petræisve lapidibus, haud est dubium quin grande sit et divinum miraculum.

SOL, CONTRA GABAON NE MOVEARIS, ET LUNA CONTRA VALLEM AIALON. — Hebraice est, *sol, tace* (1). Quod R. Salomon intelligit de Pythagorico cœlorum concentu, *q. d.* Sol, ne canas uti soles, sed tace et audi vocem jussumque meum, ac siste gradum. Verum hoc ridiculum est et futile. *Sol, tace,* ergo idem est quod, *Sol, quiesce,* ne loco movearis. Septuaginta, *Sol, apud Gabaon stato, et luna apud vallem Elonis.* Sensus ergo est, *q. d.* Tibi, o sol, in virtute Dei omnipotentis jubeo, imperoque ut non movearis, sed immotus fixusque ex adverso urbium Gabaon et Aialon consistas, ut lucem nobis præbeas, donec hostes nostros persequamur, omnesque ad internecionem deleamus. Nam urbs Aialon vicina erat urbi Gabaon, et inter eas vallis erat media, in qua prælium hoc gerebatur. Unde apparet illo die fuisse circa novilunium, lunamque soli fuisse conjunctam. Quod vero lunam nominet Josue, facit hoc, non quasi id necessarium esset ad præbendum suis lumen (hoc enim àliunde præstabat solus sol), sed quia poetica copia ludit in sole et luna, sicut in Gabaon et Aialon ; hic enim versus æque ac duo sequentes sunt Hebraici rythmi, deprompti ut videtur ex libro *Justorum.* Unde apparet eos non esse compositos a Josue, sed hic inseri ex libro *Justorum,* sive Esdras restaurator librorum sacrorum, sive quis alius eos hic inseruerit, nisi quis dicat librum *Justorum* hic vocari annales publicos, in quibus quolibet anno vel ævo justorum, præsertim heroum, illustria facta scribebantur, quasi eos citet hic Josue.

Secundo, nominat lunam, ut innuat non tantum solem, sed et lunam, omnesque cœlorum orbes jussos fuisse gradum sistere : sole enim et luna, quæ astra sunt nobilissima, ac diei et nocti præsunt, omnia reliqua cœlestia astra et corpora significant; alioqui enim statio lunæ ad lumen et ad victoriam hic non requirebatur; significat ergo Deum tunc omnes cœlorum orbes cohibuisse, ne videlicet constitutus ab eo a mundi creatione perpetuus inter orbes hos ordo, tenor et consensus unius aut duorum inæquabili progressione perturbaretur, uti fuse docet Abulensis et Masius, ac Conimbricenses in lib. II *De Cœlo,* Quæst. II, art. 3, in fine. Simile accidit *Isaiæ* cap. XXXVIII, 8, ubi Isaias ad preces Ezechiæ regis solem decem gradibus retrocedere jussit.

Hoc ergo Josuano die non fuit tempus, cujus mensura est motus primi mobilis (hic enim motus illo die cessabat), sed fuit duratio quæ rem quamvis existentem et perdurantem naturaliter comitatur, et cujus mensura poterat esse duratio primi mobilis, etiam dum ipsum quiescit. Atque hæc duratio mensurari poterat per horologia non solaria, sed arenaria vel ferrea, quæ suis temporibus librata stato tempore decurrunt, singulasque horas suo indice vel sono pulsuque indicant. Simili modo cessante motu solis et lunæ, cessavit reciprocatio sive fluxus et refluxus maris ; hic enim a motu lunæ causatur. Ita Conimbricenses.

13. NONNE SCRIPTUM EST HOC IN LIBRO JUSTORUM. Vers. 13. — Fuit hic liber quasi sanctorum catalogus, in quo præclara virorum fide et religione illustrium facta erant descripta. Quis et qualis fuerit nescitur ; nam plane intercidit. Ita Theodoretus et alii. Vide Sixtum Senensem in *Catalogo sacrorum librorum,* varias de hoc libro virorum sententias referentem.

STETIT ITAQUE SOL IN MEDIO COELI, — id est, in ipso cœlo magno et vasto : est Hebraismus frequens ; vel in hemisphærio nostro, quod dimidium est respectu alterius hemisphærii, quod respicit antipodes.

ET NON FESTINAVIT OCCUMBERE SPATIO UNIUS DIEI. Stetit Sol quamdiu? — Hinc videtur quod Josue imperarit stationem soli sub vesperam, cum is occumberet, ideoque vereretur Josue ne hostes per tenebras imminentes effugerent. Justinus Martyr, dialog. *Contra Tryphonem,* opinatur diem hunc Josuanum fuisse sex et triginta horarum. Nam præter duodecim horas naturales, addit illi quatuor et viginti horas supernaturales, quibus solem stetisse putat; nam dicitur hic sol stetisse spatio unius diei, quod ipse de die naturali viginti quatuor horarum accipit. Verius id accipias de die artificiali ; hæc enim sola lucem præbet, idque innuit Ecclesiasticus, cap. XLVI, 5, dicens : « Una dies facta est quasi duo, » *q. d.* Dies quæ solet esse duodecim vel quatuordecim horarum, facta est quatuor et viginti, vel octo et viginti horarum. Stetit ergo hic sol per duodecim vel potius quatuordecim horas. Hæc enim pugna contigit sub solstitium æstivum, quando in Judæa dies est quatuordecim horarum.

Plura de hac statione solis litteralia et mystica dixi *Ecclesiast.* XLVI, 5, quibus adde tropologice : In luna cognitionem intellectus, quæ in hac vita semper minus clara est, et in sole ardorem affectus considera. Hæc interdum in uno summo bono intuendo et diligendo absque varietate subsistunt, donec ulciscatur se homo de inimicis suis. Nihil enim ita imperfectiones nostras domat et absumit, ac donum istud perfectissimæ contemplationis, qua homo beneficio Domini novit angelicos spiritus æmulari.

Physice et bellice Leo Imperator in *Tacticis,* in *Epilogo,* num. 51 : « In acie instruenda, ait, solem a tergo et ventum habeas, et in hostium oculis utrumque collocabis. » Idem dicas de pulvere, ut eum a tergo, et a fronte hostium colloces, ut in eorum oculos involet, eosque excœcet, ut

(1) Communiter censent recentiores interpretes quod Josue sic locutus est de verisimili solis reali vero lunæ statione. Innumeris argumentis incredulitati ævi nostri respondemus nil esse Deo impossibile, lunam sicut terram cujus est satellitem stetisse, librum Josue narrasse hunc mirabilem eventum de Palæstina quam incoluerat, non vero de aliis regionibus: stupendum hoc miraculum una voce nec non per totum orbem terrarum a Judæis et a christianis fuisse pro semper creditum.

prœliari nequeant; nimirum pulvis sequitur ventum.

Anagogice. Anagogice Rupertus : In hac statione solis, ait, est figura judicii extremi; quando enim Christus judicaturus adveniet, tunc stante sole longus erit dies donec ulciscatur se de inimicis suis. « Juxta est, ait Sophonias, cap. I, dies Domini magnus, dies iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ. » Imo post diem judicii cessabit omnis cœlorum motus, ac sol, luna et stellæ consistent eodem loco in æternum, uti docent Theologi.

Allegorice. Allegorice, Josue hic typus fuit Jesu Christi. « Sicut enim pugnante Propheta (Josue) sol stetit, ita dum Salvator noster morte sua mortem dissolveret, sol meridie continuit radios suos, et tenebris replevit terram, » ait Theodoretus, *Quæst.* XV.

Denique Hebræi, ob impetratam hanc a Josue solis stationem, sepulcro ejus insculpserunt solem ad perennem tanti miraculi memoriam, quod ipse fuisset solis stator, ac instar solis nocte et die fuisset pervigil; nam « vigili stant bella magistro, » de qua re rursum dicam cap. ult. vers. 30.

Vers. 14. 14. NON FUIT ANTEA NEC POSTEA TAM LONGA DIES. — Nam dies Ezechiæ ab Isaia prolongatus fuit duntaxat quindecim horarum. Decem enim horis diei Isaias adjecit quinque; hic vero Josuanus dies fuit octo et viginti horarum. Nam quatuordecim horis diei Josue adjecit alias horas quatuordecim. Vide dicta *Eccli.* XLV, 5, et *Isaiæ* XXXVIII, 8.

OBEDIENTE DOMINO VOCI HOMINIS, ET PUGNANTE PRO ISRAEL. — Portentum est quod Deus obediat homini, sicut Deus obedivit Josue petenti ut sisteret solem, quia Josue in omnibus obediebat Deo. Vis ut Deus te audiat, audi tu Deum, eique obedi; sic faciet tibi obedire omnia a se creata, tibique quasi omnipotentiam suam communicabit. Scriptum est enim : « Voluntatem timentium se faciet. » Ita S. Dominicus dicebat se a Deo impetrare quicquid ab eo postularet. Idem etiamnum experiuntur viri sancti. « Ex quo intelligitur Deum servorum suorum precibus obedire, et ad eorum necessitatem creaturas suas opportune gubernare, » ait Auctor *De mirabil. S. Script.*, apud S. Augustinum, tom. III, lib. II, cap. IV.

Miratur S. Bernardus Deum natum ex Virgine illi quasi filium obedivisse; at magis mirum Deum obedire Josue. Christus enim matri obedivit, non qua Deus, sed qua homo et filius, hic vero Deus ut Deus obedivit Josue. O prodigium, o stupor, o dignatio nunquam in cœlis vel terris audita, quod Creator creaturæ, Deus homini obedit! Exclamat S. Bernardus : Erubesce, cinis : Deus se humiliat, et tu te exaltas. Erubesce, pulvis: Deus obedit homini, et tu nec homini, nec Deo obedis!

Sanctus ergo Josue imperat cœlis, ac quasi rex illis leges figit, atque solem et lunam in medio cursu sola voce et imperio, tanquam habenis mirabiliter detinet et frenat. Sic sancti imperant vitæ et morti, cœlo et inferno, dum mortuos suscitant, et animas gehennæ addictas convertendo in cœlum transferunt. Cui enim Creator obedit, illi et Angeli, et dæmones, et homines omnesque creaturæ obediant oportet. Vide hic quanta sit vis orationis, quæ Deum nobis facit obedire. Unde Jacob in oratione luctans cum Deo, illumque volentem vincens vocatus est « Israel, » id est, « dominans Deo, » *Genes.* XXXII, 28. Orans ergo Deum fit Israel, Deoque prævalet. Vide dicta *Jacob.* V, 16 et seq. Unde Chaldæus hic vertit, *ut exaudiretur coram Deo oratio hominis, quia per verbum suum pugnabat Dominus pro Israele.* Sic et Masius, Pagninus, Arias et Vatablus. Audiatur S. Hieronymus in cap. XXVIII *Isaiæ* : « Fiducia habitantis in se Dei, locutus est Jesus : Stet sol. » S. Ambrosius, lib I *Offic.* cap. XL : « Jesus Nave, cum adversum Gabaonitas surgeret prælium, et vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis et fidei clamavit : Stet sol; et stetit, dum hæc victoria consummaretur. » D. Bernardus apud ejus Vitæ auctorem, lib. II, cap. VII, cum adversus leoninos schismaticos constanter agendum ardenterque precandum suaderet : « Josue, ait, pugnat et ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, soli ut stet non tam orat quam imperat, et meretur fides tam solis obedientiam, quam de hoste prostrato victoriam. »

Vers. 15. 15. REVERSUSQUE EST JOSUE CUM OMNI ISRAEL IN CASTRA (in locum pro castris munitum) GALGALÆ. — « Reversus est, » scilicet confecto prorsus bello, quo Deus miraculose pugnabat pro Israele solem sistendo, donec omnes hostes cæderentur, uti præcessit. Hic ego versus per anticipationem hic ponitur et quasi per parenthesin interjicitur; nam proprio loco collocandus esset in versu ultimo capitis. Ita Masius; aut planius et magis connexe cum versu sequenti, *q. d.* « Reversus est, » hoc est, reverti incipiebat Josue, quia fugerant quinque reges hostium duces, et videbantur effugisse; absconderant enim sese in speluncam Maceda : quod cum audisset Josue, reflexit iter, ac speluncam custodiri jussit, donec sui cæteros eorum asseclas persequerentur et cæderent, uti sequitur. Unde Vatablus vertit, *et Josue adornabat reditum.*

Vers. 16. 16. FUGERANT ENIM, — juxta sensum jam datum. Masius et alii vertunt, *fugerant autem,* ut hic versus nectatur cum versu 13, et versus 14 per parenthesin inseratur.

Vers. 19. 19. PERSEQUIMINI HOSTES. — Audi quid de hostes fugientes insequendo sanciat Leo Imperator in *Tacticis,* cap. XX, num. 202 : « Victoria tibi a Deo concessa, ne statim turbulente et confuse illos insequaris, sed inter insequendum ne conversi te rursus adoriantur providebis : nam effusa et intemperans insectatio opportunos ad offensionem facit eos, qui insequuntur. »

Et Vegetius, lib. III, cap. ult. : « Qui dispersis

suis, inquit, inconsulte insequitur, quam acceperat, adversario vult dare victoriam. » Unde Josue hic jubet ut totus Hebræorum cuneus hostes persequatur.

Vers. 21. 21. IN MACEDA UBI TUNC ERANT CASTRA. — Jusserat enim Josue suos custodire quinque reges absconditos in Maceda, ibique castra figere, donec pars una exercitus fugientes persequeretur et cæderet, quæ hoc peracto ad cæteros in Maceda rediit. Castra ergo hic vocantur potior et munitior exercitus portio. Ex Maceda deinde cæsis quinque regibus, rediere ad pristina plenaque castra sita in Galgalis, ut patet versu ultimo.

NULLUSQUE CONTRA FILIOS ISRAEL MUTIRE AUSUS EST. — Hebraice, *nemo contra filios Israel acuit linguam suam.* Masius, *nec canis acuisset linguam suam in quemquam filiorum Israel, q. d.* Israel nil passus est mali, fuitque omnibus circumcirca gentibus formidabilis; quare nemo ausus fuit ipsum illatrare, ne canis quidem, animal alioqui cumprimis irritabile, sed dentibus, non lingua metuendum; canes enim multum lingua latrantes vix dentibus mordent. Est proverbium.

Vers. 24. 24. PONITE PEDES SUPER COLLA REGUM ISTORUM. — Non fuit hoc insolentis animi, aut victoria elati. Josue enim optime callebat illud Aristidis tom. II, orat. 2 *De pace* : « Usus victoriæ honestus, non minorem quam victoria laudem affert.» Jussit ergo suis colla regum calcare, *primo,* ut suis fiduciam et animos ad cæteros Chananæorum reges debellandos adderet, ostenderetque Deum implere promissa per Mosen, *Deuter.* XXXIII, vers. ult. ubi dicitur : « Negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis. »

Secundo, ut meritas de impiissimis tyrannis sumeret pœnas.

Tertio, ut suos longius ab infandis eorum sceleribus et communione cum scelestis Chananæis abdicaret, utpote quos tam Dei vindicta, quam Josue sententia calcari, necari, necatosque in crucem agi ostentarique viderent. Allegorice: « Fuit hæc non crudelitas, sed humanitas, ait Origenes; *homil.* 11, Christi sacramentum designans, quod Dominus Jesus adumbratum prius a filio Nave per singulas civitates, nunc in veritate per singulas animas credentium complet: ut quæ possidebantur a pessimis regibus, secundum principem mundi hujus, expulsis iis et peremptis, facere eas dignetur habitaculum fidei et Sancti Spiritus templum. »

Symbolice S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, per quinque reges accipit quinque sensus, qui in homine regnant, sed a Jesu pugnante superantur. « Significatur, inquit, quod antequam Dominus populum suum educeret de Ægypto, et circumcideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus tactusque regnaverint, et his quasi principibus fuerint universa subjecta, quos Jesus ad speluncam corporis confugientes et ad tenebrosum locum, id est, ipsum ingredientes corpus, interfecit, ut per id occiderentur, per quod ante regnabant. »

31. DE LEBNA TRANSIVIT IN LACHIS. — Vide ut Josue sapienter utatur victoria, ac regibus cæsis urbes omnes consternatas capiat et instar fulminis pervadat. Peccavit ea in re Annibal; si enim cæsis Romanis ad lacum Trasimenum Romam perrexisset, eam cepisset. Unde de eo dictum : « Vincere scit Annibal, sed victoria uti nescit. » Vers. 31.

37. CEPIT EAM. — Josue ergo cepit Hebron, sed pervolando. Unde nonnulli gigantes eam rursus occuparunt, quos in eadem postea delevit Caleb, ut patet cap. XV, 14, de quo cap. seq., vers. 21. Vers. 37.

ET PERCUSSIT IN ORE GLADII, — id est, in acie gladii; quod Galli dicunt, *au fil de l'épée.* Hac phrasi significatur omnes gladio fuisse trucidatos; quod enim homini est os, hoc gladio est acies. Sicut enim homo cibum quem ore contingit, devorat: sic gladius quicquid acie sua ferit, consumit.

REGEM QUOQUE EJUS, — scilicet jam ante percusserat gladio, ac percussum suspenderat in patibulo, uti dixit vers. 26. Repetit enim regis cædem, quia recenset stragem communem urbi ejus Hebron illatam, cum rex cæsus sit non in Hebron, sed in Maceda.

40. PERCUSSIT, etc. ASEDOTH. — Ita legendum cum Romanis non *Aseoth.* Sic et Septuaginta Hebræum nomen ut proprium regionis retinuerunt, tam hic quam cap. XII, 8, et cap. XIII, 20; sed et Eusebius in *Locis Hebr.* asserit, *Asedoth* esse nomen proprium urbis. Masius tamen et alii hoc nomen accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, vertuntque *effusiones,* sive loca devia et convalles, ubi scilicet montes collesve in valles camposque se porrigunt et effundunt. Noster, *Deut.* cap. IV, vers. 27, vertit *radices montis,* ac *Numer.* cap. XXI, vers. 15, vertit *scopulos,* qui in flumine se protendunt et effundunt. Vers. 40.

OMNE QUOD SPIRARE POTERAT, INTERFECIT. — Hebraice, *omnem animam,* id est, omnem hominem, qui spiritu et halitu vitaque fruebatur, « interfecit : » nam pecora non esse cæsa, sed in prædam abacta patet cap. sequenti, vers. 14. Nusquam enim Deus jussit pecora occidi nisi in Jericho, cap. VI, 21, quia ipsa statuta fuit anathema. Ita Abulensis, *Quæst.* XCVIII.

41. A CADESBARNE USQUE GAZAN. — Vide hic fortitudinem, felicitatem, celeritatem, victorias Josue, quibus quasi fulmen transvolando omnia stravit et subegit, licet munitissima, qualis erat Gaza, urbs Philistinorum fortissima; adeo ut Alexander Magnus spatio bimestri eam oppugnarit, antequam caperet, teste Diodoro, lib. XVII. Hinc et a robore nomen accepit. Gaza enim Hebr. est עזה *Azza,* vel Gaza (nam litteram *ain* sæpe pronuntiant ut *g* : sic עמרה pronuntiant *Gomorrha,* עמר *gomor,* etc.). Hoc tamen nomen alia de causa eidem confirmatum est postea a Cambyse, filio Cyri, quam recenset Pomponius Mela, lib. I, Vers. 41.

cap. XI : « In Palæstina, ait, est ingens et munita admodum Gaza. Sic Persæ ærarium vocant. Et inde nomen est, quod cum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli opes et pecuniam intulerat, » ut illa in Gaza, utpote munitissima, esset tutissima. Hinc et paulo post Josue transitum, gigantes receperunt Gazam, eamque munitiorem effecerunt, uti narratur cap. seq., vers. 22.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue prælio superat Jabin regem Asor præpotentem cum regibus sibi fœderatis, ac Chananæam pene totam subjugat, itaque a præliis cessat. Huc usque audivimus bellum Australe Josue, nunc audiemus Aquilonare; ipse enim subacta Chananæa Australi, arma jam vertit ad Aquilonarem.

1. Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph : 2. ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare; 3. Chananæum quoque ab Oriente et Occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Phærezæum et Jebusæum in montanis : Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha. 4. Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis : 5. conveneruntque omnes reges isti in unum ad Aquas Merom, ut pugnarent contra Israel. 6. Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos, cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel; equos eorum subnervabis, et currus igne combures. 7. Venitque Josue et omnis exercitus cum eo, adversus illos ad Aquas Merom subito, et irruerunt super eos, 8. tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et Aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias : 9. fecitque sicut præceperat ei Dominus; equos eorum subnervavit, currusque combussit igni. 10. Reversusque statim cepit Asor, et regem ejus percussit gladio : Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. 11. Percussitque omnes animas, quæ ibidem morabantur; non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio. 12. Et omnes per circuitum civitates regesque earum cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. 13. Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, cæteras succendit Israel; unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit. 14. Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel cunctis hominibus interfectis. 15. Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complevit : non prætériit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi. 16. Cepit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et Occidentalem plagam montemque Israel, et campestria ejus; 17. et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermon : omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit. 18. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. 19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon : omnes enim bellando cepit. 20. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. 21. In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israel, urbesque eorum delevit. 22. Non reliquit ullum de stirpe

Enacim, in terra filiorum Israel, absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt. 23. Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes et tribus suas, quievitque terra a prœliis.

Vers. 1. 1. JABIN REX ASOR.— Asor erat totius Chananææ metropolis, inter omnia ejus regna tenens principatum : cessit tribui Nephtali : distat a Cæsarea Philippi sex milliaribus, a mari Mediterraneo novem. Ita ex Josepho et aliis Adrichomius.

Vers. 2. 2. CONTRA MERIDIEM CENEROTH, — hoc est ad meridiem stagni Genesareth, quod alio nomine mare Tiberiadis sive Galilææ dicitur (1).

Vers. 4. 4. POPULUS MULTUS NIMIS, SICUT ARENA QUÆ EST IN LITTORE MARIS,— id est magna et innumerabilis hominum multitudo. Est enim hyperbole in Scriptura usitata, pertinens ad amplificandam victoriam, ac simul terræ promissæ fecunditatem (utpote quæ tantam multitudinem alere potuerit) commendandam. Josephus, lib. V *Antiq.* cap. II, asserit fuisse trecenta millia peditum, decem equitum et duo millia curruum.

Vers. 6. 6. VULNERANDOS. — Alii vertunt, *occidendos* : utrumque significat Hebr. חוללים *chalalim*, et utrumque hic factum ; jusserat enim Deus omnes Chananæos occidi.

EQUOS EORUM SUBNERVABIS, — hoc est, equis nervos vel suffragines aut crura incides, ut videlicet inutiles reddantur, ne posthac illis utaris in bello, et fiduciam ponas in eis me neglecto. Hac enim de causa equorum copia a Deo fuit improbata et vetita Hebræis, *Deut.* XVII, 16 ; *Psal.* CXLVII, 10 ; *Psal.* XX, 8. Vide dicta *Exodi* XIII, 13. Eadem de causa jussit et currus comburi : reliqua vero præda camelorum, asinorum, boum, ovium, etc., Hebræis frui permisit. Ita Abulensis, Masius, Arias, Vatablus. Vide dicta *Exodi* XIII, 13.

Tropologice Origenes : Cum dæmone pugnantes, inquit, arma ei eripiamus necesse est : equum ergo enervamus, cum lascivum corpus jejunio frangimus : corpus enim est quasi equus lasciviens, cui animus quasi eques insidet et præsidet, ut illud domet, et flagello disciplinæ quasi auriga moderetur et regat.

Vers. 8. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM, — non quod alia fuerit Sidon minor, sed quod Sidon vicina Tyro cognomen habuerit *magna*. Sidon enim artificum industria, navium nautarumque copia et maxime portus commoditate ab omnibus celebrata fuit. Dicta est Sidon a Sidone filio Chanaan conditore, ut vult Josephus, lib. I *Antiq.* cap. VI, et S. Hieronymus in Quæst. *in Gen.* ; vel, ut Justinus, lib. XVIII *Histor.*, Strabo, lib. XII, et alii a piscium copia. Phœnices enim piscem vocant *said* (quod Hebraice significat venari) ; unde et hodie Sidon vulgo a Turcis et Syris vocatur *Soid*, vel *Saida*. Est autem hæc urbs in Phœnicia, adeoque videtur olim fuisse metropolis Phœniciæ. Unde *Isaiæ* XXIII, 12, Tyrus illa mercibus opibusque et viribus inclyta vocatur filia Sidonis. Sita est in littore maris Mediterranei sub Antilibano. Ita Masius.

ET AQUAS MASEREPHOTH. — *Et* משרפות *misrephot aquarum*, hoc est, *et ustrinas aquarum*, ut vertit Masius ; vel, ut alii, *adustiones* vel *incendia aquarum* ; Tigurina, *calefactiones aquarum* : per quas Vatablus et R. David intelligunt aquas calidas, quales sunt Aquisgrani ad balnea. Alii salinas intelligunt, quod scilicet ibidem aqua ex mari per canales deducta, solis radiis excocta, et quasi exusta in salem durabatur. Ita Chaldæus, Lyranus, R. Salomon, Adrichomius et alii. *Tertio*, Masius fornaces vitrarias intelligit : arenam enim vi ignis excoctam et liquatam, ex qua conflatur vitrum, hic vocari aquam : omne enim liquidum subinde aqua vocatur.

Vers. 10. 10. ASOR ENIM ANTIQUITUS INTER OMNIA REGNA HÆC PRINCIPATUM TENEBAT. — Hinc liquet Asor fuisse metropolim Chananææ, ut dixi vers. 1, ideoque Jabin regem Asor hos omnes reges et urbes Chananææ, quæ hic nominantur, non tantum habuisse fœderatas, sed etiam sibi quasi principi subditas.

Vers. 11. 11. NON DIMISIT RELIQUIAS. — Nonnullos tamen fuga, vel tum, vel antea evasisse, qui paulo post mortem Josue vires receperint, urbesque restaurarint, ac novos reges sibi crearint, qui Hebræos vexarunt et afflixerunt, patet *Judic.* IV, 2, ubi post 130 annos Jabin rex Asor dicitur per viginti annos dominatus Hebræis. Unde verisimile est Jabin fuisse commune nomen regum Asor, uti regum Ægypti commune nomen fuit Pharao, deinde Ptolemæus, ac regum Syriæ nomen erat Antiochus. Ita Masius. Simile accidit in Madianitis, qui excisi a Mose, *Num.* XXXI, rursum succreverunt, ac iterum bella moverunt Israelitis. Unde a Gedeone prostrati sunt *Judic.* VI. Sic et Hebronitæ a Josue succisi, rursum vires, urbemque Hebron receperunt, ac a Caleb devicti sunt, ut patet vers. 21, conferendo cum *Judic.* I, 10.

Porro Procopius, lib. IV *De Bello Wandalorum*, et ex eo Evagrius, lib. IV *Hist.* cap. XVIII, asserunt multos Chananæorum cernentes se Josue non posse resistere, ex Chananæa profugisse in Ægyptum, Libyam et Africam, ibique novas ædificasse urbes, nonnullos quoque in Germaniam, aliasque Europæ provincias pervenisse tradunt Rabbini, ac imprimis Aben Ezra, et ex iis Genebrardus in *Chron.*

Vers. 13. 13. ABSQUE URBIBUS QUÆ ERANT IN COLLIBUS ET IN

(1) Cenerotn civitas erat quæ nomen suum dabat loco supra quem sita erat, et ad meridiem Asor.

TUMULIS SITÆ, CÆTERAS SUCCENDIT ISRAEL.—Hebraice, *tantum urbes quæ erant in tumulis suis, non succendit.* Unde recte infert noster Interpres, asseritque cæteras urbes, quæ non erant in collibus, a Josue fuisse succensas. Dicuntur vero urbes in tumulis sitæ, quæ eminentiore sunt loco, vel in collibus, ideoque loci natura munitæ. Unde Theodoretus, Chaldæus et Vatablus vertunt, *urbes fortes;* Masius, *aggeribus munitas.* Sensus est, *q. d.* Josue urbes non munitas succendit, eo quod timeret ne illæ se abeunte rursum a Chananæis hostibus occuparentur, cum ipse pauciores haberet milites, quam ut omnes urbes quas capiebat, valido præsidio firmare posset : urbes vero in collibus munitas non succendit, utpote quas facile parvo præsidio tenere et tutari poterat, excepta tamen urbe Asor, quæ caput erat et metropolis aliarum; hanc enim exussit : quia si illa mansisset integra, fuisset continua belli materia, Chananæis ad regiam hanc urbem repetendam, et sibi vindicandam perpetuo intentis et excubantibus. Ita Abulensis.

Vers. 16. 16. MONTEMQUE ISRAEL. — Quæres, quis sit hic mons? Masius et Arias censent montem hic vocari loca montosa circa Samariam. Mons enim Samariæ dictus est mons Israelis, postquam decem tribus facientes schisma a Juda et Roboam rege, nomen Israelis sibi appropriarunt, regnique sui caput fecerunt Samariam, ac regem sibi crearunt Jeroboam. Hinc colligit Masius hunc librum non a Josue, sed diu post eum ex Diariis a Josue relictis fuisse conscriptum.

Alii per montem Israelis accipiunt montem Sion, in quo ædificatum fuit templum, ut ille ob templum antonomastice vocetur mons Israelis. Alii accipiunt montem Bethel, ubi Jacob, qui alio nomine dictus est Israel, vidit scalam e terra in cœlum porrectam, Deumque scalæ innixum, ac ab eo promissionem Chananææ a posteris suis possidendæ accepit, *Genes.* XXVIII, 12. Alii cum Cajetano et Saliano intelligunt montem Garizim, vel similem juxta Sichem, situm in agro, quem Jacob ibidem emerat, *Genes.* XXXIII, 19.

Vers. 17. 17. ET PARTEM MONTIS QUÆ ASCENDIT SEIR, — id est, in Idumæam. Recte vertit noster Interpres, si in Hebræo moderna puncta a Rabbinis substituta commutes, ac loco חלק *hechalach,* legas *hachelec,* id est, istam partem. Aquila quoque, Chaldæus et Vatablus vertunt *montem divisionis,* id est, divisum et dividentem, quia Chananæam dividit et disterminat ab Idumæa. Recentiores cum Symmacho et Masio vertunt λεῖον, id est levem, politum, glabrum, id est, nudum et arboribus vacuum. Septuaginta retinuerunt nomen Hebræum quasi proprium.

Vers. 18. 18. MULTO TEMPORE PUGNAVIT JOSUE CONTRA REGES ISTOS.— Josephus, lib. V *Antiq.* cap. II, asserit Josue quinquennio subegisse Chananæam. Verius est eum id fecisse septennio, saltem inchoato. Id enim diserte tradunt Chronologi Hebræorum in *Seder Olam,* ac Theodoretus, Abulensis, Masius, Serarius, Torniellus et alii, idque satis colligitur ex annis Caleb, cap. XIV, 7, ut ibi ostendam.

Vers. 19. 19. NON FUIT CIVITAS QUÆ SE NON TRADERET. — Corrige cum Romanis, *quæ se traderet.* Hebraice enim est, *quæ pacem faceret,* vel offerret, aut oblatam acceptaret. Tradunt enim Rabbini, quos sequitur Masius, Josue obtulisse pacem singulis urbibus Chananææ, sed omnes pacem abnuisse, quod nollent conditionem pacis, scilicet subjectionem et servitutem Hebræorum subire. Alii tamen negant Josue obtulisse eis pacem, eo quod Deus vellet omnes occidi. Locus enim *Deuter.* XX, 10, ubi jubetur ut pax offeratur urbibus hostilibus, ambiguus est et dubius, an ad exteros duntaxat, an vero etiam ad Chananæos pertineat.

Vers. 20. 20. DOMINI ENIM SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM. — Hebraice, *a Domino erat ut indurarent cor suum.* Ita Masius. Ipsi ergo Chananæi se indurabant ut nollent cum Hebræis pacisci, non vero, ut ait Calvinus hic, ipse Deus qui veniam Chananæis negari jusserat, eos in cæcum furorem impulit, ne locum darent misericordiæ. Id tamen Domini sententia et judicio factum est, ob nefaria eorum scelera; factum, inquam, non active et impulsive, sed permissive et objective: illa nimirum providentia, quam circa peccata, sanctissima Dei majestas habet : quæ, qualis et quanta sit, explicui *Exodi* VII, 3.

Hinc elicitur quod, si Chananæi pacem a Josue et Hebræis petiissent, ac pœnitentes in unius veri Dei castum cultum cum Hebræis transire voluissent, Deum decretum suum de illis occidendis revocaturum fuisse, aut potius declaraturum illud non comprehendere Chananæos pœnitentes, sed tantum impœnitentes et in sua impietate obduratos. Ita Abulensis, Masius et alii.

Vers. 21. 21. INTERFECIT ENACIM, — id est gigantes posteros Enac gigantis.

Quæritur, quomodo Josue gigantes, eorumque urbes Hebron, Dabir et Anab deleverit, cum post mortem Josue id fecerit Caleb et Othoniel, ut dicitur cap. XIV, 12, et *Judic.* cap. I, vers. 10, 11 et 12? Abulensis, *Quæst.* LXXXV, respondet esse hic anticipationem, tribuique hic Josue illa quæ ipse inchoavit, sed posteri ejus perfecerunt. Melius respondet Masius utrumque contigisse : gigantes enim a Josue partim cæsos, partim pulsos esse ex Hebron, Dabir et Anab, cum ipse illas urbes victor percurreret; pulsos vero ac profugos, qui scilicet Josue manus evaserunt, fugisse, et sese recepisse in Gazam, Geth et Azotum, quæ erant urbes Philistinorum. Unde post mortem Josue viribus resumptis, majorum suorum sedes, scilicet Hebron, Dabir et Anab recuperarunt, rursumque occuparunt donec tandem a Caleb et Othoniele funditus fuere deleti. Id insinuat versus sequens.

Porro *Enacim* hebraice idem est quod *torquati,* torque ornati. Sic Manlius apud Romanos cogno-

minatus est Torquatus, quod Gallo in prælio torquem ademisset. Porro torques aurei militibus ob rem strenue gestam donari ab Imperatoribus solebant : unde torquati dicti qui duorum generum erant, simplares duplaresque. Vegetius, lib. II : Torquati, inquit, duplares, torquati simplares erant, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit : quem qui meruisset, propter laudem interdum duas consequebatur annonas, duplares duas, simplares unam. Torquati tamen hodie vocitari debent equites, qui vulgo cochleati dicuntur, quos Rex noster gestamine suo regioque insignivit, quique ordinem regium gestare dicuntur. Ita Budæus. Sic tradunt Rabbini gigantes hosce bellipotentes vasta sua corpora torquibus implesse et ornasse. Enacim enim erant colossæi gigantes et monstra hominum.

Vers. 23. 23. CEPIT ERGO JOSUE OMNEM TERRAM — Chananææ. « Omnem, » id est, potiorem et quasi omnem ; pauca enim intacta reliquit ; vel « omnem, » scilicet quam bello tentavit, quam adire et expugnare voluit : nullam enim adiit, quam non expugnarit, uti Deus illi promiserat cap. I, vers. 3. Aliquas tamen in Chananæa urbes non adiit, intactasque reliquit æque ac Gazam, Geth, Azotum et cæteras urbes Philistinorum, perinde ac Tyrum, Sidonem cæterasque Phœniciæ urbes, quæ tamen ambitu terræ a Deo Hebræis promissæ continebantur. Cur id fecerit, causas afferam *Judic.* II, 21.

SECUNDUM PARTES ET TRIBUS. — (*Et* significat *id est, q. d.* Secundum partes, id est, secundum tribus. Hebraice, *juxta partitiones eorum, ad tribus eorum,* id est, prout Hebræi per suas tribus erant divisi et dispertiti.

QUIEVITQUE TERRA, — id est, habitatores terræ a Josue vel occisi, vel suppressi subactique, nullum Israeli bellum moverunt. Ita Arias, Vatablus et alii.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur 31 *reges a Josue in Chananæa cæsi.*
Vide hic ut Josue regum omnium fuerit terror, imo judex et vindex.

1. Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem Orientalem plagam, quæ respicit solitudinem. 2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon ; 3. et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra Orientem, et usque ad mare Deserti, quod est mare salsissimum, ad Orientalem plagam per viam quæ ducit Betsimoth ; et ab Australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga. 4. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos. 5. Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad : terminos Sehon regis Hesebon. 6. Moyses famulus Domini, et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse. 7. Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue, et filii Israel, trans Jordanem ad Occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir : tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, 8. tam in montanis, quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus et Pherezæus, Hevæus et Jebuzæus. 9. Rex Jericho unus, rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus, 10. rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, 11. rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, 12. rex Eglon unus, rex Gazer unus, 13. rex Dabir unus, rex Gader unus, 14. rex Herma unus, rex Hered unus, 15. rex Lebna unus, rex Odullam unus, 16. rex Maceda unus, rex Bethel unus, 17. rex Taphua unus, rex Opher unus, 18. rex Aphec unus, rex Saron unus, 19. rex Madon unus, rex Asor unus, 20. rex Semeron unus, rex Achsaph unus, 21. rex Thenac unus, rex Mageddo unus, 22. rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli

unus, 23. rex Dor, et provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus, 24. rex Thersa unus; omnes reges triginta unus.

Vers. 2. 2. DOMINATUS EST, etc., MEDIÆ PARTIS IN VALLE. — Hebraice, *dominatus est in medio vallis.* Ita Septuaginta, quasi dicat: Dominatus est per dimidiam vallem, quæ dividitur fluvio Arnon, ita ut medietas fluvii et vallis adjacentis esset Sehon regis Amorrhæorum, altera vero dimidia pars esset Moabitarum. Vide *Deut.* III, 16.

Vers. 4. 4. RAPHAIM.— Ita vocabantur gigantes prognati ex Rapha, sicut Enakim prognati ex Enac. Vide dicta *Genes.* XIV, 5.

QUI HABITAVIT IN ASTAROTH. — Ita dicta est hæc urbs et regia Og regis Basan, ab Astarte idolo Dianæ sive Junonis, hoc est lunæ, quæ ibi colebatur; unde et cognominabatur *carnaim*, id est, duorum cornuum, quia luna dum nascitur bicornis est. Vide dicta *Genes.* XIV, 5; sic et Baalgad, ait Arias, ex numine Fortunæ, quæ ibi colebatur, nomen accepit: *Gad* enim est fortuna, ut dixi *Genes.* XXX, 11; *Baal* est Deus.

Vers. 9. 9. REX JERICHO UNUS. — « Rex, » id est regulus, sive princeps. Singulæ enim urbes cum suis municipiis suos habebant reges, id est, rectores et principes, ut patet ex seq.; olim enim singularum urbium domini vocabantur reges, teste Aristotele, lib. III *Polit.*, Strabone, lib. XVI, et Plinio, lib. VI, cap. IX. Hinc collige quanta fuerit illius ævi simplicitas, cum reges suis contenti urbibus alias non ambirent, sed cum eis contra communes hostes, v. g. Hebræos conspirarent. Jam autem non raro videmus tantam esse hominum ambitionem, ut ei satiandæ totus mundus non sufficiat. Unde de Alexandro Magno cecinit Poeta:

> Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
> Sarcophago contentus erit.

Quid miseri mortales terram ambitis? quid agros agris, urbes urbibus, regna regnis adjicere satagitis? quid tota vita vosmetipsos in fundorum dilatatione excruciatis, cras morituri, Deo judici vindicique ambitionis, injustitiæ et tyrannidis exactam rationem reddituri? in tumulo terræ octopedali sepeliendi? in gehenna per omnem æternitatem arsuri? Hoc est terræ punctum, quod inter mortales ferro et igni dividitur. O quam angusti sunt mortalium termini? O quam angusti cæcique mortalium animi! itane terræ punctum vastissimis, pulcherrimis, opulentissimis cœlorum orbibus regnisque antefertis?

Vers. 23. 23. REX GENTIUM GALGAL UNUS.— Hebraice ad *Galgal* additur articulus *lamed*, *q. d.* « Rex Gentium Galgal, » vel in Galgala « unus. » Certum est Galgal hic non esse Galgala, ubi Josue transito Jordane fixit castra: ibi enim nulla erat civitas, nullus rex. Quare verisimiliter Masius et alii censent Galgal esse Galilæam. Hæc enim Hebraice dicitur גלילי *Galil.* *Galgal* autem idem est quod *Galil*, geminata duntaxat littera *guimel*, quod frequens est Hebræis. Unde Septuaginta in editione Romana *Galgal* vertunt *Galilæam*, nec usquam aliam invenimus *Galgal* quam Galilæam. Hæc vocatur *Gentium*, tum quia vicinos habebat Tyrios, Sidonios aliosque Gentiles; tum quia in ea habitabant et permixtæ erant variæ Chananæorum aliorumque populorum Gentes, inquit Abulensis; tum quia ad illam ob maris emporia et mercimonia magnus erat aliarum gentium concursus, ait Masius. Accessit postea quarta causa, quod Salomon Hiram regi Tyri Gentili, ob præstitam in fabrica templi operam, in Galilæa dederit viginti urbes, ut notat S. Hieronymus. Verum hæc donatio Galilææ primitus non indidit cognomen *Gentium*, sed jam inditum roboravit et confirmavit. De Galilæa plura dicam cap. seq., vers. 2.

Vers. 24. 24. OMNES REGES TRIGINTA UNUS. — Notat S. Hieronymus, epist. *ad Dardanum*, terram Hebræis a Deo promissam datamque in longitudine a Dan usque ad Bersabee continere tantum centum et sexaginta millia passuum, sive centum et sexaginta milliaria Italica; latitudinem vero, quam a Joppe ad Jordanem metimur, complecti sexaginta passuum millia: ergo angustior erat Italia, imo et Belgio. Quare tot in terra tam angusta dominari regulos, totque alios in ea superesse populos, de quibus cap. sequenti, arguit admirabilem olim fuisse soli illius ubertatem, meritoque vocari terram lacte et melle manantem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus Josue ut reliquis novem tribubus Chananæam trans Jordanem, tam bello subactam quam subigendam distribuat, sicut Moses distribuerat eamdem cis Jordanem sitam tribus tribubus, scilicet Ruben, Gad et dimidiæ Manasse. Unde, vers. 15, *recenset et repetit sortem et terminos a Mose datos tribui Ruben, ac vers.* 24, *datos tribui Gad, et vers.* 29, *datos tribui Manasse.*

1. Josue senex provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum : Senuisti, et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est: 2. omnis videlicet Galilæa, Philisthiim et universa Gessuri. 3. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem : terra Chanaan quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. 4. Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheca et terminos Amorrhæi, ejusque confinia. 5. Libani quoque regio contra Orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. 6. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi. 7. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, 8. cum qua Ruben et Gad possederunt terram quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Jordanis ad Orientalem plagam. 9. Ab Aroër quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon, 10. et cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon, 11. et Galaad, ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque ad Salecha, 12. omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim : percussitque eos Moyses, atque delevit. 13. Noluerunt que disperdere filii Israel Gessuri et Machati; et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem. 14. Tribui autem Levi non dedit possessionem; sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi. 15. Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. 16. Fuitque terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media : universam planitiem, quæ ducit Medaba, 17. et Hesebon cunctosque viculos earum quæ sunt in campestribus; Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon, 18. et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath; 19. et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis. 20. Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethiesimoth, 21. et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madian : Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terræ. 22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum cæteris interfectis. 23. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum. 24. Deditque Moyses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est : 25. Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroër, quæ est contra Rabba, 26. et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe et Bethonim; et a Manaim usque ad terminos Dabir; 27. in valle quoque Betharam, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon : hujus quoque finis, Jordanis est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad Orientalem plagam;

28. hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum. 29. Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem, 30. cujus hoc principium est : a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida, 31. et dimidiam partem Galaad, et Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan : filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas. 32. Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad Orientalem plagam. 33. Tribui autem Lèvi non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.

Vers. 1. 1. QUÆ NECDUM SORTE DIVISA EST. — Hebraice, *superest terra ad possidendum eam*, videlicet per sortis jaciendæ divisionem a te, o Josue, faciendam, ut Noster clare exprimit, idque sive ea jam a te occupata sit, ut Galilæa, sive occupanda restet, ut terra Philistina.

Vers. 2. 2. OMNIS VIDELICET GALILÆA (1). — Chaldæa, Septuaginta, recentiores Hebræi nomen גלילות *Geliloth*, accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, vertuntque *limites*, vel *littora Philistinorum* (simile dixi *Joelis* III, 4), indeque Galilææ nomen est inditum, ait Masius, vel propter sinuosos littorum et riparum recessus, vel quia fluctus illic ventis aut æstu reciprocantur volutatimque ludunt (גלל *galal* enim significat *volvere, revolvere, convolvere*), vel denique a congestis convolutisque ibidem passim arenarum tumulis. Duplex enim est Galilæa, et utraque mari adjacet, ideoque in Hebræo est nomen plurale גלילות *Geliloth, q. d. Galilæas*. Galilæa enim alia est inferior circa Tiberiadem et stagnum Genezareth, quam occuparunt tribus Zabulon et Issachar; alia est superior circa Capharnaum, Tyrum et Ptolemaida, quam occuparunt tribus Aser et Nephtali : hæc enim dicta est Gentium, quod a Gentilibus circumquaque vicinis frequentaretur, ut dixi capite XII; utraque opima erat et fertilis, fontibus aquæ perennis, ac torrentibus irrigua, totaque frumenti, vini, olei et cunctorum fructuum ferax, ideoque universa erat habitata et exculta : hinc in ea erat magna civitatum et vicorum multitudo, ac incolæ plurimi, illique fortes et pugnaces. Josephus, dux Galilæorum contra Romanos, in Vita sua narrat in Galilæa fuisse ducentum et quatuor urbes et vicos, quorum minimus continebat quindecim hominum millia.

Galilæa duplex.

Denique Galilæam nobilitavit, tum Josue, tum potius ejus antitypus Jesus Christus. Hic enim ipse conceptus et educatus est : hic et plurimum habitavit et versatus est : hic Evangelicæ prædicationis semen primum spargere cœpit, ac promulgandi Evangelii gratia, una cum Apostolis qui plerique Galilæi erant, Galilæam totam bis circumivit, singulasque ejus civitates et vicos peragravit, docens ubique in Synagogis, ejiciens dæmonia, et curans omnem morbum et omnem languorem in populo. Atque ob hanc educationem et conversationem suam, quam in Galilæa duxit, Christus Galilæus vocatus fuit. Præter quam rationem, Apostoli, quod plerique hic nati essent, etiam Galilæi appellati fuere. Quapropter et Imperatori Juliano Apostatæ, ut Eusebius et alii sæpe memorant, solemne erat ut Christum Galilæum, et tum a Christo, tum ab Apostolis Christianos omnes Galilæos nominaret. Ita Adrichomius in *Descript. Galilææ*.

Tropologice Galilæus princeps est, et cum Josue Galilæam subjugat, qui carnem domans passionesque fortiter subjugans, regnorumque et regum statuumque circulationes, revolutiones, mutationes, procellas et turbines despicit et quasi pede calcat. Galilæa enim Hebraice idem est quod tornatilis, volubilis, ait Pagninus in *Nomin. Hebræis*. Hoc est quod orat Ecclesia Dominica quarta post Pascha : « Ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. » Nam, ut ait Paulus : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philip.* III, 20; ideoque non sumus « hospites et advenæ, sed cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, » *Ephes.* II, 19.

Vers. 3. 3. A FLUVIO TURBIDO. — Is est Nilus; hic enim Hebraice vocatur שיחור *sichor*, id est turbidus, quia aqua ejus limo quem vehit, est turbida et nigra. Unde et a Græcis μέλας, id est *niger* cognominatur. Hinc et Ægyptus μελάμβωλος, id est *nigrigleba*, dicitur, ideoque pinguis et fertilis. Quapropter *Nilus* dicitur νεὰ ἰλύς, id est *novus limus*. Unde Mantuanus :

Limifer Ægyptum toto semel irrigat anno :

videlicet in æstate, dum sol est in Cancro : tunc enim Nilus exundans agros Ægypti oblimat, impinguat et fecundat. Audi Tibullum :

Fertilis æstiva Nilus abundat aqua.

Ita Lyranus, Vatablus, Arias, et S. Hieronymus epist. *ad Dardan*. Vide dicta *Jerem.* II, 18.

Dices : Terra promissa non extendebatur usque

(1) Varii interpretes censuerunt hoc nomen *Galilæa* posterius esse temporibus Josue, indeque quidam temerarii negarunt Josue verum esse hujus libri auctorem, sed absque probatione : nemo enim demonstrare potest nomen hoc posterius esse Josue, equidem in qua hypothesi non inferendum est Josue non esse hujus libri auctorem; revera nomen hoc ab inspirato copista adjungi potuit textui, ut clarior fieret.

ad Ægyptum, nec ejus terminus meridionalis erat Nilus, sed rivus quidam Nili, sive torrens de eremo veniens, qui inter Rinocoluram et Pelusium urbem Ægypti in mare ingreditur. Unde alibi in Scriptura vocatur torrens Ægypti, alibi torrens deserti. Respondeo, ita est, uti recte ostendit Ribera, *Amos* VI, num. 43. Hic tamen Nilus ponitur quasi limes et terminus terræ promissæ, tum quia torrens ille deserti, qui terræ est limes, est rivus Nili : unde multi per Nilum hic accipiunt rivum istum Nili, qui torrens deserti dicitur ; tum quia inter torrentem hunc usque ad Rinocoluram et Pelusium est desertum, terraque inutilis et inhabitata, quæ proinde non computatur, nec illius habetur ratio : quare recte dicitur Nilus, juxta quem terra est culta et fertilis, esse terminus terræ promissæ. Porro Rinocoluram versus meridiem esse terminum Judææ, docet Plinius, lib. V, cap. XIII, et Strabo, lib. XVI, et S. Augustinus lib. XVI *De Civit.* XXIV. Dicta est urbs hæc Rinocolura a naribus reorum amputatis (ῥὶν enim est nasus), quod scilicet, ut ait Strabo, homines malefici præcisis ob scelera naribus a rege quodam Æthiopum, qui in Ægyptum venerat, in ea collocati sint, quasi in exilio ad terrorem cæterorum. Hodie Pharamicam dici nonnulli asserunt.

Porro Nilus sua exundatione ita fecundat Ægyptum, ut pluvia non egeat, sitque omnium regionum fertilissima. Audi Ciceronem, lib. II *De Natura Deorum* : « Irrigat Ægyptum Nilus, et cum tota æstate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. » Augetur enim Nilus certis diebus mirum in modum, et per totam spatiatus Ægyptum, fecundissimus innatat. Unde unica spes Ægyptiis in Nilo, ait Seneca, lib. IV *Natur. Quæst.* cap. II. Audi Claudianum qui VI *Epigramm.*, 1, de Nilo ita canit :

> Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
> Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
> Gaudet aquis quas ipsa vehit Niloque redundat.

Quocirca Pharao superbiens æstimabat se non tam regem, quam Deum Ægypti, ideoque audivit a Deo : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum ; et ponam frænum in maxillis tuis, » etc., *Ezech.* XXIX, 3.

Meminit ergo Nili hic Scriptura, ut indicet Judæam illi vicinam, illoque limitatam, ejus fertilitatem participare, ut sit terra fecunda, lacte et melle manans.

TERRA CHANAAN, QUÆ IN QUINQUE REGULOS PHILISTHIIM DIVIDITUR, GAZÆOS ET AZOTIOS, ASCALONITAS, GETHÆOS ET ACCARONITAS. — Pro *terra Chanaan*, Hebraice est, *Chananæo censebitur ;* Chaldaice, *Chananæorum terræ annumerari debet, q. d.* Licet Philistini nunc has quinque Palæstinæ urbes et satrapias occupent, illæ tamen sunt Chananæorum, qui ibi primi habitarunt, indeque sedibus suis pulsi sunt a Philistinis, sive a Caphtorim, id est, Cappadocibus, *Deuter.* II, 23 ; ideoque urbes hæ limitibus Chananææ Hebræis a Deo promissæ continentur : quanquam Hebræi sua segnitie, sceleribus et culpa illas, uti et plures alias, nunquam vel certe exiguo tempore sub Davide et Salomone occuparint. Ita S. Hieronymus *ad Dardanum.*

QUINQUE REGULOS. — Hebraice, *quinque Sarnim.* Est vox Palæstina significans Satrapas, Præfectos, Principes : consentit cum Hebræo רוזנים *rozenim,* per metathesin litteræ *r* cum *s.* Chaldæus vertit *turnaia* (Chaldæi enim litteram *z* in *t* commutant), unde tyranni nomen, quo olim censebantur reges, deductum videtur, ait Arias : nam, ut ait Justinus, lib. I *Hist.* : « Quæque civitas et gens rerumpublicarum imperium ab initio penes reges (quasi rectores) habebat, quos ad hujusmodi fastigium majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat, qui et tyranni ob fortitudinem vocabantur. » Unde Virgilius, VII *Æneid.* :

> Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Qui ergo Hebraice *rozenim,* Palæstine *sarnim,* hi Persice *satrapæ,* id est Præfecti (unde Satrapia est regio sive præfectura), Chaldaice *turnaia* dicebantur. Quinque igitur erant Philistinorum urbes, quarum quælibet suam habebat satrapiam sive præfecturam, suumque satrapam sive præfectum quasi regulum, nimirum Gaza, Azotus, Ascalon, Geth et Accaron, quæ perpetua cum Hebræis gessere bella.

4. AD MERIDIEM VERO SUNT HEVÆI, OMNIS TERRA CHANAAN, — id est, Phœnicia, ait Masius. Vide dicta cap. V initio. Vers. 4.

ET MAARA SIDONIORUM. — Recentiores τὸ *Maara* accipiunt non ut nomen proprium, sed ut appellativum, vertuntque cum Masio, *usque ad prata* vel campos *Sidoniorum.* Hinc et ex vers. 6, clare patet Sidonem, æque ac Tyrum, terminis Chananææ comprehensam fuisse, ac ad terram Judæis promissam pertinuisse, etsi Judæi sua segnitie nunquam eam occuparint. Melius Noster τὸ *Maara* retinuit ut nomen proprium. *Maara* enim Hebraice speluncam significat, uti vertit hic Chaldæus, Pagninus et alii, quæ apud Sidonem exstat, estque municipium admirabile et inexpugnabile, quod postea *Cavea Tyri* dictum est, quod post Christum anno 1167, præsidiarii milites Christiani pecunia corrupti Saracenis tradiderunt, ait Tyrius, lib. XVI *Belli sacri,* cap. XI, et ex eo Adrichomius.

5. EJUSQUE CONFINIA. — Hebraice וְהָאָרֶץ הַגִּבְלִי *vehaarets haggibli,* quod recentiores cum Masio et Vatablo accipiunt ut nomen proprium, vertuntque, *et terra Gebalenorum,* id est Bybliorum. Byblus enim urbs est in Phœnicia non procul a Sidone. Unde Septuaginta vertunt, *et omnem terram Gabli.* Verum Noster propter articulum aliis punctis le- Vers. 5.

git *haggebuli*, id est, terminalis terra, puta terræ fines sive confinia. Articulus enim apud Hebræos crebrius apponi solet nominibus communibus quam propriis : quanquam utraque versio eodem redeat. Byblus enim erat confinis Sidoni, uti dixi.

DONEC INGREDIARIS EMATH. — Duplex, ait S. Hieronymus in cap. VI *Amos*, sub initium, erat Emath, scilicet major, quæ postea ab Antiocho dicta est Antiochia; et minor, quæ Epiphania est appellata : utraque est in Syria. Posterior in Scriptura ponitur terminus terræ sanctæ Judæis promissæ versus Syriam, sed exclusive; unde additur, « ad introitum Emath. » Judæa enim pertingebat fere usque ad Epiphaniam.

Vers. 7. 7. ET NUNC DIVIDE TERRAM IN POSSESSIONEM NOVEM TRIBUBUS, ET DIMIDIÆ TRIBUI MANASSE. — Nam alteri parti dimidiæ tribus Manasse, æque ac duabus cæteris tribubus Ruben et Gad, Moses jam dedit suam sortem et partem Chananææ cis Jordanem. Restant ergo novem tribus cum dimidia tribu Manasse, quibus tu, o Josue, Chananæam trans Jordanem sitam dividas. Unde sequitur :

Vers. 8. 8. CUM QUA RUBEN ET GAD POSSEDERUNT TERRAM, QUAM TRADIDIT EIS MOYSES. — « Cum qua, » scilicet dimidia tribu Manasse, non illa, quæ cum novem tribubus trans Jordanem suas sedes te sortiente accipiet, sed altera, quæ juncta est Rubenitis et Gaditis cis Jordanem. Sunt enim verba hæc non Dei, sed auctoris libri historiam suam prosequentis. Hic enim finiuntur verba Dei jubentis, novem tribubus cum dimidia Manasse a Josue distribui Chananæam trans Jordanem, atque incipiunt verba auctoris historice narrantis quomodo Moses alteri parti tribus Manasse, una cum Rubenitis et Gaditis suas terræ portiones cis Jordanem jam ante distribuerit, ut simili modo de cæteris tribubus a Josue distributis narret; unde pro *cum qua*, Hebraice est עִמָּהּ *immo*, id est, ut Vatablus exponit, *cum alia dimidia tribu Manasse*, *q. d.* Tu, o Josue, divide terram trans-Jordaninam novem tribubus et dimidiæ tribui Manasse, quia Moses alteri dimidiæ tribui Manasse et duabus reliquis tribubus (omnes enim tribus numero sunt duodecim), scilicet Ruben et Gad jam divisit terram cis-Jordaninam : sic fiet ut omnes duodecim tribus suam in Chananæa partem sortemque occupent. Hebræi enim confuse loquntur multaque simul convolvunt quæ lectori ex circumstantiis, vel alibi dictis, aut aliunde notis evolvenda, secernenda et distinguenda relinquunt. Porro sortes hæ a Mose distributæ Gaditis, Rubenitis et Manassensibus recensentur, *Num.* XXXII, vers. 32; hic vero eadem repetuntur et minutius explicantur.

Vers. 13. 13. NOLUERUNTQUE DISPERDERE FILII ISRAEL GESSURI. — Non quasi Moses cum suis a Deo jussus eos disperdere, id facere renuerit, cum ipse Deo fuerit obedientissimus; sed quod ad collocandas primum in cis-Jordanina regione duas tribus cum dimidia, satis tunc agrorum oppidorumque erat, ac cum toto exercitu trajiciendum erat in terram promissam trans Jordanem ad eam expugnandam. Hac de causa duæ illæ gentes Chananææ, scilicet Gessuri et Machati, relictæ fuere posteris expugnandæ.

Vers. 21. 21. ET OMNES URBES CAMPESTRES, UNIVERSAQUE REGNA SEHON, — *q. d.* Hæ campestres et montanæ urbes universæ pertinebant ad regna Sehon; non ergo vult dicere quod soli Rubenitæ universa regna Sehon occuparint.

QUEM PERCUSSIT MOYSES CUM PRINCIPIBUS MADIAN : HEVÆUM, ET RECEM, ET SUR, ET HUR, ET REBE DUCES SEHON HABITATORES TERRÆ. — Moses primo percussit Sehon regem Amorrhæorum, *Numer.* XXI, 21; deinde percussit quinque hos principes, Hevæum, Recem, Sur, Hur et Rebe in bello Madianitico, *Num.* XXXI. Erant enim ipsi Madianitæ; hic tamen dicuntur duces Sehon, eo quod ejus fuerint vectigales vel stipendiarii, ideoque illi suppetias tulerint contra Hebræos, sed ipso cæso redierunt in Madian, ubi paulo post ipsi quoque a Mose occisi sunt.

Vers. 25. 25. DIMIDIAM PARTEM TERRÆ FILIORUM AMMON. — Videtur hoc pugnare cum *Deuter.* II, 19, ubi dicitur : « Non dabo tibi de terra filiorum Ammon. » Respondeo cum Abulensi, Sehon regem bellicosum Ammonitis partem ditionis Sur bello ademisse, quam profligato Sehon cum aliis ejus urbibus, jure belli sibi vindicarunt Israelitæ, ideoque, *Judic.* XI, 13, rex Ammonitarum expostulavit cum Jephte, volens eam sibi restitui, sed immerito; Deus enim concesserat dederatque Hebræis omnia regna quæ parebant Amorrhæis, inter quæ erant et hæc. Nam illo loco *Deuter.* tantum excipit illa loca, quibus tunc dominabantur Ammonitæ; hæc enim eis vult relinqui. Tantum enim vetat Hebræis ne Ammonitas invadant, et cum eis bello decertent, idque in gratiam Lot eorum parentis, virique justi, qui erat nepos Abrahæ Hebræorum Patriarchæ. Hanc ergo Ammonitarum regionem Sehon subegerat, cujus ditionem dimidia ex parte possederunt Gaditæ, alteram vero dimidiam tenuerunt Rubenitæ.

QUÆ EST CONTRA RABBA, — id est, quæ est e regione sive opposita civitati Rabbæ, quæ postea a Philadelpho dicta est Philadelphia.

Vers. 30. 30. ET CUNCTA REGNA OG REGIS BASAN, — quæ fuere tria, Argob, Basan, et pars Galaad. Sæpius tamen Og vocatur rex Basan, et sub Basan cætera duo intelliguntur. Vide *Deuter.* III, 13 et seq.

Vers. 31. 31. ET DIMIDIAM PARTEM GALAAD, — scilicet dedit Moses Manassensibus; nam alteram dimidiam dedit Gaditis. Porro τὸ *et* est διηγητικόν, sive explicativum; explicat enim quæ fuerint regna Og regis Basan, aitque inter ea fuisse potiora dimidiam partem Galaad, Astaroth et Edrai.

(1) Vox hæc *Hevæum* est æquivoca; hic significat *Evi* qui fuit unus ex principibus Madianitarum, non vero *Hevæum*, quod nomen fuit unius ex populis Chananæis

DIMIDIÆ PARTI FILIORUM MACHIR.—Solus Machir, filius Manasse, fuit patri superstes; quare idem est tribus Machir, quod tribus Manasse : Machir enim, utpote solus filius, ex asse fuit hæres patris sui Manasse : Machiro tamen additus fuit Jair ejus ex filia nepos, cum alioqui Jair ob patrem esset de tribu Juda : unde posteri Jair in Galaad cum posteris Machir habitarunt, I *Paral.* II, 21 et sequentibus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præparatur divisio Chananææ per sortes in duodecim tribus; unde ei quædam præmittit, nimirum debere tribum Levi ab ea excipi, ac tribum Joseph in duas dividi, scilicet in Ephraim et Manasse, atque Calebo extra sortem dandam esse illam terræ portionem, quam ipsi ob merita olim Deus per Mosen assignarat.

1. Hoc est quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel. 2. Sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, et dimidiæ tribui. 3. Duabus enim tribubus et dimidiæ dederat Moyses trans Jordanem possessionem : absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos; 4. sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim : nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua. 5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, et diviserunt terram. 6. Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb, filius Jephone Cenezæus : Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne. 7. Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. 8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi; et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. 9. Juravitque Moyses in die illo, dicens : Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum, quia secutus es Dominum Deum meum. 10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem : hodie octoginta quinque annorum sum, 11. sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum; illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat tam ad bellandum quam ad gradiendum. 12. Da ergo mihi montem istum quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque munitæ : si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi. 13. Benedixitque ei Josue, et tradidit ei Hebron in possessionem. 14. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem : quia secutus est Dominum Deum Israel. 15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim situs est, et terra cessavit a præliis.

Vers. 1. 1. QUAM DEDERUNT EIS ELEAZAR SADERDOS (summus scilicet Pontifex) ET JOSUE FILIUS NUN, ET PRINCIPES FAMILIARUM (id est, tribuum) PER TRIBUS ISRAEL, — *q. d.* Et duodecim principes juxta duodecim tribus Israel : quæque enim tribus suum habebat principem. Hebraice, *capita Patrum* (id est, principes) *tribuum filiorum Israel.* Igitur tres hic ponuntur divisionis et sortitionis præsides et executores, scilicet primus Eleazar Pontifex, secundus Josue populi princeps, tertium ordinem faciunt duodecim principes tribuum, quorum quisque suam tribum repræsentabat, ejusque curam gerebat, ne quæ eis injuria aut sortis imminutio fieret, ut principibus tribuum contentis, omnes tribus contentæ sortitioni acquiescerent.

Porro præponitur hic Eleazar Josue, quia dignior : dignior enim est Pontifex principe et rege.

Negat id Abulensis, censetque Josue digniorem fuisse Eleazaro; sed contrarium ostendi ex ipsis Scripturæ verbis *Num.* XXVII, 21.

Vers. 3. 3. ABSQUE LEVITIS, QUI NIHIL TERRÆ ACCEPERUNT INTER FRATRES SUOS, — quia Levitarum portio erat Dominus, id est oblationes; oblationes enim et victimarum Deo immolatarum pars cedebat Levitis.

Vers. 4. 4. SED IN EORUM SUCCESSERUNT LOCUM FILII JOSEPH IN DUAS DIVISI TRIBUS, MANASSE ET EPHRAIM. — Carpit hic Masius vulgatum interpretem, quod Hebræo nonnulla adjungat. Nam in Hebræo tantum est, *quia filii Joseph fuerunt duæ tribus Manasse et Ephraim.* Verum respondeo, Nostrum id clarius interpretari vertendo : « Sed in eorum locum successerunt filii Joseph, » *q. d.* Quia seclusa tribu Levi, tantum restabant undecim tribus Chananæam divisuræ, hac de causa tribus Joseph divisa est in duas, ut numerum duodenarium tribuum Israel expleret, itaque acciperet duas terræ promissæ portiones, unam pro tribu Joseph, alteram pro tribu Levi, quam scilicet illa acceptura fuisset, si inter duodecim fuisset computata : jam autem ea exclusa, successit illi altera pars tribus Joseph', ac duodecimam tribum constituit, itaque duodecimam partem terræ promissæ obtinuit. Volebat enim Deus duodecim tribubus distribui Chananæam, ideoque eam in duodecim portiones dividi, atque hac ratione tribus Joseph successit quoque tribui Ruben in jure primogenituræ, quod erat ut primogenitus (qualis erat Ruben) duplicem portionem hæreditatis paternæ obtineret, cæteri vero fratres simplicem. Hoc jure excidit Ruben propter incestum cum Bala noverca sua commissum, ideoque illud datum est casto Joseph. Unde ipse per duos filios suos, scilicet Ephraim et Manasse, duas tribus constituit, et duplicem sortem terræ sanctæ adeptus est.

Vers. 6. 6. AD JOSUE IN GALGALA. — Ibi enim erant castra et stativa Josue et Hebræorum; quare ibidem hæc omnia gesta sunt, factaque hæc prima divisio Chananææ in quinque tribus : nam posterior divisio in septem reliquas tribus facta est in Silo, cap. XVIII, vers. 1.

LOCUTUSQUE EST AD EUM CALEB FILIUS JEPHONE CENEZÆUS. — Caleb hic exploraverat terram sanctam, missus a Mose cum Josue et cæteris decem exploratoribus, hisque illam calumniantibus et murmur populi excitantibus, Caleb cum Josue restitit, murmurque repressit, terram promissam laudando, eamque Dei ope facilem expugnatu ostendendo. Quare Deus illi in præmium jussit dari extra sortem Hebronem ejusque confinia, *Num.* cap. XIII et XIV; quæ proinde ipse hic a Josue sibi assignari deposcit. Quocirca alius est hic Caleb a Caleb, qui fuit atavus Beseleel, et filius immediatus Esron filii Phares, filii Juda, de quo I *Paral.* II, 18, uti contra R. Salomonem probavi, *Exodi* XXXI, 1. Esto hic quoque Caleb descendat de Juda et forte a Phares et Esron, sed mediantibus avis et abavis. *Caleb* hebraice idem est, quod *canis*, idque apposite, quia ipse ut canis allatravit exploratores terræ sanctæ detrahentes, murmurque populi repressit. Rursum *Caleb* idem est quod *quasi cor*, quia ipse corde generoso et magnanimo tuitus est causam fidemque Dei contra cæteros exploratores et populum murmurantem.

FILIUS JEPHONE. — Nonnulli *Jephone* accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, significans oculatum, sagacem, e פנה *pane*, quod significat aspicere, inspicere, perspicere. Verum certum est Jephone esse nomen proprium patris Caleb, cujus tamen etymon uni datum apprime convenit Calebo, utpote oculatissimo et prudentissimo.

CENEZÆUS. — Cur Caleb vocatur Cenezæus? Numerantur Cenezæi inter cæteros Chananææ populos, *Genes.* XV, 19. Sed certum est Caleb inde non vocari Cenezæum : fuit enim ipse gente et genere Hebræus, non Chananæus. Rursum fuit alius Cenez ab Esau progenitus (unde teste S. Hieronymo in *Locis Hebr.*, Idumæi nonnulli dicti sunt Cenezæi), de quo *Genes.* cap. XXXVI, vers. 15 et 42; sed certum pariter est nec ab eo Caleb dici Cenezæum : constat enim eum fuisse Judæum, non Idumæum, atque a Jacob, non ab Esau progenitum.

Dico ergo Caleb vocari Cenezæum ab avo vel proavo, qui fuit Cenez, fuitque vir eximius, ideoque nomen suum posteris communicavit, ut ab eo vocarentur Cenezæi; id ita esse colligimus ex eo quod nomen hoc Cenez frequens et celebre fuerit in familia Caleb; nam et frater Calebi, qui fuit pater Othonielis judicis, vocatus est Cenez : nepos quoque Calebi ex filio nuncupatus est Cenez, ut patet cap. seq., vers. 13; *Judic.* cap I, 13; I *Paral.* IV, 13 et 15 : idque ex avo vel præavo suo viro illustri, qui dictus erat Cenez, ut videtur. Quare non est verisimile Cenez hunc fuisse vitricum vel patruum Calebi, uti nonnulli volunt. Cenez ergo genuit Jephone, Jephone genuit Caleb, inde Caleb dictus est Cenezæus. Unde Cenezæus Hebraice idem est quod *possessio mea iste* vel *nidus meus iste*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*, *q. d.* Caleb fuit vere nepos et hæres avi sui Cenez viri illustris, ac cum possessione et hæreditate simul ejus virtutes heroicas possedit et hæreditavit : quare vere fuit, dicique potuit Cenezæus, æque ac Israelita et filius Abrahæ.

Vers. 9. 9. TERRA QUAM CALCAVIT PES TUUS ERIT POSSESSIO TUA. — Quæ fuerit hæc terra, non explicuit Moses *Numer.* cap. XIV, vers. 24; sed hinc liquet fuisse Hebronem quam adiit Caleb, dum terram cum aliis exploratoribus lustraret, cum illi eam adire non auderent ob metum gigantum eam incolentium.

Vers. 10. 10. QUADRAGINTA ET QUINQUE ANNI SUNT EX QUO LOCUTUS EST DOMINUS VERBUM ISTUD AD MOSEN, QUANDO AMBULABAT ISRAEL PER SOLITUDINEM; HODIE OCTO-

GINTA QUINQUE ANNORUM SUM. — Hic locus magnam lucem affert toti huic libro; Caleb enim hisce verbis totam istius temporis chronologiam complectitur, ex quo certo colligitur bellasse Josue cum Chananæis per sex annos, iisque subactis anno septimo divisisse eorum terram per duodecim tribus Israel. Hæc ergo est periocha et synopsis gestorum Josue.

Chronologia gestorum Josue. Josue anno sui ducatus suæque gubernationis primo, die decima mensis primi, traduxit populum Israel per Jordanem, cedentibus aquis, in terram Chanaan, ut audivimus cap. III et IV. Pascha vero celebravit in Galgalis die decima quarta mensis primi in planitie Hierichuntis; sequenti die populus comedit de frumento terræ, quo facto, mox postero die manna desiit, ut dictum est cap. V. Hinc patet Josue et Hebræos mox ab obitu Mosis, anno scilicet ineunte 41 ab exitu ex Ægypto, ingressos esse Chananæam, et eversa Jericho cum cæteris gentibus bellum gessisse, idque per sex annos. Septimo enim anno omnibus subactis, divisit Josue Chanaan Hebræis. Id ita esse patet ex collatione historiæ recensitæ hoc cap. cum iis quæ narrantur *Num.* XIII, et *Deuter.* II. Nam cum Josue inchoaret hanc divisionem, Caleb ait ei hoc versu, se cum inter alios ad explorandam terram Chanaan de Cadesbarne *Num.* XIII emitteretur, fuisse 40 annorum, et ab eo tempore ad præsens fluxisse 45 annos, seque jam 85 esse annorum. Certum est autem eum cum aliis exploratoribus fuisse missum anno secundo ab exitu ex Ægypto, *Num.* X et XIII, et *Josue* XIV, a quo anno usque ad annum 40 ab exitu ex Ægypto quo mortuus est Moses, et Josue dux constitutus, fluxerunt anni 38; jam computa ab anno 38 ad 45, habebis septem annos, quibus sex prioribus bello domitis et cæsis Chananæis, septimo eorum terram diviserunt, cum scilicet jam Caleb esset 85 annorum. Divisio ergo hæc terræ facta est anno 47 ab exitu ex Ægypto, qui fuit ducatus Josue septimus, saltem inchoatus. Ita Theodoretus hic, *Quæst.* XVI, Abulensis, in cap. XIII, *Quæst.* III, et in cap. XXII, *Quæst.* II, ubi refutat Josephum quinquennio, et Lyranum sexennio tempus belli definientem. Sic et Masius, Magalianus et alii hic. Denique hæc est communis Hebræorum sententia.

Vers. 11. 11. SIC VALENS. — Deus Calebi servavit in senecta robur pristinum, tum in præmium suæ fidelitatis, ut terra promissa, pro qua contra murmuratores steterat, vigens valensque potiretur et frueretur; tum ut testis esset oculatus omnium quæ gesta erant a Mose in deserto eaque narraret junioribus Hebræis: omnes enim murmuratores a Deo morte puniti fuere in deserto; eorum ergo filii juvenes, qui non murmuraverant, ingressi sunt terram promissam. His igitur Caleb, senex, testatus est et prædicavit mira, quæ Deus patribus præstiterat in deserto. Sic mox post Christum longævi fuere S. Joannes, S. Simeon, S. Dionysius Areopagita, S. Polycarpus aliique plures, ut posteris essent oculati vel auriti testes gestorum Christi. Similis fuit Paulus Concordiensis, cujus validam senectam ita describit S. Hieronymus, epist. 21 *ad eumdem*: « Ecce, inquit, centenus ætatis circulus volvitur, et tu semper præcepta Domini custodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum et succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt: non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit; non callidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit; non contractam rugis faciem arata frons asperat; non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit: futuræ nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit, ut peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne; justitiæ, quod tu adolescentiam in aliena ætate mentiris. »

TAM AD BELLANDUM, — cum gigantibus in Hebrone mihi a Deo data degentibus, ut eos expellam, et Hebronem expugnem mihique vindicem. Unde sequitur:

Vers. 12. 12. DA ERGO MIHI MONTEM ISTUM, QUEM POLLICITUS EST DOMINUS TE QUOQUE AUDIENTE, IN QUO ENACIM SUNT. — « Montem istum, » in quo sita est Hebron, Dabir et Anab urbes: has enim Deus promisit Calebo, *Num.* XIV, 24. Licet enim Scriptura eas ibi nominatim non exprimat, tamen Moses viva voce idipsum declaravit, ut patet ex hoc loco, scilicet terram eo loco a Deo promissam Calebo, esse montana Hebron. Causa cur Deus hæc præ aliis assignarit Calebo fuit *prima*, invicta et excelsa virtus ac fortitudo Calebi, qua paulo ante dixit se jam quinque et octoginta annorum tam esse validum animo et corpore, quam cum esset quadraginta annorum. *Secunda*, quia montana Hebronis ab Enacim, id est gigantibus, insidebantur, quos cæteri Hebræi mire formidabant, nec ausi fuissent eos aggredi, uti aggressus est Caleb. *Tertia*, quia ante annos quadraginta, Caleb ingressus fuerat hæc montana, eaque cum gigantibus lustrarat, populoque dixerat illa facile per Deum posse expugnari, cum cæteri exploratores meticulosi id negarent, populumque metu gigantum ab ingressu in terram promissam absterrerent. Voluit ergo Deus ostendere verum esse quod dixerat Caleb, ac per eum gigantes debellare. Ita Deo duce fortissimos quosque et quæque ardua superamus, si Deo nixi rem fidenter et animose aggrediamur. Deus enim opem quam promisit præstat, et incipientes adjuvat, roborat, promovet, ut rem alias difficilem facile expediant. Sic David carneam illam turrim, ut ait Chrysostomus, puta Goliath, lapillo prostravit, quia Deo confisus magno animo cum eo duellum iniit. S. Antonius, teste S. Athanasio, vidit quandoque diabolum specie gigantis caput inter nubila attollere et condere, sed ejus

fraudem agnoscens : Frustra, inquit, me tentare conaris ista mole corporis. Age si quid habes in me potestatis et virium, exere : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ, a quo trepidabo? » Quo dicto larva illa gigantea evanuit. Tales difficultatum larvas singulis objicit dæmon; sed si Deo nixi eas spernamus, ac contra eas conemur, in fumum ibunt.

IN QUO ENACIM SUNT, — puta gigantes prognati ab Enac gigante : licet enim gigantes hos Hebrone expulerit Josue cap. XI, vers. 12, tamen hinc liquet nonnullos cladem istam evasisse, ac profugisse ad Philistinos, indeque reparatis viribus rediisse Hebronem, eamque quasi avorum sedem insedisse, ideoque Calebum rursus eos expulisse.

SI FORTE. — Non quod Caleb dubitet de promissis Dei, sed quod modeste de se sentiat, vereaturque ne Dei opem sibi promissam sua culpa vel socordia avertat.

Vers. 13. 13. BENEDIXITQUE EI JOSUE, — *q. d.* Josue prospera omnia apprecatus est Calebo, et præsertim felicem expugnationis montanarum urbium quas insidebant gigantes, exitum, *q. d.* Deus te fortunet, Deus tibi benedicat, Deus gigantes tibi subiiciat. Ita Abulensis. Aliter Arias et Vatablus : Benedixit, inquiunt; id est collaudavit animos et virtutem Calebi. Masius vero, *concessit* (Calebo) *ea quæ audiebat.*

Vers. 14. 14. QUIA SECUTUS EST DOMINUM DEUM ISRAEL. — Hebraice, *quia complevit post Dominum Deum Israel,* id est, quia plene secutus est Deum, sicut eumdem olim secutus fuerat Israel sive Jacob pater et patriarcha suus. Septuaginta, *eo quod ipse secutus esset mandatum Dei Israelis.* Iidem vero, vers. 8, vertunt, *ego vero adhæsi Domino Deo meo.* Sensus est, *q. d.* Caleb non solum privatim pie sancteque vixit, sed Dei etiam gloriam, ac proximorum, puta Hebræorum, prosperitatem et salutem quibus fieri poterat modis, ad ultimum usque vitæ actum sedulo et constanter procuravit, et omnino munere illo cui eum Deus præfecerat, graviter, attente et constanter perfunctus est. Ita Masius.

Vers. 15. 15. NOMEN HEBRON ANTE VOCABATUR CARIATH-ARBE : ADAM MAXIMUS IBI INTER ENACIM SITUS EST. — Ostendit Enacim, id est, gigantes fuisse in Hebron, uti dixit vers. 12, ex eo quod Hebron olim sit dicta Cariath, id est civitas *Arbe* gigantis.

Nota primo : Hæc civitas dicta est Hebron; nam de ea dicitur *Numer.* XIII, 23 : « Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. » Deinde Hebron occupata fuit ab Arbe gigante cum suis posteris, indeque cognominata est *Cariath,* id est civitas *Arbe,* qui fuit « Adam, » id est homo, « maximus inter Enacim; » vel qui antonomastice cognominatus est *Adam,* quia homo erat maximus inter gigantes, ac in Hebron sibi sedem sepulcrumque delegerat. Unde ex Hebræo sic proprie clareque vertas, *Hebron antea vocata est Cariath-Arbe, is homo maximus fuerat inter Enacim.* Ita Chaldæus, Masius, Cajetanus, Vatablus, Arias, Pagninus et alii. Hunc genuinum hujus loci esse sensum patet ex Hebræo, et ex eo quod hic Arbe fuerit pater Enac, ut dicitur cap. XV, vers. 13, et cap. XXI, vers. 11. Ab Enac autem prognati sunt Enacim gigantes. Hinc Arbe hic vocatur maximus, tum vastitate corporis, tum principatu et imperio, tum rerum gestarum gloria, tum dignitate, ut qui fuerit pater, imo patriarcha Enacim, a quo scilicet omnis hæc gigantum soboles est proseminata, ideoque nomen ejus inditum fuit Hebroni, in qua gigantes hi habitavere. Idem liquet ex Septuaginta, qui vertunt, *nomen Hebronis olim urbs Arbe* (perperam nonnulli legunt *Argob*) *metropolis ipsorum Enacim ista.*

Aliter hæc interpretatur S. Hieronymus in cap. XXVII *Matth.*, et Quæst. *in Paralipom.*, ac Hebræi in *Berescit Rabba,* id est, in Genesi majori, atque eos secuti Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Abulensis, videlicet, *q. d.* Hebron prius vocata est *Cariath-Arbe,* id est, *civitas quatuor,* scilicet virorum illustrium, quia in ea sepulti sunt quatuor Patriarchæ, nimirum Adam, Abraham, Isaac et Jacob cum uxoribus suis. De tribus ultimis patet ex *Genesi* cap. XLVII, vers. 30, et alibi; de Adamo patet ex hoc loco. Idcirco enim S. Hieronymus hic nomen Adam protoplasto proprium retinuisse videtur, ut indicaret eum in Hebron esse sepultum, ideoque expressit τὸ *situs,* id est sepultus est, quod in Hebræo non exstat, sed subintelligi potest. Porro S. Hieronymus, licet in hanc sententiam videatur pronior, tamen eam non plane pleneque astruit. Audi eum in *Epitaph. S. Paulæ* : « Ascendit Hebron, hæc est Cariath-Arbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob et Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant; licet plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur. » S. Hieronymum sequuntur Isidorus, Rupertus, Marianus, Scotus et alii jam citati. Favet nomen *Hebron,* quod Hebraice significat societatem, conjunctionem, copulationem, nimirum in ea sepulturæ societatem acceperunt quatuor summi Patriarchæ.

Porro quod Joannes Lucidus, lib. I *De Emendat. temp.* cap. IV, censeat Adamum fuisse gigantem; ex eo quod hic vocatur « Adam maximus inter Enacim, » improbabile est : sic enim fuisset homo monstrosus a Deo conditus, ac naturæ monstrum. Dicitur ergo « maximus inter Enacim, » non proceritate, sed dignitate, quia fuit primus homo creatus a Deo, et parens cæterorum omnium, item dotatus magna scientia, sapientia, gratia, positusque in paradiso. Illud autem, « inter Enacim, » tantum significat eum in Hebrone inter Enacim esse sepultum. Rursum S. Hieronymus suam sententiam accepit ab Hebræis, qui in *Berescit Rabba*

scribunt, ideo nomen *Arba*, quod significat quatuor, illi urbi esse impositum, quia priscis sæculis quatuor illic viri habitaverunt, Aner, Escol, Mamre et Abraham; iidem illic sint circumcisi; quatuor item matronæ celeberrimæ ibidem sepultæ fuerunt, Heva, Sara, Rebecca et Lia : et quatuor Patriarchæ Adam, Abraham, Isaac et Jacob : et quod ex eo loco Abraham quatuor reges insecutus percusserit. Verum ut plurima quæ sunt in illis Commentariis, fictitia esse constat, sic hæc parum firma et probabilia esse debent.

Audi nunc Abulensem : Iste est verior et communior sensus, quem omnes fere Catholici tenent. Nam Adam vixisse perhibetur apud urbem Hebron, et ibi finivisse dies suos, ibique sepultus est cum Eva conjuge ; ibi quoque eum a Deo formatum esse perhibent. Nam extra paradisum eum plasmatum constat. Eva autem formata est in paradiso ex costa Adæ, *Genes.* II ; sic quoque testantur Gentes, quæ nunc habitant apud urbem Hebron, quæ ab incolis Vallis lacrymarum dicitur, eo quod Adam ibi Abelem a Caino occisum luxerit centum annis. Hæc Abulensis. Eadem tradunt Saligniacus, Bredembachius, Borchardus, et ex iis Adrichomius in *Descript. tribus Juda*, num. 7, 90, 91, 100 et 145. Hinc et David rex inauguratus est, et regnavit in Hebron, quasi in avita patrum et avorum urbe, II *Regum* cap. II, vers. 3. Ibi quoque fuit domus Zachariæ, in qua natus et educatus est S. Joannes Baptista. Hinc et Masius in cap. XV, vers. 13, asserit vicinas Hebroni urbes fuisse nuncupatas *Dabir*, id est sacrum penetrale, et quasi oraculum ; *Cariath sepher*, id est civitas litterarum, quod in illa quasi in archivo servarentur monumenta Patrum antiquorum.

Verum hæc omnia accepta videntur ex S. Hieronymo, cujus auctoritatem posteri Latini vulgo secuti sunt. Nam cæteri antiquiores et doctiores asserunt, Adamum habitasse in Judæa ac Jerosolymis, ibique mortuum et sepultum esse non in Hebron, sed in Golgotha, sive monte Calvariæ, ubi crucifixus est Christus, imo a calvaria Adæ nomen accepisse montem Calvariæ. Ita Origenes, hom. 35 *in Matth.*; S. Epiphanius, *hæresi* 46, quæ est Tatianorum ; S. Athanasius, tract. *De Passione Domini;* S. Cyprianus, serm. *De Resurrectione;* S. Ambrosius, lib. V, *epist.* 19, et in *Lucæ* cap. XXIII; Theophylactus et Euthymius in cap. XXVII *Matth.*; quin et ipse S. Hieronymus, epist. 17 *ad Marcell.*; S. Cyrillus, Moses-Ber Cepha, lib. *De Paradiso*; S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Anastasius Sinaita, lib. VI *Hexam.*, et alii quos citant et sequuntur Suarez, III *part. Quæst.* XLVI, art. 10; et Sixtus Senensis lib. VI *Biblioth.* annotat. 132. Hos priscos sequuntur recentiores, scilicet Baronius, Pererius, Torniellus, Fevardentius qui ait hanc esse constantem Ecclesiæ sententiam, Salianus et alii.

Conantur nonnulli utramque sententiam conciliare, dicendo Adamum primo fuisse sepultum in Hebron, deinde in Golgotha. Ita Honorius Augustodunensis in *Chron.*, Vilalpandus in *Appar.* lib. I, cap. IX, Delrio, et favet Serarius : idque ob traditionem incolarum Terræ sanctæ, quam recenset Borchardus, Adrichomius et alii; Genebrardus vero lib. I *Chronol.*, ait Adamum juxta Hebræos sepultum in Hebron, juxta Patres vero in Golgotha. Ut ut est, mihi certum est id de Hebron hoc loco non significari. Nam *Adam* hic non est nomen proprium, sed appellativum, significans hominem; nec protoplastum, sed Arbe gigantem denotat. Sic II *Reg.* VII, 19, dicitur : « Ista est lex Adam (id est hominis), Domine Deus. » Et *Osee* XI, 4 : « In funiculis Adam traham eos. » *Adam*, id est hominis, quibus scilicet trahi solent homines, et sæpe alibi, præsertim in Hebræo. *Adam*, enim dicitur ab אדמה *adama*, quæ vox significat terram rubram, sicut *homo* ab *humo*, *Genes.* II. Explicat enim quis fuerit Arbe, scilicet Adam, id est homo maximus, tum mole corporis, tum potentia, dignitate et auctoritate. Unde videtur quod *Arbe* idem sit quod רב *rab*, id est magnus, potens, princeps, a radice רבה *raba*, id est multus, id est magnus fuit, ut aleph in Arbe non sit radicale, sed heemanticum sive formativum nominis; nisi malis *Arbe* proprie accipere, ut significet quatuor, et quartum vel quadratum, quasi Arbe hic fuerit quartus primorum gigantum et principum, aut unus ipse quatuor aliis par et æquipollens exstiterit.

Porro Deus propter Caleb, cui dedit Hebronem, ita in sortitione tribuum sortes direxit, ut sors tribus Juda caderet juxta Hebronem, ne Caleb eam possidens a sua tribu Judæ divelleretur. Denique Calebi sepulcrum juxta Hebronem assignat S. Hieronymus, Adrichomius et alii.

ET TERRA CESSAVIT A PRÆLIIS. — Clausura hæc more Hebræo referenda est ad antecedentia, non proxime, sed remote, scilicet ad bella a Josue confecta, de quibus actum est superioribus capitibus, *q. d.* Bellis confectis, suppressisque Chananæis, cum sorte dividenda esset eorum terra duodecim tribubus Israel, cumque suam in ea sortem a Josue petiisset et impetrasset Caleb, terra ista quievit a prœliis, utpote victoribus Hebræis iam subdita.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue per sortes dividit Chananæam duodecim tribubus. Igitur hoc cap. primo, narrantur regiones quæ sorte obtigere tribui Judæ. Deinde, vers. 13, *quomodo Caleb armis obtinuerit Hebronem locaque vicina. Tertio, vers.* 21, *numerantur civitates quæ in hac sortitione tribui Judæ obvenerunt.*

Porro sors tribus Judæ major fuit sortibus aliarum tribuum, tum quia tribus Juda erat major et numerosior cæteris omnibus, ut patet num. 2, 3 *et seq.; tum quia Caleb extra sortem in tribu Juda jussu Dei obtinuit confinia Hebronis.*

1. Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit : A termino Edom, desertum Sin contra Meridiem, et usque ad extremam partem Australis plagæ. 2. Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus, quæ respicit Meridiem. 3. Egrediturque contra Ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina : ascenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et cicuiens Carcaa, 4. atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti; eruntque termini ejus mare magnum. Hic erit finis Meridianæ plagæ. 5. Ab Oriente vero erit initium mare salsissimum usque ad extrema Jordanis : et ea quæ respiciunt ad Aquilonem, a lingua maris usque ad eumdem Jordanis fluvium. 6. Ascenditque terminus in Beth Hagla, et transit ab Aquilone in Beth Araba : ascendens ad lapidem Boen filii Ruben, 7. et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso Ascensionis Adommim, ab Australi parte torrentis, transitque aquas, quæ vocantur Fons solis : et erunt exitus ejus ad fontem Rogel. 8. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad Meridiem; hæc est Jerusalem : et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis Raphaim contra Aquilonem, 9. pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephthoa, et pervenit usque ad vicos montis Ephron; inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum. 10. Et circuit de Baala contra Occidentem, usque ad montem Seir : transitque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem in Cheslon; et descendit in Bethsames, transitque in Thamna, 11. et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere : inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala; pervenitque in Jebneel, et magni maris contra Occidentem fine concluditur. 12. Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis. 13. Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus : Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. 14. Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac. 15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. 16. Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater (1) Caleb junior : deditque ei Axam filiam suam uxorem. 18. Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb : Quid habes, inquit? 19. At illa respondit : Da mihi benedictionem. Terram australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius. 20. Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas. 21. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a Meridie : Cabseel et Eder et Jagur, 22. et Cyna et Dimona

(1) Fratris nomen in Scripturis non raro in sensu extenso sumitur, Othoniel erat consobrinus Caleb filius Jephoniæ.

et Adada, 23. et Cades et Asor et Jethnam. 24. Ziph et Telem et Baloth. 25. Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor, 26. Amam, Sama et Molada, 27. et Asergadda et Hassemon et Bethphelet, 28. et Hasersual et Bersabee et Baziothia, 29 et Baala et Iim et Esem, 30. et Eltholad et Cesil et Harma, 31. et Siceleg et Medemena et Sensenna, 32. Lebaoth et Selim et Aen (1) et Remmon : omnes civitates viginti novem, et villæ earum. 33. In campestribus vero : Estaol et Sarea et Asena, 34. et Zanoe et Ænganim et Taphua et Enaim, 35. et Jerimoth et Adullam, Socho et Azeca, 36. et Saraïm et Adithaim et Gedera et Gederothaim : urbes quatuordecim, et villæ earum. 37. Sanan et Hadassa et Magdalgad. 38. Delean et Masepha et Jecthel. 39. Lachis et Bascath et Eglon, 40. Chebbon et Leheman et Cethlis, 41. et Gideroth et Bethdagon et Naama et Maceda : civitates sedecim, et villæ earum. 42. Labana et Ether et Asan, 43. Jephtha et Esna et Nesib, 44. et Ceila et Achzib et Maresa : civitates novem, et villæ earum. 45. Accaron cum vicis et villulis suis. 46. Ab Accaron usque ad mare : omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus. 47. Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum vicis et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus ejus. 48. Et in monte : Samir et Jether et Socoth. 49. Et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir : 50. Anab et Istemo et Anim, 51. Gosen et Olon et Gilo : civitates undecim, et villæ earum. 52. Arab et Ruma et Esaan, 53. et Janum et Beththaphua et Apheca. 54. Athmatha, et Cariatharbe, hæc est Hebron, et Sior : civitates novem, et villæ earum. 55. Maon et Carmel et Ziph et Jota. 56. Jezrael et Jucadam et Zanoe, 57. Accain, Gabaa, et Thamna : civitates decem, et villæ earum. 58. Halhul, et Bessur, et Gedor. 59. Mareth et Bethanoth, et Eltecon : civitates sex, et villæ earum. 60. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba : civitates duæ, et villæ earum. 61. In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha, 62. et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi : civitates sex, et villæ earum. 63. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere : habitavitque Jebuzæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

Vers. 1. 1. IGITUR SORS FILIORUM JUDÆ PER COGNATIONES (familias) SUAS ISTA FUIT.

Quali sorte divisa sit terra? Resp. Primo. Quæres, quis fuerit modus harum sortium, et quali sortitione Chananæa per duodecim tribus earumque familias sit divisa? *Primo*, Arias Montanus censet sortitionem hanc factam per Urim et Tummim, et quæ erant in Rationali Pontificis : Pontificis enim illis amicti Deumque consulentis animo, inquit, atque oculis a Deo imago objiciebatur ejus rei de qua responsum quærebatur, *Exodi* cap. XXVIII, vers. 30. Verum hoc erat oraculum, non sors, quare non sortitione, ut ait Scriptura, sed prophetia et responso Dei facta fuisset hæc divisio.

Secundo. *Secundo*, Andreas Masius opinatur Chananæam in duodecim æquales partes fuisse descriptam, et schedulis ex urna casu eductis, similive sortiendi modo cuique tribui suam terræ portionem, alteri cuivis tribui æqualem obtigisse. Verum hoc recte refellit Abulensis, *Quæst.* V, in cap. XVIII, qui cum Lyrano inæquales fuisse putat regionis portiones. Et merito : nam tribus valde erant inæquales : aliquæ enim erant numerosissimæ, uti tribus Juda erat dupla ad tribum Manasse et Benjamin, ut patet *Numer.* cap. II. Quare iniquum fuisset tribum Dan æquari tribui Juda in portione possessionis.

Tertio. *Tertio*, Abulensis censet lustratores et descriptores Chananææ illam in duodecim partes inæquales divisisse, ac cuique tribui suam partem majorem vel minorem pro sui amplitudine vel exiguitate assignasse : ivisse deinde ad sortes, ac sortes divisionem jam ab eis factam confirmasse et approbasse. Verum hoc non satis congruit cum Scriptura, quæ hic et *Num.* cap. XXVI, vers. 55 et 56, ac *Num.* cap. XXXIII, vers. 54, diserte jubet sorte dividi terram, ut quod sortitione cuique obtigerit, hoc illi cedat, ac quisque illud capiat quod sorte ei ceciderit. Unde liquet quod sors primo divisionem hanc peregerit, non vero descriptorum partitio.

Quarto. *Quarto*, Josephus lib. V *Antiq.* II, tradit sorte educta esse ex urna nomina singularum tribuum, ac illam, quæ primo educta fuit, primam optione elegisse sibi illam Chananææ partem, quam præ aliis optabat. Simili modo et optione illam, quæ secundo loco educta fuit, partem Chananææ sibi delegisse, ac deinde illam quæ tertio loco educta fuit, et ita de cæteris. Verum hæc mutila et manca est sortitio, scilicet solarum tribuum, non au-

(1) Verisimile est ut legendum sit Aën-Remmon, Hebraica enim dicit Aïn-Remmon, cap. XIX, vers. 7.

tem regionum; nec tam sortitio est, quam optio et electio : Scriptura autem dicit terram ipsam sorte fuisse dividendam, ac reipsa divisam, atque cuique tribuendam portionem prout sors cecideri t, non quam optio cujusque elegerit.

Quinto. *Quinto*, verisimilius Rabbini, lib. *De Pactis seu contract.* part. I, cap. III, tradunt duas fuisse sortium urnas, ac in unam conjecta fuisse nomina duodecim tribuum sortientium, in alteram vero nomina descriptarum regionum, ac deinde Eleazarum Pontificem urnam coram omnibus quassasse, sursumque et deorsum agitasse; deinde ex una extraxisse nomen tribus sorte casuque occurrentis, ex altera vero nomen regionis primo in manum incidentis, atque hanc regionem tribui isti sortitione hac attribuisse.

Dico ergo probabilius videri totam Chananæam descriptam fuisse in duodecim partes, non tam magnitudine quam æstimatione, puta bonitate et fertilitate (hujus enim maximam habitam fuisse rationem in æstimatione harum sortium, tradit Josephus) æquales, illasque rursum in alias minores fuisse subdivisas, ut satis colligitur ex oppidorum per singulas regiones descriptione hoc cap., vers. 31, 41, 44, 57, 62, deinde descriptores hosce dispexisse magnitudinem vel parvitatem singularum tribuum, earumque inter se proportionem iniisse, quædam quarta parte, quædam media, quædam tertia, etc., aliis tribubus erant majores, quædam minores, quædam æquales, ac proinde minores ex duodecim Chananææ portionibus jam distributis vel quartam portionis unius partem, vel dimidiam, vel tertiam duntaxat pro sua parvitate sibi deposcebant. Aliæ vero majores pro sui amplitudine præter unam integramque duodecimam Chananææ portionem, insuper aliam quartam alterius portionis partem, vel dimidiam, vel tertiam sibi adjungi, suo jure postulabant : quod enim uni minori demebatur, hoc alteri majori accedebat, et vice versa. Hoc facto, chartulas nominum duodecim tribuum in unam urnam, duodecim vero portionum regionis cum suis subdivisionibus, jam dictis in alteram urnam conjecerunt, tumque primo ex urna una eduxerunt nomen tribus, ac ex altera nomen portionis terræ primo occurrentis, illamque tribui eductæ assignarunt; sed proportione Geometrica, juxta cujuslibet tribus magnitudinem vel exiguitatem; ita scilicet ut juxta eam educerent chartulas regionis, quæ ad integram, vel dimidiam, vel sesquialteram, aut aliam portionis proportionem cuique tribui debitam continerent, v. g. Si ponamus tribum Juda fuisse duplam ad cæteras, dicendum est per sortes datam illi fuisse duplam terræ portionem, sed vicinam et contiguam, ut tota tribus simul in eadem regione habitaret, nec una pars ab alia seorsim habitando divelleretur. Rursum, simili sorte portio tribus cujusque subdivisa fuit in singulas ejus familias. Hunc fuisse sortis et sortitionis modum indicat Scriptura *Num.* cap. XXVI et XXXVII, et hic cap. XVIII et XIX, ubi pariter clare significatur illam tribum, cujus nomen primo ex urna sorte educebatur, primam ex altera urna regionis et portionis sibi cessuræ sortem eduxisse, ac deinde illam quæ secundo; tertio, quarto, etc., educebatur, quamque scilicet ordine sortis et vicis suæ. Unde cap. XIX, vers. 1, dicitur : « Et egressa est sors secunda filiorum Simeon. » Et vers. 10 : « Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon. » Et vers. 17 : « Issachar egressa est sors quarta. » Et vers. 24 : « Ceciditque sors quinta tribus filiorum Aser, » etc.

Porro videntur descriptores regionum Chananææ in prima ejus descriptione errorem commisisse, in designatione portionis quæ Judæ obvenit, aut certe in magnitudine et proportione tribus Juda cæteris tribubus æstimanda : nam nimis magnam tribui Juda partem obvenisse liquet, ex eo quod hæc tribus aliquam suæ regionis partem postea cesserit tribui Simeonis, ut patet cap. XIX, vers. 1, imo et tribui Dan, ut patet de Saraa et Estaol, quæ hoc cap., vers 33, Judæ assignantur, cum tamen cap. XIX, vers. 41, tribui Dan attribuantur, indeque ortus sit Samson, qui fuit Danita. Atque hac de causa, scilicet de errore commisso subdubitans Josue, ut eum corrigeret cap. XVIII, misit novos descriptores, qui secundo et certius septem tribubus in indivisa adhuc terra, vel si ea justo sit minor, etiam in terra jam divisa septem sortes describant.

Denique adverte : Plures in Chananæa fuere urbes idem habentes nomen, ut non mirum sit idem nomen urbis diversis tribubus adscribi. Sic una fuit Bethlehem Judæ, in qua natus est Christus, altera Bethlehem data Zabulonitis cap. XIX, 15. Sic una Samaria attributa fuit tribui Ephraim, quæ postea Sebaste dicta est, fuitque metropolis regum Israel; altera data tribui Zabulon cap. XIX, 15. Sic Bethoron alia fuit in tribu Ephraim, dicta superior cap. XVI, 5; alia inferior in tribu Benjamin, cap. XVIII, 3.

2. INITIUM EJUS A SUMMITATE MARIS SALSISSIMI,— id est, ab extremitate maris Mortui sive lacus Asphaltitis, in quem conversa est Sodoma et Pentapolis. Vers. 2.

ET A LINGUA EJUS. — Lingua maris Mortui, ait Masius, est sinus maris, quo scilicet ejus pars angustior in continentem excurrit in speciem linguæ, ubi videlicet hoc mare desinit juxta Idumæam. Graphice hoc repræsentat Adrichomius in suis *Tabulis Geographicis Terræ sanctæ*. Sic *Isaiæ* XI, lingua maris Ægypti vocatur pars sinus Arabici, quæ linguæ figura Ægyptum alluit.

4. MARE MAGNUM, — id est Mediterraneum, quod magnum est respectu maris Galilææ et maris Mortui. Alioqui absolute mare magnum est Oceanus. Vers. 4.

6. ASCENDITQUE TERMINUS IN BETH HAGLA. — Beth Hagla nunc, qui olim dicebatur Area Athad, locus est trans Jordanem, ubi Joseph et filii Israel planxerunt Jacob patrem suum, quando eum tu- Vers. 6.

lerunt de Ægypto. Unde etiam *Bethagla*, hoc est *locus gyri* dictus est, eo quod ibi more plangentium circumjecerunt in funere Jacob. Ita S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, Borchardus, Adrichomius et alii. Hagla enim Hebraice circulum et gyrum significat. Vide dicta *Genes.* L, 10.

Vers. 7. 7. RESPICIENS GALGALA, QUÆ EST EX ADVERSO ASCENSIONIS ADOMMIM. — Alia est hæc, ut videtur, Galgala a Galgala juxta Jordanem, ubi Josue sua habuit castra. Nam hæc longe distabant ab Adommim; Galgala hujus versus cap. XVIII, vers. 18, in Hebræa vocantur גלילת *Geliloth*, ubi S. Hieronymus vertit, *tumulos*. Masius opinatur Galgala hujus versus esse eadem cum Galgalis, in quibus erant idola tempore Aod Judicis, *Judic.* III, 19. Porro *Adommim* locus erat in via Jerichuntis infestus latronibus. Unde dictus est *Adommim*, id est *rubedines*, ob crebram sanguinis effusionem, quæ ibi fiebat; huncque locum notat Christus in parabola Samaritani, cum ait: « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, » *Lucæ* X, 30.

AB AUSTRALI PARTE TORRENTIS, — non Carith, ut vult quidam, sed Cedron, qui per vallem Josaphat juxta Jerusalem fluit, et tandem labitur in mare Mortuum. Ita Adrichomius.

ET ERUNT EXITUS EJUS AD FONTEM ROGEL, — *q. d.* Idemque exit et terminatur « ad fontem Rogel, » id est, ad fontem Fullonis : qui Hebraice dicitur *rogel* a רגאל *regel*, id est, pes, eo quod fullo pedibus suis calcans pannos abluat. Erat hic fons juxta Jerusalem, hortosque regios irrigabat, juxta quem Isaias, Achaz regi Christum ex Virgine nasciturum prædixit *Isaiæ* VII, 36.

Vers. 8. Gehennom quid? 8. ASCENDITQUE PER CONVALLEM FILII ENNOM, — puta per Gehennom : גיא *ge* enim vallem significat. Porro Gehennom, ait Adrichomius, quæ et Benhennom, id est vallis filiorum Ennom, locus erat in suburbanis Jerusalem, contra Orientem sub monte Offensionis, juxta piscinam Fullonis, ut Tempe amœnissimus, fontibus Siloe, ac fluxu torrentis Cedron irriguus, viridariis et hortis consitus totusque nemorosus ac deliciis plenus.

In hac valle parentes immolabant et cremabant suos infantes idolo Moloch, et ne ejulatus eorum audirentur, pulsabant טוף *toph*, id est tympanum. Unde locus dictus est *Tophet*. Fuit hoc præludium et viva species inferni, qui inde dictus est gehenna. Vide dicta *Levit.* XVIII, 21.

HÆC EST JERUSALEM. — Dices : Quomodo Jerusalem hic numeratur in sorte tribu Juda, cum alibi dicatur esse in tribu Benjamin? Respondet Abulensis, cap. XVIII, in fine, Jerusalem proprie pertinuisse ad sortem Benjamin, ut patet cap. XVIII, vers. ult., et *Judic.* I, vers. 21, fuisse tamen tribui Judæ confinem, ut hoc loco significatur; unde factum est sequentibus annis, ut connivantibus Benjamitis, vel etiam eis invitantibus Judæi ex Juda oriundi Jebusæos validissimos, Jerusalem occupantes, ex ea expulerint, urbemque jure belli sibi vindicarint, ac caput regni effecerint. Sicut David urbem Siceleg, quæ hic Simeonitis annumeratur, Philistinis extorsit suæque tribui Juda adjunxit, I *Reg.* XXVII, 6. Sic et Josephus Jerusalem Benjamitis attribuit lib. V *Antiq.* cap. I et II. Hinc et Moses, *Deuter.* cap. XXXIII, 12, prædicit in sorte Benjamin, id est, in Jerusalem ædificandum fore templum, in quo Deus habitet. Aliqua tamen Jerusalem pars pertinuit ad tribum Juda, ut patebit ex verbis proxime sequentibus.

ET INDE SE ERIGENS AD VERTICEM MONTIS (Sion sive Moria, in quo Salomon ædificavit templum) QUI EST CONTRA GEHENNOM AD AQUILONEM IN SUMMITATE VALLIS RAPHAIM (id est gigantum, qui a Rapha oriundi dicti sunt Raphaim), CONTRA AQUILONEM. — Sensus est, *q. d.* Sors tribus Judæ Aquilonaris, postquam a valle Ennom pertigit ad sedes Jebusæi, in radice montis Moria sese attollit, indeque protenditur usque ad verticem montis ejusdem, qui mons est e regione vallis Ennom, eamque habet ad Orientem; idem deinde mons flectitur ad occidentem Jerosolymæ, ibique desinit in extremitate vallis Raphaim, quæ respicit Aquilonem. Hinc patet aliquam partem urbis Jerusalem pertinuisse ad tribum Juda, aliam et potiorem ad tribum Benjamin. Unde *Esdræ* XI, 4, tam filii Juda quam Benjamin dicuntur habitasse in Jerusalem; nimirum, ut hic dicitur, funiculus Juda ducebatur per verticem montis Moria ad latus Jebusæi, qui arcem occupabat, ita ut eum relinqueret ad Austrum : quare Australior pars modica montis Moria ad Juda pertinebat, ita ut reliquam montis partem Borealem, in quo ædificatum est templum, reliquamque urbem inferiorem Benjamitis relinqueret. Consentiunt enim Hebræi et Christiani templum fuisse in sorte tribus Benjamin, non Juda.

11. ET PERVENIT CONTRA AQUILONEM PARTIS ACCARON. — Hinc et magis ex vers. 45, 46 et 47, patet Accaron et cæteras quatuor Satrapias Philistinorum, puta, Azotum, Ascalonem, Geth et Gazam primitus pertinuisse ad tribum Juda, postea tamen partem eorum cessisse tribui Dan, ut patet cap. XIX, 43 : quæ enim ibi Acron vocatur est Accaron, ut manifestum est in Hebræo; licet enim eam deinde expugnarint bellatores tribus Juda *Judic.* I, tamen id fecerunt non quod Accaron ad se pertineret, sed quod ejus incolæ sibi essent infesti, utpote vicini. Denique Philistini omnes hasce quinque Satrapias tandem occuparunt, et perpetua cum Judæis bella gesserunt (1). Vers. 11.

13. CALEB VERO FILIO JEPHONE DEDIT (Josue), etc. CARIATH ARBE PATRIS ENAC, — id est, civitatem Arbe, qui fuit pater Enaci gigantis, ex quo prognati sunt Enacim gigantes. « Ipsa est Hebron. » Vers. 13.

15. ATQUE INDE CONSCENDENS VENIT AD HABITATORES DABIR, QUÆ PRIUS VOCABATUR CARIATH SEPHER, Vers. 15.

(1) In hoc vers. 11 nominatur quædam regio sub vocabulo *Jebneel*, haud dubium est quin significet *Jamnia*.

ID EST CIVITAS LITTERARUM.—Videtur ergo hæc fuisse Academia Chananæorum, in qua litterati litteras librosque quoslibet docebant. Porro hæc urbs tria habuit nomina; nam *primo*, dicta est דְּבִיר *Dabir*, quasi oraculum sapientiæ; aut a דבר *dabar*, id est, loqui, quod in ea eloquentia recteque loquendi ars doceretur; *secundo*, dicta est *Cariath Sepher*, id est, civitas litterarum; *tertio*, eadem, ut patet ex vers. 49, dicta est *Cariath Senna*, id est, urbs acuminis, in qua scilicet acute de rebus singulis disserebatur : שנן *Scanan* enim (littera *Samech* in vicinam *Schin* commutata) est acuere. Unde *Scenina* apud Chaldæos significat *acumen ingenii*, et *Scinan* acute disserere. Hinc Septuaginta ibidem vertunt, *Civitas litterarum*. Hæc ergo fuit antiquissima et prima orbis academia, quam in Scriptura legimus. Vide hic antiquitatem Academiarum. Hæc enim Academia erat celebris et vetus tempore Josue, qui Christum præcessit annis 1456. Vide Middendorpium, lib. *De Academiarum origine*. Ita Lyranus, Abulensis, Serarius, Arias et alii hic, ac Driedo, lib. IV *De Dogmat. variis*, pag. 238. Sic metropolis Hispaniæ olim Mantua nuncupata, a Mauris occupata Africane vocata est *Madrid*, id est, « mater scientiæ, » quod Mauri in ea scholas et academiam suam erexerint, uti ex Hispanicis archivis refert Serarius in cap. I *Judic.*, vers. 12. Talis quoque posteriore ævo fuit Thecua; unde sapiens illa mulier Thecuitis vocat eam matrem in Israel, ideoque rogat Davidem ut ei parcat, II *Reg.* cap. XIV, vers. 2. Talis quoque fuit urbs Theman apud Idumæos, ex qua prodiit Eliphaz Themanites, amicus Job. Unde Themanitici Sophi et Sapientes celebrantur, *Baruch* III, 23. Tales quoque fuere Athenæ in Græcia, Memphis et Heliopolis in Ægypto. Masius ex Chaldæo *Cariath Sepher* vertit, *urbem archiorum*, sive *tabulariorum* quod in ea esset Archivium, quod scilicet in ea multa vetustatis monumenta post orbis diluvium reposita fuerint. Arias vocat « Bibliothecam publicam. »

CEPITQUE EAM OTHONIEL FILIUS CENEZ FRATER CALEB JUNIOR. — « Frater, » id est, cognatus, puta fratris filius, sive nepos Calebi : nam Caleb non fuit filius Cenez, sed Jephone, ac proinde non potuit esse frater germanus Othonielis, qui fuit filius Cenez. Cenez ergo fuit frater Calebi, et pater Othonielis. Unde Septuaginta, Vaticana et Romana habent ἀδελφοῦ (Regia tamen habent ἀδελφός), id est *fratris*. Chaldæa quoque et Vatablus vertunt in genitivo, *filius Cenez fratris Caleb*, sive filius Cenez, qui fuit frater Caleb junior. Hebræi enim sæpe subticent pronomina relativa et verbum *est*. Itaque hic videtur genuinus sensus : filius Cenez. Qui (Cenez) fuit frater Caleb junior.

Masius tamen et alii censent Caleb vere fuisse fratrem germanum Othonielis, sed uterinum duntaxat, quod uterque eamdem habuerit matrem, ex qua Jephone genuerit Caleb; Cenez vero genuerit Othonielem. Poterat autem licite Othoniel, licet patruus, ducere neptem suam ex fratre, puta Axam, quia *Levit.* XVIII, vers. 9, vetatur duntaxat conjugium amitæ cum nepote, non autem neptis cum patruo. Hæc sententia est probabilis, valdeque conformis versioni Vulgatæ.

Porro Deus rem hanc totam direxit, quia destinabat Othonielem successorem Josue in principatu. Dedit ergo ei animos et vires, ut Cariath Sepher a viris fortissimis et giganteis insessam expugnaret, ut eximiæ suæ virtutis et fortitudinis specimen daret, ob quam mereretur fieri princeps, et auctoritatem Principe dignam apud populum nancisceretur; ideoque Caleb ei filiam suam Axam uxorem promisit, utpote conscius ejus virtutis, et præscius non alium quam ipsum rem tantam attentaturum.

18. QUÆ, CUM PERGERENT SIMUL,— *q. d.* Cum Axa quasi sponsa deduceretur in domum Othonielis sponsi sui. Moris enim tunc erat (uti etiamnum est multis in locis) ut sponsæ nuptæ ex parentum domo ad ædes mariti magna cognatorum turba comitante deducerentur, quæ si longius abessent, asinis vel mulis, vel equis, vel camelis (uti Rebecca *Genes.* XXIV, 64), pro regionis consuetudine, honoris causa vehebantur. Atque adeo, ait Arias, apud montanos illos viros qui rupi nostræ in Aracenæ agro (in Hispania) vicina colunt, novam nuptam ad templi usque limen asello vehi honestum putatur. Vers. 18.

Porro Rabbini hoc dant etymon Axæ. Axa, inquiunt, Hebraice idem est quod ira vel irascens, eo quod Axa adeo esset pulchra, ut quicumque intueretur eam irasceretur uxori, eo quod præ Axa videretur esse deformis. Hæc illi carnales et crassi. Longe melius Pagninus et alii : Axa, inquiunt, idem est quod eleganter calceata, adornata, et composito gradu incedens, *Isaiæ* III, 16, juxta illud *Cantic.* VII, 1 : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! » vide ibi dicta. Talis tropologice est anima modesta, quieta, composita et passionibus suis dominans.

SUASA EST A VIRO SUO. — Hebræa contrarie habent : *Impulit ipsa eum*, scilicet Axa virum suum; sed respondeo, Axam impulisse maritum, ut vel ipse peteret a patre suo Caleb terram irriguam, vel sibi permitteret eamdem ab eo petere, ac suaderet quid in ea re foret melius; maritum autem annuendo respondisse et suasisse ut ipsa peteret. Suasu ergo mariti ipsa illam petiit, ut sagaciter et breviter vertit noster Interpres; idque innuunt Septuaginta, dum vertunt, *consuluitque cum eo, petam a patre meo agrum.*

SUSPIRAVITQUE. — Hebræum תִּצְנַח *tisnach*, quod Masius, Vatablus, Pagninus et passim Hebraizantes vertunt, *dimisit se*, vel *defixit se in terram*; nam et Noster, *Judic.* IV, 21, vertit *defixit;* Septuaginta et alii, *infixit.*

Verum Nostro consentiunt Septuaginta, qui hic vertunt ἐβόησεν, id est *clamavit*, et *Judic.* I, 14, ἐγόγγυσεν, id est *murmuravit* : sive quia tam Noster

quam Septuaginta pro טצנח *tisnach*, legerunt תאנח *teenach*, id est *ingemuit, suspiravit;* nam א et ע sunt litteræ vicinæ : sive quia צנח *tsanach*, subinde pro affini אנח *anach* capi sciebant, quod nos jam scire non possumus, eo quod verbum *tsanach* nusquam alibi reperiatur. Et sane suspirasse Axam, ac suspirio permovisse patrem ad concedendum ea quæ postulabat, valde est verisimile. Hic enim est feminarum mos, hæc earum est ars.

Vers. 19. 19. AT ILLA RESPONDIT : DA MIHI BENEDICTIONEM. — Acute et apposite, ait Arias, prudens sagaxque puella usa est voce Hebræa ברכה *berecha*, quæ et benedictionem, et faustitatem, et bonas preces, et singulare beneficium, privilegium, fertilitatem, atque etiam aquæ copiam significat. Omnia enim hæc, unica voce *berechu* postulabat Axa.

Allegorice Rupertus in lib. *Judic.* cap. II : « Othoniel, ait, est Christus, Salvator noster et judex, qui Cariath Sepher, id est, civitatem litterarum percussit, quæ prius Dabir, id est, loquens sive loquela vocabatur, quando manifestata veritate Evangelii loquacem Scribarum et Pharisæorum Synagogam in littera legis gloriantem redarguit, » etc. Et paulo inferius : « Proposito sibi præmio ut acciperet Axam conjugem, id est, novam de gentibus Ecclesiam; cujus pater per fidem factus est Caleph, quod interpretatur quasi cor, scilicet Deus qui nobis factus est quasi cor, dicendo : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Hinc ipse qui factus est ei vir Salvator mundi, suasit ut peteret a patre suo agrum. Docuit enim Ecclesiam suam orare, et petere a Deo Patre regnum cœlorum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleph : Quid habes? Axa sedens asino suspirat, quando conversa ad Christum Ecclesia, prima jam gratia, id est, peccatorum remissione percepta secundam gratiam, id est, Sancti Spiritus illustratione regni cœlestis desiderium postulat. »

TERRAM AUSTRALEM ET ARENTEM DEDISTI MIHI, JUNGE ET IRRIGUAM. — Licet enim Auster in Europa sit pluvius et fecundus, ideoque terra Australis sit fecunda : Judæis tamen Auster, utpote a vasta Arabiæ solitudine spirans, est calidus, urens et siccus, ideoque humorem terræ exsugens, eam facit aridam et sterilem; ventus vero Occidentalis, utpote e mari veniens, Judæis est pluvius et fecundus, ut patet III *Reg.* XVIII, 44; *Amos* V, 8; *Luc.* XII, 54.

DEDIT ITAQUE EI CALEB IRRIGUUM SUPERIUS ET INFERIUS. — Hebraice גלות מים *gulloth maim*, id est, ait Masius, vortices aquarum, sive scatebras vel scaturigines, quibus quasi terræ venis ebullientes aquæ volutatim (גלל *galal* enim significat volvere, convolvere) protrudi videntur, easque duplices, scilicet superiores quibus clivosa; et inferiores, quibus pleniora loca et campi irrigari, itaque fecundari possint. Cum scatebris : fundos quoque earum accipe, uti mox dicam. Itaque quoque Theodoretus, Quæst. II in lib. *Judic.*, et Procopius, qui addit Symmachum vertisse, *possessionem in superioribus, et possessionem in inferioribus*. Per quæ tropologice, ait Procopius, innuit facultatem cœlestis ac sublimis cogitationis, æque ac humiliationis; quare possessio superior est oratio et meditatio; inferior, humiliatio et mortificatio.

Planius et pressius S. Gregorius (quem sequitur Rupertus), lib. III *Dial.* cap. XXXIV, et lib. VI *Registri*, epist. 23 *ad Theoctist.*, docet duplicem hic notari compunctionem : « Axa, inquit, super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram Australem et arentem habent; sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet nimis ut timore supplicii aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetraverunt deplorent. » Quocirca mox subjungit : « Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorari debuisset. » Unde paulo ante dixit : « Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis. » Audi S. Augustinum, lib. *Meditat.* cap. XXXVI : « Da mihi, inquit, evidens signum amoris tui : irriguum lacrymarum fontem, jugiter emanantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem; ipsæ prodant, ipsæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere. »

IRRIGUUM. — Perperam in Septuaginta legitur λύθρωσιν, id est, *redemptionem*, uti legunt Theodoretus, S. Augustinus, Procopius pro λούθρωσιν, id est, *ablutionem, irrigationem*, ut vertit Theodotion. Cajetanus, per irriguum superius accipit fontes in montibus erumpentes, per inferius puteos. Alii per irriguum superius accipiunt agrum pluviis irriguum, sive qui pluviis rigari solet; per inferius, fontes. Alii melius intelligunt agros et fundos montanos, et declives fontibus aquisque irriguos; poterant enim filiæ fundorum esse hæredes, si nuberent viro suæ tribus et familiæ; tunc enim non transferebantur ad aliam tribum et familiam, quod tantum vetatur *Numer.* XXXVI, vers. 6.

Vers. 32. 32. OMNES CIVITATES VIGINTI NOVEM. — Sunt septem et triginta, si singula nomina numeres; sed inter eas vici quidam celebriores commemorati sunt, ut proprie urbes fuerint novem et viginti duntaxat. Ita Masius.

Vers. 62. 62. ET CIVITAS SALIS.— Ita dicta, eo quod vicina sit mari Mortuo sive salso; aut quod juxta eam uxor Lot respiciens retro, versa sit in statuam salis, aut quod in ea essent salinæ, in quibus aquæ e vicino mari Mortuo sive salso calore solis decoquebantur, ex iisque fiebat sal. Nonnulli suspicantur hanc esse Segor, in quam fugit Lot, *Genes.* XIX, 23. Adrichomius tamen et alii illam a Segor distinguunt, et propriam per se civitatem salis constituunt.

Vers. 63. 63. JEBUSÆUM AUTEM HABITATOREM JERUSALEM NON POTUERUNT FILII JUDA DELERE, — ob suam socordiam et peccata, quibus irritatus Deus opem suam eis subtraxit, ut dicitur *Judic.* cap. II, vers. 20.

Quin et Davidis tempore Jebusæos habitasse inter Israelitas, adeoque Davidem eis eripuisse arcem Sion, nec tamen eos omnino eliminasse, sed subjugasse duntaxat, ac Jebusæos ut in jus ditionemque, sic et in sacra religionemque Israelitarum transisse colligitur ex II *Reg.* XLII, 22, ubi David ab Areuna Jebusæo emit aream in qua Deo immolaret. Ita Masius. Est prolepsis. Nam hæc post felicia Josue tempora sub Judicibus contigerunt: igitur Josue cepit Jerusalem, ejusque regem Adonisedec cum aliis quatuor regibus occidit, ut audivimus cap. X; arcem tamen Jerusalem non cepit, sed eam tenuere Jebusæi: inde factum, ut iidem post obitum Josue sensim urbem totam rursum occuparint, uti occuparunt Hebron et Dabir a Josue ante expugnatas; hinc necesse fuit ut filii Juda Jerosolymam expugnarent, quod fecerunt post mortem Josue, ut audiemus *Judic.* I. Perperam ergo R. David ait non licuisse Judæis expugnare Jerusalem, eo quod eam tenerent Jebusæi oriundi ex Abimelech, cum quo Abraham fœdus inierat *Genes.* XXI; sed id fecisse Davidem, cum fœdus hoc longinquitate temporis esset extinctum. Hæc enim mera sunt figmenta.

Tropologice, Jebusæus Hebr. idem est quod calcator (בוס *bus* enim significat calcare); hic significat nostram concupiscentiam, ejusque motus, qui Judæum, id est, rationem et mentem fidei et pietatis erga Deum professorem, quotidie exagitant, vexant, proculcant, nec viribus nostris expelli possunt, sed Davide opus est, is est Christus ex Davidis sanguine ortus; sed neque hic illos prorsus exterminat, sed subigit, ut assidue cum eis luctando, eosque supprimendo, perpetuum habeamus bellandi et vincendi exercitium.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur fines limitesque regionis, quæ sorte tribui Ephraim obvenit.

1. Cecidit quoque sors filiorum Joseph, ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab Oriente: solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel: 2. et egreditur de Bethel Luza, transitque terminum Archi, Atharoth; 3. et descendit ad Occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Beth horon inferioris, et Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno; 4. possederuntque filii Joseph Manasses et Ephraim. 5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: et possessio eorum contra Orientem Atharoth-addar usque Bethoron superiorem. 6. Egrediunturque confinia in mare; Machmethath vero Aquilonem respicit, et circuit terminos contra Orientem in Thanathselo: et pertransit ab Oriente Janoe; 7. descenditque de Janoe in Atharoth et Naaratha: et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem. 8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum. Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. 9. Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum. 10. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

Vers. 1. 1. CECIDIT QUOQUE SORS FILIORUM JOSEPH, — scilicet Ephraim et Manasse, qui, ut audivimus cap. XIV, vers. 4, duas tribus constituerunt. Jam dimidia tribus Manasse portionem regionis suæ a Mose acceperat cis Jordanem; restabat ergo altera dimidia cum tota tribu Ephraim, quæ hic a Josue trans Jordanem partem suam sorte accipiunt, sed ita ut sors Manasse vicina esset et con-

tigua sorti Ephraim. Hoc capite ergo describitur sors Ephraim, sequenti vero cap. sors dimidiæ tribus Manasse; utrique deinde lateralis et contigua erat sors Betribus njamin. Graphice singularum tribuum sortes, urbes, montes et fluvios describunt S. Hieronymus et Eusebius, in *Locis Hebr.*, Masius hic et Arias in *Apparatu Biblior. Regior.* libro *Caleb*, atque eadem in *Tabulis Geographicis* oculatim spectanda exhibet Adrichomius, etsi nonnulla in eis desiderentur. Eas adeat Lector; spinosum enim esset et operosum, ac Lectori tædiosum parumque utile, si ea hic commentando persequerer.

Vers. 8. 8. IN VALLEM ARUNDINETI. — Masius et alii, *in torrentem arundinis.* Valles enim, per quas labuntur torrentes et aquæ, fertiles sunt arundinum; hæ enim nascuntur in locis paludosis et humectis.

SUNTQUE EGRESSUS EJUS IN MARE SALSISSIMUM, — id est, in mare quod natura sua est salsum. Hebraice *mare salis*, quod Noster vertere solet *mare salsissimum*, significat mare Mortuum, sive lacum Asphaltitem, ut patet cap. XVIII, vers. 19; *Numer.* cap. XXXIV, vers. 3, et alibi. Verum hic illud accipi nequit : ab eo enim longe abest tribus Ephraim; quare hic accipi debet mare Mediterraneum. Unde Serarius opinatur τὸ *salsissimum* hic irrepsisse; nam eo carent Hebræa, Chaldæa et Græca, illudque Noster omittit cap. seq., vers. 9, ubi mare (scilicet Mediterraneum) assignat terminum tribus Manasse, quæ contermina erat tribui Ephraim.

9. URBESQUE SEPARATÆ SUNT FILIIS EPHRAIM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE, ET VILLÆ (id est, pagi vel vici suburbani, ait Masius) EARUM, — *q. d.* Cum sors urbium quæ ceciderat tribui Ephraim, non sufficeret tantæ multitudini Ephraimitarum, adjunctæ sunt eis aliquæ urbes ex tribu Manasse, quæ tribui Ephraim erat cognata et contermina. Vers. 9.

10. HABITAVITQUE CHANANÆUS IN MEDIO EPHRAIM USQUE IN DIEM HANC TRIBUTARIUS. — Factum hoc ex ignavia Ephraimitarum; jusserat enim Deus Chananæos exterminari, nec fœdus cum eis iniri etiam sub pacto tributi. Vers. 10.

Tropologice S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XXII: « Quid Chananæus, inquit, gentilis videlicet populus nisi vitium significat? et sæpe magnis virtutibus terram repromissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate roboramur; sed dum inter acta sublimia vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens et in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva quæ appetit non expugnat. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur fines dimidiæ tribus Manasse cis Jordanem, et alterius dimidiæ trans Jordanem, vers. 5, quæ pariter reliquit in sua sorte nonnullos Chananæos, eosque fecit sibi tributarios. Denique, vers. 14, conquerentibus filiis Joseph de habitatione angusta, Josue respondit ut armis sibi spatia laxent, ejiciendo Chananæos ex montibus.

1. Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Joseph) : Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad, et Basan: 2. et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida; isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas. 3. Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse, non erant filii, sed solæ filiæ : quarum ista sunt nomina : Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa. 4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum, dicentes : Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. 5. Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem. 6. Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant. 7. Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem : et egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ. 8. Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos

Manasse filiorum Ephraim. 9. Descenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare: 10. ita ut possessio Ephraim sit ab austro, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et conjungantur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente. 11. Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nophet. 12. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. 13. Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos. 14. Locutique sunt filii Joseph ad Josue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus? 15. Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. 16. Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezrael mediam possidens vallem. 17. Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis, non habebis sortem unam, 18. sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: et poteris ultra procedere, cum subverteris Chananæum quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.

Vers. 1. 1. IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS JOSEPH (1). — Dat causam cur tribus Manasse fuerit una e tribubus quæ Chananæam sorte diviserunt, nimirum quia licet Manasse non esset filius Jacobi patriarchæ, sed nepos, tamen quia filius erat Josephi, Jacob eum sibi in filium adoptarat, et pari jure cum cæteris filiis suis immediate Chananæam dividere et hæreditare jusserat *Gen.* XLVIII.

MACHIR PRIMOGENITO (imo unigenito) MANASSE.— Hic enim non alium reliquit filium quam Machir, qui fuit pater Galaad. « Qui (Galaad) fuit vir pugnator, non in Chananæa, sed in Ægypto sub Pharaone in bellis Ephraimitarum, qui cæsi narrantur I *Paral.* cap. VII, 21. Galaad enim natus est in Ægypto vivente adhuc Josepho avo; quare Pharaoni in bellis servire potuit ante cœptam ejus in Hebræos persecutionem *Exodi* I. Videtur Galaad mortuus in Ægypto, vel certe in deserto; nam in egressu Mosis et Hebræorum ex Ægypto, ipse, si adhuc vixit, fuit 140 annorum; in ingressu vero Hebræorum in Chanaan fuisset 180 annorum, quæ ætas nulli illo ævo contigit.

Vers. 4. 4. DOMINUS PRÆCEPIT, — *Numer.* XXVII. Vide ibi dicta.

Vers. 5. 5. ET CECIDERUNT FUNICULI MANASSE DECEM, ABSQUE TERRA GALAAD ET BASAN TRANS JORDANEM. — « Funiculi, » id est, portiones, sive sortes hæreditariæ; olim enim funiculis dimetiebantur limites et hæreditates, sicut jam metiuntur virgis vel baculis mensoriis, esto hæc tantæ terræ dimensio non sit facta funiculis (hoc enim nimis longum et operosum fuisset), sed oculari inspectione et spatii æstimatione. Est ergo catachresis.

Porro tribus Manasse divisa fuit in duas partes. Dimidia enim tribus obtinuit Galaad et Basan cis Jordanem, altera dimidia obtinuit suas sortes trans Jordanem, easque decem, quia decem familiis Manasse dandæ erant decem sortes, nimirum quinque filiis, scilicet Abiezer, Heleć, Esrel, Sichem et Semida, vers. 2, et quinque filiabus Salphaad, scilicet Maala, Noa, Hegla, Melcha et Thersa; nam sextus filius Hepher nullos genuit filios nisi Salphaad, qui hasce quinque filias duntaxat post se reliquit, sibique substituit, vers. 3.

Vers. 8. 8. ETENIM IN SORTE MANASSE CECIDERAT TERRA TAPHUÆ, QUÆ (terra Taphuæ) EST JUXTA TERMINOS MANASSE, estque FILIORUM EPHRAIM. — Unde ex Hebræo sic clare vertas: *Ipsius Manasse fuit terra Taphuæ: Taphua vero in termino Manasse,* fuit *filiorum Ephraim.* Sensus est, *q. d.* Terra vicina urbi Taphuæ fuit filiorum Ephraim; unde versu sequenti dicitur civitates aliquas Ephraim (uti erat Taphua) fuisse in medio urbium Manasse. Idem dixit cap. VI, vers. 9. Causa erat quod tribus Ephraim esset copiosor et numerosior, quam in regione, quæ sorte sibi obtigerat, tota commode habitare posset; quare terminos ejus nimis arctos laxare oportuit, ut aliquas in sorte Manasse urbes occuparet et incoleret, relictis tamen agris vicinis ipsi tribui Manasse, eo quod agri, qui tribui Ephraim obtigerant, adeo fertiles essent, ut toti tribui alendæ sufficerent. Ita Masius et alii.

(1) Primogenitus erat Manasse, quamvis sit nominatus ultimus in sorte a Jacob, id est post tribum Ephraim.

Vers. 11. 11. FUITQUE HÆREDITAS MANASSE IN ISSACHAR ET IN ASER. — « In, » id est, juxta, vel in confinio et quasi complexu tribuum Issachar et Aser, quomodo Hebraice dicitur urna aurea habens manna, et virga Aaron fuisse in arca, id est, juxta arcam; nam in arca erant duntaxat tabulæ legis. *Hebr.* IX, 4. Vide ibi dicta.

« Bethsan, » quæ postea dicta est Scytopolis, id est, Scytharum civitas, quod a Scythis habitata sit, uti indicat S. Augustinus, Quæst. VIII in lib. *Judic.*; Josephus, lib. V *Antiq.* cap. I; Herodotus, lib. I, et alii.

Vers. 14. 14. LOCUTIQUE SUNT FILII JOSEPH (puta Manassenses et Ephraimitæ) AD JOSUE ET DIXERUNT : QUARE DEDISTI MIHI POSSESSIONEM SORTIS ET FUNICULI UNIUS, CUM SIM TANTÆ MULTITUDINIS, ET BENEDIXERIT MIHI DOMINUS? — *q. d.* Cur nobis qui facimus duas tribus, scilicet Ephraim et Manasse, tam angustos dedisti limites, ut unius funiculi, id est unius sortis et tribus esse videatur, quia vix uni soli tribui sufficiunt; cum tamen Deo nobis benedicente in magnam multitudinem excreverimus? Dicunt hoc, non quod regiones eis sorte assignatæ utrique tribui non sufficerent, sed quod pleræque possiderentur a Chananæis, quos ipsi expellere se posse diffidebant, eo quod arces et urbes in montibus et rupibus occuparent situ et arte munitas. Sperabant ipsi se a Josue, utpote suo coutribuli (erat enim Josue ex tribu Ephraim) obtenturos ut ex aliis tribubus regiones aliquæ pacificæ sibi assignarentur. Sed stetit Josue fortis, noluitque aliis tribubus quidquam adimere, quod suæ tribueret. Nihil ergo dedit carni et sanguini, sed totum justitiæ, justamque distributionem jam factam confirmavit. Unde ait :

Vers. 15. 15. SI POPULUS MULTUS ES, ASCENDE IN SILVAM, ET SUCCIDE TIBI SPATIA IN TERRA PHEREZÆI ET RAPHAIM, — *q. d.* Si abundas hominibus, et quæris laxiora ad habitandum spatia, noli ea postulare in aliis tribubus cum illorum injuria, sed spatia tibi assignata in terra Pherezæi et Raphaim iis expulsis, et instar silvæ excisis, occupa, excole, ædifica. Est metaphora; terram enim a Chananæis occupatam vocat silvam, eo quod sicut silva exscindi debet, ut locus arari possit; sic exscindendi erant Pherezæi, ut eorum terram occuparent Josephitæ.

Vers. 16. 16. NON POTERIMUS AD MONTANA CONSCENDERE, CUM FERREIS CURRIBUS UTANTUR CHANANÆI. — Erant hi falcati currus, qui falcibus et gladiis armati in hostes immissi; homines et obvia quæque secabant, et quasi demetebant. Talibus usus est Darius rex Persarum pugnans contra Alexandrum Magnum. Audi Curtium, lib. IV : « Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios ergo hastæ multum ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere dimissæ falces laceravere. »

Xenophon, lib. VI *Cyropediæ*, Cyrum horum curruum facit inventorem; sed hinc liquet, tempore Josue, qui Cyrum nongentis annis antecessit, talibus curribus usos fuisse Chananæos. Porro terror iste curruum mox evanuit; nam iis opposuere milites longis hastis densatos, qui equorum ventres suffoderent, itaque iis occisis vel cæsis currus eorum inutiles redderent. Adinvenit hoc Alexander Magnus, teste Curtio, lib. IV, et Diodoro Siculo, lib. XVII : « Pedites, inquit, omnis phalangis commonuit, quando propius impulsi fuissent currus, ut clypeos conjungerent, sarissisque eos vehementer pulsarent, eo strepitu consternatos equos quadrigas retrorsum rapturos, quod ita accidit. »

Vers. 17. 17. DIXITQUE JOSUE. — Josue, nil Manassensium replica motus, stat firmus, nec aliud eis responsum dat, quam id quod jam dedit, scilicet ut armis sibi spatia laxent.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sortitio tribuum cœpta in Galgalis, sed intermissa, jussu Josue restituitur in Silo. Mittit ergo ipse mensores, qui reliquam Chananæam adhuc indivisam exactius dimetiantur, et in septem regiones pro septem reliquis tribubus partiantur. Quocirca tribus Benjamin prima unam ex septem sorte occupat, vers. 11, *cujus deinde urbes et limites describuntur.*

1. Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis Terra subjecta. 2. Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. 3. Ad quos Josue ait : Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis. 4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant atque circumeant Terram, et describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis; referantque ad me quod

descripserint. 5. Dividite vobis Terram in septem partes : Judas sit in terminis suis ab Australi plaga, et domus Joseph ab Aquilone. 6. Mediam inter hos terram in septem partes describite ; et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem : 7. quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad Orientalem plagam ; quas dedit eis Moyses famulus Domini. 8. Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam Terram, præcepit eis Josue, dicens : Circuite Terram, et describite eam, ac revertimini ad me, ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem. 9. Itaque perrexerunt, et lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine ; reversique sunt ad Josue in castra Silo. 10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque Terram filiis Israel in septem partes. 11. Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent Terram inter filios Juda et filios Joseph. 12. Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Jordane : pergens juxta latus Jericho Septentrionalis plagæ, et inde contra Occidentem ad montana conscendens, et perveniens ad solitudinem Bethaven ; 13. atque pertransiens juxta Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel : descenditque in Atharoth-addar, in montem qui est ad Meridiem Beth-horon inferioris ; 14. et inclinatur circuiens contra mare ad Meridem montis qui respicit Beth-horon contra Africum : suntque exitus ejus in Cariath-baal, quæ vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, ad Occidentem. 15. A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. 16. Descenditque in partem montis, qui respicit Vallem filiorum Ennom : et est contra Septentrionalem plagam in extrema parte Vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, Vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad Austrum ; et pervenit ad fontem Rogel, 17. transiens ad Aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est, fontem Solis : 18. et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione Ascensus Adommim ; descenditque ad Abenboen, id est, lapidem Boen filii Ruben, et pertransit ex latere Aquilonis ad campestria : descenditque in planitiem, 19. et prætergreditur contra Aquilonem Beth-hagla ; suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Jordanis ad Australem plagam : 20. qui est terminus illius ab Oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas. 21. Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth-hagla et Vallis Casis, 22. Beth Araba et Samaraim et Bethel. 23. Et avim et Aphara et Ophera. 24. Villa Emona et Ophni et Gabee : civitates duodecim, et villæ earum. 25. Gabaon et Rama et Beroth, 26. et Mesphe et Caphara et Amosa; 27. et Recem, Jarephel et Tharela, 28. et Sela, Eleph et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath et Cariath : civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

Vers. 1. CONGREGATI SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO (Silo est mons altissimus, et civitas in monte), IBIQUE FIXERUNT TABERNACULUM TESTIMONII ; — in quo scilicet erat testimonium, id est, tabulæ legis cum arca et Cherubim. Hinc patet arcam et cum arca castra Hebræorum e Galgalis fuisse translata in silo, quæ erat in tribu Ephraim, ex qua erat dux Josue. Par enim erat ut arca esset in tribu Ducis, ac Ducem populus sequeretur, præsertim quia Silo erat juxta Jerusalem (ab ea enim distabat duabus leucis sive horis duntaxat) in qua Deus sibi sedem templumque statuere decreverat. Mansit arca in Silo 350 annis et amplius, puta a Josue usque ad Samuelem, I *Reg.* XIV, 3. Rabbini putant hanc arcæ e Galgalis translationem factam anno 14 ducatus Josue, indeque computant annos Jubilæos, quos ipsi numerant 17, puta 850 annos quibus Hebræos terram promissam occupasse ipsi asserunt ; sed hallucinantur in multis. Verius Torniellus et alii censent hanc arcæ translationem factam post septem annorum bella, puta anno octavo ducatus Josue.

Tunc enim Josue Chananæam a se debellatam pacifice possedit, eamque inter duodecim tribus distribuit ; quare tunc singuli domos incolere vineasque et agros excolere cœperunt. Tunc ergo pariter leges et cæremoniæ a Deo præscriptæ per Mosen in praxin inductæ sunt, ac consequenter ritus anni septimi, pariter et quinquagesimi, sive Jubilæi.

Igitur annus octavus Josue (non primus, quo ingressus Chananæam expugnavit Jerichuntem, uti nonnulli volunt) fuit exordium horum annorum : ab illo enim numerari cœperunt anni tam Sabbatici, quam Jubilæi, juxta legem a Deo sancitam *Levit.* XXV, 2 et seq., uti ibidem ostendi.

Vers. 2. 2. REMANSERANT AUTEM FILIORUM ISRAEL SEPTEM TRIBUS, QUÆ NECDUM ACCEPERANT POSSESSIONES SUAS. — Id factum est, partim ex torpore et ignavia septem tribuum, hanc enim eis objicit Josue versu sequenti ; partim quod eis oborta fuerit suspicio priorem terræ sanctæ dimensionem non satis æque esse factam, in eaque a mensoribus commissum esse errorem ; nam ut is emendetur, Josue denuo mittit novos descriptores, qui septem tribubus exactius restantem terram dimetiantur, et in septem regiones distribuant.

Vers. 3. 3. AD QUOS JOSUE AIT : USQUEQUO MARCETIS IGNAVIA ? etc. — Solet labore fessos corripere sopor et torpor ; sic hic Israelitas bello septennali fatigatos invasit ignavia ad mittendum Geometras, qui Chananæam reliquam in septem partes æque septem tribubus partirentur. Non ergo significat hic Josue multum temporis, scilicet septem annos inter priorem et posteriorem hanc Chananææ divisionem intercessisse, ut volunt Rabbini, et eos secuti Masius et Magalianus : tantam enim moram et ignaviam nec tulisset Josue, nec Hebræi. Quis enim eos tam numerosos (erant enim plusquam decies centena millia hominum in septem hisce tribubus) aluisset, nisi ipsi singuli terram, quæ sortitione sibi obvenerat, arassent, seminassent, coluissent? Tantum ergo urget eos, ut illico missis agrimensoribus terram dividant, ut divisa septem tribubus sortitione distribuatur ; ne ipsæ cæteris tribubus, quæ jam suas sortes possidebant, litem moveant, aut eorum limites invadant et deprædentur. Otium enim est causa indigentiæ, indigentia est causa furti et rapinæ.

Vers. 4. 4. DESCRIBANT EAM JUXTA NUMERUM UNIUSCUJUSQUE MULTITUDINIS, — id est, juxta numerum tribuum, ut scilicet pro septem tribubus terram describant et dividant in totidem portiones sive regiones, sed ita ut numerosiori tribui major vel fortior terræ portio assignari queat. Ita se explicat versu sequenti : jaciebantur enim sortes pro quantitate tribus, ut si illa esset magna, regio sorte dilatari ; si parva, regio sorte arctari posset.

Vers. 6. 6. MEDIAM INTER HOS TERRAM IN SEPTEM PARTES DISTRIBUITE. — Τὸ *mediam inter hos* non est in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta ; nam etiam ultra sortem tribuum Ephraim et Manasse, sors septem tribuum extendebatur usque ad Libanum. Unde aliqui suspicantur hic esse mendum, et corrigendum sic, *reliquam inter vos.* Et sane τὸ *mediam* exponendum est *reliquam.* Reliqua enim terræ pars erat media, vel inter Judæos et Josephitas, vel inter Josephitas et Libanum, vel inter Judæos et Idumæos. Hi enim erant limites terræ Hebræis promissæ, a Deo statuti.

Vers. 7. 7. SED SACERDOTIUM DOMINI EST EORUM HÆREDITAS. — « Sacerdotium, » id est, Sacerdotalis proventus, puta oblationes, victimæ, primitiæ, vota, quæ sacerdotibus ex lege dari debebant, erant quasi hæreditas Levitarum ; inde enim vivebant, quia non habebant portionem terræ, uti cæteræ tribus.

Vers. 9. 9. REVERSIQUE SUNT AD JOSUÉ IN CASTRA SILO. — Josephus ait eos septem mensibus occupatos fuisse in hac terræ descriptione, ac septimo mense ad Josue in Siluntem reversos.

Vers. 14. 14. ET INCLINATUR. — Hebraice תָּאַר *taar*, id est delineatur, figuratur cum aliqua inclinatione et flexu. Unde Masius vertit, *gyrabat ;* Tigurina, *reflectit.*

Vers. 16. 16. DESCENDITQUE IN PARTEM MONTIS, QUI RESPICIT VALLEM FILIORUM ENNOM. — « Montis, » scilicet Moria, ut dixi cap. XV, 8.

Vers. 18. 18. ET PERTRANSIT USQUE AD TUMULOS. — Hebraice *usque ad Geliloth,* quod Noster vertit *Tumulos.* Τὸ *Tumulos* ergo hic est nomen proprium urbis, vel loci ita dicti ab acervis vel tumulis arenarum vel lapidum, etc. Vide dicta supra cap. XV, vers. 7.

Vers. 21. 21. VALLIS CASIS. — Hebraice קְצִיץ *kasis*, quæ vox significat exscisionem vel finem. Est nomen proprium vallis et urbis in ea sitæ, quod illa divisa et quasi discissa foret. Unde Masius vertit, *vallis abrupta*, vel *planities discissa.* Alii vertunt, *vallis incisionis,* quod in ea balsamum non ferro, sed acuto vitro, osse vel lapide incideretur ; si ferro enim incidatur, frutex emoritur, ait Plinius lib. XII, cap. XXV, et Josephus, lib. XIV *Antiq.* cap. I. Erat enim vallis hæc non procul a Jerichunte, quæ sola ferebat balsamum, ut docet Josephus ibidem.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sorte datur, vers. 1, *tribui Simeon sua Chananæa portio, ac tribui Zabulon, vers.* 10, *mox Issachar, vers.* 17, *deinde Aser, vers.* 24, *ac Nephthali, vers.* 31, *et Dan, vers.* 40. *Denique, vers.* 49, *ipsi Josue datur Thamnath Sare, quam petierat.*

1. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hæreditas 2. eorum in medio possessionis filiorum Juda : Bersabee et Sabee et Molada, 3. et Hasersual, Bala et Asem, 4. et Eltholad, Bethul et Harma, 5. et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa, 6. et Bethlebaoth et Sarohen : civitates tredecim, et villæ earum. 7. Ain et Remmon et Athar et Asan : civitates quatuor, et villæ earum ; 8. omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra Australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes suas. 9. In possessione et funiculo filiorum Juda : quia major erat; et idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum. 10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas : et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. 11. Ascenditque de Mari et Merala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam. 12. Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththa-bor; et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie, 13. et inde pertransit usque ad Orientalem plagam Gethhepher et Thacasin : et egreditur in Remmon, Amthar et Noa. 14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon : suntque egressus ejus Vallis Jephtahel, 15. et Cathetd et Naadol et Semeron et Jedala et Bethlehem : civitates duodecim, et villæ earum. 16. Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum. 17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas. 18. Fuitque ejus hæreditas, Jezrael et Casaloth et Sunem, 19. et Hapharaim et Seon, et Anaharath, 20. et Rabboth et Cesion, Abes, 21. et Rameth, et Engannim, et Enhadda, et Bethpheses. 22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Sehesima et Bethsames ; eruntque exitus ejus Jordanis : civitates sedecim, et villæ earum. 23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum. 24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas : 25. fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph, 26. et Elmelech et Amaad et Messal ; et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath. 27. Ac revertitur contra Orientem Bethdagon : et pertransit usque Zabulon et vallem Jepthahel contra Aquilonem in Bethemec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul, 28. et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam. 29. Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa ; eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba, 30. et Amma et Aphec et Rohob : civitates viginti duæ, et villæ earum. 31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum. 32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas ; 33. et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saananim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnael usque Lecum : et egressus eorum usque ad Jordanem, 34. revertiturque terminus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra Meridiem, et in Aser contra Occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis : 35. civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath, et Cenereth, 36. et Edema, et Arama, Asor, 37. et Cedes et Edrai, Enhasor, 38. et Jeron et Magdalel, Horem et Bethanath, et Bethsames : civitates decem et novem, et villæ earum. 39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum. 40. Tribui

filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima : 41. et fuit terminus possessionis ejus Saraa et Esthaol, et Hirsemes, id est, civitas Solis. 42. Selebin et Aialon et Jethela, 43. Elon et Themna et Acron, 44. Elthece, Gebbethon et Balaath, 45. et Jud, et Bane, et Barach, et Gethremmon : 46. et Mejarcon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen, 47. et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam, et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. 48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan per cognationes suas, urbes et viculi earum. 49. Cumque complesset sorte dividere Terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui, 50. juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim : et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. 51. Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israel, in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt Terram.

Vers. 1. 1. FUITQUE HÆREDITAS EORUM (Simeonitarum) IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM JUDA. — R. Salomon asserit Simeonitas in sortitione duodecim tribuum fuisse præteritos, eo quod Jacob maledicens Simeoni dixerit de eo et Levi : « Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel,» *Gen.* XLIX, 7; quare Simeonitas fuisse exsortes hæreditatis, sed reliquas tribus jecisse sortem quænam illos in se reciperet; ac sortem cecidisse super tribum Juda : hanc ergo eis intra se recepisse, sed ægre et coacte, ideoque eos a se expulisse sub Davide, idque colligit ex I *Paral.* IV, 31. Verum hæc sunt mera commenta, imo errores S. Scripturæ repugnantes, quæ hic expresse asserit, Simeonitis æque ac aliis tribubus sorte portionem suam in Chananæa obtigisse. Quod ergo hic dicuntur ipsi sortem recepisse in medio filiorum Juda, sic accipe, quod sors eorum contermina fuerit sorti tribus Juda, illique immissa; quodque tribus Juda, cum nimis laxa haberet terrarum spatia, quam ut omnia excolere et contra feras tueri posset, partem eorum cesserit tribui Simeonis. Hæc enim cæteris tribubus erat minor, minusque numerosa. Nam in ultimo censu in ea duntaxat numerati sunt 22200. Porro oraculum Jacob non favet R. Salomoni, sed aliud intendit, uti ostendi *Genes.* XLIX, 7. Ita Masius et alii.

Vers. 11. 11. AD TORRENTEM QUI EST CONTRA JECONAM. — Verisimiliter Masius opinatur torrentem hunc esse juxta limites Sidoniorum, quem Pagida vel Belum historici nominant, qui arenam vehit, ex qua optima conflantur vitra, teste Plinio lib. V, cap. XIX, et lib. XXXVI, cap. XXVI; Josepho, lib. II *Belli*, cap. IX; Tacito, lib. V; Strabo, lib. XVI, et Guilielmo Tyrio, lib. XIII *Belli sacri*, cap. III.

Vers. 13. 13. AMTHAR. — Sic et Septuaginta vocem Hebræam המתאר *hammetoar*, ut nomen proprium urbis accipiunt. Symmachus vero accipit ut nomen appellativum, et epithetum *Remnon*; unde vertit, *Remnon inclytam*. Chaldæus, Masius, Vatablus, Pagninus, Arias, R. David et Rabbi Salomon vertunt, *quæ gyratur vel circumflectitur in Noa.*

26. ET PERVENIT USQUE AD CARMELUM MARIS. — Vers. 26. Additur τὸ *maris*, quia duo erant montes Carmeli in Terra sancta, unus in tribu Aser adjacens mari Mediterraneo, alter in tribu Juda, cujus incola fuit Nabel maritus Abigail.

27. BETH DAGON, — id est, domus Dagon, quia Vers. 27. scilicet in hac urbe colebatur Dagon forma piscis, vel potius Sirenis. Unde Serarius in *Judic.* cap. XVI, Quæst. XXIII, opinatur Dagon fuisse Venerem, de quo plura I *Reg.* V, 2.

35. CENERETH. — Ab hac urbe nomen accepit Vers. 35. lacus Genezareth, sive mare Galilææ illi adjacens. Masius et Arias censent Cenereth esse illam, quæ postea in gratiam Tiberii Cæsaris dicta est Tiberias. Alii volunt esse Capharnaum.

47. ASCENDERUNTQUE FILII DAN, ET PUGNAVERUNT Vers. 47. CONTRA LESEM. — Id post mortem Josue factum, ut fuse narratur *Judic.* cap. XVIII, 1 et sequent. Hinc patet hunc librum non esse scriptum a Josue; vel potius ab eo qui illum digessit et edidit, multa illi fuisse inserta et addita, ut sunt illa cap. XV, vers. 14 et ult., et cap. XVII, vers. 12 et 13, etc. (1).

49. DEDERUNT FILII ISRAEL POSSESSIONEM JOSUE.— Vers. 49. Nota hic et mirare modestiam ducis Josue; nam qui primo omnibus aliis sortes divisit, suam ultimus accepit. Rursum ipse noluit sortem sibi jaci uti aliis, sed datum a populo suscepit. Nimirum Josue fuit typus Jesu Christi, qui cum primus esset omnium, imo α et ω, pro nobis factus est virorum novissimus, *Isaiæ* LIII, 3.

50. JUXTA PRÆCEPTUM DOMINI.— Hoc præceptum Vers. 50. *Num.* XIV, 24, non exprimitur, sed hic suppletur. Hinc ergo liquet Deum præcepisse ut Josue daretur illa portio terræ, quam ipse optaret. Si enim Deus ibidem jussit dari Calebo Hebronem, cur non et socio ejus Josue, qui Calebum superavit, fuitque dux et princeps populi? idque satis insinuat Caleb, cum hic cap. XIV, vers. 6, ait ad

(1) Non inde concludi posse videtur hunc librum non esse scriptum a Josue, tantum vero hanc historiam huic libro additam fuisse a Samuele, Esdrave aut ab alio inspirato scriptore.

Josue : « Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne. »

URBEM QUAM POSTULAVIT : THAMNATH SARAA IN MONTE EPHRAIM. — Petiit Josue hanc urbem, tum ut inter contribules suos in tribu sua Ephraim habitaret, tum modestiæ causa. Nam urbs hæc Thamnath cognominata est « Saraa, » ab aritudine et inutilitate loci : *Thamnath Saraa* enim Hebraice idem est quod *figura diffluens*, vel *inutilis;* vel, ut alii, *imago superfluitatis* aut *fœtoris;* vel, ut Pagninus, *numerabis residuum;* quasi Josue occuparit id quod aliis omnibus erat residuum et inutile; sicut S. Ludovicus, S. Hedwygis, S. Elisabeth humilitatis et devotionis studio, sæpe comedebant reliquias mensæ pauperum quos alebant. Elegit ergo Josue ultimus omnium urbem deteriorem et incultam, inter montana et aspera loca sitam, ducibusque ac magistratibus insigne continentiæ et paupertatis exemplum reliquit, fecitque illud monitum *Ecclesiastici* cap. XXXII, 1 : « Rectorem te posuerant ? noli extolli ; esto unus in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic confide, et omni cura tua explicita (id est, finita) recumbe.» Sane S. Hieronymus in *Epitaph. S. Paulæ,* scribit ipsam, cum Josue monumentum viseret, demiratam fuisse, quod ipse possessionum omnium distributor sibi montosa et saxosa loca delegisset. Atque hac in re Josue fuit typus Jesu Christi, qui cum dives esset, et Rex gloriæ, pro nobis minor et pauperior fieri voluit, ut nos sua paupertate ditaret, et sua vilitate exaltaret. Ita Origenes, *homil.* 24; Theodoretus, *Quæst.* XVII; Masius, Arias et alii.

Notent et imitentur hoc Josue exemplum Principes, Principumque consiliarii, Præfecti et Præsides, uti nostro ævo fecit Thomas Morus Angliæ Cancellarius, qui a prima ætate magnis in republica muneribus perfunctus, cum familiam haberet amplam, tamen tota vita annuum censum non auxit ultra septuaginta aureos, uti narrat Stapletonius in ejus Vita, cap. III et VIII.

ET ÆDIFICAVIT CIVITATEM, — id est, jam ædificatam instauravit, auxit, ornavit.

51. PARTITIQUE SUNT TERRAM, — id est, partiri dederunt, partitionem finierunt. Hebraice enim est, *et finierunt a dividenda terra.* Septuaginta pro ויכלו *vaieccalu*, id est, et *finierunt*, aliis punctis, per metathesin legentes וילכו *vaielechu*, vertunt, *et abierunt a dividenda terra*, ad eam incolendam et excolendam. Omnia ergo eodem redeunt. Vers. 51.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue designat sex urbes refugii, tres cis, et tres ultra Jordanem.

1. Et locutus est Dominus ad Josue, dicens : Loquere filiis Israel, et dic eis : 2. Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi ; 3. ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis : 4. cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem ; sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. 5. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus : quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum triduumve ejus probatur inimicus ; 6. et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore ; tunc revertetur homicida, et ingredietur civitatem et domum suam de qua fugerat. 7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephtali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Juda. 8. Et trans Jordanem contra Orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. 9. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, et advenis qui habitabant inter eos ; ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

Vers. 2. 2. SEPARATE URBES FUGITIVORUM, — Hebr. *urbes refugii*, ad quas scilicet confugiat, qui involuntarie et fortuito aliquem occidit, ut jussit Dominus, *Numer.* XXXV et seq., ubi fuse hæc explicui.

Vers. 6. 6. DONEC STET ANTE JUDICIUM, CAUSAM REDDENS FACTI SUI. — Ut si probet suam innocentiam, scilicet se casu et inscium occidisse, reducatur ad civitatem refugii, ibique maneat, donec Pontifex moriatur; sin autem pateat eum voluntarie et studio occidisse, occidatur et ipse.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assignantur Levitis triginta octo civitates in variis tribubus ad habitandum.

1. Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel. 2. Locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt : Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta. 3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum. 4. Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim. 5. Et reliquis filiorum Caath, id est, Levitis qui superfuerant, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem. 6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar, et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim. 7. Et filiis Merari per cognationes suas, de tribubus Ruben et Gad et Zabulon, urbes duodecim. 8. Dederuntque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes. 9. De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates : quarum ista sunt nomina, 10. filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) 11. Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum. 12. Agros vero et villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. 13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus, et Lobnam cum suburbanis suis; 14. et Jether, et Esthemo, 15. et Holon, et Dabir, 16. et Ain, et Jeta, et Bethsames, cum suburbanis suis : civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus. 17. De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, et Gabae, 18. et Anathoth et Almon cum suburbanis suis, civitates quatuor. 19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis tredecim, cum suburbanis suis. 20. Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio. 21. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gaser, 22. et Cibsaim et Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 23. De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon, 24. et Aialon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor : 25. porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ. 26. Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. 27. Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas. 28. Porro de tribu Issachar, Cesion et Dabereth, 29. et Jaramoth, et Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 30. De tribu autem Aser, Masal et Abdon, 31. et Helcath et Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, et Hammoth Dor et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres. 33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim cum suburbanis suis. 34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam et Cartha, 35. et Damna et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis. 36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et

Jaser et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis. 37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Jaser, civitates quatuor cum suburbanis suis. 38. Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim. 39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo, 40. cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ. 41. Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram quam traditurum se patribus eorum juraverat: et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. 42. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hostium resistere ausus est; sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. 43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

Vers. 1. 1. ACCESSERUNTQUE PRINCIPES FAMILIARUM LEVI.— Nota Jacob patriarcham morientem, *Genes.* XLIX, 7, filio suo Levi, ejusque posteris Levitis in castigationem cædis Sichimitarum irrogasse pœnam dispersionis inter fratres suos : sed Deus, qui dives est in temperanda vindicta et in clementia, pœnam hanc ob merita posterorum in laudem et gloriam convertit, voluitque ut Levitarum ac sacerdotum cœtus et collegia per omnes tribus spargerentur, ut omnes ex sacerdotio tam dignitatem quam utilitatem sanæ doctrinæ legisque divinæ cognoscendæ acciperent. Erant enim hæc collegia quasi seminaria religionis et pietatis, ex quibus civitates vicinæ cœlestis disciplinæ semina sanctiorisque vitæ exempla petere possent. Sic pollicetur Deus *Osee* II, 23, quod per universam terram seminabit « Jezrael, » id est, « semen Dei, » scilicet sacerdotes quasi Apostolos et viros Apostolicos. Sic S. Basilius, teste S. Gregorio Nazianzeno, *orat.* 20, monasteria construxit juxta urbes, ut utrorumque incolæ commoda sua inter se communicarent, uti faciunt terra et mare, terræ idcirco immixtum; ut scilicet monasteria ab urbibus alerentur, urbes vero a monasteriis, quasi gymnasiis pietatis sanctiorem vitam addiscerent. Hac de causa passim in Germania, aliisque in locis juxta urbes celebriores ædificata sunt monasteria antiquissima, imo urbibus ipsis antiquiora, ac quæ urbibus ipsis occasionem et initium dederunt, ut recte advertit Thomas Bozius in signis Ecclesiæ.

Sacerdotes sparsi per duodecim tribus, ut omnes docerent Dei cultum.

Quocirca S. Chrysostomus, hom. 59 *ad Populum,* eum hortatur ut crebro monasteria et monachos invisat. « Sunt enim, inquit, omnia ibi illecebris vacua, et ab omni interpellatione et inquietudine libera: insuper sunt portus tranquillissimi, quos qui inhabitant, veluti ignes sunt, qui cum e loco editiori emicent, lucem eminus exhibent adventantibus, cumque in portu resederint, cæteros ad suam alliciunt tranquillitatem; neque eos qui se intuentur pati naufragium sinunt, vel in tenebris esse qui ad se oculos intenderint. Adi igitur viros tales, utere eorum contubernio, accede, inquam, sanctos, tange pedes; multo enim honestius est illorum pedes amplexari, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regis tantum imaginem habent, tu si eum tenueris, qui in seipso Christum habet, non salvus eris? Sancti igitur sunt pedes tales, vel si vilissimi fuerint. »

Vers. 3. 3. DEDERUNTQUE FILII ISRAEL. — Nota : Hæc urbium distributio a duodecim tribubus facta Levitis, contigit paulo post sortitionem et divisionem terræ, antequam singulæ tribus sortis suæ possessionem adirent; idque ne primi possessores suis sedibus a Levitis exturbarentur. Reliqua dixi *Num.* XXXV, 1 et seq.

Porro plures urbes datæ Levitis hic numerantur, quam cæteris tribubus, idque tum ad honorem sacerdotii, ut sacerdotes et Levitæ de domibus non sollîciti, totos se darent Dei cultui, ait Philo lib. *De Sacerdotali honor.*; tum quia cæteræ tribus, præter urbes habebant multos pagos et vicos; Levitæ autem non, sed tantum suburbana ad mille passus. Ita Abulensis. Denique Levitis per totam Judæam sparsis sacerdotibus obtigerunt urbes Jerosolymæ et templo futuro vicinæ, ut illud, æque ac illius cives et principes, facilius adire possent, ac cum tribu Juda conjugia contrahere, quia has duas tribus voluit Deus permisceri, « eo quod Christus, qui ex tribu Juda nasci debebat, non rex solum futurus erat, sed et Pontifex, » ait Theodoretus.

Vers. 11. 11. CARIATH ARBE PATRIS ENAC. — Hoc est, urbs Arbe gigantis, qui fuit pater Enac, a quo prognati sunt Enacim gigantes.

Vers. 21. 21. URBES CONFUGII SICHEM. — Hebræa, Chaldæa et multa Latina manuscripta cum Abulensi legunt *urbem* in singulari. Nam una duntaxat fuit hic civitas refugii, scilicet Sichem; cæteræ vero, scilicet Gazer, Cibsaim et Bethoron, cessere Levitis ad habitandum duntaxat, non homicidis ad confugiendum. Idem est vers. 26, 31, 35, 36, omnibus enim hisce versibus pro *civitates refugii*, Hebræa, Chaldæa et manuscripta cum Abulensi legunt in singulari *civitatem refugii*, ob causam jam dictam. Vide Franciscum Lucam hic *Annot.* 36.

Vers. 36. 36. DE TRIBU RUBEN, etc. — Totus hic versus in Hebræo jam deest : Noster videtur eum ex Septuaginta transtulisse. Vide Franciscum Lucam *Annot.* 37. Olim videtur extitisse in Hebræo ; nam nonnulli codices Hebraici eum habent, æque ac

Chaldæus, qui pro *Jaser* et *Jethson* legunt *Jassa* et *Cademoth*. Ita quoque legit Noster I *Paral.* VI, 78 et 79; quare videntur hæ urbes duo habuisse nomina.

Vers. 41. 41. DEDITQUE DOMINUS DEUS ISRAEL OMNEM TERRAM QUAM TRADITURUM SE PATRIBUS EORUM JURAVERAT, ET POSSEDERUNT ILLAM, ATQUE HABITAVERUNT IN EA. — Dices : Videtur hoc repugnare iis quæ dicta sunt hic versu 4, et quæ dicentur *Judic.* I, ubi asseritur Hebræos multis in locis non potuisse exterminare Jebusæos et Chananæos : quare multa adhuc ab Hebræis necdum possessa, sed possidenda supererant. Respondeo primo, Deum dedisse Hebræis omnem Chananæam, quoad jus et dominium, quod ipsi in eam totam habebant, unde et eam vel eis per sortes distribuit. Rursum quoad ejus possessionem, sed cum limitatione, quam ipse expressit *Exodi* XXIII, 19, dicens : « Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ; paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis et possideas terram. » Hoc enim commodius et utilius erat Hebræis. Dedit ergo Deus omnem terram a se promissam, non totam simul et semel, sed sensim et pedetentim, expellendo ex ea Chananæos, ne illa jaceret inculta, feræque eam occuparent, donec Hebræi eam totam incolere et excolere possent. Hæc enim est conditio, quam promissioni suæ addiderat; quæ conditio non onerosa, sed commoda erat Hebræis. Ita Abulensis, Masius et alii. Similem phrasim audivimus cap. XI, vers. ult.

Subtilius respondet S. Augustinus, *Quæst.* XXI, totam terram promissam Hebræis a Deo esse datam; quia etiam illæ portiones quas ipsi non possederunt, datæ sunt eis ad quamdam exercitationis utilitatem, ut scilicet discerent cum hostibus confligere.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue Rubenitas, Gaditas, et dimidiam tribum Manasse ad sedes suas cis Jordanem benedicendo remittit. Illi altare ibidem ædificant : unde cæteræ tribus concitantur ad bellum, sed missis legatis excusationem eorum accipiunt, quod scilicet altare ædificarint, non ad sacrificium, sed ad monumentum societatis.

1. Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse. 2. Dixitque ad eos : Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini; mihi quoque in omnibus obedistis, 3. nec reliquistis fratres vestros longo tempore usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. 4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est, revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem : 5. ita duntaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. 6. Benedixitque eis Josue et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. 7. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan : et idcirco mediæ quæ superfuit, dedit Josue sortem inter cæteros fratres suos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, 8. dixit ad eos : In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici; dividite prædam hostium cum fratribus vestris. 9. Reversique sunt et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi. 10. Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod cum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israel; 12. convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra eos. 13. Et inte-

rim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, 14. et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus. 15. Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, in terram Galaad, dixeruntque ad eos : 16. Hæc mandat omnis populus Domini : Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes? 17. An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt. 18. Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israel ira ejus desæviet. 19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos : tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. 20. Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelero suo! 21. Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel : 22. Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israel simul intelliget; si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti; 23. et si ea mente fecimus, ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet : 24. et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus : Cras dicent filii vestri filiis nostris : Quid vobis et Domino Deo Israel? 25. Terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben, et filii Gad, Jordanem fluvium : et idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26. et diximus : Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, 27. sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre, et holocausta, et victimas, et pacificas hostias; et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris : Non est vobis pars in Domino. 28. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis : Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum. 29. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod exstructum est ante tabernaculum ejus. 30. Quibus auditis Phinees sacerdos, et principes legationis Israel qui erant cum eo, placati sunt : et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt. 31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos : Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israel de manu Domini. 32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israel, et retulit eis. 33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos atque pugnarent et delerent terram possessionis eorum. 34. Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod exstruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

Vers. 3. 3. NEC RELIQUISTIS FRATRES VESTROS LONGO TEMPORE. — Hebræi in Seder Olam dicunt fuisse duo septennia, sive quatuordecim annos; septem enim annis pugnatum esse ante primam sortitionem, ut colligitur cap. XIV, vers. 10, ac totidem exactos a prima sortitione usque ad secundam, qua completa est divisio terræ promissæ cap. XV et seq. Hebræos sequitur Masius, Magalianus et alii. Sed verius est unum duntaxat fuisse septennium, quo scilicet bellatum est : hæ enim tres tribus non nisi ad bellandum venerant; bellis ergo septennio confectis domum redierunt, uti dixi cap. XVIII, vers. 1 et seq.

Magnam sane fidem, obedientiam et patientiam hæ tres tribus præstiterunt, dum per septem annos a domo, liberis, uxoribus abfuerunt, ut fratribus bellando præirent, eosque in Chananæa trans Jordanem collocarent.

Vers. 4. 4. IN TABERNACULA VESTRA, — in domos vestras : militum enim domus castrenses sunt tabernacula. Hi autem fuerant, erantque milites.

Vers. 6. 6. BENEDIXITQUE EIS JOSUE, — hoc est, bona et fausta eis apprecatus est.

Vers. 8. 8. IN (id est cum) MULTA SUBSTANTIA ATQUE DIVITIIS REVERTIMINI. — Est imperativus, non indicativus, ut patet ex Hebræo שׁוּבוּ *scubu*, pro quo Septuaginta alio puncto legentes שָׁבוּ *scabu*, vertunt, *reversi sunt*.

DIVIDITE PRÆDAM HOSTIUM CUM FRATRIBUS VESTRIS. — Non consulit, sed præcipit, ait Abulensis, Serarius et Masius. « Dividite, » scilicet in duas partes æquales, ut dimidium prædæ cedat vobis, qui ad pugnam existis, dimidium vero fratribus vestris, qui in Galaadite ad sarcinas manserunt, illasque tutati sunt : sed in hoc dimidio plus cessit iis, qui ad pugnam exierunt, quam iis qui in Galaadite remanserunt; nam pauci erant qui exierant, multi qui remanserant. Exierant enim duntaxat quadraginta millia, manserant ad octoginta millia. Secutus est Josue exemplum et mandatum Mosis, qui *Num.* XXXI, jussit spolia Madianitarum ex æquo dividi inter pugnantes et restantes ad sarcinas. Unde idipsum postea secutus David lege perpetua firmavit, sanxitque : « Æqua pars enim descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident, » I *Reg.* XXX, 24.

DE SILO, QUÆ SITA EST IN CHANAAN, UT INTRARENT GALAAD TERRAM POSSESSIONIS SUÆ. — Chanaan hic significat terram trans Jordanem sitam usque ad mare Mediterraneum, quam occuparunt novem tribus : Galaad vero terram cis Jordanem, quam possederunt tres tribus, scilicet Ruben, Gad et dimidia Manasse, quæ proinde jam confectis bellis ex Silo et Chanaan revertuntur ad sedes suas in Galaad. Alias tota terra duodecim tribuum alibi sæpe vocatur Chanaan.

Vers. 10. 10. CUMQUE VENISSET AD TUMULOS JORDANIS IN TERRAM CHANAAN, — id est, cum venissent ad fines Chanaan, puta ad tumulos Jordanis, ubi scilicet Jordanis arenarum cumulis et tumulis coercetur, ne alveum suum egrediens exundet. Unde Josephus, lib. V *Antiq.* vertit, *ripam Jordanis*; Symmachus, *limites*; Masius, *aggeres Jordanis*. Septuaginta Hebræam vocem *Galiloth* retinuerunt, quasi nomen proprium loci. Hinc ergo patet tres tribus hoc altare erexisse non in Galaadite, sed in Chanaan, hoc est in ripa citeriore Jordanis, quæ pertinebat ad Chanaan, non vero in ripa ulteriore quæ spectabat ad Galaaditem. Ratio erat, quia hoc altari testari volebant jus suum pristinum, quod habebant in Chanaan, præsertim ad sacrificandum in altari templi cæteris novem tribubus communi.

ALTARE INFINITÆ MAGNITUDINIS, — hoc est, vastissimum et maximum. Est hyperbole.

CONTRA FILIOS ISRAEL. — Non quasi contra novem tribus habentes suum altare in Silo, novum sibi altare in ripa Jordanis erecturi; hoc enim erat lege vetitum, ideoque schismatis initium, uti interpretabantur novem tribus : sed *contra*, id est, e regione ex opposito, ita scilicet, ut altare hoc medium esset inter Galaaditas et Chananæos, sive inter tres tribus et cæteras novem, ac has illis sociaret et in religione jureque sacrificandi connecteret.

12. UT DIMICARENT CONTRA EOS, — quasi apostatas et schismaticos, qui scilicet a lege et tabernaculo; altarique Mosaico desciscerent et novam sibi legem cum novo altari conderent. Vide hic zelum Phinees et novem tribuum in propugnanda avita lege et fide, ne diversa religio in unam suam Synagogam et Rempublicam irreperet, itaque in universum populum, omnesque tribus id permittentes ira Dei desæviret. Omnes enim duodecim tribus faciebant unam Rempublicam unamque Ecclesiam : quare potior pars, scilicet novem tribus, tenebantur curare ut reliquæ tres in eadem permanerent, nec schisma facerent, novamque Ecclesiam sibi conderent. Vers. 12.

17. AN PARUM VOBIS EST QUOD PECCASTIS IN BEELPHEGOR? Idolum hoc adorantes et fornicantes cum filiabus Moab, *Num.* XXV. Vers. 17.

ET USQUE IN PRÆSENTEM DIEM MACULA HUJUS SCELERIS IN NOBIS PERMANET, — macula tum infamiæ, tum culpæ ; erant enim multi qui eam pœnitentia necdum deleverant; imo fornicationem istam adhuc desiderabant : tum pœnæ; Deus enim adhuc tam enormis idololatriæ et fornicationis pœnas ab Hebræis exigebat.

18. ET CRAS IN UNIVERSUM ISRAEL IRA EJUS DESÆVIET, — « Cras, » id est, mox. Deus enim tam enorme et publicum sacrilegium indignans, illico acerrime vindicabit, tam in vos velut ejus auctores, quam in nos velut ejus permissores. Vers. 18.

19. QUOD SI PUTATIS IMMUNDAM ESSE TERRAM, — ob idola et scelera priorum incolarum, quæ per sacrificia vobis expiare non liceat, uti licet nobis qui altare Dei habemus in Silo. Septuaginta pro *immunda* habent μικρά, id est, *parva*; sed legendum μιαρά, id est, *immunda*. « Habitate inter nos, » partem terræ nostræ vobis cedemus, nostro dispendio vobis locum in terra nostra dabimus, nosque coarctabimus ut vos a scelere avocemus, et in avita fide servemus. Vide hic veram charitatem. Vers. 19.

20. ATQUE UTINAM. — Legit Interpres לוא *lu*, id est, *utinam* : jam alio puncto legunt לוֹא *lo*, id est, *non*, unde vertunt, *et ipse unus homo non mortuus est in scelere suo* (sicque legunt Septuaginta in Complut., etsi in Romana desit τὸ *non*), sed cum eo plures alii, qui ob scelus ejus cæsi sunt ab Haiensibus, cap. VII. Vers. 20.

22. FORTISSIMUS DEUS, DOMINUS, etc., IPSE NOVIT. — Contestantur Deum se innocenti pioque animo altare erexisse; unde dant ei tria nomina huic loco congrua, eaque repetunt : *primum* est אֵל *el*, id est fortis; *secundum* אֱלֹהִים *Elohim*, id est Deus omnium gubernator, judex et vindex; *tertium*, *Iehova*, id est, ὁ ὤν, id est, *qui est*, sive *ipsum ens*. Vers. 22.

Sed quia Hebræi ex reverentia pro *Iehova*, quod est nomen Dei proprium, legunt *Adonai*, hinc Noster eos secutus vertit, *Dominus*. Contestantur ergo tria præcipua Dei attributa, scilicet potentiam, justitiam et majestatem, *q. d.* Contestamur Deum, Deique fortissimi robur et omnipotentiam, ut ipsi illam in nos exerceat, si idipsum machinati sumus. Contestamur tertio Dei essentiam et majestatem immensam, a qua omne nostrum esse, seu radius a sole pendet, ut illud a nobis adimat, nosque annihilet, si ab eo, sine quo esse non possumus, separare nos voluimus. Ex hisce verbis Hebræi prisci opinati sunt Phinees esse Eliam; eosque sequitur B. Petrus Damianus, epist. 12, vel, ut alii dividunt, 11, cap. II *ad Nicolaum* II *Pont.*, quem audi : « Elias interpretatur Dominus Deus, quod ex hac occasione ei impositum creditur; quia cum legatus a populo ad Ruben et Gad, qui novum altare construxerant, mitteretur, hoc ab eis responsum excusationis accepit : Fortissimus Deus Dominus ipse novit, si prævaricationis animo hoc altare construximus. Inde ergo Phinees vocatus est Elias, ut illorum responsum ejus videatur esse vocabulum. »

An Phinees sit Elias ?

Quare censet ipse quod Phinees, utpote Elias, adhuc vivat, et victurus sit usque ad finem mundi, quando prædicans contra Antichristum ab eo occidetur, et martyr occumbet. Verum hanc sententiam ut paradoxam confutavi *Numer.* cap. XXV, vers. 13.

Vers. 23. 23. ET SACRIFICIUM. — Hebraice מנחה *mincha*, id est sacrificium farris et farinæ, de quo *Levit.* II, unde distinguitur hic ab holocaustis et victimis pacificis, quæ carnea erant, non farrea.

IPSE QUÆRAT ET JUDICET, — *q. d.* Ipse ut judex inquirat, et si nos reos sacrilegii invenerit, « judicet, » id est, damnet, puniat et vindicet.

Vers. 24. 24. ATQUE TRACTATU. — Hebraice דאגה *deaga*, id est, cura, sollicitudine, quæ animum multa versare, secumque et cum sociis tractare et volvere cogit.

CRAS DICENT FILII VESTRI FILIIS NOSTRIS, etc. PARTEM NON HABETIS IN DOMINO, — id est, vos non estis populus Domini particularis, ut ipsius peculiaris cultus participes, ac promissionum Abrahæ et Jacobo patribus nostris de Messia deque cura populi Israelitici a Deo factarum hæredes sitis, quia Jordane a nobis divisi estis : quare ad vos non pertinet Deus noster, nec noster Deus est vester Deus : abite ergo ad vestros gentium Deos. Sic II *Reg.* XX, 8, aiunt decem tribus ad Roboam : « Non est nobis pars in Isai, » *q. d.* Nolumus tecum participare, qui es filius Isai sive Jesse, ex eo per Davidem et Salomonem progenitus, nolumus te tam crudelem nobis dominari, nolumus tibi esse subjecti. Sic et Christus ait *Joan.* XIII, 8 : « Si non lavero te, non habebis partem mecum. » Sensus est, *q. d.* Nolumus desciscere a Domino, nec a vobis; altare autem a nobis fabricatum non ereximus ad proprium altaris usum, scilicet ad sacrificandum in eo, quale solum in lege vetitum est a Domino, sed tantum ad æternum avitæ religionis et professionis nostræ monumentum, utque omnibus testatum maneat; nos ad cultum, altare et sacrificia, quæ trans Jordanem in Silo et Jerusalem apud vos peragentur, pertinere, ac jus habere cum reliquis novem tribubus trans Jordanem, victimas nostras Deo in templo vestro offerendi. Esto ergo Jordanis nos a vobis dividat, religio tamen, Ecclesia et Respublica non dividet, sed vobis socii et contribules in omnibus erimus, uti hactenus fuimus. Ita Abulensis, Masius et alii.

Nota hic modestiam, æque ac zelum trium tribuum, quo plane sedarunt novem tribuum, animos contra se ira accensos.

Zelus ergo religionis impulit eos ad ædificandum hoc altare potius quam aliud quodvis monumentum, quia altari hoc in Chanaan finibus erecto testabantur se velle colere Deum, quem colebant cæteræ tribus habitantes in Chanaan, adeoque se cum illis conspirare in unam eamdemque religionem; hæc enim maxime consistit in sacrificio quod fit in alteri. Quare altare est symbolum sacrificii, æque ac fidei et religionis. Ita Abulensis.

Vers. 27. 27. SED IN TESTIMONIUM INTER NOS ET VOS, — quod scilicet nos jus habeamus in altari vestro sacrificandi, et vos non habeatis jus nos impediendi.

Vers. 31. 31. ET LIBERASTIS FILIOS ISRAEL DE MANU DOMINI, — abstinendo a schismate et nova religione, ob quam Deus universum Israel acriter castigasset.

Vers. 32. 32. DE TERRA GALAAD FINIUM CHANAAN. — Ita legunt Romana, *q. d.* De terra Galaad, quæ est in finibus Chanaan, sive quæ finit et terminat Chananæam, inquit Hugo et Abulensis. Verum Biblia Complutensia, Regia aliaque legunt sic : *De terra Galaad in terram Chanaan.* Sic enim habent Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, quæ lectio planum clarumque exhibet sensum.

Vers. 34. 34. VOCAVERUNTQUE FILII RUBEN ET FILII GAD ALTARE QUOD EXSTRUXERANT, TESTIMONIUM NOSTRUM QUOD IPSE SIT DEUS. — Septuaginta, Romana asserunt ipsum Josue hoc nomen imposuisse altari. Sed Latina, Hebræa et Chaldæa asserunt Rubenitas et Gaditas id fecisse. Quare videtur in Septuaginta irrepsisse mendum, nisi dicas Josue nomen hoc a Rubenitis altari impositum confirmasse, eique suum calculum addidisse. Nomen ergo altaris erat hoc : « Testimonium nostrum quod ipse sit Deus, » *q. d.* Ereximus hoc altare, ut testemur Deum verum Israelis tam esse nostrum quam cæterarum novem tribuum Deum, ideoque nos nullo modo ab eo velle recedere, et alium Deum invocare, sed illi firmiter adhærere, illum solum colere et ab eo promissa Abrahæ et posteris ejus bona sperare : testamur igitur hoc altari illum æque esse Deum nostrum ac vestrum, o novem tribus : nos enim sumus filii Abrahæ et Israel sive Jacob, æque ac vos. Quare Deus ipsorum tam est Deus noster quam vester, ac promissa ejus ipsius facta tam ad

nos quam ad vos pertinent. Quocirca altare hoc vocamus isto nomine : « Testimonium nostrum quod ipse sit Deus. » Sic cum Josue debellasset Amalec, « ædificavit Moses altare, et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens : Quia manus solii Domini et bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem, » *Exodi* XVII, 15.

Simili modo Jacob altare Deo erexit in titulum, *Genes.* XXVIII, 18. Unde colligit Bellarminus, tract. *De Imaginibus;* Vasquez, lib. *De Adoratione;* et Serarius hic recte et sancte imagines, titulos, statuas fabricari, quæ Dei, Christi et Sanctorum memoriam nobis renovent, ac eorum beneficia refricent, itaque devotionem et pietatem exacuant.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue hortatur Israelitas ad Dei veri cultum, et ad legis ejus custodiam, utque gentilium societatem et connubia vitent : id si fecerint, promittit eis omnem Dei benedictionem; si non fecerint, sed ad Chananæorum idola et vitia deflexerint, comminatur eis Dei maledictionem omneque malum.

1. Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus universis, et Josue jam longævo, et persenilis ætatis : 2. vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos : Ego senui, et progressioris ætatis sum ; 3. vosque cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnaverit; 4. et nunc quia vobis sorte divisit omnem Terram, ab Orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes : 5. Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis Terram, sicut vobis pollicitus est. 6. Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi : et non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad sinistram : 7. ne postquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos; 8. sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit. 10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros : quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. 11. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. 12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare : 13. jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. 14. En ego hodie ingredior viam universæ terræ; et toto animo cognoscetis quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. 15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt : sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima quam tradidit vobis, 16. eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis et adoraveritis eos, cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima quam tradidit vobis.

Vers. 1. 1. VOCAVIT JOSUE OMNEM ISRAELEM, — principes scilicet et primores omnium tribuum, ac cæteros qui commode venire poterant. Vocavit autem eos in Thamnath Sare, ait Serarius, aut potius in Silo, ut censet Masius; in Silo enim erat tabernaculum cum arca, in qua residebat Deus.

7. NE, etc. JURETIS IN NOMINE DEORUM EARUM. — Per juramentum hic et alibi Scriptura intelligit Vers. 7.

cæterum Dei cultum; quem enim quisque colit Deum, per hunc et jurat, idque crebro : multi enim proni sunt ad jurandum per nomen Dei sui. Hebræi præmittunt : *Et nomen deorum eorum non commemoretis;* quod etiamnum Judæi religiosiores tam stricte observant, ut nunquam idola vel deos, Jovem, Venerem, Martem, etc. nominare audeant. Audiant et imitentur hoc Christiani, in quorum ore crebro sonat Hercules, Jupiter, Venus, etc. sentiant hoc esse piaculum.

Vers. 13. 13. SED SINT VOBIS IN FOVEAM. — Legit S. Hieronymus פחת *pachat,* id est, foveam; jam legunt פח *pach,* id est, laqueum; sic enim habent Hebræi, *erunt vobis in laqueum, offendiculum et flagellum ex latere vestro, et spinæ in oculis vestris.* Quæ omnia non tantum de scandalo pœnæ et vindictæ divinæ, sed et culpæ accipi possunt. Laqueis enim, ait Masius, et retibus societatis cum impiis, præsertim idololatris, ac illecebris blandæ voluptatis peccati primo impeditur cultus Dei; secundo, ubi illa semel devinctus est animus, facile ad omne flagitium ab ea velut flagro impellitur : mox vero usque eo occæcatur, ut veritatis splendorem deinde intueri amplius nequeat.

Vers. 14. 14. EN EGO HODIE INGREDIOR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ, — id est, universorum mortalium in terra degentium. Est metonymia; quod alibi per synecdochen dicitur : « Ingredior viam universæ carnis, » id est, viam mortis; ad eam enim tendit omnis caro, id est, omnis homo, *q. d.* En propero ad mortem, en sensim emorior, mors mihi imminet; spiritus enim et vita me destituunt. Pro *ingredior* Septuaginta vertunt ἀποθρέχω, id est, percurro, excurro; vita enim nostra continuus est ad mortem cursus, præsertim in senio et ætate ultima.

ET TOTO ANIMO COGNOSCETIS, — id est, plene et plane cognoscetis, vel *q. d.* toto animo advertite et recognoscite.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josue in Sichem ardenti concione populum ad Dei timorem exstimulat; mox, vers, 25, eumdem novo fœdere Deo astringit, ac tandem, vers. 29, moritur, et sepelitur in Thamnath Sare.

1. Congregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros, steteruntque in conspectu Domini; 2. et ad populum sic locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor; servieruntque diis alienis. 3. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus : et adduxi eum in terram Chanaan, multiplicavique semen ejus; 4. et dedi ei Isaac, illique rursum dedi Jacob et Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum : Jacob vero, et filii ejus descenderunt in Ægyptum. 5. Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. 6. Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare, persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum. 7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel : qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore : 8. et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras; et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos. 9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israelem. Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis; 10. et ego nolui audire eum; sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus. 11. Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus, et Gergezæus, et Hevæus, et Jebuzæus : et tradidi illos in manus vestras. 12. Misique ante vos crabrones; et ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. 13. Dedique vobis Terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis; vineas et oliveta, quæ non plantastis. 14. Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino.

15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur : eligite hodie quod placet cui servire potissimum debeatis, utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis ; ego autem et domus mea serviemus Domino. 16. Responditque populus, et ait : Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis. 17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, et patres nostros, de terra Ægypti, de domo servitutis : fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, et in cunctis populis per quos transivimus. 18. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem Terræ quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. 19. Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino; Deus enim sanctus, et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. 20. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona. 21. Dixitque populus ad Josue : Nequaquam ita, ut loqueris, erit: sed Domino serviemus. 22. Et Josue ad populum : Testes, inquit, vos estis quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque : Testes. 23. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. 24. Dixitque populus ad Josue : Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus. 25. Percussit ergo Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. 26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini : et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini; 27. et dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis ; ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. 28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam. 29. Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum : 30. sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim, a Septentrionali parte montis Gaas. 31. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel. 32. Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

Vers. 1. 1. IN SICHEM.—Ita Hebræa, Chaldæa, Romana. Dices : Septuaginta habent *in Silo;* ibi enim erat Sanctuarium, puta tabernaculum repræsentans Deum, coram quo Josue fœdus hoc iniit. Respondet Serarius hæc contigisse in Silo, sed Silo fuisse in agro Sichem. Verum Sichem decem milliaribus distabat a Silo, teste S. Hieronymo in *Locis Hebr.* Dico ergo in Septuaginta legendum esse *in Sichem,* uti legunt Septuaginta in Bibliis Compl. et Regiis (1).

Causa, cur Josue in Sichem potius quam in Silo hac concione fœdus renovaverit, fuit, quod Deus per Mosen jusserat in Sichem ad Garizim et Hebal montes sanciri hoc fœdus, repetique primum fœdus initum in Sina, *Exodi* XIX, idque Josue executus erat cap. VIII, 30. Ibidem ergo hoc fœdus jam renovat, ut prius fœdus ibidem, æque ac in Sina initum populo in memoriam revocet, ad illudque eum prorsus astringat. In Sichem enim Abraham Chananæam ingrediens primum Deo sacrificium obtulit, *Gen.* XII, 6 et 7. In Sichem quoque Joseph cæterique Patriarchæ ejus fratres sepulti sunt, ut patet hic vers. 32, et *Actor.* VII, 16. Voluit ergo Josue eodem loco, paulo ante mortem, legis et fœderis cum Deo repetitione suis Israelitis ultimum valedicere : qua in re imitatus est suum magistrum Mosen, qui idem fecerat toto Deuteronomio, maxime cap. XXXII, idque in Sichem, ut ubi Abraham hæres Chananææ a Deo institutus est, *Genes.* XII, ibi posteri ejus, hæreditate ejus adita, in Dei legem solemniter jurarent, ibique æternum religionis et juramenti sui haberent monumentum, de quo plura vers. 26.

IN CONSPECTU DOMINI,— id est, coram arca quæ erat quasi scabellum Dei sedentis supra alas Cherubim in propitiatorio. Arcam enim Josue ex Silo transferri fecit in Sichem, ut coram eo fœdus hoc sanciret, ut patebit vers. 23.

(1) Urbs Sichem sita erat in valle tecta montibus Hebal et Garizim.

Vers. 2. 2. TRANS FLUVIUM (Euphratem in Mesopotamia) HABITAVERUNT PATRES VESTRI AB INITIO, THARE PATER ABRAHAM ET NACHOR (frater Abrahæ) SERVIERUNTQUE DIIS ALIENIS, — scilicet Thare et Nachor; hi enim coluerunt idola, non vero Abraham, qui semper exstitit verus unius Dei cultor, uti ex S. Augustino, Abulensi, Pererio et aliis ostendi *Genes.* XI, 31.

Vers. 4. 4. ESAU DEDI MONTEM SEIR, — puta Idumæam.

Vers. 6. 6. ET VENISTIS AD MARE — Rubrum, sive ad sinum Arabicum, qui Arabiam ab Ægypto dividit.

Vers. 9. 9. SURREXIT AUTEM BALAC FILIUS SEPHOR REX MOAB, ET PUGNAVIT CONTRA ISRAELEM. — « Pugnavit, » non effectu et armis, utpote qui se videns Hebræis inferiorem et imparem, bello abstinuit, sed affectu, conatu et consiliis magicisque artibus Hebræis exitium per Balaam ariolum intentando. Nam Balaam, rogante Balac, maledicere volebat Hebræis, quæ maledictio si eventum suum sortita fuisset, Balac eos invasisset et delevisset; sed videns Deum maledictiones Balaam in benedictiones convertere, exterritus Hebræos aggredi non est ausus. Vide *Numer.* cap. XXII, vers. 11. Paulo aliter S. Augustinus. « Pugna, ait, fuit armata defensio. »

Vide hic ut Hebræorum verba sæpe significent actum, non perfectum, sed inchoatum, imo affectum et conatum duntaxat, non effectum. Sic vers. 11, dicuntur Jerichuntini pugnasse, id est, parasse se ad pugnam contra Hebræos. Sic *Amos* IX, 3, dicitur : « Si se celaverint ab oculis meis, » id est, si se celare tentarint; nam reipsa nemo ab oculis Dei lucidissimis se abscondere potest. *Psal.* XXXIII, 4. « Magnificate Dominum mecum. » *Luc.* I, 47 : « Magnificat anima mea Dominum, » id est; magnificare gestit et optat; nam revera Deum magnificare vel exaltare non possumus.

Vers. 12. 12. MISIQUE ANTE VOS CRABRONES, ET EJECI EOS DE LOCIS SUIS, DUOS (Septuaginta, Romana habent δώδεκα, id est, duodecim, sed Complutensia et Regia habent δύο, id est, duos, puta Sehon et Og), REGES AMORRHÆORUM, NON IN GLADIO, NEC IN ARCU TUO, — id est, non viribus et virtute gladii et arcus tui, sed crabronum a me præmissorum. Crabrones enim ita attriverunt Amorrhæos, ut eos sequentes Hebræi facile ipsos suis gladiis trucidarint et sagittis confixerint. Vide dicta *Exodi* XXIII, 28, et *Sapient.* II, 8.

Vers. 15. 15. OPTIO VOBIS DATUR : ELIGITE HODIE QUOD PLACET, CUI SERVIRE POTISSIMUM DEBEATIS, — *q. d.* In vestro arbitrio est eligere Deum verum, vel deos falsos gentium; sed si hos eligatis, certa acrisque vos excipiet Dei ultio et vindicta; sin autem Deum eligatis, omnibus bonis ipse vos cumulabit. Quare non veram optionem eligendi Deum vel deos hic Josue concedit Hebræis, qui cap. præced. eos adegit ad verum unius Dei cultum; sed artificio rhetorico utitur, ac tot commoda affert cultus veri Dei, tot incommoda vero cultus idolorum, ut non nisi amens sit, qui neglecto Deo vero, si deos falsos sibi colendos eligat (1).

Vers. 16. 16. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO. — Aggravat difficultatem serviendi Deo, ut magis Hebræos incitet ad ei serviendum, *q. d.* Deus vult solus coli, sibique serviri exacte et constanter ex toto corde; vos autem propensi estis in idola ac vitia, estisque animo vario et inconstanti; quare non poteritis ei servire, nisi novos, magnosque et constantes animos induatis ad idola vitiaque respuendum, ac ad Deum toto corde sancte amandum, jugiterque colendum : illos ergo induite. Id patet ex ratione quam subdit :

DEUS ENIM SANCTUS. — Hebraice כי אלוהים קדשים הוא *ki elohim kedoscim hu*, id est, *quia Dii sancii ipse*. Tò *sancti* est numeri pluralis. Utitur autem plurali adjectivo, tum ad innuendam personarum in Deo et S. Trinitate pluralitatem, ut multi volunt; tum quia nomem Dei *elohim*, apud Hebræos est plurale; tum quia numerus pluralis hoc loco ad comparationem cum multis diis gentium est opportunior; quasi dicas : Dii gentium sunt impuri et scelerati, at nostri sunt puri et sancti (amat enim Deus noster, puta Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sanctitatem, odit scelera); tum denique ad omnigenam et absolutissimam Dei sanctitatem significandam. Sanctitas enim Dei omnem sanctitatem omnium Angelorum et hominum complectitur, et in immensum transcendit. Vide Riberam *Michææ* cap. V; num. 37.

Vers. 23. 23. AUFERTE DEOS ALIENOS DE MEDIO VESTRI. — S. Augustinus, *Quæst.* XXIV, putat nulla tunc fuisse idola inter Hebræos, idque colligit ex vers. 31, ubi dicitur : « Servivitque Israel Domino; » quare per deos alienos sive idola S. Augustinus accipit cogitationes a Deo Deique majestate alienas, puta vana phantasmata, quæ quis sibi de Deo fingit, cum Deum alienum esse imaginatur, quam revera sit. Sic tropologice idolum avari est aurum, superbi honor, gulosi deliciæ, luxuriosi Venus. Verum Josue omnino videtur loqui de idolis proprie dictis, sive quæ tum in populo fuerint, sive quæ paulo post posteri erecturi erant; nam ad posteros quoque sua hæc verba dirigit Josue. Denique licet tempore Josue nullum publicum fuerit idolum, quod significatur vers. 31, verbis jam citatis, tamen privatim Hebræos idola coluisse etiam in deserto patet *Amos* cap. V, vers. 26, et *Actor.* cap. VII, vers. 43. Vidi ibi dicta. Ita Masius, Serarius et alii.

Vers. 25. 25. PERCUSSIT ERGO JOSUE IN DIE ILLO FOEDUS. — Fœdus hoc erat, quod populus promitteret se unum Deum culturum, ejusque leges a Mose latas servaturum, uti audivimus vers. 21. Josue vero, vicissim ex parte Dei promitteret populo, quod Dominus ipsi foret Deus, id est, protector, provi-

(1) Hebræis datur optio ut melior pars merito et libenter eligatur.

sor, promotor, eumque in terra promissa conservaret, aleret, exaltaret.

Porro ritum sanciendi fœderis recensui *Genes.* cap. XV, vers. 17 et 18, *Exodi* cap. XXIV, vers 6 et seq. Sanciebatur enim fœdus per victimas fœderales quæ tunc cædebantur et immolabantur, indeque dicebantur icere vel percutere fœdus; quia percutiebant victimam, tacite imprecante similem percussionem illi qui fœdus violaret. Unde illud :

Stabant, et cæsa firmabant fœdera porca.

Quare omnino videntur in hoc fœdere victimæ illæ fuisse immolatæ; erat enim hoc solemne fœdus, quo Josue moriturus populum universum Deo astrinxit.

ET PROPOSUIT POPULO PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA,— id est, curavit per sacerdotes legi ex Deuteronomio præcepta Dei tam moralia et cæremonialia, quam judicialia, ut eorum memoriam populo refricaret et inculcaret.

Vers. 26. 26. SCRIPSIT QUOQUE OMNIA VERBA HÆC IN VOLUMINE LEGIS DOMINI, — *q. d.* Ad perpetuam memoriam Josue scripsit ritum et rationem hujus fœderis verbis conceptis utrimque sanciti in libro *Deuteronomii,* puta ad calcem libri; hunc enim librum Moses jusserat in latere arcæ collocari, *Deuter.* XXXI, 24 et 26, eo quod hic liber contineat omnia Dei præcepta, quæ sunt conditio fœderis inter Deum et populum per Mosen initi, et per Josue hic renovati (1).

ET TULIT LAPIDEM PERGRANDEM,—ut eum erigeret in signum et perenne monumentum fœderis initi, quod Hebræos jugiter moneret eorumque oculos verberaret, ut sancte hoc fœdus colerent et præcepta observarent.

POSUITQUE EUM SUBTER QUERCUM, QUÆ ERAT IN SANCTUARIO DOMINI,—quæ erat in atrio tabernaculi, quod cum arca Josue ex Silo in Sichem per Sacerdotes et Levitas transferri curaverat, ut coram eo, quasi coram Deo in eo residente, fœdus hoc sanciretur. Hebræi, quos sequitur Masius, putant hanc ilicem sive quercum esse eamdem cum illa, sub qua Jacob defodit idola, *Genes.* XXXV, 4, imo eamdem esse cum ea, juxta quam Deus primo apparuit Abrahæ, eique terram istam promisit, *Genes.* XII, 6, ut ibi Abraham hæres terræ a Deo fuerat institutus, ibi Hebræi jam terram possidentes fœdus cum Deo renovarent, ideoque locum hunc hic vocari sacrarium, sive sanctuarium Domini; quia scilicet in eo Abraham primus Deo aram sacraverat, in quo Jacob et alii postea Deum invocaverunt.

Dices : Quercus illa non poterat tam diu vivere et esse superstes; nam ab Abraham usque ad Josue fluxere anni 545, quercus autem communiter tantum trecentos annos vivunt; primis enim centum annis crescunt in justam altitudinem et crassitiem; secundis centum annis in ea et robore suo se firmant et durant; tertiis centum annis sensim deficiunt et emoriuntur. Respondeo : Hoc communiter verum est, sed tamen nonnullæ quercus sunt annosiores et diutius vivunt; lignum enim habent durissimum, unde et robora appellantur. Adde quercum hanc fuisse quercetum, ut vertit Chaldæus, quod semper durat, dum una quercus emoriens per glandes in terram decidentes sese proseminat, ut ex iis alia quercus enascatur, et ex hac alia et alia, ita ut semper perennent.

Septuaginta pro *quercum* vertunt *terebinthum,* quia Hebræa vox אלה *alla,* vel אלון *elon,* quamvis arborem glandiferam significat. Unde S. Augustinus per eam accipit crucem Christi, per quam novum Testamentum et fœdus sancitum est. Audi eum hic, *Quæst.* ult.: « Jam vero quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat quod virga ad petram ut aqua proflueret, quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subjectus : vel quod illo tempore quo illud agebat Jesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi enim lignum medicinalem lacrymam exsudat, quæ arbor a Septuaginta Interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundum alios interpretes quercum legatur. »

Dices : Deus jussit *Deut.* XVI, 21, dicens : « Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare; » quomodo ergo hæc quercus fuit in tabernaculo juxta altare. Respondeo, vetat Deus plantari arborem, non autem erigi tabernaculum et arcam juxta arborem jam ante plantatam. Adde vetari arborem, id est, arbores quæ faciunt lucum sive silvam more Gentilium. Unde Hebræa et Septuaginta habent : *Non facies ex omni arbore,* id est; ex omni arborum genere.

27. ET LAPIS ISTE ERIT VOBIS IN TESTIMONIUM, QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI QUÆ LOCUTUS EST VOBIS. — « Audierit. » Ita legendum cum Hebræis Septuaginta et Romanis. Male ergo quidam scioli scripserunt *audieritis.* Est prosopopœia; tribuitur enim lapidi insensibili, quasi testi propter inscriptionem, auditus ad nervum orationis : revera autem non aliud significatur quam lapidem, coram quo hæc acta sunt, esse testem et memoriale fœderis initi. Sensus ergo est, *q. d.* Si lapis sensum haberet, fœdus hoc audisset et testari posset; nunc cum sensum non habeat, testis erit inanimis, *q. d.* Si vos non audieritis verba Dei, hic lapis erit testis mutus, vos hæc pacta audisse et violasse. Unde Chaldæa vertit : *Ecce lapis iste erit nobis ut duæ tabulæ lapidis fœderis; nam eum fecimus ad testimonium; nam verba quæ scripta sunt super ipsum, ex oculo omnium verborum Domini, quæ locutus est nobiscum, et erit vobis in memoriale.* Hinc patet lapidi inscripta sive incisa fuisse verba vel signa hujus fœderis. Vers. 27.

(1) In his verbis evidentissime patet quæcumque fœderis sanciti verba Josue manu fuisse scripta.

Simili modo ad pathos, ut Judæos duros et insensibiles confundat, pungat et exstimulet Moses, *Deut.* XXXII, 1, invocat cœlum et terram, ut ipsa, licet insensibilia; sentiant et audiant verba Dei, quæ populus sensu et ratione præditus audire non vult. « Audite, cœli, inquit, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.» Et Isaias, cap. I, 2 : « Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. » Et Jeremias, cap. II, 12 : « Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus : duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, » etc.

Vers. 29. 29. ET POST HÆC MORTUUS EST JOSUE FILIUS NUN, SERVUS DOMINI, CENTUM ET DECEM ANNORUM. — Quoto anno principatus sui mortuus sit Josue, incertum est; variant enim Chronologi. Serarius hic duodecim eorum sententias recenset, e quibus duæ sunt probabiliores et probatiores, pluresque habent auctores. Prior dat Josue ducatui septemdecim vel octodecim annos, posterior septem et viginti; et utraque conciliari potest, si quis dicat Josue præcise præfuisse annis octodecim duntaxat, illoque anno mortuum, sed librum Josue extendi ad gesta post mortem ipsius, scilicet hic vers. 31, narrare quod Israel multis annis servierit Domino, quamdiu scilicet vixit Eleazar, et seniores qui viderant opera et prodigia Dei pugnantis pro Israele, ac tandem mortuum esse Eleazarum, quod forte contigit sub annum vigesimum septimum ab inchoato principatu Josue : quanquam hi anni seniorum post mortem Josue excurrentes contineantur in annis Othonielis, qui successit Josue, ut patebit *Judic.* cap. I et seq.

Chronologia ætatis Josue. CENTUM ET DECEM ANNORUM. — Hinc patet chronologia gestorum Josue. Si enim ponamus eum præfuisse populo octodecim annis, hæc erit annorum series. Moses mortuus est ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 40, qui fuit mundi 2494. Eodem anno Mosi successit Josue, populumque deduxit in terram promissam, ac deinde septem annis bellando Chananæam subjugavit; vixit posthæc adhuc undecim annos, scilicet ad annum decimum octavum sui ducatus. Mortuus est ergo ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 58, mundi 2512, post mortem Joseph (cui fuit ætate par : nam et Joseph vixit 110 annos) 184.

Hinc sequitur Josue natum esse anno mundi 2402, qui fuit post mortem Joseph 92; quare Mose fuit junior septem et viginti annis. Nam in exitu Hebræorum ex Ægypto Moses erat octoginta annorum, Josue vero tres et quinquaginta. Calebo vero Josue fuit senior quindecim annis; nam Caleb post septennium belli, quo subacta est Chananæa, erat quinque et octoginta annorum, ut ipse ait cap. XIV, vers. 10, tunc autem Josue erat centum annorum.

Nota tres partes totidemque status annorum vitæque Josue. Ipse enim in Ægypto natus, ibidem vixit annos tres et quinquaginta, deinde in deserto annos quadraginta, ubi anno secundo debellavit Amalec, *Exodi* XVII, 10, item Og, Sehon cæterosque hostes Israelis. Denique terram promissam ingrediens subjugansque, in ea vixit annos septemdecim vel octodecim. Primos egit in servitute, secundos in peregrinatione, tertios in principatu, e quibus priores septem in bellis, ultimos decem in pace et ordinanda Republica exegit, in quo diem obiit anno ætatis 110, qui fuit ante Christi natalem annus 1448.

Vers. 30. 30. SEPELIERUNTQUE EUM IN FINIBUS POSSESSIONIS SUÆ IN THAMNATH SARE. — Hebraice *in Thamnath Sarach*, sed ultimum *chech*, quia asperæ pronuntiationis, Septuaginta et Noster solent omittere; unde pro *Noach* vertunt *Noe*, pro *Corach Core*, pro *Terach Thare* (1).

Josue sepulcro imposita imago solis. Jam Hebræi in Seder Olam tradunt, *Thamnath Serach*, per metathesin poni pro *Thamnath Cheres*, id est תמונת חרס *temuna cheres*, id est, *imago*, vel *statua solis*, eo quod illam Israelitæ collocarint super sepulcrum Josue, ad conservandam memoriam illius prodigii, quo solem stiterat. Idem asserunt R. Salomon, Masius, Arias, Cajetanus, Magalianus, Serarius, Adrichomius et alii.

Unde et *Judic.* II, 8, *Thamnath Serach*, in Hebræa, Septuaginta et Latinis nonnullis vocatur *Thamnath Chares*, id est imago solis. Plinius, lib. XXXIV, cap. VII, præ omnibus colossis celebrat colossum solis. « Ante omnes, ait, in admiratione fuit solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supradicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti quam pleræque statuæ. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrii, relicto more regio. »

Sed hic colossus nihil est, si comparetur cum statione solis et colosso hoc Josuano.

Addunt Septuaginta in editione prima Romana : « Illic posuerunt cum eo in monumento, in quo sepelierunt eum, gladiolos saxeos, quibus circumciderat filios Israel in Galgalis Jesus, cum educeret eos ex Ægypto, sicut mandarat Dominus; et illic sunt usque ad hodiernam diem. » Quam narrationem expendens Cyrillus Alexandrinus, lib. IV *in Joannem*, cap. V : « Non absque causa, inquit, cultri cum illo eodem in loco positi sunt, verum ut nos discamus circumcisionis spiritualis gratiam (quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba) Salvatoris morti esse affixam. »

Addit Gregorius Turonensis, lib. I *Mirac.* sive Duo mi-

(1) Mortis et sepulturæ Josue narratio fuit addita huic libro manu extranea, inde vero concludi nequit hunc librum sua manu non fuisse scriptum.

Miracula Josue defuncti.

De Gloria Martyrum, cap. XXVIII, duo alia mira, imo miracula Josue : « Primo sunt, ait, ad Levidam civitatem aquæ calidæ, in quibus Jesus Nave lavare solitus, ubi similiter leprosi mundantur. Est autem ab Hiericho 12 millibus. Secundo prope Hiericho habentur arbores quæ lanas gignunt. Exhibent enim poma in modum cucurbitarum, testas in circuitu habentia duras, intrinsecus autem plena sunt lanæ. Et de his enim ferunt ipsi Jesu Nave solere fieri indumenta. Sed et hodie tales exhibent lanas : ex quibus nos a quibusdam delatas vidimus, et admirati sumus vel candorem vel subtilitatem earum. »

A SEPTENTRIONALI PARTE MONTIS GAAS. — S. Hieronymus, Masius, Adrichomius et alii asserunt montem Gaas esse partem vel appendicem montis Ephraim. Hinc et Hebræi in Seder Olam tradunt Josue defunctum esse 26 Nisan, quæ quasi coincidit cum die 25 martii, qua Jesus Christus ejus antitypus in cruce pro mundi salute mortem obiit : quanquam in Romano Martyrologio Jesus Sanctis adscriptus legatur die prima septembris.

Tradunt Hebræi in Seder Olam, et in Midras Ruth, magnum, cum sepeliretur Josue in monte Ephraim, exstitisse terræ motum, ex eoque montem vocatum *Gaas*, id est, commotionis ac tremoris : געש *gaas* enim commoveri et tremere significat. Ridet hoc Masius ut fabulam, sed ut historiam defendit Serarius, aitque hac in re Josue fuisse typum Jesu Christi, in cujus morte « terra mota est, et petræ scissæ, » *Matth.* XXVII, 51.

Porro Hebræos mortem Josue æque ac Mosis planxisse solemni pompa non est dubium; nulla tamen hic planctus fit mentio, quod ad mysterium referunt Patres, scilicet eo significari, in veteri lege sub Mose plangendos fuisse defunctos, eo quod in infernum ad limbum patrum descenderent; in nova vero lege in morte fidelium esse gaudendum, quod Jesus moriendo eis cœlum reserarit, ut ipsi eo conscendant, quo ipse primus introivit viamque præivit.

Denique liberorum Josue nulla fit mentio, quia ipse fuit cælebs et virgo, ut ex S. Ignatio, Chrysostomo et aliis dixi in procœmio. Audi S. Hieronymum, lib. I *Contra Jovin.*: « Jesus, ait, sepelitur in Thamnath Sare, id est, in perfectissimo principatu, sive in numero operimenti novi, ut virginum significaret greges Salvatoris auxilio coopertos : in monte Ephraim, hoc est, in monte frugifero, ab Aquilone montis Gaas, qui interpretatur commotio. Mons enim Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni, quæ opposita semper invidiæ est, per singulas tentationes dicit : Mei vero pene moti sunt pedes : » Et inferius : « Quamobrem et Moyses moriens plangitur a populo Israel, Jesus autem quasi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari. »

Porro mira et lepida narrant Rabbini in libro suo *Juchasin*, de bello quod Josue gesserit cum quinque et quadraginta regibus Armeniæ, Persidis et Mediæ, quæ hic ad longum recenset Serarius, ac deinde ut fabulosa confutat, *Quæst.* XIII, pag. 474.

31. SERVIVITQUE ISRAEL DOMINO CUNCTIS DIEBUS JOSUE, — quia scilicet Josue eum verbo et exemplo in Dei cultu et pietate continebat. Audi Tullium, lib. I, epist. *ad Lentulum* : « Sunt hæc apud Platonem nostrum scripta divinitus : Quales in Republica principes essent, tales reliquos solere esse cives. » Vers. 31.

ET SENIORUM, QUI LONGO VIXERUNT TEMPORE POST JOSUE. — Seniores hi erant Eleazar Pontifex, Caleb cæterique qui tempore exploratorum Terræ sanctæ necdum annum vigesimum ætatis attigerant, nec murmurarant; cæteri enim omnes ob murmur in deserto mortui sunt, nec Chananæam viderunt, *Numer.* XIII et XIV.

32. OSSA QUOQUE JOSEPH, QUÆ TULERANT FILII ISRAEL DE ÆGYPTO, SEPELIERUNT IN SICHEM. — Id enim jusserat Joseph, ut non in Ægypto inter infideles et impios, sed in Chanaan inter fideles et pios, cum avis et abavis suis Patriarchis sepeliretur; præsertim quia sciebat Christum in Chanaan nasciturum, passurum, resurrecturum, ac se cum eo et per eum resurrecturum sperabat, quod et contigisse est verisimile. Fuit et alia causa, ut scilicet Joseph animaret Hebræos ad exitum ex Ægypto, et ad ingressum in terram a Deo promissam. Vide dicta *Gen.* XXIII, in fine, et *Genes.* L, 23, et *Exodi* XIII, 19, ubi Moses votis ultimis Joseph satisfaciens, ejus ossa egrediens ex Ægypto secum extulit. Vers. 32.

Simili modo Noe ossa Adami in arcam religiose suscepit, et post diluvium illa inter tres filios suos distribuit, ac Sem, quem cæteris duobus anteferebat, dedit Adæ cranium, cum eoque Judæam, uti narrat Jacobus Orro Haita, sive Edessenus, qui fuit magister S. Ephrem, et ex eo Masius, qui ejus librum in Latinum transtulit. Tanta in priscis fuit cura honorque sepulcri, ob fidem quam habebant de animæ immortalitate; et ob spem resurrectionis ex meritis Christi, in Chanaan victuri et morituri.

IN PARTE AGRI QUEM EMERAT. — Vide dicta *Genes.* cap. XXXIII, 19.

ET FUIT IN POSSESSIONEM FILIORUM JOSEPH, — id est, cessit Ephraimitis, qui ex Ephraim filio Joseph prognati sunt. Vide dicta *Genes.* XLVIII, 22.

33. ELEAZAR QUOQUE FILIUS AARON MORTUUS EST, ET SEPELIERUNT EUM IN GABAAT PHINEES FILII EJUS, QUÆ DATA EST EI IN MONTE EPHRAIM, — An Gabaa primitus sit data Eleazaro, ut vult Masius et Abulensis, an vero ejus filio Phinees, ut vult Vatablus, et insinuat S. Hieronymus in *Epitaph. S. Paulæ*, incertum est. Certum est *Gabaa* cognominatam esse *Phinees*, sive quod is diutissime in ea habitarit, sive alia de causa. Porro Eleazar Pontifex dirigebat Josue, pro eoque Deum in rebus ambiguis consulebat, ut jusserat Deus per Mosen Vers. 33.

Num. cap. XXVII, vers. 21; unde *Eleazar* Hebraice idem est quod Dei *auxilium*; hoc enim ipse exhibuit principi Josue, totisque castris Hebræorum. Successit Eleazaro patri in Pontificatu Phinees, filius magni vir zeli, ut patet *Num.* XXV, 11.

IN MONTE EPHRAIM. — Hinc patet Gabaa fuisse in tribu Ephraim; mirum ergo est, quod S. Hieronymus vel potius Eusebius in *Locis Hebraicis* eam ponat in tribu Benjamin; licet enim pleræque urbes Levitis assignatæ cap. XXI, essent in tribu Juda vel Benjamin; tamen Gabaa extra ordinem data est Eleazaro et Phinees, tum ob eorum merita, tum ut Eleazar Pontifex vicinus esset principi Josue in sua tribu Ephraim habitanti, ac eum consiliis omnique ope adjuvaret et dirigeret.

Denique Septuaginta in editione Romana nonnulla addunt, quæ etiam agnoscit Theodoretus et Syrus (unde colligas Syrum ex Græco Septuaginta translatum esse, non ex Hebræo, uti alias monui), teste Masio. Ea sunt hæc : « In illa die sumentes filii Israel arcam Dei, circumdederunt in seipsis (Syrus, in Israele), et Phinees functus est sacerdotio pro Eleazaro patre suo quoadusque mortuus est, et defossus in Gabaa, quæ ipsius. Filii autem Israel abierunt unusquisque ad locum suum, et ad suam civitatem. Et coluerunt filii Israel Astartem et Astaroth, et deos gentium quæ in circuitu ipsorum. Et tradidit eos Dominus in manus Eglon regis Moab, et dominatus est eorum annos decem et octo. »

Verum hæc huc transcripta videntur ex libro *Judicum*, ubi ea audiemus. Unde et Syrus ait hæc notari obelisco, quasi addititia. Nam in Hebræo, Chaldæo, Latino, Septuaginta, Complutens. et Regio desunt hoc loco.

COMMENTARIA

IN

LIBRUM JUDICUM.

ARGUMENTUM.

Dicitur hic Liber Judicum (1), populi Israel, qui scilicet eum a Philisthinis, Moabitis, Ammonitis, Madianitis, etc., afflictum et servitute oppressum, ab eorum injuriis vindicarent et in libertatem assererent. Deus enim ob idololatriam aliaque scelera populum his gentibus castigandum tradebat, ut is ad cor et ad Deum rediret : quod dum faceret, submittebat eis Judicem qui eos a tyrannide et tyrannis opprimentibus liberaret. Unde cap. III, 9, dicitur : « Suscitavit salvatorem eis, et liberavit eos, Othoniel videlicet. » Quocirca judicare in hoc libro, uti et alibi sæpe, significat punire, defendere, vindicare. Hebraice hic liber dicitur שופטים *Sophetim*, id est, Judices. Inde magistratus summus apud Pœnos nomen accepit, qui *Suffetes* dicitur, ut ait Livius lib. VIII, *Decade* 3. Pœnos enim et Phœnices multas ab Hebræis voces accepisse docet S. Augustinus, libro *Contra Epist. Petiliani*, cap. CIV. Fuit vero inter Judices et Reges differentia, quam assignat Lactantius, lib. IV *De Sapientia*, cap. X : « Primo, ait, non dominio regum subjecti fuerunt Judæi, sed populo ac legi civiles Judices præsederunt. Non tamen in annum constituti sunt, sicut Romani consules, sed perpetua jurisdictione subnixi. »

Judices populi vindices.

Horum ergo populi Judicum, id est vindicum, gesta liber hic prosequitur, idque hoc fine, ut pateat Dei liberalitas in fideles et pios, ac ejusdem vindicta in infideles et impios. Unde notat Procopius ex hoc libro clare perspici, quod e vera fide ac religione retenta, diligenterque culta, omnis rerumpublicarum salus et amplitudo pendeat : contra vero quemadmodum ex ea deserta et neglecta fœdum earumdem sequatur exitium, ruina et dedecus. D. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XLIII : « Temporibus, ait, Judicum sicut se habebant peccata populi, ex misericordia Dei, alternaverunt prospera et adversa bellorum. » Et lib. XVIII, cap. XIII : « Post mortem Jesu Nave populus Dei judices habuit, quibus temporibus alternaverunt apud eos et humilitates laborum pro eorum peccatis, et prosperitates consolationum propter miserationem Dei. » S. Cælestinus, epist. *ad Theodosium Imperatorem* : « Major, ait, vobis fidei causa esse debet, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro securitate omnium terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt chariora serventur. »

Officia.

Quæres *primo*, quænam Judicum horum fuerunt officia? Respondeo, *primum* fuit populum e servitute liberare, uti jam dixi. *Secundum*, bellis præesse; erant enim hi Judices quasi belli Duces et Imperatores. Unde Josephus eos vocat στρατηγούς, id est, Imperatores, et ὑποστρατηγούς, id est, subimperatores, sub Deo videlicet summo populi bellique Duce. *Tertium*, proprie judicare, id est jus populo dicere, eorumque lites justa sententia dirimere, uti fecit Samuel et Heli. Unde nonnulli Judices, ut Thola, Abesan, Ahialon, Abdon, nulla leguntur gessisse bella, sed tantum populo præfuisse et jus dixisse. Hinc licet ipsi non haberent absolutum jus necis et vitæ, reos tamen juxta legem morti adjudicabant et plectebant.

Quæres *secundo*, quale fuit horum Judicum regimen? Scitum est triplex esse Reipublicæ regimen, scilicet Democraticum cum δῆμος, id est, populus seipsum regit, in quo pluralitas vocum prævalet, remque dubiam definit, uti fit apud Helvetios; Aristocraticum, in quo ἄριστοι, id est, optimates imperant, uti erant olim Romæ Consules et Senatores, ac etiamnum sunt Venetiis, Genuæ et aliis in locis; Monarchicum, in quo μόνος, id est, unus solus imperat, uti Monarchæ in regnis suis sunt Reges et Principes absoluti, ac Cæsares.

Dico ergo, Judices hos habuisse regimen non Democraticum, nec Aristocraticum, sed Monarchicum. Unus enim solus Judex suo tempore præerat populo : monarchiam ergo obtinebat, at non regiam regum; nam nec novas leges condere, nec tributa populo imponere poterat, uti possunt reges, nec diademate et sceptro utebatur, nec satellitio regio utebatur, nec ungebatur, uti

(1) Hic liber continens historiam gestorum a Josue mortuo ad regimen Samuelis hebraice *Sophetim* vocatur; eo quod Judicum attributa erant æque ac magistratuum, quos vocabant Phœnici nomine *Suffetes*.

unguntur reges, nec hæreditario jure succedebat, ut faciunt filii regum, sed electione Dei vel populi creabatur. Electus tamen per omnem vitam manebat Judex, id est, princeps; quare non erat dominus, sed conservator duntaxat et curator Reipublicæ. Ita Abulensis. Erat ergo potestas Judicum valde limitata et restricta. Fuit igitur hic magistratus apud Hebræos similis magistratui Dictatorum apud Romanos; in eo tamen dissimilis, quod hic temporaneus esset, ille vero perpetuus. Porro monarchia hæc Judicum mixta erat Aristocratiæ. Nam Judices in rebus difficilioribus supremi consilii, quod Sanhedrim dicebatur, sententiam exquirere, ejusque decretis stare debebant, in cæteris vero legem Dei sequi ac juxta eam populum gubernare : unde non tam ipsi, quam Dei, Deique lex populum regebat. Hoc est quod Deus dixit Samueli Judici : « Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, » I *Reg.* VIII. Judicibus similes erant ἄρχοντες apud Athenienses, et nunc sunt Duces apud Venetos.

Anni Judicum 356 vel 360.

Quæres *tertio*, quot fuerunt Judices, quot annis regnarunt? Respondeo fuisse quindecim; ac imperasse per annos 356, si Samueli demus annos octodecim duntaxat, juxta chronologiam quam Pentateucho præfixi; sin cum Saliano et aliis Samueli des annos duo et viginti, fient anni Judicum 360. Primus enim Judex fuit Othoniel, qui imperavit annis quadraginta; secundus Aod annis octoginta; tertius Samgar per paucos menses; quartus Barac cum Debbora annis quadraginta; quintus Gedeon pariter quadraginta; sextus Abimelech annos tres; septimus Thola annis tres et viginti; octavus Jair annis duo et viginti; nonus Jephte annis sex; decimus Abesan annis septem; undecimus Ahialon annis decem; duodecimus Abdon annis octo; decimus tertius Samson annis viginti; decimus quartus Heli annis quadraginta; decimus quintus Samuel annis duo et viginti. Ultimus ergo Judex fuit Samuel; nam post eum populus petit regem, ac Dei jussu Samuel Saulem eis regem creavit, hoc tamen libro duorum ultimorum, scilicet Heli et Samuelis acta non narrantur, sed in libro primo Regum, eo quod filii Heli petendi regis et regni occasionem sua improbitate populo dederint, ac Samuel reipsa regem ei dederit. Quare restant tredecim priores quorum gesta hoc libro narrantur. Complectitur ergo hic liber chronologiam gestorum ipsorum per 298 annos, scilicet ab anno mundi 2512, quo mortuus est Josue, et mox successit ei Othoniel Judicum primus, usque ad annum mundi 2810, quo mortuus est Samson, cui successit Heli et Samuel, quorum duorum gesta non hoc libro, sed in primo Regum recensentur.

Judices Sancti.

Quæres *quarto*, an omnes hi Judices fuerint Sancti. Respondeo fuisse, excepto Abimelech, qui non fuit Judex, sed tyrannus : ipse enim principatum vi invasit, occisis fratribus omnibus qui erant filii Gedeonis. Judex enim constituebatur a Deo; quod si id non fieret, populus sibi eligebat et creabat Judicem : modo ex una, modo ex alia tribu. Porro Judices hos esse Sanctos patet ex S. Paulo, qui eos ut Sanctos celebrat *Hebr.* XI : « Deficit me tempus, ait, enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. » Et Ecclesiasticus, cap. XLVI, vers. 13 : « Et Judices, inquit, singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor : qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum virorum sanctorum gloria. »

Auctor.

Quæres *quinto*, quis hunc librum conscripsit? Respondeo id incertum est. Verisimile est Esdram, vel Prophetam aliquem posteriorem, aut potius Samuelem (1), eum ex antiquis diariis et annalibus, quæ Judex quisque aut alius ejus tempore conscribebat, collegisse, et in hunc librum scribendo redegisse; ita Theodoretus hic, *Quæst.* I. Idem dico de libro Ruth, et simile dixi de libro Josue.

Denique auctores, qui in librum Judicum commentaria scripserunt, sunt hi : Origenes, S. Augustinus, Theodoretus, Procopius, Isidorus, Hugo de S. Victore, Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Abulensis, Cajetanus, Joannes Ferus, Arias Montanus, et e nostra Societate Nicolaus Serarius et Cosmas Magalianus, et Jacobus Bonfrerius.

(1) Hæc opinio probabilior est.

CANONES

LIBRO JUDICUM PROPRII.

Primus. Crebro hic numerantur variis temporibus varii servitutis et oppressionis Hebræorum anni, quibus scilicet ipsi ab Eglon, Jabin, Madianitis, Philistinis aliisque regibus et gentibus vexati et oppressi fuere. Verum omnes hi anni non seorsim in chronologia ponendi computandi

sunt, sed intra tempora et annos proxime præcedentium vel sequentium Judicum includuntur. Id ita esse ostendam cap. IV, vers. 3.

Secundus. S. Scriptura annorum numerum consignans subinde intelligit eorum terminum, non quod integre in tali loco vel actione exacti sint, sed quod actio ibidem sit terminata. Sic *Exodi* XII, 40, dicitur: « Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit 430 annorum, » id est, 430 anno terminata est, ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXIV, in Ægypto enim habitarunt tantum 215 annos. Sic Judith, cap. ult., vers. 28, dicitur permansisse in domo viri sui 105 annos, id est, usque ad annum vitæ suæ 105 : nam puellares annos egit in domo parentum, non viri. Sic *Judic.* XIV, 17, dicitur Dalila septem dies convivii flevisse, id est, usque ad septimam diem; nam flere cœpit post tertium convivii diem.

Tertius. Respublica Hebræorum (ut et multæ aliæ) post singulos 400 annos mutavit suum statum et formam ex Aristocratia in Monarchiam vel Democratiam; hæc enim est periodus multarum Rerumpublicarum. Id liquet ex tabula chronol. quam Pentateucho præfixi.

Quartus. In hoc libro nonnulla narrantur, quæ a Judicibus non sunt gesta, sed tempore Judicum contigerunt. Quocirca duæ sunt libri hujus partes. Priore gesta Judicum narrantur, additis initio eorumdem præambulis. Id fit a cap. I usque ad cap. XVI, inclusive. Posteriore recensentur historiæ quædam; quæ sub Judice quopiam, qui non nominatur, evenerunt. Id fit a cap. XVI ad finem libri. Nam cap. XVII et XVIII, narratur historia Michæ et idoli collocati in Dan; tribus vero ultimis capitibus recensetur historia uxoris Levitæ, ob cujus violationem tota tribus Benjamin pene ad internecionem cæsa est.

Quintus. Omnes hi Judices fuere typi et figura Christi. Sicut enim ipsi fuere salvatores Israelis, sic Jesus Christus est Salvator mundi, de quo plura cap. III, 9.

Sextus. Spiritus Domini dicitur induisse Gedeonem, et irruisse in Samsonem, quoties aliquid ardui aggressurus erat: qua phrasi significatur *primo* spiritum Dei illum prævenisse et ad tantum opus impulisse; *secundo* significatur copia et abundantia spiritus et fortitudinis illi indita, qua rem omnem supra vires naturæ facile et feliciter confecit.

Septimus. Sunt in hoc libro nonnulla insignia symbola et hieroglyphica, uti est ros in vellere Gedeonis cap. VI, et stratagema militum Gedeonis lagenas complodentium facibus emicantibus, quo perculsi et prostrati fuere Madianitæ cap. VII, et septem cincinni Samsonis cap. XVI.

Item Apologi, uti est ille arborum in regem sibi Rhamnum eligentium cap. IX, vers. 8.

Item Ænigmatum, quale est illud Samsonis de leone habente favum mellis: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » cap. XIV, vers. 14.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post Josue, tribus Juda prima bellum init, et reliquas Chananæorum urbes expugnat. Secundo, vers. 12, Caleb Othonieli ob captam Cariath Sepher uxorem dat Axam filiam suam, eique postulanti dat irriguum superius et inferius. Tertio, vers. 21 et seqq., cæterœ tribus non exterminant Chananæos, ut jusserat Deus, sed eos faciunt tributarios, ideoque ab eis afflictæ fuere.

1. Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli? 2. Dixitque Dominus : Judas ascendet; ecce tradidi terram in manus ejus. 3. Et ait Judas Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. 4. Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum; et percusserunt in Bezec decem millia virorum. 5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum et Pherezæum. 6. Fugit autem Adonibezec, quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum. 7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. 8. Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. 9. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus. 10. Pergensque Juda contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percussit Cesai, et Ahiman, et Tholmai: 11. atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. 12. Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 13. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam conjugem. 14. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb : Quid habes? 15. At illa respondit : Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi : da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius. 16. Filii autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad Meridiem Arad, et habitaverunt cum eo. 17. Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum, qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis Horma, id est, anathema. 18. Cepitque Judas Gasam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. 19. Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit : nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 20. Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac. 21. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin; habitavitque Jebuzæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem. 22. Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. 23. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, 24. viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum : Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam. 25. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii; hominem autem illum, et omnem cognationem ejus

dimiserunt. 26. Qui dimissus, abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam : quæ ita appellatur usque in præsentem diem. 27. Manasses quoque non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. 28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit. 29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. 30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol : sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est ei tributarius. 31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob ; 32. habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum : 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, et Bethanath : et habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Bethsamitæ et Bethanitæ tributarii. 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent : 35. habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon et Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu Scorpionis, petra, et superiora loca.

Vers. 1. 1. POST MORTEM JOSUE CONSULUERUNT FILII ISRAEL DOMINUM, etc. QUIS ERIT DUX BELLI? — *q. d.* Cum mortuo Josue duce nostro nullum habeamus, qui ei in ducatu succedat, sed principes tribuum et concilium Sanhedrim Rempublicam administrent, jamque tribus omnes succreverint, ut sufficiant reliquam Chananæam expugnare, incolere et excolere, quod antea eis ob paucitatem non licuit, juxta decretum Domini, *Exod.* XXIII, 29, quis nobis erit dux belli, hoc est, quæ tribus prima bellum a Josue contra Chananæos cœptum prosequetur, ut eos qui in sorte sua reliqui sunt expugnet, ac cæteris tribubus exemplum et initium det Chananæos in sorte sua residuos exterminandi? Patet ex Hebræo. Non enim quærunt ducem, qui toti exercitui omnibusque tribubus præsit, sed qui partiale bellum inchoet in sua tribu cujus victoria, fama et gloria cæteros Chananæos consternet, ut cæteræ tribus singulæ partiali bello Chananæos in terra et sorte sua adhuc residentes, similiter adorientes facilius superent et extrudant.

CONSULUERUNT — Dei oraculum et responsum per Pontificem, sive Eleazarum, sive, si is mortuus erat, per Phinees, ut ait Josephus, lib. V, cap. I, filium et successorem ejus, Rationali ac *Urim* et *Tummim* indutum, uti jusserat Deus *Num.* XXVII, 21. Id factum est in Silo, ibi enim adhuc residebat tabernaculum cum arca. Ita Josephus, qui et addit post Josue Israelem caruisse principe per octodecim annos, post quos ob invasionem regis Mesopotamiæ, Deus principem designavit Othonielem. Tunc ergo majores, scilicet principes tribuum, et concilium Sanhedrim gubernabat Rempublicam. Idem tradunt Hebræi in Seder Olam. Hi tamen octodecim anni interregni in annis quadraginta Othonielis includuntur, ut ostendam cap. IV, vers. 9. Ita Salianus et alii.

Tropologice, discant hic Principes cæterique, nec bellum, nec quid aliud arduum aggredi, nisi prius consulto Deo, uti fecere David, Josaphat, Judas Machabæus, ac imprimis Moses et Josue, uti dixi *Josue* cap. II, vers. 2 et 9; a Deo enim pendet victoria felixque rei cujuslibet progressus et exitus.

Vers. 2. 2. DIXITQUE DOMINUS : JUDAS ASCENDET. — « Judas » hic est nomen proprium non viri et ducis, uti nonnulli autumant, sed tribus, *q. d.* Tribus Juda incipiet præliari. Ipsa enim erat omnium fortissima, generosissima, nobilissima et famosissima, ac in castris Israel primam tenebat aciem : unde Jacob ei promiserat sceptrum et regnum, *Genes.* XLIX, 10, idque quia ex ea nasciturus erat Christus dux, rex, triumphator et debellator dæmonum, peccatorum, mortis et inferni. Porro tribus Juda sibi ducem belli creavit Caleb, ut videtur, cujus nota erat fortitudo, prudentia, virtus, auctoritas.

Vers. 3. 3. ET AIT JUDAS SIMEONI FRATRI SUO, — id est Judæi dixere Simeonitis, sive tribus Juda dixit tribui Simeonis. Vocantur autem hic fratres, peculiari ratione, quia scilicet tribus Simeon intra tribum et sinum Juda sortem acceperat, *Josue* XIX, 1, alioqui omnes duodecim tribus erant fratres, quia prognatæ ex duodecim Patriarchis filiis Jacob, qui inter se erant fratres.

Vers. 5. 5. ADONIBEZEC. — Alius est hic ab Adonisedec : hic enim erat rex Jerusalem, ille rex Bezec urbis in tribu Juda; hic cæsus a Josue, ille a Judæis; hic hebraice significat dominum justitiæ, ille dominum fulguris : בזק *bezec* enim est fulgur, coruscatio. Apposite ergo Adonibezec instar fulguris omnes præcellebat suo robore et sævitia, adeoque septuaginta regibus summitates manuum et pedum truncarat. Sic Poeta ait de utroque Scipione :

Duo fulmina belli Scipiadas.

Sic Jacobus et Joannes a Christo vocantur « Boanerges, » id est, filii tonitrui, puta fulmina; hæc enim ex tonitru, quasi filii ex patre, nascendo prosiliunt.

Vers. 6. 6. CÆSIS SUMMITATIBUS MANUUM EJUS AC PEDUM (1). — Pro *summitatibus* Hebraice est בהונותיו *behonoth*, id est *pollicibus*, ut vertunt Chaldæus, Lyranus, Vatablus, Pagninus, Cajetanus et Noster; *Exodi* XXIX, 20, et alibi passim. Noster et Septuaginta hic vertunt, *summitates*, quod pollices in manu summi et potissimi sint. Unde pollex dictus a pollendo, « quod inter cæteros digitos virtute polleat, » ait Isidorus. Hinc et Græce ἀντίχειρ, dicitur, quod oppositus cæteris manus digitis, illis quasi æquipolleat. Judæi ergo pollices manuum pedumque amputarunt Adonibezec, justo Dei judicio et instinctu, ad pœnam talionis ejus superbiæ et crudelitati reddendam; ipse enim septuaginta regibus pollices amputarat.

Porro in hoc supplicio præter dolorem duo inerant, ait Serarius. *Primum*, ut qui mutilati sic erant, neque arma deinceps tractare possent, neque pedibus effugere, quemadmodum ostendit in *Augusto* cap. XXIV, Suetonius, dum refert: « Equitem Romanum duobus adolescentibus, causa detrectati sacramenti, pollices amputasse. » Cicero, lib. III *Offic.*, dum ait Athenienses Æginetis pollices præcidisse : « Ut classe, inquit Valerius Maximus, lib. IX, cap. II, potens populus in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret, » atque, ut adjicit lib. II *Historiæ variæ* Ælianus, « ne hastam ferre posset. »

Secundum, ut iis ignaviæ quædam velut exprobatio esset, quod manu ignavi, pedibus vero fugaces exstitissent. Unde poltroni apud Italos, Gallos et Belgas vocantur homines viles, desides, ignavi, quasi pollice trunci sive truncati. Audi Pierium, *Hieroglyph.* 36, cap. X : « Id potius referemus, robur validasque vires per pollicem significari, si subrigatur quatuor reliquis ad volam oppressis. Nam ea de causa ἀντίχειρ a Græcis dicitur quod pari cum reliqua tota manu robore contendat, alteriusque manus vice fungatur, ut Galenus interpretatur. Apud Latinos autem, quod præcipue polleat, nomen habet : is enim dominatur in manu, nec sinistra cessat, quamvis ea tota sit ignavia, neque minus quam tota manus semper in officio est. Quin et veteres hunc præstare alii intelligentes. Hallum eum appellabant, quod in reliquorum dorsa unus omnium insiliret: aspirationem enim loco *s* litteræ positam ab antiquis invenias, et vice versa *s* pro *h*. Sed simplicius est hallum ab ἅλλω, vel ἅλλομαι, deducere, id enim salire est. Hominem bello inutilem ostendere qui volunt, manum abscisso pollice faciunt: digitus enim hic summotus hominem actionibus et præsertim bello inutilem reddit. Eaque de causa legas graviter animadversum in nonnullos, qui bellum detrectandi causa, sponte sibi pollices amputassent, ut a Senatu in C. Voctienum, vel ut alibi loquitur Votienum. » Hos prisci murcos vocabant, ait Ammianus, lib. XV, Itali poltronos. Sic Marcus Eremita (non Evangelista, ut quidam false putant) pollicem sibi amputavit, ne cogeretur fieri sacerdos, uti legimus in *Vitis Patrum*.

Notant Thalmudici in *Sutha*, cap. X, quinque viros, qui in illa re qua excellebant, plexi punitique sunt : scilicet primus, Samson in suo robore; secundus, Saul in collo altiori; tertius, Absalom in capillo; quartus, Sedecias rex in oculis; quintus, Asa rex in pedibus. Sic dives epulo arsit in lingua, quæ arserat gula.

Simili modo fœdifragis et falsariis, qui litteras regias aut monetam manibus suis vitiant, manus præciduntur. Unde Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem* : « De manibus, ait, hæretici præcidendis, non miror si syllabas subtrahat, cum paginas totas subducit. » S. Valerianus, serm. *De Bono disciplinæ*, cum ait : « Nemo cum sanam dexteram videt, falsitatis reo, debito jure supplicia judicet fuisse concessa. » In militia desertores eadem abscissione mulctati. Nam de Anidio Cassio Vulcatius Gallicanus : « Multis, ait, desertoribus manus excidit; aliis crura incidit ac poplites, dicens majus exemplum esse viventis miserabiliter criminosi, quam occisi. » Et postea ex Æmilio Partheniano : « Manus multis amputavit. »

Vers. 7. 7. SEPTUAGINTA REGES (reguli, id est principes; quæque enim urbs suum habebat regem, ut vidimus *Josue* XII, 9 et seq.) AMPUTATIS MANUUM AC PEDUM SUMMITATIBUS, COLLIGEBANT SUB MENSA MEA CIBORUM RELIQUIAS. — Scilicet pollices eis amputarat, ne rebellare vel effugere possent : ex fastu vero eis quasi canibus ciborum reliquias sub mensa projiciebat, ideoque ei pœnam talionis irrogarunt Hebræi. Sic Valerianus Imperator dum Christiana sacra conculcat, a Sapore Persa comprehensus, et quoties in equum ascenderet, conculcatus fuit, teste Eusebio lib. VII *Hist.* cap. IX. Idem contigit Bajazeto Turcarum Imperatori, qui Tamerlani sella canisque fuit. Cum enim eum jam captum interrogaret Tamerlanes : Si in tuam potestatem venissem, quomodo tu in meam venisti, quid fecisses mihi? Ille : Fecissem, inquit, caveam ferream, et in ea te posuissem. Tu adversus teipsum sententiam pronuntiasti, inquit Tamerlanes. Itaque illi accidit quod ipse fecisset, et in cavea fuit ad diem usque mortis.

Alexander Imperator, teste Lampridio, quemdam impostorem fumo ex stipulis ustulari jussit, præcone clamante : « Fumo punitur qui vendidit fumum. »

SICUT FECI, ITA REDDIDIT MIHI DEUS. — Hoc est quod sancitur *Sap.* XI, 7 : « Per quæ peccat quis, per hæc etiam torquetur. » Eo pertinet illa Christi sententia *Matth.* XXVI, 52 : « Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt. » Et *Apoc.* XIII, 10 : « Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet : qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. » Et *Genes.* IX : « Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, »

(1) Hoc horrendo supplicii genere victores intendebant victos nunquam futuros esse idoneos ad arma ferenda.

etc. Et *Habacuc* II, 8, alloquitur Deus regem Babylonis: «Quia, inquit, spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis Israel.» Denique lex talionis exstat *Exodi* XXI, 24: « Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, » etc. Sic Constantino Imperatori ab Irene matre oculi eruti sunt eadem die, qua ipse ante quinquennium Nicephorum patruum quasi imperium affectantem excæcaverat, uti narrat Zonaras tom. III, qui et simile addit de Leontio Imperatore, ipsum scilicet naso fuisse truncatum et Imperio depulsum ab Absimaro, eo quod ipse Justinianum Rhinotmetum truncato naso Imperio exuisset.

Porro videtur Adonibezec hac pœna humiliatus in se reversus animum mentemque mutasse; nam et priorem suam crudelitatem confessus est, et Dei æquitatem prædicavit. Agnovit ergo pœnitens justam Dei in se vindictam, ideoque vocat eum Elohim, id est, justum judicem et vindicem, eumque unum et solum, non plures, unde et ductus fuit in Jerusalem, id est, in agrum suburbanum Jerusalem, ait Josephus, ideoque in ipsam urbem Jerusalem; postquam eam expugnarunt Judæi, ait Hugo Victorinus, ibique mortuus: idque apto symbolo, quasi a peccatis ad pœnitentiam, ab impietate ad veri Dei cultum, ex idololatriæ cæcitate ad fidei pacisque visionem, a fastu ad demissionem, a blasphemia ad Dei laudem traductus fuerit, ideoque Hebræi ei vitam condonarunt, ait Magalianus. Quare Adonibezec, id est, dominus fulguris, iræque fulgureæ factus est Adonisedec, id est, dominus justitiæ, justæque patientiæ et pœnitentiæ.

Symbolice dæmon, ait Serarius, est vere Adonibezec, seu fulguris dominus: *primo*, quia de eo Salvator, *Luc.* X, 18: « Videbam, ait, Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » *Secundo*, quia fulgur recte superbiam vanamque gloriam significat, quæ claritatis aliquantulum spargit, sed ita ut subito pertranseat, momento evanescat, sæpeque fulminum et gravissimarum tempestatum initium sit. Est vero « Satan rex super universos filios superbiæ, » *Job* XLI, 25. Iste Adonibezec reges capit, et quidem septuaginta, id est, quam plurimos. Ii vero sunt qui aliis potentia, dignitate, auctoritate, doctrina præstant.

Vers. 8. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII JUDA JERUSALEM, CEPERUNT EAM. — Prius Jerusalem capta fuerat a Josue, cap. X, 1, qui et regem ejus Adonisedec occiderat; sed postea Jebusæi arcem Sion tenentes urbem recuperarunt. Unde hic rursum eam expugnavere Judæi, excepta arce Sion, quam diu post primus Jebusæis extorsit David, II *Reg.* V, 7.

Porro Jerusalem proprie pertinebat ad tribum Benjamin; hic tamen dicitur expugnata a tribu Juda, quia hæc in urbe partem habebat; et quia Benjaminitæ viribus suis diffidentes eam expugnandam tradiderunt Judæis, uti dixi *Josue* cap. X.

TRADENTES CUNCTAM INCENDIO CIVITATEM, — eo quod a Josue et Judæis subacta eis rebellasset, et quia Deus incendio volebat ab idololatria et sceleribus purgari urbem, totamque renovari, in qua templum et Reipublicæ æque ac Ecclesiæ caput collocare statuerat. Sic jussit incendi Jericho, Hai aliasque nonnullas Chananæorum urbes.

10. CARIATHARBE. — Hæc et sequentia usque ad vers. 16 audivimus *Josue* XIV, 12, et cap. XV, vers. 13 et seq., ubi ea explicui. Vers. 11.

16. FILII AUTEM CINÆI COGNATI MOYSI, ASCENDERUNT DE CIVITATE PALMARUM, CUM FILIIS JUDA IN DESERTUM SORTIS EJUS, QUOD EST AD MERIDIEM ARAD, ET HABITAVERUNT CUM EO. — « Filii Cinæi, » id est, filii Hobab, qui erat filius Jethro soceri Mosis: Moses enim Sephoram filiam Jethro duxerat uxorem; inde Hobab, Sephoræ frater (alio nomine dictus Cin et Cinæus, ait Hugo Victorinus et Serarius) ejusque posteri Cinæi, cognati, id est, affines Mosis, Mosi quasi cognato adhæserunt, factique proselyti secuti sunt castra Hebræorum per desertum, et cum eis ingressi sunt in terram promissam. Ad hoc enim eos invitarat Moses, promittens eis id quod in ea erat optimum, *Numer.* cap. X, vers. 32. Quocirca Cinæis data est ab Hebræis civitas Palmarum, id est, Jericho palmis et palmetis, æque ac balsamo omniumque rerum copia abundans, non quasi Jericho a Josue solo æquata tam cito reædificata fuerit, sed quod civitas hic æque ac cap. III capiatur pro area civitatis et agro civitati vicino. Vers. 16. Cinæi qui?

Sed cur Cinæi, relicta Jerichunte adeo amœna et fertili, inde migrarunt in sterile desertum Juda? Rabbini causam dant, ut jungerent se tribui Juda et Othoniel principi, ac ab eo legem discerent; sed hæc discenda potius erat a Phinees pontifice et Levitis. Quare verisimilius credit Serarius, et ex eo Salianus, eos divinitus solitudinis desiderio monasticæ vitæ atque anachoreticæ rudia quædam fundamenta jecisse, quæ deinde in Rechabitis aliquo modo propagata sit, *Jerem.* XXXV, ubi inter alia sine domo in tabernaculis dicuntur habitasse, quod de Haber Cinæo cap. IV *Judicum* etiam dicitur; Cinæi ergo fuere viri pii et religiosi, unde eorum posteri fuere Rechabitæ, adeo laudati a Jeremia, cap. XXXV, ac deinde Esseni, primi fere monastices professores, tantopere celebrati a Philone, Josepho, Eusebio et S. Hieronymo, uti docui *Num.* X, 29. Hi ergo delicias carnis in Jerichunte, quasi mentis spiritusque rigorem et vigorem enervantes aspernati, paupertatis amantes loca deserta et solitaria captarunt, ubi liberius et commodius contemplationi, virtutum exercitio et rebus divinis vacarent. Hinc Cinæi, Hebraice קינים *kinim*, sunt *lamentantes*, scilicet ab hoc exilio ad cœlum suspirantes. Unde Threni Jeremiæ hebraice vocantur *kinoth*. Præluserunt ergo ipsi Eliæ, Elisæo et filiis Prophetarum, qui ante Christum; Anachoretis et Monachis, qui post Christum iisdem in locis vitam solitariam vel monasticam Fuere viri religiosi.

egerunt, versantes cum Deo et Angelis, velut angeli terrestres et homines cœlestes.

Vers. 18. 18. CEPITQUE JUDAS (tribus Juda) GAZAM CUM FINIBUS SUIS, ET ASCALONEM ATQUE ACCARON. — Sic quoque habent Hebræa et Septuaginta. Complutensia habent *Azotum*. Quare mirum est in Septuaginta Romæ emendatis contrarie legi : *Et non possedit Judas Gazam, neque Ascalonem, neque Accaron*. Pejus Josephus, lib. V *Antiq.*, ait Judæos cepisse Ascalonem et Azotum, non vero Gazam et Accaron, eo quod hæ duæ in planitie sitæ curribus bellicis pollerent ; contrarium enim hic asserit Scriptura. Quare Judæi hic urbes has et satrapias Philistinorum ceperunt, sed mox Philistini eas recuperarunt, et perpetua cum Judæis bella gesserunt, ut audiemus cap. III. Porro Accaron pertinebat ad tribum Dan, Judas tamen hic illam expugnavit conniventibus Danitis, eo quod sortis suæ contermina esset ac infesta, ut nisi eam caperet, quiete in sua sorte habitare non posset.

Vers. 19. 19. QUIA FALCATIS CURRIBUS ABUNDABANT, — qui scilicet falcibus armati obvios et obvia quæque demetebant, ut dixi *Josue* cap. XVII, 16. Sic quoque habent Septuaginta, Complutensia. Unde mirum in Romana legi, *quia Rachab obstitit eis* ; itaque legit Theodoretus, qui sic explicat, *q. d.* Hobab filius Jethro, alio nomine dictus Rechab, persuasit Judæis ne vallis hujus mari adjacentis incolas bello appeterent, eo quod timeret Judæos, si maritima possiderent, per commercium navale cum gentibus ab eis perversum iri. Nimirum legit ipse pro רכב *recheb*, id est currus, alio puncto *Rechab*, quasi nomen proprium viri. Porro non peccarunt Judæi sic Chananæos hos permittendo, quia eos ita videbant armatos, ut eos debellare se posse diffiderent ; cæteræ vero tribus peccarunt, quod cum Chananæos debellassent, eos non occiderent, ut jusserat Dominus, sed tributarios facerent.

Vers. 21. 21. JEBUSÆUM AUTEM HABITATOREM JERUSALEM NON DELEVERUNT FILII BENJAMIN, HABITAVITQUE JEBUSÆUS CUM FILIIS BENJAMIN IN JERUSALEM, — *q. d.* Benjaminitæ cum Judæis sociis ducibus suis urbem Jerusalem ceperunt quidem et incenderunt, ut dictum est vers. 8, excepta arce Sion, quam tenuerunt Jebusæi usque ad Davidem, II *Reg.* V ; sed Jebusæi ex arce descendentes, urbem quoque una cum Benjaminitis, ipsis permittentibus, sopito jam bello incolere cœperunt.

Tropologice S. Bernardus, serm. 58 *in Cant.* : « Quantumlibet, inquit, in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus, subjugari potest, sed non exterminari. » Mox remedium suggerit : « Unum, inquit, in tanto discrimine consilium est, observare diligenter, et mox ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere ; ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt ; utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, ut virtus roboretur. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus. »

Vers. 22. 22. DOMUS QUOQUE JOSEPH (puta tribus Ephraim, qui fuit filius Joseph) ASCENDIT IN BETHEL. — Putat Adrichomius duas fuisse Bethel, unam in tribu Ephraim, alteram in tribu Benjamin, uti dicitur *Josue* cap. XVIII, vers. 13 et 22. Melius Masius et alii censent unam eamdemque esse Bethel, eo quod illa quæ hic vers. 23, prius vocata dicitur Luza ; Luza quoque appellata dicatur *Josue* XVIII, 13. Fuit sita in confinio tribus Ephraim et Benjamin, ideoque nunc uni nunc alteri tribuitur. Adde : videntur fuisse hæc duo loca vicina, scilicet Luza urbs, quæ postea Bethel, vel Bethel Luza dicta est a visione scalæ quam ibidem habuit Jacob, et locus ipse visionis Jacob, quæ nomen dedit Luzæ urbi vicinæ ; hic enim locus erat in tribu Benjamin, urbs vero ipsa erat in tribu Ephraim. Hæc ergo est Bethel, ubi Jacob vidit Deum scalæ innixum, adeoque Jeroboam postea in ea vitulum aureum quasi idolum collocavit. Unde Bethel, id est, domus Dei, dicta est Bethaven, id est, domus idoli. Vide dicta *Gen.* XXVIII, 19.

Vers. 24. 24. VIDERUNT HOMINEM EGREDIENTEM DE CIVITATE, DIXERUNTQUE AD EUM : OSTENDE NOBIS INTROITUM CIVITATIS. — Rabbini tradunt Luzam non habuisse portam, sed introitum quemdam occultum : fuisse enim ipsam instar nucis undique clausam : לוז *luz* enim hebraice nucem significat, sed hæ sunt fabulonum naniæ : dicta est enim Luza, quod *nuæ*, id est, nucibus et amygdalis abundaret, ait S. Hieronymus. Per « introitum » hic ergo non portam, sed aditum in urbem facilem ob muros humiliores vel disruptos, intellige.

ET FACIÉMUS TECUM MISERICORDIAM, — id est, vitam tibi condonabimus. Poterant id licite facere Hebræi : etsi enim Deus jussisset Chananæos omnes occidi, tamen ob tantum beneficium patefacti introitus in urbem parcere ei poterant, uti pepercerunt Rahab excipienti exploratores, *Josue* cap. II. Adde Hebræos non permisisse ut hic proditor urbis in ea remaneret ; hoc enim duntaxat vetuerat Deus, ne Chananæi inficerent Hebræos suis idolis et vitiis.

Vers. 25. 25. QUI CUM OSTENDISSET EIS, PERCUSSERUNT URBEM IN ORE (in acie) GLADII. — Peccavit hic proditor ostendendo Hebræis aditum in urbem, quia patriam suam eis prodidit ; hoc enim est contra pietatem ; licet enim patriam impiam et noxiam in bello injusto popugnare non liceat, tamen eam hosti prodere pietas vetat, sicut patrem meum juste a magistratu invasum armis defendere nequeo, sed tradere et prodere non possum sine insigni nota impietatis. Minuit tamen proditionis crimen hic metus mortis illi ab Hebræis intentæ. Quocirca Aurelianus Imperator, audiens eum qui sibi locum capiendæ Thyanæ urbis indicarat, ea capta

cum aliis incolis cæsum esse, lætatus est, dixitque : « Ego enim proditorem amare non potui, et libenter tuli quod eum milites occiderent; neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patriæ non pepercit. » Ita Vopiscus in *Aureliano*.

Vers. 26. 26. ABIIT IN TERRAM HETTHIM, — id est, in Cyprum, ait Procopius. Cyprus enim hebraice dicitur Cethim, *Isaiæ* XXIII, 1. Verum tunc Cethim scribitur per *Caph*; hic autem scribitur per *Chet*, quare alius est locus Hetthim a Cethim; quis autem ille sit ignoratur (1).

Vers. 27. 27. MANASSE QUOQUE NON DELEVIT BETHSAN. — Septuaginta addunt, *quæ est Scytharum urbs*; unde et Scythopolis dicta est.

Vers. 34. 34. ARCTAVITQUE AMORRHÆUS FILIOS DAN IN MONTE, NEC DEDIT EIS LOCUM, UT AD PLANIORA DESCENDERENT. — Danitæ præ aliis tribubus ab Amorrhæis fuere arctati, ut sortis suæ montes steriles duntaxat occuparent, non vero valles frugiferas : qua de causa alias terras quærere sunt coacti, uti audiemus cap. XVIII.

Vers. 35. 35. HABITAVITQUE (non Dan, sed Amorrhæus, ut patet ex Hebræo et Septuaginta) IN MONTE HARES, QUOD INTERPRETATUR TESTACEO, IN AIALON ET SALEBIM, — *q. d.* Amorrhæus Danitis non tantum ademit urbes vallium, sed et tres in monte sitas, scilicet Hares, Aialon et Salebim.

TESTACEO : — Sic legendum non *testacio*, ut legunt nonnulli; nam *Hares* hebraice est *testa* : mons ergo hic vocatus est testaceus, vel quod in eo vasa testacea a figulis formarentur, vel quod illorum ruptorum fragmenta ibidem projicerentur, uti Romæ factum videmus in monte ad portam S. Pauli, qui inde Mons Testaceus nominatur. Septuaginta vertunt, *in monte Hares, ubi ursæ et vulpes*, scilicet abundant; quare pro Aialon nonnulli legisse videntur דביס *dubbim*, id est, ursi, et pro *sahalim* sive *salebim* legisse שועליס *scualim*, id est, vulpes. Licet enim ursi majores et plures sint in regionibus frigidis et Septentrionalibus, tamen reperiuntur quoque in calidis et Meridionalibus, ut Judæa : nam ibi David occidit ursum, I *Reg.* XVII, 34, et Elisæus per duos ursos occidit duo et quadraginta pueros sibi illudentes in Bethel, lib. IV *Reg.* II, 24. Forte Samson, qui fuit Danita, ex hoc loco tribus suæ, scilicet ex *Salebim* vulpibus abundante, trecentas suas vulpes collegit, ad quarum caudas alligans faces, Philistinorum segetes succendit, ut audiemus capit. XV, vers. 4.

ET AGGRAVATA EST MANUS DOMUS JOSEPH, FACTUSQUE EST EI TRIBUTARIUS. — *q. d.* Ephraimitæ posteri Joseph, vicini Danitis, graviter oppresserunt Amorrhæos in sorte tribus Dan habitantes, eosque jure belli quasi a se subactos sibi fecerunt tributarios. Igitur omnes fere tribus peccarunt in hoc, quod Chananæos a se subjugatos non reciderint, uti jusserat Dominus, sed fecerint sibi vectigales, uti patebit initio cap. sequent.

Vers. 36. 36. AB ASCENSU SCORPIONIS (2). — Septuaginta et alii, *super acrabbim*, id est, super locum scorpionum. Est nomen loci ita dicti, quod *acrabbim*, id est, scorpionibus abundaret, ait Lyranus, Abulensis, Dionysius, Arias et alii. Ab hoc *acrabbim*, id est, loco scorpionum, dicta est, Acrabatena urbs, et Acrabatenæ regio, quæ fuit una ex undecim Judææ toparchiis, eratque terminus Samariæ, et confinium Amorrhæorum. Vide de ea S. Hieronymum in *Locis Hebr.*, Josephum, lib. II *Belli*, cap. XI, Adrichomium et alios Chorographos Terræ sanctæ.

PETRA. — Est nomen urbis in petra sitæ in confinio Judææ et Amalec. Alia fuit Petra in Arabia, quæ inde Petræa est cognominata.

(1) Quamdam esse regionem Hetthæorum ad meridiem terræ Chanaan nobis videtur.

(2) Ascensus Scorpionis ponebatur intra limites deserti Sim et mare Mortuum.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguuntur Hebræi ab Angelo, quod idola colant; inde, vers. 11, *recensetur causa institutionis Judicum, scilicet quod Hebræi post mortem Josue coluerint idola, ideoque Deus eos tradiderit Idumæis aliisque hostibus; unde ipsi pœnitentes ad Deum redierint, ejusque opem implorarint : qui proinde misit eis Judices, ut ipsi Hebræos a servitute et tyrannide gentium liberarent.*

1. Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum Flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris : et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum : 2. ita duntaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis; et noluistis audire vocem meam : cur hoc fecistis? 3. Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes,

et dii eorum sint vobis in ruinam. 4. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. 5. Et vocatum est nomen loci illius, locus Flentium, sive Lacrymarum; immolaveruntque ibi hostias Domino. 6. Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: 7. servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israel. 8. Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum, 9. et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a Septentrionali plaga montis Gaas. 10. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos, et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel. 11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim. 12. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos; et ad iracundiam concitaverunt Dominum, 13. dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth. 14. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere adversariis suis; 15. sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et juravit eis: et vehementer afflicti sunt. 16. Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus; sed nec eos audire voluerunt, 17. fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. 18. Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. 19. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. 20. Iratusque est furor Domini in Israel, et ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit; 21. et ego non delebo gentes quas dimisit Josue, et mortuus est: 22. ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. 23. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

Vers. 1. 1. ASCENDITQUE ANGELUS DOMINI DE GALGALIS AD LOCUM FLENTIUM. — Primo ergo Angelus hic apparuit in Galgalis, ut ex loco Hebræos memores redderet professionis et obedientiæ Deo præstandæ, a se susceptæ et promissæ. In Galgalis enim se sacro Circumcisionis ritu initiaverant et professi erant se legem Dei a Mose latam servaturos, sicut nos in Baptismo profitemur legem Christi. Ex Galgalis vero transtulit se Angelus ad locum, qui postea vers. 5, ab eventu dictus est Flentium, quo Israelitæ, hostium et miseriarum suarum sensu pressi, suam calamitatem deplorantes convenisse videntur, vel communi consilio, ut ibi de remedio inter se consultarent, vel potius monitu Angeli, qui apparens in Galgalis videtur monuisse Hebræos, ut ad locum Flentium se conferrent: habere enim se quod eis ibidem diceret, quodque calamitatis remedium suggereret.

Porro Rabbini censent hunc Angelum fuisse Phinees Pontificem: sed certum est fuisse proprie dictum Angelum: probabile est fuisse S. Michaelem; tum quia ipse erat præses et tutor Synagogæ, uti jam est Ecclesiæ; tum quia idem apparuit Josue, cap. v, vers. 13, initio gubernationis suæ docens et dirigens eum. Unde videtur idem hic apparuisse, modumque suggessisse Hebræis impetrandi a Deo judices, qui eos a servitute liberarent. Quocirca hic Angelus loquitur in persona Dei, sicut legatus loquitur in persona sui Regis, ac populus putabat eum esse Deum, non Angelum. Ait enim: « Eduxi vos de Ægypto, » etc. Denique apparuit hic Angelus, atque hæc Hebræis dixit non vivente adhuc Josue, ut volunt Abulensis et Torniellus; nam vivente Josue Hebræi coluerunt Deum verum, sed post ejus mortem, cum nova progenies succrescens, ac cum vicinis gentibus, præsertim Tyriis et Sidoniis, conversans, ab iis utpote divitibus didicit colere eorum idola, Baalim et Astaroth. Ita Procopius, Cajetanus, Serarius, et favet S. Augustinus.

Vers. 2. 2. ITA DUNTAXAT, UT NON FERIRETIS FŒDUS CUM HABITATORIBUS TERRÆ, — ne ipsi vos ad sua idola et scelera conversando pellicerent. Vetuit ergo Deus hæc fœdera : quare illa Hebræis fuere illicita, at non statim irrita; Hebræi enim ineuntes fœdus cum Chananæis, licet illicite, post contractum tamen de eo initum tenebantur illud servare, præsertim si juramento id confirmassent : tum quia hoc exigit jus naturæ et gentium, alioqui enim tollerentur omne commercium omnisque hominum societas, si fœdera et pacta violare liceret; tum quia hoc exigebat reverentia nominis divini in juramento invocati, ne pejerare viderentur si illud violarent; tum denique quia Chananæi nesciebant Deum vetuisse, multo minus irritasse hæc cum eis fœdera : quare valde scandalizati fuissent, si Hebræi ea violassent, ac tam ipsos quam Deum et religionem eorum blasphemassent. Postquam tamen eis palam constitit Deum hæc fœdera vetuisse, scandalizari non potuerunt, si Hebræi Deo obedientes illa rescinderent. Unde Esdras, lib. I, cap. IX, irritavit et separavit matrimonia Hebræorum cum gentibus contra legem Dei contracta. Etsi enim vera erant rataque, tamen in ea lege erant solubilia per libellum repudii a Deo eis concessum, si justa subesset causa, ut hic erat disparitas cultus, et periculum perversionis ab infideli, quod subibat conjux fidelis.

Vers. 3. 3. QUAMOBREM NOLUI (et etiamnum nolo, itaque statuo et decerno) DELERE EOS A FACIE VESTRA, UT HABEATIS HOSTES (qui vos puniant, affligant, et ad Deum redire compellant), ET DII EORUM SINT VOBIS IN RUINAM. — Τὸ *ut* in hac posteriore parte consecutive accipiendum est, non causaliter. Nec enim Deus sanctissimus poterat intendere hanc Hebræorum ruinam, lapsumque in idololatriam, sed tantum permittere ad puniendum præcedentia eorum peccata, *q. d.* Permisi vos a gentibus, quas contra meum jussum tolerastis, deduci ad colendos eorum deos, ut deinde vos castigarem et exterminarem : ruinam enim in culpam permittit Deus ob ruinam in pœnam; hac enim culpam castigare intendit. Non enim permittit Deus malum culpæ, nisi hoc fine, ut ex eo eliciat bonum, vel miserendi, vel si nolint uti misericordia, puniendi, puta ostendendi suam clementiam in condonando, vel justitiam et vindictam in castigando, ut docet S. Augustinus, S. Thomas cæterique Theologi.

Vers. 4. 4. AD OMNES FILIOS ISRAEL, — ad totum cœtum Israelitarum, sive ad omnes qui convenerant.

Vers. 5. 5. ET VOCATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS LOCUS FLENTIUM SIVE LACRYMARUM. — Septuaginta κλαυθμων, id est *locus Plangentium*, ab eventu jam dicto, quia, ut dixi vers. 4, filii Israel audita comminatione Dei per Angelum, « levaverunt voces suas et fleverunt. »

Quæres, quis, et ubi fuit hic locus Flentium, sive Κλαυθμων? Respondet Adrichomius fuisse juxta Galgala, inde enim ascenderat Angelus. Alii putant fuisse Silo, ibi enim erat arca; unde eo confluebat populus ad sacrificandum, quod et hic fecit. Hinc sequitur : « Immolaveruntque ibi hostias Domino. » Verum dico locum Flentium fuisse in tribu Juda, juxta Jerusalem a parte Occidentali, in sylva, sita ultra vallem Raphaim, quæ a tergo habebat Philistinos. Id ita esse liquet ex eo quod David in hac eadem sylva latuerit, cum Philisthæos in valle Raphaim, ad motum cacuminum arborum sylvæ, aggressus cecidit, II *Reg.* V, 24. Hunc enim locum fuisse « in sylvis, quæ loca Flentium appellata sunt, » diserte ait Josephus, lib. VII *Antiq.* IV, et clare Septuaginta, II *Reg.* V, 23 : *Accedes*, inquiunt, *ad eos prope Clauthmona* (id est locum Flentium), *et erit cum audieris vocem collisionis a sylva Clauthmonis, tunc descendes ad eos.*

Nimirum voluit Deus hunc locum Flentium esse exemplum perpetuum Hebræis ad agendam pœnitentiam in fletu et lacrymis, quoties ipsi ex lege quotannis Jerosolymam ad templum oraturi et sacrificaturi pergerent.

Tropologice Κλαυθμων, sive locus Flentium, est terra et vita hæc hominum, a Deo ob Adæ peccatum exulantium. Adam enim, et nos in eo, e paradiso ejecti sumus in hanc vallem lacrymarum, ut pœnitentia peccatum omne expiemus, ideoque damnati sumus ad mille labores, dolores ipsamque mortem, *Genes.* III, et *Psalm.* LXXXIII, 6.

Locus flentium est pœnitentia.

Rursum locus Flentium est pœnitentia et compunctio, ad quam concionator instar Angeli hujus populum excitare debet, « ut moveat planctum, non plausum, » ait S. Bernardus; nam, ut idem ait, serm. 39 *in Cant.* : « Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. » Vide Climachum, gradu 5 *De pœnitentia*, ubi miram priscorum compunctionem et lacrymas recenset in loco Flentium, quem carcerem vocabant. B. Antiochus, *hom.* 107 : « Rorulentæ, ait, adspergines lacrymarum, ut dulcor mellis sunt cordi, aut suave fragrans thymiama apud Deum. » S. Chrysostomus, homil. 6 *in Matth.* : « Sicut, inquit, post vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur, ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris effusa caligo dissolvitur. Et sicut ex aqua et spiritu, sic rursus ex lacrymis et confessione purgamur. »

IMMOLAVERUNTQUE IBI HOSTIAS DOMINO. — Licet enim proprius immolandi locus esset in templo et ante templum in tabernaculo, quod tunc erat in Silo, tamen graves ob causas Judæi subinde alibi immolabant, uti fecit Samuel in Bethlehem, I *Reg.* XVI, 4 et 5, ac David in area Areuna Jebusæi, I *Reg.* XXV. Nam eo ipso quod ibi apparebat Angelus, et populum ad Deum propitiandum hortabatur, videbatur locum sanctum indicare, simulque potestatem ibi sacrificia offerendi facere. Addunt correcti Septuaginta ascendisse Angelum

istum etiam ad Bethel et domum Israel : quo significatur eum varias Israelitarum urbes pervolasse et incolas Siluntem coegisse ; vel per Bethel et domum Israel intelligendi Bethelitæ et Israelitæ qui eo loco convenerant. Ita Serarius.

Vers. 6. 6. DIMISIT ERGO JOSUE POPULUM. — Est hic hysteron proteron : repetit enim ex fine præcedentis libri Josue, gesta ejus quædam, ut inde commode et ordinate ad Judicum, qui ei successere, institutionem et originem transeat. Hic enim liber connexus est libro Josue, et historia Judicum pendet ex historia Josue, quasi a sui principio. Altius ergo a primo sui exordio, puta a Josue, accersit hic Judicum primordia (1).

Vers. 9. 9. IN THAMNATH SARE. — Hebræa et Septuaginta, *in Thamnath cheres*, id est, in imagine solis, quæ sepulcro Josue insculpta est, eo quod ipse stiterit solem, ideoque urbs ejus *Thamnat sare* per metathesin dicta est *Thamnat cheres*. Vide dicta *Josue*, XXIV, 30.

Vers. 10. 10. ET SERVIERUNT BAALIM, — id est idolis, sive diis Gentium ; nam per *Baalim* significantur omnes dii masculi, sicut per *Astaroth* omnes deæ feminæ. Porro *Baal* in singulari hebraice significat Dominum ; unde antonomastice Deum suum vocarunt *Baal*, id est Dominum absolute. Primus autem Baal fuit Nemrod, quem coluere Assyrii ; Nemrod autem fuit Baal, sive Belus pater Nini, mariti Semiramidis. Idem ergo sunt Baal, Bal, Beel, Bel, Belus, etc. Ab Assyriis idolum et cultus Beli transit ad Babylonios, ut patet *Daniel.* XIV, 2, a Babyloniis ad Sidonios et Phœnices : inde omnia idola et dii Gentium, nomine dilatato, dicti sunt Baal, Bel, Baalim. Unde a deorum, vel a locorum et eventuum varietate dicti Beelphegor, id est Priapus ; Beelzebub, id est Deus musca ; Beelsephon, id est Deus Aquilonis, vel Deus absconditus, puta Mercurius, Baal Gad, id est Deus fortuna, Baal scemes, id est Deus sol, etc. Vide dicta *Genes.* X, 10. Inde a Baal composita sunt nomina Punica (hæc enim lingua affinis est Hebrææ) : Annibal, id est castrorum Dominus ; Asdrubal, id est villarum vel atriorum Dominus ; Muthumbal, id est mortis Dominus ; Adherbal, Maharbal, Ithobal, Jerobaal, etc. Ita S. Augustinus hic, *Quæst.* XVI.

Vers. 13. Astaroth quæ ? 13. SERVIENTES BAAL ET ASTAROTH. — « Astaroth. » Quæres primo, cujus linguæ sit hæc vox, undeque dicta? Suidas in *Astarte* censet esse vocem Græcam, dictam ab astro : « Ab astro, inquit, cognomen fecerunt ; ipsi enim esse Luciferum fabulantur. » Et Phavorinus in *Astarte* : « Astarte, ait, astri simulacrum ; ipsum astrum Lucifer, » quod Venerem nuncupant. Sic et Etymologicus, qui et causam addit : Præses enim astrorum est Dea hæc. Unde nonnulli censent Astartem esse Asteriam deam, filiam Phœbi et Cei, quam Perses in uxorem duxit, de qua Hesiodus in *Theogonia*.

Verum errant. Astaroth enim est vox Syra, non Græca significans oves, præsertim feminas, cum mammis turgent, et agnos suos lactant, ita dictæ ab עתר *athar*, id est multiplicare, quod sint fecundæ, et in Syria multos per annum pariunt agnos ; atque ab עשר *ascar*, id est ditare, quod caseo, lana, lacte, fœtu heros suos ditent ; unde veterum opes erant in ovibus, non in auro et argento.

Quocirca multi censent Astartem esse *Venerem* Unusest. cognomento πολυμάζον, id est *multimammeam*, vel potius μεγαλόμαζον, id est *magnimammeam*, quod magnas haberet mammas, quod symbolum erat fecunditatis, qualis est in ovibus feminis. Inde ergo hæc Dea ab ovibus effecta est a Tyriis et a Sidoniis, ut ab ea ovium fecunditatem impetrarent ; itaque ditarentur et bearentur. Hebraice enim עשר *ascar* tam beare quam ditare significat, quia dives a mundo æstimatur beatus. Unde Cicero, lib. III *De Natura Deorum* : « Quarta, inquit, Venus Syria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur ; quam Adonidi nupsisse traditum est. » Sic et Herodotus, lib. I, Diodorus, lib. II, cap. II, Theodoretus, lib. I *Reg.* IV, 14, ibique Procopius, Aquila et Scholiastes Græcus, cap. VII. Audi et S. Hieronymum in *Vita S. Hilarionis* : « Cum insignito agmine monachorum pervenit Elusam eo forte die, quo anniversaria solemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita est. » Scribit Epiphanius, *hæresi* 55, matrem Melchisedech dictam Astaroth sive Asteriam. Quid, si hæc a posteris culta fuerit ut Dea, indeque Deæ dictæ sint Astaroth?

Porro « Astaroth » est numeri pluralis, tum ad emphasim et honoris causa, ut hanc Deam plurium, imo omnium rerum dominam esse significarent, quod rebus omnibus homines ditare possit, indeque Deus hebraice vocatur Adonai, et Adomin, Elohim in plurali, tum quia Astartes nomen ad quaslibet Deas feminas translatum est. Erat enim Astarte Babyloniorum, quam S. Epiphanius, *hæresi* 19, Dianam vocat ; alia Carthaginensium, quam S. Augustinus hic, *Quæst.* XVI, asserit fuisse Junonem ; alia Edessenorum, quam Lucianus ait fuisse Lunam. Hæc enim fœtus piscium, avium, ovium, dum plena est, multiplicat, itaque homines ditat. Primitus enim prisci gentiles ignorantes Deum verum adorabant Solem et Lunam, a quibus omnis in terra fertilitas manat : unde eos Romani vocabant Jovem et Junonem ; Ægyptii Osiridem et Isidem ; Syri Baalim et Astaroth. Quia enim ipsi videbant in terra fecunditatem provenire præsertim a Sole et Luna, per calorem et pluviam, quibus terram humectant et fecundant, hinc eos ut Deos coluere : hæc enim sunt duo primaria astra in terram influentia. Accessit et tertium, scilicet stella Veneris sive Luciferi, quæ post Lunam cæteris stellis clarius emi-

(1) *Dimisit* pro *dimiserat*.

cat. Unde veteres dixere Venerem esse Lunam minorem, Lunam vero esse Venerem majorem. Quocirca Herodianus, libro V, Astartem vocat Ἀστροάρχην, *Astroarchem,* id est astrorum primatem et principem. Et Philo Bibliensis : Astarte, ait, imposuit proprio capiti regni insigne tauri caput, ut corniculatam Lunam significaret. Hinc et *Astaroth,* urbi in qua Astarte colebatur, cognominatur קרנים *carnaim,* id est *bicornis,* ob duo Lunæ cornua : quare nonnulli suspicantur hanc esse illam urbem, quam Plinius, lib. V, cap. XX, *Carne* nominat. Alludit quoque hoc nomen *Carnaim* ad cornua arietum et ovium, ut significetur cornuti gregis copia, ait Marinus in *Lexico.* Hebraice enim קרן *keren,* id est *cornu,* æque ac שק *sac,* id est *saccus,* in plurimas gentium linguas manavit.

Porro « Astaroth » proprie quidem significat oves, ut dixi : si tamen per diæresim legas עש תורת *as toroth,* significat *tineam legum,* ait Pagninus, quia idola et idololatria instar tineæ consumunt omnes hominis facultates, leges, virtutes, opes et vires. Diabolus enim ita sui cultores ludificat, ut eis temporalia promittat, æterna adimat, sed temporalia modica quibus eos lactavit auferat. Ipse enim est tyrannus, ac sicut Deum odit pessime, sic et Dei creaturas, præsertim homines, ut non nisi eorum damnum, noxam, exitium tam corporis quam animæ sitiat.

Tropologice, « Astaroth » cuique est sua concupiscentia; nam, ut ait Origenes, *hom.* 2 : « Unusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus est. » Sic guloso « Deus venter est, » ait Paulus, *Philip.* III, 19; et Virgilius, lib. IX *Æneid.* :

Sua cuique Deus sit dira cupido.

Et alter :

Ambitiosus honos, et opes, et blanda voluptas.
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Vers. 14. 14. ET VENDIDERUNT HOSTIBUS. — Hebræa et Septuaginta, *et vendidit,* scilicet Deus, *q. d.* Deus Israelitas quasi idololatras vendidit, id est tradidit hostibus, ut eos vexarent, spoliarent, in servitutem redigerent, occiderent. Noster pro וימכרם *vaiimkerem,* id est *vendidit eos,* legit *vaiimkerum,* id est *vendiderunt eos.*

Vers. 15. 15. MANUS DOMINI SUPER EOS ERAT. — « Manus, » scilicet vindex, vindicans et flagellans, *q. d.* Vindicta Dei ubique eos insequebatur, exagitabat et male mulctabat.

Vers. 19. 19. VIAM DURISSIMAM, — quia erant inobedientes et duræ cervicis : via ergo durissima erat eorum impia et obstinata, colendi idola, aliaque scelera patrandi consuetudo (1).

Vers. 22. 22. UT IN IPSIS EXPERIAR ISRAEL. — Ut scilicet per experientiam ostendam et palam faciam an Israelitæ me colant meamque legem custodiant, an vero Chananæorum idola. Nam Deus ipse, utpote cui omnia sunt præsentia, quique omnia, etiam futura una mentis cernit in ictu, non eget experientia, quia ipse omnia præscit et prænoscit antequam fiant. Porro hæc Dei experientia consistebat in permissione occasionis et tentationis, quæ hic Hebræis objiciebatur. Nam Judæi simul viventes cum Chananæis vicinis, cum eisque conversantes, ab eis sollicitabantur ut secum sua idola colerent. Ita Abulensis. *Secundo,* « ut experiar, » hoc est, ut omnibus notum fiat Israelitas me colere, quando subtrahentes se a communione et vita Chananæorum, me opitulante eos superabunt; et vice versa quod me non colant, quando eis adhærentes, ab eis superabuntur et dire affligentur. Ita Lyranus et Dionysius. *Tertio* et germanius, « ut experiar, » hebr. נשות *nassot,* id est *ut tentem eos,* hoc est ut eos stimulem, pungam, affligam, atque hoc stimulo et afflictione probem et experiar (hoc est ita me geram ac si vellem experiri, et per experientiam ignoti alicujus cognitionem exquirere. Est catachresis : Deus enim omnia novit ab æterno, sed experiri dicitur anthropopathῶς, cum rem occultam probando vel tentando manifestam facit); « utrum ipsi custodiant, » hoc est, utrum ipsi custodire velint « viam (legem) Domini : » hactenus enim custodierunt viam, id est legem Baalim, id est idolorum quæ coluerunt, uti paulo ante dixit. Τὸ *custodiant* ergo significat actum non perfectum vel proficientem, sed inchoantem, ac mutata mente destinatum et incipientem, *q. d.* Israelitæ hactenus me relicto coluerunt idola; permittam ergo eos a Chananæis affligi, ut experiar an per hanc afflictionem ad cor redeant, et ad me meique cultum revertantur, itaque incipiant custodire meas leges a Mose sancitas. Quod si fecerint, ego eos a Chananæorum tyrannide et oppressione liberabo : si non fecerint, permittam eos gravius ab illis affligi, contundi et opprimi. Porro multi inter Israelitas erant sani in fide, nec deflexerant ad colendum Baal, sed persistebant in avita patrum religione veroque unius Dei cultu : hos Deus per Chananæos probare et experiri voluit; « utrum custodiant, » id est custodire pergant « viam (id est legem) Domini : » utrum scilicet minis et plagis Chananæorum territi, vel prosperitate, opibus et commodis eorumdem allecti, a Deo vero ad eorum idola desciscerent, cum eisque commercia et connubia contraherent; an vero constanter hæc omnia contemnerent, solique Deo suo fideliter firmiterque adhærerent : quod si facerent, a jugo Chananæorum eos liberarem; sin autem, illo durius opprimi permitterem, sicque eos erudirem, doceremque mihi servire, non idolis. Unde Noster hebraice *nassot,* mox cap. seq., vers. 1, vertit, « ut erudiret in eis Israelem; » per Chananæos enim Judæi experti sunt, quam Deus flagellet apostatas a Deo ad idola desciscentes; quamque li-

(1) Iniquitatis via est impiis durissima ob sua jurgia et scelera.

beret et tueatur, prosperetque eos qui in sui cultu firmiter persistunt, aut ab idolorum cultu pœnitentes ad Deum redeunt.

Huic sensui apte insistit tropologia, quam affert S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XIV, in fine : « Dominus, inquit, Chananæos diutius reservavit, ut in eis experiretur Israel, quia nonnunquam, ut dictum est, eis etiam quibus magna dona tribuit, parva quædam reprehensibilia relinquit, ut semper habeant contra quod bellum gerant, et devictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc adversarii etiam minimi fatigant. Fit itaque ut miro modo una eademque mens et virtute polleat, et ex infirmitate lassescat, quatenus et ex parte constructa sit, et ex parte conspiciat esse destructam, ut per bonum quod quærit et habere non valet, illud servet humiliter quod habet. » Hinc et S. Bernardus : « Jebusæus, inquit, velis nolis in terra tua habitat (scilicet concupiscentia in carne), subjugari potest, exterminari non potest. »

Chananæi aliqui relicti, cur? Causa Prima. Secunda.

Permisit ergo Deus Chananæos nonnullos, noluitque omnes a Josue exscindi a Chananæa variis de causis. *Primo*, ut ipsi Hebræorum apostasiam et idololatriam sua oppressione castigarent. *Secundo*, ut Deus experiretur an hac afflictione ad se redirent, imo eos redire quasi compelleret. Erant enim Chananæi quasi stimuli pungentes Hebræos, cogentesque ad Deum colendum, ejusque opem implorandam, ut hostium oppressione ipsos liberaret. *Tertio*, quia non sufficiebant Hebræi ad omnem terram Chananæorum incolendam et excolendam. Chananæis ergo ejus partem permisit, ut ipsi eam colerent, ne a lupis et feris illa occuparetur cum damno et noxa Hebræorum. Hanc rationem dat Deus, *Exod.* XXIII, 29 : « Non ejiciam, inquit, eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ. » *Quartam* causam dat cap. seq., vers. 2 : « Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus et habere consuetudinem præliandi, » ut scilicet vitarent otium, quod ignaviæ omnisque malitiæ est causa, utque bellis assuescerent, quæ crebra habituri erant cum vicinis gentibus, uti habuit David.

Tertia.

Quarta.

Simili de causa olim cum ventilaretur Romæ in Senatu an delenda esset Carthago jam quasi subacta, ac Cato suaderet urgeretque delendam, utpote Romanis tam periculosam et infestam, Scipio Nasica suasit et persuasit non esse delendam ob belli et bellandi exercitium, ut scilicet Carthago esset cos juventutis Romanæ, qua Romani discerent bella gerere, militiæ assuescerent, corda et corpora ad frigoris, æstus, famis omnisque incommodi tolerantiam obdurarent, idque recte et sapienter; nam deleta Carthagine virtus Romanorum otio, inertia et luxu elanguit et defluxit. Unde Juvenalis, *Satyra* 6, causam cur prisci Romani fuerint casti, sobrii, vigiles, hanc dat :

> Proximus urbi
> Annibal, et stantes collina in rupe mariti.
> Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
> Luxuria incubuit, totumque ulciscitur orbem.

Hinc et Spartani non permiserunt suo regi delere urbem hostilem, dicentes : « Noli abolere cotem juventutis nostræ. »

Hinc vicissim Lycurgus, teste Plutarcho in ejus Vita, sanxit ne Lacedæmones cum iisdem hostibus diu sæpeque bellarent : ne videlicet docerent eos arma tractare, itaque sua militari arte et industria tandem Lacedæmones superarent et subjugarent. Idem principium et militare et politicum habet et observat Turca. Quocirca Agesilao Spartæ regi assidue cum Thebanis bella gerenti, et in pugna quadam vulnerato falce dixit Antalcidas : « Pulchram a Thebanis mercedem reportas, quos invitos et nescientes pugnare docuisti. » Nam nunquam bellicosiores fuere Thebani, quam dum a Spartanis sive Lacedæmoniis bello crebro fuere impetiti.

Tropologicam causam dat Abbas Daniel apud Cassianum, *Collat.* IV, cap. VI, dicens : « Quam utique pugnam non invidens Deus quieti Israelis, nec male eidem consulens, sed sciens esse utilissimam, reservavit, ut dum gentium semper istarum impugatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere, et ob id semper in ejus meditatione et invocatione persistens, nec inertia solveretur, nec bellandi usum et exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos superare non potuerunt adversa, securitas et prosperitas dejecerunt. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi ob conjugia cum Chananæis inita, indeque secutum idolorum cultum, tyrannorum servitute pressi, pœnitentes invocant Dominum, qui eos liberat primo a Chusan rege Mesopotamiæ per Othonielem, qui proinde fuit primus eorum Judex et Princeps; secundo, vers. 12, ab Eglon rege Moab per Aod, qui fuit secundus Judex; tertio, vers. 31, a Philistinis per Samgar, qui fuit tertius Judex.

1. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum: 2. ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi: 3. quinque satrapas Philistinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath. 4. Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. 5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi: 6. et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum. 7. Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth. 8. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis. 9. Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem: 10. fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim, regem Syriæ, et oppressit eum. 11. Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez. 12. Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu ejus. 13. Et copulavit ei filios Ammon, et Amalec: abiitque et percussit Israel, atque possedit urbem Palmarum. 14. Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis: 15. et postea clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab. 16. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore. 17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. 18. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant. 19. Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex. Et ille imperavit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant, 20. ingressus est Aod ad eum; sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. 21. Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventre ejus, 22. tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt. 23. Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera, 24. per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo. 25. Exspectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum. 26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath: 27. et statim

insonuit buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente. 28. Qui dixit ad eos : Sequimini me ; tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab : et non dimiserunt transire quemquam ; 29. sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit. 30. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel, et quievit terra octoginta annis. 31. Post hunc fuit Samgar filius Anoth, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere ; et ipse quoque defendit Israel.

Vers. 1. 1. UT ERUDIRET. — Ut scilicet doceret eos tractare arma, modumque pugnandi cum hostibus per assiduum cum Chananæis bellandi exercitium. Rursum, ut doceret colere Deum, non idola; ob hæc enim traditi sunt Chananæis, a quibus eos Deus liberavit, hebraice est נסות *nassot*, id est, *ut tentaret*, de quo dixi cap. præced., vers. 22 ; ubi Noster vertit, « ut experiar. » Porro addit : « Ut erudiret Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum. » Ubi τὸ *et* est exegeticum, significans id est, *q. d.* Voluit Deus per Chananæos erudire Israelem, hoc est omnes juniores Israelitas, qui non noverant bella, quæ patres eorum duce Josue gesserant contra Chananæos ; itaque bellorum erant inexperti : quare ut per experientiam discerent pugnare cum hostibus, idcirco Deus reliquit Chananæos, quasi antagonistas, cum quibus assidue bellarent. Unde explicans subdit :

Vers. 2. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII EORUM CERTARE CUM HOSTIBUS, ET HABERE CONSUETUDINEM PRÆLIANDI. — Juxta sensum jam datum, qui clarus est et obvius, quem proinde tradunt Latini plerique, licet Rabbini aliter explicent, *q. d.* Ut discerent juniores Israelitæ bellorum inexperti, quid sit præliari cum Chananæis ; quam scilicet noxia sint bella, utpote per quæ suis opibus, libertate, et sæpe vita ab eis spoliabantur ; ideoque caverent peccata, ob quæ Deus hæc cum eis bella permittebat. Scilicet dulce bellum inexpertis, expertis autem amarum. Sic Adam, comedendo pomum vetitum, per experientiam didicit bonum et malum, quam scilicet bonum sit obedire Deo, et quam malum non obedire, utpote per quod mortem et tot ærumnas ipse cum omnibus posteris incurrit.

Vers. 3. 3. QUINQUE SATRAPAS PHILISTINORUM, — id est quinque præfectos sive principes Philistinorum. Erant enim quinque urbes eorum, scilicet Ascalon, Accaron, Azotus, Geth et Gaza, quæ cum suis vicis et pagis singulas constituebant satrapias sive præfecturas, quibus totidem præerant satrapæ sive præfecti. Repete ex vers. 1 : « Tò Dominus dereliquit, etc., quinque satrapas Philistinorum omnemque Chananæum. » Josue plurimos Chananæos deleverat. Hic ergo per Chananæum accipe Phœnices ; hi enim ex Chanaan oriundi sæpe etiam a profanis scriptoribus vocantur Chananæi, uti dixi in *Josue*, et *Proverb.* XXXI, 24. Unde et mulier Chananæa, *Matth.* XV, 22, a Marco vocatur Syrophœnissa, quia oriunda ex Phœnicia, puta ex finibus Tyri et Sidonis. Phœnices enim nunquam ab Hebræis fuere subacti, multo minus exacti, etsi eorum regio comprehenderetur terminis terræ promissæ. Unde explicans subdit : « Et Sidonium. » Sidon enim erat caput Phœniciæ ; hæc autem urbs nomen accepit a Sidone filio Chanaan, *Genes.* X, 15.

Vers. 7. 7. SERVIENTES BAALIM ET ASTAROTH. — Ita legit Noster in Hebræo. Alii cum Septuaginta legunt אשרות *ascaroth*, id est *lucis*. Luci erant sylvæ diis dicatæ, in quibus erexerant aras ad iis sacrificandum. Serviebant ergo *lucis*, id est idolis quæ colebant in lucis. Est metonymia.

Vers. 8. 8. TRADIDIT (hebraice ימכרם *iimcherem*, id est vendidit eos. *Vendidit*, id est tradidit, perinde ac si eos ipsis vendidisset. Est catachresis, significans plenam traditionem ; talis enim est rei venditæ), EOS IN MANUS CHUSAN RASATHAIM REGIS MESOPOTAMIÆ, SERVIERUNTQUE EI OCTO ANNIS. — Hæc prima Hebræorum fuit servitus, primaque idololatriæ eorum in Terra sancta castigatio, qua traditi sunt regi Mesopotamiæ. Ita dicitur regio, quæ in medio duorum ποταμῶν, id est fluminum, scilicet Tigris et Euphratis, sita est, iisque ambitur et circumdatur. Unde hebraice vocatur ארם נהרים *Aaram naharaim*, id est Syria duorum fluminum, sive duobus fluminibus jam dictis intercepta ; erat enim multiplex Syria.

Porro *Chusan Rasathaim* hebraice idem est quod *Æthiops* (Chusim enim sunt Æthiopes, ita dicti a Chus filio Cham, *Genes.* X), *duarum impietatum*, ait Pagninus ; qualis erat hic tyrannus, quia Hebræos tyrannide opprimebat, et quia eos ad suos deos colendos alliciebat.

Talis tropologice est diabolus, ait Origenes, cui Deus vexandos tradit homines, dum contra eum superbiunt, ut eos humiliet, affligat et conterat, donec resipiscant et sub Deo se humilient. Talis quoque est Turca et quilibet hostis, ait Serarius. Dupliciter vero improbus est, qui nec Deum timet, nec homines veretur, qui et in animam et in corpus suum peccat ; qui juxta superbus est et libidinosus, qui susque deque fert mortales et veniales culpas. Duplici nos malo afficit, qui animum religione, corpus libertate solitisque commodis spoliat ; qui spiritalia et temporalia eripit, qui a timore Dei nos abducit, et vitiis non servire facit, qui et in præsentis sæculi

ærumnas, et in æterna futuri sæculi supplicia nos conjicit.

Audi Anastasium Nicænum post *Quæst.* XCII, pag. 268 : « Quomodo, ait, civitates nutriunt lictores, ut homicidas et sepulcrorum effossores, et qui alia hujusmodi scelera admittunt, per eos puniant, non laudantes quidem, sed valde etiam odio habentes eorum instituta, ferentes tamen propter usum eorum ministerii : ita etiam mundi administrator concedit ut sint tyranni tanquam quidam lictores, ut per eos pœnas sumat de impiis et sceleratis. Postea autem eos quoque exactissimo tradit supplicio, quoniam non tanquam Deo ministrantes, sed suæ improbitati servientes, gravia illa et intoleranda fecerunt. Sic Israelem, cum peccasset, Assyriorum tradidit crudelitati ; postquam autem isti ne agnoverunt quidem fructum supplicii, vel potius scopum et institutum, tunc eorum quoque fracta potentia coegit eos servire aliis, ut docent etiam Prophetæ. A quibus Plato, ut arbitror, suffuratus occasionem, dicit eos qui sunt incurabiles castigari ad aliorum utilitatem. »

Vers. 9. 9. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, QUI SUSCITAVIT EIS SALVATOREM, ET LIBERAVIT EOS, OTHONIEL VIDELICET. — Advertendum, ait S. Augustinus, *Quæst.* XVIII : « Salvatorem etiam dici hominem, per quem Deus salvos faciat. » Simile est, IV *Reg.* XIII, 5 : « Dedit, ait, Dominus salvatorem Israeli. » Et II *Esdræ* IX, 27. Sic Plato, lib. V *De Republ.*, Principes vocari vult « Reipublicæ salvatores. »

Fuere ergo Judices Israelis salvatores, ideoque figuræ et typi Jesu Christi Salvatoris mundi. Unde S. Hieronymus *ad Paulinum*, epist. 103 : « In Judicum libro, ait, quot principes populi, tot figuræ sunt. » Judices salvarunt populum in corpore, Jesus sanat fideles in anima ; Judices profligarunt tyrannos, Jesus dæmones mundum opprimentes. Quocirca nomen Jesu formidabile est dæmonibus, adeo ut eo audito diffugiant. Audi S. Chrysostomum, hom. 8 *in Epist. ad Rom.* : « Sunt nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini Jesu Christi ; tum ipsius crucis potentia. Hujusmodi incantatio non solum draconem de speluncis abigit, atque ita in ignem conjicit, sed et vulneribus quoque medetur. Hoc tamen et dæmonibus terribile est, et perturbationibus et ægritudinibus salutare. Hoc igitur ornemur ipsi ; hoc tanquam muro nos muniamus. » Et Origenes, lib. I *Contra Celsum* : « Tanta, ait, vis nomini Jesu inest contra dæmones, ut nonnunquam a nobis nominatum sit efficax. Quod docens Jesus dicebat : Multi mihi dicent in die illa : In nomine tuo dæmonia ejecimus. » Et Theodoretus in epist. *ad Philemonem* : « Sufficit, ait, nobis nominis mentio ad efficiendum ut revereatur vel maxime adversarius, » etc. Mirum, sed multis comprobatum exemplis, quod Tyreus noster ait in lib. *De Dæmon.*, cap. XLII, num. 22 : « Sagis, ait, et iis qui se diabolo devoverunt mandari et serio præsipi scimus, ut si quando nocturnos conventus habent prorsus a nomine Jesu abstineant, quanquam Jesum abjuraverint. Scimus subito et diabolum et præsentem turbam disparuisse, si quando collegarum alicui etiam præter intentionem nomen Jesu excidisset, » etc.

Tropologice, salvatores Jesum Salvatorem imimitantes sunt ii, qui animas in viam salutis dirigere satagunt. Audi Rupertum : « Si ergo illos dixit salvatores (nempe Scriptura), per quos Deus temporaliter liberavit Israel ; quanto magis recte illi dicuntur salvatores, quorum labor Salvatori nostro Deo ad nostram æternam salutem cooperatus est, » etc.

Idcirco S. Ignatius fundator Societatis nostræ noluit nos vocari Ignatianos, sed Societatis JESU, ut hoc nomine nos exstimularet ad strenue procurandam animarum salutem. Valentinianus Imperator, teste Vopisco, laudavit Probum (qui et postea Imperator exstitit), quod esset « vir sui nominis, » scilicet bonus et probus. Simus et nos viri nominis nostri, ut quasi socii Jesu salvare omnes contendamus. Militi adolescentulo, qui Alexander vocabatur, dicebat magnus Alexander in Tyri expugnatione : « Animose, o commilito, fac facinus nomine quod geris dignum, » etc. Huc spectat quod de Diadumeno puero narratur, cum et imperio et Antonini nomine donaretur : « Ego, inquit, elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est. »

Præclare S. Augustinus, tract. 5 *in Epistola* I *S. Joannis* : « Quomodo, inquit, te gloriaris esse Christianum ? nomen habes, et facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque paganum, tu factis te ostende Christianum : nam si factis non ostendis te Christianum, quid prodest nomen, ubi res non invenitur ? »

Denique audi S. Hieronymum in *Abdiam*, sub finem : « Ipsa, inquit, Petra Petro donavit ut petra sit. Pastor quoque bonus Apostolis pastorum largitus est nomina, et quodcumque dicitur de eo, servis tribuit ut dicantur. Sic ipse Salvator Apostolos suos mundi esse voluit salvatores. »

FRATREM CALEB. — Vide dicta *Josue* XV, 17. Porro Philo Biblicus asserit Josue morienti in principatu successisse Cenez, eumque præfuisse Israeli quinquaginta et septem annis, et multa miraque ejus gesta dictaque enarrat. Post Cenez vero præfuisse Israeli Zebul per viginti et quinque annos, post hunc Debboram et Barac. Verum hæc repugnant S. Scripturæ, quæ post Josue primum Judicem assignat Othoniel, secundum Aod, tertium Samgar, quartum Barac. Quare Philo iste non Biblicus est, sed errorum et nugarum Bibulus.

Vers. 10. 10. FUITQUE IN EO SPIRITUS DOMINI, ET JUDICAVIT (id est vindicavit et ab oppressione Chusan Rasathaim liberavit) ISRAEL. — « Spiritus Domini, » id est fortitudo, prudentia et maxime impetus ad bellandum, ardorque et zelus ad vindicandum

suos populares in libertatem, a Deo Othonieli aspiratus et inspiratus. Omnis enim virtus et qualitas, sive naturalis sive supernaturalis, omnisque gratia, tam gratum faciens quam gratis data, uti est fortitudo bellica, in Scriptura vocatur spiritus, ut recte advertit Abulensis. Sic peritia fabricandi tabernaculum, a Deo indita Beseleeli, vocatur spiritus, *Exod.* cap. XXXI, 3. Vide ibi dicta. Unde sequitur : « Et judicavit Israel, » tum moribus et legibus bellicis Israelitas instruendo, tum potius sumendo de hostibus Mesopotamis vindictam, eosque supprimendo. Simili phrasi dicitur spiritum Domini induisse Gedeonem, id est eum incitasse et direxisse ad bellum Madianiticum. Sic sæpe dicitur spiritus irruisse in Samson, cap. XIV, 6 et seq., quotiescumque eum impulit ad heroica fortitudinis opera generose aggrediendum. Sic spiritus Domini dicitur insiliisse in Saul, cum eum incitavit ad liberandum Hebræos a tyrannide Naas regis Ammon, I *Reg.* XI, 6.

Vers. 11. 11. QUIEVITQUE TERRA QUADRAGINTA ANNIS, ET MORTUUS EST OTHONIEL. — « Quadraginta annis, » id est usque ad annum quadragesimum, quo officio Judæis perfunctus et defunctus est Othoniel, primus Israelis post Josue princeps. Hebræi enim sæpe numeros cardinales pro ordinalibus sumunt, uti ostendi *Canon.* 1 et 2, ac *Exod.* XII, 40. Adde terram Israel quievisse (id est cessasse a prœliis, uti explicatur *Josue* XIV, 15) per quadraginta annos, quia videlicet sub Othoniele pauca fuerunt bella; nam initio Hebræi a Chusan fuere suppressi; deinde post victoriam de eo ab Othoniele habitam ita erecti et elevati, ut hostes eorum omnino quiescerent, nec eos invadere auderent. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. I.

Porro Othonielis quadraginta in imperio annos ita probabiliter conjectando distribuit noster Salianus, ut primis septemdecim ejus annis, quibus adhuc post Josue vixere seniores Israel Deo vero servierit, inde deflexerit ad colendum Baalim et Astaroth per annos circiter quinque : quocirca traditus regi Mesopotamiæ ei servierit per annos octo, scilicet ad annum trigesimum Othonielis, qui ultimis decem vitæ suæ annis eum debellavit, pacemque et quietem Israeli reddidit. Unde apposite *Othoniel* hebraice significat *tempus Dei*, vel *tempus meum Deus*, ait Pagninus, fuitque typus Christi Salvatoris, ait Rupertus, qui tempore a Deo præfixo in mundum per incarnationem descendit, ut eum a Chusan, id est Æthiope, puta diabolo oppressum liberaret et redimeret.

Vers. 12. 12. QUI CONFORTAVIT ADVERSUS EOS EGLON REGEM MOAB. — Dices : Ergone Deus excitavit Eglon ad bellum injustum contra Hebræos, ut tyrannice eos opprimeret, ac consequenter ad peccatum et tyrannidem? Respondeo : Deus dicitur excitasse Eglon, Nabuchodonosor, Cyrum, Alexandrum, etc., ad bellandum contra Judæos aliasque gentes, quia ipsorum scelera per illos castigare destinabat. Fecit autem idipsum *primo*, augendo

Deus confortat tyrannos.

Primo.

Eglon, Cyro, etc., vires et animos, consilium et dexteritatem prœliandi, item socios fœderatos, arma, milites, quibus confortati invaserunt Judæos vel alias gentes. *Secundo*, ex adverso infirmando vires, milites, arma Hebræorum, eisque animum eripiendo, ac terrorem et pavorem immittendo. Ita S. Augustinus, *De Gratia et libero arbit.*, cap. XX, idque probat ex illo *Josue* VII, 12 : « Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet. » *Tertio*, immittendo Eglon regi cogitationem quod terra Israel fertilis foret et dives, æque ac inermis et a Deo deserta, Deumque velle gravia eorum scelera punire. *Quarto*, omnia belli impedimenta submovendo, dandoque ei prosperos prœliorum successus et victorias, quibus omnibus bene vel male uti poterat Eglon. Sunt enim hæc bona adiaphora sive indifferentia; quibus quis bene vel male uti potest pro suo arbitrio; prævidebat tamen Deus Eglon regem ex mala sua voluntate, et imperii ambitu dominandique cupidine iis male usurum, bellumque imperandi libidine Hebræis injuste illaturum et prosecuturum, quod ipse permittere decrevit, ut per eum Hebræos peccantes castigaret. Vide dicta *Exod.* VII, 3, et XI, 2.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Ulterius non poterat Deus directe Eglon regem incitare ad bellum Hebræis inferendum, nisi justam belli causam haberet rex, quæ nulla hic liquet; vel nisi ipse regi suam indicaret voluntatem, scilicet velle se punire scelera Hebræorum, ac ad hoc rege uti quasi administro et castigatore, quod Nabuchodonosori Deum indicasse opinatur Abulensis ex illo *Isaiæ* V, 26 : « Elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ; » cui Dei voluntati et instinctui si Eglon se conformasset, utique bellum justum auctoritate divina contra Hebræos gessisset : fuisset enim quasi lictor carnifex, et executor vindictæ et justæ sententiæ a Deo contra Hebræos latæ. Verum quia tyrannorum animi magis ad opes, gloriam, dominatum, quam ad Dei voluntatem attendunt, hinc bella eorum plerumque sunt injusta; nec Deus eis suam voluntatem revelat, ut eis tribuat potestatem fideles invadendi, sed eorum superbia et tyrannide utitur, permittendo illam ad fidelium castigationem.

Vers. 13. 13. ET COPULAVIT (scilicet Deus vindex, ut patet ex Hebræo et Septuaginta) EI FILIOS AMMON.

POSSEDIT URBEM PALMARUM, — puta Jericho : hæc enim erat fertilissima et opulentissima, eratque juxta Jordanem, ut ex Moab, sita trans Jordanem, facilis in Jericho esset transitus; utque occupato Jordane separaret tres tribus trans Jordanem sitas a cæteris novem cis Jordanem sitis, ne sibi mutuo opem ferre possent.

Vers. 14. 14. SERVIERUNTQUE FILII ISRAEL EGLON REGI MOAB DECEM ET OCTO ANNIS. — Nota : In hoc libro sæpius recensentur plures oppressionis et servitutis Hebræorum anni; sed hi omnes intra præcedentium vel sequentium Judicum annos includuntur. Ne-

Anni servitutis intra annos Judicum includi.

gat id Melchior Canus, lib. I *De Locis ad duodecim argum.*, sed constanter uno ore affirmant Hebræi, Græci, Latini, ac nominatim Eusebius, S. Augustinus, Orosius, Isidorus, Beda in *Chron.*, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Adrichomius, Genebrardus, Salianus, Torniellus, Ribera, libro I *De Templo*, cap. I, et alii passim, idque satis colligitur ex

Prob. Primo.

cap. XV, versu ult., ubi Samson dicitur judicasse Israel viginti annis in diebus Philistiim, quibus scilicet Philistini oppresserunt Hebræos per quadraginta annos, ut dictum est cap. XVIII, vers. 1. Ergo eodam tempore quo Hebræi a Deo traditi sunt Philistinis, saltem posterioribus annis, Samson fuit excitatus a Deo, ut eos ab illis liberaret, uti cap. XIII, vers. 2 et seq. narratur. Quare ex quadraginta illis annis, viginti posteriores continentur intra viginti annos Samsonis; viginti autem priores inter annos Judicum, qui Samsonem præcesserunt.

Secundo.

Secundo, idipsum liquet ex III *Reg.* VI, 1, ubi ab ingressu Hebræorum ex Ægypto usque ad annum quartum Salomonis, quo ipse cœpit fabricare templum, numerantur præcise anni 480; ergo servitutis anni non sunt computandi. Si enim illos computes, invenies centum et undecim plures, puta 591, non 480; et licet id concedat Melchior Canus, ac noster Serarius eodem inclinet, quasi 480 illi anni tantum sint anni quibus præfuerunt Judices, non quibus oppressi a tyrannis Hebræi eis servierunt; hos enim fuisse 591, tamen hoc directe adversatur Scripturæ quæ totum tempus ab exitu ex Ægypto usque ad annum quartum Salomonis numerans, præcise consignat annos 480. Audi ejus verba : « Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto mense Zib (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. » Sic enim uniformiter habent Hebræa, Chaldæa, Græca et Latina. Quare errat Josephus, vel certe mendum est in Josepho, dum ipse numerat annos 592.

Porro hos 480 annos licet varii varie numerent, verisimillimus tamen est computus Ariæ Montani in Daniele, quem fere sequuntur Adrichomius, Salanius, Torniellus et alii : nimirum Hebræi ab egressu ex Ægypto tendentes in Chanaan peregrinati sunt in deserto annis quadraginta.

Inde a Josue usque ad Othonielem primum Judicem fluxere anni septemdecim.

Othonieli Scriptura hic assignat annos quadraginta.

Aod, qui successit Othonieli hic vers. 30, attribuit annos octoginta.

Samgar, qui Aod secutus est, omnes dant pauculos menses, idque vers. 31 sat indicatur.

Barac et Debboræ cap. V, vers. ult., memorantur anni quadraginta.

Gedeonis pariter cap. VIII, vers. 28, recensentur anni quadraginta.

Abimelech Gedeonis filio cap. IX, vers. 22, dantur anni tres.

Tholæ cap. X, vers. 2, dantur anni viginti et tres.

Jair cap. X, vers. 3, anni viginti et duo.

Jephte cap. XII, vers. 7, anni sex.

Abesan cap. XII, vers. 9, anni septem.

Ahialon cap. XII, vers. 11, anni decem.

Abdon cap. XII, vers. 14, anni octo.

Samson cap. XV, vers. ult., anni viginti.

Heli, I *Reg.* IV, 18, anni quadraginta.

Samueli et Sauli, *Actor.* XIII, 21, tribuuntur anni quadraginta.

Davidi, III *Reg.* II, 11, anni quadraginta.

Salomoni quatuor.

Adde omnes hos annos, et invenies præcise numerum prædictum 480 annorum.

Porro de omnibus his res certa est, excepto Josue, cui nonnulli dant annos non septemdecim, sed viginti et septem; et Samsone, cujus annos viginti aliqui includunt in quadraginta annis Heli, sed perperam : constat enim Samsonem fuisse Judicem (dicitur enim cap. XV, vers. 20, judicasse Israel) distinctum ab Heli qui ei successit; quare cum Scriptura Samsoni assignat annos viginti, cap. XV, vers. ult. et cap. XVI, vers. ult., hi utique eo seorsim ab Heli dandi sunt. Ex hoc computu collige Josue dandos esse annos septemdecim, et non viginti et septem.

Quæres, quotnam sunt servitutis Hebræorum anni hoc libro recensiti, sive quoties, quando, et quamdiu Hebræi servierunt aliis gentibus? Respondeo, servivisse annis centum et undecim, ut patet ex enumeratione quam subjungo. Hebræi servierunt Chusan regi Mesopotamiæ, ut patet cap. III, vers. 8, annis octo.

Eglon regi Moab, ut patet cap. III, vers. 14, annis octodecim.

Jabin regi Chanaan, ut patet cap. IV, vers. 3, annis viginti.

Madianitis, ut patet cap. VI, vers. 1, annis septem.

Philistæis et Ammonitis, ut patet cap. X, vers. 18, annis octodecim.

Rursum Philistæis, ut patet cap. XIII, vers. 1, annis quadraginta.

Adde hos omnes annos, invenies annos servitutis centum et undecim, qui in Chronologia non sunt computandi; quia in annis Judicum includuntur, uti dixi.

15. ET POSTEA CLAMAVERUNT AD DOMINUM. — Vide hic quam afflictio sit utilis : docet enim, imo cogit Deum prope invocare, ideoque Deus illam immittit, ut compellat nos per creaturas vagantes ad se redire. Rursum tribulationes et flagella, sicut bonis et rectis corde sunt consolationes et materia cœlestium præmiorum, sic malis sunt primitiæ gehennalium tormentorum, ait B. Petrus Damianus, lib. VIII, *epist.* 6, qui proinde addit : « Dum ergo verberibus cingeris, dum castigaris, Vers. 15.

non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitiæ mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat, sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio resultet in ore. » Quia sicut signum est amoris et prædestinationis divinæ, si peccatorem castiget, quod scilicet velit eum salvare; sic vice versa signum iræ et reprobationis divinæ est, quod eum impune agere sinat; quia scilicet vult eum perdere et cruciare in gehenna, ut ostendi *Proverb.* III, 11 et seqq.

QUI SUSCITAVIT EIS SALVATOREM VOCABULO AOD. — Fuit hic secundus Israelis Judex; primus enim fuit Othoniel. *Aod* hebraice idem est quod *gloriabor* vel *gloriosus; הוד hod* enim est *gloria*: talis fuit Aod, quia Eglon, id est, de vitulo (hunc enim hebraice significat *Eglon*) hoc est de vitulante et petulante rege, magna cum gloria triumphavit (1).

FILII JEMINI. — Hugo Victorinus per Jemini accipit Benjamin. Melius alii accipiunt virum illustrem oriundum ex Benjamin : nam et Semei, qui maledixit Davidi, fuit filius Jemini de tribu Benjamin, æque ac Saul, ut patet I *Reg.* XVI, 5, et cap. XIX, 18, et lib. III *Reg.* cap. III, vers. 8.

QUI UTRAQUE MANU PRO DEXTERA UTEBATUR. — Quem proinde Septuaginta tam hic quam cap. XX; vers. 16, vocant ἀμφοτεροδέξιον, id est ambidextrum. Hebraice enim est אטר יד ימינו *itter iad iemino*, quod Vatablus, Arias, Pagninus, Cajetanus et alii Hebraizantes vertunt, *clausum*, sive *captum manu dextra*, qui scilicet manum dexteram habebat mancam, vel contractam et impotentem, ideoque sinistra pro dextra utebatur, qualem Latini vocant scævam, id est, sinistram (σκαιὰ enim est sinistra). Unde Mutius ille Romanus qui dexteram coram Porsena rege Hetruriæ animose exussit, ideoque deinceps sinistra usus est pro dextera, cognominatus est Scævola, id est, sinister, quem Itali appellant *Mancino*, Franci *gaucher*, Flandri, *slincks*.

Verum S. Hieronymus et Septuaginta tam hic quam cap. XX, vers. 16, constanter vertunt *ambidextrum*, quibus utique magis credendum est. Ambidexter ergo dicitur clausus, id est septus, conclusus et cinctus manu dextera; quia utraque manu utens pro dextra, undique ab utroque latere, dextra quasi propugnatrice cingitur et protegitur. Unde S. Hieronymus illud *Psal.* LXVIII, 16 : « Neque urgeat super me puteus os suum, » vertit : *Non coronet super me puteus os suum*; os enim putei rotundi dum operculo circulari tegitur, eo quasi coronatur, ut Hebræum אטר *atar*, per *aleph* affine sit et cognatum cum עטר *atar*, per *ain*, id est *coronavit*; Chaldæus vero, et ex eo Marinus contrarie vertunt : *Non aperiat super me puteus os suum*, ut scilicet me absorbeat. Sic hoc loco juxta illos *apertus dextera* dicitur, qui dexteram ex utroque latere habet apertam et expeditam ad pugnam, sive quia tam sinistra quam dextera operatur et præliatur. Unde Syrus vertit, *theri jemino*, id est, *qui duas habet dexteras;* Josephus vero, *manu sinistra melior et ab ea omnem virtutem habens*. Sæpe enim ambidextri, qui sinistra pollent, minus pollent dextera. Porro magna commoditas æque ac laus, præsertim militi est, esse ambidextrum : utraque enim manu pugnat in hostem, qui una duntaxat præliatur. Unde ab Homero *Iliade* II, laudatur Asteropæus, quod esset ambidexter, signum enim est magnæ virilitatis et fortitudinis. Nam, ut ait Galenus in *Aphoris.* VII Hippocratis, « viri quidem ambabus manibus ut dextris utentes sæpe visi sunt, femina vero hactenus nulla. » Et Plinius, lib. VII, XVII : « Observatum est, inquit, vires dextra parte (ob calorem cordis et jecoris) majores, quibusdam æquas utraque, aliquibus læva manu præcipuas, nec id unquam in feminis. » Unde documentum fuit Platonis, quod recitat Aristoteles, lib. II *Politic.*, in fine, in Politica viros debere studere ut ambidextri evadant, quo aptiores reddantur bello. Id fit assuetudine : si quis enim sinistram exerceat, aptabit eam quasi dexteram. Vidi Romæ Patrem Societatis nostræ, qui sinistra assueverat scribere, idque tam commode quam dextra. Hinc est illud Hipponactis apud Galenum : « Ambidexter sum, nec aberro percutiens, » sicut sæpe aberrant qui sola dextra feriunt. Unde optimi milites utraque manu digladiantur, et in orbem præliantur.

Ambidextri sunt fortes.

Tropologice, vir sanctus est ambidexter : novit enim uti tam adversis quam prosperis, tam desolatione quam consolatione, tam tentatione et humiliatione, quam honore et exaltatione, ad suum commodum, uti fecit Job, David, et Paulus dicens : « Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, » I *Cor.* VI. Vide Cassianum *Coll.* VI, 10, ubi post multa hac de re dicta ita concludit : « Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutarit, et nec illa nos ad voluptatis noxiæ remissionem impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit et querelam, sed similiter Deo grates in utroque referentes, parem fructum de secundis adversisque captemus, qualem se ille verus ambidexter doctor gentium fuisse testatur, dicens : Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, scio et humiliari, scio et abundare : ubique et in omnibus institutus sum, et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat. »

16. QUI FECIT SIBI GLADIUM ANCIPITEM. — Hebraice, *habentem duo ora*, id est duas acies, quem Septuaginta vocant δίστομον, id est utrimque acutum, ut utrimque secare queat. Qualis hic fuerit jam dicam. Vers. 16.

HABENTEM IN MEDIO CAPULUM. — Nil de hoc capulo habent Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, nec tamen id finxit aut temere addidit S. Hieronymus; sed, ut advertit Abulensis solerter, vidit hoc in-

(1) Tyranni occisio Eglon ab Aod fuit, inspirante Deo, pro populo magna gloria et juxta jus belli

cludi in τὸ *ancipitem*, sive *duorum orum*, hoc est acierum. Habuit enim hic gladius sive pugio duas acies sive mucrones, ut utrimque regem quomodocumque situm ferire posset; volebat enim eum ferire non aperte et cæsim, sed occulte et punctim, ut actum declinare non posset. Quare necesse fuit ut gladius hic haberet capulum in medio, quo utrimque, si opus esset, sua acie et mucrone regem pungere et transfigere valeret.

Aliter Serarius : Fuit, ait, gladius iste latior, et in latitudinis hujus medio fuit capulus, scilicet in longitudinis extremo, uti alias esse consuevit: sed si erat latior, ergo ad cædendum erat, hic autem fuit ad pungendum : erat ergo strictior, et acutus instar cuspidis et pugionis. Unde Noster vers. 21, vocat *sicam*, a qua dicti sicarii. Fuit ergo hæc nova species et forma gladii, id est, gladioli sive pugionis, ideoque forte Aod ipse fuit faber, eumque sibi fabricavit. Sic Marius romanus dux fuit faber; unde, cum ex insidiis interimeretur, dixit interemptor : « Hic est gladius quem ipse fecisti, » uti narrat Trebellius Pollio libro *De Triginta tyrannis*, cap. VII.

Palmus et palma quomodo differant?

LONGITUDINIS PALMÆ. — Refert hoc non ad *capulum*, sed ad *gladium*, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. Per palmam accipe palmum sive spithamam, ut vertunt Septuaginta ; alioqui palma proprie est mensura exigua quatuor digitorum transversim positorum, palmus vero sive spithama est spatium quod distenta manu inter pollicem et ultimum digitum interjacet, continetque duodecim digitos transversos. Hebraice est גומד *gomed*, quod passim Hebraizantes vertunt *cubitum*. Unde *gammadim*, id est cubitales vocantur pygmæi, *Ezech.* XXVII, 11. Cubitus est sesquipes, continet viginti quatuor digitos, sive duas spithamas : quare hic cubitus minor debet intelligi, qui æquatur spithamæ, continetque duodecim digitos. Ita Serarius : sed sicut olim digiti erant majores modernis, sic et spithamæ : nisi quis dicat palmum hic non simplicem, sed duplicem accipi; hic enim æquatur cubito, et solent gladioli sive pugiones esse cubitales, alioqui cultri sunt potius quam gladii.

ET ACCINCTUS EST EO SUBTER SAGUM (nota est hæc militum vestis) SUB DEXTRO FEMORE, — tum ut gladium sive gladiolum et machinationem cædis occultaret : gladio enim solemus ad sinistrum femur accingi, non ad dextrum, tum ut eum facilius educeret manu sinistra, qua percussurus erat regem incautum.

Vers. 17. 17. ERAT AUTEM EGLON CRASSUS NIMIS, — instar vituli; *Eglon* enim hebraice vitulum significat. Dicit hoc, ut eum ex multo adipe suo oppressum et suffocatum significet, ut explicat vers. 22. Septuaginta vertunt ἀργεῖος, id est festivus, quia pingues solent esse festivi, hilares et joviales. Forte pro ἀργεῖος, Septuaginta verterunt παχὺς, id est, pinguis, obesus, vel ϛατικὸς, id est, ponderosus, gravis. Vide hic ut gulosis obsit sua gula; gula enim occidit gulosum et obesum Eglon. Obesus enim nec se ab ictu surripere, nec eum inhibere potest, ictusque suo adipe suffocatur : macilentus vero sua gracilitate et agilitate ictum declinare vel infringere potest, ac læsus facile curatur. Porro, ut ait S. Hieronymus, epist. 2 *ad Nepotian.* : « Pulchre dicitur apud Græcos et nescio an apud nos æque resonet : Pinguis venter non gignit mentem tenuem. » His ait Amos propheta, cap. IV, vers. 1 : « Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris : Afferte, et bibemus. » De his Moses *Deuter.* XXXII, 15 : « Incrassatus est dilectus et recalcitravit : Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. »

19. ET REVERSUS DE GALGALIS, UBI ERANT IDOLA. Vers. 19. — Aod post oblata Eglon regi munera, ut facinus tegeret, ab eo et aula regia discessit cum sociis, eosque comitatus est usque ad Galgala, inde solus reversus est ad regem; idque tum ut solus subiret discrimen vitæ sociosque ab illo eximeret; tum ut secretior esset cædes et minus suspicioni obnoxia; quod non fuisset, si statim oblatis muneribus eam attentasset, ait Abulensis. Unde legati Cæsaris et Regum ad Turcam, dum ei munera offerunt, a Bassis honoris specie ducuntur, itaque brachiis constringuntur, ut gladium ferrumve stringere, Turcamque ferire nequeant : adeo tyrannis est formidolosa et omnia tuta timet.

DE GALGALIS UBI ERANT IDOLA. — Masius, ut dixi in libro Josue, opinatur alia hæc esse Galgala a Galgalis in quibus circumcisi sunt filii Israel, *Josue* V, eo quod ibi non essent idola. Dici tamen potest illa a Moabitis ibi posita fuisse, tum ut Galgala et circumcisionem Judæorum profanarent; tum ut ipsi ibi deos suos invocarent ad terram promissam sibi subigendam; in ejus enim ingressu erant Galgala ; tum ut Judæos initiari suis sacris idololatricis cogerent eo loci, ubi olim patres eorum initiati fuerant sacris Judaicis.

VERBUM SECRETUM HABEO AD TE, O REX. — Fingit se habere oraculum a Deo sive diis acceptum in Galgala ad regem perferendum, vel certe secretum aliquod in itinere a se cognitum, quod regi indicandum foret; mentitur ergo, sed olim tali casu et necessitate mentiri licitum esse censebant non tantum plebeii, sed et Philosophi ac Theologi, uti jam sæpe monui. S. Augustinus tamen Aod excusat a mendacio, quod per verbum intellexerit factum phrasi Hebræa, *q. d.* Habeo quod tibi dicam, hoc est faciam, scilicet ut te occidam; hoc enim mihi suggerit jubetque Deus. Ita loquitur, ut rex ex Galgalis idolorum suorum sibi ab Aod oraculum afferri putet, itaque consurgat, accedatque ad reverentiam verbo Dei exhibendam, ut stans stantem et vicinum silentissime transfigat.

Hinc Anastasius Nicænus, Quæstion. LXXI *in*

S. Script., docet licere subinde uti artificiose simulatione, non tamen mendacio, atque id probat Sanctorum exemplis. « Primum, inquit, exemplum sit Moyses; quoniam jussu Dei apud regem præ se tulit, quod viam trium dierum abducturus esset populum ad Deum colendum, » *Exod.* III, 18, et *Exod.* V, 3. « Quanquam ejus esset propositum omnino Israeliticum populum liberare, et traducere ex Ægypto in Judæam. Tale est et quod fecit, qui ad ungendum Davidem in regem missus est a Deo præ se ferre quod esset sacrificaturus, ne Saul cognosceret, quod regem pro se constituit, et ne periculum venerit Samueli, » I *Reg.* XVI, 1. Et paulo post aliis exemplis commemoratis : « Jam vero, inquit, ad sumendum justam de inimicis ultionem sæpe doli sunt probati; cujusmodi fuit Aod, qui interfecit Eglon; et Jahel, quæ occidit Sisaram; et Judith, quæ interemit Holofernem. Propter hos ergo dolos non sunt sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem ad bonum; sinceri autem ad malum. » Nec aliud vult S. Thomas, II II, *Quæst.* XL, art. 1, dicens omnem dissimulationem esse peccatum; quia loquitur de illa simulatione, quæ ex intentione ipsis dissimulantis falsum significat, non autem de illa quæ ex acceptione audientium tantum ad falsum significandum detorquetur.

ET ILLE IMPERAVIT SILENTIUM, — non famulis vel aulicis, sed ipsi Aod. Hebraice enim est, *tace, q. d.* Face secretum quod habes, ne illud aulici audiant, sed exspecta donec omnes adstantes emittam, itaque solus illud a te excipiam. Ita Interpretes. Abulensis tamen per silentium accipit secessum stipatorum.

Vers. 20. 20. VERBUM DEI HABEO AD TE, — quia scilicet jubet mihi Deus ut te Israelis oppressorem occidam. Ita S. Augustinus. Dicit hoc ut rex e throno surgat, quasi reverenter excepturus Dei oraculum et mandatum, itaque facilius et occultius eum lethaliter ferire et occidere possit, ut dixi. Itaque factum, nam Eglon « statim surrexit de throno, » ut reverentiam exhiberet Deo ejusque legato Aod, sicut nos assurgimus Evangelio, dum legitur. Sic Balaam ait Balac regi : « Sta, Balac, et ausculta, » *Num.* XXIII, 22. « Sic viator, ait Plinius, lib. XVIII, cap. III, Cincinnato nudo et aranti dixit : Vela corpus ut proferam Senatus populique Romani mandata. » Porro Deus castigavit Valentinianum Imperatorem, quod Arianæ uxoris improbitate ac suasu S. Martino non assurrexisset veniente. « Regiam enim sellam operuit ignis, ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, afflavit incendium. » Ita, inquit Sulpitius, *Dialog.*, lib. I, cap. VI, solio suo superbus excutitur et Martino invitus assurgit : multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatebatur. »

Vers. 21. 21. INFIXITQUE EAM IN VENTRE EJUS, — punctim ergo eum feriit, non cæsim, ut dixi. Fecit hoc Aod Dei instinctu, eoque hostem potius interemit, quam populi rectorem tyrannum, ait S. Thomas, lib. I *De regim. Principum*, cap. VI.

Troja condita sub Aod. Eusebius in *Chron.* tradit, tempore Aod Troem condidisse Trojam, regnasse Athenis Erichthonium, in Creta Minoem, in Lycia Rhadamanthum, apud Argos Pelopem, Thebis Cadmum, ejusque nepotem Bacchum in India. Quare tunc fuit Deorum ætas; tunc enim floruere duodecim viri et feminæ illustres, ideoque inter Deos relatæ, quos Cicero, *Tuscul.* I, ex Ennio his versibus comprehendit :

> Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
> Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Tunc quoque floruit *Xamolxis* Gothorum in Scythia legislator et deus : Elysa Sibylla Libyca, ex Jove et Lamia Neptuni filia. Danaus quinquaginta suarum filiarum opera totidem Ægypti fratris filios interfecit, solo Lynceo, qui post eum regnavit, evadente : Crassus Argivorum rex, sub quo sacerdotio primum functus est Calipias Pyrantis primi filius. Apud eosdem Hypermnestra, Danai filia, sacerdotio fungitur.

Vers. 22. 22. STERCORA PRORUPERUNT. — Naturale enim est ut, dum violenter mors infertur, ex angore anima fugiente venter solvatur et sordes per alvum vel vesicam egerantur, ut patet in iis qui suspenduntur.

Vers. 24. 24. PER POSTICUM EGRESSUS EST. — Perperam Lyranus legit, *per porticum* : Septuaginta vertunt, *ordinatos*; S. Augustinus, *Quæst.* XXII, « milites observantes, » qui scilicet excubare solent ante regis cubiculum. Chaldæus vertit, *exedram*, quales esse solent in anticamera Regum et Principum, quo conveniunt aulici cæteri regem adituri, exspectantes donec a rege evocentur. Verum sequentia plane indicant Aod, non per anticameram, ibi enim ab omnibus visus, notatus et captus fuisset, sed per posticum latenter fuisse egressum.

Vers. 28. 28. OCCUPAVERUNT VADA JORDANIS QUÆ TRANSMITTUNT IN MOAB, — ut scilicet præsidium regis Moab, quod erat cis Jordanem in Jericho, trucidarent, ne per Jordanem in Moab effugere posset.

Vers. 30. 30. ET QUIEVIT TERRA OCTOGINTA ANNIS, — id est usque ad octogesimum annum a morte Othonielis, quo mortuus est Aod ejus successor. Quare in his 80 annis includuntur 18 anni, quibus Hebræi subacti servierunt Moabitis. Quis enim credat Aod 80 annis præfuisse Israeli, totidemque annis nullum in Israele fuisse bellum? Vide dicta vers. 11.

Vers. 31. 31. POST HUNC FUIT SAMGAR. — Hic ordine tertius fuit Judex, sed modici temporis, et paucorum mensium. Hinc *Samgar* hebraice idem est quod *peregrinatus est*, ait Origenes, vel *admiratio peregrinantis*, ait Pagninus. Unde in eo liquet quod verum sit illud *Eccl.* cap. X, 11 : « Omnis potentatus vita brevis. » Sic de Mario Imperatore ait Trebellius : « Una die factus est Imperator, alia die

visus est imperare, tertia die interemptus est; » nimirum : « Rex hodie est, et cras morietur, » ait *Eccl.* ibidem, vers. 12. Idem Marius Viconsul sex pomeridianis horis consulatum suffectum tenuit; unde a Cicerone tali aspersus est joco : « Consulem habuimus tam severum, tamque censorium, ut in ejus magistratu nemo pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit. » Ita Trebellius, lib. *De triginta Tyrannis*, cap. VII.

QUI PERCUSSIT (per se solus, ait Abulensis, non per socios, ut vult Lyranus) DE PHILISTHIM SEXCENTOS VIROS VOMERE. — Sic et Septuaginta, Origenes et S. Augustinus vertunt, *vomere*; Chaldæus vero, Pagninus, Vatablus et Rabbini vertunt, *stimulo boum*. Vomer est ferrum sive cuspis aratri, quo terra finditur et proscinditur, quodque liras facit, et utrimque terram subruendo quasi vomit, indeque dicitur vomer vel vomis. Videtur ergo Samgar fuisse agricola, et irruentibus Philisthæis ab aratro arrepto vomere subito prosiliisse ad pugnam, uti etiamnum faciunt Hungari irruentibus Turcis, et olim fecerunt Hispani ingruentibus Mauris : in cujus rei signum etiam rustici Hispani, dum arant, gladiati incedunt, quasi parati ad resistendum hosti repente invadenti. Sic Samson maxilla asini occidit mille Philistæos, cap. XV, vers. 16; nimirum in re subitanea, obvia quæque arripiuntur, cum furor arma ministrat, juxta illud Claudiani :

Pro telo geritur quidquid suggesserit ira.

Simili modo ab aratro ad Dictaturam vocati fuere prisci Romanorum heroes, ut Camillus, Curius, Cincinnatus, Fabricius, etc., qui Romam a Gallis, Samnitibus aliisque hostibus liberarunt. « Fortissimi, ait Plinius, lib. XVIII, cap. V, viri et milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. » « Agricola, inquit Maximus Tyrius, *orat.* 24, continuo labore exercetur, sub dio degit, amicus soli, domesticus nivibus, compactis membris discalceatus; manu promptus, pervigil, pedibus pernix, ad ferendum robustus : quem si pugnare oporteat, militem videas exercitatum in laboribus veris, quales expertus est Darius in Marathonia pugna. »

Hinc vetus proverbium : « Inflige plagam ab aratro, sive impinge vomerem, » dici solitum, cum quis jubet strenue pugnare, licet sine arte. Cujus originem recenset Pausanias, lib. *Eliæ* II : Glaucus, inquit, quidam Caristius, cum terram aratro proscindenti vomer forte fortuna excidisset ab aratro, sublatum aptavit manu vice mallei. Quod ubi conspexisset pater Demylus, juvenem produxit in Olympia ad pugilum certamen. Verum ubi jam artis imperitus plagis afflictus pene deficeret, pater acclamavit : « Impinge vomerem, » admonens ut sic peteret hostem, sicut vomere solebat vulnerare terram. Hac voce rediit animus juveni, vicitque. Idem postea bis vicit Pythia, octies Nemenia, item octies Isthmia : nimirum validi et duri sunt rusticorum ictus; olim enim non sclopetis, sed lacertis certabatur.

Vomeris symbola.

Tropologice Glossa : Vomer, inquit, est confessio; quia sicut vomere aperitur scinditurque terra, ut semen recipiat et fructificet; sic confessione rescinditur terra cordis nostri, ut semen verbi et gratiæ Dei recipiat, per illudque fructus bonorum operum producat. Hac ergo percutiuntur Philistæi, id est, cadentes, id est, peccata et vitia, quæ nos cadere faciunt in profundum Inferni. Origenes per vomerem accipit simplicem monitionem, quæ etiam convertit animas. Vomer quoque significat vim verbi Dei in anima, quo eradicantur spinæ vitiorum et cordis duritia mollitur. Ita S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. II. Vomer tertio designat linguam prædicantium, *Isaiæ* II, 4. Vomeres ergo Dei sunt prædicatores virique zelosi, qui agrum Domini operibus charitatis verboque et exemplo scindunt et arant, quique, ut ait Tertullianus mox citandus, sunt bonæ frugis operarii. Vomer denique significat affectum geminæ charitatis, vel sensum et animum probum. Ita Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. I. Item studium pacis, modestiæ, concordiæ. Vomere enim terra aratur tempore pacis, non belli. Ita Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. XXI.

Allegorice Samgar fuit typus Christi, qui vomere Evangelicæ prædicationis percussit Philistæos, id est dæmones, idololatras et impios, dum idololatriam et impietatem ex mentibus hominum sustulit.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Debbora et Barac Sisaram ducem Jabin regis profligant in monte Thabor. Sisara fugit, ac dormiens clavo per tempora adacto a Jahel occiditur. Quartus ergo Israelis Judex fuit Barac, cujus gesta hic recensentur.

1. Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, 2. et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Asor : habuitque ducem

exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium. 3. Clamaverunt-que filii Israel ad Dominum : nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos. 4. Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. 5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephraim, ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium. 6. Quæ misit et vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali, dixitque ad eum : Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, et de filiis Zabulon; 7. ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac : Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ dixit ad eum : Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes. 10. Qui, accitis Zabulon et Nephtali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo. 11. Haber autem Cinæus recesserat quondam a cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moysi : et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, et erat juxta Cedes. 12. Nuntiatumque est Sisaræ quod ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor : 13. et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison. 14. Dixitque Debbora ad Barac : Surge, hæc est enim dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas; en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo. 15. Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac; in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, 16. et Barac persequeretur fugientes currus, et exercitum, usque ad Haroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. 17. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Haber Cinæi. 18. Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum : Intra ad me, domine mi; intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio, 19. dixit ad eam : Da mihi, obsecro, paululum aquæ; quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum. 20. Dixitque Sisara ad eam : Sta ante ostium tabernaculi; et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens : Numquid hic est aliquis? Respondebis : Nullus est. 21. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum : et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram, qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est. 22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat; egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei : Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum et clavum infixum in tempore ejus. 23. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel, 24. qui crescebant quotidie et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

Vers. 2. 2. JABIN REGIS CHANAAN, QUI REGNAVIT IN ASOR.— Josue cap. XII, 11 et seq., cepit et succendit Asor, sed mox Chananæi eam restaurarunt, adeoque in ea regnavit Jabin (1).

HABUITQUE DUCEM EXERCITUS SUI NOMINE SISARAM. — Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. VI, eum vocat Susares et Sisares. *Susares* Hebraice idem est quod *equum videns*. סוּס *Sus* enim est *equus*, *Sisares* est *tineam videns*. Græce enim σής, est *tinea*. Alcinius, lib. VI, cap. XV, asserit Sisaram fuisse gigantem ac regem, id est regulum sive principem.

Tropologice Origenes, *hom.* 4 : Sisara, inquit, interpretatur Visio equi; iste est enim animalis, non spiritualis, qui non videt nisi ea quæ animalis sunt : ipse est ejus visio, ipse ejus intuitus, donec animæ Deum invocanti suscitetur Debbora,

(1) Azor vel Haroseth, juxta quosdam interpretes, sita erat ad partem septentrionalem laci Semechon.

ut secundum prophetiæ gratiam gubernetur, discatque sapere non ea quæ carnis, sed quæ spiritus sunt.

IPSE (Sisara potius quam Jabin) AUTEM HABITABAT IN HAROSETH GENTIUM, — ubi scilicet erat concursus et confluxus gentium, tum illarum quæ a Josue sedibus suis pulsæ fuerant, ait Arias; tum aliarum quarumlibet, ait Serarius, חרשת *Haroseth*, Hebraice fabricam vel sylvam (uti vertit Noster, I *Reg.* XXIII, 15, et II *Paral.* XXVII, 4) significat. Unde Adrichomius eam censet a sylva vicina ita dictam, eamque collocat ad Samochinitem lacum, qui valde sylvosus et amœnus erat. Alii verisimilius ita dictam censent a fabris et fabrefactione (חרש *charos* enim fabricare significat) quod in ea fabricati fuerint nongenti currus falcati Sisaræ, illeque in ea suum habuerit armamentarium. Unde Chaldæus vertit, *in munitione arcium gentium.*

Vers. 3. 3. NONGENTOS ENIM HABEBAT FALCATOS CURRUS, — de quibus dixi *Josue* XVII, 16.

Vers. 4. 4. ERAT AUTEM DEBBORA PROPHETIS UXOR LAPIDOTH, QUÆ JUDICABAT POPULUM IN ILLO TEMPORE. — Debbora Hebraice idem est quod *apis*, quia ipsa ut apis erat casta, industria, operosa, divina. Sic de S. Cæcilia canit Ecclesia : « Cæcilia famula tua, Domine, tibi quasi apis argumentosa deservit. » Fudit enim mella piorum sermonum, quibus Valerianum sponsum, Tiburtium, Maximum aliosque quadringentos infideles ad Christum convertit. Porro apis symbolum est sapientiæ, ut ostendi *Prov.* XXIV, 14 et seq.

Audi S. Hieronymum, epist. 10 *ad Furiam* : « Nobis ad hoc nominabitur quod Prophetissa fuerit, et in ordine Judicum supputetur. Et quia dicere poterat : Quam dulcia gutturi meo eloquia tua ! super mel et favum ori meo; apis nomen accepit, Scripturarum floribus pasta, Spiritus Sancti odore perfusa, et dulces ambrosiæ succos prophetali ore componens. »

Porro Debbora fuit apis suis mellea, sed hostibus aculeata et fulminea, quia per Barac quasi fulmen in eos insiliens occidit. Sic S. Jacobus, episcopus Nisibis, Persas Nisibin obsidentes, oratione sua, immissis a Deo apibus fugavit et perdidit, ut refert Theodoretus in *Philotheo* : apes enim irritatæ in furorem aguntur, et instar fulminis in hostes involant; suis ergo bombis quasi tonant, alis vero et aculeis fulminant. Ita hic Debbora fulmineos belli ardores indidit Barac, quibus ipse fulminaret in Sisaram, nimirum : « Accendit faculas æmula solis apis. »

PROPHETIS. — « Præstat hoc, ait Origenes, *hom.* 5, consolationem mulierum sexui, ut non desperent prophetiæ gratiæ capaces se fieri posse; sed intelligant et credant quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diversitas sexus. » Sic prophetiæ spiritum habuit Holda, uxor Sellum, IV *Reg.* XXII, 14; Maria, soror Mosis, *Exodi.* cap. XV; Elizabeth, uxor Zachariæ et mater S. Joannis Baptistæ, *Lucæ* cap. I; Anna, filia Phanuel, *Lucæ* II; S. Brigida, S. Hildegardis, S. Mathildis et plures aliæ. « Existimo, ait Theodoretus, *Quæst.* XI, Debboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam esse. Nam cum ex viris nullus inveniretur dignus, qui Spiritum Sanctum promereretur, hæc donum sanctissimi Spiritus est consecuta. » « In probis, inquit Cicero lib. I *Offic.*, maxime in promptu est, si quid tale dici potest :

> « Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem,
> Illaque virgo viri. »

UXOR LAPIDOTH. — Hoc erat nomen mariti Debboræ. Rabbini et Arias vertunt, *mulier Lychnaria*, quæ scilicet concinnabat elychnia tabernaculi. לפידת *Lapidoth* enim et לפידים *lappidim*, Hebraice significat lampades, faces, tædas : indeque deducta est Græca et Latina vox lampas, ait Arias, qui vertit, *mulier lampadarum*, sive *splendorum*, eo quod Debbora divinis illuminaretur splendoribus et oraculis. Alii putant Lapidoth fuisse ipsum *Barac* Judicem. Verius Serarius et alii censent Lapidoth fuisse maritum Debboræ; eumque alium a Barac : si enim idem fuisset, hoc non tacuisset hic Scriptura.

Porro S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, censet Debboram fuisse viduam : « Vidua, ait, populos regit, vidua ducit exercitum, vidua duces eligit, vidua bella ipsa disponit, mandat triumphos. » Negat hoc S. Hieronymus, *epist.* 10, quia hic vocatur uxor. Utrumque conciliant Abulensis, Arias et Serarius dicendo Debboram eo tempore quo gratiam prophetiæ accepit separasse se a toro mariti, sicque fuisse uxorem quoad vinculum conjugii, viduam vero quoad continentiam et tori separationem.

QUÆ JUDICABAT POPULUM. — Jus dicebat populo. Quæres, an ergo Debbora fuerit judex et princeps populi? Affirmant S. Ambrosius et S. Hieronymus locis jam citatis. Melius Abulensis, Arias, Genebrardus, Cajetanus, Serarius et Rabbini censent eam abusive vocari judicem, proprie tamen non fuisse; nec enim id permisissent Jabin et Sisara dominantes Hebræis. Judicavit ergo, id est jus dixit Debbora, ait Serarius, litesque nonnullas composuit absque jurisdictione ulla, sed ex prophetia tantum et auctoritate quam hæc illi pariebat, sicut Deiocles initio, antequam rex fieret, ex sola sapientia; et auctoritate hinc subsecuta, Judicem apud Medos egit, ut narrat libro primo Herodotus : et sicuti de occultis dubiisque rebus iis qui eum consulerent respondebat Samuel, I *Reg.* cap. IX. Et sic quod Scriptura, quod Patres dicunt eam judicasse, rexisse populumque gubernasse, intelligendum, « judicabat, inquit S. Augustinus, lib. XVIII *De Civitate*, cap. XV. Apud Hebræos femina Debbora; sed per illam Dei spiritus id agebat, nam et Prophetissa erat. » Judex ergo tunc jussu Dei per Debboram factus est Barac, non vero ipsa Debbora.

Vers. 5. 5. ET SEDEBAT (habitabat) SUB PALMA, QUÆ NOMINE ILLIUS VOCABATUR. — Palma Debboræ. Apposite, quia ipsa palmam victoriæ de Sisara suis oraculis plectebat Barac et Hebræis; et quia « justus ut palma florebit, » ait Origenes.

INTER RAMA ET BETHEL. — « Rama, ait Origenes, *homil.* 5, interpretatur excelsa; Bethel, domus Dei. Videte in quibus locis residere dicitur prophetia, inter excelsa et domum Dei. Nihil enim humile, nihil dejectum, nihil vile erga prophetiæ sedem reperiri potest. Prophetia, quæ nunc in Debbora describitur, inter excelsa et domum Dei dicitur habitare; non enim nos docet quæ super terram sunt quærere, sed quæ in cœlis sunt et in excelsis, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Illuc nos prophetia hortatur ascendere, illuc discipulos molitur traducere. »

IN OMNE JUDICIUM, — ad omnes lites Debboræ sententia et judicio decidendas et terminandas.

Vers. 6. 6. QUÆ MISIT ET VOCAVIT BARAC FILIUM ABINOEM. — S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, opinatur Barac fuisse filium Debboræ; בר *bar* enim filium significat, quia Debbora, cap. v, vers. 7, vocatur mater in Israel. Genebrardus censet Barac fuisse patrem, Rabbini nonnulli fuisse maritum Debboræ. Sed plane hic innuit Scriptura eum fuisse exterum, non consanguineum Debboræ. Nam Debbora fuit ex tribu Ephraim, Barac vero ex tribu Nephtali, ut patet vers. 5 et 6. Barac Hebraice significat *fulmen*, quia ipse instar fulminis insiliens, cœlesti vi prostravit Sisaram ejusque castra validissima, ut patebit vers. 15, juxta illud de utroque Scipione Asiano et Africano dictum : « Duo fulmina belli Scipiadæ. »

Pater Barac fuit *Abinoem*, qui Hebraice idem est quod *pater pulchritudinis*, aut *pater pulcher*, amœnus, gloriosus. Audi Rupertum, cap. IV : « Barac idem qui et Lapidoth (quod jam refutavi) vir Debboræ prophetes fuisse traditur. Interpretatur autem Lapidoth fulgur. Barac quoque fulmen. Fulgur idcirco, quia antequam ulcisceretur Israel de Chananæis, quasi fulgur splendebat in populo meritis scilicet et prærogativis operum. Postquam vero ultus est Israel de Chananæis, fulmen, id est percutiens vocatus est. »

DUC EXERCITUM IN MONTE THABOR (1). — Thabor mons est altissimus et amœnissimus in quo transfiguratus est Christus, cujus Barac, id est, fulgur fuit typus : visa enim est tunc Christi facies fulgurea et vestis ejus fulgens. Græce ἐξαςράπτων, id est *effulgurans*, ait Lucas, cap. IX, 29. Hinc *Thabor* Hebraice idem est quod *puritas*, vel *electio*, vel *lumen veniens*, sive *adventus luminis*.

Vers. 8. 8. DIXITQUE AD EAM BARAC : SI VENIS MECUM, VADAM; SI NOLUERIS VENIRE MECUM, NON PERGAM. — Causam addunt Septuaginta, qui ex se addunt, uti legimus apud S. Augustinum, *Quæst.* XXVI : Nescio diem in qua prosperat Dominus Angelum suum mecum. » Apud S. Ambrosium, lib. *De Viduis* : « Non novi diem, in qua dirigit Dominus Angelum suum mecum. » Quod explicat S. Augustinus, *q. d.* « Nescio an Dominus faciet mecum prospera per Angelum. » Nescio an Dominus Angelorum mecum die tali fortunet, seu an per eum mihi affuturus cœptumque fortunaturus sit.

Fuit Barac initio, audiens sibi a Deo tantum tamque arduum munus debellandi Sisaram imponi, tardus in credendo et obediendo; unde Debboram comitem poposcit : mox tamen resumens animos, et a Debbora confortatus, magna fide et spe rem aggressus est et feliciter confecit; unde ejus fidem celebrat Apostolus, *Hebr.* XI, 32.

Vers. 9. 9. QUÆ DIXIT AD EUM : IBO QUIDEM TECUM; SED IN HAC VICE VICTORIA NON REPUTABITUR TIBI, QUIA IN MANU MULIERIS (Debboræ, vel potius Jahel, ut patet vers. 21.) TRADETUR SISARA. — Hebraice, *eundo ibo tecum : verumtamen non erit gloria tua in via*, seu *ob viam qua graderis. In manu enim feminæ vendet Dominus Sisaram.* Pro *victoria* enim Hebraice est תפרתך *tiphartecha*, id est decus, laus, gloria tua. Septuaginta vertunt προτέρημα, id est *præstantiam* sive *primas*, *q. d.* Quia non statim credidisti, nec obedisti Deo, sed instar feminæ trepidasti, hinc gloriam victoriæ futuræ transferet a te Deus, facietque ut non tu, sed Jahel femina occidat Sisaram. Vide quam cito et fortiter sibi obediri velit Deus, in rebus etiam arduis et naturam superantibus. Audi S. Ambrosium, lib. *De Viduis* : Debbora ducem Barac « quasi mater erudiit, quasi judex proposuit, quasi fortis instituit, quasi Prophetes victoriæ certa transmisit. Denique in mulieres manu summam fuisse victoriæ docet Barac filius, dicens : Nisi tu veneris mecum, non ibo, quia non novi diem, in qua dirigit Dominus Angelum suum mecum. Quanta ergo feminæ istius virtus, cui dux dicit exercitus : Nisi tu veneris, non ibo? »

Vers. 14. 14. EN IPSE DUCTOR EST TUUS. — Chaldæus, *nonne Angelus Domini exiens ad prosperandum ante te?* Septuaginta, *nonne Dominus ibit ante te?* Sic Angelus præcessit Judam Machabæum, eumque fecit victorem.

Vers. 15. 15. PERTERRUITQUE (Hebraice המם *hamam*, id est conturbavit, contrivit, perdidit) DOMINUS SISARAM, ET OMNES CURRUS EJUS UNIVERSAMQUE MULTITUDINEM. — Josephus, et ex eo Abulensis asserit fuisse trecenta millia peditum et decem millia equitum; Sisaram enim omnes reges non tantum subditos, sed et socios amicosque ad hoc prælium coegisse et conflasse. Favet Chaldæus, qui cap. V, 8, numerat quinquagena et ducenta millia militum Sisaræ, præter nongentos currus falcatos. Addit Josephus partem eorum telis gladiisque Israeliticis cæsam, partem a suomet ipsorum equitatu et peditatu terrore panico in eum a Deo immisso protritam, partem a Deo procellis, tonitribus et fulminibus sideratam, ita inte-

(1) Mons Thabor erat ad confines Zabulon, ad meridiem.

riisse, ut ne unus quidem cladi superfuerit, ut habent Hebræa vers. 16. Hoc est quod dicitur cap. seq. vers. 20 : « De cœlo dimicatum est contra eos; stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. » Addit Josephus Barac, ducentem exercitum ad Asor urbem Jabin regis, ipsum regem obvium factum interfecisse, ipsamque urbem solo æquasse.

Simili modo Deus Pharaonem procellis, tonitribus et fulminibus perculit et sideravit in mari Rubro, *Exodi* XIV, 24, et Chananæos, *Josue* X, 10, et Philistæos sub Samuele, I *Reg.* VII, 10; hi enim sunt currus, hæc arma quibus impios ferit, uti docet Psaltes, *Psalm.* XVII, 14 : « Et intonuit de cœlo Dominus; » et *Psalm.* CXLIII, 6 : « Fulgura, inquit, coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. » Sic exercitu Marci Aurelii Imperatoris ab hostibus circumsesso, Christiani milites oratione sua a Deo impetrarunt pluviam, fulgura et tonitrua cum grandinibus, quibus hostes perculsi in fugam versi sunt. Unde legio illa dicta est Κεραυνόβολος, id est Fulminatrix, teste Tertulliano, *Apolog.* cap. V, et Eusebio, lib. V *Histor.* cap. v. Idem accidit Theodosio Imperatori contra Eugenium tyrannum pugnanti, quod pulchre hisce versibus describit Claudianus in Panegyr. *De tertio Consulatu Honorii* :

Legio fulminatrix.

> Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
> Obruit adversas acies, revolutaque tela
> Vertit in auctores, et turbine repulit hastas.
> O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti !

Idem recitat et celebrat S. Augustinus, lib. V *Civit.* cap. XXVI.

Vers. 16. 16. OMNIS HOSTIUM MULTITUDO USQUE AD INTERNECIONEM CADERET. — Hebraice, *ut ne unus quidem superesset*. Rara ergo et novo miraculo prodigiosa fuit hæc victoria. Philo Biblicus asserit e castris Sisaræ cæsa esse 997 millia, quod vix videtur credibile (1).

Vers. 17. 17. SISARA AUTEM FUGIENS PERVENIT AD TENTORIUM JAHEL UXORIS HABER CINÆI. ERAT ENIM PAX INTER JABIN REGEM AZOR ET DOMUM HABER CINÆI. — « Erat enim pax, » vel coacta, metu videlicet potentissimi tyranni Jabin vicini, ut vult Abulensis, *Quæst.* XXIV, unde non obstante hac pace, Jahel juste occidit Sisaram, velut hostem Reipublicæ. Vel certe erat pax non pacto certo inita, nec juramento confirmata, sed quia Jabin rex vexans Hebræos, sinebat Cinæos intactos in pace vivere, eo quod ipsi a bellis rebusque politicis abstinerent, sibique et Deo vacantes vacarent orationi et contemplationi : quare Jabin regi fuere in veneratione, amore et honore. Fecit id Deus ut Hebræi discerent quantum valeat pietas, cum viderent Cinæos pios pace frui, adeoque apud tyrannum auctoritate pollere, se vero ob idololatriam assidue ab eo vexari et affligi.

Dices : Si pax erat inter Haber et Jabin, ergo Jahel occidens Sisaram ducem Jabin violavit pacem, fuitque fœdifraga. Respondet Arias pacem inter viros sanciri, quare ea non comprehendi feminas. Solidius alii respondent pacem hanc vel fuisse coactam, vel liberam, ut utrique parti pro suo commodo liberum esset eam violare. Adde, etiamsi fuisset pacta et jurata, potuisse tamen a Jahel violari, tum quia Deus per Debboram, vers. 6, jusserat id fieri, bellumque contra Sisaram a Barac et Hebræis capessi. Cinæi autem, qualis erat Jahel, esto non essent Hebræi sanguine, erant tamen affinitate, quia Jethro filiam suam dederat uxorem Mosi. Quocirca Jahel cum aliis Cinæis in Hebræorum coloniam, hæreditatem et Rempublicam, ac ut verisimile est, fidem et religionem transierat, uti dixi *Numer.* X, 29. Poterat ergo, imo debebat ipsa quasi membrum Reipublicæ Hebræorum Sisaram, velut communem et publicum eorum hostem, imo jam actu invasorem populi sui, prodere aut perdere. Quisque enim tenetur patriam et Rempublicam defendere, ejusque invasorem publicum, talemque vel a Deo vel a Republica proclamatum et proscriptum arcere et toliere, vel aperto marte si potest, vel occulta arte, dolo et stratagemate, uti fecit Jahel simulans amicitiam cum Sisara, eique pallium et lac porrigens. Denique non est dubium, quin Jahel femina arcano Dei instinctu ad tantum facinus audendum acta et impulsa sit, ut populum suum tyrannide Sisaræ oppressum liberaret. Ita Abulensis, Arias et alii, quin et Josephus.

18. NE TIMEAS, — *q. d.* Nulli hic sunt armati, Vers. 18. nulli hostes, quorum gladios extimescas. Non mentitur, quia hoc erat verum.

OPERTUS AB EA PALLIO, — veste longiore, vel stragulo, ut eum absconderet, ne si quis Hebræorum domum ingrederetur, eum inveniret et occideret. Fecit astute id Jahel ut suspicionem fraudis, quam ipsa machinabatur, Sisaræ adimeret, utque facilius eum sub stragulo jacentem occideret.

19. QUÆ APERUIT UTREM LACTIS, ET DEDIT EI BIBERE. — Jahel Sisaræ poscenti aquam præbuit lac, tum urbanitatis causa, tum ut Sisara facilius obdormiret, itaque secreto et secure ab ea necari posset; lac enim, si a sitibundo large bibatur, vapores et fumos excitat, qui ad caput ascendentes illi gravedinem somnumque conciliant, ut videre est in infantibus, qui lac sugentes vel comedentes crebro dormiunt, atque idcirco biliosis et febre laborantibus lac a medicis negari solet, uti docet Hippocrates, et ex eo Arias et Abulensis, quin et Origenes, *Hom.* 8. Unde Josephus ait : « Cum Sisara lac avidius ingurgitasset, in somnum solutus est. » Hinc et cap. V, vers. 25, Jahel benedicitur, « quia aquam petenti lac dedit. » Forte etiam ipsa lacti miscuit opium, mandragoram, vel aliam herbam succumve soporiferum, uti olim, et hoc Vers. 19.

(1) Hæc vox hebraica, *ne unus quidem superesset*, non accipienda est stricto sed hyperbolico sensu.

etiam sæculo factum scimus ab iis, qui hostem somno vinoque vel lacte sepultum perdere destinabant.

Vers. 21. 21. TULIT ITAQUE JAHEL UXOR HABER CLAVUM TABERNACULI, — unum scilicet e paxillis ferreis, quibus in terra tabernaculum funibus extentum figitur, eumque malleo per tempora et cerebrum Sisaræ adegit, itaque dormientem occidit: in temporibus enim et cerebro est vitalitas sensus et motus : quare illa si vulnerentur et transfigantur, statim homo deficit et emoritur. Vere S. Ambrosius, lib. *De Viduis* : « Debbora, ait, prælii prophetavit eventum, Barac justus produxit exercitum, Jahel cepit triumphum. »

Dices : Cur Jahel manu sua occidit Sisaram, et non exspectavit Barac, ut eum illi traderet? Respondeo, quia periculum erat in mora, ne scilicet Sisara, si viveret, experrectus fugeret et effugeret, rursumque bellum renovaret. Prudenter ergo occasionem cædis arripuit, ne illa elapsa frustra eam requireret. « Sæpe in bello parvis momentis magni, ait Cæsar lib. I *Belli civilis*, casus intercedunt. » « Itaque armatus intentusque sis, inquit Livius, lib. XXII, ut neque tuæ occasioni desis, neque suam hosti des (1). »

QUI SOPOREM MORTI CONSOCIANS DEFECIT ET MORTUUS EST. — Septuaginta : *Et ipse stupefactus* (Basileensis Codex habet, *palpitavit*), *obtenebratus et mortuus est*. Philo, vel potius Pseudophilo, quem aliqui putant Joannem Annium Viterbiensem, in *Tradition. Biblicis*, addit : « Et cum moreretur, dixit Sisara ad Jahel : Ecce dolor accepit me, Jahel, et morior tanquam mulier. Et dixit ad eum Jahel : Vade, gloriare apud patrem tuum in inferis, et dicito quoniam incideris in manus mulieris. » Sed hæc ad verisimilitudinem dicta effictaque, potius quam a priscis historicis accepta videntur, imo repugnant Hebræo et versioni Vulgatæ, quæ ait : *Soporem morti consocians;* dormiens ergo Sisara in sopore suo mortuus est.

Allegorice Debbora et Jahel repræsentant Dei Ecclesiam, et tropologice animam sanctam, fortem et pro Deo zelantem; Barac Synagogam, Sisara diabolum, lac orationem, qua diabolus quasi consopitur et enervatur. Audi S. Ambrosium, lib. *De Viduis*, post medium : « Et ideo Sisaræ sitis lactis poculo restinguitur, quia oratione superatur. Quod enim nobis salutare ad escam, hoc adversariæ potestati lethale ad infirmitatem. Arma Ecclesiæ fides, arma Ecclesiæ oratio est, quæ adversarium vincit. Ergo secundum historiam ad provocandos animos feminarum, femina judicavit, femina disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit, et præliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare femineo. Secundum mysterium vero, fidei militia, Ecclesiæ victoria est. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis feminæ. Non habetis viduæ quod ad infirmitatem sexus, aut ad amissionem subsidii maritalis mobilitatem vestram referre possitis. Satis unicuique præsidii est, si virtus animi non desit. » Et S. Augustinus, libro XII *Contra Faustum*, cap. XXXIII : « Quæ, inquit, est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens? »

Audi et Origenem, *hom.* 5 : « Jahel interpretatur ascensio (a rad. עלה *ala*, id est ascendit, alioqui *Jahel* Hebraice idem est quod *damula* aut *cervus*, ait Pagninus) : quia revera non est alia ascensio qua ascendatur ad cœlum, nisi per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. Ipsa est ergo quæ, dum a corporalibus ad spiritualia, et a terrenis ascendit ad cœlestia, interfecit Sisaram, qui carnalium vitiorum, et animalis vel stolidi hominis tenet figuram; quia Sisara interpretatur visio equi, de quo ait *Psal.* XXXI, 9 : Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Palo (paxillo sive clavo ferreo) ergo eum interfecit, id est, ligni crucis acumine et virtute eum prosternit, idque in maxilla, quia illud os quod de carnalibus loquebatur, ligno crucis confoditur et terebratur. » Crux enim docet carnis mortificationem æque ac linguæ.

Denique Jahel fuit typus B. Virginis; de ipsa enim dicitur *Cant.* VIII, 5 : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum. » Ipsa est damula gratiosa, imo omni gratia plena, ipsa est quæ contrivit caput serpentis, hoc est diaboli, *Gen.* III. Audi S. Bernardum, serm. 2 *Super missus est* : « Cui hæc servata victoria, nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. » Et post pauca : « Hanc requirebat Salomon, cum vehementer admirans dicebat : Mulierem fortem quis inveniet? et ita videbatur congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam. »

(1) Patriæ causa salutis et gloriæ vis amoris hospitalitatis officia erga gentis suæ oppressores et tyrannos superest.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Debbora cum Barac de prostrato Sisara canit epinicium.

Canticum hoc non tantum poeticum, sed et propheticum spiritum redolet; quare a Debbora prophetissa compositum videtur, quæ deinde cum Barac illud publice cecinit. Ita Abulensis, Dionysius, Arias, Cajetanus, Serarius, Salianus et alii.

Quinque ejus sunt partes: prima, vers. 3, laudat Deum velut primum tantæ victoriæ auctorem; secunda, vers. 9, laudat Nephtalitas, Zabulonitas, Issacharitas et alios, omnesque creaturas, quæ Deo victori cooperatæ sunt; tertia, vers. 17, culpat Galaaditas, Danitas et cæteros, qui a bello hoc metu Sisaræ se subduxerunt; quarta, vers. 24, benedicit Jahel, quæ Sisaram occidit; quinta, vers. 28, poetice repræsentat ululatum matris Sisaræ.

1. Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes (1): 2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. 3. Audite, Reges, auribus percipite, Principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel. 4. Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. 5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel. 6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ, et qui ingrediebantur per eas ambulaverunt per calles devios. 7. Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel. 8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta, si apparuerint in quadraginta millibus Israel. 9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. 10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini. 11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrantur justitiæ Domini et clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum. 12. Surge, surge, Debbora, surge, surge, et loquere canticum: surge, Barac, et apprehende captivos tuos filii Abinoem. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum. 15. Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 17. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris et in portubus morabatur. 18. Zabulon vero et Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome. 19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes. 20. De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. 21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca, anima mea, robustos. 22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini; maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus. 24. Benedicta inter mulieres Jahel, uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. 25. Aquam

(1) Communiter censent Interpretes Debboram esse solum hujus cantici auctorem.

petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. 26. Sinistram manum misit ad clavum et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans. 27. Inter pedes ejus ruit, defecit, et mortuus est : volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis. 28. Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus, et de cœnaculo loquebatur : Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? 29. Una sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit : 30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei; vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur. 31. Sic pereant omnes inimici tui, Domine : qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. 32. Quievitque Terra per quadraginta annos.

Vers. 2. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS DE ISRAEL ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM (eundo ad prælium formidolosum contra Sisaram potentissimum), BENEDICITE DOMINO, — qui nobis illustrem hanc de Sisara dedit victoriam, Hebraice est בפרע פרעת *biphraa perahot*, quod primo Pagninus, Cajetanus, Arias et alii vertunt, *dum ulciscitur ultiones in Israel, dum sponte se offert populus, benedicite Domino*. Ita Complutensia. Verum Romani Codices et Septuaginta habent, *revelata est revelatio in Israel dum sponte offerret se populus, benedicite Dominum*.

Chaldæus more suo paraphrastice : « Quando rebellarunt domus Israel, venerunt super eos gentes, et expulerunt eos de urbibus suis; et quando redierunt ad faciendum legem, fortificati sunt super eas : ita super ultione fractus est Zizzara, et super signum et liberationem, quæ facta est Israeli, » etc.

Genuine tamen sic ex Hebræo vertas, *in liberando libertates in Israel, in spontanee offerendo se populum*, hoc est qui liberastis et plene libertati restituistis Israel, spontance vos offerendo certamini cum Sisara : « Benedicite Dominum, » qui vos de eo triumphare fecit. Hebræum enim פרע *para* significat nudare, solvere, liberare.

Vers. 3. 3. AUDITE, REGES, — mirabilia hæc Dei prælia, ut eum agnoscatis, timeatis et colatis.

Tropologice Origenes, *hom.* 6 : « Exulta, populo Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum verbum Dei, et non ut plebs, sed ut rex vocaris. Tibi enim dictum est : Genus regale et sacerdotale, populus in acquisitionem. Ideo quia vos reges estis, merito Rex noster Christus Dominus Rex dicitur regum, et Dominus dominantium. » Modum deinde quo rex fias docet : « Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex namque a regendo dictus est. Si ergo et in te animus regnat et corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub jugum imperii tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frenis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te recte regere noveris. Cum ergo talis fueris effectus, digne ut rex ad audienda divina verba vocaberis. »

Vers. 4. 4. DOMINE, CUM EXIRES DE SEIR, ET TRANSIRES PER REGIONES EDOM, TERRA MOTA EST, COELIQUE AC NUBES DISTILLAVERUNT AQUIS. — Seir idem est quod Edom, puta Esau, qui habitans in Idumæa illi nomen suum indidit.

Vers. 5. 5. MONTES FLUXERUNT A FACIE DOMINI, ET SINAI A FACIE DOMINI DEI ISRAEL. — « Et Sinai. » Τὸ *et* significat, *id est*, tantum enim in Sina legimus visa fulgetra, tonitrua, pluvias, terræ motus. Vide dicta *Exodi* XIX, 18. Unde et poetica elegantia montes fluxisse dicuntur, quia mons Sina fumans, et quasi tremens ex reverentia et metu Dei ibidem legem dantis, Mosi et Hebræis videbatur quasi fugere, solvi et colliquescere. Est catachresis : eadem phrasis est *Psalm.* LXVII, vers. 8, quæ ex hoc loco sumpta est.

Alludit ad *Num.* X, 35, ubi Moses, cum movenda essent castra, orabat Dominum supra arcam in propitiatorio residentem : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui; » et *Deuter.* cap. XXXII, 2 : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. » Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, *q. d.* Quando nobiscum, o Domine, cum arca, super eam quasi solium tuum præsidens, perambulabas in deserto, cui adjacet Seir sive Edom, hoc est Idumæa, ac præsertim in monte Sina, tunc ibidem tuam Mosi et Hebræis patribus nostris præsentiam, potentiam, providentiam et magnificentiam ostendisti per procellas, tonitrua, terræ motus et fulmina, quibus Idumæos aliasque gentes vicinas ita perculisti, ut non auderent nobis resistere, eo quod cernerent te pro nobis pugnasse contra Pharaonem in mari Rubro, ac in dies pro nobis pugnare et nos protegere. Refricat Debbora pristina Dei beneficia et portenta Israeli per Mosen exhibita, ut ostendat Deum illa nunc in hac victoria portentosa renovasse, ideoque continuare suam erga Israelem curam et beneficentiam; quare dignum esse, ut ipse a se et a cœteris Israelitis omni ævo laudetur et glorificetur : ita Lyranus, Serarius et alii; Abulensis tamen, *Quæst.* II, hæc proprie ut sonant accipit, censetque illa ita prorsus ut hic dicitur contigisse, licet in Pentateucho non sint scripta. Vide dicta *Num.* XXI, vers. 14.

Vers. 6. 6. IN DIEBUS SAMGAR FILII ANATH, IN DIEBUS JAHEL

QUIEVERUNT SEMITÆ, ET QUI INGREDIUNTUR PER EAS AMBULAVERUNT CALLES DEVIOS. — *q. d.* Ante hoc bellum cum Sisara feliciter confectum, omnia itinera erant ab hostibus insessa et infesta, ideoque per obliquas, invias et occultas semitas proficisci oportebat, ne quis in eorum manus incideret. Licet enim Samgar dicatur fuisse Judex, tamen exiguo is fuit tempore, et liberationem Israelis tantum orsus est, sed eam perfecerunt Debbora et Barac hoc prælio et victoria. Unde et tempus quo præfuit Samgar sub annis Barac complectitur hic vers. ult.

Sed cur Jahel jungitur cum Samgar? Suspicantur aliqui Jahelem fuisse uxorem Samgar, qui idem sit cum Haber : unde eo mortuo Jahelem fuisse viduam et præfuisse toti domui. Samgar enim videtur fuisse Cinæus, qualis erat Jahel. Unde *Samgar* Hebraice idem est quod *advena illic*, quales erant Cinæi.

Verum hoc plane incertum est. Unde certius dicas Jahelem hic induci, eo quod primaria inter Cinæos erat femina, ad quam proinde Cinæi confluerent, sed difficulter et occulte ob vias ab hostibus insessas, ut dixi. Significat ergo Jahelem non potuisse vias securas facere et mala populi avertere, donec Debbora prophetissa instinctu Dei Barac et Hebræos, ac consequenter Jahelem ad bellum hoc, et ad occidendum Sisaram excitavit. Ita Hebræi, Serarius et alii.

Vers. 7. 7. CESSAVERUNT FORTES. — Recentiores vertunt, *cessaverunt villæ*, scilicet rusticorum, ob grassationem hostium desertæ.

DONEC SURGERET DEBBORA, SURGERET MATER IN ISRAEL. — Hinc S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, censet Debboram fuisse matrem Barac judicis. « Quem, inquit, quasi mater erudiit, quasi judex præposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetes victoriæ certa transmisit. »

Verum dico Debboram hic vocari matrem Israelis ob charitatem maternam, qua quasi mater populum tanquam prophetissa curabat, dirigebat, tutabatur et liberabat, uti mater solet facere filio.

Vers. 8. 8. NOVA BELLA ELEGIT DOMINUS. — Τὸ *bella* non est in Hebræo. Unde Septuaginta, Theodoretus, Augustinus, Cajetanus, et alii vertunt, *novos deos elegit Israel*, ideoque a Deo traditus fuit Sisaræ. Hebræum enim *Elohim* tam Deum quam Deos significat; est enim plurale. Verum hic non est locus commemorandi deos, ubi Deo vero canitur epinicium. Quare melius et aptius Noster, subaudiens *bella*, vertit, *nova bella elegit Dominus;* quia scilicet ipse per Hebræos paucos et inermes, ut sequitur, plurimas et armatissimas profligavit Sisaræ copias, et quia de cœlo pro eis pugnavit, ut dicitur vers. 20. Denique quia non per viros, sed per imbelles feminas Debboram et Jahelem bellum hoc confecit.

Debboræ typus B. Allegorice Debbora fuit typus B. Mariæ Virginis. *Primo*, quia *Debbora* Hebraice idem est quod *apis*, ita dicta a דבר *dabar*, id est, *verbum, sermo*, eo quod apis continue susurrum quasi sermonem edat, ait Marinus in *Lexico*, *q. d. Apis* est *debora*, id est, *eloquens*. Sic B. Virgo edidit nobis Verbum divinum, dum illum in visceribus suis carne humana corporavit peperitque. Rursum ipsa est Debbora, quia edidit illud canticum sanctissimum, sonantissimum, suavissimum : « Magnificat anima mea Dominum, » etc., cui Debbora hoc suo cantico prælusit. Ad hæc ipsa quasi prophetissa assidue eructabat Dei verba et oracula. Hinc licet Hebræi moderni vocent eam Deboram per simplex *b*, Septuaginta tamen et S. Hieronymus vocant eam Debboram per duplex *b*. Dicitur ergo ipsa non Debora (ut quidam volunt), sed Debbora, quasi *debbera*, id est loquens et eructans continuo magnalia Dei, quod præ illa fecit B. Virgo. Virginis. Primo.

Insuper *apis* dicitur *Debora* a דברה *dibarah* id est consuetudo, series, ordo, eo quod ipsa suos favos ordine pulcherrimo, mira arte et industria componat. Quid ordinatius B. Virgine, de qua ait Sapiens, *Prov.* cap. VIII, 23 : « Ab æterno ordinata sum? » Unde tota ejus vita fuit speculum ordinatissimæ virtutis, charitatis omnisque perfectionis, adeoque ipsa, ut ait S. Ambrosius, fuit « norma probitatis, forma virtutis. »

Secundo, apis est castissima, manensque virgo generat suas apiculas. Sic B. Maria est Virgo virginum, quæ proinde non hominem, sed Deum generare meruit. Id de ape tradit Aristoteles, lib. IX *Histor. Animal.* cap. IV, et S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.* : « Digna, ait, virginitas quæ apibus comparetur; sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur, nescit concubitus, mella componit. » Secundo.

Tertio, apis est sedula et operaria, conficitque duas res præstantissimas, ceram qua ad lumina in ecclesia ad Deum colendum utimur, et mel quod est suavissimum et sanissimum. Unde *Debbora*, id est *apis*, alludit ad דבש *debas*, id est *mel*, quod producit. Quocirca *Proverb.* VI, 6 et seq. : « Vade ad formicam, o piger, » etc. Septuaginta addunt, *vade ad apim, et disce quomodo operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit.* Vide ibi dicta. Sic B. Virgo operatur assidue opera religionis, pietatis, charitatis; unde ab Ecclesia vocatur et invocatur « mater misericordiæ, mater pulchræ dilectionis, vita, spes et dulcedo nostra. » Nam, ut ait S. Bernardus, nullus, quantumvis miser vel sceleratus, ad eam confugit, qui non dulcissima ejus misericordiæ viscera experiatur. Tertio.

Quarto, Debbora fuit prophetissa. Sic et beata Virgo Prophetarum est regina. Rursum Debbora peperit victoriam de Sisara : B. Virgo de diabolo. Unde Isaias, cap. VIII, 3 : « Accessi, ait, ad prophetissam (B. Virginem), et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus; accelera, spolia detrahe, festina prædari. » Quarto.

Quinto, Debbora jussit Barac ire in montem Thabor, id est puritatis, ibique confligendo pros- Quinto.

travit Sisaræ copias; sic B. Virgo genuit Christum, qui quasi Barac, id est, fulmen in eodem monte Thabor transfiguratus devicit impietatem et impuritatem, hominesque docuit non carnales et spurcas, sed puras et cœlestes voluptates ambire.

Sexto. *Sexto*, Barac noluit ire ad conflictum nisi comite, imo duce Debbora. Unde S. Alcimus, lib. VI, cap. XV, ait ipsam castra præivisse; sic enim de ea canit :

Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros : quos ipsa ferocem
Exemplo verboque monens accendit in hostem.
Quas postquam ducens Princeps animosa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus.

Sic B. Virgo quasi Virginum, Apostolorum, Martyrum Sanctorumque omnium antesignana omnes præit, verboque et exemplo hortatur ad generose cum carne, mundo et dæmone certandum. Quare illa longe præstantior est *Victorina*, sive *Victoria*, quæ olim mater castrorum dicebatur, ut ait Trebellius Pollio, lib. *De triginta Tyrannis*. Hæc sunt nova bella quæ elegit Dominus.

Septimo. *Septimo*, Debbora fuit missa ad curandum legis Doctores, uti ex Chaldæo audiemus vers. 9. Sic B. Virgo est patrona, imo doctrix Apostolorum et Doctorum omnium.

PORTAS HOSTIUM IPSE SUBVERTIT. — « Portas, » id est, omne robur, hoc enim solet esse in portis. Hebraice est אז לחם שערים *az lacham scearim*, id est, *tunc comedit* vèl *devoravit*. Septuaginta vertunt, *tunc pugnaverunt civitates Principum*, quia *lacham* significat devorare et pugnare; sicut enim os devorat panem, sic gladius devorat hominem. Rursum Septuaginta τὸ *scearim* acceperunt, ut τὸ *sce* sit relativum significans, *qui*, deinde *arim* significet urbes, *q. d. pugnarunt qui erant urbium*, scilicet Principes. Porro S. Augustinus, *Quæst.* XXX, et Theodoretus ex alia versione Septuaginta legunt, *elegerunt deos novos ut panem hordeaceum*, id est deteriorem; hordeum enim deterius est tritico : sic Dii novi deteriores sunt Deo vero; quia *lachem* quoque est nomen significans panem, et si pro *scearim* aliis punctis legas *seorim*, significat hordeum. Unde *lachem seorim* significat *panem hordei* sive hordeaceum.

CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL. « Si » id est *non*, *q. d.* Non erant in quadraginta millibus, id est in universo (numerus enim certus ponitur pro incerto) exercitu Israel clypei et hastæ, sed fundis, fustibus, vomeribus (ut Samgar), ligonibus armati, cæterique inermes Israelitæ, hostes armatissimos Deo duce profligarunt. Nimirum Chananæi æque ac Philisthæi astute eripuerant Hebræorum arma, imo curabant ut non esset faber ferrarius in Israel qui ea fabricare posset, ut patet I *Reg.* XIII, 19. Porro Septuaginta hic uti et in seqq., variant et sunt corrupti; habent enim contrarium delendo τὸ *si*, sed illud restituerunt Romani in correct. Septuaginta.

9. COR MEUM DILIGIT PRINCIPES (Hebraice חוקקי *chokeke*, id est Principes, Legislatores, Doctores, Scribas) ISRAEL (quia eum regunt docentque legem Dei, præsertim eos qui, ut sequitur), PROPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS DISCRIMINI (ideoque jam triumphantes), BENEDICITE DOMINO. — Disce hic pro Deo nullum detrectare periculum, cum ipse ad illud vocat : nam, ut ait S. Leo, « juste instat præcepto, qui prævenit auxilio; » tunc enim Deus tacite spondet felicem exitum et victoriam, si periculum ultro et generose capessamus. Porro Chaldæus more suo paraphrastice hæc accipit de Doctoribus et Scribis : « Dixit, ait, Debbora in prophetia : Ego missa sum ad laudandum Scribas Israel, qui, quando fuit tribulatio illa, non cessarunt ab interpretanda lege, et sic pulchrum illis, quod sedentes in domo congregationis in capite aperto, et docentes populum verba legis, et benedicentes et confitentes populum. » Vers. 9.

10. QUI ASCENDITIS SUPER NITENTES ASINOS, ET SEDETIS IN JUDICIO, ET AMBULATIS IN VIA, LOQUIMINI. — Est periphrasis virorum honoratorum, et magistratuum et judicum. Hi enim apud Judæos vehebantur asinis vice equorum, ut patet cap. X, vers. 4, tum quia Deus eis vetuerat copiam equorum, tum quia asini ibidem sunt fortes, eximii et *nitentes*, Hebraice צחרורת *tsechorot*, ἐπιλάμπινων, id est *fulgentes*. Sensus est, *q. d.* Vos, o primores et judices, æque ac plebeii, qui per vias Israelis olim periculosas, nunc securas inceditis, loquimini magnalia Dei, quæ ipse nobis exhibuit in hoc prælio. Vers. 10.

Tropologice Origenes, ascendit super asinam, qui corporis sui motus et desideria freno rationis moderatur, ut veniant sub jugum verbi Dei; tuncque asina, id est, caro refulgere dicitur, cum castitatis et pudicitiæ splendore fuerit decorata.

11. UBI COLLISI SUNT CURRUS (nongenti falcati Sisaræ), ET HOSTIUM SUFFOCATUS EST EXERCITUS (in torrente Cison. Clare vertit Interpres Hebræa quæ obscura sunt, et ad verbum sic habent, *a voce sagittantium inter haurientes aquas*, cum scilicet Sisariani sagittarii præcipitati in aquas Cison eas hauserunt et ab eis hausti suffocatique sunt. Ita Arias, Cajetanus, Vatablus et alii), IBI NARRANTUR JUSTITIÆ (id est, justa vindicta, quam Deus sumpsit de tyranno Sisara) ET CLEMENTIA IN FORTES ISRAEL. — Quibus victoriam de eo dedit. Vers. 11.

TUNC DESCENDIT POPULUS DOMINI AD PORTAS, ET OBTINUIT PRINCIPATUM, — quasi dicas : Quando occisus est Sisara, Israel obtinuit portas et urbes hostium.

12. SURGE. — Hebraice עורי *uri*, id est, expergiscere, evigila, Barac, et apprehende captivos quos in prælio cepisti, eosque et eorum spolia diripe, et inter commilitones distribue. Tu, inquam, o Barac. Vers. 12.

FILI ABINOEM. — *Abinoem*, Hebraice idem est quod *pater decoris* vel *pulchritudinis*, aut *pater meus pulchritudo vel decor*, aut *pater meus delectatio vel jucunditas*. *Noam* enim est decor, pulchritudo, delectatio, jucunditas. Hujus ergo filius fuit victor et triumphator Barac.

Vers. 13. 13. SALVATÆ SUNT RELIQUIÆ POPULI. DOMINUS IN FORTIBUS (cum fortibus, vel fortes Israelitas) DIMICAVIT. — Hebræa nervosius ad verbum sic habent, *tunc dominabitur reliquus*, vel *residuus illustribus populi, Dominus dominabitur mihi in fortibus*.

Vers. 14. 14. EX EPHRAIM DELEVIT EOS IN AMALEC, ET POST EUM EX BENJAMIN IN POPULOS TUOS, O AMALEC. — Hebraice, *de Ephraim radix eorum in Amalec post te Benjamin in populis tuis*. Sed Noster melius pro שרשם *schorescam*, id est *radix eorum*, quæ nullum hic habet sensum, alio puncto legit *scerescem*, id est *eradicavit*, sive *delevit eos*. Nam et Septuaginta vertunt ἐξερίζωσεν, id est *eradicavit*. Rursum Noster subaudit τὸ *o Amalech*, ex eo quod præcessit ac pro אחריך *acharecha*, id est *post te*; legit אחריו *acharau*, id est *post eum*.

Sensus hic est difficilis et obscurus ob historiæ tum peractæ ignorantiam, ac ob phrasis et styli poetici involutam obscuritatem.

Primo, communiter exponunt de bello, quo Josue prostravit Amalec, *Exodi* XVII, *q. d.* Josue qui erat ex tribu Ephraim prostravit Amalecitas, et futuro tempore surget alius dux ex tribu Benjamin, puta Saul, qui amplius populos tuos affliget, o Amalec. Vide historiam I *Reg.* XV. Ita Chaldæus, Rabbini, Hugo de S. Victore, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Arias, Vatablus et alii. Verum quid Josue facit ad Barac, et Amalec ad Sisaram, de quo hic epinicium canitur?

Secundo, ergo magis apposite, *q. d.* Barac cum suis fugientes Sisaræ copias ex monte Thabor, persecutus est usque ad tribum Ephraim, et ei vicinam Benjamin; quare id videntes Ephraimitæ, et post eos Benjaminitæ, junxerunt se Barac, et Sisarianos cum eo persecuti sunt usque ad ultimos Judææ fines, imo usque ad Amalec illis contiguum, itaque plane omnes ceciderunt et deleverunt, ut nemo superesset.

Tertio et plane, *q. d.* Amalecitæ quasi veteres Judæorum hostes, audientes Sisaram tantis copiis Judæos invadere, decreverunt ei mittere suppetias; quod intelligentes Ephraimitæ, et Benjaminitæ eis vicini, eos invaserunt et trucidarunt. Hoc exigere videtur τὸ *in Amalec*, et τὸ *in populos tuos, o Amalec*.

Porro Septuaginta hic variant: Complutensia enim et Regii Codices habent, *ex Ephraim ulti sunt eos in valle* (pro *Amalec* enim videntur legisse עמק *emec*, id est, *valle*) *frater tuus* (pro אחריך *acharecha*, id est, *post te*, legerunt אחיך *achicha*, id est, *frater tuus*) *Benjamin in populis tuis*. Verum Codices Romæ emendati habent ut Vulgatus: *Ex Ephraim eradicavit eos in Amalec, post te Benjamin in populis tuis*.

DE MACHIR PRINCIPES DESCENDERUNT. — Machir fuit filius unicus Manasse. Sensus ergo est, *q. d.* Manassensium priores cum suis popularibus vicini monti Thabor, audientes in eo a sociis confligi contra Sisaram, accurrerunt, eisque opem tulerunt. Laudat enim hic Manassenses, Zabulonitas et Issacharianos, quod Nephtalitis opem contra Sisaram animose tulerint, cum id Rubenitæ, Galaditæ et Gaditæ sibi metuentes facere detrectarent, quos proinde carpit et perstringit.

Septuaginta pro *principes* vertunt, *perscrutantes*, quod Procopius sic explicat, *q. d.* Manassenses fugientes Sisarianos, seseque in speluncis et cavernis abscondentes perscrutati sunt, eosque extraxerunt et mactarunt.

ET DE ZABULON (repete, *principes descenderunt*) QUI EXERCITUM DUCERENT AD BELLANDUM — cum Barac contra Sisaram. Septuaginta vertunt, *et de Zabulon potentes in sceptro scribas*, Hebræa *trahentes in virga* vel *sceptro*, per quos significantur magistratus, primores et principes. Alii intelligunt Scribas et Doctores, quasi tantus fuerit fervor concurrentium ad bellum, ut etiam Doctores suos calamos et stylos scriptorios in arma et gladios commutarint, et ad prælium descenderint.

15. DUCES ISSACHAR FUERE CUM DEBBORA, ET BARAC VESTIGIA SUNT SECUTI. — Laudantur Issachariani, quod cum Barac et Debbora aleam prælii tam ardui et formidolosi generose subierint. Vers. 15.

QUI (Barac) QUASI IN PRÆCEPS AC BARATHRUM SE DISCRIMINI DEDIT. — Videbatur enim cum paucis et inermibus ruere in innumeras et armatissimas Sisaræ copias, quasi in certum exitium, sed Deus ejus fidem et fortitudinem remuneratus, exitium vertit in triumphum. Hebraice, *in vallem missus cum fortibus suis*; Septuaginta, *in valle misit peditis suos, q. d.* Barac dans se suosque prælii periculo, se cum eis videbatur præcipitare in vallem, et profundam exitii sepulcrique fossam.

DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO. — Hebraice, *in divisionibus Ruben magnorum* vel *magnæ cogitationes cordis*; Vatablus, *discrepationes cordis*. Videtur laudari Ruben, ait Serarius, quod gregum bonorumque suorum omissa cura, bello interfuerit. Verum alii passim censent vituperari hic Rubenitas, quod studiis propriis et commodis vacantes inter se divisi fuerint; nec consentientes in illo bello, sed inter ovium suarum balatus et caulas desidere maluerint: vel quod belli eventum exspectarint, ut, si vinceret Sisara, ei dicerent: Tui sumus; sin vinceret Barac, ei se jungerent, ait Chaldæus. Sensus ergo est, *q. d.* Cum Rubenitæ inter se disceptant an bello Barac socios se jungere velint, an vero domi se continere, ac proinde nullas Baraco suppetias mittunt magnanimi illi milites, qui se Baraco ad discrimen socios obtulerunt, id videntes mirati sunt, ac inter se disceptarunt, dixeruntque: Cur Rubenitæ domi se continent? cur nobis auxiliares copias non mittunt? cur periculum commune, quod

nos subimus, ipsi detrectant? Id magis patebit ex versu sequenti, *q. d.* Rubenitæ ob suam desidiam facti sunt fabula et probrum Nephtalitis militibus et victoribus.

Vers. 16. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS, UT AUDIAS SIBILOS GREGUM?—*q. d.* Cur, o Ruben, habitas et desides in terra tua, quæ sita est inter duos terminos, id est inter Moab et Chanaan cis Jordanem? vel potius, ut Chaldæus : Quare, o Ruben, tam mecum quam cum Sisara pacem habere voluisti, ac ut vulgo dicitur, cur inter duas aquas natas, ut audias sibilos gregum, *q. d.* Mavis greges tuos pascere, eorumque balatus et pastorum sibilos audire, quam buccinæ meæ sonitum : mavis quietem prædii, quam laborem et discrimen prælii. Culpat ergo eorum inertiam, timorem et pusillanimitatem, quod maluerint vacare rusticationi quam præliationi.

DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO, — jam explicata vers. 15. Repetitur hoc hemistichium velut carmen intercalare, ad elegantiam, mutata una duntaxat littera; nam vers. 15, habetur חקקי לב *chicke leb,* id est cogitationes, vel disceptationes cordis; hic vero dicitur חקרי לב *chicre leb,* id est investigationes vel perscrutationes cordis. Sed eodem redit sensus.

Vers. 17. 17. GALAAD TRANS JORDANEM QUIESCEBAT, ET DAN VACABAT NAVIBUS, ASER HABITABAT IN LITTORE MARIS. — Taxantur Galaaditæ, Danitæ et Aseritæ, quod sua privata commoda sectantes in terra sua desidere maluerint, in eaque quiete vacare agriculturæ, navigationi et mercimoniis, quam commune belli periculum pro patria contra Sisaram subire; ignavia enim hæc erat non ferenda.

Vers. 18. 18. ZABULON VERO ET NEPHTALI OBTULERUNT ANIMAS (vitas) SUAS MORTI (mortis periculo) IN REGIONE MEROME, — quæ adjacet monti Thabor, ubi commissum est prælium contra Sisaram. Ita Adrichomius. Septuaginta appellative accipiunt τὸ *Merome,* vertuntque *super altitudines agri* : quia scilicet in alta lataque planitie montis Thabor gestum est hoc bellum.

Vers. 19. 19. VENERUNT REGES (reguli et principes confœderati Sisaræ et Jabin regi Asor) ET PUGNAVERUNT : PUGNAVERUNT REGES CHANAAN IN THANACH JUXTA AQUAS MAGEDDO. — Hæc enim loca vicina sunt Thabor, sive loco prælii.

Vers. 20. 20. DE COELO DIMICATUM EST CONTRA EOS : STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT. — Rupertus, Glossa, Vatablus et alii per stellas accipiunt Angelos, quasi hæc poetice dicantur, nilque aliud significent, quam quod Deo et Angelis pro Hebræis pugnante etiam stellæ Deo obedientes et lucentes cum eo et pro eo pugnasse videantur. Sic et Franciscus Valesius, *Sacræ Philos.* cap. XXXI, per stellas accipit Angelos, quorum cursus dicitur assidua illa et continens operatio, qua homines custodiunt et gubernant. Sic *Apocal.* XII, 4, dicitur draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum, id est Angelorum, et misisse eas in terram. Planius accipias ipsas stellas, sed a suis Angelis motas, impulsas et directas. Sensus est, *q. d.* Stellæ e cœlis pro Hebræis contra Sisarianos pugnaverunt, ejaculando in eos grandinem, ventos, procellas, fulgetra, tonitrua, ignes, et stellas cadentes, quæ eos perculerunt et interemerunt, uti contigit Josue contra Chananæos pugnanti, cap. X, vers. 11. Angeli enim per stellas in nubes per se congregatas et rite dispositas more suo influentes, causarunt procellas et fulmina, quæ Angeli ita direxerunt, ut non in Hebræos, sed in Sisarianos ferrentur. Philo Biblicus ait Deum, orante Debbora, præcepisse astris : « Descendite, astra, et incendite inimicos meos, ut sciant virtutem meam. Et descenderunt astra, et expugnaverunt castra eorum. » Et anterius : « Cum, ait, Debbora et Barac iverunt ad præliandum cum hostibus, Deus conturbavit motum stellarum suarum, et dixit ad eas : Festinate et ite, et conturbate brachia hostium, et conterite virtutem cordis eorum, quoniam veni ut dominetur populus meus : et profecta sunt astra sicut præceptum erat eis, et incenderunt inimicos eorum. » Intellige astra non descendisse de cœlo motu locali, sed virtute et efficientia sua, quia scilicet e cœlis ignes et fulgura vibrarunt in Sisarianos.

Pulchre hic alludit nomen Ducis. Barac enim Hebraice fulgur significat : fulmineo ergo Barac Deus fulminans subministrabat sua fulmina. Sic Mars a Poetis dicitur fulminare, et Ptolomæus vocatus est Ceraunus, id est fulmineus. Consentit Josephus, lib. V, cap. VI : « Commissa, ait, pugna vehemens imber mixtus grandine supervenit, quem ventus in adversos Chananæorum vultus inferens, et prospectum adimens, inutiles eorum jaculatores et funditores reddidit, atque etiam scrutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix retinebant. »

Sic de Clodoveo multa reperies similia apud Gregorium Turonicum, lib. II *Histor. Franc.* XXX. Honorii exercitum divino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse scribit S. Augustinus, lib. V *De Civitate Dei,* cap. XXIII. Ariulphum ducem S. Sabinus martyr prope Spoletum suo clypeo munivit et in bello protexit, ait Paulus Diaconus, lib. IV, cap. XVII. Robertus monachus, lib. VI et VII *De Bello sacro,* refert sæpe S. Gregorium, Mauritium et Demetrium visos sub nostris castris militasse. S. Georgius Aragonensibus in bello Ostensi maximum Agarenorum exercitum prostravit, ut narrat Carbonellus, lib. I, et in bello Valentino sæpe nostris auxilium tulit. S. Jacobus Apostolus Hispaniarum patronus Ramiro regi Legionis, prope victo atque prostrato ejus exercitu, in colle, qui Clailinus nominatur, Hispanice *clavijo,* apparuit, et victoriam pollicitus est, quam postero die a Mauris obtinuit, ut constat ex Regio privilegio ejusdem Ramiri, 9 Kalendarum junii, era 972; et refert Calixtus II, lib. *De Mira-*

culis D. Jacobi, et Vincentius Bellovacensis, lib. XXVII *Speculi historialis*, cap. XXXI. Plura vide apud Thomam Bozium, tom. II *De Signis Ecclesiæ*, lib. XVII, signo 79.

Stellæ pugnant pro Israele. Primo. STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT, — *q. d.* Stellæ, quæ imperante Josue cum sole et luna steterunt immotæ, ut ad exitum Israelitarum victoria perduceretur, nunc juverunt Barac cursu non intermisso.

At quomodo pugnaverunt contra Sisaram? Respondet Rabbi Salomon, stellas de cœlo incanduisse, lutumque itinerum ita calefecisse, ut ungulæ equorum Sisaræ nimio calore deciderent solutæ, quo ille incommodo affectus pugnare haud potuit.

Secundo. *Secundo*, Rabbi David Kimchi ait stellas ita calefecisse milites Sisaræ, ut cum refrigerari vellent in torrente Cison, in eo perierint; quod significari putat illis verbis : « Torrens Cison traxit cadavera eorum. »

Tertio. *Tertio*, Abulensis putat stellas manentes in ordine suo propterea dici contra Sisaram pugnare, quia forte sidera videbantur inflammata cadere super Sisaræ exercitum, cometis nimirum et fulguribus in eum jactatis. Sic enim et currus turbati in prærupta ferebantur, et militibus de cœlo tactis mors Chananæorum oculis oberrabat. Hebræis nullo interim læsis detrimento.

Quarto. *Quarto*, plene et germane, *q. d.* « Stellæ manentes in ordine suo, » Hebraice *in semitis suis*; Vatablus, *e stationibus suis*, hoc est ordinata acie incedentes pugnaverunt contra Sisaram, quia in eum ejusque castra jaculatæ sunt ventos, procellas, fulgetra, quibus ea afflarunt et prostrarunt. Tὸ ergo *manentes in ordine et cursu suo*, significat *primo*, stellas ordinate more suo incessisse, uti incedit acies militum. Nam in Scriptura stellæ vocantur militia sive acies Dei : in acie autem maxime spectatur ordo militum; hic enim, si servatur, vincit; si turbetur, vincitur. *Secundo*, stellas non cominus, sed eminus e cœlo pugnasse contra Sisaram. *Tertio*, Angelos qui ordinem et cursum stellarum moderantur, per eas contra Sisaram certasse. *Quarto*, solem et stellas hic non constitisse, uti constiterunt sub Josue, Soli stationem imperante, cap. X, vers. 12, sed motum suum ordinarium continuasse, itaque produxisse procellas et fulmina, eaque in Sisarianos vibrasse. Ita Lyranus, Cajetanus et alii. *Quinto*, stellas e suis stationibus in cœlo facile perdidisse Sisarianos in terra, quia ex alto facile est perdere hostem infra in valle consistentem. Facilius enim, fortius et certius tela ex alto in imum, quam ex imo in altum jaciuntur. Unde duces prælaturi solent captare locum excelsum, illudque est omen et causa victoriæ : tum quia hostis ex imo in eum magno nisu scandere debet, itaque vires exhaurit, antequam cum antagonistis suis, qui quieti integris sunt viribus, confligat; tum quia efficacius tela ex monte in vallem, quam ex valle in montem vibrantur; tum denique quia ex alto omnes hostium acies, vires, machinationes, etc., conspiciuntur, ut eis occurratur. Addunt Rabbini in *Seder Olam* : « Omnia quæ in cœlis, et quæ in terris sint, pugnasse contra Sisaram, » pro Barac et Hebræis.

Vers. 21. 21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM. — Pro *traxit* Hebraice est גרף *garaph*, id est *volvit, devolvit, convolvit, volutavit;* Septuaginta, *ejecit;* Chaldæus, *fregit;* Vatablus, *scopavit*, id est, instar scopæ everrit. Torrens Cison fluit ad radices montis Thabor, ubi contritus est Sisara : quare milites ejus fugientes per torrentem Cison, eo per Dei providentiam aquis reduntante et tumido hausti mersique sunt, quare torrens devolvit eorum cadavera. Unde Josephus ait Deum tunc ingentem immisisse imbrem, quo utique auctus valde intumuit torrens Cison. Festive R. Eliezer, cap. XLII, narrat voluisse Deum, ut in mari Rubro submersi Ægypti sepelirentur, sed deprecatam hoc terram, quod qui ab aquis interempti essent, ab aquis etiam absorberi deberent; Deum vero dixisse : « O terra, hac vice suscipe istos; alia vice eos qui super te interfecti fuerint projiciam in mare. Dicitur enim : Torrens Cison traxit cadavera eorum. » Ethopœia est Rabbinica, qua significatur omnes res etiam inanimas Deo ad nutum morem gerere, omnesque ab illo suaviter et ipsarum naturis convenienter gubernari. Ita Serarius.

Cadumim quid? Respondeo primo. TORRENS CADUMIM, TORRENS CISON. — Torrens Cadumim idem est cum torrente Cison, ut habet Chaldæus. *Ipse*, inquit, *est torrens Cison;* sed cur dictus est « Cadumim? » *Primo*, Septuaginta in Codice Romano pro *torrens Cadumim*, vertunt, *torrens antiquitatum* : קדם *kedem* enim significat antiquum, priscum, primum, quod Marinus simpliciter explicat, *q. d.* Cison est torrens antiquus; licet enim sit torrens, tamen ab antiquo fluit, nec fluere cessat, ut alii torrentes sæpe siccantur in æstate, et fluere desinunt. Sublimius Chaldæus sic explicat : *Fluvius in quo facta sunt signa et fortitudines Israel ab antiquo;* R. Ralbag vero : Dicitur Cison, inquit, Cadumim, id est, antiquus, quod in eo renovatum sit antiquum prodigium maris Rubri; quia sicut Deus illo mersit Pharaonem, sic in Cison mersit copias Sisaræ. Sic et Rupertus, qui censet Cadumim esse mare Rubrum, itaque vocari ob antiquum mersi in eo Pharaonis prodigium.

Optime Arias et Vatablus sic explicant, *q. d.* Ab antiquo, ab olim, ab initio torrens Cison a Deo factus et ordinatus est ad hoc, ut in eo pugnante Barac mergerentur Sisariani.

Secundo. *Secundo*, Serarius torrentem *Cadumim* vertit, *torrentem Orientalium* : *kedem* enim Orientem quoque significat. Torrens enim Cison labitur partim versus mare Mediterraneum, quod est ad Occidentem; partim in mare Galilææ, quod est ad

Orientem : quare *Cadumim* hic notare partem hanc Orientalem torrentis, qua mersi fuere Chananæi.

Tertio. *Tertio*, alii *Cadumim*, quod est participium passivum, proprie vertunt *præventorum, præoccupatorum;* ubi scilicet Sisariani ex inopinato aquis præventi et suffocati: קדם *kadem* enim significat prævenire, præoccupare. Omnes hæ expositiones probabiles sunt conjecturæ; nil enim certi hic statui potest. Unde S. Hieronymus in *Locis Hebraicis* : « Cadomi, ait, torrens, juxta quem Debbora bellum gessit.» Addit Adrichomius rivulum quemdam procedentem ex torrente Cison vocari *Cadumim*, sed an ab urbe quapiam ita dictus sit, an aliunde, non explicat.

Allegorice B. Petrus Damianus, *serm.* 40, qui est de S. Cassiano martyre, totum hoc prælium applicans Ecclesiæ, per torrentem Cison accipit Baptismum. « Nam cum catechumenus, inquit, lavacro sacri fontis immergitur, tanquam Sisara cum suo exercitu, sic nequissimus spiritus cum his quæ sibi militant vitiis omnibus necesse est perimatur. »

Porro hujus victoriæ, utpote illustris et cœlestis, subinde fit mentio in Scriptura, ut *Psalm.* LXXXII, 10 : « Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison, » id est, perde nostros hostes, sicut perdidisti Madianitas per Gedeonem, ac copias Sisaræ ducis et Jabin regis in torrente Cison. Nec enim ipse Sisara periit in Cison, utpote occisus a Jahel, multo minus eo periit Jabin rex, qui prælio non interfuit. Rursum, Elias sacerdotes Baal jussit occidi ad torrentem Cison, III *Reg.* XVIII, 40, idque apposite, ut scilicet ubi Sisariani gentiles mersi fuerant, ibi et Baalitæ idololatræ mergerentur. Hinc *Cison* Hebraice idem est quod *duritia*, vel *induratus*, vel *stipula;* torrens enim hic eos quasi stipulas dure abripuit, eo quod ipsi in suo scelere et idololatria essent obdurati.

CONCULCA, ANIMA MEA, ROBUSTOS. — Poetice hoc ait Debbora, *q. d.* Gaude, exulta, triumpha, o anima mea, quia Deus Sisarianos quantumlibet armatos et robustos cecidit, tibique calcandos subjecit.

Aliqui vertunt, *Calcabas, anima mea, fortiter, q. d.* Torrentem qui mersit Sisarianos, tu, o Debbora, forti siccoque pede calcasti, sicut mare Rubrum quod hausit Pharaonem se dividens, siccum dedit alveum et transitum Hebræis. Favent Septuaginta et Romani qui habent, *conculcavit eum* (torrentem Cison) *anima mea potens.* Ita Serarius. Quod si verum est, novum est et prodigiosum miraculum. Verum Complut. Regii et alii pro *eum* habent *eos*, scilicet milites Sisaræ. Unde et Chaldæus vertit, *ibi conculcavit anima mea occisos eorum in robore.*

Alio prorsus abit Cajetanus, qui vertit : *Anima mea*, id est, populi mei, *diriget fortitudinem*, hoc est in Deo fortitudinem suam locabit.

22. UNGULÆ EQUORUM CECIDERUNT FUGIENTIBUS IMPETU, ET PER PRÆCEPS RUENTIBUS FORTISSIMIS HOSTIUM. — Solent enim ungulæ in vehementi cursu, ex collisione ad saxa, equis ex pedibus excidere. Significatur ergo hac phrasi ingens hostium pavor, indeque impetus in fuga, Septuaginta, Romani vertunt, *quando impediti sunt calcanei equi, festinatione festinaverunt.* Complutensia vero et Regii habent, *tunc abscissa sunt crura equorum hinnitibus potentium illius.* Vers. 22

FORTES EJUS. — Aquila, inquit Procopius, hebraice מדהררת *midaroth, exposuit Deus irruentium, hoc est ungulæ equorum in acie agillimorum inutiles factæ sunt.* Chaldaice, *tunc eductæ sunt ungulæ equorum a fremitu.*

23. MALEDICITE TERRÆ MEROZ, DIXIT ANGELUS DOMINI. — Quæ sit terra « Meroz,» ignoratur. Probabiliter Pagninus in *Nom. Hebr.*, opinatur *Meroz* esse *Merom*, tum quia litteræ pene sunt eædem, tum quia *Josue* cap. XI, vers. 7; ante annos 120 ibi cecidit Jabim regem Azor, antecessorem hujus Jabin, cujus dux Sisara cæsus fuit a Barac. Porro *Merom*, inquit Adrichomius ex S. Hieronymo, lacus est triginta stadiis latus et sexaginta longus, qui inter Cæsaream Philippi et mare Galilææ quasi in medio situs est, quem Jordanis fluvius medius perfluit. Qui quidem lacus tempore resolutionis nivium a Libano monte defluentium valde accrescit ac dilatatur, ac æstivo tempore ex majori parte exsiccatur. Quo fit ut diversi generis herbæ, arbusta et arbores in sylvam eo loci accrescant, quæ leonibus, ursis, pardis, aliisque feris maxime abundat, ac regibus principibusque viris gratam et jucundam præbet venationem. Vers. 23

Maledicuntur ergo hic præ cæteris accolæ lacus Merom, quod suppetias non tulerint Nephtalitis contra Sisaram, sed potius occulte faverint Sisaræ, ideoque per terram *Merom*, id est, excelsa, hic vocatur *Meroz*, id est secretum, quod secreta contra Hebræos cum Sisara consilia agitarint; alioqui enim ob negatas suppetias duntaxat non eis malediceret Angelus, cum easdem negarint Rubenitæ, Danitæ, Aseritæ, vers. 16, 17, quibus tamen idcirco non maledicit : quocirca maledicit terræ *Merom*, ut fiat terra *Meroz*, id est, macilenta et sterilis (רש *ras* enim maciem significat), utque hoc ipsa voce innuat pro *Merom*, id est, celsitudo vocat eam *Meroz*, id est, maciem et sterilitatem, quam hac maledictione ei induxit, sicut David eamdem imprecatus est montibus Gelboe, ob cæsum in iis Saulem et Jonatham, II *Reg.* cap. I, 21. Unde Septuaginta hic vertunt : *Maledictus omnis inhabitans eam.*

DIXIT ANGELUS DOMINI. — Quæres, quis hic Angelus? *Primo*, Chaldæus censet esse Barac, qui dicitur Angelus, quod a Deo sit missus ad parandam Israeli de Sisara victoriam. *Secundo*, Procopius censet esse Pontificem. Sacerdos enim, præsertim summus, Angelus Domini exercituum est,

ut ait Malachias, cap. II. *Tertio,* Cajetanus censet esse Debboram. *Quarto,* plane et genuine Abulensis censet fuisse verum Angelum, scilicet Michaelem, qui bello huic præfuit tanquam Israelis princeps ac protector, *Daniel.* X. Sic et Rupertus. Arias vero censet fuisse Angelum, qui hoc canticum Debboræ suggessit et dictavit : sed hunc verisimile est fuisse eumdem qui bello præfuit, puta S. Michaelem.

QUIA NON VENERUNT IN AUXILIUM DOMINI, — per suos fideles Hebræos pugnantis contra impios Chananæos. Unde explicans subdit : « In adjutorium fortissimorum ejus, » militum Hebræorum. Septuaginta in Codice Regio habent : *Quia non venerunt in auxilium, Dominus auxiliator noster, Dominus in pugnatoribus potens.*

Vers. 24. 24. BENEDICTA INTER MULIERES JAHEL. — Hebraice מִנָּשִׁים *minuascim,* id est, *ex mulieribus,* vel *præ mulieribus Jahel.* Hinc Gabriel Archangelus sumpsit suam salutationem, qua B. Virginem salutavit, *Lucæ* I, dicens : « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. » Jahel enim fuit typus B. Virginis, uti dixi cap. IV, 28.

Vers. 25. 25. AQUAM PETENTI (Sisaræ) LAC DEDIT (ad eum somno consopiendum, ut dormientem occideret), ET IN PHIALA PRINCIPUM (hoc est in phiala præclara et præstanti, ex quali bibere solent principes, uti erat Sisara), OBTULIT BUTYRUM, — hoc est lac pingue et spissum; ex hac enim lactis pinguedine agitata coagulatur et fit butyrum. Nec enim Jahel butyrum, sed lac dedit sitienti, potumque petenti Sisaræ. Est catachresis.

Vers. 26. 26. SINISTRAM MANUM MISIT AD CLAVUM, — quasi ad instrumentum in tabernaculo suo obvium. Videtur hic clavus fuisse ferreus; hic enim acutior est, faciliusque incutitur et penetrat usque ad terram. Aliqui tamen censent clavum fuisse ligneum, ut fuerit typus crucis Christi, quæ fuit ex ligno. Verum aptius clavus hic fuit typus, imo idæa clavorum ferreorum, quibus Christus fixus in cruce in eadem confixit Sisaram, id est diabolum, omnes ei vires adimendo, ut superius dixi ex Origene. Audi Rupertum hic, cap. VII : « Clavus tabernaculi ipsum est stigma passionis Christi. Clavum tulit, quæ jussa mortificare membra sua super terram, crucem suam bajulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Hoc tunc valide fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria assumitur Dei afflictio carnis; non, inquam, in ambitione auræ popularis, sed in timore Domini. Idcirco Psalmista postulat : Confige timore tuo carnes meas, » *Psal.* CXVIII.

Vers. 27. 27. VOLVEBATUR ANTE PEDES EJUS, — non capite, utpote Jahel clavo jam terræ affixerat, sed motitando et agitando pedes et latera, cum expiraret Sisara. Ita Abulensis.

Vers. 28. 28. ULULABAT MATER EJUS, — Sisaræ. Vatablus : *ejulabat,* scilicet, quod Sisara filius more suo ad se triumphans et spoliis onustus non reverteretur. Unde ex hac ejus mora et tarditate suspicans quid sinistri ei contigisse, auguransque ejus sædem (hanc enim ei mens pavida præsagiebat) lamentabatur. Poetice hic inducitur matris lamentum, uti fit in tragœdia, ut tragicus Sisaræ interitus melius repræsentetur.

Vers. 29. 29. UNA SAPIENTIOR CÆTERIS UXORIBUS EJUS (scilicet Sisaræ) HÆC SOCRUI (matri Sisaræ ejulanti quod Sisara non rediret) VERBA RESPONDIT, — ut ejus dolorem leniret, et suspicionem sinistram in opinionem meliorem converteret, quod scilicet spolia hostium ampla diriperet, ideoque redire tardaret.

Vers. 31. 31. SIC PEREANT OMNES INIMICI TUI, DOMINE, — uti periit Sisara impius cum omnibus suis, licet plurimis et fortissimis.

QUI AUTEM DILIGUNT TE, SICUT SOL IN ORTU SUO SPLENDET, ITA RUTILENT. — Sol oriens spargit jubar suum aureum, splendoremque suum pulcherrimum et gratissimum, qui sensim usque ad meridiem crescit, et pulchrior fit ac robustior. Sic pariter Israelitæ cæterique diligentes te, o Domine, omni decore, gratia, robore, lætitia, viribus, prosperitate, victoria, felicitate et triumpho resplendeant, iisque semper te benedicente increscant et proficiant, ut nemo eis ausit vel possit resistere, donec iisdem donis plane impleantur et abundent, quod fiet in cœlo cum videbunt Deum deorum in Sion, ac ejus gloriam, omneque bonum participabunt, juxta illud *Proverb.* IV : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Vide ibi dicta.

Pro *in ortu suo,* Hebraice est בִּגְבוּרָתוֹ *bigburatho,* id est, *in virilitate sua,* hoc est *in fortitudine sua.* Ita Chaldæus : *Misericordiæ,* inquit, *ejus* (Dei) *splendescent, sicut exire solet sol in fortitudine sua.* Septuaginta, ἐν δυναστείᾳ αὐτοῦ, id est, *in potentatu suo,* cum scilicet sol claro mane exoriens appareat auricomus, ac fortiter suos splendoris radios longe lateque totis quasi viribus ejaculatur, iisque omnes tenebras dispellit, omniaque suis fulgoribus superat et collustrat, ut nil ei obsistere valeat. Hoc est quod ait Malachias, cap. IV, vers. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. » Et *Sapient.* III, 7 : « Fulgebunt justi sicut sol. » Et *Eccli.* cap. XXVII, 12 : « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. » Vide quæ illis locis annotavi, æque ac *Isaiæ* XLV, 1, ad illa : « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. » Cyrus enim Persice idem est quod sol.

Vers. 32. 32. QUIEVITQUE TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS. — Sub his quadraginta annis continentur viginti anni quibus Jabin oppressit Hebræos, cap. IV, 3. Vide dicta cap. III, vers. 11 et 30. Minus ergo recte Josephus : « Postquam, inquit, solo tenus urbem Asor æquasset (Barac) ducem Israelitarum agit ad annos 40. »

Addit Philo Biblicus in *Antiq.,* Debboram morientem convocasse populum, eique hæc ultima dedisse monita : « Ecce ego moneo vos tanquam

mulier Dei, et illumino vos tanquam ex femineo genere, et obaudite mihi quasi matri vestræ, et intendite verbis meis tanquam morituri et ipsi. Ecce ego proficiscor mori viam totius carnis, quo venietis et vos! tantum cor vestrum dirigite ad Deum Dominum vestrum in tempore vitæ vestræ, quoniam post mortem vestram in his in quibus vivitis, pœnitere non poteritis. Nunc ergo, filii mei, vos obaudite voci meæ, donec habetis tempus vitæ et legis lumen, dirigite vias vestras. Et dum loqueretur Debbora verba hæc, levaverunt omnes populi vocem unanimiter et plorantes dixerunt: Ecce nunc, mater, moreris, et relinquens filios tuos; cui commendas eos? Ora itaque pro nobis, et post recessum tuum erit anima tua memor nostri in sempiternum.»

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræos rursus idololatrantes opprimunt Madianitæ; quare pœnitentes Deum invocant, qui liberatorem eis per Angelum designat Gedeonem. Unde Angelus, vers. 18, *Deo sacrificat. Mox Gedeon, vers.* 25, *jussu Dei aram Baal subvertit, ideoque Jerobaal, id est, ultor Baal vocatur: inde, vers.* 34, *classico milites convocat, ac signum victoriæ a Deo petens accipit rorem in solo vellere, et mox siccitatem in solo vellere. Quintus ergo Israelis Judex fuit Gedeon, cujus acta hic enarrantur.*

1. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, 2. et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca. 3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique Orientalium nationum: 4. et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. 5. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes. 6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. 7. Et clamavit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas. 8. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, 9. et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos, ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum, 10. et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, et noluistis audire vocem meam. 11. Venit autem Angelus Domini, et sedit sub quercu quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, 12. apparuit ei Angelus Domini, et ait: Dominus tecum, virorum fortissime. 13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian. 14. Respexitque ad eum Dominus, et ait: Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian; scito quod miserim te. 15. Qui respondens ait: Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel; ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. 16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum. 17. Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me. 18. Nec recedas hinc donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum. 19. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hædum, et de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper

funde. Cumque fecisset ita, 21. extendit Angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos, ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit : Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. 22. Videnque Gedeon quod esset Angelus Domini, ait : Heu, mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus : Pax tecum; ne timeas, non morieris. 24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, 25. nocte illa dixit Dominus ad eum : Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui : et nemus quod circa aram est succide : 26. et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti : tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum quæ de nemore succideris. 27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit. 28. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. 29. Dixeruntque ad invicem : Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est : Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Joas : Produc filium tuum huc, ut moriatur; quia destruxit aram Baal, et succidit nemus. 31. Quibus ille respondit : Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus moriatur, antequam lux crastina veniat : Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. 32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas : Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus. 33. Igitur omnis Madian, et Amalec, et Orientales populi congregati sunt simul : et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se. 35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum : et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephtali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum : Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, 37. ponam hoc vellus lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. 38. Factumque est ita. Et de noctu consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. 39. Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat; et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

Vers. 1. 1. FECERUNT AUTEM FILII ISRAEL MALUM IN CONSPECTU DOMINI, — id est, fecerunt idola et idololatriam. Hæc enim antonomastice dicitur malum, quia summum scelus, idque in conspectu Domini, quia Deum videnti et indignanti opponit alium Deum, eumque creatum, et sæpe factum fictumque ex lapide, auro, argento vel ære, quæ summa Dei injuria, vilipensio et offensio.

QUI (iratus; justeque tantum scelus, tantamque sui injuriam vindicans) TRADIDIT ILLOS IN MANU MADIAN SEPTEM ANNIS. — Madian fuit filius Abrahæ ex Cethura; *Gen.* XXV, 2, a quo ejus posteri dicti sunt Madianitæ, et regio eorum Madian. Duplex autem fuit regio Madian, una juxta mare Rubrum ad Orientem, in quam fugit Moses pavitque oves Jethro, ejusque filiam Sephoram uxorem duxit, *Exodi* II; altera vicina Moabitis juxta Arnon et Areopolim, cujus incolæ masculi omnes occisi et excisi sunt a Mose, *Numer.* cap. XXXI, vers. 7, eo quod Hebræos provocassent ad fornicationem et cultum Beelphegor, *Numer.* cap. XXV. Verum plures tunc hanc cladem metuentes, jam ante ad vicinas gentes profugerunt, qui postea in Madian redierunt : alii quoque vicini, in Madian incolis hac cæde vacuatam, ingressi, illam occuparunt, qui pariter dicti sunt Madianitæ. Hi ergo Judæam invaserunt, et a Gedeone cæsi sunt. Porro Madian abundat camelis, ovibus et capris. Philo Biblicus asserit Israelitas traditos Madianitis sub Gedeone, eo quod incitati a quodam Madianita mago, cui nomen Aod, consuluissent Deos Madianitarum.

MADIAN, — Hebraice *Midian*, idem est quod litigium, jurgium, contentio, ait Pagninus, quia

licet Madianitæ fratres essent Hebræorum, æque ac Ismaelitæ sive Saraceni, atque Idumæi posteri Esau, utpote ex eodem patre Abraham et Jacob respective prognati, tamen eorum perpetui fuere hostes. Rursum *Madian*, hebraice *Midian*, idem est quod *Middin*, id est, ex judicio, ait Pagninus, quia justo Dei judicio invaserunt Hebræos ad castigandum eorum scelera. Origenes vero *Madian* interpretatur *extra judicium;* quia Madianitæ injuste, quantum est ex parte ipsorum, licet juste ex parte Dei, expilarunt Hebræos; hi enim nullam eis injuriam intulerant. Unde

Tropologice, Madianitæ sunt Turcæ, hæretici, tyranni cæterique impii, qui pios injuste affligunt, sed Deo id permittente vel ad peccatorum castigationem, vel ad patientiæ probationem.

Vers. 3. 3. CUMQUE SEVISSET (seminasset triticum, hordeum, avenam, pisa, fabas, etc.) ISRAEL, ASCENDEBAT MADIAN ET AMALEC (id est, *populus lingens* hebraice), CÆTERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM. — Hebraice *filii Orientis*, ex Abraham et Cethura progeniti, habitantes ad Orientem, qui proinde vocantur filii Orientis, *Genes*, cap. XXV, vers. 6. Tales quoque dici possunt Ismaelitæ, Moabitæ, Ammonitæ, etc.

Vers. 4. 4. ET APUD EOS (filios Israel) FIGENTES TENTORIA, SICUT ERANT IN HERBIS CUNCTA VASTABANT, — pascentes in eis suos camelos, boves, oves, nec permittentes ut sata in grana et messem crescerent et maturescerent; quare omne frumentum omnemque annonam succidebant, ut Israelitæ fame perirent.

Tropologice, Madianita est dæmon, ejusque asseclæ, qui bona virtutis semina vel a Deo, vel a concionatore aliove simili mentibus hominum immissa disturbant, suffocant et auferunt, ne in opus bonum adolescant.

Vers. 5. 5. INSTAR LOCUSTARUM. — Hæ enim innumera sua copia, æque ac edendi rodendique aviditate omnia germina radicitus succidunt et depascuntur, ut nihil frugis succrescere et nasci queat. Unde grandis hæc fuit plaga octava Ægypti, *Exodi* cap. X.

Vers. 6. 6. HUMILIATUSQUE EST ISRAEL. — Hebraice, *attenuatus est*; Septuaginta, *depauperatus et ad mendicitatem redactus*.

Vers. 7. 7. ET (id est idcirco, quia scilicet fames cogebat) CLAMAVIT AD DOMINUM. — Nimirum, fames docet homines Dei oblitos illius recordari; imo ad eum clamare ut eam levet. Sic sæpe Superiores qui subditos habent rebelles, adimendo eis cibum, humiliant, et ad obedientiam officiumque reducunt. Qui enim alium pascit, jus in eum acquirit jubendi quæ velit. Homines enim sunt animales, et instar animalium esca ducuntur. Venter enim latrans quidvis subit, ut se satiet.

Vers. 8. 8. QUI MISIT AD EOS VIRUM PROPHETAM. — S. Augustinus suspicatur fuisse Angelum illum, qui mox vers. 11, apparuit Gedeoni. Verum alii passim censent fuisse hominem prophetiæ spiritu a Deo dotatum, missumque ad Hebræos more cæterorum prophetarum. Quisnam hic fuerit ignoratur, quia Scriptura eum non nominat. Rabbini divinant fuisse Phinees Pontificem, sed temere; ille enim jam pridem erat vita functus. Si enim hoc tempore vixisset, fuisset ducentorum annorum, quæ ætas illo ævo erat insolens et insueta. Porro Deus volens exaudire clamorem Hebræorum, eosque a Madianitis liberare per Gedeonem, præmisit hunc prophetam, qui eorum ingratitudinem, idola et scelera acriter perstringeret, ut ad cor redirent, ac deinceps soli Deo servirent. Deum imitetur Prælatus, qui subditis offensas condonare statuit, ut prius aceto correctionis eos perfundat et compungat, ne ad vomitum redeant.

Vers. 10. 10. NE TIMEATIS DEOS AMORRHÆORUM, — id est, ne colatis eos, ne eos revereamini (1). Timor enim in Scriptura omnem cultum Dei significat, tum quia « primus in orbe Deos fecit timor; » tum quia Deus maxime colitur metu et reverentia, juxta illud: « Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » *Malach.* I, 6. Dominus enim a servo poscit timorem, ab eoque timeri et coli vult.

Vers. 11. 11. VENIT AUTEM ANGELUS DOMINI, ET SEDIT SUB QUERCU QUÆ ERAT IN EPHRA, — urbe ita dicta, quæ fuit patria Gedeonis, ad quem hic Angelus mittebatur. Alia est ergo Ephra ab Ephrata; hæc enim erat in tribu Manasse, ex qua erat Gedeon, ut patet versu 15. Rursum Ephrata hebraice scribitur per *Aleph*: Ephra vero per *Ain*. Ad hæc *Ephrata*, Hebraice idem est quod *incrementum*: *Ephra* vero idem quod *pulverulenta*, vel *damula*, vel *cerva*. Porro Angelus hic sedit sub quercu apposite, quasi Gedeoni robur ad bellandum contra Madian additurus. Quercus enim robusta symbolum est roboris. Unde eum salutans ait: « Dominus tecum, virorum fortissime. » Sic Debbora sedebat sub palma, quia suis oraculis texebat palmam victoriæ Barac et Hebræis contra Sisaram.

ET PERTINEBAT (quercus sub qua degebat Angelus) AD JOAS PATREM FAMILLÆ EZRI, — ex qua erat Gedeon. Joas enim erat pater, id est, princeps, sive primus et caput familiæ Ezri, ex qua prognatus est Gedeon. Tales alibi vocantur principes domorum, id est familiarum. Hebræum est אבי עזרי *abi ezri*, quod Vatablus et alii ut nomen proprium accipiunt, vertuntque *ad Joas* oriundum ex *Abiezri*: fuit enim familia *Abiezri* celebris, ut patet versu 34. Porro *Abiezri* hebraice idem est quod *pater auxilii*; ex hoc ortus est Gedeon, qui destinabatur a Deo in auxilium Israelis, ad liberandum eum a Madianitis.

CUMQUE GEDEON FILIUS EJUS (Joas) EXCUTERET ATQUE PURGARET FRUMENTA IN TORCULARI, UT FU-

(1) *Ne timeatis* pro *ne putetis* deos esse.

GERET MADIAN. — « Excuteret, » scilicet flagello, uti Belgæ et alii flagellando segetes excutiunt grana ex aristis. Alioqui in Palæstina (uti etiamnum fit in Italia) boves triturabant segetes eas ungulis calcando, itaque grana excutiendo; unde illud: « Non alligabis os bovi trituranti, » *Deut.* XXV, 4. Sed et Gedeon hic flagello trituravit, quia secreto et festinanter id fecit, ne a Madianitis appropinquantibus comprehenderetur; eademque de causa id fecit in torculari, ubi uvæ solent exprimi, ex eisque vinum elici; torcular enim hoc erat in loco plano, et forte in horreo, ut vult Vatablus, ubi solent segetes flagellari et triturari.

Tropologice S. Gregorius, lib. III *Moral.* XVII: « Quid est, ait, frumentum virga cædere, nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? sed hæc agentibus Angelus apparet: quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. »

Allegorice S. Augustinus, serm. 108 *De Temp.*: « Torcular, inquit, ubi messem terebat, propter assiduas tribulationes Ecclesiæ typum gessit. Messis quæ cædebatur Christianum populum significavit, quem adveniens Christus virga disciplinæ vel baculo crucis suæ a paleis, id est, a peccatis omnibus separavit. Nam et Angelus ille qui venit ad eum, et ipse in typum Domini Salvatoris accipitur. Arborem sub qua stetit, et virgam quam tenuit crucem significasse manifestum est. Petra illa super quam Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat. Sic enim ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Hædus ille qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designavit. Quod Angelus virga sua tetigit petram et exiit ignis, et consumpsit hædum illum; crux tetigit Christum, et de petra quæ erat Christus, ignis exiit charitatis, qui humani generis peccata consumpsit. De ipso enim verus Gedeon Christus in Evangelio dixit: Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur? »

Et S. Ambrosius, procem. in lib. I *De Spir. Sancto*: « Non otiose, ait, vellus non in campo posuit, vel in prato, sed in area, ubi messis est tritici (messis enim multa, operarii autem pauci), eo quod per fidem Domini futura esset messis fecunda virtutum. »

Vers. 12. 12. ET AIT (Angelus): DOMINUS TECUM (sit), VIRORUM FORTISSIME. — Hebraice גבור החיל *gibbor hechail*, id est, *fortis robore* vel *strenuitate;* Septuaginta, *potens fortitudine*, Chaldæa, *vir virtutis*; Vatablus, *vir fortissime* : *gibbor* enim significat virum fortem, potentem, robustum, quales erant gigantes: *chail* vero significat robur, industriam, strenuitatem, vires. Unde Serarius suspicatur pro *virorum* legendum *virium*, sed nil cogit hoc dicere : nam τὸ *virorum* respondet Hebræo *gibbor*; *gibbor* autem et fortem et virum significat; viri enim sunt fortes. Unde *Gabriel* dictus est quasi *fortis Dei*, vel *vir Dei*. Adde : qui viribus est fortissimus, hic virorum est fortissimus.

Porro Gedeon fuit fortis non tantum corpore, sed magis animo, quo tantum bellum generose aggressus est. Rursum fuit fortis non solum naturali, sed et supernaturali, quam Deus hic illi indebat, et deinceps illi inditurus erat ad opus tam arduum capessendum, fortitudine. Cum enim Deus cuipiam nomen aliquod attribuit, simul et rem dotemque nomine significatam illi indit. Sic cum B. Virgo salutata est a Gabriele Dei legato, « gratia plena, » tunc simul Deus novam gratiæ copiam et plenitudinen illi indidit : salutatio enim Dei (et sanctorum ejus, ut S. Pauli, ait Chrysostomus) est efficax, ac Dei dicere est facere. Sic Deus Simoni nomen commutans, eumque vocans *Kepha* (Cephas), id est, *Petrum*, petrinam fortitudinem, qua foret Ecclesiæ basis, illi indidit. Idem dicendum de Joanne et Jacobo, cum eos vocavit Boanerges, id est, filios tonitrui, et de Abram, cum eum vocavit Abraham, id est patrem multarum gentium, etc.

Dicitur ergo Gedeon virorum fortissimus, ait Serarius, quia corporis viribus excellebat, animique robore præstabat. Secundo, quia ob Dei præsentiam et opem multo magis deinceps iisdem corporis animique viribus valiturus, magnaque ad populi sui salutem gesturus erat, eaque ipsi tam corporis quam animi, tam præsens quam futura ideo proponebatur fortitudo, ut magna cum fiducia et alacritate ad Israelitici populi vindicias aggrederetur, neque sese nimium despiceret, imparemque oneri et operi huic duceret. Sic enim et lucta mirabili ac diuturna confirmatus est Jacob, dum in præferocis ac perirati Esau conspectum venire deberet, *Genes.* XXXII.

Porro Septuaginta vertunt in nominativo δυνατὸς τῇ ἰσχυϊ, ut habent Complutensia, id est, *potens vi*, vel ἰσχυρὸς τῶν δυνάμεων, id est, *fortis virtutum*, ut habent Romana. Unde S. Augustinus hic, *Quæst.* XXXII, censet hoc esse epithetum non Gedeonis, sed Dei, *q. d.* Dominus tecum est, o Gedeon, Dominus, inquam, qui est fortis virtutum. Verum melius Noster, Chaldæus et alii vertunt in vocativo, ut Gedeon ab Angelo salutetur, voceturque virorum fortissimus. Nam causam hujus tituli dat Angelus versu 14, cum ait : « Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian. »

Vers. 14. 14. RESPEXITQUE AD EUM DOMINUS, — puta Angelus legatus Domini, ejusque personam repræsentans. « Respexit » oculis benignis, sed acribus, Gedeonem timidum erigens ad fiduciam eique suam opem blando vultu nutuque promittens, ideoque cum exstimulans ad capessendum munus Judicis et Ducis contra Madianitas, quod ipse illi offerebat. Recte τὸ *respexit* respondet τὸ *obsecro*. Hebraice בי *bi*, id est *in me*, scilicet obsecro ut respicias, hoc est mihi meisque sis propitius, quod dixerat Gedeon versu præced.: respiciendo ergo in eum Angelus petitioni et votis ejus satisfecit

VADE IN HAC FORTITUDINE TUA. — Hebraice בכוחך *becochacha*, id est in robore quod tibi olim indidi, et nunc adauxi, ac deinceps magis augebo et amplificabo. Unde Abulensis sic exponit: « Vade in fortitudine tua, » hoc est « in fortitudine adjutorii, quod tibi jam promisi. » Audi Theodoretum, *Quæst.* XII : « Memor erat Gedeon mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, etc. Et meruit ut audiret ab Angelo : proficiscere in robore fidei hujus, et vinces. »

Vers. 16. 16. EGO ERO TECUM, ET PERCUTIES MADIAN QUASI UNUM VIRUM, — *q. d.* Ne timeas, o Gedeon, tot millia Madianitarum; ego enim te ita roborabo, adeoque eis potentiorem efficiam, ut omnes tam facile cædas, perinde ac si omnes essent unus duntaxat vir, sive quam facile cæditur unus vir, tam facile tu mea ope cædes tota castra Madian. Sic enim unus Angelus pro Ezechia pugnans cecidit una nocte in castris Sennacherib 185 millia Assyriorum, IV *Reg.* XIX, 35. Tam potens est Deus, imo unus Dei Angelus.

Vers. 17. 17. DA MIHI SIGNUM QUOD TU SIS, QUI LOQUERIS AD ME. — Non peccavit Gedeon petendo signum, quia nesciebat an is qui secum loquebatur esset homo propheta, an Angelus Dei vel diaboli. Satanas enim se transfigurat in Angelum lucis. Ita Abulensis. Ait ergo : « Da mihi signum quod tu sis, » scilicet talis, cui divinam opem victoriamque tam admirabilem de Madian pollicenti fidem habere possim et debeam. Videbat Gedeon Angelum instar juvenis pulcherrimi, vultu, habitu et moribus elegantissimum, ac miram ex ejus præsentia et alloquio sentiebat consolationem, alacritatem et lætitiam : sed necdum certo quis esset, et unde veniret ei constabat. Idipsum ergo signo petit sibi declarari et confirmari. Porro signum hoc poscenti Gedeoni dedit Angelus versu 21; cum virga tangens panem et carnes, illico ex eis ignem elicuit, quo illa Deo in sacrificium obtulit, eoque facto disparuit. Licet aliqui putent Gedeonem pro signo postulasse id quod proxime subjicit : « Ne recedas hinc donec revertar ad te; » quibus favent Septuaginta, sed planius, dicemus duo petiisse Gedeonem, primo, signum jam dictum; secundo, ne Angelus abiret antequam munus aliquod ei honoris ergo attulisset.

Vers. 18. 18. NE RECEDAS HINC DONEC REVERTAR AD TE, PORTANS SACRIFICIUM ET OFFERENS TIBI. — Quæres, an vere Gedeon hic obtulerit sacrificium? Affirmat S. Augustinus, *Quæst.* XXXI. Voluit, inquit, Gedeon coram Angelo sacrificium offerre velut adjuvandus præsentia ejus sanctitatis. Sic et Theodoretus, *Quæst.* XII, et Abulensis, *Quæst.* XVI. Probant *primo*, quia id diserte asserit Noster dicens : *Portans sacrificium offerensque tibi; secundo*, quia Septuaginta vertunt ἐξοίσω θυσίαν, καὶ θύσω ἐνωπιόν σου, id est, *feram sacrificium, et sacrificabo coram te;* sic et Vatablus; *tertio*, quia hoc signum petiit Gedeon ab Angelo, ut ipse se a Deo missum ostenderet per ignem a se miraculose productum, quo panem et carnes a Gedeone allatos cremaret et sacrificaret; qua ratione Elias se verum Dei esse Prophetam contra sacerdotes Baal demonstravit, ignem e cœlo eliciendo, qui bovem suum inflammaret, et quasi holocaustum Deo adoleret, III *Reg.* XVIII. Et Manue, pater Samsonis, jubente Angelo, cap. XIII, 16, holocaustum obtulit. Non ergo Gedeon, qui sacerdos non erat, obtulit sacrificium, sed materiam sacrificii detulit Angelo sine igne, ut is igne miraculoso illud consummaret, itaque sacrificaret, atque hoc signo ostenderet se a Deo cui sacrificabat esse missum. Unde pro eo quod Noster vertit, *offerens tibi*, Hebraice est *dimittam*, vel *deponam coram te*, ut scilicet tu ea inflammes, et per ignem cœlestem Deo in sacrificium offeras et consumas. Coxit vero Gedeon carnes sacrificii, quia simul volebat prandium ferre vel Angelo in corpore humano apparenti quasi homini, vel Prophetæ (nesciebat enim an esset Propheta, an Angelus, sed de eo dubitabat, et alterutrum esse suspicabatur), ut pars illi in cibum cederet, si esset Propheta, pars vero altera in sacrificium Dei: Angelus vero ut ostenderet se esse Angelum, nec cibo vesci, utque evidentius esset miraculum, omnia, etiam jus ipsum Deo concremavit, et concremando sacrificavit. Nec enim Angelus legibus sacrificiorum in Levitico latis, quæ non permittunt carnem coctam sacrificari, tenebatur. Ita Abulensis. Hæc sententia est probabilis, illique favent Septuaginta, qui signum hoc Gedeonis in hoc sacrificio Angeli constituere videntur.

An Gedeon sacrificarit? Asserunt nonnulli.

Verum contrarium est verius, scilicet Gedeonem panem et carnes attulisse Angelo, non ad sacrificium, sed ad prandium; ut videlicet Angelus specie humana apparens quasi homo ea comederet; nesciebat enim Gedeon esse Angelum, sed dubitabat an homo esset, an Angelus. Melius negant alii.

Probatur *primo*, quia nullus hic erat sacerdos qui sacrificaret. Gedeon enim non erat ex tribu sacerdotali, puta ex Levi, sed ex Manasse. Angeli etiam non solent sacrificare. Et Gedeon nesciebat eum qui apparebat esse Angelum. Prob. Primo.

Secundo, quia hædus ex lege non poterat sacrificari, nisi pro peccato principis, *Levit.* IV, 2. Secundo.

Tertio, Gedeon coxit panes et carnes : ergo ad prandium. Nam ad sacrificium debebant afferri carnes crudæ, imo animal vivum, quod a sacerdote mactabatur, coquebatur et comburebatur in honorem Dei. Tertio.

Quarto, extra tabernaculum sacrificare non licebat : ergo nec in area Gedeonis. Quarto.

Quinto, quia Angelus hic apparebat specie viatoris, ideoque virgam sive scipionem viatorium manu gestabat, jamque quasi de via fessus, et umbram quietemque captans sedebat sub quercu. Videtur ergo Gedeon hospitale officium ei exhibere voluisse, ac panes et carnes ad eum refocillandum attulisse. Sic enim fecit Abraham, angelis quasi peregrinis de via ad se divertentibus Quinto.

prandium parando, *Genes.* cap. XVIII, et Manue cap. XIV, vers. 15.

Sexto. *Sexto,* quia pro *sacrificium,* Hebraice est מנחה *mincha,* id est munus vel donum, ut vertit Chaldæus. Sic Aod obtulit regi *mincha,* id est munus, cap. III, 15. Fateor *mincha* speciatim quoque significare munus, quod ex farre vel pane Deo offertur, puta sacrificium farreum, *Levit.* II. Verum *mincha* nunquam significat sacrificium carneum; carnes autem hic attulit Gedeon.

Ad *primum* ergo respondeo : Pro *sacrificium,* hebraice est *mincha,* id est donum. Noster tamen vertit *sacrificium,* quia Angelus paulo post donum Gedeonis noluit sibi usurpare, sed illud convertit in sacrificium, quod Deo obtulit : et quia epulæ per catachresin sæpe vocantur θυσία, id est sacrificium et victimæ, ut patet *Prov.* IX, 2; I *Reg.* XXV; in Septuaginta, *Matth.* XXII, 4. Θυσία enim dicitur a θύω, id est, occido; unde *tuer* Gallicum. Idem dico ad *secundum.* Addo, pro θύσω, id est, *occidam,* in Septuaginta legendum videri θήσω per η, id est, *ponam;* ita enim legit S. Augustinus, *Quæst.* XXXV. Ad *tertium* patet responsio ex jam dictis. Adde, nescisse Gedeonem an is qui apparebat esset sacerdos, qui posset sacrificare. Denique Gedeonem non cogitasse de sacrificio patet, ex eo quod non erexit altare, non attulit ligna et ignem, quibus hostia cremaretur; unde nullam Angelo sacrificii fecit mentionem; multo minus præscivit Angelum virga sua ignem eliciturum, quo carnes ab eo allatæ sacrificarentur. Ita Theodoretus, Procopius, Cajetanus, Arias, Serarius. Audi Procopium : « Sacrificium id dicit, quod ad epulum destinatum erat. Victima enim non coquebatur juxta legem. Cæterum sub quercu ponit Abrahamum imitatus, ac ratus hunc fercula absumpturum. »

Vers. 19. 19. AZYMOS PANES, — non quod esset tempus Paschale, quo Judæis non nisi azymo vesci licebat, sed quod Gedeon festinaret, metueretque ne Angelus ob moram abiret; quare cum non haberet tempus farinam fermentandi, ex ea infermentata azymos panes festinanter coxit.

Vers. 20. 20. PONE SUPRA PETRAM ILLAM. — Petram ergo illam Angelus statuit pro altari, in quo omnia hæc Deo per ignem sacrificare destinabat. Petra hæc erat typus Christi, I *Cor.* X, 4, qui simul est altare, sacerdos et victima, quam Deo in Eucharistia offerimus. Aliud signum enarrat Philo Biblicus, scilicet Angelum jussisse Gedeoni ut aquam super petram effunderet, ac Gedeonem ab Angelo petiisse hoc signum, dixisseque : « Fiat medium sanguis et medium ignis; et effudit Gedeon aquam super petram, et factum est, cum effudisset, ut fieret media pars flamma, media autem pars sanguis, et commixta sunt utraque, id est, ignis et sanguis, et non extinxit ignem sanguis, nec sanguinem ignis exussit (1). » Addit Philo per Gedeonem cæsa esse centum et viginti Madianitarum millia, et cæteros fugisse. Verum hic Philo est suspectæ fidei.

Vers. 21. 21. EXTENDIT SUMMITATEM VIRGÆ, etc., ET TETIGIT CARNES ET PANES AZYMOS, ASCENDITQUE IGNIS DE PETRA, ET CARNES AZYMOSQUE PANES CONSUMPSIT. — Ecce hoc est signum quod Gedeoni poscenti Angelus exhibuit, quod *primo* ostendit se esse Angelum a Deo missum; *secundo,* se non vesci cibo; *tertio,* se hæc omnia a Gedeone allata, sibique oblata Deo per ignem sacrificare. Ignem autem produxit ex valida collisione petræ per virgam cuspide ferrea, ut videtur armatam; sicut silicem collidendo ad ferrum, ex eo elicimus ignem, aut alio simili modo applicando activa passivis, eo modo quo ex secretis naturæ causis sciebat producendum ignem. Angelus ergo hic sacerdotis officio functus est, Gedeon vero ministri. Ita Theodoretus, Abulensis, Lyranus, Dionysius et alii.

Mystice, caro hædi est culpa, jus sunt illecebræ cupiditatum. Quod ergo Angelus extendit virgam et tetigit petram, de qua exivit ignis, ostendit quod caro Christi repleta spiritu cœlesti igneque divino, peccata omnia hominum exureret. Ita S. Ambrosius, procemio in lib. I *De Spiritu Sancto,* quem audi : « Jam tunc igitur in mysterio declaratum est; quia Dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum; caro enim hædi ad culpam facti refertur, jus ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est : quia concupivit populus cupiditatem pessimam, et dixerunt : Quis nos cibabit carne? Quod igitur extendit Angelus virgam et tetigit petram, de qua ignis exivit, ostendit quod caro Domini spiritu repleta divino peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde et Dominus ait : Ignem veni mittere in terram. »

Eadem ad verbum exstant in S. Augustino, serm. 108 *De Temp.* Quare ex alterutro in alterum transcripta sunt. Audi et S. Gregorium, lib. III *Moral.* XVII : « Angelus occidi hædum præcipit, id est, omnem appetitum carnis nostræ immolari, carnesque supra petram poni, et jus carnium desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur : Petra autem erat Christus? carnes ergo super petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnium desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam a se carnales delectationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petram funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnesque consumit, quia afflatus a redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne quod in eo illicitum est et operis et cogitationis exurat. »

(1) Apud antiquos magnificentia grandis erat præstandi sanguinis convivia ad esum.

ANGELUS AUTEM DOMINI EVANUIT EX OCULIS EJUS. — Ascendens in cœlum, ait Cajetanus, unde venerat. Unde Chaldæus vertit : *Ascendit e regione oculorum ejus.* Inde quoque agnovit Gedeon hunc esse Angelum Dei. Unde sequitur :

Vers. 22. 22. VIDENSQUE GEDEON QUOD ESSET ANGELUS DOMINI, AIT : HEU, MI DOMINE DEUS (moriendum mihi est), QUIA VIDI ANGELUM DOMINI FACIE AD FACIEM.

Vers. 23. 23. DIXITQUE EI DOMINUS (Angelus legatus Dei) : PAX TECUM, NE TIMEAS, NON MORIERIS. — Ex hoc Gedeonis dicto, et ex illo Manue cap. XIII, vers. 22 : « Moriemur, quia vidimus Deum, » liquet communem vulgi opinionem tunc fuisse moriturum eum, qui Deum vel Angelum vidisset. Unde Judæi hanc colligunt regulam : « Quicumque manifeste Angelum viderit, hunc statim consequetur mors. » Orta videtur ista opinio ex eo quod Angeli sint subtilissimi spiritus ac familiares Deo; quare cum hominibus apparent, videntur eos velle a carne ad spiritum secum traducere ad Deum, ac subinde citare eos ad judicem Deum. Adde quod Angeli subinde morituris apparent, ut eos ad aliam vitam traducant. Unde Jacob viso Angelo admirans se non mori ait : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea, » *Gen.* XXXII, 30. Tanta enim est Angelorum lux, gloria, majestas, ut hominem exanimare videatur. Aucta est hæc opinio ex illo Dei ad Mosen oraculo, *Exod.* XXXII, 20 : « Non videbit me homo et vivet, » ait S. Augustinus hic, *Quæst.* LIV. Item ex aliquorum punitione, qui ob scelera ab Angelis occisi sunt, uti ab eis cæsi sunt primogeniti Ægyptiorum, *Exod.* XII, et Sodomitæ, *Gen.* XIX, Her et Onan, *Gen.* XXXVI. Sic etiamnum de spiritibus, eorumque apparitionibus multi multa imaginantur et narrant, quæ vana et fabulosa sunt.

Opinio morituram eum qui viderit Angelum, unde?

Verum hunc eorum timorem vanum fuisse liquet ex visionibus Angelorum factis Abrahæ, Jacob, Mosi, Josue, Gedeoni et aliis. Hi enim viderunt Angelos, nec tamen mortui sunt. Unde Angelus hic ait Gedeoni : « Ne timeas, non morieris. » Etsi enim hic Angelus jam evanuisset ex oculis Gedeonis, tamen hanc vocem formavit in aere vicino auribus Gedeonis, ut ipsi metum mortis adimeret, ait Abulensis.

Vers. 24. 24. ÆDIFICAVIT ERGO IBI GEDEON ALTARE DOMINO, VOCAVITQUE ILLUD : DOMINI PAX. — Eo quod Angelus ei dixerat : « Pax tecum, ne timeas, non morieris. » Erexit ergo hoc altare non ad sacrificandum; hoc enim vetitum erat erigi extra tabernaculum sive templum, *Levit.* XVII, 4, sed in monumentum incolumitatis et pacis sibi ab Angelo viso præstitæ, salutisque et liberationis Israelis a Madianitis ab eodem sibi promissæ. Unde vocavit illud : « Domini pax. » Simile altare ædificarunt Rubenitæ, *Josue* XXII, 10. Ita Abulensis, nisi malis cum Cajetano, Lyrano, Aria et Serario, hoc altare idem esse cum eo quod jussu Dei ædificavit Gedeon vers. 26; idque pariter est probabile.

Vers. 25. 25. DIXIT DOMINUS AD EUM : TOLLE TAURUM PATRIS TUI, ET ALTERUM TAURUM ANNORUM SEPTEM, DESTRUESQUE ARAM BAAL, etc. — Chaldaice, *taurum qui pinguefactus sit annos septem.* Unde Arias et Rabbini, quin et Theodoretus putant hunc taurum vel a civitate, vel a patre Gedeonis Deo dicatum fuisse in sacrificium ab initio persecutionis Madianitarum, ut ea cessante Deo in sacrificium offerretur, ideoque tot annis quot durarat persecutio fuisse saginatum, ac pluribus saginandum fuisse, si persecutio diutius durasset (1).

Vers. 26. 26. ET ÆDIFICABIS ALTARE DOMINO DEO TUO IN SUMMITATE PETRÆ HUJUS, SUPER QUAM ANTE SACRIFICIUM (victimam panum et carnium) POSUISTI : TOLLESQUE TAURUM SECUNDUM, ET OFFERES HOLOCAUSTUM. — Unde Arias putat utrumque taurum fuisse immolatum et sub secundo priorem intelligi. Fieri tamen potest, ait Serarius, ut e duobus unus hic tantum luce oriente, ut Abulensi videtur, *Quæst.* XL, vel alia quapiam de causa immolari potuerit, et hic prius immolatus sit; quia septennis pinguissimus, servitutique finiendæ accommodatissimus, ideoque vel altero jam cremato penitus, vel adhuc postea cremando, hunc solum aræ superpositum, et adhuc ardentem invenerunt Ephræi, vers. 28.

Hic ergo Gedeonem, licet non ex tribu sacerdotali scilicet Levi, sed ex Manasse Deus creavit sacerdotem; jussitque ei sacrificare sibi, ut esset typus Christi, qui fuit sacerdos.

Allegorice S. Ambrosius, procemio in lib. I *De Spiritu Sancto* : « S. Gedeon, ait, occidit vitulum a patre suo idolis deputatum, et ipse septennem alium vitulum immolavit Deo. Quo facto manifestissime revelavit, post adventum Domini omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominicæ Passionis pro redemptione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christus, in quo septem spiritualium plenitudo virtutum, sicut Isaias dixit, habitabat. Hunc vitulum et Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, et gavisus est. Hic est qui nunc in hædi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Hædi, quod sacrificium pro delictis fit; ovis, quod voluntaria hostia; vituli, quod immaculata sit victima. Prævidit ergo mysterium S. Gedeon. » Eadem habet Augustinus, serm. 108 *De Temp.*, sed phrasis magis redolet stylum S. Ambrosii.

Vers. 31. 31. NUMQUID ULTORES ESTIS BAAL, UT PUGNETIS PRO EO? QUI ADVERSARIUS EST EJUS, MORIATUR ANTEQUAM LUX CRASTINA VENIAT. SI DEUS EST, VINDICET SE DE EO QUI SUFFODIT ARAM EJUS. — Significantius habent Hebræa, *Num vos litigabitis pro Baal? num vos eum servabitis?* Apparenti argumento Joas pater liberat filium Gedeonem, aræ Baal eversorem a morte, *q. d.* Si Baal Deus est, sentit utique hanc injuriam in succisione aræ suæ sibi irrogatam; quare si ipse Deus est omnipotens et impietatis

(1) Probabilissime Gedeon duos tauros tulit, ut unus pro semetipso et familia sua, alter vero pro peccatis suæ gentis in holocaustum offerretur.

vindex, servet se suumque cultum, ac vindicet se de eo qui evertit aram ejus ante crastinum diem, ut omnibus appareat eum esse Deum, ab omnibus timendum colendumque.

Vers. 32. 32. EX ILLO DIE VOCATUS EST GEDEON JEROBAAL, EO QUOD DIXISSET JOAS : ULCISCATUR SE DE EO BAAL, QUI SUFFODIT ARAM EJUS. — *Gedeon*, Hebraice idem est quod *succisor iniquitatis et idoli*, item *succisor doloris ;* hic enim comitatur iniquitatem, sicut lictor reum. Idem dictus est *Jerobaal*, quasi ירוב בעל *iarub baal*, id est litigans, contendens, certans cum Baal. Unde pro *ulciscatur se de eo*, hebraice est ירב בו *iareb bo*, id est litiget cum eo, litem illi contendat, intendat et certet cum eo, ac si potentior est, ulciscatur se de eo, eumque castiget et puniat, *q. d.* Ut quid vos litigatis cum Gedeone filio meo, eo quod everterit aram Baal? litiget ipse Baal, si Deus est, cum eo. Si enim Deus est, potens est et justus, ut injuriam hanc suam puniat; quare non eget vobis actoribus et litigatoribus. Est argumentum in speciem probabile, et ad hominem. Cives enim et incolæ Ephra cultores Baal, hanc de suo Baal opinionem et sensum habebant; sed revera ipsum in se est imbecillum et invalidum. Simili enim modo liceret dicere hæreticis iconoclastis. Si Deus et Sancti ægre ferunt imaginum suarum confractionem, vindicet se de nobis nosque castiget. At hoc dicere non licet, nec sufficit ad facti excusationem : tum quia Deus ultionem suæ injuriæ sæpe in hac vita dissimulat, differtque in alteram vitam, ut sit acrior et æterna; tum quia constituit reges et magistratus, qui injurias sibi illatas judicent et vindicent; quare illi ex officio idipsum facere obligantur.

Porro pro *Jerobaal*, per crasin Gedeon vocatus est *Arbel*, ut patet *Osee* X, 14. Vide ibi dicta.

Tropologice : Vis esse Gedeon, id est, succisor iniquitatis? Succide ex corde tuo et proximorum omnes cupiditates noxias; hæc enim sunt idola et aræ Baal, quæ quisque sibi in mente pingit et fingit, quæ si succidat, facile Madianitas, id est, dæmones superabit.

Aliter nomen Gedeon (nescio a qua radice Hebræa) interpretatur explicatque S. Gregorius, libro XXX *Moral.* XVII : « Gedeon, ait, interpretatur circumiens in utero. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia complectitur ; et tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis humilitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus est, et clausus non est, quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur de judicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit. »

Vers. 34 34. SPIRITUS AUTEM DOMINI INDUIT GEDEON. — Septuaginta, *et Spiritus Domini fortificavit Gedeonem ;* Chaldæus, *et Spiritus fortitudinis ab ante Dominum vestivit Gedeon, q. d.* Gedeon a Deo plenitudinem et abundantiam spiritus et fortitudinis accepit, ad instruendum prælium contra Madianitas innumeros. Hoc enim significat verbum *induo*, ut patet *Job* VII, 6 : « Induta est caro mea putredine, » hoc est plena est putredine, et tota quasi putida et putrida. Et cap. VIII, vers. 22 : « Qui oderunt te, induentur (id est replebuntur) confusione. » *Psal.* XXXIV, 26 : « Induantur (repleantur) confusione et reverentia qui magna loquuntur super me. » *Psalm.* CVIII : « Induit maledictionem sicut vestimentum, » quo undique ambitur et cingitur : « Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua, » I *Cor.* cap. XV, oportet « corruptibile hoc induere incorruptionem. » *Ephes.* VI : « Induite » Jesum Christum, ut ejus spiritu pleni, undique eo quasi ambiamini, ipsumque intuentibus repræsentetis, ut qui vos viderit et audierit, ipsum Christum in vobis se videre et audire existimet.

Vers. 36. 36. DIXITQUE GEDEON AD DEUM : SI SALVUM FACIS ISRAEL PER MANUM MEAM SICUT LOCUTUS ES.

Vers. 37. 37. PONAM HOC VELLUS LANÆ IN AREA : SI ROS IN SOLO VELLERE FUERIT, ET IN OMNI TERRA SICCITAS, SCIAM QUOD PER MANUM MEAM, SICUT LOCUTUS ES, LIBERABIS ISRAEL. — Gedeon jam certa habuerat indicia Angelum Dei sibi apparuisse, per ignem miraculose ab eo e petra elicitum, Deumque velle ut ipse prælium contra Madian capesseret; cur ergo de novo petit ejus rei signum, puta rorem in vellere? S. Thomas, II II, *Quæst.* XCVII, art. 2, ad 3; Abulensis hic, et nonnulli alii censent Gedeonem peccasse infidelitate, vel mortali, vel saltem veniali, eo quod dubitarit de promissis Dei, ac ab eo ex debilitate fidei novum signum petierit.

Mitius meliusque Origenes, *hom.* 8; S. Ambrosius loco citato, Isidorus, Lyranus, Cajetanus, Arias, Serarius et alii asserunt eum non peccasse, quia Apostolus, *Hebr.* XI, Gedeonem inter sanctos veteris Testamenti annumerat, eumque a fide eximia collaudat; et quia Deus hic tam facile petitioni utrique Gedeonis obsecutus est.

Videtur ergo Gedeon ex magna in Deum fiducia, animoque lætitia gestiente (jam enim spiritus Domini eum induerat) ad Dei gloriam hæc duo signa petiisse, non tam ad suam, quam ad suorum commilitonum, quos ad se et prælium hocce suum jussu Dei convocabat, fidem et spem erigendam; ut scilicet ipsos sensim ad se confluentes his signis divinis confirmaret, et in certam victoriæ spem accenderet; unde et coacto jam exercitu signum hoc petiit. Ita Cajetanus, Salianus et Suarez. Rursum videtur Gedeon a Deo motus et instinctus hæc signa petiise, ad mysterii, quod

iis de Christo figurabatur, significationem, de quo mox plura. Simili de causa Moses petiit a Deo signum missionis suæ ad Pharaonem, *Exod.* III, et Ezechias sanationis suæ e morbo, *Isaiæ* XXXVIII, 22. Ita Suarez, tom. I *De Relig.*, lib. I *De irreligiositate,* cap. II, et Lessius, lib. II *De Virtut. Card.*, cap. XLV, dub. 1; tertiam excusationem Gedeonis affert Suarez, eamque præ cæteris probat, ipse æque ac Serarius, quod scilicet Gedeon petierit hoc signum, ut omnem dubitationis motum etiam involuntarium ex animo tolleret: licet enim ipse firmiter crederet Deo promittenti victoriam, tamen sentiebat in re tam ardua aliquos dubitationis motus et diffidentiæ tentationes, quas ut eximeret, fidemque omnino solidaret et augeret, petiit hoc signum. Quartam affert Dionysius Carthusianus, quod scilicet crederet quidem Deo promittenti victoriam, sed metueret ne promissio hæc esset conditionata, si scilicet Hebræi toto corde Deo servirent, non absoluta : quare petit hoc signum, quo Deus declaret promissionem hanc esse absolutam; petiit ergo Gedeon geminum signum, sive unum idemque inversum. Prius enim petiit ut ros solum esset in vellere ovis, in reliqua vero terra esset siccitas; posterius vero petiit ut solum vellus esset siccum, reliqua vero terra esset rorulenta et humida.

Ros in vellere ad litteram, quid?

Sed cur hoc signum potius quam aliud quodvis postulavit Gedeon? Ad litteram Arias censet quod ipse per vellus indicarit suam vilitatem et abjectionem, ac ineptitudinem ab bellum hoc conficiendum; unde petierit rorem, id est gratiam, misericordiam, spiritum et fortitudinem a Deo sibi ad hoc infundi. Hebraice enim גזה *gizza,* id est *vellus,* alludit ad גזז *gazaz* (littera enim *zain* continet *de*, ideoque continet *daleth,* quæ est in nomine *Gedeon*), id est detondere, succidere, excidere, *q. d.* Ego, o Domine, sum quasi vellus ovile detonsum, et omni robore viribusque succisum; tu ergo rore tuæ gratiæ et fortitudinis illud imple, ut illo roboratus tantum prælium capessere audeam, illudque feliciter conficiam.

E contrario id posteriore signo Arias opinatur, rorem in terra fuisse sudoris et anxietatis symbolum, quasi Gedeon per hoc edoceri voluerit an, sine labore magno magnaque suorum cæde, ingens futura esset Madianitarum hostium strages et excidium, quasi orarit : Esto, o Domine, velleri, id est mihi siccitas, quies et amplitudo (huc enim Hebraice חורב *choreb,* id est *siccitas,* per metathesin in symbolis usitatam alludit, ut *choreb* sit רוחב *rocheb,* id est dilatans et dilatatio) : terræ autem omni hostili reliquiæ, puta Madianitis, esto sollicitudo, anxietas, pavor, commotio, dejectio. Et hunc alludit Hebræum טל *tal*, id est ros, quod alludit ad טיל *til* et טלל *talal,* id est *projicere, dejicere.* Arias ergo censet Gedeonem per vellus intellexisse se ac suos, per terram circumjacentem Madianitas, et in priori signo per rorem victoriam; in posteriori vero sudorem, lacrymas et calamitatem portendi.

Verum durum videtur eumdem rorem hic duo contraria significare, scilicet victoriam et calamitatem. Quare congruentius tum ad sensum litteralem, tum mysticum, dicemus rorem utrobique idem significare, nimirum Dei gratiam et misericordiam, opem, victoriam; ut scilicet Gedeon in priori signo velleri, id est sibi petierit rorem divinæ opis et fortitudinis ad Madianitas superandos, cum reliqua Judæa esset illius expers, sicca, afflicta et sterilis; in posteriori petierit eumdem rorem fortitudinis sibi in priori signo postulatum, etiam cæteris Judæis suis popularibus præsertim suis commilitonibus infundi, ut ipsi se socios Gedeoni ad pugnam cum Madianitis tam arduam animose offerrent.

Porro in vellere hoc signum petiit, *primo,* quia vellus hoc velut ovium Pastor habebat obvium et ad manum; *secundo,* quia vellus aptum erat symbolum hujus victoriæ. Vellus enim est lana ab ovibus evulsa et detonsa. Olim enim lanam ab ovibus vellebant, cui vulsioni postea successit detonsio. Hæc ergo, ut ait Varro lib. II *De Re rustica,* cap. XI : « Vellera alii vellumina appellant; ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram quam tonsuram inventam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo habent jejunas quod languidæ minus radices lanæ retinent. » Idem, lib. IV *De lingua Latina :* « Vellæ, ait, unde essent plures accipi causas, in queis quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti; ex quo vellera dicuntur. » Varroni consentit Isidorus, lib. XIX *Originum,* cap. XXVII : « Lana, inquit, a laniendo, id est, vellendo dicta. Hinc et vellus dictum, quod prius lanæ vellerentur, non tonderentur. »

Velleris symbolo ergo tacite innuit Gedeon, Madianitas totondisse omnia sata et germina Judææ, sicut vellus hoc detonsum erat ab ove, ac proinde petere se ut vicissim ipse simili modo Dei ope detondeat, et ab Israele abradat Madianitas. Hinc nomen *Gedeon* Hebraice significat succisorem, excisorem, detonsorem, ac alludit ad גזה *gizza,* id est vellus ab ove detonsum.

Quæres *secundo,* quid mystice significet ros in vellere; et mox in terra?

Resp. primo. Ros in vellere est Christus in Virgine.

Respondeo, allegorice ros in vellere est Christus in Virgine. Ros enim significat Verbi in Virginem illapsum et incarnationem instar roris fore secretum, tranquillum, castum, suavem, spiritalem, fecundum, sine virginitatis corruptione, et sine partus dolore. Vellus enim est tam uterus Virginis, quam humanitas Christi Virginis utero concepta, in quam divinitas se ut ros cœlestis insinuavit. Unde S. Ambrosius, S. Ephrem, S. Sophronius, Proclus et alii, B. Virginem vocant et invocant : « Vellus Gedeonis. » Audi S. Ambrosium, *serm.* 9 : « Maria, ait, recte velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum

corpore hauriret, nec ejus discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. » Et S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ* : « Pastores nocte vigilantes audire meruerunt : Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis, dumque servant oves, invenerunt Agnum Dei puro et mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cœlesti rore complutum est. » Hinc S. Bernardus, serm. 2 super *Missus est* : « Quid, ait, Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis absque detrimento virginitatis? cui utique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo divinitatis; adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus : huic quoque Gedeonico facto propheticum dictunt, pulchre satis convenire videtur, ubi legitur : Descendet sicut pluvia in vellus. »

Idem, serm. *in Nativ. Mariæ* : « Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. » Ecclesia denique in ipsa primarum Circumcisionis vesperarum antiphona secunda, ita canit : « Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum. »

Denique B. Petrus Chrysologus, serm. 3 *De Annunt.* : « Cœlestis imber, ait, Virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere ; donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet, » etc.

Plura hac de re dixi *Isaiæ* XLV, 8, ad illa : « Rorate, cœli, desuper, » ubi novem analogias roris et Christi recensui.

Porro prius signum impletum est in conceptione Virginis; tunc enim ipsa sola rorem cœlestem, id est Verbum divinum utero suo concepit, reliqua terra, id est feminis cæteris manentibus siccis, et hujus roris expertibus; posterius in ejusdem partu, tunc enim pariens Christum rorem hunc in terram effudit, ipsaque mansit quasi vacua et quasi sicca.

Mystice. Mystice : Ros fidei et gratiæ Dei primo depluit in vellus Gedeonis, id est in Judæos Gedeonis contribules usque ad Christum : at eo prædicante hic ros apud Judæos ob eorum incredulitatem in Christum exaruit, et derivatus est ad reliquam terram, id est ad omnes gentes, quæ fidem et gratiam Christi avide susceperunt. Ita Origenes, Theodoretus, Procopius, Rupertus hic et S. Augustinus, serm. 108 *De Temp.*; S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, et procem. lib. I *De Spiritu Sancto*, ac Chrysostomus in *Psalm.* LXXI, ad illa : « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. » Significatur ergo hic electio Gentium, et reprobatio Judæorum, qui prius rore divinæ legis et electionis irrigati fuerant : « Inde est quod nunc fidei rore totus orbis humescet, » ait S. Ambrosius. Audi S. Hieronymum *ad Paulinum* : « Postquam siccato vellere universus orbis cœlesti rore perfusus est, et multi de Oriente et Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ, desiit esse notus tantum in Judæa Deus et in Israel magnum nomen ejus, sed in omnem terram exivit sonus Apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Uberius D. Augustinus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. V : « Non video, ait, quid hic aliud figuratum et prænuntiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris populum Israel. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est, in velamine, et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum jam revelato rore saginari per Evangelium Domini nostri, quod tunc in illo tegmine figurabatur; illam vero gentem amisso sacerdotio quod habebat, quia in Scripturis non intelligit Christum, tanquam in sicco vellere remansisse. »

Symbolice, S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, post initium, per vellus accipiens humanitatem Christi, quæ rorem vitæ divinæ in Incarnatione excepit : « Vellus hoc, ait, in morte desiccatum expresso sanguine ceu rore, eodem per gratiam suam totum mundum irrigavit. » Idem, procem. lib. I *De Spiritu Sancto* : « Venit, ergo, inquit, jam Dominus, venit et pluvia. Venit Dominus stillicidia secum cœlestia deferens, et ideo jam nos bibimus, qui ante sitiebamus, et divinum illum spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo prævidit S. Gedeon, quia verum et spiritualem rorem etiam gentes nationesque erant fidei perceptione bibituræ, et ideo diligentius exploravit. » Symbolice.

Et S. Irenæus, lib. III, cap. XIX : « Quapropter, ait, necessarius est nobis ros Dei, ut non comburamur (igne tentationis et concupiscentiæ) neque infructuosi efficiamur. » Rorem hunc verbi divini specialiter excipimus per conciones, lectiones, orationes, inspirationes Dei, realiter vero per Eucharistiam, in qua ipsam carnem Christi agni immaculati manducamus, nobisque unimus, eaque quasi vellere purissimo vestimur, inde rorem omnem gratiæ cœlestis exsugimus, ac præsertim ejus humilitatem et mansuetudinem (cujus symbolum est vellus laneum et molle) induimus.

Tropologice, P. Berthonius, et ex eo Serarius : « Ecclesiastici, ait, qui more velleris Domino sunt conjuncti, et esse debent molles, humiles et benigni, solebant esse rore divinæ gratiæ præ cæteris madefacti, area vero, id est, populi sæculares, respectu eorum erant indevoti, aridi et duri, sed vere hodie videmus contrarium ; area magis est rorida quam vellus, sæculares devotiores sunt quam regulares, laici quam clerici, subditi quam Prælati, ut compertum est. » Tropologice.

Mimetice, velleris ab humore circumciso defensi miraculum renovatum fuit in S. Bernardo, qui scribens primam epistolam ad Robertum Nepotem sub dio, cum circumcirca plueret, chartam tamen non madefecit, ait Baronius, tom. XII, anno Christi 1125.

Nuper Superior cujusdam prisci et numerosi Ordinis, suos ad primævum virtutis fervorem exhortans, argute sic orsus est : « Primitus in nobis vigebat conscientia ; ex conscientia decurtata secuta est scientia, inde utraque præcisa, mera facti sumus *entia*, hoc est stipites et lapides. Redeundum ergo nobis est ad pristinam conscientiam, ut eam primo patrum nostrorum spiritu et sanctitate repleamus. » Vitium hoc est commune rerum creatarum, ut sensim degenerent, arescant, deficiant, et senescentes in suum nihilum ex quo venerunt redeant : quare viri ecclesiastici et religiosi crebro se renovent oportet, ut primævum vocationis suæ spiritum fugientem revocent, conservent et adaugeant, uti eos facere conspicimus. Sane hoc sæculo, quo Lutherus quasi novus Madianita, imo Madianitarum Dux Ecclesiam Dei, sua hæresi, crapula et luxuria deformavit, atque quasi *Zeb*, id est lupus oves agnosque Christi diripuit et laniavit, Deus quoque illi S. Ignatium de Loyola fundatorem Societatis Jesu, quasi novum Gedeonem opposuit, per gratiam Christi magno omnium gaudio cernimus, omnes Ecclesiæ Ordines magno studio sese reformare, et ad primævum instituti sui vigorem, rigoremque ingentibus animi passibus contendere. Deo sit laus et gloria. Pergamus omnes strenue hac via qua cœpimus, ut quisque suæ religionis vellus exarescens rore divinæ sapientiæ et gratiæ imbuere satagat, ut vitam Angelorum, ad quam vocati sumus, æmulemur, simusque homines cœlestes et Angeli terrestres ; ut nimirum ardeamus amore cum Seraphim, divinorum scientia fulgeamus cum Cherubim, spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus nostris malignorumque spirituum suggestionibus cum Virtutibus, regnum animæ in justitia et pace gubernemus cum Potestatibus, subditis nostris debite provideamus cum Principatibus : magna, si habemus, proximis nostris communicemus cum Archangelis ; minora subsidia indigentibus impertiamur cum Angelis.

Secundo, idem roris vellerisque miraculum quasi renovatum fuit in S. Arnulpho Metensi episcopo, a quo omnis familiæ Pipini et Caroli Magni prosapia, æque ac nobilitas et sanctitas, quasi a fonte derivata descendit. Hic enim anno Christi 485, peccatorum veniam a Deo poscens, annulum projecit in Mosellam dicens : « Tunc me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem projicio recepero annulum ; » ac post aliquod tempus annulum hunc in pisce sibi a piscatore allato inveniens, peccata sibi remissa cognovit, Deoque gratias egit. Ita narrat Paulus Diaconus in ejus Vita, idque ex Caroli Magni ore se accepisse profitetur, additque : « Nec dissimiliter pater hic venerabilis cum Gedeone illo signum a Domino poposcit, ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset ; iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem projiciens, experiri cupit utrum de inimicis jam victoriam cepisset. Fortes quidem erant quos ille devicerat, sed hi quos iste superaverat fortiores. »

Denique ex hoc Gedeonis vellere orta est historia vel fabula Argonautarum, qui sexaginta annis post Gedeonem sub Abesan Judice floruisse dicuntur ab Eusebio, Genebrardo et aliis in *Chronic.* Hi enim fuere 54 heroes, qui in navi dicta Argo navigarunt in Colchum, ut vellus aureum auferrent ; quorum duces et primores fuere Jason, Castor, Pollux, Hercules, Orpheus, de quibus Virgilius, *Eclog.* IV :

> Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
> Delectos heroas.

Vide Diodorum, lib. V, cap. III, et Hyginium, *Fab.* 15.

Rursum ad utrumque hoc vellus, scilicet Gedeonis et Jasonis respiciens Philippus cognomento *Bonus*, Burgundiæ Dux, Caroli Audacis pater, anno Domini 1430, die tertia Idus januarii instituit ordinem celeberrimum equitum Aurei Velleris, constantem heroibus nobilissimis ac fortissimis, qui collapsam Christianæ fidei dignitatem erigerent, ac Baalis aras, id est Turcicas Mosqueas, ait Serarius, atque hæreticorum conventicula quasi novi Gedeones dejicerent et succiderent. Ita Pontus Heuterus, libro IV, Burgundius Guilielmus Mennensis, libro I *De Aureo vellere*, cap. I et II ; Hadrianus Barlandus, Alvarus Gometicus, Jacobus Meyerus, et alii qui res Belgicas et Burgundicas scripserunt.

38. Expresso vellere concham rore implevit.— Vers. 38. ut certo sciret vellus esse rorulentum, imo rore turgidum ; hoc enim signum sibi a Deo dari petierat. Mystice, quomodo mens nostra debeat esse concha, primo seipsam implens rore et aqua gratiæ et virtutis, antequam illam in alios derivet, non canalis, qui omnem aquam quam recipit emittit, nihil sibi retinens, pulchre docet S. Bernardus, serm. 18 *in Cant.* : « Disce, inquit, et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitatur fontem : non manat ille in rivum ; nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis, etc. Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere solet, non effluere. » Unde S. Ambrosius, proœmio lib. I *De Spiritu Sancto* : « Aqua, inquit, est ros gratiæ cœlestis. Veniat igitur, Domine Jesu, hæc aqua in meam animam, in meam carnem, ut hujus humore pluviæ nostrarum convalles

Mimetice, velleris ab humore circumciso defensi miraculum renovatum fuit in S. Bernardo, qui scribens primam epistolam ad Robertum Nepotem sub dio, cum circumcirca plueret, chartam tamen non madefecit, ait Baronius, tom. XII, anno Christi 1125.

Nuper Superior cujusdam prisci et numerosi Ordinis, suos ad primævum virtutis fervorem exhortans, argute sic orsus est : « Primitus in nobis vigebat conscientia ; ex conscientia decurtata secuta est scientia, inde utraque præcisa, mera facti sumus *entia*, hoc est stipites et lapides. Redeundum ergo nobis est ad pristinam conscientiam, ut eam primo patrum nostrorum spiritu et sanctitate repleamus. » Vitium hoc est commune rerum creatarum, ut sensim degenerent, arescant, deficiant, et senescentes in suum nihilum ex quo venerunt redeant : quare viri ecclesiastici et religiosi crebro se renovent oportet, ut primævum vocationis suæ spiritum fugientem revocent, conservent et adaugeant, uti eos facere conspicimus. Sane hoc sæculo, quo Lutherus quasi novus Madianita, imo Madianitarum Dux Ecclesiam Dei, sua hæresi, crapula et luxuria deformavit, atque quasi *Zeb*, id est lupus oves agnosque Christi diripuit et laniavit, Deus quoque illi S. Ignatium de Loyola fundatorem Societatis Jesu, quasi novum Gedeonem opposuit, per gratiam Christi magno omnium gaudio cernimus, omnes Ecclesiæ Ordines magno studio sese reformare, et ad primævum instituti sui vigorem, rigoremque ingentibus animi passibus contendere. Deo sit laus et gloria. Pergamus omnes strenue hac via qua cœpimus, ut quisque suæ religionis vellus exarescens rore divinæ sapientiæ et gratiæ imbuere satagat, ut vitam Angelorum, ad quam vocati sumus, æmulemur, simusque homines cœlestes et Angeli terrestres ; ut nimirum ardeamus amore cum Seraphim, divinorum scientia fulgeamus cum Cherubim, spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus nostris malignorumque spirituum suggestionibus cum Virtutibus, regnum animæ in justitia et pace gubernemus cum Potestatibus, subditis nostris debite provideamus cum Principatibus : magna, si habemus, proximis nostris communicemus cum Archangelis ; minora subsidia indigentibus impertiamur cum Angelis.

Secundo, idem roris vellerisque miraculum quasi renovatum fuit in S. Arnulpho Metensi episcopo, a quo omnis familiæ Pipini et Caroli Magni prosapia, æque ac nobilitas et sanctitas, quasi a fonte derivata descendit. Hic enim anno Christi 485, peccatorum veniam a Deo poscens, annulum projecit in Mosellam dicens : « Tunc me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem projicio recepero annulum ; » ac post aliquod tempus annulum hunc in pisce sibi a piscatore allato inveniens, peccata sibi remissa cognovit, Deoque gratias egit. Ita narrat Paulus Diaconus in ejus Vita, idque ex Caroli Magni ore se accepisse profitetur, additque : « Nec dissimiliter pater hic venerabilis cum Gedeone illo signum a Domino poposcit, ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset ; iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem projiciens, experiri cupit utrum de inimicis jam victoriam cepisset. Fortes quidem erant quos ille devicerat, sed hi quos iste superaverat fortiores. »

Denique ex hoc Gedeonis vellere orta est historia vel fabula Argonautarum, qui sexaginta annis post Gedeonem sub Abesan Judice floruisse dicuntur ab Eusebio, Genebrardo et aliis in *Chronic.* Hi enim fuere 54 heroes, qui in navi dicta Argo navigarunt in Colchum, ut vellus aureum auferrent ; quorum duces et primores fuere Jason, Castor, Pollux, Hercules, Orpheus, de quibus Virgilius, *Eclog.* IV :

> Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
> Delectos heroas.

Vide Diodorum, lib. V, cap. III, et Hyginium, *Fab.* 15.

Rursum ad utrumque hoc vellus, scilicet Gedeonis et Jasonis respiciens Philippus cognomento *Bonus*, Burgundiæ Dux, Caroli Audacis pater, anno Domini 1430, die tertia Idus januarii instituit ordinem celeberrimum equitum Aurei Velleris, constantem heroibus nobilissimis ac fortissimis, qui collapsam Christianæ fidei dignitatem erigerent, ac Baalis aras, id est Turcicas Mosqueas, ait Serarius, atque hæreticorum conventicula quasi novi Gedeones dejicerent et succiderent. Ita Pontus Heuterus, libro IV, Burgundius Guilielmus Mennensis, libro I *De Aureo vellere*, cap. I et II ; Hadrianus Barlandus, Alvarus Gometicus, Jacobus Meyerus, et alii qui res Belgicas et Burgundicas scripserunt.

38. Expresso vellere concham rore implevit.— Vers. 38. ut certo sciret vellus esse rorulentum, imo rore turgidum ; hoc enim signum sibi a Deo dari petierat. Mystice, quomodo mens nostra debeat esse concha, primo seipsam implens rore et aqua gratiæ et virtutis, antequam illam in alios derivet, non canalis, qui omnem aquam quam recipit emittit, nihil sibi retinens, pulchre docet S. Bernardus, serm. 18 *in Cant.* : « Disce, inquit, et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitatur fontem : non manat ille in rivum ; nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis, etc. Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere solet, non effluere. » Unde S. Ambrosius, proœmio lib. I *De Spiritu Sancto* : « Aqua, inquit, est ros gratiæ cœlestis. Veniat igitur, Domine Jesu, hæc aqua in meam animam, in meam carnem, ut hujus humore pluviæ nostrarum convalles

mentium, atque intimi cordis arva viridescant. Veniant in me stillicidia tua gratiam immortalitatemque rorantia. Dilue gressus mentis meæ, ne iterum peccem. Ablue animi mei calcaneum, ut possim abolere maledictum, ne morsum serpentis interiore pede sentiam, sed sicut ipse jussisti sequentibus te, ut serpentes et scorpiones illæso possim calcare vestigio. »

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gedeon jussu Dei e triginta duo millibus militum formidolosos dimittit ad viginti duo millia, mox eos qui prono ore biberant aquam fluminis : quare solos trecentos sibi reservat. Secundo, vers. 9, descendens in castra Madian, audit Madianitæ somnium de pane subvertente castra Madian, illumque panem esse gladium Gedeonis. Unde certam victoriæ spem concipit. Tertio, vers. 16, cum trecentis irruit in Madianitas innumeros, ac clangens tubis, langenarum complosione, et inde lampadibus effulgurantibus, Madianitas percellit, ut ipsi mutua se cæde trucident.

1. Igitu Jrerobaal qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad; erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. 3. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica : Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. 4. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos : et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat : quem ire prohibuero, revertatur. 5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. 6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, trecenti viri : omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. 7. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian; omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. 8. Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua : et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle. 9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua; 10. sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. 11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendens. Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. 12. Madian autem et Amalec, et omnes Orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo : cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris. 13. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo; et in hunc modum referebat quod viderat : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere; cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. 14. Respondit is cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israelitæ; tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus. 15. Cumque audisset Gedeon somnium et interpretationem ejus, adoravit; et reversus est ad castra Israel, et ait : Surgite; tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. 16. Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio

lagenarum. 17. Et dixit ad eos : Quod me facere videritis, hoc facite, ingrediar partem castrorum, et quod fecero sectamini. 18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate, Domino et Gedeoni. 19. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. 20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis; 21. stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt : 22. et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, 23. fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephtali, et Aser, et omni Manasse persequebantur Madian. 24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens : Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque ad Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Jordanem usque Bethbera. 25. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb, et Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.

Vers. 1. 1. AD FONTEM QUI VOCATUR HARAD. — *Harad,* Hebraice significat timorem, ut discamus quod « initium sapientiæ sit timor Domini. » Nam « beatus homo qui semper est pavidus, » *Prov.* XXVIII, 14. Fons hic typus est baptismi et pœnitentiæ, quam milites prælio præmittere debent, uti fecere jussu Constantini Imperatoris pugnaturi contra Maxentium, qui idcirco de eo victoriam retulere, uti narrat Theodoretus, lib. III, cap. III.

Vers. 2. 2. NE GLORIETUR CONTRA ME ISRAEL ET DICAT : MEIS VIRIBUS LIBERATUS SUM. — « Ne opus cœlestis dextræ virtuti assignetur humanæ, » etc. « Ut sibi de patrato divinitus belli opere paucitas usurpare nihil posset, » ait Salvianus, lib. VII *De Providentia, q. d.* Volo ut trecentos tantum, eosque inermes ad prælium hoc adhibeas, ut omnibus constet victoriam non militum, sed meis viribus esse partam. Hac de causa Deus elegit infirma mundi, ut confundat fortia, I *Corinth.* I, scilicet viles et indoctos piscatores, ut per eos quasi Apostolos orbem converteret; horum enim typus fuere hi Gedeonis milites.

Vers. 3. 3. QUI FORMIDOLOSUS ET TIMIDUS EST REVERTATUR, — ne aliis militibus hanc suam formidinem affricet, idque juxta legem *Deut.* XX. 8. Sic Christus timidos a sua militia rejecit, dicens : « Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus, » *Matth.* X, 38. Dicat ergo animosus Christi miles : « Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? » *Psalm.* XXVI.

RECESSERUNTQUE DE MONTE GALAAD. — Alius est hic mons a Galaad, in quo Jacob cum Laban fœdus iniit, *Genes.* XXXI, 48, qui erat trans Jordanem : hic enim erat cis Jordanem, ibi enim castra sua habebat Gedeon. Serarius putat montem Gelboe hic vocari montem Galaad. Favet Adrichomius (1).

Vers. 5. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS, SICUT SOLENT CANES LAMBERE (ut manu aquam ex flumine haustam in eos injiciant, uti explicat versus sequens, sicut canes lingua lambentes aquam in os injiciunt, non autem os aquæ applicant, ut aquam sugant, sicut faciunt equi et boves), SEPARABIS EOS SEORSUM (ut eos in militiam et expeditionem tuam contra Madian cooptes); QUI AUTEM CURVATIS GENIBUS BIBERINT, IN ALTERA PARTE ERUNT, — ut eos a castris tuis domum ableges. Josephus putat a Gedeone hic electos eos qui erant ignavi, fortes vero rejectos. Audi eum : « Ut ergo sciant rem totam pendere a Dei auxilio, jussit ut circa meridiem, cum æstus fervet maxime, exercitum ducat ad fluvium, et quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet, quotquot autem trepide et tumultuarie potum sumerent, sic existimaret eos metu hostium hoc facere, et cum his jussit hostem invadere. » Unde Abulensis colligit lambentes aquas, tanquam timidiores, ignavos et contemptibiles fuisse a Gedeone et Deo electos, ut major Dei virtus in hac victoria eluceret. Sic et Theodoretus, *Quæst.* XV, et S. Augustinus, *Quæstione* XXXVII.

Verisimilius Lyranus, Arias, Serarius et alii censent electos qui lambuerant aquas præ illis, qui curvato genu biberant, quasi temperantiores, tolerantiores satis, et expeditiores, utpote qui toti ad certamen imminens intenti, obiter et cursim more canum aquam lambendo sitim restinguerent, ideoque ad prælium aptiores. Nam *primo,* hi stantes bibebant, cæteri vero genu flexi

(1) Alii interpretes putant *Galaad* vocari mons *Gelte.*

vel proni in terram; *secundo,* hi aquam modicam ad os manu injiciebant; cæteri vero ore flumen sorbebant, ut totum ventrem implerent, quod magnæ gulæ erat indicium.

Tropologice, qui ad res terrenas et corporeas flecti nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus, ille probabilis, ille electus est. Hoc tandem desiderium nos a possessione Dei, boni in infinitum melioris excludit. Egregie namque Prosper ait : « Qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is, quem terrenæ possessionis adhuc delectat ambitio; quia, quamdiu sua non relinquit, mundo cujus bona retinet, servit. Et utique non potest mundo servire simul et Deo : ac si propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis charitas possit augeri vel perfici. » Huc usque Prosper, lib. II *De Vita contemplativa,* cap. XVI. Rursum S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. XXXIII : « Aquis, inquit, doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt genuflexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recesserunt; quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. »

Vers. 6. 6. FUIT ITAQUE NUMERUS EORUM, QUI MANU AD OS PROJICIENTE LAMBUERANT AQUAS, TRECENTI VIRI. — Ecce hic explicat quid sit lambere aquas more canum, scilicet manu aquam in os injicere, sicut canis injicit lingua. Nam alioqui stantes non poterant lingua aquam contingere, uti faciunt lambendo canes : in eo ergo erant canibus, qui manus non habent, sed lingua pro manu utuntur, dissimiles : « Manu, ait S. Augustinus, *Quæstione* XXVII, aquam raptam in os projiciebant, et hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito, sicut boves, aquam ducunt, aquam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti intelliguntur fecisse, sed cum manu in os aquam projicerent, quam lingua exciperent. »

Nimirum ait Origenes, *hom.* 9 : « Ille probabilis, ille electus est qui, posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas et corporeas nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus. » Addit deinde Origenes : « Sed et quod dicit eos manu vel lingua aquam lambere non absque sacramenti quadam significantia hoc mihi videtur scriptum, scilicet, quod et manu et lingua operari debent milites Christi, hoc est opere et verbo; quia qui docet et facit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod autem etiam similitudinem canis lambentis Scriptura posuit, videtur mihi istud animal hoc in loco propterea nominatum, quod super omnia cætera animalia amorem dicitur proprii domini servare, nec tempore nec injuriis obliterari in eo fertur affectus. »

Vers. 10. 10. DESCENDAT TECUM PHARA PUER TUUS, — id est, famulus tuus. Puer hic animosus Gedeonis metum dispellens fuit typus Christi, ait Leo Castrius in *Isaiæ* cap. X : « Phara » enim idem est quod *frugifer,* vel *ramificatus,* et exaltatus in arbore crucis; hac enim Christus martyribus fidelibusque metum ademit.

Mystice S. Gregorius, lib. XXX *Moralium,* cap. XXXIII. Trecenti repræsentant mysterium S. Trinitatis, ait, additque : « Iste trecentenorum numerus in Tau littera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam, id quod in cruce eminet adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, et per Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est, » *Lucæ* cap. IX : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui sequentes Dominum, tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et per Ezechielem (cap. IX) prophetam dicitur : Signa Tau super frontes virorum gementium et dolentium. » Sic et S. Augustinus, serm. 108 *De Tempore.*

Vers. 13. 13. VIDI SOMNIUM, ET VIDEBATUR MIHI QUASI SUBCINERICIUS PANIS EX HORDEO VOLVI, ET IN CASTRA MADIAN DESCENDERE. — Pro *subcinericius,* hebraice est צליל *tselil,* quod R. David et similes vertunt, *strepitum,* vel *tinnitum edens,* a צלל *tsalal,* id est strepere, tinnire. Melius Noster, Septuaginta, Chaldæus et alii vertunt *tostum* vel *assatum sub cinere,* hoc est subcinericium a radice צלה *tsala,* id est, assavit, torruit : sic ab הגה *haga,* id est, meditari, loqui, fit הגיון *higgaion,* id est meditatio.

Congrue Deus in somnio hoc, Madianitæ militi primario immisso, per panem hunc hordeaceum et subcinericium significabat Gedeonem in speciem abjectum et contemptibilem, qui tumultuarie et subito, quasi ex cinere hunc exercitum exiguum trecentorum militum collegerat. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XXXVII, Lyranus, Abulensis, Arias et alii, idque allusione pulchra. Hebræi enim bellum vocant מלחמה *milchama,* id est comestionem, sive devorationem hominum, ducto nomine a לחם *lechem,* id est panis. Unde ad hoc apposite dicitur, *Num.* XIV, 9 : « Sicut panem devorare eos possumus. » Significat ergo hæc visio Gedeonem et Hebræos, qui hactenus fuerant panis Madianitarum, utpote ab eis devorati, uti devoratur panis, deinceps fore gladios, percussores et occisores Madianitarum se devorantium.

Conjectavit igitur optime Madianita hic ex ambigua nominis significatione; nam לחם *lechem* et panem et bellum significat. Ex hac ergo conjunctione et affinitate, non naturæ (quæ enim est affinitas panis ad gladium?), sed significationis,

conjecit per panem significari gladium et bellum, quod a Gedeone jam imminente Madianitarum castris imminebat. Ita Arias et noster Gaspar Sanchez in *Isaiæ* cap. XIV, num. 29. Apposite Gedeoni in area grana ad panem excutienti, et panes Angelo liberaliter offerenti, in præmium hospitalitatis Deus panem dedit omen et signum victoriæ, ut ostenderet quam efficax sit beneficentia et hospitalitas, utpote quæ panes vertat in gladios, quibus hostes quoslibet prosternat.

Allegorice, hic panis fuit typus Eucharistiæ, quæ Madianitas, id est dæmones cæterosque hostes quasi gladius ferit et dejicit; hic enim est panis qui de cœlo descendit, et castra hostium subvertit, sicut panis hic videbatur ex alto descendere in castra Madian, quasi a Deo in illa demissus ut eadem disturbaret.

CUMQUE PERVENISSET AD TABERNACULUM, PERCUSSIT ILLUD. — « Tabernaculum » intellige principis, sive ducis, indeque cæterorum militum. Tabernaculum ergo, id est, tabernacula, quæ in medio castrorum esse solent, ut sint tutiora ab hoste. Unde mox versu sequenti tabernaculum hoc interpretatur omnia castra Madian. Ita Cajetanus, Arias et alii.

Vers. 14. 14. RESPONDIT IS CUI LOQUEBATUR, — puta commilito, sive socius Madianitæ, qui somnium quod viderat sibi narrarat : « Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, » ob analogias jam recensitas. Dixit hoc utique instinctus a Deo; unde subdit : « Tradidit enim Dominus in manus ejus Madian et omnia castra ejus. » Ita Abulensis.

Vers. 15. 15. CUMQUE AUDISSET GEDEON SOMNIUM (linguam enim Madianiticam intelligebat, sive quia illa vicina erat Hebrææ, sive quod a Madianitis Judæam jam per septennium occupantibus eam didicisset) ADORAVIT — Deum, quod sibi hoc omen divinum victoriæ prænuntium præbuisset.

Vers. 16. 16. DIVISITQUE TRECENTOS VIROS IN TRES PARTES (quasi in tres acies, ut ternis turmis Madianitas cingeret), ET DEDIT TUBAS IN MANIBUS EORUM, LAGENASQUE VACUAS, AC LAMPADES IN MEDIO LAGENARUM. — Vox *lampades*, Hebraice לפידים *lappadim*, in genere significat lucentem flammam, in quacumque re vel materia illa sit. Chaldæus vertit, *beguraca*, id est, *incensa* vel *ignita*. Unde non est verisimile lampades has fuisse nostrates vulgares, quæ oleo ardent et aluntur; hæ enim inclusæ lagenis iis complosis fuissent exstinctæ, sed, ut ait Arias, lignei erant torres ex pino, cupresso, cedro aut simili oleaginosa et pingui arbore, qui ignem accipere, fovere, ac diutius servare possent vento obluctante excitandum augendumque potius quam exstinguendum; præsertim si insuper pice, cera, oleo, bitumine, etc., obliti unctique fuerint. Itaque omnia hic ad terrorem comparata percelluerunt Madianitas, quia inopinata et nocturna scilicet multitudo trecentarum tubarum clangentium ad prælium; fragor lagenarum, quarum quisque suam commilitonis lagenæ allidebat, indeque subito emicantes vicinæ circumquaque lampadum, id est, torrium sive titionum flammæ, hostem insequentes (1). Simili stratagemate Annibal a Q. Fabio Maximo ad Casilinium obsessus, eum elusit et evasit : nam duobus boum millibus ad cornua singulorum faces accensas alligavit, itaque eos stimulando impulit in montes a Romanis insessos, « ac metus ipse relucentis flammæ ex capite, ait Livius, *Decade* 3, lib. II, calorque jam ad vivum ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves, quo repente discursu haud secus quam sylvis montibusque accensis omnia circumvirgulta ardere, capitumque inquietatio excitans flammam hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui ad transitus saltus insidendos locati erant : ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati præsidio excessere : qua ingens emicabat flamma velut tutissimum iter petentes summa montium juga, tum in quosdam boves palantes a suis gregibus inciderunt : et primo cum procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt, deinde ut humana apparuit fraus, tum vere insidias rati esse cum multo maximoque strepitu concitant se in fugam, levique armaturæ hostium incurrere. »

Hannibalis stratagema.

Huic similia sunt quæ recenset Julius Frontius, lib. II *De Stratagem.*, cap. IV : « Hispani, inquit, contra Halmicarem boves vehiculis adjunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tædæ et sebi et sulphuris plena signo pugnæ dato incenderunt, actis deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt.

Et aliorum.

« Phalisci et Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis faces et angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt. Idem Veienses et Fidenates facibus arreptis fecerunt.

« Atheas, rex Scytharum, cum adversus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, jussit a feminis et pueris omnique imbelli turba greges asinorum ac boum ad postremam hostium aciem admoveri, et erectas hastas præferre : famam deinde diffudit, tanquam auxilia sibi ab ulterioribus Scythis adventarent, quæ asseveratione avertit hostem. »

Idem, lib. III, cap. VIII : « Cyrus, ait, rex Persarum, incluso Sardibus Crœso, qua præruptus mons nullum aditum præstabat, ad mœnia malos exæquantes, altitudinem jugi subrexit : quibus simulacra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctuque eos monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est; ubi orto sole simulacra illa armatorum referentia habitum refulserunt; oppidani captam urbem

(1) Hæ lampades quædam faces erant bitumine unctæ quarumque flamma lagenis ligneis tegebatur.

a tergo credentes, et ob hoc in fugam dilapsi, victoriam hostibus concesserunt. »

Idem, lib. II, cap. v : « Alexander Macedo, inquit, cum hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, speciemque præberent totius exercitus : ipse per avias regiones cirumducta manu hostem superiore aggressus loco depulit. »

Allegorice, Procopius et S. Augustinus, serm. 108 *De Temp.* : Milites Gedeonis, inquit, sunt discipuli Christi, qui miraculorum faces præ se tulerunt et prædicationis tubam, quibus Madian, id est gentilismum et idolorum cultum prostravere.

Tropologice de Martyribus.

Tropologice Rupertus : Lagenæ, ait, sunt fragilia et quasi testea martyrum corpora, quibus per mortem fractis cœperunt coruscare miracula, per quæ in fugam acti sunt persecutores, et conversi ad Christum infideles. Sic fere et S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. XVI, ac fuse S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* cap. XXXIII, quem audi : « Designatur in tubis clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum hostes moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri; sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum prædicant; confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt; resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum, miraculis coruscarunt. Moxque hostes in fugam conversi sunt; quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. »

Idipsum clarius explicat, dum subdit : « Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur; lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est, prædicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur; corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent; coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent; quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. » Eadem ad verbum habet, et ex S. Gregorio transcripsit Beda.

Rursum Origenes hic, *hom.* 9, sub finem : « Vide, ait, quia electi milites Dei cum lampadibus pugnant. Sic enim eos Christus armaverat, dicens : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ vestræ ardentes. Et iterum : Sic fulgeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Talibus ergo lampadibus accensis pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes et splendore gestorum. Quæ sunt autem buccinæ corneæ in quibus tuba canunt? Qui de cœlestibus loquitur, qui de spiritualibus disserit, qui mysteria regni cœlorum revelat, ille buccina concinit, ille de tuba loquitur, qui de magnis et maximis loquitur, qui scientiam Christi humanis auribus pandit. Sed cur et cornea dicitur buccina? Quia et de sancto dicitur. Cornu ejus exaltabitur in gloria. Unde et uniuscujusque buccina dicitur cornea, in eo quod multiplicem scientiam Christi, et crucis ejus, quæ in cornu designatur, disserit sacramenta. Cum hac ergo buccina militantes, et cum hac pugnantes vincimus alienigenas, et hostes in fugam vertimus, etiamsi fuerit multitudo eorum sicut locustæ. Locustis enim comparata est dæmonum multitudo, quibus neque in cœlo neque in terris est sedes. Præcedat ergo et nos hoc bello operum lux, scientiæ virtus, divini verbi prædicatio. »

17. QUOD ME FACERE VIDERITIS, HOC FACITE, — nimirum hæc sex ait Serarius : « *primo*, me tuba clangente, clangitote et vos; *secundo*, me clamante, Domino et Gedeoni, clamatote et vos; *tertio*, me lagenam meam frangente, frangitote et vos vestras; *quarto*, me læva manu lampadem tenente, tenetote et vos; *quinto*, me manu dextera tubam tenente, eamque porro inflante, tenetote similiter et inflatote etiam vos; *sexto*, me meo in loco stante, state et vos in vestro singuli. » Vers. 17.

Tropologice, discat hic Prælatus subditos præire exemplo, eoque illos magis docere, quam verbo. Exempla enim fortiora sunt verbis, magisque persuadent. Pudet enim militem cessare, ubi imperatorem laborare et certare videt. Ita fecit Christus, de quo Lucas, *Act.* cap. I, vers. 1 : « Cœpit Jesus facere » primo « et » secundo « docere : » « Discite, ait ipse, a me, quia mitis sum et humilis corde, » *Matth.* cap. XI, vers. 29. Unde S. Ephrem, epist. *ad Joan. Monachum* : « Recte, inquit, agis, exemplum bonorum operum teipsum præbens, et potissimum fratribus, qui tecum habitant, secundum eum qui habet : A me videbitis, et sic facietis. »

Moraliter igitur disce hic ducem militibus, patrem filiis, Superiorem inferioribus ad ardua præcedere debere, primumque manum rei difficili admovere, si illam cito recteque confectam velit. Ita fecit Cato, qui apud Lucanum, lib. IX, sui exemplo milites ad omne discrimen impellit, dicens :

Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo : sitiat quicumque bibentem
Viderit, aut umbras nemorum quicumque petentem
Æstuet aut equitem peditum præcedere turmas
Deficiat, si quo fuerit discrimine notum
Dux aut miles eam, etc.

18. CONCLAMATE DOMINO ET GEDEONI, — scilicet sit hoc prælium et victoria. Unde vers. 20, dicitur eos conclamasse : « Gladius Domini et Gedeonis, » scilicet hic est qui vos, o Madianitæ, per- Vers. 18

sequitur, cædit et sternit. Unde Chaldæus, *gladius a facie Domini procedit, et victoria per Gedeonis manus est,* quem vos, o Madianitæ, velut antagonistam formidatis, ac per somnium de vobis triumphaturum jam cognovistis, *q. d.* Deus est, Deus inquam est, qui Madianitas ulciscitur, suum in eos gladium vibrat, ipsos neci dat; Gedeon vero hac in re illius minister est, ab illo ultorem accipit gladium, suisque ipsum in hostes defigit manibus. Audi S. Augustinum, *Quæst.* XL : « Hoc significat quod gladius id erat operaturus, quod Domino placeret et Gedeoni. »

Hinc laudandi Poloni et Hungari, qui instar Gedeonis prælium adoriuntur inclamato nomine Jesu, et Hispani nomine S. Jacobi, ideoque sæpe victoriam de hostibus reportant.

Vers. 19. 19. INCIPIENTIBUS VIGILIIS NOCTIS MEDIÆ ET CUSTODIBUS SUSCITATIS, COEPERUNT BUCCINIS CLANGERE. — Nox ipsa et tubarum clangor percelluit Madianitas, ut putarent maximum Israelitarum exercitum in se irruere, cui se posse resistere diffiderent. Unde in fugam versi se invicem protrivere et confecere. Hoc stratagema imitantur callidi belli duces; cum enim paucos habent milites, multas tubas inflari curant, ut ex iis hostes suspicentur maximas contra se venire copias, itaque de fuga cogitent. Sic fecit Pompeius contra Mithridatem pugnaturus. Audi Dionem, lib. XXXVI : « Primum, ait, tubicines omnes ex composito simul bellicum cecinerunt, tum milites et reliqua omnis turba conclamarunt : et illi quidem hastas aut pila ad scuta concutiebant; isti (calones et lixæ) lapides etiam ad ærea vasa. » Simile fecit Fredegundis, regina Franciæ, pro Clothario filiolo suo pugnans, nam jussu Landerici ducis, milites ejus singuli præcisis arborum ramis septi, et tintinnabula pulsantes intempesta nocte hostes perterrefecerunt, et in fugam compulerunt, uti narrat Aimoinus, lib. III, cap. LXXXI.

Stratagema Pompeii.

ET COMPLODERE INTER SE LAGENAS, — ut partim fragore hujus complosionis, partim coruscatione tot tædarum sive titionum inde emicantium et effulgurantium, Madianitæ consternerentur. Simili stratagemate Octavium Cæsarem, postea Augustum, Salonas obsidentem fugarunt Salonitani, uti narrat Dio, lib. XLII : « Mulieres, ait, dimissis capillis, vestitu nigro indutæ, acceptis facibus, denique quam maxime terribili habitu compositæ media nocte ad castra oppugnantium accesserunt: metuque exanimatis excubitoribus (quippe dæmonum speciem illis exhibebant) omnibus simul locis castrorum ignem injecerunt, eas subsecuti viri multos eo tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita et castra et stationem navium, quam Octavius tenebat, confestim occupavere. »

Tropologice, auctor homil. *De Virgin.*, apud S. Bernardum : « Exierunt, ait, cum lampadibus lumbos habentes præcinctos, et lucernas in manibus ardentes, ut et castitatis cingulum astringatur in corpore, et ad utilitatem proximi et gloriam patris lux exempli clareat in operatione. Sic Gedeon in lagunculis lampades occultans, sed in hora certaminis fractis vasculis demonstrans, repentina luce hostes terruit et vertit in fugam; terrentur enim principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante lucem tenebræ non possunt. » Et Isaias Abbas, *orat.* 17 : « Qui corporis, ait, timet infirmitatem, ad id quod secundum naturam est non perveniet; qui supplex ad Deum confugit, in eo quietem inveniet : ni Gedeon hydrias confregisset, non aspexisset lampadum splendorem. Itidem homo, nisi corpus contempserit, divinitatis lumen non intuebitur. Etenim Jahel uxor Aber Cinæi, nisi tulisset clavum tabernaculi, Sisaræ superbiam non oppressisset. Si mens igitur se confirmaverit, decreveritque charitatem sequi, omnia carnis vitia superabit. »

Vers. 20. 20. TENUERUNT SINISTRIS MANIBUS LAMPADES, ET DEXTRIS SONANTES TUBAS, — ut firmius tenerent, ideoque majori vi sonoque eas inflarent; major enim vis est in dextera. Mysticam significationem et causam dat S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. XXXIV : « Pro dextero, inquit, habere dicimur quidquid pro magno pensamus; pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est, quod in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt; quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis, quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori loco gratia prædicationis attenditur, et posteriori utilitas corporis, certum est quia in dextris tubæ, et sinistris lagenæ teneantur. »

Vers. 21. 21. STANTES SINGULI IN LOCO SUO PER CIRCUITUM CASTRORUM HOSTILIUM. — « Stantes, » ut scilicet stando fingerent se transitum dare copiis suis maximis Madianitas invadentibus, quasi quælibet tuba, et quilibet tubicen suam duxisset armatorum cohortem; quælibet enim turma equitum suum habet tubicinem : erat nox cum nihil videtur, ideoque multa quæ non sunt, videri videntur, præsertim pavidis et consternatis.

OMNIA ITAQUE CASTRA TURBATA SUNT, — non tam ob linguarum diversitatem, ut vult Josephus, quam quod in castris suis putarent esse Israelitas, seque mutuo non agnoscerent, et divina quadam cæcitate ac rabie per obvios omnes grassarentur. Sic tropologice hæretici, qui sunt nostri Madianitæ, contra se invicem digladiantur, seseque conficiunt. Vere S. Hieronymus in *Ezech.* : « Hæreticorum compugnatio, inquit, nostra victoria est. » Et S. Hilarius, lib. VII *De Trinitate* : « Bellum hæreticorum, ait, pax est Ecclesiæ. »

Vers. 22. 22. IMMISITQUE DOMINUS GLADIUM IN OMNIBUS CASTRIS, ET MUTUA SE CÆDE TRUNCABANT : — nimirum immisit Deus in Madianitas terrorem et cæcitatem, et putantes Hebræos in mediis castris stragem edere, præ pavore, præ somni impotentia, præ

mœrore et ira quisque sibi vicinum hostem esse existimans gladio feriret, quique fugiebant sequentes se pariterque fugientes, crederent esse Israelitas hostes insecutoresque suos; quare dum eos putant ferire et cædere, ceciderunt se mutuo, eo quod Israelitæ continuo clangore tubarum et fulgore lampadarum, sive titionum ardentium eos insequerentur. Hoc meruit fides et spes excelsa Gedeonis, qua Deo obediens cum trecentis militibus, qui ludicris armis lagenarum et lampadarum armabantur, animose invasit innumeros Madianitas armatissimos, ideoque eos prostravit, et ut ait Sidonius Apollinarius in *Panegyr.*:

Solo venit victoria cantu.

Simili modo perculit et percussit Deus hostes Josaphat regis Israel, II *Paral.* XX. Ex Gentilibus Gedeonem imitatus est Leonidas, qui cum trecentis Lacedæmoniis animose ad Thermopylas objecit se Xerxi ejusque copiis innumeris, easque cecidit et fugavit, qui proinde ab omnibus historiis celebratur.

In his omnibus Gedeon fuit typus Christi, uti per sedecim analogias ostendi *Isaiæ* cap. IX, 4, ad illa prædicta de Christo : « Sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. »

Denique exercitus Madian erat ut minimum 135 millium, e quibus hic cæsa sunt 120 millia, reliqua 15 millia fugientia persecutus Gedeon cecidit trans Jordanem, ut audiemus cap. seq., vers. 10. Atque hæc omnia perfecit cum trecentis duntaxat militibus; sed per stratagemata Deo pro eo pugnante et hostes percellente. Vere Judas Machabæus alter Gedeon : « Non in multitudine exercitus, ait, victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, » I *Machab.* III, 19.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gedeon Ephraimitas jurgantes, quod ad bellum vocati non essent, leni responso placat. Secundo, vers. 10, *cædit reliquias Madian. Inde, vers.* 15, *cives Soccoth et Phanuel, eo quod superbe panes sibi negassent, conterit. Tertio, vers.* 21, *principes Madian trucidat. Quarto, vers.* 22, *regnum sibi ab Hebræis oblatum recusat. Quinto, vers.* 27, *ex manubiis hostium fabricat Ephod, quod ejus posteris fuit in ruinam idololatriæ et excidii. Denique, vers.* 30, *ejus filii mors, et sepulturæ locus recensetur, ac eo mortuo relapsus Hebræorum ad cultum Baal.*

1. Dixeruntque ad eum viri Ephraim : Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, et prope vim inferentes. 2. Quibus ille respondit : Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? 3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb : quid tale facere potui, quale vos fecistis? quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum. 4. Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris qui secum erant : et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. 5. Dixitque ad viros Soccoth : Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt, ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. 6. Responderunt principes Soccoth : Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes. 7. Quibus ille ait : Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. 8. Et inde conscendens, venit in Phanuel; locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. 9. Dixit itaque et eis : Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. 10. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. 11. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobæ et Jegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur. 12. Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. 13. Revertensque de bello ante solis ortum, 14. apprehendit puerum de viris Soccoth :

interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros. 15. Venitque ad Soccoth, et dixit eis : En Zebee et Salmana super quibus exprobrastis mihi, dicentes : Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes. 16. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. 17. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. 18. Dixitque ad Zebee et Salmana: Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? Qui responderunt : Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. 19. Quibus ille respondit : Fratres mei fuerunt, filii matris meæ; vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem. 20. Dixitque Jether primogenito suo : Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium; timebat enim, quia adhuc puer erat. 21. Dixeruntque Zebee et Salmana : Tu surge, et irrue in nos; quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana; et tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent. 22. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui; quia liberasti nos de manu Madian. 23. Quibus ille ait : Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. 24. Dixitque ad eos : unam petitionem postulo a vobis; date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant. 25. Qui responderunt : Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda, 26. et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum. 27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. 28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare : sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua; 30. habuitque septuaginta filios qui egressi sunt de femore ejus, eo quod plures haberet uxores. 31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulcro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri. 33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum : 34. nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum. 35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Jeroboal Gedeon, juxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

Vers. 1. 1. DIXERUNTQUE AD EUM VIRI EPHRAIM, etc., JURGANTES FORTITER. — Erant enim Ephraimitæ arrogantes, ut patet *Isaiæ* XI, 13, ob numerosam et potentem suam tribum, quodque illa a Jacob prælata esset tribui Manasse, ex qua erat Gedeon. Jurgantur ergo contra eum, quod ipsos ad bellum non vocarit, præsertim quia Ephraimitæ arctiori cognationis vinculo conjuncti erant Manassensibus, quam cæteris tribubus, eo quod Ephraim et Manasse patres harum tribuum fuissent immediati filii Joseph, qui frater erat Judæ, Ruben, Gad, etc., e quibus prognatæ sunt cæteræ undecim tribus. Joseph enim unus e duodecim Patriarchis, non unam, ut cæteri ejus fratres, sed duas tribus constituit.

Vers. 2. 2. QUIBUS ILLE RESPONDIT : QUID ENIM TALE FACERE POTUI QUALE VOS FECISTIS? — qui fugientes Madianitas ad Jordanem cecidistis plurimos et quasi innumeros, eorumque principes Oreb et Zeb, uti dictum ex cap. præcedenti, vers. 24. Sapienter id dixit Gedeon, ut jurgium modesto placidoque responso sopiret, juxta illud : « Responsio mollis frangit iram, » *Prov.* XV, 1.

Docet ergo hic Gedeon superbiam et litem adversarii nulla re magis placari, quam si te sub eo humilies, eumque laudes et tibi præferas. Qui hoc facit sapiens est et magnanimus. Vere enim Philemon in *Ecdicasomeno* : « Nihil, ait, neque jucundius, neque docto viro dignius est, quam posse conviciantem ferre. » Et Ovidius, lib. III *Tristium* :

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Quocirca Josephus, lib. V, cap. VIII : « Plus, ait,

profuit hæc mansueta Gedeonis responsio, quam Madianitica victoria. »

NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM VINDEMIIS ABIEZER? — Est proverbium idem significans, *q. d.* ut explicat Chaldæus. Infirmissimi tribus Ephraim præstantiores sunt robustissimis familiæ meæ Abiezer. Aut melius, *q. d.* Paucæ personæ cæsæ ab Ephraimitis, scilicet Oreb et Zeb principes Madian, pluris æstimandæ sunt, quam omnes Madianitæ, quos nos Manassenses cecidimus. Tertio et optime, Gedeon metaphorice suam victoriam vocat vindemiam, reliquas vero victoriæ racemationem, quæ uvæ post vindemiam reliquæ colliguntur, *q. d.* Mea victoria fuit quasi vindemia colligens uvas ex vinea plena : sic enim ego cecidi et turbavi omnia castra Madian; vestra vero persecutio, qua turbatos a me fugientes insecuti estis et cecidistis, fuit quasi racematio post vindemiam, id est, victoriam; sed hæc vestra racematio pluris est mea victoria, tum quia cecidistis ipsos principes Madian, tum quia plurimos gregarios trucidastis. Ita Arias, Abulensis et alii.

Posset quoque nervose ex Hebræo sic verti : *Pueriles conatus Ephraim majores sunt forti irruptione Abiezer*, hoc est mea. Hebraice enim עוללות *Oleloth* significat pueriles cogitationes, conatus, operà, ab *Oleb*, id est puer. Porro Gedeon ortus erat ex familia Abiezer, qui erat pronepos Manasse.

Vers. 4. 4. CUMQUE VENISSET GEDEON AD JORDANEM, TRANSIVIT EUM CUM TRECENTIS VIRIS. — Est hysterologia : jam ante enim Gedeon transierat Jordanem; ibi enim delata sunt ad eum capita Oreb et Zeb, ut dictum est vers. ult., cap. præcedenti. Hic tamen ejus transitum per Jordanem enarrat ut recenseat ubi, et qua ratione persecutus sit fugientes, eosque ceciderit, nimirum trans Jordanem.

Vers. 5. 5. DIXITQUE AD VIROS SOCCOTH. — Locus sive urbs ita dicta, quod ibi Jacob veniens e Mesopotamia fixisset tabernacula. Hæc enim hebraice significat *Soccoth, Gen.* XXXIII, 17. Hinc patet Gedeonem transivisse Jordanem juxta mare Galilææ, eo loco ubi Jordanis e mari illo emergit, ideoque est major, quam sit anterius ubi in mare hoc primum influit; ibi enim ad egressum Jordanis ex mari sita est Soccoth in tribu Gad (1).

Vers. 6. 6. FORSITAN PALMÆ MANUUM ZEBEE ET SALMANA IN MANU TUA SUNT, ET IDCIRCO POSTULAS UT DEMUS EXERCITUI TUO PANES. — « Palmæ, » id est, volæ manuum, hoc est manus ipsæ. Est sarcasmus, *q. d.* Videris, o Gedeon, imperiose nobis loqui, quasi jam victor de Zebee et Salmana evaseris, eosque manibus post terga revinctis captivos ante te abducas; at nondum illos vicisti, ut audeas a nobis panes petere. Nimirum frustra præsumis te cum trecentis duntaxat quindecim millia, quæ ipsi secum ducunt, cæsurum. Vide hic ut opera heroica subeant calumniam et invidiam ab iis, qui illa laudare et promovere deberent. Hanc enim subit hic Gedeon a Gaditis, sicut paulo ante subivit ab Ephraimitis. Fuit hæc barbara Gaditarum inhumanitas, qua Gedeoni judici, principi et liberatori suo, pro se contra Madianitas pugnanti, adeoque postulanti non carnes, sed panes denegarunt; unde ipse eam acriter castigavit.

(1) Soccoth civitas erat sita prope Jordanem, ad meridiem torrentis Jaboc.

7. CONTERAM (דשתי *dasti*, id est, *triturabo*) CARNES VESTRAS CUM SPINIS TRIBULISQUE. — Pro *tribulis* hebraice est ברקנים *barkanim*, quod significat spinas sive tribulos acerrimos, qui, ut fulgur, oculos penetrant ac lædunt, ita illi corpus. ברק *barac* enim significat fulgur. Rursus *barkanim* per metathesin alludit ad עקרבים *accrabim*, id est, scorpiones. Ita sunt dictæ spinæ magnæ et acutæ, quæ martyrum carnes discerpebant et laniabant instar scorpionum, animalium venenatorum. Audi Isidorum, lib. VI *Etymol.* cap. ult : « Virgæ sunt extremitates frondium arborumque : si lenis, virga est, si autem nodosa vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur. » Vers. 7.

His ergo tribulis sive scorpionibus percutiebant reos usque ad necem, ideoque subinde eos humi sternebant, ibique flagellando quasi triturabant, sicut trituratur frumentum. Aliqui hanc triturationem censent factam, quod ferrata carpenta (his quoque triturabant, et grana excutiebant) super eos induxerint, uti fecit David Ammonitis, II *Reg.* XII, vers. ult., sed nulla carpentorum horum fit hic mentio. Dicitur enim duntaxat quod tribulis eos triturarit, sicut flagellis triticum triturant Belgæ.

Vers. 8. 8. VENIT IN PHANUEL. — Locus juxta Soccoth, ita dictus a Jacob, eo quod ibi luctans cum Angelo dixisset : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea, » *Gen.* XXXII, 30. *Phanuel* enim hebraice idem est quod *facies fortis*, hoc est *Dei*.

Vers. 9. 9. DESTRUAM TURRIM HANC, — quam Phanuelitæ ædificarant, ut ad eam confugerent ingruente hoste, putantes in ea se fore tutos, ideoque superbe Gedeoni respondentes, negabant ei panem pro alimonia exercitus. Addit Abulensis, *Quæst.* XI, Phanuelitas Gedeoni mortem minitanti respondisse se ipsius minas nihili facere, sibi adversus illas turrim istam stare, tum Gedeonem subjunxisse, se non ipsos tantum, sed et turrim excisurum.

Vers. 10. 10. ZEBEE AUTEM ET SALMANA (duces Madian) REQUIESCEBANT CUM OMNI EXERCITU TRANS JORDANEM, — ideoque Gedeonem, a quo cis Jordanem cæsi erant, non formidantes, sed securi, ideoque securos et imparatos ex inopinato adortus Gedeon cecidit. Addunt Septuaginta, Hebræus et Chaldæus, eos requievisse in *Carcar*, de quo ita scribit S. Hieronymus, in *Locis Hebr.* : « Carcar ubi erant filii (τὸ *filii* irrepsisse videtur, ideoque

delendum) Zebee et Salmana, et est usque hodie castellum cognomento Carcaria, unius diei itinere a Petra distans. » Petra est civitas Arabiæ, a qua cognominata est Arabia Petræa in Moabitica regione, cui confinis erat tribus Ruben.

QUINDECIM ENIM MILLIA VIRI REMANSERANT (qui effugerant stragem Madianitarum editam a Gedeone cap. præcedenti), CÆSIS CENTUM VIGINTI MILLIBUS BELLATORUM. — Hinc patet castra Madian habuisse 135 millia bellatorum, præter calones, lixas, famulos cæteramque imbellem turbam, e quibus a Gedeone et sociis cæsa fuere 120 millia, quindecim vero millia effugerunt, quæ hic ab eodem trucidata sunt. Perperam Josephus pro *quindecim* habet *octodecim millia.*

Vers. 11. 11. ASCENDENSQUE GEDEON PER VIAM EORUM, QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR, — hoc est Arabum, qui exinde Scenitæ vocantur : nam σκηνή est tabernaculum, ita dictum ab Hebræo שכן *sachan*, id est habitavit; quia Arabes hi non habent domos fixas, sed vagantes ex una regione quam depasti sunt, transeunt cum suis tabernaculis in aliam vicinam, illamque similiter depascuntur; abundant enim camelis, equis et vaccis. Unde et Nomades (νέμειν enim est pascere) appellantur, de quibus Plinius, lib. VI, cap. XXVIII, et Strabo, lib. XVI. Unde Gedeon non recta via, sed a tergo per Arabes hosce Scenitas invasit castra Zebee et Salmana, ut eos nil tale cogitantes ex improviso invaderet et opprimeret, quia in re se rei bellicæ et stratagematum, egregie peritum ostendit.

Vers. 13. 13. ANTE SOLIS ORTUM. — Hebraice ad verbum est : *ab ascensu solis*, ut vertit Pagninus in *Lexico*, hoc est *ante ascensum* (id est, ortum) *solis*, ut vertit Vatablus : quare minus recte Lyranus, Arias, Cajetanus et alii vertunt, *desuper existente sole*, quasi jam ortus fuerit sol, ut vult Arias, aut quasi fuerit meridies, quo completur ascensus solis, uti putat Cajetanus, aut quasi fuerit vespera ante occasum solis, ut conjicit R. David et Lyranus. Licet enim *Daniel.* cap. VI, vers. 20 : « Ascensio solis » vocetur « occasus solis; » tamen hæc est phrasis Chaldaica, qua lingua scriptus est liber Danielis. Nam Hebræa, Græca et Latina phrasi ascensus solis significat ortum solis, quo scilicet sol ascendit super horizontem, ait Vatablus. Nota hic rursum stratagema Gedeonis, quo nocte ante ortum solis hostes somno vinoque sepultos adoritur et trucidat.

Vers. 16. 16. CONTRIVIT. — Hebraice est ידע *ioda*, id est *scire fecit*, scilicet per flagella et verbera, hoc est castigavit, punivit. Sic magister discipulo petulanti minans virgas ait : Hisce docebo te, id est castigabo te, quanquam Serarius putet pro *ioda* legendum ידוש *iadus*, id est trituravit. Sic enim legitur vers. 9.

Vers. 18. 18. DIXITQUE (Gedeon) AD ZEBEE ET SALMANA : QUALES FUERUNT VIRI QUOS OCCIDISTIS IN THABOR. — Audierat Gedeon fratres suos uterinos ex eadem matre natos, imminentibus Madianitis de more fugisse in montem Thabor; audierat pariter ibidem nonnullos cæsos esse a Madianitis; suspicatus est ergo cæsos esse suos fratres : et vera fuit ejus suspicio, ut patet vers. 9.

QUI RESPONDERUNT : SIMILES TUI (fratres enim non raro fratribus, æque ac parentibus assimilantur), ET UNUS EX EIS QUASI FILIUS REGIS. — Sensus planus est et clarus, scilicet unum ex eis insigniorem habuisse vultum eximium et regium. Nonnulli tamen sic explicant : «unus,» id est quilibet « ex eis » erat forma tam eleganti, ut videretur esse filius regis. Unde Septuaginta in Codice Romano habent : *Sicut tu, sic illi, in similitudinem filii regis.* Complutensia et Regii : *Sicut tu, sic illi, similis tu similis illis, qualis species filiorum regum.*

Vers. 22. 22. DOMINARE NOSTRI TU, ET FILIUS TUUS, ET FILIUS FILII TUI, QUIA LIBERASTI NOS DE MANU MADIAN. — Erat Gedeon jam populi judex et princeps a Deo constitutus : non ergo Israelitæ hic eum Judicem creare volunt, sed plenum imperium, hoc est regnum illi offerunt, illudque hæreditarium usque ad secundam generationem. Hoc enim significat τὸ *dominare*, scilicet mero et pleno jure quasi rex. Judex enim illo ævo populo Israel dominari non poterat, sed juxta leges eum judicare et regere debebat. Rex enim est absolutus omnium dominus, ideoque quasi Deus terrestris; unde et multi reges voluerunt haberi colique ut Dii, ut Caligula et Domitianus, quem proinde Martialis sive adulando sive corripiendo vocat Dominum Deumque : « Edictum, inquit, Domini Deique nostri. » Porro Augustus Cæsar audiens natum regem Messiam, puta Christum, noluit vocari Dominus.

Vers. 23. 23. QUIBUS ILLE AIT : NON DOMINABOR VESTRI, etc., SED DOMINABITUR VOBIS DOMINUS. — Modeste titulum domini, regisque jus recusat Gedeon; illudque in Deum transcribit, qui proprie erat Israelitarum rex et dominus, ideoque postea ægre tulit eos a Samuele petere regem : instantibus tamen dedit Saulem; quia rex videbatur decerpere aliquid tum nomini, tum juri Dei in suum populum, poteratque impune leges et jussa Dei violare, imo novos deos inducere, uti fecit Jeroboam, Manasses, Salomon aliique reges Israelis.

Vers. 26. 26. MILLE SEPTINGENTI AURI SICLI, — qui faciunt 6800 coronatos Francicos (1), sive libras auri fere 70. Siclus enim est semiuncia. Quare non est verisimile totum hoc aurum expensum fuisse in solum Ephod. Quis enim Pontifex, imo quis homo ferret Ephod, sive vestem ponderantem 70 libras? Quare pars hujus auri in alia ornamenta fuit expensa. Simili modo dicitur David, I *Paral.* cap. XX, vers. 2, fecisse sibi diadema ex corona imposita idolo Melchom, quod ponderabat talentum auri, II *Reg.* XII, 30. Quia scilicet partem coronæ aptavit in diadema, non vere totam. Quis

(1) Mille septingenti auri sicli faciunt fere 17,867 fr.

enim talentum auri capite suo gestare posset?

Vers. 27. 27. FECITQUE EX EO GEDEON EPHOD, — id est, superhumerale, *Exodi* XXVIII, 6. Quæritur, quale hoc fuerit Ephod, et an Gedeon illud faciendo peccarit?

Ephod Gedeonis, quid? *Primo*, Procopius et alii apud Abulensem censent Ephod hoc fuisse idolum, unde pro *posuit* hebraice est יצב *iatseb*, id est *statuit*, sicut solent statui idolorum statuæ. Hinc et Israel *fornicatus est*, id est idololatravit in eo: « Hinc quoque factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. » Verum quis credat virum sanctum, imo Deo familiarem, et ab eo dilectum et electum, qualis fuit Gedeon, post tantam victoriam a Deo acceptam, a Deo ad idola deflexisse, et idololatriæ fuisse auctorem, sicut fuit Jeroboam primus rex Israel conflando vitulos aureos, eosque quasi Deos colendos statuendo in Dan et Bethel?

Secundo. *Secundo*, Arias censet hoc Ephod, utpote aureum, diversum fuisse ab Ephod Pontificis facto ex cocco, purpura, bysso et hyacintho, *Exodi* cap. XXVIII, vers. 6, ac factum a Gedeone hoc fine duntaxat, ut esset perpetuum victoriæ tam admirabilis monumentum. Unde Cajetanus censet Ephod hoc fuisse loricam ex auro ductilem, ut esset signum militiæ, pugnæ et victoriæ. Lorica enim humeros et pectus tegit munitque, æque ac Ephod sive superhumerale. Huic sententiæ satis favent Hebræa, quæ habent, *et fecit illud in Ephod, et statuit illud in Ephra*; quæ verba innuunt ex auro spoliorum factum esse hoc Ephod, ideoque fuisse quasi loricam auream, quam proinde posteri quasi idolum coluerunt. Hæc expositio valde est accommoda.

Tertio. *Tertio*, Lyranus per Ephod proprie accipit Ephod Pontificale, et sub eo intelligit cæteras vestes sacerdotales, quasi Gedeon illas fecerit, ut ipse iis sacrificaret domui suæ, ideoque « peccarit mortaliter, » sed de eo ante mortem pœnituerit. Verum nec hic, nec alibi quidquam legimus de hac ejus pœnitentia.

Quarto. *Quarto*, verisimilius S. Augustinus, *Quæst.* XLI; Theodoretus, *Quæst.* XVI; Dionysius, Serarius et alii censent Gedeonem fecisse Ephod Pontificale, cæterasque Pontificis vestes; hæ enim sub Ephod quasi veste primaria intelliguntur, ait S. Augustinus tam hic quam cap. XVII, 5, et cap. XVIII, vers. 14 et 18. Unde *Osee* III, 4, Septuaginta *Ephod* vertunt τὴν ἱερατείαν, id est sacerdotium omneque instrumentum sacerdotale. Sic ergo per Ephod hic accipe omnem supellectilem ad sacrificium necessariam. Hoc igitur Ephod fecit Gedeon *primo*, ad perenne victoriæ monumentum: hanc enim consecutus erat per sacrificium, in altari a se jussu Dei erecto oblatum. Unde et postquam recusasset regnum sibi ab Hebræis oblatum, illudque in Deum resignasset, fecit hoc Ephod, ut se profiteretur religiosum esse Dei ministrum, ejusque jussa æque ac curam populi se in humeros suos excipere, ut ea eorumque infirmitates humeris suis portet, ac mediator ac sequester sit inter Deum et populum. Hoc enim repræsentabat Ephod sive superhumerale. Hinc et ex spoliis hostium efficit hoc Ephod. Unde hebræum est: *Fecitque illud* (scilicet totum hoc spoliorum ex auro donum) *in Ephod*, id est ex eo ejusque pretio confecit Ephod.

Secundo, fecit hoc Ephod Pontificale splendidum auroque fulgens, quia in eo erant Rationale Urim et Tummim, per quæ Deus a Pontifice consultus dabat oracula principi et reipublicæ, *Exodi* cap. XXVIII, non ut ipse Gedeon eo uteretur, sed ut Pontifex, qui non longe a sua urbe Ephra habitabat in Silo, ubi erat tabernaculum cum arca, ab eo in Ephra evocatus, hoc Ephod indutus pro se consuleret Dominum, sicut eum consulebat David per Abiathar Pontificem; Gedeon enim erat Judex populi, ac in rebus dubiis ac perplexis sæpe occurrentibus responso et oraculo Dei indigebat.

Tertio, videtur Gedeon Ephod hoc fecisse, ut Pontifex eo indutus pro se et populo sacrificaret in altari, a se jussu Dei erecto in Ephra cap. VI, vers. 26. Ad quid enim altare, nisi ut in eo sacrificetur? Addit Serarius Gedeonem ipsum per se in eo sacrificasse. Cum enim ipse jussu Dei in eo immolasset taurum cap. VI, vers. 26, existimasse videtur quod Deus secum dispensasset, ut licet non esset sacerdos ex tribu Levi, tamen quasi præter ordinem auctoratus a Deo in eo sacrificaret. Idcirco enim videtur Deus jussisse illi ut hoc altare erigeret. Altare enim essentialiter respicit sacrificium; nam, ut ait Aristoteles, lib. I *De Cælo*, cap. IV: « Frustra est calceus, cujus non est usus. »

Non peccavit Gedeon faciendo Ephod. Igitur non peccavit Gedeon faciendo hoc Ephod. Probatur *primo*, quia dicitur hic quievisse in senectute bona; *secundo*, quia a S. Paulo, *Hebr.* cap. XI, collocatur in catalogo Sanctorum et heroum veteris Testamenti, qui fide eximia et operibus fidei heroicis excelluerunt; *tertio*, quia vivente Gedeone ejus ductu Israel servivit Deo; post mortem vero ejus deflexit ad Baalim, ut dicitur vers. 33.

Favet S. Augustinus, *Quæst.* XLI, dum ait: « Deus illud factum Gedeonis patienter tulit, ut pax in terra perseveraret, quia licet factum erat quod prohibuerat: non tamen longe recessum ab eo, qui tale aliquid in tabernaculo in suum honorem fieri jusserat: » imo non prohibuerat Deus uspiam fieri tale Ephod, uti nec tale tabernaculum simili illi Mosaico, ut recte advertit Serarius. Nam tale tabernaculum fecit Salomon, lib. II *Paral.* cap. I, vers. 4 et 5.

Peccarunt tamen posteri Gedeonis, qui memoria miraculosæ victoriæ tanquam per splendidum hoc Ephod adeptæ, impulsi divinos ei honores detulerunt. Unde sequitur:

FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO. — Hebraice אחרי *acharau*, id est, *post eum*, scilicet post

mortem Gedeonis. Ita Septuaginta, Chaldæi et alii. Noster tamen τὸ *post eum* refert ad Ephod, quod in illo et cum illo Israel fornicatus sit mystice, id est idololatriam commiserit, illud ut idolum et deum adorando, vel certe illo ad cultum Baalim abutendo, scilicet quod sacerdos Baal illi sacrificaret, hoc Ephod indutus et ornatus. Gaudet enim dæmon, si Deo res suas surripiat, ac illa quibus colitur Deus ad sui cultum traducat.

ET FACTUM EST GEDEONI ET DOMUI EJUS IN RUINAM. — Hebraice לְמוֹקֵשׁ *lemokes*, id est in laqueum, tum culpæ idololatriæ, tum pœnæ ejusdem : ob illam enim culpam tota posteritas Gedeonis excisa est, ut audiemus cap. sequenti. Atque pœnam hanc subiit etiam Gedeon ipse, qui incaute Ephod hoc, quod posteris in idola adeo proclivibus futurum erat occasio idololatriæ, fabricavit. Gedeon enim ob hoc perdidit omnem suam posteritatem. Culpam vero idololatriæ commisit non ipse Gedeon, sed ejus posteri. Id non prævidit Gedeon; unde a culpa saltem mortali excusandus est, venialis enim imprudentia et inadvertentia in eo admitti potest. Unde hoc sensu cum dicitur : « Gedeoni et domui ejus, τὸ *et* accipiendum est expositive per exegesin, ut significet, *id est, q. d.* « Gedeoni, » hoc est domui sive posteritati ejus : hæc enim Ephod hoc adoravit, æque ac Israelitæ adorarunt serpentem æneum a Mose erectum, *Num.* XXI, qui proinde ab Ezechia rege confractus est, IV *Reg.* cap. XVIII, vers. 4.

Moraliter, hic discant Principes quam periculosum et exitiale sit immiscere se rebus sacris. Ecce ibi Gedeon, faciens Ephod bona licet mente, perdidit omnem suam progeniem. Sic Ozias rex, volens thus adolere Deo, lepra percussus est, II *Paralip.* XXVI, 17. Idem tentantes Core, Dathan et Abiron vivi a terra absorpti sunt, *Num.* XVI.

Vers. 28. 28. QUIEVIT TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS, — id est usque ad annum quadragesimum Gedeonis; unde sub his quadraginta annis complectitur Scriptura septem annos, quibus Israel servivit Madianitis, ut dixi cap. III.

Vers. 29. 29. ABIIT ITAQUE JEROBAAL, — id est, litigator et excisor Baal, falsi dei, puta Gedeon.

Vers. 30. 30. HABUITQUE SEPTUAGINTA FILIOS, — præcise incluso quoque Abimelech, de quo vers. sequenti, inquit Serarius, licet alii septuaginta filios accipiant quos habuit ex uxoribus, excluso quem habuit ex concubina, ita ut cum Abimelech habuerit unum et septuaginta.

Porro hi filii mortuo Gedeone videntur coluisse idola, ac præsertim Ephod a Gedeone fabricatum, ideoque Deo vindice occisi et excisi. Hoc enim est quod jam dixit : « Et factum est domui (id est, familiæ, puta filiis) ejus in ruinam. » Disce hic quam vana sit in filiis parentum spes et gloria : nemo enim ex tot filiis patri Gedeoni in principatu successit, imo omnes mox interempti sunt, nimirum « heroum filii noxæ. » Sic « Artaxerxi', ait Justinus, lib. X, regi Persarum ex pellicibus centum quindecim filii fuere, sed tres tantum ex justo matrimonio suscepti, Darius, Ariaretes et Ochus, qui omnes inglorii periere. »

Vers. 31. 31. CONCUBINA AUTEM ILLIUS, — nomine *Druma*, ait Josephus, lib. V, cap. IX. Concubina erat secundaria uxor, quæ erat quasi ancilla, ac proinde ejus filius non succedebat cum filiis uxorum in hæreditatem patris. Quare Abimelech non fuit nothus sive spurius, uti eum vocat Josephus, sed legitimus Gedeonis filius.

IN SICHEM. — Id dicit ut indicet occasionem, qua Abimelech affectavit regnum; quia scilicet a suis civibus Sichimitis ad illud fuit provectus.

GENUIT ET FILIUM NOMINE ABIMELECH. — *Abimelech* hebraice idem est quod *pater rex*, vel *pater regis*; vel *pater regius*. Indidit hoc ei nomen mater ad dignitatem sibi et filio suo conciliandam, utpote quod esset filius Gedeonis, qui erat judex et quasi rex Israelis : forte etiam hoc nomen voluit esse omen regni, quod scilicet ipse aliquando regnaret, ut ipsa optabat. Sic Agrippina, consulens divinos, an Nero filius suus esset futurus rex et imperator, audiensque fore, sed eum matrem suam occisurum, regni filii sui avida respondit : « Occidat dum imperet, » ac vere ab eo occisa temerarii sui voti meritas dedit pœnas.

Audi quid de Regilliano, lib. *De Tyrannis*, scribat Trebellius : « Mirabile fortasse videatur, si quæ origo imperii ejus fuerit, declaretur. Militari enim joco regna promeruit. Nam cum milites cum eo quidam cœnarent, adstitit Valerianus Tribunus, qui diceret : Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo : credimus quod a regno. Tum is qui aderat scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare et dicere : Rex, regis, regi, Regillianus. Milites, ut est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt : Ergo potest rex esse. Item alius : Ergo potest nos regere. Item alius : Deus tibi regis nomen imposuit. Quid multa? His dictis cum alia die mane processisset, a principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel judicium detulit, huic jocularis astutia. »

Vers. 32. 32. MORTUUSQUE EST GEDEON FILIUS JOAS IN SENECTUTE BONA. — « Bona, » id est *primo*, provecta, grandi, annosa. *Secundo*, « bona, » id est quieta et tranquilla. *Tertio*, « bona, » id est gloriosa, quam omnes venerarentur, colerent et suspicerent. *Quarto*, « bona » bonitate virtutis ex bona conscientia, probitate et sanctitate : hæc enim cæterarum bonitatum omnium est fons et origo. Vidit hoc quoque Cicero, qui lib. *De Senectute* : « Aptissima, inquit, omnino sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore ætatis (quanquam id quidem maximum est). Verum etiam quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est. »

Sic in senectute bona mortuus est Abraham, *Genes.* XXV, 8; David, I *Paral.* XXIX, 28; Tobias, cap. XIV, 15 : nam « senectus non annis, sed moribus veneranda, superioris vitæ portus debet esse, non vitæ superioris naufragium, » ait S. Ambrosius, libro *De Jacob et vita beata*, cap. X. Idem, lib. *De Abel*, cap. I : « Cogitationes nostræ, inquit, bonorum operum processibus explicentur, ut nihil imperfectum finis noster inveniat, nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat, nihil tanquam in incude positum usus nostri operis derelinquat. » Et paulo post : « Partus noster fides sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis nostri imbuatur infantia, instituatur pueritia, juvenculescat adolescentia, senecta canescat. Ætas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta maculaverint. »

Idem, lib. I *Hexam.* cap. VIII : « Sed senectus, inquit, ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoque corporis sobrietas mentis est. Unde ait Apostolus : Cum infirmor, tunc potens sum. Itaque non in virtutibus, sed in infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque divinum refulsit oraculo salutari; quia virtus in infirmitate consummatur. »

33. POSTQUAM AUTEM MORTUUS EST GEDEON, AVERSI SUNT FILII ISRAEL (a Deo Deique cultu), ET FORNICATI SUNT CUM BAALIM (idolis, Diis gentium) PERCUSSERUNTQUE CUM BAAL FOEDUS, UT ESSET EIS IN DEUM. — Hebraice, *præfecerunt sibi Baalem fœdere in Deum*, id est, fœdus inierunt cum Baal, ut esset eis in Deum; Chaldaice, *posuerunt sibi fœdere ad errorem;* Septuaginta, *posuerunt sibi Baal berith in fœdus, ut esset eis ipse in Deum.* Sic quoque legit S. Augustinus. Unde ex Hebræo et Septuaginta liquet Hebræos pro Deo coluisse *Baal berith*, id est *Baalem fœderis*, quem scilicet quasi præsidem fœderum, hoc fœdere sibi quasi Deum confœderarunt : ברית *berith* enim est fœdus. Vers. 33.

35. NEC FECERUNT MISERICORDIAM CUM DOMO JEROBAAL (qui proprio nomine dictus) GEDEON, — quia permiserunt ejus domum, id est filios omnes occidi a tyranno Abimelech, imo in occidendo juverunt, ut patebit cap. sequenti. *Misericordia*, Hebraice חסד *chesed*, significat omnem virtutem, quæ in proximum se exserit, scilicet beneficentiam, pietatem, gratitudinem, justitiam, fidelitatem, etc. Israelitæ ergo Deo infideles in Gedeonem quoque fuere infideles, malefici, impii, ingrati, injusti, ut patebit ex cap. IX. Vers. 35.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abimelech filius Gedeonis, cæsis 79 fratribus, imperium Israelis per Sichimitas cognatos suos invadit et obtinet. Quare Joatham ejus frater, vers. 8 et seq. per apologum rhamni ipsi æque ac Sichimitis exitium intentat et prænuntiat, quod deinde rei eventus comprobavit, uti narratur vers. 23 et seq., per spiritum dissensionis, quem Deus inter utrosque immisit. Abimelech ergo fuit sextus Israelis non tam judex quam tyrannus.

1. Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matrisque suæ, dicens : 2. Loquimini ad omnes viros Sichem : quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate quod os vestrum et caro vestra sum. 3. Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes : Frater noster est. 4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberith. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum. 5. Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum : remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est. 6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello : abieruntque et constituerunt regem Abimelech, juxta quercum quæ stabat in Sichem. 7. Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, et stetit in vertice montis Garizim; elevataque voce clamavit, et dixit : Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus. 8. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem; dixeruntque olivæ : Impera nobis. 9. Quæ respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et

venire ut inter ligna promovear? 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe. 11. Quæ respondit eis : Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear? 12. Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni, et impera nobis. 13. Quæ respondit eis : Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri? 14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos. 15. Quæ respondit eis : Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. 16. Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal, et cum domo ejus, et reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, 17. et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, 18. qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit : 19. si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal, et domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, et ille lætetur in vobis. 20. Sin autem perverse : egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello; egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech. 21. Quæ cum dixisset, fugit, et abiit in Bera; habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui. 22. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis. 23. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari, 24. et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in cæteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant. 25. Posueruntque insidias adversum eum in summitate montium; et dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus, nuntiatumque est Abimelech. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem, 27. egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes; et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech, 28. clamante Gaal filio Obed : Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Jerobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Hemor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei? 29. Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech : Congrega exercitus multitudinem, et veni. 30. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde, 31. et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens : Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem. 32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro, 33. et primo mane oriente sole, irrue super civitatem, illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris. 34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis. 35. Egressusque est Gaal filius Obed, et stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo de insidiarum loco. 36. Cumque vidisset [populum Gaal, dixit ad Zebul : Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit : Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis. 37. Rursumque Gaal ait : Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum. 38. Cui dixit Zebul : Ubi est nunc os tuum quo loquebaris? Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne hic populus est quem despiciebas? Egredere et pugna contra eum. 39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech, 40. qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit : ceciderunteque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis. 41. Et Abimelech sedit in Ruma : Zebul autem, Gaal et socios ejus expulit de urbe, nec

in ea passus est commorari. 42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, 43. tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos 44. cum cuneo suo, oppugnans et obsidens civitatem : duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur. 45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem, quam cepit, interfectis habitatoribus ejus ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret. 46. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. 47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48. ascendit in montem Selmon cum omni populo suo ; et arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios : Quod me videtis facere, cito facite. 49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt : atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres habitatorum turris Sichem. 50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. 51. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, et omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, et super turris tectum stantes per propugnacula. 52. Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter : et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur. 53. Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus. 54. Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum. 55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas : 56. et reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. 57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

Vers. 2. 2. QUID VOBIS EST MELIUS, UT DOMINENTUR VESTRI SEPTUAGINTA VIRI OMNES FILII JEROBAAL. — Fingit tyrannus omnes septuaginta fratres suos ambire regnum, ac fore inter eos de regno continuam concertationem, ut sibi uni illud attribuant. Nam filii Judicum parentibus in principatu non succedebant, sed uno moriente alius ex alia familia et tribu a Deo vel populo eligebatur. Et esto aliquis filiorum hic Gedeoni successisset, is fuisset unicus, videlicet primogenitus, non septuaginta. Unde patet Abimelech hæc confingere et mentiri, ut sibi uni regnum deferatur.

Vers. 4. 4. DEDERUNTQUE ILLI SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI DE FANO BAALBERITH, — ut iis milites conscriberet, per quos regnum Israelis invaderet et occuparet. Hebræa non habent τὸ *pondo*, sed tantum 70 *argenti*, scilicet siclos, inquiunt Vatablus, Arias et alii. Verum 70 sicli argenti sunt 70 floreni Brabantici, quorum quisque continet quatuor julios Romanos sive quatuor regales Hispanicos, quibus vix unum alterumve militem conscribere potuisset. Quare Arias ex Rabbinis asserit nomine argenteorum in Pentateucho intelligi siclum, in Prophetis (qualis apud Hebræum est hic liber Judicum) libras, in Hagiographis talenta. Hoc etsi ubique non sit verum, huic tamen loco congruere potest. Nam libra argenti continet 24 siclos sive florenos Brabanticos : quare 70 libræ argenti faciunt 1680 siclos sive florenos Brabanticos, hoc est coronatos Francicos 560, quibus illo ævo plures conscribi poterant milites, saltem ad inchoandum bellum. Alii minas intelligunt, mina autem continebat 60 siclos, *Ezech.* XLII, 12 : quare 70 minæ continent 4200 siclos. Alii talenta subaudiunt ; talentum autem Hebræum continebat tria millia siclorum, hoc est uncias 1500. Atticum vero siclos 1500, hoc est uncias 750 : quare 70 talenta ingentem faciunt argenti vim. Noster vertit *pondo*, quæ vox proprie libram significat, licet pondo subinde idem sit quod pondus sive sicli, sive unciæ seu alterius rei, quæ pondere mensuratur (1).

DE FANO BAALBERITH, — hoc est *Baal*, qui præerat *berith*, id est fœderi, quale jam Sichimitæ cum Abimelech inierant. Sic enim Romani, teste Dionysio Halicarnasseo, lib. IV, colebant deum Pistium et Fidium, quasi fidei et fœderum tutorem et vindicem, ac Jovem fulmen manu continentem, quod scilicet in eos qui fidem et fœdus violarent, torqueret ; et Jovem lapidem : nam fœdus ineuntes illud sanciebant mactando porcum, dicendo : « Si fidem fallam, Jupiter me fe-

(1) 70 sicli argentei faciunt fere 102 fr. 90 c.

riat, sicut ego lapide porcum hunc feriam et immolabo.» Ita Livius, lib. I. Vide quomodo tyranni Sichimitæ tyrannicum suum imperium ordiantur a scelere et sacrilegio. Expilant enim ærarium dei sui, ut illud tyranno suo tribuant. Mox sacrilegio addunt parricidium. Unde sequitur :

QUI CONDUXIT EX EO SIBI VIROS INOPES ET VAGOS. — Hebræus, *vacuos et leves;* Arias, *perditos et vagos;* Pagninus, *cerebro vacuos et instabiles;* Lyranus, *cervicosos;* Chaldæus, *vacuos et libertinos;* Septuaginta, *vacuos et stolidos.*

Vers. 5. 5. ET OCCIDIT FRATRES SUOS FILIOS JEROBAAL (Gedeonis) SEPTUAGINTA VIROS SUPER LAPIDEM UNUM. — Erant præcise tantum 69; nam Joatham septuagesimus effugerat, imo tantum 68, si Abimelech inter septuaginta filios Gedeonis annumeres. Sed Scriptura more suo rotundum perfectumque numerum assignat, etiamsi illi aliquid desit vel supersit; computat enim per denarios, centenarios et millenarios. Ita Serarius et alii.

SUPER LAPIDEM UNUM. — Arias censet lapidem hunc fuisse altare, ab Abimelech tyranno dicatum idolo suo Baalberith, erectumque eodem loco, quo ante Gedeon pater ejus aram Baal destruxerat, cap. VI, ideoque dictus est Jerobaal; quasi ipse ulcisci voluerit injuriam a patre factam deo Baal, ideoque ad sarciendam hanc injuriam illi eodem loco occiderit, et quasi immolarit septuaginta Gedeonis filios et fratres suos. Hinc et Sichimitæ pro restituto eis suo Baal, videntur in singula cæsorum fratrum capita numerasse ei pondo argenti, scilicet 70 pondo pro septuaginta filiis Gedeonis ab eo cæsis.

Fratricidarum exempla. Simili barbarie et parricidio Phraates Orodis Parthorum regis ex pellice filius, ut regnaret, patrem senem et triginta fratres occidit, teste Justino, lib. XLII, qui et lib. X, narrat Ochum Persarum regem octoginta fratres interemisse; sic Amurathes, Selimus, Bajazetes et alii Turcarum Imperatores fratres suos occidunt, ne ab eis imperio priventur. Patrum memoria ad Carolum Quintum confugit Muleasses, rex Tunetanus, a proprio filio nomine Amida regno pulsus, et ferro candenti exoculatus, idque justo Dei judicio, eo quod ipse Muleasses prius octodecim fratres partim mactasset, partim exoculasset. Ecce quo agit homines cæca et furens dominandi libido.

Hinc patet Abimelech non fuisse vere Israelis Judicem et Principem, utpote nec a Deo, nec a populo, sed a paucis Sichimitis civibus suis electum et vi intrusum, sed tyrannum. Unde nec tribus Juda, nec cæteræ eum acceptasse leguntur. Hinc et ipse fere in Sichem duntaxat regnavit, ut patet ex vers. 6 et seqq.

Vers 6. 6. CONSTITUERUNT (Sichimitæ) REGEM ABIMELECH JUXTA QUERCUM QUÆ STABAT IN SICHEM. — Andreas Masius in *Josue*, cap. ult., vers. 26, et Serarius hic opinantur et probabiliter conjectant hanc quercum esse *Elam more*, ubi Abraham veniens ex Chaldæa in Chanaan primum altare Deo erexit, *Genes.* XII, 6, et sub qua Jacob idola domus suæ defodit, *Genes.* XXXV, 4, indeque vocari hic *ela mutsab*, id est *quercum statam*, ubi scilicet Patriarchæ stato more solebant Deum invocare. Quercus ergo hæc annosa fuit.

Religione patrum multos servata per annos,

scilicet quingentorum annorum : tot enim fluxerunt ab Abraham usque ad Abimelech. Verum, ut dixi *Josue* ult., vers. 26, hæc res incerta est, et communem quercuum (quæ communiter ad trecentos annos vivunt) ætatem superat.

Porro vocatur hæc quercus אֵלָה מֻצָּב *mutsab*, id est stationis, ut vertunt Septuaginta, quod ad eamdem convenire solerent Sichimitæ, ibique stationes et conventus suos agere.

URBIS MELLO. — Hæc urbs Mello diversa est a voragine Mello quæ erat inter Sion et Jerusalem. Hæc enim erat urbs sita juxta Sichem, eique subjecta quasi ejus colonia vel municipium.

Vers. 7. 7. QUOD CUM NUNTIATUM ESSET JOATHAM (qui erat minimus Gedeonis filius, et cædem fratrum effugerat), IVIT ET STETIT IN VERTICE MONTIS GARIZIM (qui imminet urbi Sichem), ELEVATAQUE VOCE CLAMAVIT ET DIXIT : AUDITE ME, VIRI SICHEM, ITA AUDIAT VOS DEUS, — *q. d.* Adjuro vos, o Sichimitæ, per Deum, ut me audiatis. Aut, *q. d.* Audite me recta justaque loquentem, ut et Deus vos exaudiat. Ex adverso Cajetanus. Hæc verba, inquit, sunt imprecatio ultionis divinæ in impios Sichimitas, *q. d.* Opto et imprecor vobis ut ad vestram iniquitatem attendat, eamque audiat et videat, et puniat ac vindicet Deus justus judex, et scelerum vindex.

Vers. 8. 8. IERUNT LIGNA UT UNGERENT SUPER SE REGEM, DIXERUNTQUE OLIVÆ : IMPERA NOBIS, etc. — Hic est primus elegantissimus et cæterorum omnium antiquissimus apologus. Gedeon enim et Joatham multis sæculis antecesserunt Phædrum, Anienum, Æsopum aliosque fabularum et apologorum scriptores. De apologorum origine, elegantia, usu, etc., multa dixi in *Ecclesiastico*.

Porro ut apologum hunc totum paucis explicem et oculis subjiciam, notandum est *primo*, illum hic induci a Joatham, ut ostendat Sichimitis, quam inique et impie egerint tyrannum Abimelech in regem extollendo, cæsis septuaginta ejus fratribus, ipsosque dignos esse ut qui parricidam, quia cognatum sibi ducem constituerint, ipsum pariter parricidam sentiant. Unde diras illis non tantum imprecatur, sed et ex solita Dei in tales vindicta denuntiat.

Nota *secundo*, in apologis, parabolis et similitudinibus quædam ad decorem et elegantiam apologi vel parabolæ adjici, quæ rei per ipsum significatæ adaptare non est necesse, imo subinde est impossibile. Quare hic non est necesse, quæ de oliva, ficu et vite iterantur, sigillatim applicare : pleraque tamen applicari possunt.

Apologi arborum explicatio. Nota *tertio*, arborem hic esse hominem, sed inversam (arbor enim habet radices deorsum, ramos sursum; homo vero radices sensus et motus habet in capite sursum, pedes vero quasi ramos deorsum), ac consilii rationisque capacem.

Oliva, ficus, vitis, rhamnus, qui? Explicator. Primo. Oliva, ficus et vitis quæ recusant oblatum sibi ab arboribus regnum, sunt Othoniel, Debbora et Gedeon, ait Lyranus, qui priores fuere Judices, iique optimi, quia invite et coacti quasi a Deo principatum capessiverunt. Audi Lyranum : Dicunt Hebræi quod per olivam significatur Othoniel, qui fuit de tribu Juda, ut dictum fuit supra, cap. I. Tribus autem Juda vocatur oliva, *Jerem.* XI, 16 : « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. » Per ficum, quæ habet fructum dulcem, intelligitur Debbora : quæ in Hebræo scribitur Debbora, et interpretatur apis quæ facit mel dulce, et sicut ficus fructum dulcem, ita quod proprietas hujus arboris respondet interpretationi nominis. Per vitem vero intelligitur Gedeon, qui erat de filiis Joseph, eo quod Joseph vocatus est filius accrescens, *Genes.* XLIX; vitis autem ramus crescit notabiliter in una æstate. Hucusque Lyranus.

Secundo. Rursum aptius idem Lyranus : Per olivam, inquit, de qua exprimitur oleum; et ficum, quæ habet dulcem fructum; et vitem, quæ facit fructum plurimum, intelliguntur alii filii Gedeonis, qui erant pingues in divitiis, dulces in mansuetudine, et multiplicati in prole. Per rhamnum autem, quæ est arbor vilis, intelligitur Abimelech, qui erat de ignobili matre, qui regnavit aliis occisis.

Tertio. Plenius et universalius : Oliva, ficus et vitis denotant homines qualibet ratione ad imperandum idoneos et aptos; et Arias quidem per olivam sapientes, per ficum divites, per vitem lenes modestosque accipit; rhamnum vero (qui licet adeo inter arbores non excellat, ut ne arbor vel lignum quidem sit, sed frutex, sed spinæ tantum exiles, acutæ et pungentes, statim tamen imperium inter ligna oblatum capessit), significare imperio ineptos et tyrannos.

Quarto genuine. Rursum aptius per ficum accipias viros mites, blandos, suaves; per vitem, ferventes, acres et efficaces in agendo : hi enim apti sunt ad regendum, imitantur enim Dei sapientiam omnia gubernantem, quæ « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, » *Sap.* VIII, 1. Rege ergo suaviter, sed fortiter, et sapienter reges. Oliva notat viros misericordes et bonitate pingues, ac charitate quasi adipatos. Charitas enim uti est regina virtutum, sic est hominum. Qui ergo charitate sunt copiosa, optime regunt. Objurga, puni, castiga; sed ostende te id facere non ex odio, sed ex amore, et placebis iis quos objurgas et castigas. Unde Christus Petrum præfecturus Ecclesiæ : « Simon Joannis, inquit, diligis me plus his? » eoque respondente : « Domine, tu scis quia amo te, » subjecit : « Pasce oves meas, » *Joan.* XXI, 15. Qui igitur regit, sit ficus per suavitatem, sit vitis et vinum per fortitudinem, sit oliva et oleum per compassionem et charitatem.

Nota *quarto*, quod oliva, ficus et vitis uno ore consone respondent, non convenire sibi ut deserant pinguedinem, dulcedinem et vinum suum, quibus tribus et homines in epulis, et dii in sacrificiis delectantur, ut in reges promoveantur, hoc tantum significare quod personæ privatæ sibi suæque perfectioni et commodis vacare possint : at publicæ quæ aliis præsunt, ita publicis rebus et curis distineantur; si quidem ut par est rebus non potiri, sed consulere velint, ut sibi suisque vix vacare liceat; quod qui amet, imperio abstineat. Rursum reges et principes debere omnem suam pinguedinem, dulcedinem et lætitiam transfundere in subditos, ac se quasi de paupertate, ut eos ditent, si vere reges boni et evergetæ, hoc est benefici esse velint. Causam aliam dat Arias : « Nulla, inquit, ex omni plantarum genere avaritiæ studium aptius refert quam ficus : cujus ad exsugendum undique humorem et frequentissimæ radices, et nonnullæ adeo longe deprehenduntur, ut ad puteos et fontes ac paludes longo intervallo distantes pertineant, adeo etiam sagaces, ut intra domos loca quærere, subire atque obtinere didicerint, in quibus lagena, hydriæ cæteraque aquaria vasa statuuntur, ibique soleant diutius hærere. » Non aliter et reges avari alienas opes ardentes sitiunt, ad easque corripiendas in mille manus et brachia dilatantur, in publicas et privatas ædes se insinuant, loculos, crumenas, thesauros, quidquid abditum et repositum est tentant, palpant, adoriuntur. Verum hæc causa hoc loco impertinens est.

Quod vero rhamnus insolenter respondet : « Sub umbra mea requiescite, » tantumdem est ac si dicat tyrannus : Sub meam protectionem, quæ nulla, vel non nisi aculeata, pungens, affligens et periculosa est (quia si semel ignem concipit, ille totum pervadet, omniaque vicina comburet), concedite, totosque vos mihi regendos tradite. Rhamnus enim exilis est; unde vix umbram jacit quæ protegat, ac sub se delitescentes pungit et stimulat : sin autem, « egrediatur ignis de rhamno et comburat cedros Libani. » Sensus est, *q. d.* Tyrannus in suos etiam nobilissimos, si qua in re ei adversentur litemque moveant, exitium per suos lictores et milites immittet, quo tamen ipse quoque affletur et intereat, uti in plerisque tyrannis contigisse narrant historiæ. Utcumque ergo res cadat, a tyranno nulla utilitas, maxima vero pernicies exspectanda est. Æquum ergo et in promptu est ut et ipsum vobis, o Sichimitæ, eveniat, utpote qui non viros aptos imperium detrectantes; sed Abimelech tyrannum illud ambientem elegistis, ut idem, inquam, eodem modo vobiscum et cum rege vestro Abimelech sacrilego et parricida agatur, utque discordia, lis et bellum

inter vos concitetur, quo utrique pereatis. Ita fere Arias.

Allegorice. Allegoriam habet Beda in *Quæst.* hic : Ligna sylvæ, ait, sunt homines ; his merito noluit imperare oliva, ficus et vitis, quia minime id merebantur : oliva enim gratiam Spiritus Sancti et unctionem pacis significat; ficus sacræ legis habet imaginem : unde paterfamilias in vinea plantat ficum, id est legem; vitis significat Christum, ut ait Christus, *Joan.* XV, 1; rhamnus notat Antichristum, qui omni asperitate et feritate humanum genus vastabit; sed exibit ignis de rhamno, id est iniquitas de Antichristo, et omnes qui in eo confidunt pariter devorabit.

Rursum S. Hieronymus in cap. II *Aggæi*, per ligna accipit homines impios, per olivam, ficum et vitem, tres personas S. Trinitatis, per rhamnum vero diabolum.

Symbolice. Symbolice S. Methodius, tractat. *De Castitate*, apud Photium in *Bibliotheca*, pag. 345, per ficum accipit legem status innocentiæ in paradiso : ibi enim ficum comedit Adam, quæ nos omnes perdidit; per vitem accipit legem naturæ sub Noe : hic enim invenit vitem et vinum; per olivam, legem Mosis et Prophetarum, hi enim ungebantur oleo; per rhamnum legem Christi : hæc enim pungit instar rhamni, quia ipsa est lex mortificationis, castitatis et crucis (unde et spinas, quibus coronatus est Christus, fuisse e rhamno censet Gretserus, Bellonius et alii primæ notæ, tract. *De Cruce*), quæ sola potuit vulnera nostræ concupiscentiæ sanare, ac iis qui sanari nolunt, eo quod ad crucem nolint accedere, minatur ignem æternum. Unde S. Methodius ibidem censet Eliam fugientem Jesabelem quievisse « sub rhamno, » pro quo nos habemus « sub junipero, » III *Reg.* XIX, 4. Sic ergo hunc apologum symbolice explicat, *q. d.* Postquam ficus, id est lex naturæ in paradiso, et vitis, id est lex naturæ data Noe post diluvium, et olea, id est lex Mosis fœtentia humanæ naturæ vulnera curare non potuissent, « misit quarto Deus rhamnum (id est crucem), et castitatem, quæ illis imperaret, quæque voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quod nisi sibi parerent omnes, et sincere ad se accederent, futurum ut omnes flammis gehennæ absumerentur. » Hæc ingeniose dicta sunt, sed minus huic loco apposite ad litteram. Rhamnus enim hic notat tyrannum Abimelech, ac proinde apte repræsentare nequit Christum, Christique crucem et castitatem, sed potius Antichristum. Noster tamen Gretserus, lib. I *De Cruce*, cap. XII, censet ideo dici hic delatum fuisse regnum Israelis rhamno, ut significaretur Christum regem Judæorum coronandum rhamno, sub quo fideles placide conquiescunt, ibique quietem inter medias spinas inveniunt : « Hoc diadema ex rhamno, inquit Clemens Alexandrinus, inimicum iis qui insidiantur, eos prohibet; iis autem qui in Ecclesia simul versantur amicum, eos circumsepit et munit. Hæc corona est flos eorum qui crediderunt in eum qui fuit glorificatus; cruentat autem et castigat eos qui non crediderunt. Nam juxta votum rhamni, ignis e rhamno, hoc est Christo coronato egreditur, qui omnes cedros Libani consumit, et tunc maxime consumet cum audient illud : Ite in ignem æternum. » De spinis coronæ Domini hæc refert Gregorius Turonensis : « Ferunt ipsas coronæ sentes quasi virides apparere, quæ tamen si videantur aruisse foliis, quotidie tamen reviviscere virtute divina. Hucusque Gretserus.

Tropologice. Tropologice Glossa : Per olivam, ficum, vitem, significantur tria genera hominum dignitatem regiminis refugientium. *Primi* sunt devoti, quærentes in oratione et divino obsequio occupari, a quibus retrahit cura regiminis, quæ causat distractionem mentis; et isti significantur per olivam. *Psal.* XV, vers. 10 : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. » *Secundi* sunt homines in sacra Scriptura studiosi, de qua dicitur *Ecclesiast.* cap. XXIV, vers. 27 : « Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. » Et ideo in ea studiosi refugiunt per curam regiminis, a dulcedine ejus separari, et isti signantur per arborem ficum, qui respondit : « Numquid possum deserere dulcedinem meam, » etc. *Tertii* sunt homines vere humiles, qui non reputant se dignos promotione ad regimen aliorum, propter quod hæc refugiunt quantum possunt, et isti signantur per vitem; quæ licet non possit se sustinere, sed ab alio fulcitur, tamen ex ea fructus optimus producitur : sic vere humilis per alium regi et sustentari quærit, et fructum optimum facit dicens : « Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter cætera ligna, » etc. Humilitatis enim fructus est valde placens Deo et hominibus : propter quod beata Virgo Maria propter humilitatem ad concipiendum Dei Filium fuit electa, sicut ipsa dicit, *Lucæ* I, 48 : « Respexit humilitatem ancillæ suæ, » etc. Hucusque Glossa.

Rursum S. Clemens, lib. VIII *Const. Apost.* cap. XLVI, apologum rhamni Episcopis, qui a spiritualibus ad sæcularia curanda animum deflectunt, accommodat. Audi eum : « Ierunt ligna ut ungerent super se regem, etc. Hactenus parabola, quæ in Episcopos plane convenit : hi enim sunt qui relicto verbo Dei dulci, vitali et illuminante, ad spineta litium sive rerum sæcularium, ut in earum judiciis regnent se transferri patiuntur, ex arbore fici, oleæ et vitis facti arbores rhamni, id est infrugiferæ et spinosæ : sive potius dicendum est, in arborem fici, oleæ et vitis rhamnum inserentes : non intelligentes cum utrumque facere volunt alterum eorum, quod præcipuum est, plane deserere, sicut sancti Apostoli docuerunt, cum aiunt in Actis Apostolorum : Non est æquum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis. »

9. QUÆ (oliva) RESPONDIT : NUMQUID POSSUM DESE- Vers. 9.

RERE PINGUEDINEM MEAM, QUA ET DII UTUNTUR ET HOMINES? — Oleum enim hominibus est cibus, medicina, lux; Deo vero quotidie accendebatur in septem lampadibus candelabri, *Exodi* XXV. Insuper oleum erat libamen in sacrificio mincha, sive farinæ et farris, *Levit.* II. Oleo quoque ungebantur sacerdotes, Pontifices et vasa tabernaculi.

Vers. 10. 10. FICUM. — Ficus non floret, nec ulla se speciosa ornamentorum luxurie ostentat, sed fructum edit dulcissimum. Unde repræsentat eos qui pauca dicunt, sed multa magnaque faciunt, juxta illud Pythagoræ : « Magna noli promittere, sed facere. »

Vers. 13. 13. NUMQUID POSSUM DESERERE VINUM MEUM QUOD DEUM LÆTIFICAT ET HOMINES? — Quod scilicet est res optima, ait Valesius S. Philotheo, cap. XXVII. Nam Deus, *Genes.* cap. I, creans omnia vidit bona, sed quædam optima, uti est vinum, quod ipsum et homines lætificat : quo enim res quæque in se est melior, eo illius intuitu magis delectatur Deus : vinum ergo quod est optimum mire lætificat tam Deum, quam homines. Hoc verius est in vino consecrato Eucharistiæ quod Joatham ignorabat, qui forte etiam putabat Deum esse corporeum, ac vere delectari vino, uti Gentiles putabant deos vesci nectare et ambrosia. Vinum enim Deum lætificat; quia vinum erat libamen quod cum hostia libabatur, id est effundebatur Deo ad cornu altaris. Sacrificium enim erat quasi convivium, quo cum hominibus epulabatur Deus. Unde in eo erat farina loco panis, carnes loco epularum; sal pro condimento, vinum vice potus, oleum pro unctione. Porro vinum, ait Valesius, lætificat, quia citissime abit in vitales spiritus, ac satis cito in sanguinem calidum; quæ enim cito nutriunt, præstant alacritatem refectione illa facili spirituum, ac revocant ab exolutione et deliquio, itaque exhilarant; robur vero ad sustinendos labores non ita præstant, quia facile dissipantur. Quare vinum facit hominem oblivisci dolorum et molestiarum, ut curas omnes deponat. Vide dicta *Eccles.* XXXI, ad illa : « Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem. » Jucunditatem enim hanc parit cita, ut dixi, spirituum vitalium refectio, quorum penuria quia laborant melancholici, hinc tristes sunt. Rursum vinum calefacit, laxat funditque cor, ideoque lætificat : lætitia enim est cordis laxatio et diffusio, quam facit calor; tristitia vero ejusdem contractio et torpor, quam causat frigus. Quare indicibilem sympathiam vinum habet cum corde.

Porro in apologo hoc regni arborum proponi poterat palma, cedrus, laurus, quercus, cypressus, etc. Sed maluit Joatham proponere olivam, ficum et vitem, quia hæc magis sunt in hominum usu, ac apud plures gentes, ut Syros, Indos, Italos sunt communia, atque fructus ferunt omnibus communes, obvios et utilissimos.

Vers. 14. 14. AD RHAMNUM. — « Rhamnus, ait S. Hieronymus in *Aggæi* cap. II, spinosus frutex, et arbuscula sentibus uncinisque contexta, quæ teneat quidquid attigerit et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur. » Isidorus, libro XVII; Origenes, cap. VII : « Rhamnus, inquit, genus est rubi, quem vulgo senticem ursinam appellant, asperum nimis et spinosum. »

EGREDIATUR IGNIS DE RHAMNO. — Rhamnus enim facile concipit ignem, ait Abulensis. Non ex agitatione, collisione et attritu ramorum, uti fit in silice alliso ad ferrum; sed ex stipula similive materia illi subjecta, quæ facile ardente sole, aut aliquo accendente ignem concipiens eodem rhamnum succendit.

Ignis hic notat discordiam : hæc enim exardescens inter tyrannum et subditos, utrosque flagranti bello quasi incendio consumit. Sic Valens Imperator Arianus, a Gothis quos Arianos fecerat, concrematus est : « Justo quippe Dei judicio, inquit, lib. II, *epist.* 3, Petrus Damianus, ab eisdem consumptus est flamma vindictæ, quos ipse percusserat igne perfidiæ. Sic enim juxta Scripturæ sententiam : Egressus est ignis de rhamno, et devoravit cedrum Libani. »

Allegoriam deinde subjungens Damianus, asserit Gedeonem esse typum Christi Salvatoris : « Per plurimas ejus uxores diversas debere nationes intelligi, quæ sibi cohæsere per fidem; per septuaginta filios, totidem linguarum populos; per concubinam Synagogam; per Abimelech, Antichristum qui Synagogæ filius erit. Unde et in Apocalypsi his qui crediturі sunt dicitur : Qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Et sicut ille peremit septuaginta fratres, sic iste persecuturus est omnes quæ sibi non consentient nationes. »

Idem deinde tropologiam subnectens ait : « Quid per Joatham, qui interpretatur consummatus sive perfectus, nisi sanctum et doctum quempiam prædicatorem debemus accipere? Hic in montem Garizim ascendit et voce magna clamavit. Prius ascendit, et postmodum clamavit. Ante consurgit in montem, et sic elevat vocem, quia nisi Doctor virtutum prius culmen ascendat, inaniter clamat. » Pergit Damianus cætera enodando, cujus verba fusa in pauca contraham : « Per Garazim sancta designatur Ecclesia, quæ est virtutum omnium schola, et cœlestium segetum ubertate fecunda. Per olivam significantur ii qui, Spiritus Sancti pinguedine delibuti, evangelizando pacem reconciliant homines Creatori. Per ficus, qui sanctæ legis eruditione sunt sufficienter instructi. Per vitem, qui triumphum Dominicæ Passionis prædicare non cessant, itaque per doctrinæ suæ botros arentia corda nostra vino beati cruoris inebriant. Cum igitur oliva, ficus ac vitis, hoc est spirituales viri lignis præesse sylvestribus, id est terrenis hominibus atque carnalibus nullatenus acquiescant, offert se rhamnus, et ab eis consumendus, et eosdem vel pravæ conversationis

exemplo vel erronei dogmatis incendio consumpturus. Rhamnus enim spinis crebrescentibus horret, per quem scilicet quilibet perversus innuitur, qui sic peccatorum tanquam veprium asperitate densatur. » Ex quibus tandem concludit : « Lignis itaque petentibus regem, id est pravis quibusque carnaliter eligentibus præsulem; rhamnus accedit in medium, quilibet videlicet reprobus, qui et ignem damnationis in se ex eorum pravitatibus augeat, et eos perverse vivendi vel docendi reciproca combustione consumat. »

20. EGREDIATUR IGNIS EX EO, ET CONSUMAT HABITATORES SICHEM. — « Ignis, » scilicet iræ, vindictæ et furoris egrediatur ex Abimelech, et consumat Sichimitas. Est hæc proprie execratio et imprecatio, qua Joatham impiis Sichimitis imprecatur diras, puta justam Dei vindictam et exitium, illaque fuit efficax; nam revera exscisi sunt. Sic efficax fuit maledictio Josue, capite VI, vers. 26, qua ipse diras imprecatus est ei qui reædificaret Jericho; et Elisæi, qua maledixit pueris sibi per ludibrium inclamantibus : « Calve, calve; » nam mox ab ursis lacerati fuere, IV *Reg.* II, 24. Deus enim ulciscitur impiorum in pios injurias, eorumque gemitus, preces et imprecationes exaudit.

EGREDIATUR IGNIS DE VIRIS SICHEM, etc., ET DEVORET ABIMELECH. — Ita factum est, ut patet versu 57 : licet enim mulier, quæ tegula occidit Abimelech, non fuerit ex Sichem, sed ex Thebes; tamen Thebes erat in finibus Sichem, ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.* Adde Sichimitas fuisse occasionem cur a muliere occisus sit Abimelech. Denique Thebes videtur fuisse Sichimorum colonia æque ac Mello.

Vers. 21. 21. ET ABIIT IN BERA. — Audi S. Hieronymum in *Locis Hebr.* Distat vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem. Eleutheropolis urbs erat tunc celebris in tribu Juda non longe dissita a Jerusalem.

Vers. 23. 23. MISITQUE DOMINUS SPIRITUM PESSIMUM INTER ABIMELECH ET HABITATORES (Hebraice בעלי *baale*, id est viros vel dominos et principes) SICHEM. — « Spiritum, » odii scilicet et discordiæ, qua se mutuo exitio confecerunt. Fecit hoc Deus non tantum permissive, sed et positive, objiciendo eis occasionem discordiæ, nimirum injiciendo scrupulum Sichimitis de parricidiis Abimelech, quorum ipsi causa fuerant, quodque ipsi hominem, tam impium et fratricidam sibi regem creassent : inde enim eum detestari cœperunt; quod sentiens Abimelech vicissim eos detestatus est; atque hic fuit fons belli mutui, quo utrique se confecerunt. Ita Abulensis. Licet enim Deus positive nequeat esse causa peccati, v. g. odii et discordiæ, sed ad illud se habeat permissive duntaxat; tamen potest positive aliquid indifferens facere bono fine ex quo præscit multa peccata secutura. Scrupuli ergo jam dicti Deus positive fuit causa; peccatum vero et odium inde secutum permisit duntaxat. *Secundo*, S. Augustinus, *Quæst.* XLIV, Cajetanus et Arias per spiritum hunc pessimum accipiunt diabolum : huic enim volenti turbare eorum pacem et bellum concitare, Deus non tantum permisit id facere, sed et positive eum quasi tortorem immisit, ad ipsos tam impios divexandum et castigandum, ut sui sceleris et parricidii, ob quod castigabantur, recordarentur et pœnitentiam agerent : turbare ergo pacem impiorum pios unanimi vi opprimentium, ob finem jam dictum, est virtus, non vitium : in diabolo vero est vitium, quia ipse malo fine id facit, ut scilicet odia, cædes aliaque peccata suscitet. Sic Deus spiritum exitii immisit in impium Achab ad eum in bello occidendum, III *Reg.* cap. ult. Hinc Poetæ dicunt Jovem id facere per Alecto cæterasque Furias; de qua ita canit Virgilius, lib. VII *Æneid.* :

> Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
> Infernique ciet tenebris, cui tristia bella,
> Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.

Et mox :

> Disjice compositam pacem, sere crimina belli;
> Arma velit, poscatque simul rapiatque juventus.

Deus quomodo immittat spiritum discordiæ?

Denique juste hæc omnia direxit Deus ad castigandum parricidia Abimelech, et idololatriam Sichimitarum.

Sapienter S. Augustinus, lib. XXII *De Civitate*, cap. I : « Multa quidem, inquit, fiunt a malis contra voluntatem Dei; sed tantæ est ille sapientiæ tantæque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos et justos ipse præscrivit, tendant omnia quæ voluntati ejus videntur adversa. » Et *Enchirid.* cap. C : « Non sineret bonus fieri male, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset bene. »

Nota hunc locum pro pœna vermis conscientiæ, qua castigavit hic Sichimitas, et castigat in æternum improbos in gehenna, qui sane magnum eis est tormentum. Torquet enim eos acerrime hæc cogitatio : Tu tua culpa et stultitia te conjecisti in has pœnas, tu facillime poteras culpam et tormenta hæc vitare. Cur tam demens fuisti ut ob modicam voluptatem in æterna hæc incendia te conjiceres? o stoliditas! o malitia! o cupiditas, quo me duxisti! o irrevocabilis error meus :

> Manet, æternumque manebit
> Supplicium sceleris spretæque injuria legis.

QUI COEPERUNT EUM DETESTARI. — Sic et Septuaginta. Hebræa vero habent יבגדו *iibgedu*, id est *prævaricati sunt, rebellarunt;* Chaldæa, *mentiti sunt.*

Vers. 24. 24. ET SCELUS INTERFECTIONIS SEPTUAGINTA FILIORUM JEROBAAL, etc., CONFERRE IN ABIMELECH. — Hebræus, Septuaginta et Chaldæus hæc recensent ut ad Deum pertinentia; sic enim habent : *Et immisit spiritum malum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui rebellarunt ei; ut veniret injuria septuaginta filiorum Jerobaal, et sanguis eorum, ut poneret*

super Abimelech fratrem illorum, qui occiderat eos, et super dominos Sichem, qui fortificaverunt manus ejus ut necaret fratres suos. Noster tamen Interpres hæc tribuit Sichimitis, non Deo, quia solerter et profunde vidit Deum hunc discordiæ spiritum immisisse in Sichimitas, per immissam a se conscientiam et remorsum parricidii, cujus auctorem faciebant ipsum Abimelech, ideoque eum ut parricidam et patriæ perditorem aversabantur, ac contra eum bellum parabant. Nulla enim alia hic odii causa probabilis asseri potest.

Vers. 26. 26. VENIT AUTEM GAAL. — Fuit hic Gaal hostis et æmulus Abimelech, qui eo velut vili et indigno dejecto, ambiebat fieri princeps Sichimitarum, ut colligitur ex vers. 28 (1).

Vers. 27. 27. VASTANTES VINEAS, — uvas colligendo et in torculari exprimendo. Vineæ hæ erant principum Sichem, qui Abimelech in regem evexerant: forte etiam erant vineæ ipsius Abimelech. Ita Abulensis.

INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI, — puta Baalberith, vers. 4.

Vers. 28. 28. CLAMANTE GAAL FILIO OBED: QUIS EST ABIMELECH ET QUÆ EST SICHEM, UT SERVIAMUS EI? NUMQUID NON EST FILIUS JEROBAAL, ET CONSTITUIT PRINCIPEM ZEBUL SERVUM SUUM SUPER VIROS HEMOR PATRIS SICHEM? CUR ERGO SERVIEMUS EI?

Quatuor rationibus Gaal concitat Sichimitas ad rebellandum regi Abimelech a se electo. *Prima* est: « Quis est Abimelech? » *q. d.* Abimelech est vilissimus Sichimitarum, utpote filius concubinæ, parricida, tyrannus. Ergo indignum est pati, ut ipse Sichimitis et Israeli dominetur. *Secunda*: « Quæ est Sichem? » *q. d.* Sichem est nobilis, antiqua, potens divesque civitas, in qua sunt multi sapientes et præstantes viri digni imperio. Quis ergo ferat infamem Abimelech illis dominari? *Tertia*: « Numquid non est filius Jerobaal? » id est Gedeonis, qui vestrum deum Baal profanavit ejusque aram evertit? *q. d.* Gedeon vestrum deum Baal evertit, Abimelech autem est filius Gedeonis. Quid ergo a filio hoc exspectandum, nisi similia paternæ audaciæ exempla, ut Baalem et numina vestra pessumdet? *Quarta*: « Et constituit principem Zebul servum suum super viros Hemor patris Sichem. » Quasi dicat: Abimelech super Sichimitas principem et vicarium suum constituit Zebul, ignobilem et exosum servum: indignum ergo est ut ei pareamus. Quis enim patiatur vilem servum liberis et nobilibus capitibus dominari? Sichimitas appellat « viros Hemor patris Sichem, » eo quod cives essent urbis Sichem, in qua ante 500 annos regnarat celebris ille in Genesi princeps Hemor, pater Sichem, qui nomen suum dedit urbi, *Genes.* XXXIII et XXXIV. Unde Sichimæ antiquitas et dignitas æstimari potest, ut non ferendum sit Zebul vile mancipium illam regere et gubernare. Hisce rationibus Gaal persuasit Sichimitis, ut rebellare pergant regi Abimelech, eumque regno expellant, ac ad illud ipse se eis ducem obtulit, unde subdit:

UTINAM DARET ALIQUIS POPULUM ISTUM SUB MANU MEA, UT AUFERREM DE MEDIO ABIMELECH! — ut ego ipse pro eo regnarem.

Porro Septuaginta Zebul vocant *Episcopum*, id est superintendentem et præsidem Sichem. Sic Cicero vocat se Episcopum, id est Præsidem Campaniæ.

Denique Hebræa ex aliis punctis quæ substituerunt Massoretæ, jam aliter habent; nimirum sic: « Num filius Jerobaal et Zebul præpositus ejus? Servite viris Hemor patris Sichem; et cur serviemus ei nos? » Quæ verba obscura sunt, et vix apertum habent sensum. Quare interpunctio et versio S. Hieronymi uti planior, ita est et verior, præsertim quia ei consentiunt Septuaginta.

31. ET OPPUGNAT ADVERSUM TE CIVITATEM. — « Oppugnat, » id est obsidet, occupat, opprimit cives et civitatem. Erat enim Gaal in ipsa civitate Sichem sollicitans cives ad rebellandum Abimelech, ac in ea contra ipsum se armans et fortificans: Hebraice est צרים *tsarim*, id est, ut Chaldæus, *arctat*; Septuaginta, *obsidet*; Vatablus, *occupat*. Vers. 31.

37. RURSUMQUE GAAL AIT: ECCE POPULUS DE UMBILICO TERRÆ DESCENDIT. — « De umbilico, » id est de summitate montium, ut dixit vers. præced. Sicut enim umbilicus in homine exstat, sic montes eminent in terra. Ita Abulensis, Arias, Vatablus. Rursum sicut umbilicus est quasi centrum sive medium in homine, ut si circini pedem unum figas in umbilico quasi in centro, indeque alterum pedem per extensas hominis manus æque ac pedes circumagas, perfectum circulum circa hominem sis descripturus: sic pariter montes sunt quasi in medio terræ circumcirca adjacentis et aspectabilis, ut homo in monte quasi in centro consistens, circumcirca terram subjacentem in orbem quasi oculis aspicere et circumlustrare possit. Sic Jerusalem, *Ezech.* XXXVIII, 12, vocatur umbilicus terræ, quia ipsa erat medium et quasi centrum terræ tunc habitatæ et cognitæ. Sic Plinius, lib. III, cap. XII, lacum Reatinum appellat umbilicum Italiæ; Livius Ætolorum regionem vocat umbilicum Græciæ; Cicero, Act. 6 *in Verrem*, Ennensem sylvam nuncupat umbilicum Siciliæ. Vers. 37. Montes terræ umbilici, cur?

ET UNUS CUNEUS VENIT PER VIAM QUÆ RESPICIT QUERCUM. — Hebræus additur, *quercum* מעוננים *meonenim*, id est *præstigiatorum*; Septuaginta, *aspicientium*; Vatablus, *augurum*. Chaldæus et Pagninus nomen Hebraicum *Meonenim* ut proprium retinent. Certa ergo hic quercus designatur ex voce *Meonenim* tunc nota, nunc ignota.

42. SEQUENTI ERGO DIE EGRESSUS EST POPULUS IN CAMPUM, — non ad reliquum vindemiæ peragendum, ut volunt Josephus et Procopius, sed ad pugnandum contra Abimelech. Unde sequitur: Vers. 42.

QUOD CUM NUNTIATUM ESSET ABIMELECH, TULIT

(1) Gaal erat de progenie Chananæorum.

EXERCITUM SUUM ET DIVISIT IN TRES TURMAS ; — nimirum unam turmam sibi adscivit, eaque civitatem Sichem civibus in campum egressis vacuam oppugnavit et cepit; duabus vero cæteris jussit prosequi Sichimitas urbe egressos, omnesque mactare, atque hac ratione universos cives cum civitate disperdidit. Ita Abulensis et Arias.

Vers. 45. 45. IPSAQUE DESTRUCTA UT SAL IN EA DISPERGERET, — non tam ut urbem desiccaret redderetque sterilem; sal enim quia igneum omnia germina erodit, adurit et siccat, *Psalm.* CVI, vers. 33 et 34; *Deuter.* XXIX, 22 et 23; *Jerem.* XVII, 6; *Sophon.* II, 9. Sic Vesuvius mons juxta Neapolim nuper eructans cineres, omnes circumcirca agros siccavit, sed ad tempus duntaxat; cineres enim sunt salsi. Verum hoc in agris fieri subinde solet ab hostibus, non in urbe, utpote quæ non colitur, nec seritur, sed incolitur et habitatur. Fecit id ergo Abimelech ad significandam summam suam in Sichem iram et indignationem. Putat Abulensis veterem illum morem fuisse puniendi urbes per aspersum in iis sal, in crimine læsæ majestatis.

Addit Abulensis Abimelech juste sic Sichimitas punivisse, eo quod ipsi sponte eum in regem susceperant, et paulo post gravissimas ei injurias intulerant. Sic enim juste punit rex subditos sibi rebellantes. Verum Abimelech non fuit legitimus rex, sed tyrannus et invasor regni; nec enim Deus, nec cæteræ tribus eum regem crearant, sed pauci Sichimitæ, qui non habebant potestatem et jus creandi regem totius Israelis.

Vers. 46. 46. IN TURRE SICHIMORUM. — Verisimiliter Serarius et alii censent turrim hanc esse oppidum Mello, quod cum Sichimitis rebellarat regi Abimelech. Hoc dicitur turris, quia in eo erat arx excelsa et munita instar turris. Dicitur « Sichimorum, » quia erat eorum colonia. Mellonitæ enim audita clade Sichimorum, male sibi conscii eamdem sibi metuentes, confugerunt ad hanc turrim, ut in ea contra Abimelech se tutarentur.

DEI SUI BERITH. — Decurtate, nam integre vocabatur *Baalberith,* ut patet vers. 4.

Vers. 48. 48. ASCENDIT IN MONTEM SELMON, — Sichimæ et Mello vicinum, de quo *Psalm.* LXVII, 15.

Vers. 50. 50. THEBES. — Urbs erat in Judæa, « in finibus Neapoleos pergentibus Scythopolin, quasi in decimo tertio ejus lapide, quam oppugnans Abimelec fragmine molæ ictus interiit, » ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, Eusebius, Adrichomius et alii. Quare alia hæc est ab urbe Thebes in Ægypto, ex qua oriundi fuere milites et martyres Thebæi, quorum dux fuit S. Mauritius; alia quoque fuit Thebe in Græcia, a qua dicti fuere Thebani, quorum dux fuit Epaminondas. Porro Thebes hæc Judææ alia est a Thesba, ex qua oriundus Elias propheta cognominatus est Thesbites, uti contra Lyranum docent S. Hieronymus, Eusebius, Adrichomius, Borchardus et alii. Porro *Thebes* Hebr. idem est quod *ovalis* vel *cœnosus,* ait Pagninus, idque hic est appositum ; ibi enim Abimelech capite, quod ovalis est figuræ, confracto, in cœnum et terram prolapsus occubuit.

53. FRAGMEN MOLÆ, — fragmen lapidis molaris. Vers. 53.

Vers. 54. 54. NE FORTE DICATUR QUOD A FEMINA INTERFECTUS SIT. — Ita Abimelech, qui tota vita gloriam regni quæsierat, juste ingloria morte punitus est, occisus a femina. Juste lapide percussus interiit, qui super lapidem septuaginta fratres occiderat. Sic tegula a muliere dejecta misere Argis periit Pyrrhus rex Epirotarum, teste Plutarcho. Et orbis terror, flagellum Dei, Attila Hunnorum rex a femina percussus cultro est, ait Marcellinus. Et Hermannus, Saxonum rex, arcem unam mutato habitu oppugnans, saxo a femina dejecto interemptus est, teste Aventino, lib. V. Quocirca Gentilis ille apud Virgilium, *Æneid.* X, ita cadentem solatur :

Reges occisi a feminis.

> Hoc tamen infelix miseram solabere mortem ;
> Æneæ magni dextra cadis.

Moraliter Theodoretus, *Quæst.* XVI : « Ex his, ait, quæ contigerunt Abimelech et Sichimitis, discimus improbam consensionem interitum afferre utentibus ea, et tandem in dissensionem desinere; siquidem qui liberos Gedeonis interfecerant, mutuis plagis perierunt. »

Denique in Abimelech verum fuit illud : « Ingressus est ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis, » non baculo, sed lapide a femina percussus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septimus judex Thola eligitur ; octavus Jair, vers. 3. *Mox, vers.* 6, *Hebræi ad sua idola redeuntes, castigantur a Deo per Philistæos et Ammonitas octodecim annis. Unde, vers.* 10, *serio pœnitentes Deum invocant, qui eos increpans tandem, vers.* 16, *eorum miseretur.*

1. Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola, filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim : 2. et judicavit Israelem viginti et tribus annis,

mortuusque est, ac sepultus in Samir. 3. Huic successit Jair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti et duos annos, 4. habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad. 5. Mortuusque est Jair ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon. 6. Filii autem Israel, peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philistiim : dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum. 7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philistiim et filiorum Ammon. 8. Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad : 9. in tantum, ut filii Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam et Benjamin et Ephraim : afflictusque est Israel nimis. 10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt : Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim. 11. Quibus locutus est Dominus : Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philistiim, 12. Sidonii quoque et Amalec et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum? 13. Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos : idcirco non addam ut ultra vos liberem : 14. Ite, et invocate deos quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ. 15. Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet; tantum nunc libera nos. 16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo, qui doluit super miseriis eorum. 17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria : contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt. 18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos : Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

Vers. 1. 1. POST ABIMELECH SURREXIT DUX IN ISRAEL THOLA, FILIUS PHUA PATRUI ABIMELECH. — Erat ergo Thola consobrinus Abimelech, utpote filius Phua, qui erat frater (1) Gedeonis, patris Abimelech. Videtur Thola electione populi creatus Judex, nam Dei hic nulla fit mentio. Ita Abulensis. Sic a populo Judices electi fuere Jephte, Abesan, Ahialon et Abdon, cap. XII, vers. 8. « Surrexit » ergo electus a populo ad corrigendum scandalum, et abolendum tyrannidem Abimelech, ne quis deinceps illam imitaretur, et simile quid attentaret. Unde Hebræa et Septuaginta addunt, *surrexit ad salvandum Israel*, scilicet ut liberaret Rempublicam a tyrannide et idololatria Baalberith inducta ab Abimelech, utque eam ab hostibus vicinis, si more suo Israelem invaderent, defenderet; et forte reipsa defendit, etiamsi Scriptura factum non commemoret. Erant enim Judices Israelis salvatores, ut dictum est cap. II, vers. 16, et cap. III, vers. 9.

Pro *patrui Abimelech*, Hebræum est בן דודו *ben dodo*, id est, *filius patrui ejus*, scilicet Abimelech, supple : erat Thola novus hic Judex. Sic et Septuaginta, quin et Chaldæus, nisi quod vertat in genitivo *filii patrui ejus;* quasi non Thola, sed pater ejus Phua fuerit filius patrui Abimelech. Rabbini vero, et ex iis Pagninus, Arias, Vatablus, Cajetanus, τὸ *Dodo* retinent ut nomen proprium, vertuntque, *Thola filius Phua, filii Dodo;* quasi Dodo fuerit pater Phua, et avus Thola Judicis. Sed magis credendum S. Hieronymo, Septuaginta et Chaldæo, qui *dodo* vertunt, *patrui ejus.* Nimirum Hebræi ob merita Gedeonis voluerunt ex ejus prosapia creare Judicem, qui ei succederet; cumque filii Gedeonis omnes ab Abimelech essent occisi, acceperunt filium fratris ejus, scilicet Thola, eumque crearunt Judicem.

VIR DE ISSACHAR. — Dices : Gedeon fuit de tribu Manasse, quomodo ergo frater ejus Phua, ejusque filius Thola fuit de tribu Issachar? Respondet S. Augustinus, et alii Gedeonem et Phua fuisse fratres uterinos duntaxat, ita ut mater eorum nupserit primo Joas Manassensi, ex eoque genuerit Gedeonem, deinde nupserit alteri viro e tribu Issachar, ex eoque genuerit Phua patrem Thola. Poterant enim feminæ extra tribum suam viris alterius tribus nubere, quando illæ habebant fratres, qui patrum suorum erant hæredes, eorumque hæreditatem in tribu eorum servabant, ne illa ad virum alterius tribus per feminam (si deficiente prole mascula ipsa foret hæres) illi nubentem transiret, *Num.* cap. ult.

QUI HABITAVIT IN SAMIR (urbe) MONTIS EPHRAIM. — Licet ergo esset ex tribu Issachar, tamen habitavit in tribu Ephraim, ut habitans quasi in medio magis numerosarum tribuum, eas velut Judex facilius regeret. Regem enim decet esse in

(1) Phua erat frater uterinus Gedeonis, qui erat de tribu Manasse.

centro regni, ut facile ab omnibus regni partibus adiri et conveniri possit.

Allegorice, *Thola* hebraice idem est quod *vermiculus* vel *coccineus*. Unde typus fuit Christi, qui ait : « Ego sum vermis et non homo, » *Psal.* XXI, 7; idem sanguine æque ac charitate fuit coccineus, quia sanguine suo pro nobis purpuratus, et charitate ignea flagrans fuit filius *Phua*, id est Anguli, quia ipse est lapis angularis Ecclesiæ. Sedes ejus fuit *Samir*, id est custodia, fæx, sentes, adamas. Magna enim nobis in tot periculis et insidiis opus custodia, magna fæcis nostræ cognitione atque contemptu, magna carnis animique compunctione, magna denique constantia et adamantino robore.

Vers. 3. 3. HUIC SUCCESSIT JAIR GALAADITES, — ac proinde e tribu Manasse; hæc enim habitabat trans Jordanem in Galaadite juxta montem Galaad; unde et oppida, quibus filii ejus triginta præfuerunt, erant in tribu Manasse. Fit hic octavus Judex Israelis.

Jair hebraice idem est quod *illuminans*, quia Israelem sua justitia, virtute et religione illustravit. Omnes Judices ad hoc a Deo dati sunt Israeli, ut eum in vera Dei fide et cultu continerent, ideoque omnes sancti fuere, atque ut tales laudantur ab Ecclesiastico, cap. XLVI, vers. 13, et ab Apostolo, *Hebr.* XI, 32. Hinc Jair typus fuit Christi, qui quasi lux mundi « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » *Joan.* I, 9.

Tropologice, Prælatus et fidelis quisque sit « Jair, » id est illustrator aliorum, juxta illud Christi : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, » *Matth.* V, 16.

Vers. 4. 4. HABENS TRIGINTA FILIOS SEDENTES (Hebraice, *equitantes*; Septuaginta, *conscendentes*; Josephus, *equitandi peritissimos*) SUPER TRIGINTA PULLOS ASINARUM. — Cajetanus vult pullos hos fuisse equinos, non asinos; quia, inquit, hoc affertur hic ad ostendendam principum horum gloriam; gloria autem est equitare super equum, non asinum : sed errat Cajetanus. Hebraice עיריהם *aiarim*, pullos asini, non equi, significat hic et alibi, teste S. Hieronymo, Septuagita, Pagnino et aliis passim. Sic et Lyranus, Arias, Vatablus et Abulensis, qui per pullos asini accipiunt mulos, qui ex asino et equa gignuntur; nobiles enim mulis vehuntur. Simplicius accipias meros asinos, quia hos significat Hebraice *aiarim*, atque hi in Palæstina vegetiores et fortiores sunt nostris; unde ibi asinis pro equis utebantur, præsertim quia Deus Hebræis vetuerat usum et copiam equorum, uti ostendi in Pentateucho, *Deuter.* XVII, 16, ad illa : « Non multiplicabit sibi equos. » Huc facit etymon asini, de quo S. Isidorus lib. XII *Etymol.* : « Asinus, inquit, et asellum a sedendo dictus quasi assedus; sed hoc nomen, quod magis equis conveniebat, ideo hoc animal sumpsit, quia priusquam equos caperent homines huic præsidere cœperunt. Animal quippe tardum et nulla ratione renitens, statim ut voluit sibi homo substravit. »

ET PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM. — In Hebræo est pulchra paranomasia in voce *aiarim*, quæ et pullos et civitates significat. Similis est in Græco πώλου; et πόλεις.

QUÆ EX NOMINE EJUS SUNT APPELLATÆ HAVOTH JAIR, ID EST OPPIDA JAIR. — Jam pridem hæ triginta civitates, et insuper aliæ triginta, hoc est sexaginta, ab alio antiquiore Jair nuncupatæ erant civitates Jair, ut patet *Num.* XXXII, 41; hic tamen illud nomen eis confirmatum est, et quasi de novo inditum ob novam rationem, quia scilicet triginta his urbibus præerant triginta principes filii Jair judicis; cæterarum vero triginta hic non fit mentio, quia illæ ad hos triginta principes non spectabant.

8. OPPRESSI PER ANNOS DECEM ET OCTO. — Hi 18 anni comprehendi nequeunt annis Judicis sequentis, puta Jephte, hic enim tantum sex annis præfuit. Quocirca Serarius vult eos omnino addendos in chronologia annis cæterorum Judicum. Verum capite III ostendi id fieri non posse. Quare hi 18 anni comprehendi debent annis præcedentis Judicis, scilicet Jair, qui præfuit 22 annis. Licet enim Jair omni studio contenderet Israelitas continere in cultu unius veri Dei, tamen ipsi partim ex innata malitia et proclivitate ad idola, partim ex commercio et connubiis vicinarum Gentium idololatrarum, partim ex continua 23 annorum pace sub Thola judice opibus epulisque abundantes et lascivientes deflexerunt ad idola et vitia Gentium; quare Deus justus perfidiæ vindex, statim illos castigavit, immittendo in eos Philistæos et Ammonitas, qui eos spoliarent et opprimerent, idque per 18 annos, donec ipsi tot flagellis fracti, serio idolis abjectis pœnitentes ad Deum redirent, qui proinde hac pœnitentia reconciliatus liberavit eos per Jephte, ut patet ex sequenti. Hoc est enim quod prædixit Scriptura, cap. II, vers. 16 : « Suscitavitque Dominus Judices, qui liberarent eos de vastantium manibus; sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis. » Vers. 8.

12. ET CHANAAN. — Sic quoque vertunt Septuaginta. Hebraice מעון *maon*, quod alii retinent quasi nomen proprium loci. Vide S. Hieronymum in *Locis Hebr.* : « Maon, ait, regio Moabitarum, juxta Jeremiam, » capite XLVIII, vers. 23; juxta Septuaginta, Marinus in *Lexico* et alii putant Maon idem esse cum Bethmaon et Baalmaon, quæ erat urbs Moabitarum juxta torrentem Arnon in tribu Ruben. Hinc incolæ Maon, I *Paralip.* IV, 41, et II *Paralip.* XXVI, 7, vocantur *Meonenim*, ubi Septuaginta vertunt *Minæos*. Unde et Septuaginta, *Job* capite II, versu 11, Sophar amicum Job constituunt regem *Minæorum*. S. Hieronymus vero, II *Paral.* XXVI, 7, vertit *Ammonitas*. Unde videtur ipse *Meonenim* per metathesin accepisse pro *Ammonim*, id est Ammonitis. Priore vero loco, Vers. 12.

I *Paral.* IV, 41, vertit *habitatore*, hoc enim significat τὸ *meonenim*. Ut ut est, certum est hos fuisse Chananæos. Sic enim vertunt Septuaginta et Noster, qui commune Chananæorum nomen eis appropriant, quasi ipsi illo ævo præ cæteris vocati sint Chanaan et Chananæi.

Vers. 14. 14. ITE ET INVOCATE DEOS QUOS ELEGISTIS. — Est sarcasmus similis illi *Deuter.* XXXII : « Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? etc. Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. »

Vers. 16. 16. IDOLA PROJECERUNT. — Ecce hoc est signum serii doloris et pœnitentiæ, idola et vitia sua abjicere : ideoque mox Deus eorum misertus est.

QUI DOLUIT SUPER MISERIIS EORUM. — Hebraice קָצַר *katsar*, id est, *angustata est anima ejus in labore Israelis*. Septuaginta, ὠλιγωτη, id est, *imminuta* vel *contracta est*. Dicitur hoc anthropopathῶς : nec enim angustia cadit in Deum, sed figurate significat magnum in Deo commiserationis affectum. Sic Deus ait, *Jerem.* XVIII, 7 : « Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. » Videatur S. Chrysostomum, homil. 5 *ad Populum*, et 25 *in Genes.* ac 65 *in Matth.*

Vers. 17. 17. ITAQUE FILII AMMON CONCLAMANTES (id est, suos ad bellum convocantes) IN GALAAD FIXERE TENTORIA. — Nam regio Ammon vicina est Galaad et Galaaditis, puta Manassensibus, qui proinde primi eis irruentibus se opposuere.

CONTRA QUOS CONGREGATI FILII ISRAEL IN MASPHA CASTRAMETATI SUNT. — Duplex est Maspha, una in tribu Gad, altera in tribu Manasse, quæ hic intelligitur; tum quia Ammonitæ tribum Manasse sibi vicinam invaserant; tum quia eis quasi dux appositus fuit Jephte, qui erat ex Manasse, ut audiemus cap. sequent. Porro *Maspha* hebraice idem est quod *specula*, quia erat loco alto, ex quo Ammonitarum aliorumque vicinorum hostium adventum speculabantur, ut contra eum sibi prospicerent.

Vers. 18. 18. QUI PRIMUS EX NOBIS CONTRA FILIOS AMMON COEPERIT DIMICARE, ERIT DUX POPULI GALAAD, — ita tum quidem tumultuario consilio decreverunt, sed non satis recto. Unde paulo post sanius consilium eis in mentem venit de accersendo Jephte viro bellicoso, ut audiemus capite sequenti. Ita Abulensis.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jephte Judex nonus Israelis a populo constituitur, qui primum ratione agit cum rege Ammon, ut ab invasione Israelis cesset, sed frustra : quare, vers. 29, irruente in eum Spiritu Dei Israelitas ad bellum convocat, facitque votum ut, si ipse victor redeat, eum qui primus sibi e domo sua occursurus sit, Deo immolet; victori redeunti occurrit filia : quare illam quasi voti reus Deo sacrificat.

1. Fuit illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad. 2. Habuit autem Galaad uxorem de qua suscepit filios, qui, postquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes : Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es. 3. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob : congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et quasi principem sequebantur. 4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. 5. Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de terra Tob. 6. Dixeruntque ad eum : Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. 7. Quibus ille respondit : Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi? 8. Dixeruntque principes Galaad ad Jephte : Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad. 9. Jephte quoque dixit eis : Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps? 10. Qui responderunt ei : Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus. 11. Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Jephte omnes sermones suos

coram Domino in Maspha. 12. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent : Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam? 13. Quibus ille respondit : Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jaboc atque Jordanem ; nunc ergo cum pace redde mihi eam. 14. Per quos rursum mandavit Jephte, et imperavit eis ut dicerent regi Ammon : 15. Hæc dicit Jephte : Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon ; 16. sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades. 17. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens : Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, 18. et circuivit ex latere terram Edom et terram Moab : venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon ; nec voluit intrare terminos Moab, Arnon quippe confinium est terræ Moab. 19. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei : Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium. 20. Qui et ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos : sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, et fortiter resistebat. 21. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, 22. et universos fines ejus, de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem. 23. Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, et tu nunc vis possidere terram ejus? 24. Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem ; 25. nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab ; aut docere potes quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum, 26. quando habitavit in Hesebon, et viculis ejus, et in Aroer, et villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? 27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israel, et inter filios Ammon. 28. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios mandaverat. 29. Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini, et circuiens Galaad, et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, 30. votum vovit Domino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, 31. quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. 32. Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus ejus. 33. Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis ; humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. 34. Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris ; non enim habebat alios liberos. 35. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait : Heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es ; aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. 36. Cui illa respondit : Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. 37. Dixitque ad patrem : Hoc solum mihi præsta quod deprecor : Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. 38. Cui ille respondit : Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. 39. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbruit in Israel, et consuetudo servata est, 40. ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, et plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.

Vers. 1. 1. FUIT ILLO TEMPORE JEPHTE GALAADITES (ideoque ex tribu Manasse, non Gad, ut vult Cajetanus. Manassenses enim passim vocantur Galaaditæ, non Gaditæ, etsi et ipsi partem regionis Galaad occuparent) VIR FORTISSIMUS.—Hebraice גבור חיל *gibbor chail*, id est, *vir virtutis*, vel *roboris*, vel *strenuitatis*.

FILIUS MULIERIS MERETRICIS, — non publice expositæ, sed concubinæ privatæ. Hebræum est זונה *zona*, quæ vox et meretricem, ut vertunt Septuaginta et Noster, et tabernariam, ut vertit hic Chaldæus, significat. Fuit ergo Jephte spurius, quales nunc legibus arcentur a principatu, æque ac a sacerdotio, ob infamiam et mores subinde minus honestos, eo quod neglectim educentur. Verum Jephte hæc omnia abolevit sua fortitudine et virtute, quare Deo dispensante in lege *Deut.* XXIII, 2, quæ sancit ne mamzer, id est spurius, admittatur in Ecclesiam Dei ad jura populi Israel, Jephte admissus factus est dux populi. Similia spuriorum ad principatus evectorum exempla recenset Plutarchus, Athenæus et Serarius hic.

QUI NATUS EST DE GALAAD. — Pater ergo Jephte vocabatur Galaad. Ita Septuaginta, idque patet ex versu sequenti.

Vers. 2. 2. EJECERUNT JEPHTE DICENTES: HÆRES IN DOMO PATRIS NOSTRI ESSE NON POTERIS, QUIA DE ALTERA MATRE NATUS ES, — id est, quæ esset alterius tribus, scilicet diversæ a sua, inquit Matthæus Galenus Cancellarius Duacensis, scribens in cap. XI *ad Hebr.* Nemo enim, inquit ipse, poterat uxorem non suæ tribus honeste ducere: si quis tamen illectus forma id tentasset, mulier *zona* vocabatur. Unde Septuaginta eam vocant ἑταίραν, id est amicam; defuncto autem marito hæc sine dote et hæreditate ad propriam tribum redibat; filius tamen si quis natus fuisset in patris tribu sortiebatur hæreditatem, quod modo fratres Jephte negabant, ut ipse iis exprobat vers. 7, non ausurus hiscere, si scorto natus fuisset. Ita Galenus. Verum falsum est quod Israelitides feminæ sine nota et infamia non possent nubere in alia tribu. Nam principes Juda sæpe ducebant filias sacerdotum ex tribu Levi, idque sibi honori ducebant, uti Aaron duxit Elizabeth filiam Aminadab, principis tribus Juda. *Exod.* VI, 23. Et Zacharias duxit Elizabeth cognatam B. Virginis, quæ erat ex tribu Juda, *Lucæ* I.

Porro *mulier altera* hic non intelligitur ea quæ sit alterius tribus, sed quæ sit alia a legitima uxore, id est, quæ sit meretrix et concubina, quam Septuaginta honeste vocant ἑταίραν, uti nos vocamus amicam: vel quæ sit uxor alterius viri, ideoque adultera, qualem matrem Jephte fuisse insinuat Josephus.

EJECERUNT, — injuste; spurio enim a patre et domo jure communi debentur alimenta, non tamen hæreditas, uti docet Sylvester et alii Doctores Casuum.

Vers. 3. 3. HABITAVIT IN TERRA TOB, — quæ sita erat in terra Galaad, ait Josephus et Adrichomius. Serarius putat esse Tubin; de quo I *Machab.* VI, 13. Porro « Tob » significat bonum; sane terra hæc Jephte fuit bona eminenter, id est optima, quia benigne fugientem excepit et aluit.

CONGREGATIQUE SUNT AD EUM VIRI INOPES ET LATROCINANTES. — Τὸ *latrocinantes* non est in Hebræo, Græco et Chaldæo, quare videtur ex margine in textum irrepsisse, intrusum ab aliquo volente explicare τὸ *inopes*; inopes enim milites sæpe rapinis et latrociniis vivunt. Porro rapinæ hæ justæ sunt, si rapiantur ab hoste bello justo; injustæ, si ab amicis, vel ab hostibus in bello injusto. Quare latrones hi, quibus præfuit Jephte, fuere milites et prædones, qui forte antea injuste rapiebant aliena; sed postquam Jephte secuti sunt, non nisi justas, puta ab Ammonitis et Philistæis prædas egerunt, uti fecere illi qui Davidem a Saule profugum secuti sunt, I *Reg.* XXII, 2.

Latro enim priscis idem erat quod miles, qui dictus est latro quasi latero, quod lateri Ducis adhæreret, eumque stiparet; vel a latendo, quod latenter et ex insidiis ad prædandum irrueret. Ita Varro, Festus, Nonius, Marcellus et alii.

8. SISQUE DUX OMNIUM QUI HABITANT IN GALAAD.— Vers. 8.
Sed post victoriam de Ammonitis cæteræ quoque tribus Jephte in ducem suum acceptarunt.

11. LOCUTUSQUE EST JEPHTE OMNES SERMONES SUOS CORAM DOMINO IN MASPHA. — *Primo*, « coram, » id est publice, pro concione et audiente populo, in cujus medio censebatur esse Deus, ait Vatablus. *Secundo*, « coram Domino, » id est invocando Deum in testem pacti, quod cum legatis de Ducatu inibat. Ita Abulensis. *Tertio*, « coram Domino, » id est coram Pontifice, Ephod et Rationali, in quo erant Urim et Tummim, induto: hic enim repræsentabat Deum, eumque consulens pro principe oracula accipiebat. *Quarto*, « coram Domino, » id est coram altari, quod ibi ut videtur erexerunt, ut sancte hoc fœdus sancirent. Porro sermones quos ibi locutus est Jephte, fuit promissio, qua promittebat legatis se fideliter et strenue bellum populi administraturum, ac vicissim illi promittebant se constanter ejus quasi Ducis sui imperium et jussa secuturos. Atque ad hoc invocavit Deum, tum in testem, tum in auxilium, ut imperium hocce suum et bellum secundaret, uti fecit Josue, Judas Machabæus, Constantinus, Theodosius aliique Duces, qui proinde Dei ope victoriam adepti de hostibus triumpharunt. Vers. 11.

13. QUIA TULIT ISRAEL TERRAM MEAM, QUANDO ASCENDIT DE ÆGYPTO, A FINIBUS ARNON USQUE JABOC ATQUE JORDANEM. — Casus hic est: Sehon rex bello occupavit urbes aliquas Moab et Ammon; Moses vero et Hebræi Sehon regem occiderunt, omniaque quæ ejus erant occuparunt. Queritur ergo nunc rex Ammon de injuria sibi facta, terramque suam a Sehon occupatam ab Hebræis, qui Sehoni illam bello extorserunt, repetit et reposcit. Vers. 13.

TULIT (scilicet injuste per vim et bellum injus-

tum) TERRAM MEAM; — hanc enim injuste invasit et occupavit Sehon rex Amorrhæorum; vos vero, o Hebræi, Sehon invadentes et occidentes, omnia quæ ipse tam juste quam injuste occupabat, vobis usurpastis, excluso me, qui etiam primus et justus hæres, cui proinde ea reddere debebatis, non vero ea vobis vindicare. Historia narratur *Num.* XXI, 25 et seq., et licet ibi tantum terræ Moabitarum a Sehon subactæ, ac eo occiso a Judæis occupatæ, fiat mentio; tamen Ammonitidis quoque partem tunc fuisse ab eis occupatam liquet ex hoc loco. Aut certe dicendum cum Lyrano, Cajetano, Dionysio et aliis eumdem fuisse olim, vel tunc regem Moabitarum et Ammonitarum: Moabitæ enim Ammonitis erant conjuncti, utpote a duobus fratribus Moab et Ammon a Lot progeniti, *Genes.* XIX. Rex ergo Ammon agit pro Moabitis, vel ut subditis, vel ut sociis et fœderatis, qui jus suum per eum ab Hebræis repetunt.

Vers. 15. 15. NON TULIT ISRAEL TERRAM MOAB, NEC TERRAM FILIORUM AMMON, — quam scilicet actu tunc possidebant Moabitæ et Ammonitæ; vetuerat enim Deus Hebræis, ne eos quasi sibi ex Lot et Abraham cognatos invaderent, *Num.* XXI, et *Deut.* II et III; illam vero Moabitidis et Ammonitidis partem quam bello sive justo sive injusto (res enim hæc incerta est et dubia) occupavit Sehon rex Amorrhæorum, Hebræi eo prostrato jussu Dei occuparunt, ut in sequenti narrat Jephte; quia illa jam non erat Moabitarum, sed Sehonis regis hostis Hebræorum, quam ab eo recipere et bello repetere nequiverant Moabitæ; quare illam ut Sehonis, non ut Moabitarum, jure belli, annuente Deo occuparunt Hebræi. Est hæc prima ratio, qua Jephte probat regem Ammonitarum falso queri de terra sua ab Hebræis sub Mose occupata, ideoque injuste eum Ammonitas in Judæam immisisse ad eam opprimendam. Verum hæc ratio sola non sufficiebat, nec satisfaciebat regi Ammon, hinc alias subjungit Jephte, quibus eam corroborat (1).

Vers. 24. 24. NONNE EA QUÆ POSSIDET CHAMOS DEUS TUUS TIBI JURE DEBENTUR? QUÆ AUTEM DOMINUS DEUS NOSTER VICTOR OBTINUIT, IN NOSTRAM CEDENT POSSESSIONEM. — Est hæc secunda ratio, *q. d.* Tu occupas regiones illas, quas deus tuus Chamos tibi dedit; ergo pari jure nos occupamus terram Sehon regis (in qua erant aliquæ urbes ab eo Moabitis et Ammonitis ereptæ), quam pro nobis pugnans victor Deus nobis dedit. Hæc ratio Jephte non quaquaversum est solida. Deus enim Turcis aliisque tyrannis dat victorias, et regiones Christianorum subjugat; et tamen Turcæ et Tyranni injuste eas invadunt et detinent ex ambitione et cupidine dominandi. Impia enim est Alberici Gentilis, lib. I *De Jure belli*, cap. XXII, sententia, juste a Turca possideri omnia quæ ipse Christianis eripuit, eo quod ipse ex voluntate Dei volentis castigare Christianos id faciat: neque verum erat Chamos dedisse terram illam Moabitis.

Erat tamen hæc ratio apposite ad hominem, *q. d.* Tu, o rex Ammon, edicito a quo et quo jure obtineas omnes tuas regiones et urbes. Sane nihil splendidius dixeris dederisque, quam dei tui Chamos voluntatem et voluntariam donationem. At ego similiter assero Deum nostrum terram illam, quam repetis, nobis per victoriam suam nobis concessam donasse; Deus autem est omnium regnorum Dominus, qui proinde transfert regna de gente una in aliam prout ei libuerit.

Verus autem titulus juris Hebræorum ad occupandas hasce regiones erat, quod ipsi e Dei mandato invaserant regna Sehon et Og regum Amorrhæorum, eodemque mandato occupabant et possidebant omnia, quæ eis fuerant subjecta, ut patet *Num.* XXI, et *Deut.* II. Hunc titulum insinuat, sed expresse non allegat Jephte, quia illum Gentili regi Ammon vix probare potuisset. Ita Abulensis.

Vers. 25. 25. NISI FORTE MELIOR ES BALAC FILIO SEPHOR REGE MOAB, — *q. d.* Cum Hebræi, cæso Sehon, occuparunt ejus ditiones, tunc Balac erat rex Moab, isque sapiens et potens. Atqui hic tunc ne verbulo quidem ditiones hasce ab Hebræis repetiit. Ergo nec tu, qui illo trecentis fere annis posterior es, illas repetere debes aut potes. Est hæc ratio tertia. Sequitur quarta.

Vers. 26. 26. PER TRECENTOS ANNOS, — *q. d.* Trecentis annis occupavimus has regiones, quas nunc postliminio repetis. Ergo longissima temporis præscriptione eas occupamus, præsertim cum per tot annos nullus illas a nobis repetierit.

QUARE TANTO TEMPORE NIHIL SUPER HAC REPETITIONE TENTASTIS? — sed siluistis, ac silentio vestro vos contentos significastis, et ut eas possideremus tacite consensistis? Nota hic a Mose ad Jephte præcise non fluxisse trecentos annos, sed 266 duntaxat; sed Jephte more vulgi annos adauxit ad magis roborandam præscriptionem, atque usus est numeris rotundis et perfectis, scilicet centenariis, *q. d.* Jam agitur tertius annorum centenarius, agitur tertium præscriptionis et possessionis sæculum: ergo frustra laboras ut nos ea tam sero deturbes. Porro Melchior Canus et Serarius, qui annos oppressionis Hebræorum ab annis Judicum separant et separatim numerant, computant a Mose ad Jephte annos 340 ut minimum. Abulensis opinatur illo ævo præscriptionem per longum tempus, etiam cum mala fide, jure gentium valuisse, et rem tamdiu possessam confirmasse possidenti; alioqui enim, inquit, replicasset rex Ammon hanc Hebræorum possessionem initam fuisse cum mala fide, ideoque præscriptionis tempus hic non valere. Verum hoc ei probandum fuisset. In dubio enim melior est conditio possidentis. Et actori si possessorem e sua possessione deturbare velit, incumbit malæ fidei probatio. Quisque enim præsumitur esse bonus et

(1) Jephte loquebatur in nomine Ammonitarum et Moabitarum, qui populi erant fratres et sub eodem regimine uniti a morte Eglon rege Moabitarum.

bonæ fidei possessor, nisi contrarium probetur.

Solymani male fundata ambitio.

Sic nuper Solymanus, Turcarum Imperator, post annos mille omnia jura reddi volebat, quæ olim Magni Constantini fuissent, teste Jovio, libro XXX. Hoc est Turcicum.

Porro simili modo quo Jephte, responderunt olim Lacedæmonii apud Isocratem in *Archid.* : « Hanc colimus terram ab Herculis posteritate datam, Delphico oraculo confirmatam, et incolis ejus bello superatis. Non vos latet possessiones sive privatas sive publicas præscriptione longi temporis confirmari. Messanam tenuimus amplius 400 annos. »

Vers. 27. 27. JUDICET DOMINUS ARBITER HUJUS DIEI, — id est hujus litis, quam hoc die agimus. Sic dies pro judicio sumitur, I *Corinth.* IV, 3, et *Jerem.* XVII, 16; est metonymia.

Vers. 29. 29. FACTUS EST ERGO SUPER JEPHTE SPIRITUS DOMINI, — hoc est immisit Deus Jephte Spiritum fortitudinis, ardoris et zeli ad capessendum bellum contra iniquum regem Ammon; eoque impulsus convocavit ad illud incolas Galaad, et tribus Manasse, et « Maspha Galaad, » id est, Maspha, quæ est in extremis terminis Galaad versus montes Libanum et Hermon; hisce enim maxime et proxime imminebant vicini hostes Ammonitæ.

Vers. 30. 30. VOTUM VOVIT DOMINO DICENS : SI TRADIDERIS FILIOS AMMON IN MANUS MEAS, QUICUMQUE PRIMUS FUERIT EGRESSUS DE FORIBUS DOMUS MEÆ, MIHIQUE OCCURRERIT REVERTENTI CUM PACE A FILIIS AMMON, EUM HOLOCAUSTUM OFFERAM DOMINO. — Huic simile est quod scribit Aldrovandus in *Asino* : Alexandro Macedoni, inquit, cum reddita sors esset, eum qui primus occurrisset interimeret; ubi quemdam præ se agentem asellum vidit, arripi hominem confestim ex oraculo imperavisse tradunt. At eum jamjam jugulandum intellecta mortis ratione proclamavisse anteambulonem suum, non se peti ex responso, quando is obviam occurrisset prior, puta asinum suum.

Quid vovit Jephte? Resp. Primo.

Quæres *primo*, quam victimam hic voverit Jephte? *Primo* aliqui censent eum vovisse primum hominem sibi e domo sua occursurum Deo immolare. Ita S. Augustinus.

Secundo.

Secundo, Rabbini et Abulensis putant eum vovisse pecus immolabile primo occurrens, sive is bos esset, sive vitulus, sive hircus, sive aries, Deo sacrificare; sed postea Jephte de mente et materia hac voti sui dubitasse, quia verba ejus erant generalia : quare primo occurrente filia, censuisse se ad illam immolandam obligari.

Tertio.

Tertio et optime, intendit Jephte primum vivens, sive primum animal e domo sua sibi occursurum Deo mactare. Unde ex Hebræo verti potest in genere neutro : *quodcumque*, scilicet animal primo mihi e domo obvium immolabo. Ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus et alii. Id patet ex eventu : nam cum prima ei e domo occurreret filia, putavit se voto ad illam immolandam obligari et cogi.

Votum Jephte multi censent impium.

Quæres *secundo*, an hoc votum fuerit licitum, an illicitum? *Primo*, multi censent illud fuisse impium, stultum et parricidale. Ita S. Ambrosius, lib. *Offic.* cap. ult., S. Augustinus, *Quæst.* XLIX, Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.*, Nazianzenus, orat. *De Machabæis*, Theodoretus et Procopius; hic Chrysostomus, hom. *De Jephte*. Et S. Thomas citans S. Hieronymum, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 2 : « In vovendo, ait, fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius. » Impium enim est filiam occidere, impium est Deo homines immolare, et humano sanguine litare. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, ante medium : « Reprehenditur pater voti temerarii, etc. Si enim canis, inquiunt, si asinus occurrisset, quid faceret? » Lege enim vetitum erat offerre canem vel asinum. Pergit S. Hieronymus : « Ex quo volunt (Hebræi) Dei dispensatione esse factum, ut qui improspecte voverat, errorem votorum in filiæ morte sentiret, » ut temeritas voventis castigaretur, ait S. Augustinus, *Quæst.* XLIX.

Si dicas Jephte laudari ab Apostolo, *Hebr.* XI, respondet Abulensis eum laudari ex merito fidei; quod scilicet ipse confidens Deo exposuit se periculo mortis in prælio pugnans contra tam potentes Ammonitas, non autem a voto; satis autem constat quod Jephte, et quilibet virorum illorum, quos in illo suo fidei Catalogo posuit Apostolus, graviter peccarit, ait Abulensis. Unde et Gentiles vituperarunt et damnarunt eos qui homines Saturno immolarunt. Quis Creonti, ait Serarius, vitio non dat, quod Menœcum filium Thebis Erichtheo, quod Praxitheam filiam Athenis immolarit? Nonne suum regem expulerunt Idomeneum Cretenses, quod a Trojano bello reversus, nostri hujus Jephte instar, deorum aris obvium filium ex voto imponere voluerit? De Agamemnonis Iphigenia quam Poetæ multa! et in *Suasoria* Seneca : Nonne et hoc nomine infames olim Scythæ, Tauri, Pontici et Afri? de quibus in *Scorpiaco* Tertullianus, in *Octavio* Minucius, in *Protreptico* Clemens et Euripides.

Quocirca Procopius ait victoriam hanc a Deo concessam fuisse Jephte non ob votum, sed ut injurias Israeli ab Ammonitis factas esse, manifestum fieret.

Alii pium.

Secundo, alii ex adverso censent hoc votum Jephte fuisse pium et sanctum, eo quod factum sit ex impulsu Spiritus Sancti. Ita S. Anselmus, Ambrosiaster in cap. XI *ad Hebræos*, Serarius et Salianus hic, ac favet hic S. Augustinus et S. Hieronymus, epist. *ad Julianum*, ubi ait Jephte obtulisse virginem filiam, et idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo collocari.

Probant primo.

Probant *primo*, quia hic dicitur irruisse in eum Spiritus Dei, quod licet ad pugnam referri debeat, tamen ad votum quoque, quod pugnæ et victoriæ fuit medium, imo principium, referendum videtur.

Secundo.

Secundo, quia Ecclesiasticus, cap. XLVI, et Apo-

stolus, *Hebr.* XI, Jephte ponit in Catalogo Sanctorum, quare non videtur peccasse hic; aut certe si peccavit, mox pœnituit.

Tertio. *Tertio*, quia Deus per votum hoc videtur ei concessisse tantam victoriam. Ergo illud ratum gratumque habuit.

Quarto. *Quarto*, quia filia ejus offerens se immolandam ad satisfaciendum voto patris, a Patribus mire laudatur, et Isaaco comparatur.

Quinto. *Quinto*, quia immolatio hæc filiæ fuit typus immolationis Filii Dei in cruce, ut docent Patres: nullus enim illius expressior fuit typus et figura, quam hæc filia immolata a patre pro salute Israelis. Videtur ergo Deus voluisse hunc typum dare, qui præluderet et præsignificaret immolationem Christi.

Tertii sunt medii. Tertia sententia est media et verisimilior, scilicet votum hoc quidem in se fuisse illicitum et impium, eo quod per hoc hominem, imo filiam Deo mactarit, quod omni jure naturæ, divino et humano est vetitum. Jephte tamen excusari vel a toto, vel a parte per ignorantiam et religionis zelum, quod simplici, candido et pio animo putaret se hoc voto obligari ad filiam immolandam, eo quod ipsa prima sibi occurrisset. Erat enim rude hoc sæculum, et casuum conscientiæ ignarum. Ac Jephte erat homo militaris; milites autem putant se suis juramentis et votis, etiamsi perperam factis, obligari ex religione et veneratione quam Deo debent. Ita S. Hieronymus, in cap. VII *Jerem.*, sub finem, excusat Jephte per ignorantiam invincibilem, quod intentio offerentis esset bona, etiamsi oblatio mala, eo quod illo ævo rudi non esset propheta, imo nec summus sacerdos, ait Abulensis hic, *Quæst.* XLVIII, qui sciret hunc casum resolvere. Audi Serarium: Extenuatur Jephte factum *primo*, quia cum Dei veri cultus tam sæpe et tam diu collapsus esset, ea jam apud Israelitas obtinuerat opinio e Gentilium erroribus petita, Deo istiusmodi sacrificium gratum esse; *secundo*, exemplum Abrahami aspiciebat, sicque illum recte imitari putabat, et fortasse, ut indicat D. Augustinus, sperabat, si sacrificium Deo gratum non esset, impeditum iri instar illius Abrahami, *Genes.* XXII; *tertio*, magna etiam in eo fidei laus fuit, quod ut idem notat Augustinus, quantumvis molestum sibi esset, maluerit votum reddere, quam suo ipsius dolori obsequi; *quarto*, credebat, inquit idem Augustinus, bonæ virginis animam bene recipi, seu in cœlum evolare, quæ non seipsam voverat immolandam, sed voto et voluntati non restiterat patris, et Dei secuta fuerat judicium; *quinto*, boni communis publicæque salutis erat peramans; ideoque verebatur ne, si votum non expleret, indignaretur Dominus, ac se populumque totum calamitate afficeret aliqua; *sexto*, valde ipsum movebat, quod tam nobilem de tam ferocibus ac superbis hostibus, statim post votum adeptus esset victoriam, ut certo sibi persuaderet suum Deo haud displicuisse votum, ideoque ipsi a se jam satisfaciendum.

Hinc Jephte a nullo Propheta vel Pontifice legitur reprehensus, sed ab Apostolo et Ecclesiastico laudatus. Cur ergo nos eum damnemus?

Porro S. Augustinus, Quæst. XCIX *ad Orthodoxos*, ait diabolum fecisse ut filia cum cythara gratulans patri victoriam prima occurreret, hoc fine, ut Jephte filiæ unicæ amantissimus votum violaret. Jephte vero tentationem hanc vicisse, ac filiam votam immolasse ad testandam suam erga Deum pietatem, ideoque eum Catalogo Sanctorum esse adscriptum (1).

Quocirca Patres in hac immolatione filiæ Jephte magna agnoscunt mysteria. Mysteria filiæ Jephte.

Nam *primo*, S. Augustinus, *Quæst.* XLIX, ait per illam significatum fuisse humano sanguine litandum esse Deo Patri.

Secundo, S. Chrysostomus, homilia *De Jephte*, tom. I, ait hic adumbratum fuisse, quod Christus filiam suam, id est Ecclesiam, quasi virginem Deo esset oblaturus in holocaustum, præsertim per immolationem martyrum tempore persecutionis. Audi S. Chrysostomum: « Jephte existimo esse Dominum nostrum Jesum Christum victorem mundi; qui obtulit filiam suam unicam ipsam Ecclesiam tempore persecutionis malis Pontificibus, non agnorum, sed luporum, dicente ipso: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Obtulit ergo Ecclesiam per immolationem martyrum tempore persecutionis, et victima unica oblata est Deo, ut sacrificium acceptabile esset Patri ex lucris Unigeniti. Offert unicus unam, sponsus sponsam, pater filiam. Quid enim inveniri potest fortius integritate et virginitate Ecclesiæ, quæ concipit in corruptione, creat in integritate? Virgo est ista quæ virum non novit. »

Anagogice S. Augustinus: Significabatur, inquit, nos per immolationem mortis transituros ad beatam immortalitatem, uti transiit filia Jephte.

Tropologice, innuebatur quemque suam filiam, id est, animam debere Deo offerre per mortificationem cupiditatum et passionum, « occidendam in malis, vivificandam in bonis, » ait S. Chrysostomus et S. Augustinus.

35. FILIA MEA, DECEPISTI ME, ET IPSA DECEPTA ES. Vers. 35. — « Decepisti, » quia cum tu unica mihi sis proles et hæres, sperabam ex te posteritatem; at jam omnem ejus spem mihi tuo occursu subtulisti. « Decepisti *ergo* me, » quia meam spem fefellisti. « Decepta es, » quia putabas mihi lætitiam, tibi gloriam mihi victori occurrendo afferre; at

(1) Probabilissima opinio hæc est: quod Jephte filiam suam realiter holocaustum obtulit Domino; inde vero nil concludi potest contra divinum characterem religionis hebrææ, votum enim Jephte sibi proprium erat et nullatenus lege hebræa præceptum. Nobis favent hæc verba S. Ambrosii. « Non possum accusare virum qui necesse haberet implere quæ voverat, sed tamen miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio. » *De Offic.* III, XII.

jam mihi tristitiam, tibi mortem peperisti. Hebræum est : *incurvando incurvasti me*, vel *humiliando humiliasti me, et tu fuisti inter turbantes me.* Est pulchra allusio per metathesin inter כרע *cara*, id est, humiliare, et עכר *achar*, id est, turbare, *q. d.* Turbasti me, quia me measque spes humiliasti et prostravisti. Septuaginta et Romana, *perturbatione perturbasti me, et tu fuisti in perturbatione mea.* Videntur Septuaginta utroque modo legisse עכר *achar*, id est, turbare; Complutensia vero et Regii habent : *implevisti me, et scandalum factaes in oculis meis.* S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XII, legit : « Heu! mea filia, impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi. » Idem, lib. *De Virginitate* : « Heu! mea filia, perdidisti me.»

APERUI ENIM OS MEUM AD DOMINUM (vovendo me eum qui primo occurreret illi immolaturum), ET ALIUD FACERE NON POTERO, — *q. d.* Votum jam editum retractare nequeo, quare ex illo te, utpote primo occurrentem, Deo immolare debeo. Hinc patet Jephte non intendisse vovere solum animal immolabile, sed et hominem, imo filiam, si primo occurreret. Sic enim ipse illud hic interpretatur. Nemo autem melior est mentis et voti sui interpres, quam ipse vovens. Hinc et apte vocatur *Jephte*, id est aperiens, scilicet os ad vovendum, aperiens, inquam, nimis ample et improvide.

Vers. 36. 36. CUI ILLA RESPONDIT : PATER MI, SI APERUISTI OS TUUM AD DOMINUM (id est, si vovisti me immolare Deo), FAC MIHI QUODCUMQUE POLLICITUS ES; CONCESSA TIBI ULTIONE ATQUE VICTORIA DE HOSTIBUS TUIS. — Vide et admirare in hac filia animos, obedientiam, religionem et amorem patriæ, quibus se morti et immolationi generose et alacriter offert. Potuisset enim ipsa patri replicare : Ego non vovi me Deo immolare; nec tu, o pater, es vitæ meæ dominus, ut me invitam devovere et mactare possis. Nolo ergo adolescentula et illiberis mori, volo florem juventutis meæ læta peragere : volo stirpem meam et tuam propagare. Quare votum tuum irrito et dissolvo : atque ita se morte, patrem voto et mœrore liberasset. Sed noluit, ut suam erga Deum religionem, erga patrem obedientiam, erga Rempublicam charitatem testaretur. Fecit ergo seipsam victimam, imo holocaustum Deo pro patre et patria. Timebat enim ne, si ipsa mortem recusaret, pœna violati voti in patrem et patriam recideret, ac victoria accepta in cladem converteretur. Audi S. Ambrosium : « Quod in spectatis et eruditis viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur. » Et paulo post : « Nec fletus, inquit, æqualium movit puellam, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem quasi ad votum rediret, et voluntate propria cunctantem impulit, facitque arbitratu spontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium. »

Porro Deus id fieri permisit, ait Serarius, gravibus de causis. *Prima* est, ut mortis quam Christus Dominus causa nostra, non voluntate tantum ac desiderio, sed effectu etiam ac reipsa perlaturus erat, figura esset clarissima. *Secunda*, ut splendesceret magis Jephte fides, et summa erga Deum religio; a qua eum neque rei tam caræ amissio, neque posteritatis amor, neque præsentis futurique temporis tam acerbum vulnus deducere potuissent. *Tertia*, ut similiter eximia tenerrimæ virgunculæ fides, erga Deum religio, erga patrem patriamque totam pietas et præcellens animi magnitudo, velut speculum, in quo orbis terrarum totus posset intueri, publice statueretur. *Quarta*, ut intelligeret mundus universus quam accurate, diligenter et immolate, quæcumque vel consilio bono, vel divino monitu ac instinctu vota essent, Deo reddi deberent, etiam mille gravissimæ occurrerent difficultates.

37. DIMITTE ME UT DUOBUS MENSIBUS CIRCUMEAM MONTES, ET PLANGAM VIRGINITATEM MEAM CUM SODALIBUS MEIS, — quod scilicet virgo sine prole et hærede moriar; hoc enim illo ævo erat triste ac dedecorosum, jam autem per Christum virginitas summæ laudi et gloriæ ducitur, quasi cœlestis conversatio et imitatio vitæ Angelicæ.

Flevit ergo hæc filia virginitatem suam, id est, ætatem suam virginalem nuptiis opportunam, sed sterilitate ex voto patris damnatam. Hujusmodi denicales feriæ (ita a nece appellatæ) fuere quoque apud Romanos, inquit Arias.

Threnus filiæ Jephte.

Formulam planctus, sive threnum filiæ Jephte Philo Biblicus asserit hunc fuisse : « Audite, montes, threnum meum, et intendite, colles, lacrymas oculorum meorum, et testes estote, petræ, in planctu animæ meæ. Ecce quomodo accusor, sed non in vano recipiatur anima mea. Proficiscantur verba mea in cœlis, et scribantur lacrymæ meæ ante conspectum firmamenti, ut pater non expugnet filiam quam devovit sacrificare, ut princeps illius unigenitam audiat in sacrificio promissam. Ego autem non sum saturata thalamo meo, nec repleta sum coronis nuptiarum mearum. » Et post nonnulla : « Inclinate, arbores, ramos vestros, et plangite juventutem meam; venite, feræ sylvarum, et conculcate supra virginitatem meam, quoniam abscissi sunt anni mei, et tempus vitæ meæ in tenebris inveteravit, » etc. Hæc ipse more suo.

Porro Jephte imitati sunt Gentiles. Ita enim Erichteus bellum contra Eumolphum gerens, doctus victorem se fore, si filiam victimæ loco immolasset, re cum uxore communicata, filiam hostiæ in mortem mactavit. Ita Plutarchus in *Parallelis*. Idem ibidem, sub finem : « Pestilentia, inquit, Lacedæmonem urgente, divinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolarent virginem. Helena autem cum esset aliquando sorte ducta, et ornata produceretur, aquila devolans gladium abripuit, et in armentum deferens buculæ imposuit, quo factum

est ut cæde virginis abstineretur. » Idem prorsus contigit Valeriæ Lupercæ, quæ aræ destinata, cum aquila gladium rapuisset, et buculæ cuidam injecisset, Valeria, bucula mactata, rem sacram fecit, inquit Plutarchus.

Cur filia Jephte circumit montes? Resp.

Quæritur, cur cupit circumire montes in hoc suo planctu? Causas tres dat Arias. *Prima* est, « ut clamor et lamentatio in sublimi loco edita longius ac latius ad circumvicinorum aures pertingeret. Namque hæc est vocis natura et vis. » *Jeremiæ* XXXI : « Vox in Rama audita est, ploratus atque ululatus multus. » *Secunda*, « ut longius montium prospectus monumentum rei tam incolis, quam hospitibus et viatoribus frequentius repræsentaret. » *Tertia*, « ut e solitariis a se visis et peragratis locis pluribus, unum aliquem ubi intra claustri parietes inclusa vitam perageret solitariam, optaret; » sed hanc causam superius confutavi et mox plenius confutabo.

Causa litteralis et proxima fuit, quod tota illa regio montosa sit. Habitabat enim in Maspha, id est, in alta montis specula, ex qua in subjectos montes descenditur, ut habent Hebræa.

Vers. 39. Rabbini dicunt eam factam religiosam.

39. ET FECIT EI SICUT VOVERAT. — Rabbini, et ex eis Lyranus, Pagninus, Vatablus tradunt scribas et sapientes Hebræorum, intellecto hoc Jephte voto, consultos respondisse posse mortem filiæ naturalem a patre voto promissam commutari in mortem civilem, videlicet in vitam religiosam et castam; itaque factum esse; quare filiam hanc non fuisse occisam a patre, sed fecisse se Nazaream, id est, religiosam et quasi monialem. Sicut S. Bernardus occurrens reis a Prætore ob delicta suspendendis, eos liberavit, monachosque effecit dicens : Vos brevi morte vultis eos occidere, ego longa morte mortificationis assidue in monasterio eos consumam et perimam.

Confutantur.

Verum hæc sententia falsa est, et plane repugnat huic versui : « Fecit ei, inquit, sicut voverat. » Atqui voverat eam Deo non tantum mactare, sed et in holocaustum offerre, id est, jugulatam totam cremare et comburere in honorem Dei (hoc enim exigebat holocaustum); ergo revera eam jugulavit et cremavit. Hic est communis Patrum sensus, ut Theodoreti, S. Augustini, Bedæ, Procopii, Ruperti, Abulensis, Hugonis Victorini, Dionysii, Serarii, Saliani, Tornielli hic, et S. Ambrosii, lib. I *Offic.* cap. ult., Tertulliani, lib. III *Contra Marcionem*, cap. IV, S. Hieronymi, epistola 34 *ad Julianum*, S. Chrysostomi, hom. *De Jephte*, Origenis, tom. IX *in Joannem*, Nazianzeni, orat. *De Machabæis*, D. Thomæ, II II, *Quæst.* LXXXVIII, art. 2, ad 2, Suarez, Lessii, Azoris et aliorum passim.

Denique Philo ait nomen hujus filiæ fuisse Seilam, utique æterna memoria dignum.

Vers. 40.

40. ET PLANGANT FILIAM JEPHTE. — Hebr. לתנות *letannot*, quod Septuaginta vertunt, *ad plorandum*; Chaldaica, *ad lamentandum* filiam Jephte; alii, *ad enarrandum*; alii; *ad donandum*, scilicet laudem filiæ Jephte. Porro Rabbini, Pagninus et Vatablus vertunt : *ad alloquendum vel consolandum filiam Jephte*, quod ex voto patris debeat manere innupta. Putant enim ipsi mortem naturalem in civilem, sive in cælibatum fuisse commutatam. Unde quatuor diebus in anno patebat ad eam accessus, ait Vatablus, ut eam alloquerentur et solarentur, sicut ad moniales in claustro reclusas subinde in anno patet aditus; verum hoc jam refutavi.

Jephte typus Christi. Primo.

Denique S. Augustinus, *Quæst.* XLIX, et ex eo Hugo Victorinus ostendit Jephte per omnia fuisse typum Christi. Nam *primo*, inquit, *Jephte* hebraice idem est quod *janua* quæ aperitur. Et sic Christus ait : « Ego sum ostium, » *Joan.* X, per quod patet aditus ad cœlum : « Ipse enim aperit, et nemo claudit, » *Apocal.* III, 7.

Secundo.

Secundo, fratres Jephte domo ejecerunt quasi filium fornicariæ : sic Christum e Synagoga sua ejecerunt Scribæ quasi violatorem legis, nec legitimum Synagogæ filium.

Tertio.

Tertio, Jephte exulans habitavit in terra Tob, id est bonitatis, hoc est optima : sic Christus, a Judæis vita expulsus, ivit ad vitam beatam in cœlum.

Quarto.

Quarto, ad Jephte colligebantur inopes et latrones : sic ad Christum meretrices et publicani, ac inter eos latro in cruce, atque mystici prædones, qui sua pœnitentia et virtute vim faciunt cœlo, rapiuntque regnum cœlorum.

Quinto.

Quinto, Galaaditæ requisierunt exulem Jephte ut eis esset dux belli contra Ammonitas : sic Gentiles requisierunt Christum a Judæis spretum, ut a peccati et diaboli jugo liberarentur. Huc usque S. Augustinus.

Sexto.

Sexto, Jephte ante prælium votum vovit Domino : sic Christus ante passionis et mortis duellum oravit in horto, seque hostiam Deo devovit dicens : « Non mea voluntas, sed tua fiat. »

Septimo.

Septimo, Jephte immolavit filiam suam : Christus carnem et humanitatem suam.

Octavo.

Octavo, Israelitæ planxerunt quotannis mortem filiæ Jephte. Sic Christiani quotannis in hebdomada sancta plangunt mortem Christi, eique threnos Jeremiæ lamentando decantant : tum quoque Ecclesia quasi virgo plangit suorum fidelium peccata. Audi S. Augustinum, *Quæst.* XLIX : « Per sex mundi ætates, tanquam per sexaginta dies, flevit sancta Virgo Ecclesia virginalia sua, quia licet virginalia, tamen fuerunt peccata deflenda, propter quæ universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit : Dimitte nobis debita nostra. Eosdem autem sexaginta dies duos menses maluit appellare, quantum existimo, propter duos homines, unum per quem mors, alterum per quem resurrectio mortuorum, propter quos etiam duo testamenta dicuntur. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jephte Ephrathæos ob rebellionem et convicium cædit. Mox, vers. 7, sexto anno sui principatus moritur, eique succedit decimus Judex Abesan, ac post eum undecimus Ahialon, quo vita functo suffectus est duodecimus Abdon.

1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio. Nam transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Jephte : Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam. 2. Quibus ille respondit : Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens ; vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium et facere noluistis. 3. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium? 4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim ; percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat : Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse. 5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset : Obsecro ut me transire permittatis ; dicebant ei Galaadites : Numquid Ephratæus es? quo dicente : Non sum, 6. interrogabant eum : Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat : Sibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. 7. Judicavit itaque Jephte Galaadies Israel sex annis, et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad. 8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem, 9. qui habuit triginta filios, et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel, 10. mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem. 11. Cui successit Ahialon Zabulonites, et judicavit Israel decem annis ; 12. mortuusque est, ac sepultus in Zabulon. 13. Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Illel, Pharathonites, 14. qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, et judicavit Israel octo annis ; 15. mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim in monte Amalec.

Vers. 1. 1. ECCE AUTEM IN EPHRAIM ORTA EST SEDITIO, — similis illi qua iidem eadem de causa murmurarunt contra Gedeonem, cap. VIII, vers. 1. Erant enim Ephraimitæ sive Ephrathæi homines arrogantes, ac se Manassensibus (qualis erat Jephte) superbe præferebant, uti dixi cap. VIII, vers. 1.

NAM TRANSEUNTES (Jordanem) CONTRA AQUILONEM DIXERUNT AD JEPHTE. — Ephraimitæ cum dimidia tribu Manasse habitabant cis Jordanem : hic ergo transeunt Jordanem ad alteram dimidiam tribum Manasse habitantem versus Aquilonem, puta versus montem Libanum et Hermon, ut cum Jephte ibidem in Maspha habitante expostulent, quod ipsos ad belli societatem non vocarit.

IGITUR INCENDEMUS DOMUM TUAM, — ac te in ea. Hebræa enim et Septuaginta addunt *tecum* vel *super te*.

Vers. 3. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS, — hoc est exposui vitam meam periculo et discrimini in pugna ancipiti contra Ammonitas, *q. d.* Ego vobis ad belli aleam vocatis, sed periculum detrectantibus, illud solus pro vobis subivi, illudque a vobis et toto Israele victor depuli. Mihi ergo non obstrepere, sed gratias agere debetis. Sic Job ait, cap. XIII, vers. 14 : « Animam meam porto in manibus meis. » Et David : « Anima mea in manibus meis semper, » *Psalm.* CXVIII, 109. « Et posui animam meam in manu mea, » I *Reg.* XXVIII, 21. Qui enim aurum, oleum, vinum similemve rem pretiosam non recondit ut servet, sed in manu portat, certo periculo, ne illa ei eripiatur, vel in terram cadat et dilabatur, eamdem exponit.

Vers. 4. 4. FUGITIVUS EST GALAAD DE EPHRAIM ; ET HABITAT IN MEDIO EPHRAIM ET MANASSE. — Hæc est vis et si-

gnificatio hujus convicii, *q. d.* Tu, o Jephte, æque ac tui Manassenses trans Jordanem in Galaadite habitantes, es homo ignobilis et vilis, quia quasi spurius e domo patris ejectus fugisti in Galaad, æque ac tui Manassenses exclusi a communi habitatione tribus Ephraim et dimidiæ tribus Manasse, commorantium cis Jordanem cum cæteris omnibus tribubus Israel: quare ab iis videmini quasi expulsi et rejecti tanquam fugitivi, in extremitatem et angulum istum Galaaditis trans Jordanem retrusi, velut indigni qui cum cæteris tribubus in terra cis Jordanem promissa habitetis, *q. d.* Vos estis meri miserique Galaaditæ; vos estis quisquiliæ Israelis; vos estis fæx Ephraim et Manasse cis Jordanem habitantis: quare esto jactetis vos in medio duarum harum nobilissimarum tribuum habitare et ad eas pertinere, eo quod juxta eas habitetis, tamen revera estis earum rejectamentum, quia non inter eas, sed quasi fugitivi ab eis expulsi habitatis in Galaad semota, quasi in extremo terræ promissæ termino, talesque ab Ephraimitis et cæteris Manassensibus cis Jordanem habemini et æstimamini. *Secundo*, proprie: «Fugitivus est Galaad de Ephraim,» *q. d.* Nos Ephraimitas subito et inopinato invadentes vastantesque Galaaditem, fugerunt e pagis ad suas urbes Galaaditæ. Fugitivi ergo sunt, nec nobis resistere valent vel audent. Ita ipsi superbe. Verum mox vires suas colligentes Galaaditæ ostenderunt se non esse fugitivos, sed ipsos Ephraimitas ceciderunt, et fugere compulerunt. Vide hic petulantiam et damna linguæ intemperantis. Ob hoc enim verbum et convicium cæsa sunt ex Ephraim a Jephte duo et quadraginta millia, vers. 6.

Vers. 5. 5. NUMQUID EPHRATHÆUS ES? — hoc est oriundus ex tribu Ephraim, quæ nobis hanc litem et pugnam movit.

Vers. 6. 6. DIC ERGO SCIBBOLETH, etc., QUI RESPONDEBAT SIBBOLETH.—Galaaditæ fugientes Ephrathæos hostes persecuti, cum illi se Ephrathæos negarent, ne ab eis occiderentur, veritatem explorant per pronuntiationem vocis *Scibboleth*. Ephrathæi enim *Scibboleth* aspirate pronuntiare nequibant, sed pro ea leniter et quasi blæse sibilando dicebant *Sibboleth*; nimirum non valentes pronuntiare litteram *schin*, sed pro ea dicentes *sin*, indeque agnoscebantur esse Ephrathæi et hostes, ideoque jugulabantur. Simili prorsus modo in pronuntiatione ejusdem aspirationis, Flandri explorant an quis Gallus sit necne: Pronuntia, inquiunt, *acht en tachtentich* (id est 88). Galli enim, aspirationem *ch* efferre non valentes, dicunt leniter *act en tactentic*, indeque Galli esse dignoscuntur.

QUOD INTERPRETATUR SPICA. — Potest quoque *Scibboleth* verti *fluminis fluxus*, *alveus* vel *inundatio*, uti vertunt Pagninus, Vatablus et alii, idque apposite ad locum. Fiebat enim hoc examen Ephrathæorum ad vada fluxumque Jordanis, quasi inde e re præsenti hoc nomen præ aliis, velut nationis et gentis indicium tesseramque acceperint.

Septuaginta vertunt: *Dicite jam spica tesseram*, id est pronuntiate tesseram, scilicet vocem *Scibboleth*, id est *spica*. Milites enim habent suam tesseram noctu, ex qua cognoscant an quis amicus sit an hostis; amici enim illam norunt, hostes eamdem ignorant.

7. SEPULTUS IN CIVITATE SUA GALAAD, — hoc est in Maspha, quæ erat civitas Galaaditis regionis, patet ex Hebræo; in eo enim Galaad est genitivi casus. Ita Serarius et alii. Vers. 7.

8. ABESAN DE BETHLEHEM. — Maldonatus in cap. II *Matth.* vers. 1, accipit Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon; ideoque censet Abesan fuisse Zabulonitam: sed alii passim accipiunt Bethlehem, quæ est in tribu Juda, asseruntque ex ea oriundum fuisse Abesan. Porro Rabbini conjectant Abesan esse Booz maritum Ruth; sed non probant, esto temporum series fere consentiat. Vers. 8.

11. CUI SUCCESSIT AHIALON. — Septuagita, *Ælom*. Mirum est hunc omitti ab Eusebio in *Chronico*. Tempore Ahialon eversa a Græcis est Troja, occisus Priamus, Æneas fugit in Latium, ibique regnavit; cum ante eum ibidem regnassent Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus annis 150. Æneæ successit Ascanius, et post eum alii, a quibus tandem prognati Romulus et Remus Romam condidere sub tempora Achaz regis Juda. Tunc etiam contigere errores Ulyssis, gesta Pyladis et Orestis cæterorumque Trojanorum et Græcorum principum, qui post Trojæ excidium floruere, vel floruisse a Poetis finguntur. Ita Eusebius, Bellarminus, Salianus, Torniellus et alii in *Chron.* Vers. 11.

13. ABDON FILIUS ILLEL PHARATHONITES. — Hinc patet Abdon fuisse e tribu Ephraim; in hac enim erat Pharathon, ut patet vers. 15, et ex Josepho, lib. XIII *Antiq.*, qui et addit sepulturam ejus fuisse splendidam. Vers. 13.

15. IN MONTE AMALEC. — Mons hic, ait Abulensis, nominatus fuit Amalec, sive a viro, cujus nomen proprium erat Amalec, cujus hic mons fuerit, ut vult Dionysius, sive quod olim ab Amalecitas pertinuerit. Vers. 15.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nova Hebræorum idololatria nova Philistinorum oppressione a Deo castigatur. Quare Angelus matri et patri Manue prænuntiat ortum Samsonis, qui eos liberet, jubetque eum fieri Nazarœum. Mox Manue, vers. 14, immolat hœdum, in cujus flamma Angelus in cœlum redit. Denique, vers. 24, nascitur Samson, et Spiritu Dei imbuitur, fitque decimus tertius Israelis judex et vindex.

1. Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis. 2. Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. 3. Cui apparuit Angelus Domini et dixit ad eam : Sterilis es et absque liberis; sed concipies et paries filium : 4. cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas, 5. quia concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. 6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere; 7. sed hoc respondit : Ecce concipies et paries filium; cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ. 8. Oravit itaque Manue Dominum, et ait : Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum et doceat nos quid debeamus facere de puero qui nasciturus est. 9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum Angelus Dei uxori ejus sedenti in agro; Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum, 10. festinavit et cucurrit ad virum suum; nuntiavitque ei dicens : Ecce apparuit mihi vir quem ante videram. 11. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam; veniensque ad virum, dixit ei : Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit : Ego sum. 12. Cui Manue : Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit? 13. Dixitque Angelus Domini ad Manue : Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ abstineat se; 14. et quidquid ex vinea nascitur, non comedat; vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo; et quod ei præcepi, impleat, atque custodiat. 15. Dixitque Manue ad Angelum Domini : Obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hœdum de capris. 16. Cui respondit Angelus : Si me cogis, non comedam panes tuos; si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset. 17. Dixitque ad eum : Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus honoremus te? 18. Cui ille respondit : Cur quæris nomen meum quod est mirabile? 19. Tulit itaque Manue hœdum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino qui facit mirabilia; ipse autem et uxor ejus intuebantur. 20. Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, 21. et ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse, 22. et dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Deum. 23. Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. 24. Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus. 25. Cœpitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

Vers. 1. Anni 40 servitutis cœperunt ante Samsonem, et in ejus morte finiuntur.

1. TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTINORUM QUADRAGINTA ANNIS. — Hos quadraginta ut et cæteros servitutis Hebræorum annos, ab annis Judicum separant Melchior Canus et Serarius. Verum in illis istos includi ostendi cap. III, idem liquet ex hoc cap. et sequenti, ubi narratur quod tempore Samsonis Judicis Philistæi oppresserint Hebræos. Ergo cum annis Samsonis concurrunt, in iisque includuntur anni oppressionis Hebræorum. Licet enim Samson in vita sæpius Philistæos cecideriit; non tamen eorum jugum ab Hebræis prorsus abstulit nisi in morte, cum principes eorum se cum ruina domus occidit et sepelivit. Unde Angelus signanter de eo hic ait vers. 5 : « Incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. » Et rursum cap. XV, vers. 20, de eo dicitur : « Judicavitque Israel in diebus Philistiim (quibus scilicet Philistini dominabantur Israeli) viginti annis. »

Ex dictis liquet hos 40 annos cœpisse viginti annis antequam Samson esset Judex, ac durasse per 20 annos, quibus Samson fuit Judex, atque finiri in ejus morte. Moriens enim secum oppressit omnes Philistinorum principes cum tribus Philistinorum millibus : quare tunc plane vires eorum infregit, ac jugum eorum ab Israele abstulit. Cœperunt ergo hi 40 servitutis anni anno sexto Abesan : ac sequenti anno septimo ejusdem natus est Samson; nam post cœptam, imo propter cœptam servitutem natum esse Samsonem liquet ex verbis Angeli, vers. 5 : « Ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. » Ergo Samson factus est Judex anno decimo nono servitutis, ac viginti annis fuit Judex : quare mortuus est anno ætatis 39, qui servitutis Hebræorum fuit quadragesimus et ultimus. Ita Salianus, Torniellus et alii, licet Serarius Samsoni det annos vitæ duntaxat 34 vel 35, scilicet totidem quot vixit Christus, cujus ipse erat figura et typus.

Quare minus vere Eusebius in *Chron.*, Lyranus, Abulensis et Genebrardus, hos 40 annos ita numerant, ut cœperint cum principatu Samsonis, ac toto ejus tempore durarint per 20 annos, atque deinde per alios viginti annos durarint sub Heli Pontifice et Judice, qui Samsoni successit. Nam, ut dixi, hi quadraginta anni cœperunt ante nativitatem Samsonis. Ideo enim ipse natus est ut servitutem hanc excuteret. Adde annos vitæ ejus 19 exactos antequam ipse fieret Judex, et 20 quibus fuit Judex, habebis annos 40 servitutis, quos quærimus.

Vers. 2. 2. DE STIRPE DAN. — Hæc enim tribus contermina erat Philistæis invasoribus, ideoque prima eorum rapinas sentiebat : quare ex ea a Deo electus fuit Judex et vindex Samson : fuit ergo ipse Danita. Unde de eo vaticinans Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 17, ait : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. » Vide ibi dicta.

MANUE. — Hic fuit pater Samsonis Judicis, ad hoc a Deo electus ob suam et uxoris virtutem, religionem et pietatem; unde meruit cum Angelo colloqui, atque ex sterili uxore hunc filium Israelis liberatorem virtute divina procreare. Sic alii Prophetæ virique magni nati sunt ex parentibus sterilibus, ut Isaac, Joseph, Samuel, Joannes Baptista, etc., ut ostenderetur eos a Deo datos mundo ad ipsius salutem; ac essent typus Christi ex Virgine nascituri : quare hi non tam parentum quam Dei fuere proles et filii. Hinc *Manue* hebraice מנוח *Manoach*, idem est quod *Noach*, sive *Noe*, id est requies : sicut enim Noe requiem dedit mundo ab universali cataclysmo sive diluvio, juxta illud *Genes.* VI, 29 : « Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. » Sic Manue per Samsonem filium consolatus est Israelem, dans ei quietem a vexatione Philistinorum. Ex nomine ergo videtur Manue fuisse vir quietus, placidus, bonus et benignus. Audi Josephum, lib. V, cap. X : « Manoches quidam vir inter Danitas optimus, et patriæ suæ sine controversia princeps, uxorem habuit eximia pulchritudine suspiciendam supra omnes ejus ætatis feminas : ex qua cum nihil liberorum susciperet, ægre ferens orbitatem in suburbanum suum, quod erat in campo magno, cum uxore ventitans, crebris precibus sollicitabat Deum ut daret sibi liberos. » Falsum ergo est, quod idem subdit, Manue fuisse uxoris suæ valde zelotypum.

Viri magni ex sterilibus nati cur?

Manue idem quod Noe.

Et S. Ambrosius, *epist.* 70 : « Pater, ait, illi (Samsoni) erat de tribu Dan, timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstans cæteris. Mater vero sterilis, sed virtutibus animi haud infecunda, quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit visionem Angeli. » R. Abraham, in lib. *Inchasin*, ait nomen matris fuisse *Hatseli Cophunith*, eamque prognatam ex tribu Juda.

Vers. 4. 4. CAVE ERGO NE BIBAS VINUM AC SICERAM, — id est omne quod inebriare potest. Causam subdit :

Vers. 5. 5. QUIA CONCIPIES ET PARIES FILIUM, CUJUS NON TANGET CAPUT NOVACULA; ERIT ENIM NAZARÆUS (id est, separatus et consecratus) DEI AB INFANTIA SUA ET EX MATRIS UTERO, ET IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL, — *q. d.* Deus destinat Samsonem filium ex te nasciturum liberatorem Israelis, ideoque vult jubetque eum esse Nazaræum, id est, sibi dicatum ab utero per omnem vitam : quare pariter jubet tibi, quæ es mater ejus futura, ut vino et sicera abstineas quamdiu eum utero gestabis, et jam natum lactabis; ne scilicet ipsum alas et lactes, inficiasque vino et sicera a te hausto, cum velit ipsum esse Nazaræum, qui iis omnino abstinere debet. Vide dicta *Numer.* VI. Samson ergo fuit Nazaræus per omnem vitam, mater vero ejus non fuit Nazaræa; sed tantum vino et sicera abstinere debuit toto tempore conceptionis et lactationis ejus, ne Nazaræatum ejus infrigeret. « Samuel et Samson, inquit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.*, vinum et siceram non bibunt. Erant

enim filii repromissionis, et per abstinentiam jejuniumque concepti. » S. Basilius, hom. *De Jejunio* : « Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? Nonne jejunium, per quod in matris utero conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium fortem effecit : quod sane Angelus matri præcepit, monens, quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. »

CUJUS NON TANGET CAPUT NOVACULA. — Dices : id non videtur verum; nam Dalila totondit capillos Samsonis mariti sui. Respondeo, hoc fecit Samsoni dormienti et invito fraudulenter et hostiliter, ut eum capillis æque ac viribus spoliatum proderet et traderet Philistæis : hic autem jubet Angelus, ut nec Samson, nec parentes tondeant vel radant caput Samsonis, eo quod Deus velit eum esse Nazaræum, cujus consecratio et sanctitas consistebat in coma integra et intonsa. Mandatum ergo hoc est rei faciendæ, non oraculum rei futuræ. Causa fuit, quod prolixi capilli signum sint pulchritudinis, majestatis, venerationis, terroris, austeritatis, consecrationis, uti hic in Samsone liquet.

ERIT ENIM NAZARÆUS DEI AB INFANTIA SUA, ET EX MATRIS UTERO. — Hinc nonnulli putant Samsonem fuisse sanctificatum in utero. Nazaræus enim idem est quod separatus et consecratus Deo. Sed perperam. Nam jubetur Samson esse Nazaræus ab utero, ita ut in utero non sugat succum ex vino et sicera a matre haustum, ac proinde ut mater iis abstineat, ut hac ratione Deo dicetur quasi Nazaræus legis veteris, non autem sanctificatur in utero. Fuit ergo Samson Nazaræus, hoc est *primo*, separatus a cæteris Judæis; *secundo*, coronatus coma sua; *tertio*, consecratus Deo; unde fuit typus Christi et Religiosorum novi Testamenti, uti fuse ostendit Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status religiosi*, cap. XIX. Tropologice discant hic parentes filios quos a Deo acceperunt ipsi reddere : « Fidens, ait *ad Lætam* S. Hieronymus, loquor accepturam te filios, quæ primum fœtum Domino reddidisti. Ista sunt primogenita, quæ offeruntur in lege. Sic natus est Samuel; sic ortus Samson est; sic Joannes Baptista ad introitum Mariæ exultavit et lusit. »

Samson Nazaræus tripliciter.

ET (id est, *quia*) IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL DE MANU PHILISTINORUM. — Ideo volo eum esse Nazaræum, id est mihi dicatum, quia per eum quasi meum volo liberare Israel a servitute Philistinorum. Hinc disce abstinentiam a vino et sicera facere, homines non tantum sanctos, sed et sanos et robustos, uti fecit Samsonem; hic enim robur suum hausit a Nazaræatu, cujus præcipua lex erat abstinere vino, et alere comam. Quocirca Samson fuit typus Christi, de quo scriptum est : « Quoniam Nazaræus vocabitur. » Unde et Christi ortus ab Angelo Gabriele fuit prænuntiatus, sicut et ortus Samsonis. Nota τὸ *incipiet*, quia plene et perfecte Samson in vita non liberavit Israelitas, sed tantum inchoate. Nam non uno prælio Philistæos plane prostravit, uti fecere alii Judices, sed pluribus minutis cladibus eos cecidit et debilitavit, donec in morte principes eorum secum ruina domus oppressit; tunc enim plane videtur eos enervasse, sed ita ut paulo post, resumptis viribus, rursus sub Samuele Hebræos afflixerint.

6. VIR DEI VENIT AD ME. — Nesciebat esse Angelum, sed putabat esse Prophetam. Porro, sicut Angelus hic primo apparuit matri Samsonis, deinde patri; sic Gabriel Archangelus primo apparuit B. Virgini, nuntians ei Verbi incarnationem, utpote quæ virgo paritura erat, deinde Josepho ejus conjugi. Vers. 6.

QUEM CUM INTERROGASSEM. — Chaldæa et Recentiores contrarie vertunt, *non interrogavi eum*, qui legunt לא *lo* per *Aleph*, id est *non*. Noster autem melius cum Septuaginta legit לו *lo* per *vau*, idque notatur in margine, quod Hebræi vocant *keri uketib*, id est *lectio et scriptio*, scilicet differens et diversa. Nam matrem interrogasse Angelum de nomine patet ex eo quod subdit : « Noluit mihi dicere. »

16. FACIAMUS TIBI HÆDUM DE CAPRIS, — progenitum, id est hædum caprinum tenerum et juvenculum. Τὸ *faciamus* est ambiguum : significat enim et cibos epulasque parare, et sacris operari, sive hostiam Deo cædere et incendere. Quare Manue per τὸ *faciamus* explorare volebat, quis esset qui secum loquebatur, homone an Deus, vel Angelus Dei. Si enim permitteret sibi sacrificium offerri, certum erat ipsum esse Deum; sin id abnueret, et cibum tantum sibi apponi cuperet, certum erat eum esse hominem. Unde Angelus utrumque recusans respondit : « Si me cogis, » invitando et urgendo, « non comedam panes tuos, » quia sum Angelus, qui cibo non visibili, sed invisibili vescor, ut aiebat Raphael, *Tobiæ* cap. XII, vers. 19 : « Si autem vis holocaustum facere, offer illud Deo, » non mihi, qui Dei sum Angelus. Vers. 16.

18. CUR QUÆRIS NOMEN MEUM, QUOD EST MIRABILE? — Hebræum פלאי *peli*, quod et *mirabile* significat, et *arcanum*, ut vertit Chaldæus. Vers. 18.

Nonnulli putant nomen Angeli hujus fuisse *Pele*, id est Admirabilis. Verum falluntur : Angelus enim recusat nomen suum edicere, eo quod sit admirabile et dictu ineffabile. Ita Noster, Septuaginta et alii.

Porro S. Augustinus hic, *Quæst.* LII, LIII, LIV, opinatur Angelum hunc dictum *Pele*, hoc est admirabilem esse Christum. Hic enim est « magni consilii Angelus, » ut vertunt Septuaginta, *Isaiæ* cap. IX, vers. 6, ideoque « Admirabilis, » ut ait ibidem Isaias : hinc in flamma cum victima sacrificii ascendit in cœlum, quia significabat Christum hominem factum non accepturum sacrificium, sed ipsummet fore victimam et sacrificium. Verum certum est Angelum hunc proprie fuisse Angelum, typice autem repræsentasse Christum. Unde et in *Pele* additur *Iod*, diciturque *Peli*, ut

significetur Christi nomen fore *Jesus*, cujus prima littera est *iod*, ait Leo Castrius in *Isaiæ* cap. IX.

Nomen Angeli Mirabile.

Quæres, cur Angelus hic ait suum nomen esse *Pe'e*, id est Admirabile? Respondeo *primo*, quia Angeli cum sint puri spiritus, non habent nomina vocalia et corporalia, sed mentalia et spiritualia, quæ homini sunt incognita et nova, ideoque admirabilia. Loquuntur enim Angeli sibi invicem, et se mutuo compellant appellantque per signa spiritualia, puta per conceptus mentis, quos ei cui loqui volunt ostendunt et patefaciunt. Quare Angeli, dum apparent et nomina assumunt, ut vocentur Michael, Gabriel, Raphael, non ea assumunt quasi ea sint ipsis propria, quibus in cœlo vocentur et compellentur, sed ut per ea innotescant hominibus, eisque suggerant nomen, quo ab eis vocari et invocari possint. Hinc Raphael vocatur quasi medicus Dei, quia Tobiam curavit a cæcitate; Gabriel quasi fortitudo Dei, quia pro populo Dei fortiter pugnavit, *Daniel.* X.

Secundo, nomen Angeli est admirabile significatione, quia significat Angeli naturam ac dotes, præsertim gratiæ et gloriæ, quæ hominum captum superant, ideoque eis sunt admirabilia.

Tertio, nomen Angeli hujus fuit admirabile efficacitate, quia ipse efficax fuit in operando magna, stupenda et admirabilia : unde explicans subdit, « qui facit mirabilia. » Angelus enim hic mira vi et quasi miraculo ex petra elicuit ignem, quo hædus Manue Deo sacrificaretur. Rursum mira nuntiavit de Samsone ex sterili matre nascituro, quodque ipse futurus esset Nazaræus, ideoque judex et vindex Israelis; ipse quoque admirandam istam fortitudinem procuravit Samsoni ad patrandum opera heroica, quæ mox audiemus. Denique ipse in flamma illæsus ascendit in cœlum, et corpore suo in elementa (e quibus illud compegerat et assumpserat) resoluto evanuit, quæ omnia Manue et uxori ejus erant admiranda.

Quarto, nomen Angeli fuit admirabile repræsentatione. Angelus enim hic *primo* repræsentabat Deum, cujus erat nuntius; sicut legatus repræsentat personam sui principis a quo mittitur. Deus autem, Deique nomen est admirabile, utpote significans admirabilem ejus deitatem, virtutem, potentiam et gloriam, juxta illud *Psalm.* VIII, 1 : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! » Mirabilis enim est, omnemque Angelorum et hominum intellectum superat Dei essentia, majestas, sapientia, bonitas, operatio cæteraque ejus attributa, utpote immensa et infinita.

In Christo omnia mira.

Secundo, Angelus hic repræsentat Christum, cujus admirabilis fuit incarnatio, nativitas, vita, sanctitas, doctrina, opera, miracula, mors, resurrectio, ascensio, missio Spiritus Sancti, qui proinde admiranda per Apostolos operatus est, adeoque totum mundum ad se convertit, ac in dies per fideles suos similia operatur. Quare qui magna et mira ad Dei gloriam animo destinat, invocet Angelum « Pele, » invocet Christum, cujus nomen est « Admirabilis, » ut per se operetur magna et mirabilia. Ita S. Augustinus. Vide dicta *Isaiæ* IX, 6. Hinc et B. Virgo, Christi genitrix, vocatur et invocatur a fidelibus « Mater admirabilis, » hicque titulus ipsi est gratissimus, ut ipsamet cuidam viro sancto revelavit : quia ipsa fuit mater et virgo, mater Dei et hominis, mater Creatoris, adeoque mater sui Patris, quia genuit eum a quo genita est, etc. Quæ omnia sunt stupenda et admirabilia.

Porro David Chytræus opinatur quod a *Pele* dicta sit *Pallas* dea sapientiæ apud Gentiles. « A Peli, inquit, Græcorum Palladem deam sapientiæ et doctrinæ, ex cerebro Jovis natam, nomen accepisse magis consentaneum est, quam a πάλλειν seu vibranda hasta. Non enim dubium est doctrinam Ecclesiæ de Filio Dei, æterna sapientia, ex Jehovæ mente ab æterno genita, et caput Gorgonis seu draconis diaboli a se contritum ostentante, *Coloss.* II, ab Ethnicis depravatam, et in Palladis idolum conversam esse. » Verum hæc nova Novatoris sunt commenta, si non figmenta; esto enim res in se non sit absona, nomen tamen dissonat : a *Peli* enim dicenda fuisset *Pelia*, non Pallas.

Angelus hic fuit S. Michael.

Denique probabiliter opinatur Serarius hunc Angelum Pele, id est Admirabilem, fuisse S. Michaelem (hic enim olim erat protector Synagogæ Hebræorum, cui præfuit Samson, sicut nunc est Ecclesiæ Christianorum), qui cum superbo Lucifero confligens, Dei majestatem et nomen admirans, humiliter dixit מי כ אל *mi ca el*, id est, *quis sicut Deus?* ideoque eum cœlo deturbans ejus locum occupavit, sua humilitate factus omnium Angelorum princeps, sicut Lucifer sua superbia factus est dæmonum caput, et imus in inferno, nec tantum Angelorum, sed et hominum. Audi Serarium docentem Michaelis nomen et invocationem mire valere contra omnes tentationes. Age, inquit, proponatur tibi flagitium quodlibet, statimque animo succurrat, Deum illud vetare. Numquid tu illud admittes? Nonne te ab eo statim hæc abducet cogitatio : « Quis sicut Deus? » Titillet te voluptas et illecebra quælibet. At « quis sicut Deus? » Terreat te potens ac formidabilis quispiam. At « quis sicut Deus? » Tibi parentes, propinqui, et sodales cordi sint. At « quis sicut Deus?» in omnibus denique peccatorum occasionibus, invitamentis ac lenociniis prodest semper plurimum Michaelis nomen, id est « Dei » prohibentis, benignitate tanta nos prosequentis, præmia æterna promittentis, gehennam perpetuam minitantis, omnia semper et ubique intuentis, omnium ab omnibus rationem reposcentis, comparatio cum fructu et delectatione, quæ inanis et fallax e peccato quæritur; et cum quolibet, aut dæmone aut homine nos ad ambitionem, superbiam, iracundiam, vindictam, ebrietatem, aliudve quodcumque scelus aut flagitium hortante et pelliciente.

Vers. 19. 19. TULIT ITAQUE MANUE HÆDUM DE CAPRIS, — id est hædum tenerum, adhuc lactentem et sugentem ubera capræ matris suæ (hoc enim significat τὸ *de capris*) eumque mactavit, excoriavit, coxit, et ad Angelum attulit, ut is si Propheta esset inde comederet; sin esset Angelus, Deo offerret, ut ipse dixerat vers. 15.

Angelus hic sacrificat. ET LIBAMENTA. — Hebraice מינחה *Mincha* (quod alludit ad nomen *Manoach*, id est Manue : omnes enim utrobique litteræ sunt eædem : Manue enim hic obtulit Deo *Mincha*), id est vinum, oleum, panem vel farinam, quæ homini in convivio, æque ac Deo in sacrificio libari, id est ad cornu altaris effundi vel cremari solebant.

ET POSUIT SUPER PETRAM, OFFERENS DEO QUI FACIT MIRABILIA. — « Offerens, » non tam per se, quam per Angelum. Angelus enim hic functus est officio sacerdotis, et sacrificavit dum ignem e petra elicuit, quo hædi caro Deo sacrificaretur et combureretur. Unde Vatablus et Rabbini pro *qui facit mirabilia*, vertunt *mirificavit facere*, scilicet Angelus, hoc est fecit miraculum, quia ex petra elicuit ignem. Manue vero fuit quasi ejus minister et diaconus, dum hædum mactavit, coxit et cum libamentis in petra posuit, ut ab Angelo Deo cremarentur. Unde sequitur :

IPSE AUTEM ET UXOR EJUS INTUEBANTUR. — Simile prorsus fecit Angelus cum Gedeone, carnes ab eo allatas et petræ impositas miraculoso igne a se producto consumens, Deoque sacrificans, uti audivimus cap. VI. Deo enim dispensante non tantum Angelus, sed et Manue laicus ex tribu Dan, non Levi, sacrificare poterat, etiam extra tabernaculum.

Vers. 20. 20. CUMQUE ASCENDERET FLAMMA ALTARIS (ab Angelo e petra, quæ erat hic loco altaris, tactu baculi sive scipionis, quem manu gerebat, elicita ad comburendum holocaustum) IN COELUM, ANGELUS DOMINI PARITER IN FLAMMA ASCENDIT, — ut se non hominem Prophetam, sed Angelum esse ostenderet, ideoque a flamma illæsum in cœlum e quo venerat, redire, seque mystice repræsentare Christum, qui immolans se in ara crucis per flammam tum amoris, tum doloris, tertio die a morte surrecturus, et quadragesimo die in cœlum gloriose erat ascensurus. Ita S. Augustinus. Rursum quod ipse in sacrificio Eucharistiæ per flammam charitatis jugiter incruente immolandus et manducandus foret sub speciebus panis et vini, sed ita ut speciebus in stomacho consumptis, ipse vivus et illæsus evanescat, et in cœlum quasi ascendat. Unde S. Andreas Apostolus *ad Ægeam Tyrannum* : « Ego, inquit, omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. »

Vers. 22. 22. MORTE MORIEMUR, QUIA VIDIMUS DEUM, — id est Angelum Domini, ut præcessit. Angelus enim repræsentabat Dominum, sicut legatus repræsentat principem a quo mittitur; videbant ergo Deum in Angelo, vel certe Angelum esse Deum putabant, ait S. Augustinus. Hebræus enim *Elohim* et Angelum et Deum significat. Porro illo ævo communis hominum sensus et timor (licet inanis et vacuus), erat eum qui vidisset Deum vel Angelum, illico moriturum, ob causas quas recensui capite VI, vers. 22.

Vers. 24. 24. ET VOCAVIT NOMEN EJUS SAMSON. — « Vocavit, » scilicet mater pariens, ut patet ex Hebræo, sed inspirata a Deo; nam Samsoni nomen hoc inditum fuisse a Deo docet S. Chrysostomus homil. 18 *in Joan.* *Samson* Hebraice idem est quod *Sol lætitiæ*, שמש *scemos*, id est *sol*, et ששון *sason*, id est *gaudium, lætitia;* vel potius *Samson*, id est *parvus sol, soliculus, solillus*. Est enim nomen diminutivum a *Scemes*, id est *sol*, sicut ab איש *isch*, id est *vir*, diminutive dicitur אישון *iscon*, id est *viriuculus*, et a שבת *sabbat*, שבתון *sabbathon*, id est *sabbatulum*, hoc est parvum sabbatum. Vocavit ergo filium *Samson*, id est *soliculum*, ut hoc nomine quasi omine qualis futurus esset indicaret, *q. d.* Israeli in tenebris luctus et mœroris ob servitutem et oppressionem Philistinorum constituto Deus oriri fecit novum solem, puta Samsonem, qui sua virtute et fortitudine has tenebras dispellat, et nova nos libertatis, lætitiæ et felicitatis luce perfundat et recreet. Hinc Samson fuit typus Christi, qui est sol justitiæ, juxta illud Zachariæ : « Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, » *Luc.* I. Et illud *Malach.* IV, 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ et sanitas in pennis ejus. » Et Isaias, cap. IX, 2, ac ex eo Matthæus, cap. IV : « Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. » Ita S. Augustinus, Beda, Arias, Serarius et alii. Porro Arias : Samson, ait, idem est quod sol diruens, vastans et populans, scilicet Philistæos; שמם *scamam* enim est diruere, populari. Denique Talmudici in *Suta*, cap. I, asserunt Samsonem a Deo nominatum, illum siquidem *Psalm.* LXXXIII, vers. 12, vocari *scemes et magen*, id est *solem et scutum*. Nam liquet Samsonem etiam in generatione temporeque suo fuisse Israeli scutum.

Samson idem quod parvus sol.

Sic Cyrus fuit sol Persidis, uti ostendi *Isaiæ* XLI, 1. Et S. Columbani matri visum est se parere solem, cum ex eo esset gravida.

Chaldaice vero *Samson* idem est quod *ministerium* vel *minister*, scilicet Dei, ad magna miraque opera patrandum : *scemes* enim est *ministrare*, ait Pagninus.

ET BENEDIXIT EI DOMINUS, — suis bonis et donis eum cumulando, ac præsertim heroica animi et corporis fortitudine eum donando, ut quotidie in ea cresceret ad Philistæos profligandos.

Vers. 25. 25. COEPITQUE SPIRITUS DOMINI ESSE CUM EO IN CASTRIS DAN INTER SARAA ET ESTHAOL, — id est, in

loco qui postea, cap. XVIII, vers. 12, ab eventu vocatus est *castra Dan*, situsque erat inter Saraa et Esthaol; nam Hebræi tunc non habebant castra, utpote oppressi a Philistæis. Hebræa est, *cœpit spiritus Dei*, לפעמו *lepaamo*, id est, per vices eum agitare, excitare et impellere, scilicet ad ardua audenda et molienda. Unde deinceps quotiescumque narratur Samson aliquid eximium aggredi, præmittitur : « Spiritus Domini irruit in Samson. » Hinc notat S. Ambrosius in illud *Luc.* I, 17 : « Ipse præibit in spiritu et virtute Eliæ, » hæc duo, scilicet spiritum et virtutem sive fortitudinem semper esse conjuncta. Nam omnis fortitudo tam ad ardua agendum et aggrediendum, quam ad dura patiendum, est a spiritu, quem nobis aspirat Spiritus Sanctus. Ille ergo assidue nobis invocandus est. Sic Joannes Baptista dicitur habuisse spiritum et virtutem Eliæ; et Gabriel dixit B. Virgini : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *Luc.* I; et Christus Apostolis, *Act.* I, ait : « Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos. » Ubi vides semper virtutem jungi et tribui Spiritui Sancto. Quocirca Septuaginta hoc loco vertunt : *Cœpit cum eo spiritus proficisci*, eum comitari, et quasi pædagogus deducere, atque ad actus heroicos exstimulare. Chaldæa : *Mansit spiritus fortitudinis a Domino ad roborandum eum.* R. Radacius : « Incœpit prophetia illi venire vice prima. » Idem rursum sic : « Cœpit prophetiæ spiritus eum pulsare, et quasi tinnitum ei facere, quasi ante ipsum aliquod foret tintinnabulum. » Cajetanus : « Cœpit eum spiritus agitare signo aliquo sensibili, quod tamen quale fuerit scriptum non est. » Arias : « Cœpit spiritus Domini impellere eum, ita scilicet ut feliciorum temporum fortasse memor, et præsentium pertæsus, animo divinitus excitato de Israeliticarum rerum correctione et restitutione, deque hostium damno et labefactione cogitare cœperit. »

Denique audi S. Ambrosium, epist. 24 *ad Vigilium* : « Cum diuturna injuria longæ subjectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Samson divino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus, et quod sine ulla controversia sit, viribus corporis omnium facile primus; eoque ingenti admiratione nobis spectandus a principio, non illa quæ temperantiæ et sobrietatis jam inde a pueritia vini abstemius præclara insignia dedit, nec illa quæ intonso capite Nazaræus sacra diu servavit custodia; sed ab adolescentia, quæ in aliis ætas mollior in hoc egregia atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit, quibus divini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfunctorie tanta eum anteisset gratia, ut descenderet Angelus, per quem ortus ejus præter spem parentibus annuntiaretur, futuri regimen et præsidium suis. Nam gravibus jam diu Palæstinorum imperiis afflictabantur. » Et initio libri *De Spiritu Sancto* : « Samson divina promissione generatus spiritum comitantem habebat. Sic enim legimus : Quia benedixit eum Dominus, et cœpit Spiritus Domini comitari eum in castra. » Sic vero Augustinus, serm. 107 *De Tempore* : « Ubi erat potentissima illa fortitudo nisi in eo quod Scriptura dixit : Incedebat cum illo spiritus Domini. Ad Domini spiritum pertinebat illa fortitudo. In Samson vas erat. In spiritu plenitudo erat. Vas impleri et exinaniri potest. »

Porro Samson, ait Eusebius in *Chronico*, similia vel eadem fecit quæ Hercules, imo non alium fuisse Gentilium Herculem, quam Hebræorum Samsonem docet noster Gaspar Sanchez in *Minores Prophetas*, pag. 805, ac fabulas de heroicis gestis Herculis ex Samsonis historia esse petitas, de quo plura cap. XVI, in fine.

INTER SARAA ET ESTHAOL (1). — R. Ase in tractat. *Sutah*, cap. I, asserit hos duos esse magnos montes, quos Samson evulserit, et manibus suis contriverit instar molæ; sed hæc ridicula sunt Rabbini figmenta : sunt enim hæ duæ urbes (non montes) terminales, quæ tribum Dan a tribu Juda disterminant, ut patet *Josue* XV, 33; II *Esdræ* XI, 29, ac inter eas natus et sepultus est Samson.

Porro *Saara* hebraice idem est quod *lepra*. *Esthaol* idem quod *postulatus*, aut *ignis* vel *uxor stultitiæ*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*

(1) Saara et Esthaol erant de tribu Dan.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson impulsu Dei postulat uxorem Philistæam, ad quam vadens leonem obvium discerpit, in cujus ore post aliquot dies reperit examen apum et favum mellis. Inde, vers. 10, *in nuptiali suo convivio, sodalibus proponit hoc ænigma :* De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. *Quod cum illi solvere nequirent, per uxorem a Samsone solutionem extorquent, eamque Samsoni edicunt. Quare ille triginta sindones triginta Ascalonitis occisis ereptas eis ex pacto persolvit, ac iratus domum redit.*

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistiim, 2. ascendit, et nuntiavit patri suo et matri suæ dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philistinorum : quam quæso ut mihi accipiatis uxorem. 3. Cui dixerunt pater et mater sua : Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis. 4. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philistiim; eo enim tempore Philistiim dominabantur Israeli. 5. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, et rugiens, et occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu; et hoc patri et matri noluit indicare. 7. Descenditque et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus. 8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. 9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via; veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem; qui et ipsi comederunt, nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. 10. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim juvenes facere consueverant. 11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo. 12. Quibus locutus est Samson : Proponam vobis problema, quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas; 13. sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei : Propone problema, ut audiamus. 14. Dixitque eis : De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. 15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson : Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema, quod si facere nolueris, incendemus te et domum patris tui; an idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis? 16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur, dicens : Odisti me, et non diligis, idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere. At ille respondit : Patri meo et matri nolui dicere, et tibi indicare potero? 17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum, tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis. 18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum : Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos : Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. 19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui; 20. uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

Vers. 1. 1. DESCENDIT ERGO SAMSON IN THAMNATHA. — « Thamna, » inquit Adrichomius pag. 24, Thamnas, Thamnatha et Thenina est in via inter Ptolemaidam et Gazam, et eadem via progrediendo venitur in Accaron et Geth. Hic oves suas totondit Judas. Civitas Philistinorum, juxta quam Samson discerpsit et laceravit leonem, atque inibi duxit uxorem ex Philistæis, quam cœperunt Philistæi, munita est postea hæc urbs a Bacchide.

Thamnatha ergo erat oppidum in confinio trium tribuum, scilicet Juda, Dan et Ephraim, versus mare Mediterraneum; inter Ptolemaidam et Gazam in finibus Diospoleos, ait S. Hieronymus, quod in sortem suam accepit tribus Juda, *Josue* XVI, 17; sed Judæis eripuerunt Philistæi, ut patet ex hoc capite, idque diserte asserit Josephus : recuperarunt illud postea Judæi, ut patet II *Paral.* XXIX, 18. Judæis iterum illud extorserunt Philistæi tempore Achaz regis Juda, ut ibidem dicitur.

Vers. 3. 3. HANC MIHI ACCIPE, QUIA PLACUIT OCULIS MEIS,— non tantum quia pulchra, sed et quia occasio mihi erit invadendi Philistæos, itaque ordiendi meum liberatoris Hebræorum officium ad quod me Deus destinat, ut patet ex seqq.

Vers. 4. 4. QUOD RES A DOMINO FIERET. — Hinc patet Samsonem non peccasse, quod contra legem petierit uxorem Philistinam, quia id fecit Deo impellente, ac proinde in lege sua dispensante : alioqui matrimonia hæc cum infidelibus, æque ac cum hæreticis communiter sunt periculosa et noxia, uti fuse docet S. Ambrosius, *epist.* 24, idque suo malo expertus est Samson, qui hic, uti et in aliis, fuit typus Christi, qui Ecclesiam ex Gentibus sibi despondit repudiatis Judæis. Unde S. Ambrosius, *epist.* 70, juxta editionem veterem, quæ in editione Romana exstat lib. III, epist. 24 *ad Vigilium,* et lib. I *De Abraham,* cap. ult., habet per insignia axiomata hæc : « *Primo,* in connubio religio quæritur. *Secundo,* non potest congruere charitas, si discrepet fides. *Tertio,* sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. » Unde concludit : « Cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere; cave Gentilem, aut Judæam, aut alienigenam, hoc est, hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi. »

Vide Apostolum, II *Cor.* VI, 14, ubi multis hæc matrimonia cum infidelibus dissuadet. Unde S. Juliana Gentili diviti eam conjugem ambienti generose respondit : « Tuum matrimonium est societas cum inferis, et sepulcrum positum in oculis. » Quocirca Ecclesia matrimonia disparis cultus irritavit, et nulla decrevit.

ET QUÆRERET OCCASIONEM CONTRA PHILISTHIM. — Samson enim faciebat hoc dilemma : Philistæi vel mihi dabunt Philistinam uxorem quam peto, vel negabunt : si negent, arripiam occasionem invadendi eos, eo quod uxorem negando dedecore me afficiant. Si dent, debebunt mihi meisque Hebræis esse benigniores, utpote jam eis affinitate conjuncto; quod si non præstent, erit mihi hæc occasio novæ litis; occasio, inquam, eos persequendi et damnis afficiendi. Ita S. Ambrosius, *epist.* 24 : « Ignorantes, ait, parentes, quod in eo intentio vergeret ut Palæstinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos injuriæ demeretur, cum ex conjunctione æqualitas par, et gratia consortii jure accresceret; aut si quid offensum esset, longius ultionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur. »

Addit S. Ambrosius Samsonem ineunte juventute duxisse uxorem, ut periculum fornicationis, quod juvenes ob fervorem ætatis subeunt, effugeret : « Talibus, inquit, commendatus insignibus, ubi primum adolevit, conjugio intendit mentem, sive quod vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem; sive quia jam causa quærebatur, quemadmodum a cervicibus plebis suæ averteret Palæstinorum potentiam, duraque imperia. »

5. APPARUIT CATULUS LEONIS SÆVUS ET RUGIENS.— Vers. 5. Catelli enim leonis grandibus sunt sæviores, tum quia magis fament latrante stomacho; tum quia juventus facit eos petulantiores, animosiores et ferociores. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XVI : « Leoni, ait, præcipua generositas tunc cum colla armosque vestiunt jubæ. Id enim ætate contingit e leone conceptis. »

6. IRRUIT (Septuaginta, *insiluit*) AUTEM SPIRITUS Vers. 6. DOMINI IN SAMSON, — eum animans et roborans ad invadendum et occidendum leonem. Unde sequitur : « Et dilaceravit leonem. » Audi S. Ambrosium, *epist.* 24 : « Occurrit ei leo ferus de sylva, agresti libertate sævior. Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppeditabat : cedere pudor, et conscia virtus fiduciam dare. Tunc irruentem in se brachiis amplexus necat, et lacertorum nodo exanimatum præter aggerem supra sylvestria germina projicit, ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli herboso gramine, vinetis consitus. »

Hinc patet robur et vires Samsonis non fuisse naturales, sed supernaturaliter illi a Deo inditas : unde et a capillis ejus, Deo ita ordinante, pendebant, uti audiemus cap. sequenti.

Tropologice, leo est res ardua, ut gravis tentatio, quam instar Samsonis invocato Dei spiritu animose invadere et superare debemus : occide hunc terroris leonem, occisus amplius te non vexabit; sicque fiet ut qui prius videbatur leo invincibilis, jam videatur formica debilis. Talis enim animosis est dæmon. Unde a Job, cap. IV, vers. 10 Leo est res ardua quam invade ut Samson leonem.

(1) *Spiritus Domini* non sumitur hic in sensu inspirationis divinæ nec amoris virtutum, roboris vero et fortitudinis spiritus, qui irruerat in Samson ad debellandos Philistinos Dei inimicos infensissimos : unde patet suas vires esse supernaturales invitis argumentis impiorum de Polydama, qui inermis leonem detrusit in monte Olympo.

et 11, juxta Septuaginta vocatur *myrmicoleon*, id est formica leo : si enim eum timeas, sæviet ut leo; sin contemnas, erit debilior formica. Hinc Salomon ait *Prov.* XXII, 13 : « Dicit piger : Leo est foris; in medio platearum occidendus sum. » Ex adverso dicebat Alexandro Magno festive Craterus : « Macte, Alexander, pro regno cum leone pugna. » Idipsum quisque sibi cum dæmone pro regno cœlesti pugnanti, a Deo dici putet. Sæpe, ait Seneca, nos terrent non res ipsæ, sed rerum umbræ et phantasmata, scilicet nimia difficultatis apprehensio et ponderatio. Quare cæcis quasi oculis invadenda sunt ista imaginationis terriculamenta, uti facit leæna, de qua Plinius, lib. VIII, cap. XVI : « Cum pro catulis, inquit, fœta dimicat leæna, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat. »

Porro primus hic fuit fortitudinis Samsonis actus, quo cæteris majoribus prælusit, ac Philistæis terrorem incussit : qui enim leonem animalium fortissimum lacerarat, quem non lacerare? Tradit Plinius et alii leonis animos viresque infringi, si quis in oculos vultumque ejus pallium vestemve aliam injiciat. Ardor enim et vis ejus consistit in oculis, qui si velo obducantur, ipse se cæcum et captum putat, itaque se capi et feriri permittit; atque hoc modo nonnulli leones superarunt et mactarunt. At Samson nil tale hic fecit, sed leonem videntem et oculatissimum sine gladio vel fuste inermis aggressus, sola manu apprehensum laceravit, ut ostenderet se esse leonibus fortiorem, ac plusquam leonem irruiturum in Philistæos.

ET HOC PATRI ET MATRI NOLUIT INDICARE, — tum modestiæ causa; tum quia Dei destinatione et instinctu, ex leone hoc occiso, et melle in ejus ore reperto facturus erat ænigma, quod propositurus erat Philistæis, cujus solutionem illi facile invenissent, si leonem ab eo occisum, et favum in eo repertum inaudissent ab ejus parentibus. Docet hic Samson, quod qui secretum servare vult, illud nulli, nec amicissimo vel parenti indicet, dicatque cum Isaia, cap. XXIV, vers. 16 : « Secretum meum mihi. » Aristoteles interrogatus, « quid omnium esset difficillimum, » respondit : « Tacere quæ loqui non oportet. » Facilius enim ignitum carbonem ore continuerit quis, quam arcani quidpiam, ut olim dixit Socrates, quem in jocis imitatus, lib. II *De Oratore*, Tullius. Magno igitur opere laudandum ac imitandum Samsonis in leonina cæde, mellificiique novi monstratione, silentium.

Vers. 8. 8. ET ECCE EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT AC FAVUS MELLIS. — Chaldaice, *in corpore;* melius Noster in Septuaginta et alii, *in ore*. Solent enim apes ore animalium sive vivorum sive mortuorum delectari; ita tamen ut aliquibus in ore sedentibus cæteræ corpori leonis insiderent, vel illud circumvolitarent. Hinc apes visæ sunt insidere ori Pindari et Platonis et S. Ambrosii, ut melleam eorum facundiam præsignificarent. Quin et ad Jovem puerum, qui postea factus est rex Cretæ, ac post mortem deus et deorum princeps, apes advolasse ejusque os melle implesse, itaque eum nutrivisse narrat, vel potius fabulatur Virgilius in fine *Georg.* Porro solent apes, teste Plinio, Virgilio, Plutarcho, Columella et aliis, quos citat et sequitur Ulysses Aldrovandus, tract. *De Apibus*, e corpore boum mortuorum naturaliter nasci, ac rex apum ex ipso bovis capite, cæteræ ex reliquo corpore. Cur non et nasci possint ex cadavere leonis? Quanquam hic non dicuntur natæ ex leone, sed ori ejus insedisse, nimirum circumvolitantes per flores campi, in quo erat cadaver leonis, os ejus ingressæ in eodem favum construxere, in eoque mel suum de more condiderunt. Denique Deus per Angelum dirigens Samsonem effecit, ut apes ex cadavere leonis nascerentur, vel alibi natæ in os leonis involarent, ibique mellificarent, ob gesta Samsonis, quæ exinde secuta sunt, et ob mysteria, quæ per hoc Deus repræsentare volebat, de quibus mox. Sic in Hippocratis medicorum principis (ut habet ejus Vita) sepulcro inventum est examen apum ad multum tempus mellificantium, item in capite Onesili jam exinanito, teste Herodoto (1).

Apes hominum ori insidentes.

Allegorice, leo significabat Christum, ipse enim est Leo de tribu Juda, *Gen.* XLIX, et *Apocal.* IV et V, qui sua morte devicit mortem, peccatum, dæmonem et gehennam. Unde ex eo post mortem prodiit mel Eucharistiæ, et examen apum, id est, innumera fidelium et sanctorum copia. Ita S. Augustinus cujus verba mox citabo.

Porro Abulensis et Lyranus has apes e leone natas censent fuisse sordidiores et viliores, quia leonis gravis est odor et halitus, quem apes mundæ fugiunt. Sicut in Sardinia mel est amarum, eo quod ibi apes pascantur absinthio, quod est amarum, teste Plinio lib. XXI, 13. Verum contrarium censet Serarius et alii; vivi enim leonis gravis est halitus, non mortui. Num vile famulo suo mel dedit Dominus? Num suis Samson parentibus, suæque, ut Josephus vult, sponsæ? in animalium generosissimo generosissimas quoque apes fuisse arbitror, et generosissimum a Deo Samsoni datum mel, quod non falso laudarit infra, versu 14.

Vers. 12. 12. PROPONAM VOBIS PROBLEMA; — Hebraice חִידָה *chidda*, id est *ænigma;* proprie enim fuit hoc ænigma, id est obscura, arcana et involuta propositio.

Vers. 14. 14. DE COMEDENTE EXIVIT CIBUS, ET DE FORTI EGRESSA EST DULCEDO. — Ecce hoc est problema, id est ænigma a Samsone propositum Philistæis juvenibus in convivio. Veterum enim mos erat ænigmata et gryphos similes convivis in convivio, pro-

(1) Hæc verba *post aliquot dies* vertuntur hebraice, *post elapso quodam tempore :* inde patet errasse incredulos fictionem videndo in hoc eventu : sol enim Palæstinæ æstuans leonis cadaver dessicaverat adeo, ut nullus pestilens odor apes divertere posset.

misso solventi præmio, proponere, uti ostendi *Ecclesiastici* cap. XXXII, vers. 4 et 5. Idem patet ex Plutarcho et Athenæo *De Cœnis sapientum* : « Non minus, ait lib. VII *Saturn.* cap. I, Macrobius, quam dulcedo vini hilarant verba convivium; et crateri liquori ad lætitiam nati adhibenda non modo nympharum, sed musarum quoque admixtione, temperies. »

In Hebræo est pulchra paranomasia; sic enim habet, *de comedente exivit comestibile*. Sensus est, *q. d.* De leonis ore, qui alia animalia vorare solet, prodiit favus, qui est cibus suavissimus; ac de forti, id est de eodem leone, qui animalium est fortissimus, egressa est dulcedo, id est mel dulcissimum; nimirum leo a me occisus præbuit mihi mel, ut significetur actus heroicos meæ fortitudinis parituros mihi et cuilibet alteri mirificam voluptatem, gaudium, felicitatem et gloriam.

Allegorice S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.* : « De edente, ait, exivit cibus, et de forti est egressa dulcedo. Quid aliud significat quam Christum a mortuis resurgentem? De edente utique, id est de morte, quæ cuncta devorat atque consumit exivit cibus ille qui dixit : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, quem humana exacerbavit iniquitas, eique aceti et fellis amaritudinem propinavit, atque ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conversa suscepit, ac si de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id est Christianorum, processit examen. »

Tropologice S. Ambrosius, lib. I *De Elia et jejunio*, cap. XI, legens cum nonnullis codicibus Græcis (qui pro ἰσχυροῦ habent πικροῦ *de tristi exiit dulce*, subdit, *sed et forte laboriosum est; exit enim dulcedo de tristitia vel honore;* unde et Hebraice עז *az*, significat durum, acerbum); nam in tentationibus et laboribus superatis, quasi in leonibus interfectis, suavissimi consolationum, gaudiorum et præmiorum favi inveniuntur; quocirca « Christus favos post fella gustavit, » ait Tertullianus. Idem fecere Martyres, quorum expressum hic typum exhibet Samson. Sic Paulus gaudet se liberatum de ore leonis, id est Neronis, II *Timoth.* IV, 17. Nimirum « bonorum laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ, » *Sapient.* III, 15. Hoc est « sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Quocirca S. Ambrosius, loco jam citato, docet amara esse præoptanda dulcibus, iisque dulcia esse temperanda, ac præsertim epulas jejunio : « Ipsa, ait, corpora dulcibus frequenter inflantur et melle jecur tenditur; idem tamen escæ amaritudine temperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quæstio : De manducante exivit esca, et de forti dulcedo. » Alii habent, *et de tristi dulce*, Græci Codices maxime, *sed et forte laboriosum est. Exit enim dulce de tristitia vel labore.*

Idem Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XV, hoc ænigma explicat de eleemosyna : « De manducante, inquit, exivit esca, et de forti exivit dulce. » Græcus *et de tristi* habet. « Sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate : et qui ferus tristis. Et de vobis, qui pecuniam devorastis et avaritiam, exeat misericordia. Hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei qui non habet unde solvat. »

Porro inter leonem et apem multæ sunt analogiæ. *Primo*, in colore, qui utrique est fulvus, et in complexione, quæ utrique est ardens et cholerica. *Secundo*, in fortitudine; apis enim, licet parva, suo aculeo omnes fugat. *Tertio*, in generositate; apis enim generosa est, nec quid impurum patitur. *Quarto*, in industria, qua apis superat leonem; assidue enim laborat conficitque favos, et in iis mel ac ceram. *Quinto*, in pariendo; leo enim primo parit quinque catulos; deinde pauciores, ac tandem unum, inde nullum; sic et apis initio plures parit apiculas, deinde pauciores et minores, ac tandem nullas. Ita Aldrovandus in ape. Analogiæ apis et leonis.

14. NEC POTUERUNT PER TRES DIES PROPOSITIONEM SOLVERE. Vers. 14.

15. CUMQUE ADESSET DIES SEPTIMUS. — Videntur hi Philistæi sodales Samsonis prima die submisisse uxorem Samsonis, quæ ab eo ænigmatis solutionem exquireret, interim et ipsi cogitarunt, sperantes se ejus solutionem inventuros; sed cum per tres dies cogitando illam non invenissent, rursum urserunt uxorem cum minis, ut a Samsone solutionem eliceret : quod cum Samson facere abnueret, tandem die septimo et ultimo totis viribus aggressi sunt uxorem, ut a Samsone rem expiscaretur; quod ni faceret, minabantur se eam cum domo combusturos. Fecit uxor suorum civium postulata per septem dies flens, ac tandem die septimo lacrymis et lamentis omnia miscens Samsonis animum expugnavit, uti dicitur vers. 17. Vers. 15.

AN IDCIRCO VOCASTIS NOS AD NUPTIAS UT SPOLIARETIS? — Sindonibus et tunicis nostris, quas Samson tollet, nisi ænigma ejus solverimus. Pro *ut spoliaretis*, Septuaginta et Vatablus vertunt, *ut pauperes faciatis;* Chaldæus, *ut possideatis nos*, id est ut nostras vestes aucupemini et occupetis.

17. SEPTEM IGITUR DIEBUS CONVIVII FLEBAT ANTE EUM : TANDEMQUE DIE SEPTIMO, CUM EI ESSET MOLESTA, EXPOSUIT. — Hunc versum exposui vers. 15, quibus adde alteram expositionem solidiorem, scilicet « septem diebus, » hoc est durantibus septem diebus in certamine hoc propositis, puta die septimo antequam is finiretur, flebat ante eum assidue : unde tandem victus Samson eodem die septimo ante solis occasum, ei rem totam exposuit. Non enim primis hujus septenarii diebus, sed ultimo et septimo urserunt eam Philistæi cum minis incendii, ut solutionem ænigmatis a Samsone expiscaretur; nam ante diem Vers. 17.

septimum sperabant ipsi se, cogitando, solutionem illius inventuros; et adveniente die septimo quo mulcta indicta solvenda erat, si ante vesperam ænigma non exponerent, desperantes de ejus solutione uxorem stimularunt, ut omni ratione et modo illam a Samsone extorqueret. Hoc est enim quod paulo ante dictum est vers. 15 : « Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem, » etc. « Septem diebus » ergo « flebat, » id est in fine septem dierum, sive die septimo et ultimo flebat. Cum enim spatium temporis nominatur, cujus nulla pars designatur, significatur ejus plenitudo sive complementum, uti dixi in Canonibus procemii. Idipsum docet noster Gaspar Sanchez in *Habacuc.* pag. 1202, litt. B; et Vatablus : *Septem diebus*, inquit, *id est usque ad septimum diem; nam incœperat quarta die flere.* Vide hic quam insidiosæ sint lacrymæ mulieris. Vere Cato :

Conjugis iratæ noli tu verba timere,
Instruit insidias lacrymis, dum femina plorat.

QUÆ STATIM INDICAVIT CIVIBUS SUIS. — Vide hic ut uxor prodat maritum Samsonem. Vere Menander : « Mulier, ait, etiam cum dicit optima et suavissima, formidanda est vel maxime. » Et Antiphanes : « Unum hoc se dicebat mulieri credere, fore ut mortua cum fuerit non reviviscat; in aliis omnibus, quamdiu vivit, ei nihil credere. » R. Jose celebris illius Antigoni discipulus in *Pirke Avoth* cap. 1 : « Ne, inquit, sermonis multum cum muliere habeas : ne quidem ut dixerunt Rabbini cum uxore propria, quanto minus cum aliena? Unde et dixerunt sapientes : Quotiescumque cum femina sermonis plus habet vir, sibi ipsi malum accersit, et a studio legis impeditur, tandemque in gehennam descendit. »

Vers. 18. 18. QUID DULCIUS MELLE, ET QUID FORTIUS LEONE? — *q. d.* Ænigmatis tui : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » hæc est solutio, quod tu in ore leonis voracis et fortis inveneris favum mellis : « Quid enim dulcius melle, et quid fortius leone? » S. Ambrosius, *epist.* 24, quæ in veteri editione est 70, ex Josepho addit Samsonem tum illico subjecisse : « Quid muliere perfidiosius? »

Quid dulcius melle?

Allegorice. Allegorice, hæc omnia Christo eleganter et multipliciter applicat S. Paulinus, *epist.* 4. *Primo*, « Christus, inquit, ipse nobis leo est, in cujus mortui ore cibum mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? Et quid fortius Dei dextera? Aut in cujus mortui ore favus, et apes nisi in cujus verbo salutis nostræ bonum et congregatio gentium? »

Secundo : « Quarum (Gentium) potius figuram plerique in hoc leone posuerunt, quia populus gentium, qui credidit, corpus feritatis erat ante, nunc Christi est, in quo Apostoli velut apes a rore cœli et divinarum floribus gratiarum mella sapientiæ condiderunt, ac sic esca ab ore edentis exierit, quia prius efferæ a Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes fructum salutis ediderint. »

Tertio : « Qui vero Christum magis in eodem sibi leone proponunt, Samsonem Judæorum figuram accipiunt, videlicet ut illum leonem quasi Christum Judæis occideret, id quoque assignantes mysticæ præparationi, quod eo potissimum tempore, quo conjugium petebat optatam potentis belluæ egerit cædem : quia videlicet non posset firmari conjugium, quod in Christo et Ecclesia pactum est, nisi occiso leone de tribu Juda. Idem enim Dominus et Leo ille qui vicit et catulus leonis est, sua sponte sopitus, et a semetipso resuscitatus; de quo scriptum est : Quis suscitabit eum? Voluntarie enim sacrificans pro nobis Patri hostiam sui corporis; idem summus in æternum sacerdos animam suam, sicut ipse testatur, eadem resumpsit potestate qua posuit. »

Quarto : « Hic leonis catulus, quia Filius Dei, et idem Leo, quia æqualis Patri, quare ut mihi videtur, huic aptius est leoni. De edente exivit esca, et de potente dulcedo. A quo enim nisi a Salvatore nostro, cujus sermo vita est, et qui hanc nobis escam simul et ruminavit docens, et prompsit impertiens; et si placet aliter, ut de edente esca sic exeat, quia hic leo de tribu Juda pro nobis victor, ex ore nos adversi leonis eripiens, ideo venatur ut servet, capit ut absolvat, frangit ut solidet, mandit ut integret, hoc in nobis edens, quo corrumpimur. Quamobrem optemus hujus leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici; efficiamur esca Dei, ne simus esca serpentis; edat nos Christus, ne diabolus voret. »

Anagogice : « Edente enim Christo in nobis absumitur, quo consumitur; Christus etenim vita est, et mortale hoc non poterimus deponere, nisi absorbeamur, quia mortem nostram devorat Christus. » Anagogice.

Tropologice : « Cibus enim Christi esse non possumus, nisi faciamus voluntatem ejus, ut vicissim et ipse cibus nobis fiat, in quo semper vivimus, si ad ejus præcepta vivamus. Sic ergo de potente exit dulce, cum amaritudine malitiæ nostræ per ipsum in dulcedinem bonitatis commutata, dulcis a verbo ejus esca procedimus, qui nos edendo consumpsit peccato, reparavit ad vitam. Solus hic potens, dulciter potens, qui liberavit pauperem ab avaro potente, qui feritatem mei corporis per mysterium pietatis suæ in mortem sui corporis perimens, ibi cibum vitæ edit, ubi miseræ fames mortis arebat, qui mihi offensionem gratia, peccatum justitia, infirmitatem virtute, mortem vita, confusionem gloria, regno mutavit exilium, quia audiebamus : Terra es, et in terram ibis; nunc jam audimus : Conversatio vestra in cœlis est. » Tropologice.

QUID DULCIUS MELLE? — Respondeo, saccharum; sed saccharum isto ævo et pluribus sequentibus

fuit incognitum. Unde in Scriptura nulla ejus fit mentio. Legi totam S. Scripturam, et nusquam inveni vocem *saccharum;* imo primi qui sacchari mentionem faciunt fuere Dioscorides, Plinius et Galenus, qui tamen tantum cannarum sacchari meminerunt, modum vero illud per ignem liquandi, ac ad candorem, spissitudinem, et eximium dulcorem miro modo excoquendi non attingunt: ita ex Matthiolo et Cardano nostri Conimbricenses in *Meteora* lib. VII, cap. x. Audi Plinium, lib. XII, cap. VIII : « Saccharum et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus fragile. Amplissimum nucis avellanæ magnitudine ad medicinæ tantum usum. » Hæc Plinius, nec plura habet de saccharo.

Saccharum priscis incognitum.

Mystice : « Quid dulcius melle? » Audi Sapientiam : « Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum, » *Eccli.* cap. XXIV, vers. 27.

QUID FORTIUS LEONE? — Audi Zorobabel : « Forte est vinum, fortior rex, fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas, » III *Esdræ*, cap. III, vers. 10. Veritas ergo est fortior leone, adeoque rerum omnium fortissima. Tropologiam dedi vers. 13 et 14, cui adde in leonum ore inveniri mel, cum in ore superborum, in quo prius erat putor arrogantiæ et blasphemiæ, postea pœnitentium et humilium invenitur dulcedo laudis et gratiæ Dei.

QUI AIT AD EOS : SI NON ARASSETIS IN VITULA MEA, NON INVENISSETIS PROPOSITIONEM (ænigma) MEAM.— Nonnulli per arationem intelligunt fornicationem Philistinorum cum uxore Samsonis, utpote pariter Philistæa; τὸ enim *vitulam* notat eam fuisse petulantem, procacem et lascivam. Verum nulla hic fornicationis facta est mentio, sed potius minarum, quibus Philistæi coegerunt illam a Samsone exquirere ænigmatis solutionem. Dico ergo : Hebraice חרש *charas* significat excogitare, vestigare, et insuper arare : itaque arare hic ponitur pro vestigare, scrutari, rimari, quia sicut arando aperitur terra tecta, sic rimando aperitur et invenitur rei occultæ veritas. Sensus ergo est, *q. d.* Nisi fraudulenter per uxorem meam perfidam exquisissetis solutionem mei ænigmatis, nunquam illud vestro acumine invenissetis. Porro uxorem vocat vitulam ob juvenilem ejus levitatem, imprudentiam et inconstantiam, qua marito Samsoni hoc onus solvendi triginta sindones sua perfidia imposuit, ac suos Philistæos licet nec consanguineos, nec affines illi antetulit. Decem mulieris formas, ait Serarius, depinxit olim Simonides. Alias enim dixit sues, alias vulpes, alias canes, quasdam vero terræ similes, quasdam mari, nonnullas cineri asinoque clitellario, mustellæ, jubato equo, simiæ, demum vero apibus etiam, hasque unas, sicuti et Phocylides, laudavit. Samson vero noster monstrat quasdam etiam esse vitulas, quæ lascivæ, loquaces, infidæ, jugique impatientes, ac Domino conjugato suo molestæ ac noxiæ.

Decem formæ mulierum.

Mystice S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, in procemio, docet per uxorem Samsonis, hoc est per Ecclesiam e Gentibus collectam, quærendam a Christo revelationem arcanorum Dei, fidei et salutis : « Quid dulcius melle, quid fortius leone? Ad quæ ille respondit : Si non domuissetis vitulam meam, non invenissetis quæstionem meam. O divinum mysterium! o evidens Sacramentum! Evasimus interemptorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ est, ubi erat ante miseræ fames mortis. In salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte. Sunt tamen qui e contrario putent fundari non potuisse conjugium, nisi occiso leone de tribu Juda. Et ideo in corpore ejus, hoc est, Ecclesia apes repertas, quæ condunt mella sapientiæ, quia post Domini Passionem magis Apostoli crediderunt. Hunc igitur leonem Samson, quasi Judæus occidit, et in eo mel in figura redimendæ hæreditatis invenit, ut reliquiæ salvæ fierent secundum electionem gratiæ. »

19. IRRUIT ITAQUE IN EUM SPIRITUS DOMINI (impellens eum ad heroicam Ascalonitarum hostium Israelis stragem); DESCENDITQUE ASCALONEM, ET PERCUSSIT IBI TRIGINTA VIROS, QUORUM ABLATAS VESTES DEDIT IIS QUI PROBLEMA SOLVERANT (1). — Ita nimirum hostibus promissum hosticum præmium ex hostium eorumdem cæde et spoliis persolvit. Juste ergo hoc fecit Samson, tum quia justum erat Israeli cum Philistæis bellum, tum quia ad hoc eum agebat irruens Spiritus Domini, qui pariter effecit, ut Thamnatenses Philistæi et Œdipi, qui ænigma hoc solverant, vel nescirent Ascalonitas hos sibi confœderatos a Samsone cæsos, vel si scirent, in eum insurgere, et sociorum necem ulcisci non auderent. Vers. 19.

Dices : *Numer.* VI, vetitum erat ne Nazaræi tangerent quid immundi, v. g. cadaver; quomodo ergo Samson, qui erat Nazaræus, cadavera occisorum a se tetigit, ut eis tunicas adimeret? Respondeo, a peccato, æque ac ab immunditia legali excusat eum necessitas solvendi debitum paranymphis promissum. Adde Samsonem hæc omnia fecisse impulsu irruentis in se spiritus Dei, uti hic dicitur. Deus enim eum quasi magister dirigebat, ac proinde in lege cum eo dispensabat. Id patet ex eo quod Deus paraverit ei cibum favi et mellis in ore leonis mortui, ac potum in maxilla asini pariter mortui, cap. XV. Quis autem non utatur escis et potibus sibi a Deo paratis?

IRATUSQUE NIMIS ASCENDIT IN DOMUM PATRIS SUI. — « Iratus, » tum uxori suæ, quæ secretam ænigmatis solutionem a Samsone acceptam revelave-

(1) Ascalon urbs erat Philistinorum circa duodecim leucas Thamnatha ad meridiem.

rat et prodiderat Philistæis, ideoque causa fuerat cur ipse iisdem pendere deberet triginta tunicas et sindones, quæque magis amabat juvenes Philistæos quam sponsum suum Samsonem. Unde et ipsa a Samsone fecit divortium, alteri, scilicet Philistæo cuidam e pronubis Samsonis nubens; indeque Samson novam malefaciendi Philistæis sumpsit ansam.

IRATUS, — quoque paranymphis suis Philistæis, qui fraude per uxorem Philistæam ænigmatis solutionem, indeque præmium triginta sindonum a se extorserint. Iratus denique toti urbi Philistinæ, quæ tam fraudulentos paranymphos sibi assignaverat.

20. UXOR AUTEM EJUS ACCEPIT MARITUM UNUM DE AMICIS EJUS ET PRONUBIS. — Septuaginta eum vocant *nymphagogum;* alii, *paranymphum.* Christus, *Matth.* IX, vocat eos « amicos sponsi; » alibi vocantur « filii sponsi, » vel « filii nuptiarum, » qualis Christo fuit Joannes Baptista, dum ejus cum Ecclesia nuptias sua prædicatione honestavit et quasi conciliavit. Vers. 20.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson, ob uxorem sibi ademptam et alteri traditam, per 150 *faces ad caudas trecentarum vulpium alligatas segetes Philistinorum succendit; quare Philistæi ejus uxorem cum patre comburunt. Mox, vers.* 8, *Samson ingenti plaga eos percutit. Quare ipsi conflato exercitu Samsonem sibi a Judæis dedi poscunt; hi illum ligatum dedunt, sed ille ruptis funibus mille Philistæos maxilla asini occidit, vers.* 15. *Deinde sitiens orando ex eadem maxilla aquam elicit, sitimque restinguit, vers.* 18.

1. Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens : 2. Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo; sed habet sororem, quæ junior et pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. 3. Cui Samson respondit : Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos; faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio; 5. quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. 6. Dixeruntque Philistiim : Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est : Samson gener Thamnathæi; quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philistiim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus. 7. Quibus ait Samson : Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. 8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam. 9. Igitur ascendentes Philistiim in terram Juda, castrametati sunt in loco qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda : Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt : Ut ligemus Samson venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est. 11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson : Nescis quod Philistiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait : Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. 12. Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philistinorum. Quibus Samson : Jurate, ait, et spondete mihi, quod non occidatis me. 13. Dixerunt : Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam. 14. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philistiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum, et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta. 15. Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea

mille viros. 16. Et ait : In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos et percussi mille viros. 17. Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius, Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. 18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam; en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. 20. Judicavitque Israel in diebus Philistiim viginti annis.

Vers. 3. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME CONTRA PHILISTÆOS; FACIAM ENIM VOBIS MALA, — *q. d.* Ulciscar injuriam in uxoris meæ ablatione mihi illatam; quare vobis imputate clades a me inferendas, non mihi. Ego enim vobis injuriam non intuli, sed vos mihi intulistis. Vestra ergo est culpa, vestra erit et pœna. Porro Samson maxime intendebat ulcisci publicas injurias toti populo a Philistæis illatas, sed iis tacitis suas privatas eis objicit, ne Philistæi iras et arma in totum populum, sed in se solum convertant. Ipse enim omnes quasi ad duellum provocabat, quod erat opus heroicæ fortitudinis, æque ac prudentiæ et charitatis in suos populares et cives, ut eos a Philistæorum vindicta faceret immunes.

Vers. 4. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES (1). — Hinc patet Samsonem æque callidum ac fortem fuisse, utpote qui vulpes adeo dolosas dolo superarit et ceperit. Tritum est illud : « Annosa vulpes non capitur laqueo; » sed norat ipse vulpinari cum vulpibus, fecitque quod Lysander aiebat : « Si leonis exuviæ non sufficiunt, vulpis pellem eis assue, » hoc est, quod robore conficere nequis, confice astutia. Et illud Pindari, *De Melisso*, ode 4 : « Ille animositate similis audaciæ graviter frementium leonum ad venandum cum labore; solertia autem est vulpes, quæ supina cohibet impetum aquilæ; oportet autem quodlibet faciendo labefactare adversarium. » Adde Deum, per Angelum secundantem actus Samsonis, has vulpes collegisse eo loco et modo quo sciebat illas facile a Samsone capiendas, sicut animalia omnia adduxit ad Noe tempore diluvii, ut ipse ea eorumque stirpem servaret in arca, aut certe artem et rationem has vulpes capiendi Samsoni suggessisse. Porro Judæa, ac præsertim tribus Dan, abundat saltibus, unde in tribu Dan erat locus *Salebim, in quo erant vulpes*, cap. I, 35, ut vertunt Septuaginta. Hinc et illud *Cant.* I : « Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas. » Sic Julius Cæsar Romæ spectaculum dedit leonum quadringenta. Probus Imperator mille, item mille leopardorum, mille cervorum, mille aprorum, mille ibicum, mille struthionum; Heliogabalus collegit mille mustelas, totidem sorices, decem millia murium, decem millia pondo aranearum et muscarum, teste Lampridio et Vopisco in eorum Vita, ac Plinio, lib. VIII, cap. XVI. Quid mirum si Samson trecentas collegerit vulpes? Collegit autem eas, tum ne vineas civium suorum vastarent, tum ut segetes Philistinorum succenderent. Ita civibus suis tantum profuit quantum hostibus nocuit.

CAUDASQUE EARUM JUNXIT AD CAUDAS. — Noluit Samson singulis vulpibus alligare faces, licet id opinetur Abulensis, ne singulæ in antra sua se abderent et faces exstinguerent, sed binis vulpium caudis singulas faces alligavit, ut dum una huc, altera illuc conatur faces effugere, in campos segetum plenos profugiant illasque succendant. Rursum ut moram ad succendendum segetes omnes necessariam eis injiceret, dum una vulpe fugiente altera sistit, vel alio se proripere satagit.

ET FACES LIGAVIT IN MEDIO. — Pro *faces* Hebraice est לפידים *lappidim*, id est torres, tædas, titiones ex pino, cedro, cupresso aliaque pingui materia, quæ facile ignem concipiunt, diuque fovent et retinent. Hebræum est : *Convertit caudam ad caudam, et facem posuit in medio duarum caudarum.* Non ergo implexæ vel astrictæ a Samsone fuere vulpium caudæ; hoc enim difficile fuisset et impedimento vulpium cursui, sed utriusque vulpis caudæ fortiter adnexo, quin et longius tracto fune Samson medium titionem vel facem alligavit, ut a binis fortius traheretur, minusque objectis stipulis vel impedimentis retineretur : sicubi vero implicaretur, acuto astutoque vulpium ingenio expediretur. Porro vulpes hæ ignem ad caudas se insequentem continuo fugientes (valde enim ignem horrent vulpes), ad segetes, ut in iis latitarent, putantes se ignem effugere posse, receperunt; illasque succensas a se rursum fugientes, in alias et alias segetes profugerunt, eisque pariter ignem immiserunt; quocirca plurimas non tantum segetes, sed et vineas et oliveta succenderunt. Ingens ergo damnum hic Philistæis intulit Samson.

Vulpinalia Samsonis

Serarius opinatur ex hoc facto Samsonis orta esse Vulpinalia Romæ. Romani enim quotannis aprili mense, quando in Circo celebrabant Equiria, id est ludos equestres, simul solebant vulpem ardenti tæda exurere, cujus ritus originem Ovidius, lib. IV *Fastor.*, refert ad rusticum quemdam, qui Carseolis vulpem, eo quod gallinas suas

(1) Isti vulpes vulgo nominantur gallice *schacals*, medium tenentes inter canem et lupum.

comedisset, exurere cœpit; sed vulpes ex rogo elapsa in vicinas segetes eas succendit. Verum hoc videtur esse fabula, vera autem est hæc vulpium historia a Samsone edita. Unde videntur Romani illam, ut et multa alia ab Hebræis accepisse. Omnium enim gentium ritus et superstitiones Roma in se transtulit.

Vulpes sunt hæretici.

Tropologice S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 11, in fine, S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.* hom. 4 *in Cant.*, per vulpes accipiunt hæreticos :

Primo.

Primo, quia utrisque ingens inest dolus et ars fallendi. Hinc S. Isidorus, lib. XII *Etymol.* cap. II, vulpi hoc dat etymon : « Vulpes, inquit, dicitur quasi volupes; est enim volubilis pedibus, et nunquam rectis itineribus; sed tortuosis anfractibus currit fraudulentum animal, insidiisque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mortem : sicque descendentes quasi ad cadaver volucres rapit et devorat. »

Audi S. Ambrosium, loco jam citato : « Per hanc figuram (vulpium) significans quod improbi ac fraudulenti homines, et maxime hæretici liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos : aut religiosa principia, finem vero fraudis suæ incendio deputatum, ideoque et trecentas vulpes dimisit, eo quod perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium ejus tenere non possunt, qui hac prædicatione composita et falsa atque simulata urere magis conantur fructus alienos : cum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fecundet. » Idem in cap. IX, 5, *Lucæ* : « Hæretici, inquit, fructus succendere conantur alienos. Ad præsens ore liberi, sed in futurum ignem jam vincti, cauda facibus significantes sui finis incendium. »

Secundo.

Secundo, vulpes hæ capitibus dissociantur, sed caudis sociantur; quia apud hæreticos tot sunt sententiæ, quot capita; omnes tamen in fine conspirant ad fidem orthodoxam impugnandam.

Tertio.

Tertio, hæretici instar vulpium Samsonis suis litibus, bellis, cædibus, incendiis omnia devastant.

Quarto.

Quarto, Philistæis, id est aliena dogmata sectantibus nocent, non fidelibus in fide constantibus.

Quinto.

Quinto : « Quid sibi volunt caudæ vulpium, ait S. Augustinus, nisi posteriora hæreticorum, qui prima habent blanda magna deceptoria opera, » quasi capita; « posteriora vero ligata, id est, damnata, et ignem in fine trahentia, ut eorum fructus et acta consumant qui suis seductionibus acquiescunt. »

Sexto.

Sexto, vulpes cicurari nequit, nec ulla arte mores et dolosam indolem mutat; sic nec hæretici. Unde nullus hæresiarcha (excepto Berengario, cujus dubia est salus) legitur ad fidem Orthodoxam rediisse. Vidi Lovanii vulpeculam recens natam, quæ juncta catulis felis cum iis lacte felis alebatur, sed ipsa illico catulos felis occidit : vidi aliam cum catulo canis grandiore educari, sed ita ut vulpes non caninos, sed canis vulpinos a socio vulpe mores indueret.

Septimo.

Septimo, vulpes cum vult imitatur latratum canis et ululatum lupi; sic hæretici alios se simulant, et Orthodoxam vocem fidemque imitari se jactant.

Octavo.

Octavo, vulpes nunquam rectis itineribus, sed tortuosis semper anfractibus currit. Sic apud hæreticos omnia sunt prava, vafra, distorta, nec aliud nisi dolos, cædes, proditiones Catholicorum machinantur.

Nono.

Nono, vulpes in spelæum una via intrat, alia exit, ait S. Augustinus in *Psalmo* LXXX; sic hæretici, dum ratione premuntur, alia elabuntur. Rursum per blanditias irrepunt, at cum dominium assecuti sunt, feroces evadunt, exeuntque per rapinas, strages et funera civium.

Decimo.

Decimo, vulpes callida est, quia calida, indeque fœtens; sic hæretici ardent invidia, ira et libidine, indeque putent.

Undecimo.

Undecimo, vulpes ubi minxerit, illico terram efficit sterilem; ut germinare nequeat : sic ubi hæretici suam hæresim effuderint, omnia virtutum germina exarescunt. Ipsi igitur

Astutam vafro gestant sub pectore vulpem.

Samson ergo capiens vulpes est doctor revincens hæreticos, ac per eos hæresum libros et Synagogas comburens. Ita Origenes, hom. 4 *in Cant.*, et S. Augustinus in *Psal.* LXX.

Vers. 5.

5. ET COMPORTATÆ JAM FRUGES, ET ADHUC STANTES IN STIPULA, — id est, segetes tam demessas et in acervum comportatas, quam non demessas et in agro adhuc stantes. Hebraice, *succendit ab acervo usque ad segetem*; Septuaginta, *arserunt ab area usque ad spicas rectas.*

Vers. 6.

6. ET COMBUSSERUNT TAM MULIEREM QUAM PATREM EJUS, — eo quod secundis suis nuptiis occasionem dederit Samsoni succendendi suas segetes. Addit Josephus cognatos quoque ejus fuisse exustos. Ecce mulier hæc volens effugere cremationem a Philistæis sibi comminatam, sua perfidia in eumdem ignem recurrit. Rursum disce hic adulteras (qualis erat hæc mulier) olim punitas morte, eaque ignis et incendii. Unde et Judas Thamar nurum suam ob adulterium jussit comburi, *Genes.* cap. XXXVIII, vers. 24. Vide ibi dicta. Audi S. Bonifacium, epist. 19 *ad Ethibaldum Merciorum regem* : « Saxones adulteram cogunt per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum illius incensæ et concrematæ corruptorem ejus suspendunt. »

Vers. 8.

8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PLAGA (obvios quosque passim feriendo, sternendo et mactando); ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT, — quod intensæ et anxiæ cogitationis signum est : tunc enim quasi stupentes solemus suram pedis unius alteri femori imponere. Ita S. Augustinus et Hugo Victorinus. Hebræa, *percussit eos tibia super femur plaga magna.* Vatablus, *percussit eos in crure una*

cum tibia; hoc est percussit eos in cruribus simul et femoribus. Chaldæus, *percussit equites cum peditibus;* Rabbi David, *percussit eos circumagendo se super pedes,* id est circumgyrando omnes circumcirca occidebat, ne a tergo lædi posset. Sic Lusitani pauci in India contra multos barbaros pugnantes, circumgyrando se, pugnant in orbem. Hebræi et Burgensis : *Percussit eos sura, id est, calcibus femora Philistinorum, q. d.* Non armis feriendo, sed calcibus calcitrando eorum femora illisit. Ita varii varie. Verum optime et plenissime vertit Noster juxta sensum quem dedi, cui consentiunt Septuaginta qui vertunt, *percussit eos tibiam super femur* (præ stupore ponentes) *plagam magnam.*

Est hæc secunda hujus capitis plaga a Samsone Philistæis inflicta, tertiam par maxillam irrogatam audiemus vers. 15.

HABITAVIT IN SPELUNCA PETRÆ ETAM, — quæ sita erat in tribu Juda, habebatque vicinum torrentem, ait Adrichomius. Innuit hic Scriptura præcedentem Samsonis pugnam in vicinis Juda montibus contigisse, indeque victorem Samsonem ad speluncam Etam demigrasse, ubi propter locorum angustias, unus aliquis miles plurimis bellatoribus par esse posset, tantoque magis Samson, qui solus in medio campo pluribus centuriis præstabat. Neque tamen eo secessit metu, sed, ut ait Dionysius, quo ibi quietius vacaret Deo, quo impulsore ista patrabat. Et ne urbs, quam adiisset, ipsius causa periclitaretur : cum ille vellet suo se tantum periculo ac virtute tutari. Ita Salianus.

Vers. 13. 13. LIGAVERUNTQUE EUM. — Potuisset Samson civibus suis resistere ac dicere : Ego vestri causa percussi Philistæos, ut eorum vires infringam, ne vobis dominentur, cur ergo me liberatorem vestrum eis traditis; sed noluit ut eos immunes et indemnes a Philistæis redderet, qua in re illustre dedit exemplum justitiæ legalis, æque ac civicæ charitatis, quia ipse vitam suam pro publica civium et Reipublicæ salute periculo mortis exposuit. Audi S. Ambrosium paraphrastice hunc locum et sensa Samsonis graphice describentem *epist.* 24, quæ in veteri edit. *epist.* 70 : « Et quæ justitiæ forma est genus Abrahamidarum, ut circumscriptæ primo conjugis, deinde abductæ perniciosa mihi vindicta sit, et sine periculo domesticam injuriam non licuerit ulcisci? Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obsequium, ut executores vos alienæ præbeatis insolentiæ, atque in vosmetipsos vertatis manus? Si pereundum est, quia dolorem habui, liberum juvat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, sollicitata uxor. Si non licuit mihi vivere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine meorum scelere. Retuli ego acceptam injuriam, non intuli. Vos æstimate an digna vicissitudo fuerit. Illi de damno fructuum queruntur; ego conjugis amissione. Conferte manipulos messis et sociam tori. Dolorem meum ipsi probarunt, cujus injurias vindicaverunt. Videte quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipsi ultione dignum, de iis qui me læserant, judicaverunt, et qui vindictæ præbuere ministerium. Sed si adeo subdita superbis colla geritis, tradite me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abnuo, sed vestrum fugio contagium. Verum si formidine ceditis, insolentibus alligate vinculis manus : inermes licet invenient sibi arma nodis soluta. Certe conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si viventem in potestatem daretis. »

Allegorice, Samson hic fuit typus Christi, qui a civibus suis Judæis ligatus et traditus est Pilato et Romanis, ut ab eis crucifigeretur. Ita S. Augustinus.

Vers. 14. 14. ET SICUT SOLENT AD ODOREM IGNIS LINA CONSUMI, — id est facillime Samson rupit funes, perinde ac lina, quæ sicca, mox ut calorem ignis senserint, comburuntur. Metaphorice sensus caloris vocatur odor. Unde Septuaginta, *sicut stuppa cum olfecerit ignem.* Perperam ergo nonnulli Codices pro *odorem* legunt *ardorem,* et pro *lina, ligna.*

INVENTAMQUE MAXILLAM, ID EST MANDIBULAM ASINI, QUÆ JACEBAT. — Hebraice *maxillam* טריה *teria,* id est *virentem,* id est *humentem et tabo adhuc fluentem.* Ita Chaldæus (1).

INTERFECIT IN EA MILLE VIROS. — Asini enim uti magna habent duraque capita, sic et maxillas, præsertim in Syria, ubi sunt grandiores et fortiores nostratibus; quanquam naturaliter vix fieri poterat ut una maxilla occideret mille viros; nam percutiendo tot viros maxillam sæpius confregisset : sed Dei virtus ei adfuit, quæ et maxillam in suo robore conservavit, ut tot ictibus allisa duris corporibus non rumperetur, ac Samsoni vires dedit, ut per illam mille viros necaret. Hic impletum illud *Psalm.* III, 8 : « Percussisti omnes adversantes mihi sine causa, » ubi pro *sine causa,* Hebræum est לחי *lochi,* id est *maxilla.*

Symbolice, in maxilla asini Samson percussit mille Philistæos. Homo enim carni, gulæ et luxuriæ deditus (uti erant Philistæi) nihil est aliud quam bucca aut maxilla, ait Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. I, sub initium. Mala ergo sive maxilla asini percussit asinos, id est Philistæos asininos et carnales. Sicut ergo Herculeş non telo, sed clava tot monstra cecidit; sic Samson maxillam vertit in clavam, eaque hostes prostravit.

Mystice S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto,* in procemio, per maxillam accipit patientiam, quæ omnium est victrix : « Invictus Samson, inquit, atque ita insuperabilis, ut in maxilla asini viros mille percuteret; ita plenus gratiæ cœlestis, ut etiam aquam in maxilla asini sitiens reperiret; sive ad hoc miraculum conferas, sive ad miracu-

(1) *Interfecit* sumitur hebraice *percussit,* mirabilisque hæc victoria soli Samson tribuitur, quia per prælia ducem sequitur gloria militum.

lum vertas, quod in populi foret humilitate gentilis et requies et triumphus, juxta quod scriptum
Matth. v. est : Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram. Per hanc enim injuriarum patientiam, quam erudiunt sacramenta baptismatis, et de quibusdam stimulis iracundiæ triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur. »

Hinc Cabalistæ tradunt חמר *chamor,* id est asinus, per anastrophen idem esse quod רחמים *rechem,* id est misericordia, qua Christus pro nobis pugnans dæmones, omnesque nostros hostes profligarit.

Vers. 16. 16. ET AIT : IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM DELEVI EOS, — in Hebræo pulchra est paranomasia : בלחי חמור חמרתים *Bilchi chamor chamorathaim,* quod Pagninus, Cajetanus, Vatablus et Rabbini vertunt : *In maxilla asini acervum acervorum duorum percussi, q. d.* Duos acervos vel cumulos Philistinorum cecidi. Ludit in voce *chamor,* id est asini, quæ deducta est a *chomer,* id est acervus sive mensura quæ corus dicitur, continetque triginta modios : hæc enim erat asinarium onus, quod asinus in Palæstina bajulabat. Ita Vilalpando, parte II *De Templo,* lib. III, cap. IX.

Porro Josephus et S. Ambrosius, *epist.* 70, opinatur Samsonem hæc ex arrogantia dixisse, ideoque siti a Deo afflictum. Audi S. Ambrosium : « Utinam quam fortis in hostem, tam moderatus in victoria fuisset! Verum quod facile usu venit, insolens rerum secundarum animus qui debuit eventum pugnæ divino favori et præsidio deferre, sibi arrogavit dicens : In maxilla asini delevi mille viros. Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolavit, sed negligens sacrificii, assumptor gloriæ, ut triumphum suum perpetuo consecraret nomine, vocavit locum maxillæ interfectionem. »

Verum melius Abulensis, Serarius et alii censent Samsonem hoc cantico gratias Deo egisse, quod ejus ope solus per unam maxillam ceciderit exercitum Philistinorum. Addunt Lyranus, Abulensis, Cajetanus et Arias (idque colligitur ex vers. sequenti) Samsonem prolixius carmen hic Deo cecinisse v. g. illud quod postea cecinit David, *Psalm.* CXLIII : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum, » etc., ac post singulos versus iterasse : « In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, » quasi carmen intercalare.

Vers. 18. 18. SITIENSQUE VALDE, — ex labore tum itineris, tum mactandi tot Philistæos.

Vers. 19. 19. APERUIT ITAQUE DOMINUS MOLAREM DENTEM (Septuaginta, *lacum qui in maxilla* ; perperam Chaldæus, *petram quæ in maxilla,* nisi per petram accipias os dentis durum ut petram. Hebraice enim מכתש *machtes,* dentem molarem significat) IN MAXILLA ASINI, ET EGRESSÆ SUNT EX EO AQUÆ. — S. Ambrosius, *epist.* 70 : « Dei misericordia, inquit, cum projecisset ille maxillam, aperuit scissuram ejus, et fons erupit ex ea. » D. Hieronymus in *Epitaph. Paulæ* : « Fontem de molari maxillæ dente produxit. » Prudentius in *Enchiridio* :

Ab ore leonis
Mella fluunt : maxilla asini fontem vomit ultro.
Stultitia exundat lymphis : dulcedine virtus.

Et S. Ephrem, tom. I, pag. 428 : « Tantæ, inquit, erat Samson sanctimoniæ, ut etiam quandoque sitiente eo, et in inopia aquæ orante, ex arrepta mandibula asini emortua aquæ scaturirent. » S. Chrysostomus, *homil.* 15, ex variis in Matthæum locis : « Sanctus erat Samson, atque in tantum sanctus, ut cum sitisset post laborem pugnæ, in loco sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa maxilla quam in manu tenebat, erumpente aqua, biberit, atque inde sitis æstum ex eodem mortui pecoris osse quo vicerat, refectus exstinxerit. »

Nota quod ait Chrysostomus, « quam in manu tenebat, » hoc est manu tenuerat ; nam jam ante eam in terram projecerat, ibique eo orante ex illa fons erupit. Porro erupit hic fons ex terra in maxillam, indeque scaturiit, ut majus appareret miraculum, idque congrue ad meritum Samsonis et præmium : quia enim ipse per mandibulam fortissime pugnans et cædens Philistæos ingentem contraxit sitim ; hinc Deus per eamdem maxillam sitis remedium præbuit, eliciens ex illa fontem aquæ perennem. Disce hic quam magnus Deus per res viles et parvas, uti per maxillam, magna operetur ; quare nemo desperet se ejus ope magna facturum, dummodo ei strenue cooperetur.

IDCIRCO APPELLATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS : FONS INVOCANTIS DE MAXILLA. — Τὸ *de maxilla* refert ad τὸ *fons,* non ad τὸ *invocantis,* ut patet ex Hebræo, *q. d.* Fons invocantis (Samsonis) qui est in *lechi,* hoc est in loco dicto *Ramath lechi,* id est elevatio maxillæ, eo quod ibidem Samson orans ex maxilla fontem hunc elicuerit.

USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. — Fontem hunc perdurasse ad sua tempora tradit S. Hieronymus in *Epitaph. Paulæ,* imo et Glycas, part. II *Annalium,* diserte : « Hic fons, ait, in hodiernum usque diem in Eleutheropolis suburbio conspicitur, et Fons maxillæ nuncupatur. » Unde Serarius fontem istum adhuc exstare et aquas fundere opinatur. Nam Glycas, inquit, vix 500 annis nostrum sæculum antecessit, cum usque ad Joannem Comnenum Imperatoris Alexii filium suos protulerit annales. Nam quis ex eo tempore illum vel arefecisset æstus, vel obstruxisset lutum, vel dissipasset manus?

Maxilla Ecclesiæ est prædicator.

Tropologice S. Gregorius, lib. XIII *Moral.* cap. VI : « Maxilla, inquit, Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur : Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus ; quia in adversitate Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo prædicatori, velut maxillæ Ecclesiæ dicitur :

Occide et manduca. Hinc est etiam quod Samson maxillam asini tenuit, et hostes peremit; quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora magna populis monstravere miracula. » Apposite in *Martyrol.* die 24 februarii Baronius : « S. Babylas, ait, mortuus velut redivivus contra Gentiles pugnas aggressus est majores. Nam more Samsonis, ossibus pugnans in fugam vertit Philistæos. »

20. JUDICAVITQUE ISRAEL IN DIEBUS PHILISTIIM VIGINTI ANNIS, — quibus scilicet Philistini opprimebant Hebræos. Hinc patet *primo* annos Samsonis concurrere cum 40 annis servitutis, quibus Hebræi servierunt Philistæis, ut dixi cap. XIII, vers. 1. Patet *secundo* Samsonem vere fuisse Judicem Israelis, quia « judicavit, » id est vindicavit et liberavit eum a servitute Philistinorum. Fuit tamen ipse dispar et dissimilis cæteris Judicibus, qui per exercitus pugnarunt; ipse enim solus contra exercitus prœliatus est, eosque fudit et occidit. Patet *tertio* eum judicasse per 20 annos. Vers. 20

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samson Gazæ a Philistæis circumcessus, ablatis urbis portis, egreditur; mox, vers. 4, amans Dalilam, ab ea urgentibus Philistinis varie tentatur, ut aperiat in quo sita sit sua fortitudo; cujus assidua importunitate victus, vers. 17, indicat eam sitam in capillis; hos ergo ei dormienti abscindit Dalila, itaque eum Philistæis prodit et tradit. Hi eum vinciunt, exoculant, incarcerant, diesque festos et ludos agunt. Tandem, vers. 26, Samson recrescentibus capillis et viribus, concutiens duas columnas domus, ejus ruina principes et tria millia Philistinorum, secum obruit et sepelit, pluresque occidit moriens quam vivens.

1. Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. 2. Quod cum audissent Philistiim, et percrebruisset apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus, et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, et inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 4. Post hæc amavit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philistinorum, atque dixerunt : Decipe eum, et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus, et vinctum affligere; quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. 6. Locuta est ergo Dalila ad Samson : Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas? 7. Cui respondit Samson : Si septem nerviceis funibus, necdum siccis et adhuc humantibus, ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines. 8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philistinorum septem funes, ut dixerat, quibus vinxit eum, 9. latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei exspectantibus, clamavitque ad eum : Philistiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit; et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. 10. Dixitque ad eum Dalila : Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es; saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. 11. Cui ille respondit : Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis. 12. Quibus rursum Dalila vinxit eum et clamavit : Philistiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rursum ad eum : Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson : Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philistiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio. 15. Dixitque ad eum Dalila : Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit me-

cum? Per tres vices mentitus es mihi et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. 16. Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ; si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut cæteri homines. 18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philistinorum ac mandavit : Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. 19. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit abigere eum, et a se repellere; statim enim ab eo fortitudo discessit, 20. dixitque : Philistiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo : Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. 22. Jamque capilli ejus renasci cœperant, 23. et principes Philistinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo et epularentur, dicentes : Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. 24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat : Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos. 25. Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti gressus suos : Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. 28. At ille, invocato Domino, ait : Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram leva tenens, 30. ait : Moriatur anima mea cum Philistiim, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et cæteram multitudinem quæ ibi erat : multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. 31. Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saara et Esthaol in sepulcro patris sui Manue, judicavitque Israel viginti annis.

Vers. 1. 1. VIDIT IBI MULIEREM MERETRICEM; INGRESSUSQUE EST AD EAM, — non ut cum ea fornicaretur, sed alterius negotii vel mysterii causa, ait S. Augustinus serm. 107 *De Temp.* Verum ingredi ad meretricem in Scriptura significat fornicari et meretricari. Quare fornicatus est hic Samson.

Vers. 3. 3. IMPOSITASQUE (portas Gazæ) HUMERIS SUIS PORTAVIT AD VERTICEM MONTIS. — Peccavit mortaliter Samson fornicando cum meretrice; et tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, qua portas urbis impositas humeris tulit in montem; quia fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratum faciens, ac consistebat cum peccato mortali. Sita enim erat in ejus Nazaræatu, id est in coma intonsa, ac abstinentia a vino et sicera; fornicatio autem non tollebat ejus Nazaræatum, ac consequenter nec ejus fortitudinem.

Samson tollens portas est Christus resurgens e limbo.

Allegorice, Samson media nocte tollens portas Gazæ repræsentat Christum, post mediam noctem e sepulcro resurgentem, ac lapidem sepulcri amoventem, insuper portas mortis et gehennæ auferentem, indeque Patriarchas et Prophetas Sanctosque omnes cum triumpho educentem. Ita S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.*, S. Hieronymus in cap. 1 *ad Ephes.*, S. Gregorius, hom. 2 *in Evang.*, quem audi : « Quem nisi Redemptorem Samson ille significat? Quid Gaza civitas nisi infernum designat? Quid per Philistæos nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt, et eum qui auctor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson vero media nocte non

solum exiit, sed etiam portas tulit; quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, et ascendendo cœlorum regna penetravit. Hanc ergo resurrectionis ejus gloriam, fratres charissimi, quæ et prius demonstrabatur ex signo, et post patuit ex facto, tota mente diligamus, pro ejus amore moriamur. »

HUMERIS SUIS. — R. Simeon Hacchasid in *Suta* cap. I, fol. 10, censet humeros Samsonis tam fuisse latos, ut unus ab altero distaret sexaginta cubitis; quare eum fuisse gigantem. Verum omnes refutant utrumque. Nec enim fortitudo Samsonis in gigantea corporis mole, sed in capillis sita erat.

Vers. 4. 4. POST HÆC AMAVIT MULIEREM, QUÆ HABITABAT IN VALLE SOREC (ubi erant vites uvæ et vina præstantissima) ET VOCABATUR DALILA (1).

Dalila Samsonis uxor.

Quæres, an hæc fuerit Samsonis uxor, an concubina et meretrix? Uxorem fuisse censet S. Chrysostomus, *hom.* 17 ex variis in *Matth.* locis: « Hunc tantum, inquit, et talem virum et pulchritudine, et veritate, et sanctitate, uxor sua sicut inimicum decipiens, alligans Allophylis tradidit. » Et postea: « Subdola irrepsit in præcordia mariti. » Et S. Ephrem, serm. *Adversus improbas mulieres*, tom. I: « Tantæ sanctitatis, pulchritudinis et fortitudinis virum propria mulier deturbavit, et velut hostem vinctum in alienigenarum manus tradidit, et cui neque leones, neque alienigenæ resistere quibant, hunc propria conjux dejecit. »

Idem sentit Abbas Joseph apud Cassianum, *Coll.* XVII, XX, et Rabbini nonnulli, ac S. Prosper, lib. *De Promiss.* XXII, et Pererius in XXXI *Gen.*, disp. 1.

Verum alii passim opinantur Dalilam non fuisse uxorem Samsonis, sed concubinam, tum quia ipsa domi suæ Philistæos Samsonem capturos abscondit inscio Samsone : si enim ipse ejus fuisset maritus, perviam habuisset totam domum, nec quis eo inscio in ea celari potuisset; tum quia si fuisset maritus Dalilæ, duxisset eam in domum suam, non autem ad domum ejus divertisset; ac habuisset cognatos, famulos et ancillas, qui ei dolos Dalilæ, æque ac Philistæos ab ea domi absconditos detexissent.

Verius ejus concubina.

Unde Josephus Dalilam vocat meretricem, æque ac S. Ambrosius, *epist.* 70, S. Hieronymus, epist. 126 *ad Evagrium*, Abulensis, *Quæst.* VII, Serarius et alii, qui propter easdem rationes autumant Dalilam Philistæam fuisse, non Judæam.

Hinc apposite Hebraice vocatur *Dalila*, id est paupertas, tenuitas, infirmitas, exhaustio, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*, quia talis solet esse meretrix; et quia « debilitavit et informavit, » tum aliorum, tum « Samsonis robur, » ait Elias in *Thibi*, « cor et opera. »

(1) Sorec urbs erat vicina Saraa, in qua natus erat Samson.

Vere Comicus in *Truculento*: « Nec omnis ætas, inquit, ad perdiscendum sat est amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis, quot ludificetur exemplis, quotque exoretur exorabulis. Ita disciplina in ædibus es lenoniis. Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat. » Et vere ibidem Geta: « Meretricem, inquit, esse reor, mare ut est, quod des devorat, nec unquam abundat. Meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem, privavit bonis, luce, honore atque amicis. »

Mulier quam perniciosa.

Vide hic quam perniciosa sit mulier. Quid fortius Samsone? quid sanctius Davide? quid sapientius Salomone? Et tamen hos viros perdidit mulier, æque ac Eva Adamum omnesque ejus posteros. Vide S. Chrysostomum, hom. 17 *ex diversis in Matth.*, et S. Ephrem, serm. *Contra improbas mulieres*. Audi S. Hieronymum, epist. 22 *ad Eustoch.*: « Samson leone fortior et saxo durior, qui et unus et nudus mille persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus. » Et S. Ambrosius, Apolog. 2 *David.* cap. III: « Samson, inquit, validus et fortis leonem suffocavit; sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium; sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas; et unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. »

Denique Dalila, prodens Samsonem per capillos, fuit typus Judæ prodentis Christum per osculum, uti docent Patres.

Vers. 5. 5. DABIMUS TIBI SINGULI MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. — Argenteus, supple siclus, erat florenus Brabanticus continens quatuor regales Hispanicos, sive quatuor julios Romanos; mille ergo et centum argentei faciunt totidem florenos Brabanticos. Multiplica hos per quinque (quinque enim erant Satrapiæ, et Satrapæ sive Principes Philistinorum, scilicet Accaron, Ascalon, Azotus, Gaza, et Geth), habebis quinque millia et quingentos florenos Brabanticos, quibus Dalila Samsonem vendidit.

Vers. 7. 7. SI SEPTEM NERVICEIS FUNIBUS, — hoc est, funibus confectis et contortis ex nervis boum, taurorum, vel aliorum animalium. Hebraice enim יתר *iether* et nervum et funem significat. Pagninus hic vertit, *virgas*; Arias, *vimina*; Josephus, *palmites vitis*; Septuaginta, Chaldæi et alii, *funes*. Mentitur Samson, ut Dalilam deludat et a se ableget, ne secretum fortitudinis suæ ei revelet.

Vers. 9. 9. QUI RUPIT VINCULA, QUOMODO SI RUMPAT QUIS FILUM DE STUPPÆ TORTUM PUTAMINE, — hoc est de stuppæ quisquiliis, quæ putari et abjici solent, hoc est filum vilissimum et debilissimum; putamen enim est omne id quod non tantum a nucibus, sed ab aliis etiam rebus excutitur ac projicitur, ait Nonius. Abulensis et Lyranus pro putamine legunt *sputamine*, id est sputo, puta filum sputaticium : nentes enim et nectentes funes solent crebro conspuere stuppam, ut tanto facilius eam stringant et torqueant.

Vers. 16. 16. DEFECIT ANIMA EJUS, ET AD MORTEM USQUE LASSATA EST, — id est, in maximos angores animique angustias redactus est, ut fere mortem mallet quam contentissimam illam cum sua Dalila pugnam et importunitatem; ita multos vincit dæmon et caro continuatione et prolixitate tentationis, qui primo fortissime ei restiterant : sensim enim hac duratione animi cum viribus languescunt et enervantur, tandemque vinci se sinunt, cedunt et succumbunt, ni Dei auxilium assidue imploratum adsit, et constantiam homini tribuat.

Vers. 17. 17. SI RASUM FUERIT CAPUT MEUM, RECEDET A ME FORTITUDO MEA. — Hinc patet fortitudinem hanc admirabilem, et vires naturæ superantem, fuisse qualitatem supernaturaliter Samsoni inditam, sed cum pacto; si videlicet ipse Nazaræus esse perseveraret et comam non tonderet, sed jugiter aleret. Unde quia ipse sua culpa, indicando scilicet Dalilæ suæ hosti et proditrici causam fortitudinis suæ, comam furtiva detonsione perdidit, idcirco fortitudinem hanc subduxit illi Deus; non subducturus illam, si sine culpa, alopecia, aliove morbo aut incendio, aliove casu, aut vi illata illam perdidisset, ut recte advertit Abulensis et Auctor *De Mirabil. S. Script.* apud S. Augustinum, lib. II, cap. VI : « Mandati, ait, Dominici observatio donum fortitudinis conservabat. » Fuit ergo donum hoc qualitas non transiens, sed permanens quamdiu ipse Nazaræus et coma coronatus permaneret, non quod coma hanc fortitudinem causaret, nec quod in capillis fortitudo hæc consisteret (sita enim erat in lacertis, nervis totoque corpore, ac magis in animo); sed quod servata coma esset conditio et signum Nazaræatus, pactique divini conservatio, ideoque causa moralis hujus fortitudinis ex Dei ordinatione. Quod ergo Samsone opus aliquod heroicum aggrediente dicitur : « Irruit in eum Spiritus Domini, » non significat fortitudinem hanc in illo non fuisse permanentem, ac per singulos actus inditam; sed indicat novum Dei instinctum, novosque animos ad hoc illudve machinandum illi a Deo fuisse immissos. Spiritus enim notat inspirationem, instinctum, animos et impetum ad quippiam audendum. Ita S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum*, et S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, in proœmio, quem audi : « Non ita est, ut tantam vim corporalium capillorum putemus. Sunt quidem crines religionis et fidei : crines Nazaræi in lege, perfecti in parcimonia, et abstinentia consecrati; quibus illa in typo Ecclesiæ, quæ Domini pedes oleo perfuderat, verbi cœlestis vestigia detergebat. Tunc enim et secundum carnem noverat Christum. Isti videlicet crines, de quibus dicitur capillatura tua ut greges caprarum; ex illo capite pullulantes, de quo dictum est : Caput viri Christus. Et alibi : Caput ejus aurum Cephas et crines ejus abietes nigræ. »

Fortitudo Samsonis sita in capillis.

Causa litteralis

Causa ergo litteralis cur durante coma Samsoni duraret et fortitudo, fuit, quod durante coma permaneret ipse Nazaræus, hoc est Deo consecratus. Nazaræi enim consecratio maxime consistebat in coma, ut dixi *Numer.* VI. Deus enim Nazaræatui Samsonis hoc fortitudinis donum quasi præmium assignabat.

roboris Samsonis.

Allegorica causa erat, quod per comam Nazaræi repræsentabat Christum Nazaræum et Nazarenum, a quo omnis fortitudo procedit; Christus enim est caput nostrum et velamentum ac ornamentum capitis nostri. Unde S. Augustinus, serm. 107 *De Tempore* : « Fortitudinem, ait, non in pede, non in manu habebat, sed in coma, id est velamento; et in velamento Christus habebat virtutem, quando umbræ legis veteris eum tegebant. Coma ergo Samson in velamento erat, quia in Christo aliud videbatur, aliud intelligebatur. »

Allegorice.

Tropologica causa erat, quod capillus notat cogitationes et intentiones hominis; sicut enim a capite sano germinant sani capilli, sic ex mente bona oriuntur bonæ cogitationes, a quibus omnium virtutum fortitudo germinat.

Tropologice.

Symbolica causa fuit, ut indicaret Deus hoc esse donum suum, qua ratione enim vilis et exilis capillus, id est capitis pilus, per se tantam fortitudinem causare potuisset? Rursum, ut Deus moneret capillorum, id est rerum minimarum nobis exactam curam esse habendam; a minimis enim pendent maxima. Minima ergo da Deo, et ab eo obtinebis maxima; sin illa Deo neges et dos rebus terrenis, perdes maxima. Audi S. Ephrem, in sermone ascetico *De vita religiosa* : « O miraculum ingens, o obstupescendum! sicut namque leo animal generosissimum unico saltem capillo in terra vinctum tenetur atque humiliatur, ita profecto et ista virtus (quæ leoni comparatur) terrena qualibet cura, veluti capillo uno colligatur, et in terra marcescit atque vilescit. Quamobrem sobrium ac vigilem, carissime, te præbe; et teipsum vincens, manusque admovens, capillum in te illum exiguum ac vilem abscinde, ut non in derisum venias, quemadmodum Samson ille fortissimus, qui in uno momento ictu oculi, sola asini maxilla armatus mille viros occidit, et quasi unum capillum septenos validissimos funes amputavit, et seipsum a vinculis liberans, inimicos occidit, et Deo victoriam dedicavit; oratioque ejus maxillam asini in fontem aquæ convertit : hic autem licet tantus ac talis esset, adeoque multa præclara præstitisset, semetipsum tamen per imprudentiam hostibus vinctum tradidit; humiliatusque valde est, postquam crines ei ablati sunt, terribilesque illas suas et admirabiles vires colligavit ac perdidit. Quare et tu tibi ipsi attende, » etc.

Symbolice.

Hinc S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXVI, capillos Samsonis vocat « invicti crinis ornatum, prærogativam virtutis. » Et S. Paulinus *ad Cytherium* : « Samson, ait, vi capillorum potens, virtute crinitus sacra. » Et : « Ille recepit robur recretis crinibus. » S. Chrysostomus, hom. 17 *ex variis in Matth. locis*, capillos Samsonis appellat « arca-

num virtutis suæ martyrium,» id est testimonium.

An in solis capillis fortitudo Samsonis? Quæres, an Samsonis fortitudo in solis capillis, an etiam in reliquis cæremoniis Nazaræatus, ac præsertim in abstinentia a vino et sicera sita fuerit, ut si vinum biberet, fortitudinem amitteret, esto capillum intonsum servaret? Affirmat Abulensis, S. Basilius et alii mox citandi, et ratio est, quia ob Nazaræatum datum fuit ei hoc robur. Atqui Nazaræatus tam consistebat in abstinentia vini et siceræ, quam in coma intonsa, ideoque Deus abstinentiam hanc tam severe præceperat non tantum Samsoni, sed et matri ejus, cap. XIII, 4; idque ut doceret nos sanitatem et robur non consistere in vino, sed esse donum Dei, qui statuit ut abstinentia sit mater tam roboris et sanitatis, quam sapientiæ et sanctitatis, ut patet in priscis Anachoretis. Negat Serarius et alii. Ratio est quod Samson hic solum capillorum meminerit, in iisque suam fortitudinem sitam asseveret. Porro scivit hoc Samson indicante hoc matre, vel revelante Angelo, vel inspirante Deo. Utraque sententia est probabilis, sed prior probabilior.

Vers. 19. 19. AT ILLA DORMIRE EUM FECIT SUPER GENUA SUA. — Putat noster Delrio, lib. III *Disquisit. magic.*, part. I, quæst. II, Dalilam papaver aliaque soporifera Samsoni in cibo vel potu dedisse, ut fortius dormiret, nec expergisceretur in detonsione capillorum, idque a similibus mulierculis factitatum docet ex Virgilio, Apuleio et Cæsario. Addunt alii propinasse ei vinum, quod in Sorec, ubi ipsa habitabat, erat præstantissimum; nam « sine Cerere et Baccho friget Venus. » Et : « In vino luxuria, » ait Apostolus, *Ephes.* V, 18; « et Venus in vinis, ignis in igne furit. » Unde et Josephus Samsonem vocat ebrium; idem insinuant S. Ambrosius, *epist.* 70; S. Basilius, orat. 1 et 2 *De jejunio*, et Theodoretus, Quæst. L *in lib.* III *Reg.* Quod si verum est, jure meritoque Samson permissus est a Deo incidere in somnum, in eoque perdere comam, et cum ea fortitudinem, quia contra legem Nazaræatus vinum bibit, et contra legem temperantiæ plus æquo bibit. Negat tamen idipsum Abulensis, quia Scriptura nullam vini vel temulentiæ facit mentionem, factura utique, si ipse per eam Nazaræatum suum a Deo commendatum infregisset. Sed audi S. Basilium, homil. 1 *De jejunio* : « Quæ res fortissimum virum Samsonem inexpugnabilem reddidit? An non jejunium? Cum jejunio in utero matris conceptus est, cum jejunio educatus est, jejunio in virum adolevit, quod jejunium Angelus matri indixerat? Quidquid sequitur e vinea ne edat, vinumque et siceram ne bibat. Jejunium prophetas generat, potentibus addit robur. Jejunium legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. » Et *hom.* 2, exaggerat dicens : « Jejunium magnum illum Samsonem educavit, idque quamdiu viro adfuit, singulis conflictibus milleni hostes prostrati sunt, urbium portæ subruptæ sunt, leones robur manuum illius non sustinuerunt. At simul atque ebrietas ac scortatio corripuit hominem, captus est ab hostibus atque exoculatus, pro ludo expositus est pueris alienigenarum. » Ex quibus concludit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.* : « Quam pulchra res quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret! »

ET RASIT SEPTEM CRINES EJUS, — hoc est septem cincinnos quibus constabat, et in quos distincta erat Samsonis cæsaries, ne si tota sparsa diffluereret, oculos ejus totamque faciem velaret. Ita Abulensis. Alii per septem crines accipiunt omnes crines. Septenarius enim est symbolum universitatis.

Allegorice, sicut Dalila totondit crines Samsonis, sic Judæi per noctem Passionis Christi, illudentes ei ejus capillos vulserunt, vel raserunt, juxta illud *Isai.* L, 8 : « Genas meas dedi vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. » Item cum milites corona spinea comam ejus lacerarent.

Mystice S. Ephrem, tom. I, serm. *Adversus improbas mulieres* : « Septem crines in capite gestabat Samson, qui septiformе lumen designabant gratiæ. » Et postea : « Mysterium fortitudinis ipsius inter dormiendum noctu per dolum deprædans mulier, illum jam nudum atque inermem circumvenit. » Et pluribus interjectis, hæc mulieri malæ dat epitheta et malitiæ elogia : « Quid est mulier? Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ et malitiæ, mortifera conversatio atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni et concupiscentia præceps. Quid est mulier? Causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, eorum qui salvantur offensio, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitium lascivorum et officina dæmonum. Quid est mulier? Amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrenatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, nequitiæ et æterni supplicii conciliatrix. Quid mulier? Prudentia terrena, vini socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors, ut non immerito dictum sit a Sapiente : Brevis omnis malitia super malitiam mulieris. »

Epitheta mulieris malæ.

ET COEPIT ABIGERE EUM ET A SE REPELLERE; STATIM ENIM AB EO FORTITUDO DISCESSIT. — Tale est meretricum ingenium, ut virorum opes viresque exhauriant, mox inopes pauperesque repellant. En tibi ut tanta Samsonis virtus ab imbecilli mulierculæ prosternitur, et prostrata illuditur.

Nisi coma est Samsonis.

Ex hoc facto Samsonis et Dalilæ orta est historia, vel potius fabula Gentilium de Nisi Megarorum regis, sub idem hoc tempus regnantis, coma adeo cœlesti, ut, quamdiu eam servaret, nec vinci, nec regno pelli posset; sed Scylla Nisi filia, amore Minoris urbem obsidentis dementata, patri dormienti comam resecuit, itaque patrem et patriam hosti prodidit. Verum Minos Scyllam utpote tam infamem parricidam exhorruit, eamque pedibus colligatis in mare præcipitem dedit dicens:

> Di te submoveant, o nostri infamia sæcli!
> Orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur.

Ita ex Pausania, Servio, Apollidoro et aliis. Martinus de Roa, lib. V *Singul.* cap. VII, et Serarius, *Quæst.* XVI, qui et addit: Alii, ut Ovidius, tradunt eam furiis correptam et agitatam seipsam in pelagum præcipitem dedisse, ac ob Minois imprecationem in avem migrasse, qua quia Græcis κείρειν est tondere, suo sibi perpetuum dedecus ac infamiam nomine conflaret:

> Pluma fuit, plumis in avem mutata vocatur
> Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

Quibus omnibus quid significatur aliud, quam funestus facinorum omnium exitus, propudiosum scelerum dedecus, infamis libidinum merces? Et nostra quidem Ciris Dalila est, cujus etsi extrema ignoramus, imo et depensas ei a Satrapis pecunias videmus, vers. 18, nihil tamen dubitandum quin et diris conscientiæ agitata furiis suorum pœnas dederit flagitiorum.

Vers. 21. 21. QUEM CUM APPREHENDISSENT PHILISTHIM, STATIM ERUERUNT OCULOS EJUS, — ut si fortitudo ipsi rediret, illam et inutilem redderent, cum non videret quem feriret, itaque immunes et securi ab eo forent. Samson excæcatus a Philistæis fuit typus Christi oculis velati in Passione a Judæis illi illudentibus, æque ac excæcationis Judæorum, quæ inde secuta est. Ita S. Augustinus, serm. 107 *De Tempore*.

Juste congruaque pœna Samson privatur oculis, quia eis lascive aspexerat et concupierat Dalilam, quæ proinde justo Dei judicio ejus captivitatis et cæcitatis fuit causa. « Visu, ait S. Hieronymus in cap. XXVIII *Ezech.*, quia male fuerant abusi, Samson et Sedecias privantur; » nimirum libido excæcat oculos tum corporis, quia spiritus visivos exhaurit, tum potius mentis. Fuit tamen hæc pœna ei salubris; nam per cæcitatem oculorum corporis aperti sunt oculi mentis, ut ex pœna agnosceret culpam, de eaque pœniteret, pœnitensque Deum invocaret, itaque cum eo in gratiam rediens fortitudinem suam ab eo reciperet.

Tropologice, audi S. Gregorium, lib. VII *Moral.* cap. XIII: « Plerumque, ait, prius oculus contemplationis amittitur, et post per carnis desideria, hujus mundi laboribus animus subjugatur, prout testatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit ad molam deputatus est; quia nimirum maligni spiritus, postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt. » Et S. Brigitta, lib. IV, cap. CXXVI, a tribus hostibus Episcopo cavendum monet: « Quorum secundus pungit oculos, ut est, ait, pulchritudo mundi et possessiones terræ, apparatus rerum et vestium, favores hominum et honores. Cum enim omnia ista appetuntur et offeruntur, sic excæcant oculos animæ et rationis, quod dulcius videatur stare cum Samsone ad molam curæ mundialis, quam cum sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ pastoralis. »

Audi et S. Paulinum, *epist.* 4: « Cæcitate Samsonis, quam corporeis tantum captus oculis, spiritales non amisit, illuminor ad intellectum bonum, ut exemplo illius sciam quos magis debeam oculos habere. Non enim invocasset ille vir Dominum in suæ virtutis auxilium, nisi mentis oculos habuisset incolumes, quibus lumen est Christus, in cujus lumine videbimus lumen. » Et postea: « Et mortem mihi Samsonis et cæcitatem volo, ut vivam et videam Deo. Nam forsitan ille, receptis propter futurum mysterium in coma viribus, recipere simul, ut amiserat, oculos ideo non desideravit; quia virtus illa cœlestis gratiæ internis sana luminibus corporeo non egebat obtutu. » Unde ex cæcitate hoc morale elicit documentum: « Hoc igitur exemplo et nos contentis ad Dominum sensibus, carnales oculos sæcularium rerum aversione cæcemus, quibus orbari Propheta desiderabat, cum diceret: Averte oculos meos ne videant vanitatem. Et Dominus ipse oculis Judæorum cæcitatem præferens dicit: « Si cæci essetis, peccatum non haberetis. Reminiscamur qua pernicie illis in Paradiso oculi sint aperti; quos tamdiu habuerunt illuminatos Deo, quamdiu clausos habuere peccato. Nam tum demum pubertatis ut ætatis suæ hauserunt pudorem, cum bonæ conscientiæ castitatem cujus lumine vestiebantur, prævaricationis crimine perdiderunt. Et ideo veri luminis damnum est ad usum tenebrarum uti luminibus, et oculos in terrena defixos cæcare cœlestibus. Illuminatur autem anima tali cæcitate, qua despicit mundum, ut conspiciat Deum. »

VINCTUM CATENIS ET CLAUSUM (Hebraice, *ligarunt eum* נחשתים *nechustaim*, id est, *duobus æneis aut chalybeis vinculis*) IN CARCERE MOLERE FECERUNT. — « Molere, » id est, molas trusatiles (quibus olim frumentum commolebant mancipia in pistrino) eum versare et circumagere coegerunt.

Tropologice S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum*: « Qui peccatum operatur, ait, de mola vitæ suæ hostile triticum molit, ut Zabulum (id est, diabolum) pascat, cui panis fit anima, quæ sibi fames est. »

Rabbini moderni et prisci, teste S. Hieronymo in cap. XLVII *Isaiæ*, vers. 1, pro molere accipiunt actum venereum, quasi ad eum coegerint Phili-

stini Samsonem, ut ex eo simile semen, id est, proles fortes elicerent, ut scilicet ipse eis gigneret novos Samsones, qui Hebræis talionem redderent, eosque opprimerent, sicut Samson oppresserat Philistæos.

Verum apage hanc obscenitatem : illa se pascant Rabbini obsceni, æque ac Gentiles, qui teste Apollidoro, lib. II *Biblioth.*, tradunt Thestium regem filias suas quinquaginta Herculi dormienti supposuisse, « summa ope adnitens ut Herculis semine repletæ omnes sibi nepotes procrearent. » Idem tentarunt Saracenæ feminæ apud Patrem Gasparem Barzeum, Armuzii Samsonem, sed frustra, uti refert noster Trigautius in ejus Vita.

Vers. 22. 22. JAMQUE CAPILLI EJUS RENASCI COEPERANT. — Verisimile est, ait Abulensis, quod tunc Samson ad cor reversus, suæ fornicationis et imprudentiæ pœnitentiam egerit, ac rursum servaverit regulam vitamque Nazaræorum; itaque se Deo reconciliarit, ac crescentibus capillis paulatim donum fortitudinis recuperarit et a Deo receperit. Idem asserit Auctor *De Mirabilibus S. Scripturæ* apud S. Augustinum, lib. II, cap. VI, Arias, Serarius et alii. Hinc etiam colligitur Samsonem non diu fuisse detentum captivum; nam capilli resecti illico recrescunt.

Tropologice S. Paulinus, *epist. 4* : « Illam, ait, speciem, quæ in illo Samsone vel recrinito vel moriente retexitur, et in omnem Christi famulum convenire arbitror : homo enim qui præventus fuerit in aliquo peccato, et salubriter pœnitendo ad instaurationem gratiæ quasi capillis renascentibus revertitur, ponens ut arcum æreum brachia sua, id est, fidem spei veræ, et spem fidei non fictam, exercens idem ad prælium manus suas operibus pietatis, cujus exercitatio ad omnia utilis est; tum ut quibusdam bonæ conscientiæ et fidei firmæ lacertis valens audebit invadere, et poterit vertere inimicorum columnas : quæ quidem sunt columnæ hostilis domus quibus nititur, in qua velut nostri victor epulatur, illudens capiti, si membris nostris, ut armis suæ iniquitatis utatur.

Vers. 23. 23. UT IMMOLARENT HOSTIAS MAGNIFICAS DAGON DEO SUO.—Quis et qualis fuerit Dagon dicam lib. I *Reg.* cap. V, vers. 2.

Vers. 25. 25. ET ANTE EOS LUDERET. — Saltando motum et motionem agendo. Ecce Philistæi hic illudunt Samsoni quasi scurræ, uti Judæi Christo patienti, dicentes : « Prophetiza quis est qui te percussit? » Vide ad quam indigna deductus sit Samson Israelis judex et princeps. Unde Abulensis ejus sortem miserans, *Quæst.* XXXV, exclamat : « O admiranda Samsonis calamitas! o Judaici populi gravissima infelicitas et opprobrium! fortissimus ille virorum, atque toti populo stupendus, ipsoque nomine terribilis Samson, qui leones sævissimos facilimanus ictu domuerat, magnos hostilis exercitus cuneos fundens inauditam omnibus sæculis stragem egerat, et quod mirabilius est tanta facilitate, ut facilius sibi agere quam nobis cogitare foret. O nimis plangende vir, imo virorum flos, qui omnes viribus superans sola prudentia caruisti et miserabilis mulierculæ pulchritudine tractus, et fallacibus lacrymis deceptus in extremam decidisti sortem, ita ut cunctorum quos legerim, miserior factus, turpiter ab hostibus utroque privatus lumine, in æternum totius populi Hebræorum opprobrium ad molam asinariam molere cogaris. »

Porro quomodo Samson fuerit typus Christi, audi docentem S. Augustinum, serm. 107 *De Temp.* : « Samson Christum significabat. Verum mihi videor dicere, sed continuo occurrit cogitantibus : Et Christus vincitur blanditiis muliebribus? Et Christus quomodo dicitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde et Christus capite nudatur, capillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, excæcatur, illuditur. Evigila, fides, attende quid sit Christus, non solum quid fecerit, sed etiam quid passus sit Christus. Quid fecit? Operatus est ut fortis; passus ut infirmus. In uno intelligo utrumque, video fortitudinem Filii Dei; video infirmitatem filii hominis. » Et paucis interjectis : « Quædam fecit Samson ex persona capitis, quædam ex persona corporis, totum tamen ex persona Christi. In eo enim quod virtutes et mirabilia operatus est Samson, caput Ecclesiæ Christum significabat: in eo autem quod prudenter fecit, illorum qui in Ecclesia juste vivunt imaginem gessit. Ubi forte præventus est et incaute egit, eos qui in Ecclesia peccatores sunt figuravit. »

Vers. 26. 26. UT TANGAM COLUMNAS, QUIBUS OMNIS IMMINET DOMUS. — Samson hic typus fuit Christi manus extendentis ad duo crucis extrema, quibus collisit et oppressit dæmones, peccatum et gehennam. Sic ergo ipse suos interemptores interemptus oppressit, et illius passio facta est interfectio persequentium, ait S. Augustinus, serm. 107 *De Tempore*. Samson moriens typus Christi in cruce.

DOMUS. — Multi censent domum hanc fuisse sacram, sive templum Dagon. Nam, vers. 23, dicuntur Philistæi immolasse hostias deo suo Dagon, ibidemque epulati ob captum Samsonem; hostiæ autem immolabantur in domo sacra, puta in templo. Ita Suidas, Abulensis, Dionysius, Serarius, Salianus et alii. Hinc Philo, lib. *De Plantat. Noe*, docet olim convivari solitos in templo, ut cum Deo modeste et religiose convesci viderentur; additque, « ex hoc more » natam aiunt vocem μεθύειν (id est exhilarari, inebriari) quasi μετὰ τὸ θυειν (post sacrificium), « quia post sacra prisci demum indulgebant poculis. » Sic cap. IX, vers. 27, Sichimitæ in fano dei Berith inter epula et pocula maledicebant Abimelech; ibi ergo idolis suis immolabant, ibidemque idolothyta, id est idolis immolata comedebant, ut docet Apostolus, I *ad Cor.* cap. VIII, vers. 10. Ibi quoque laudes diis suis canebant, et deinde omni luxus et luxuriæ genere lasciviebant, uti fecere Hebræi adorantes vitulum aureum, *Exodi* cap. XXXII, et II *Machab.*

cap. VI, vers. 4; *Daniel.* cap. V, vers. 4. Idem testatur Virgilius *Æneid.*

Accedit quod domus privatæ non sint tam amplæ, ut capiant tria millia spectantium, nec habeant aulas tam amplas ubi Samson ludens a tribus millibus conspici potuisset : templa vero ad hoc capacia permulta sunt.

Vers. 27. 27. AC DE TECTO ET SOLARIO CIRCITER TRIA MILLIA. — Tecta enim in Palæstina erant plana, habebantque fenestras ita dispositas, ut per eas spectantes videre possent quidquid erat in infima domus parte, ut Samsonem hic saltantem. Ita Abulensis.

Vers. 30. 30. MORIATUR ANIMA MEA CUM PHILISTHIM. — Est synecdoche. Anima enim mori nequit, cum sit immortalis. Anima ergo quasi pars præcipua ponitur pro toto homine, *q. d.* Moriar ego. Aut certe anima mori dicitur non in se, sed in corpore, *q. d.* Moriatur anima corpori, ut illud deserat, nec amplius vivificet, *q. d.* Moriar ego, dummodo moriantur Philistæi. Opprimam ruina domus Philistæos hostes Israelis, etsi ego eadem opprimendus sim. Morte mea emam mortem hostium et vitam civium.

Samson non peccavit se occidendo. Resp. Primo. Dices : Samson hic occidit seipsum, ergo fuit sibi homicida; ergo peccavit mortaliter, cumque in hoc peccato obierit, est damnatus. Respondet S. Augustinus hic, et lib. I *De Civit.* cap. XXI, Samsonem non peccasse, quia se occidit ex Dei instinctu : Spiritus, inquit, latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat, adeoque hic preces ejus exaudivit, et pristinam fortitudinem ad id faciendum restituit.

Secundo. Respondeo *secundo* : Non peccavit hic Samson, quia columnas domus concussit hoc fine, ut ejus ruina omnes principes Philistinorum, plurimosque e populo opprimeret, itaque insignem hostibus suis cladem inferret. Licet enim ipse hic privatam tantum excæcationis suæ ultionem a Deo flagitet; tamen quia ipse publicus erat populi sui Judex vindexque, et quia Apostolus, *Hebr.* cap. XI, eum a fide et fortitudine commendat, et quia Deus hic supernaturaliter eum ad hanc ruinam adjuvit; hinc omnino verisimile est ipsum omnem hanc ultionem retulisse ad Dei honorem et Reipublicæ suæ bonum, utque laudes idolo Dagon a Philistæis ob se captum attributas adimeret et Deo vero restitueret.

Itaque Samson hic proprie et physice seipsum non occidit, uti fecisset si gladio se transfodisset, vel caput ad columnam allisisset; sed permisit tantum se communi cum hostibus ruina opprimi, sicut Eleazar videns elephantem regium illi se supposuit eumque occidit, ac ejus ruentis mole obrui se permisit, ut populum liberaret, lib. I *Machab.* cap. VI, vers. 46.

Nec etiam se occidit morali imputatione, quia directe intendebat Philistæos occidere, se vero indirecte et permissive tantum eadem clade, quam evadere non poterat, involvere, quod sicut magnæ fortitudinis fuit, sic et magna pro præteritis culpis fuit pœna et satisfactio. « Non eligitur, inquit Cajetanus, in hujusmodi casibus mors propria in seipsa, sed per se eligitur mors hostium, et concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum ultionis. Sic princeps exercitus, prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit. » Sic et Lyranus, et Franciscus Victoria, *Relect.* cap. X, *De Homicid.*, in fine; Dominicus Soto, lib. II *De Just.* Quæst. IX, art. 8; Lessius, lib. II *De Justit.* cap. IX, dub. 6, num. 33. Quid et S. Ambrosius, *epist.* 70, ait Samsonem, in morte seipsum vicisse : « Etsi incomparabilis, inquit, in hac vita fuerit, tamen in morte seipsum vicit, et insuperabilem gessit animum, ut contemneret et quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit quod victoriarum numero diem clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem invenit. Denique non telis, sed cadaveribus hostium pressus humatus est proprio tectus triumpho. » Hæc Ambrosius et S. Paulinus *ad Cytherium* : « Qui servus gloriante vixerat hoste, obruto victor cadit. » Denique Bachiarius, epist. ad Januar. *De recipiendis Lapsis*, Samsonem vocat martyrem, quod pro Dei religione et honore ultro occubuerit, sed abusive. Sic enim milites contra Hæreticos et Turcas pugnando occumbentes essent martyres, quod nemo dicet; martyr enim non pugnat, sed patitur. Samson non fuit martyr.

Symbolice, disce hic quam vanæ sint vires, æque ac opes omnesque res mundi. En tibi lacertosus Samson viribus suis periit. Sic et Milo Crotoniates, qui pugno ferocem taurum occidebat, eumque humeris ferebat per milliare, suis viribus occubuit. Nam senex effectus per sylvas vadens, volens experiri pristinas vires, cum quercum diffringeret, partibus distractis vi sua rursus coeuntibus captus et collisus est. Sic pugnacissimi milites pugnando, peritissimi natatores natando occumbunt.

Denique multi censent ex historia Samsonis Gentiles mutuatos esse gesta fabulasque sui Herculis; cum revera alius non fuerit Hercules, quam Samson. Ita Philastrius, lib. *De Hæres.* cap. VIII : « Pagani, ait, fortes viros ex Samsonis figura usurpantes, Hercules nuncuparunt. » D. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XIX : « Hebræorum judex Samson, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules. » Otho Frisingensis, lib. I, cap. XXV : « Fortissimum Samsonem, ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant. » Hercules est Samson.

Prob. Primo. Pererius in *Genes.* cap. XLIX, prophetia 6 : « Fuit talis revera Samson robore corporis ac fortitudine animi, qualem fuisse Herculem ambitioso mendacio finxerunt Græci. » Martinus de Roa, lib. V *Singularium*, cap. VII : « Herculis labores, vires et ærumnas ex Samsonis historia veteres depinxere. »

Probant *primo*, quia pleræque Gentilium fabulæ acceptæ sunt a S. Scriptura, ut fabulæ Titanum ex historia gigantum; diluvium Deucalionis ex

diluvio Noe; incendium Phaetontis ex incendio Sodomæ; campi hortique Elysii ex Paradiso terrestri, etc., uti docet Origenes lib. IV *Contra Celsum;* S. Justinus, *Apolog.* cap. I; Clemens Alexandrinus, cap. I *Strom.;* Tertullianus in *Apologet.;* Nazianzenus, *orat.* 20; S. Hieronymus in cap. V *Amos;* S. Augustinus, lib. II *De Doctrin. Christ.* cap. XXVIII.

Secundo. *Secundo,* quia Hercules dicitur vixisse eodem sæculo quo Samson. Unde Eusebius, Præfat. *in Chron.* : « Mihi, ait, videntur Hercules et Samson non multum inter se distare tempore, siquidem ambo circa Trojæ captivitatem fuerunt. » Sic et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XII : « His, ait, temporibus Hercules in Tyria alias Syria clarus habebatur. »

Tertio. *Tertio,* quia Hercules celebris erat, et colebatur quasi heros et deus magnus a Tyriis et Palæstinis, teste Herodoto, lib. I, cap. XX, Cicerone, lib. III *De Natura Deorum,* Plinio, lib. XXXVII, cap. V, et S. Augustino loco jam citato. Atqui ibidem, puta in Judæa, quæ Philistinis Tyriisque contermina est, floruit Samson. Rursum Hercules non gladio, sed clava pugnabat, unde cum clava pingitur. Sic et Samson non ense, sed maxilla asini, quasi clava Philistæos mactavit.

Quarto. *Quarto,* quia Hercules (Græce ἡρακλῆς) fuit symbolum solis; Samson autem Hebraice idem est quod parvus sol, uti dixi cap. XIII, vers. 24. Audi Macrobium, lib. I *Satur.* cap. XX. « Et revera Herculem solem esse vel ex nomine claret. Heracles enim quid aliud est nisi heras, id est aeris cleos, quæ porro alia aeris gloria est, nisi solis illuminatio, cujus recessu, profunditate occulitur tenebrarum? Præterea sacrorum administrationes apud Ægyptios multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes Herculem hunc esse. » Duodecim labores Herculis sunt duodecim signa Zodiaci, quæ sol quotannis percurrit et conficit.

Quinto. *Quinto* et maxime, quia gesta Herculis similia et quasi eadem sunt cum gestis Samsonis. Hercules enim leonem interfecit, unde et pingitur cum leonis exuviis, sic et Samson. Hercules ut se suosque liberaret, maximos subiit labores et agones : sic et Samson. Audi Serarium, *Quæst.* XXXVI. Herculis Nemæus leo, nonne Samsonis Thamnathæus leo est? Hydræ, Centauri, Stymphalides aves aliaque id genus commentitia, nonne Ascalonitarum, Gazæorum, Philistinorumque aliorum impetus innuunt, majoribusque omnia mendaciis cumulant? Quid duæ Herculis columnæ, nonne illæ duæ sunt, quas concussit et per quas quemdam velut malorum oceanum in Philistæos immisit Samson? Fœda item Herculis apud Omphalem servitus et effeminatio, de qua lib. III et VII *Contra Celsum* Origenes; cæteraque ejus vitæ impuritas, ac libido, nonne Samsonis in Gazæa meretrice ac Dalila petulantiam acerbamque servitutem clamat? Ejusdem vero Herculis post homicidia libidinesque pœnitentia, de qua idem Origenes, lib. III *Contra eumdem Celsum,* et Plinius, lib. XXXV, cap. XI, iteratæque per Thæstium et Eumolphum expiationes, ac Eleusiniorum sacrorum initiationes, quid nisi Samsonis pœnitudinem, sacrique Nazaræatus religionem ac renovationem indicat? Mors in Œta monte ultro ac sponte suscepta, de voluntario etiam Samsonis interitu non omnino nihil significat.

Denique in Samsonis vita plane cernitur illud Herculeum :

Melior mihi dextera lingua est.

30. MULTOQUE PLURES INTERFECIT MORIENS, QUAM ANTE VIVUS OCCIDERAT. — Occidit enim moriens omnes principes Philistinorum, et tria millia e populo. Minus vere ergo Philo Biblicus asserit eum moriendo oppressisse quadraginta millia hostium. Hoc est quod intendebat Samson, scilicet Philistinis ingentem cladem inferre, per quam Hebræos ab eorum servitute liberaret, etiamsi sciret se eadem ruina opprimendum. Morte ergo sua peperit vitam et libertatem populi sui. Atque hac in re fuit typus Christi, qui plures occidit moriens quam vivens; quia morte sua enervavit vires dæmonum, peccati, mortis, gehennæ, nosque ab eorum jugo liberavit. Nam, ut ait S. Paulinus, *epist.* 4 : « In Christi passione Zaboli (id est, diaboli) domus cecidit, et regnum mortis solutum est. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, solvens inimicitias in carne sua, et faciens utrumque unum, id est, hominem et Deum, quem in seipso connexuit Deus et homo Christus Jesus. » Vers. 16.

Sic Judas Machabæus in ultima pugna cum paucis contra plurimos confligens, et occumbens, plures occidit moriens quam vivens. Ita noster Edmundus Campianus Angliæ Samson, qui primus e Societate Jesu pro Orthodoxa fide generose occubuit, plures convertit moriendo sua pietate, modestia, fortitudine, hilaritate, quam vivens prædicando, uti mihi narrarunt oculati testes, imo tunc ab eo conversi. Ita Martyres plures occiderunt, imo vivificarunt moriendo quam vivendo, quia plures converterunt sua patientia, constantia, alacritate in morte, quam viventes suis exhortationibus; unde in Vitis Martyrum legimus jam centum, jam trecentos, jam mille, jam tria vel quinque millia fuisse ad Christum conversa : nimirum « sanguis martyrum semen est Christianorum, » ait Tertullianus in *Apologet.*

Huic simile est quod narrant Græci de suo Achille. Achilles enim ab Apolline telis confixus et lethaliter sauciatus, acrius invasit Trojanos, pluresque cecidit, alios in fugam egit, ita ut Trojani etiam ad ejus occisi cadaver, quasi adhuc spiraret cædes, non auderent accedere. Quin et moriens fugientes Trojanos compellans : « Heu meticulosi Trojani, inquit, ne mortui quidem meæ hastæ vos fuga subtrahere poteritis, sed mortis pœnas luetis vestris furiis. Ut dixit, illi exhorrue-

runt, perinde ac ut in montibus hinnuli vocem rugientis leonis expavescunt formidolosi, » ait Q. Calaberius, lib. III *Paralipom.*

Denique noster Salianus in *Epitaphio Mausolæi Samsonis* inter alia hæc ei dat elogia : « Samson heros mille prodigiis inclytus, imo totus ipse prodigium, etc. Columnas ingentes multorum millium sedem quassat et concutit, et cum universo Dagonis templo dejicit ac devolvit in præceps, et suis moriens oppressus trophæis, hostem ac servitutem populi sui eodem sepulcro concludit, in quo sol rutilans (Samson enim Hebr. idem est quod Sol) et orbitam suam nullo remorante decurrens, et cursum amisit et lucem. Anno mundi CIↃ CIↃ IↃ CCC IC, ætatis XXXIX, ante veri Samsonis ortum CIↃ CLIV. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mater Michæ dat ducentos argenteos ad conficiendum idolum; quare Michas fecit Ephod et Theraphim, unumque e filiis sacerdotem creavit. Mox, vers. 7, Levitam peregrinantem in domum recipiens, eumdem sui idoli sacerdotem constituit.

1. Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, 2. qui dixit matri suæ: Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri suæ quæ dixerat ei : Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile, et nunc trado illud tibi. 4. Reddidit igitur eos matri suæ, quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, et fecit ephod, et theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola; implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos. 6. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. 7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus, eratque ipse Levites et habitabat ibi. 8. Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ, 9. interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit : Levita sum de Bethlehem Juda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero. 10. Dixitque Michas : Mane apud me, et esto mihi parens ac sacerdos, daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quæ ad victum sunt necessaria. 11. Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis. 12. Implevitque Michas manum ejus, et habuit puerum sacerdotem apud se. 13. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti levitici generis sacerdotem.

Altera hæc est pars libri, in qua, post gesta Samsonis et Judicum, aliæ quædam historiæ, quæ sub idem tempus contigerunt, attexuntur; nimirum, cap. XVII, scelesta in tribu Ephraim idololatria; cap. XVIII, Danitarum expeditio, urbisque Lais expugnatio, ac lapsus in idololatriam; cap. XIX, tribus Benjamin stuprum; cap. XX, ejusdem excidium; cap. XXI, ejusdem restauratio.

Vers. 1. 1. FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM NOMINE MICHAS. — « Eo tempore, » quo videlicet gesta sunt quæ hoc libro Judicum continentur, quæ quia potissimum erant hujus libri argumentum, Auctor prius ordine enarrare voluit, et tam longam quinque sequentium capitum narrationem in finem libri rejicere. Ita Lyranus, Abulensis, Salianus, Carthusianus et alii.

Quando contigit idololatria Michæ?

Quæres, quando contigerunt ea quæ hisce capitibus seqq. recensentur? Respondet Serarius, *Quæst.* XIV, contigisse paulo post mortem Samsonis, antequam Heli ei succederet, uti hic collocantur. Verum alii passim censent contigisse ante tempora Judicum, paulo post mortem Josue, vivente Caleb, et majoribus illi coævis, ut colligitur ex cap. XX, 27, ubi dicitur hæc contigisse vi-

vente Phinees Pontifice, qui fui filius Eleazari filii Aaron, ac pene coævus Jesue. Et cap. XXIII, 30, consecratus dicitur sacerdos Jonathan filii Gersam filii Mosis : et ex eo quod tunc ab Hebræis necdum expugnata esset Jerusalem, quæ tamen expugnata legitur *Judic.* I, 8, ut patet cap. XIX, 11. Ita Abulensis, *Quæst.* I et XVI; Lyranus, Masius in *Josue,* cap. XIX, 47; Ribera in *Osee* cap. X, et alii. Rabbini vero hic inter se dissentiunt. Alii enim putant hæc accidisse sub Josue adhuc vivente, sed præ senio languente, nec idololatris obsistente; alii ut Raschi et Seder-Olam hæc collocant sub Othoniele; alii sub Aod secundo Judice : sed verius est hæc paulo ante Othonielem contigisse, nimirum paulo post mortem Calebi et Seniorum, qui *Josue* cap. ult. vers. 31, post Josue dicuntur multo vixisse tempore, puta quindecim, vel, ut Salianus, septemdecim annis : hi enim, si vixissent, non permisissent idololatriam publicam in Israelem induci. Unde sub iis Israel ibidem dicitur serviisse Deo : iis autem mortuis subintroiit idololatria, cujus origo et ingressus hic describitur; ob quam Deus illico in Israelem misit Chusan regem Mesopotamiæ, qui eum affligeret. Unde Israel afflictus, pœnitens ab idolis ad Deum rediit, Deusque misit Othonielem primum Judicem, qui eum a servitute Chusan liberavit, uti dictum est cap. III, vers. 8. Accedit quod Danitæ ideo quæsiverunt novas sedes in Lais cap. XVIII, quia ab Amorrhæis arctabantur in montibus, cum tribus Juda duce Caleb, ac cæteræ tribus Chananæos suos debellassent, uti narratum est cap. I, 34. Unde Josephus, lib. V *Antiq.* cap. II, post mortem Josue et bella Calebi, ac pacem a cæteris tribubus cum Chananæis initam, statim subjunxit hanc Danitarum contra Lais expeditionem. Quare historia quinque sequentium capitum recto temporis ordine ponenda fuisset ante caput secundum, scilicet immediate ante versum 35 capitis primi. Ita Salianus et alii, qui urgent quoque illud quod hic dicitur, tunc non fuisse rex, id est Judex et Princeps, ideoque quemlibet fecisse id quod ei libebat.

Objicit Abulensis : Hæc contigere ante Jerusalem ab Hebræis expugnatam, ut patet cap. XVII, vers. 11. Atqui Jerusalem expugnata est Caleb adhuc vivente, imo ab ipso Caleb, ut dixi cap. I, vers. 8; ergo hæc contigerunt ante mortem Caleb. Respondeo Jerusalem a Caleb quidem expugnatam, sed paulo post rursum a Jebusæis fuisse receptam; uti et aliæ urbes a Josue expugnatæ rursum a Chananæis fuere occupatæ, æque ac Gaza, Accaron et Ascalon a Philistæis, ut patet cap. XVIII. Aliam responsionem adjungam cap. XIX, vers. 11.

Hunc Micham videtur significare Sulpitius in *Chron.*, cum post Samsonem ponit Judicem *Simmichar*, quasi ab Hebræo aliquo audiverit מיכה שמו *Semo Michah*, id est *cujus nomen Michah*. Et huc Samsonis etiam apud Cedrenum successor trahi posset *Scamanes*, vel potius *Schamanes*, vel *Schamades*. Nam שמם *Schamam* hebraice vastare ac desolare est, *Schamad* perdere ac evertere. Quis vero Israelitarum vastator, desolator, perditor eversorque major et perniciosior, quam qui a vera illius fide abstrahit et ad idola pertrahit? Verum errat uterque; nam Michas non fuit Judex, sed potius hostis populi Dei; nec Samsoni alius successit quam Heli.

QUI (Michas) DIXIT MATRI SUÆ. — Fuit hæc mater vidua et vetula, utpote habens nepotem sacerdotem, ac cum filio suo Micha superstitiosa et idolorum cultui addicta. Rabbini nonnulli asserunt, vel potius fingunt illam fuisse Dalilam, quæ mille et centum argenteos, quos proditione Samsonis a Philistæis acceperat, ad idoli fabricam contulerit. Verum hæc longe ante Samsonem et Dalilam contigerunt, ut dixi.

2. MILLE ET CENTUM ARGENTEOS (scilicet siclos, id est totidem florenos Brabanticos) QUOS SEPARAVERAS TIBI, ET SUPER QUIBUS ME AUDIENTE JURAVERAS, ECCE EGO HABEO ET APUD ME SUNT. CUI ILLA RESPONDIT : BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO. — « Quos separaveras tibi, » id est quos seposueras ad futuros casus, vel necessitates aut commoditates occursuras. Hebræum est, *qui accepti erant tibi*; quod Vatablus, Pagninus, Arias, Cajetanus et alii exponunt, *qui tibi furto erant sublati*. Melius noster vertit, *quos acceperas* ut seponeres, id est, *quos separaveras tibi*. Vers. 2.

JURAVERAS, — id est jurando voveras te iis fabricaturum idolum. *Secundo,* « juraveras, » id est diris devoveras eum, qui tibi mille et centum argenteos furto subduxerat. *Tertio* et planius, « juraveras, » id est adjuraveras me, ut si quid scirem de hisce argenteis quos perdideras, id tibi edicerem. Casus est hic. Mulier hæc seposuerat ad futuros usus mille et centum argenteos : invenit eos et accepit; imo, ut multi jam citati volunt, furto surripuit filius ejus Michas : mater non inveniens suos argenteos adjuravit filium, ut diceret, numquid de his argenteis sciret. Filius ingenue confessus est eos invenisse, accepisse et habere. Unde mater ejus veracitatem collaudans ait :

BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO. — Per « Dominum » intelligit Deum, non Israelis verum, sed falsum fictumque, cui mox paravit idolum, ut sequitur. Hic enim in ipsius sensu erat *Jehova*, ut habetur in Hebræo. Nomen enim *Jehova* datur non tantum Deo vero, sed et falso; quem scilicet idololatræ habent, coluntque ut suum Deum, ideoque nuncupant *Jehova*, id est, Deum verum, ut patet ex multis Scripturæ locis. Nisi quis dicat mulierem hanc simul coluisse Deum verum Israelis, et idolum gentium, uti fecere Cuthæi sive Samaritæ, III *Reg.* XVII. Aut in honorem Dei veri fabricasse suum idolum, quasi minorem deum; nimirum reipsa jungens Deum dæmoni, volensque per cultum dæmonis honorare Deum : qui crassus et blasphemus fuit error, sed prius quod

dixi est verius. En tibi origo idololatriæ in Israele fuit mulier. Sic hæreses omnes a mulieribus vel cœperunt, vel propagatæ sunt, uti ex S. Hieronymo ostendi, II *Tim.* cap. III, vers. 6.

Vers. 3. 3. CONSECRAVI ET VOVI HOC ARGENTUM DOMINO, — id est, vel Deo meo Baal, vel Astaroth, etc., ut illi ex argento hoc statuam sive idolum conflari vel sculpi curem. Sic Græci et Romani colebant Jovem, Martem, Venerem, Mercurium, Saturnum, illisque multa idola statuebant, in quibus eos adorabant et consulebant, uti ostendi *Baruch.* VI.

ET FACIAT SCULPTILE ATQUE CONFLATILE. — Abulensis putat sculptile idem esse quod conflatile. Melius alii hæc distinguunt, censentque ex hoc argento facta esse duo idola : unum arte fusoria conflatum; alterum sculpendo effigiatum, ideoque illud conflatile, hoc sculptile dictum; nam hæc duo distinguuntur cap. XVIII, vers. 18.

ET NUNC TRADO ILLUD TIBI. — « Trado, » id est mox tradam, ut patet ex Hebræo. Mater ut filium ad reddendos 1 100 argenteos, quos invenerat et abstulerat, alliciat adigatque, asserit se illos vovisse Domino, ita tamen ut ipsa sua manu eosdem tradat filio, qui idolum quod voverat, fieri curet : sed mater argenteis omnibus a filio receptis, ducentos tantum idolo fabricando impendit, reliquos omnes sibi servavit. Unde filius Michas e suis opibus Ephod, id est vestes sacerdotales aliaque idola sibi fieri curavit. Ita Arias.

Vers. 5. 5. ET FECIT EPHOD ET THERAPHIM, — id est vestem sacerdotalem et idola. Nam per « Ephod, » id est superhumerale cum Rationali, velut præcipuam vestem sacerdotalem, cæteræ omnes significantur. « Theraphim » vero erant idola. Unde Aquila vertit, μόρφωματα, id est *figuras* vel *figurationes* : jam in his figuris vel figurationibus varia opera intellige opere sculptorio vel fusorio effigiata, sicut *opus Cherubim* hebraice vocatur *varium* varieque pictum. Ita S. Hieronymus, epist. *ad Marcellam de Ephod et Theraphim*, tom. III. Porro Septuaginta *Theraphim* nunc vertunt Εἴδωλα, nunc Κενοτάφια, nunc τὰ γλυπτά, nunc τὰ δῆλα, nunc ἀποφθεγγομένους; Chaldæa, *Genes.* XXXI, vertit *Silmœnaia*, hic *Demain*, id est *imagines et similitudines*. Erant ergo *Theraphim* idola domestica, quæ domi colebant, et quasi oracula consulebant de rebus arcanis vel futuris, quos Romani deos Penates et Lares vocabant. Audi quid de Alexandro Severo scribat Lampridius : « Si facultas esset, id est, si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in Larario suo (in quo et divos Principes, sed optimos, electos, et animas sanctiores, in queis et Apollonium, et quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham et Orpheum, et hujusmodi deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat. »

Theraphim quid ?

Addunt Arias, Cajetanus, Oleaster et Rabbini « Theraphim » fuisse hominum imagines ad hoc factas, ut superiorum virtutum sive cœlorum influxum reciperent, itaque futura pronuntiarent. Audi R. Eleazar : « Quare vocantur Hatteraphim? adducebant hominem primogenitum et mactabant, eique caput abscindebant, atque hoc sale et aromate condiebant, ac inscribebant super laminam auream nomen cujusdam spiritus immundi. Supponebant porro nomen illud sub lingua ipsius, eumque reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, et adorabant eum; ipse vero alloquebatur eos : » mussitando.

Citat hæc Elias in *Thisby*, et Lyranus. Verum hæc incerta sunt, et locis Scripturæ incongrua. Porro dicuntur *Theraphim* quasi *Seraphim*. Chaldæi enim Hebræam litteram *s* convertunt in *t*, aut ut R. Eleazar *theraphim* vocantur imagines probrosæ, turpes, putidæ, quales sunt idololatricæ; quia *theraph* Chaldæis significat *putrescere* et *probris afficere*. Unde *beth hatturpa* est *domus turpitudinis*, indeque latinum *turpe* et *turpitudo*. Vide quæ de Theraphim fuse dixi *Osee* III, 4.

Porro Philo Biblicus asserit Theraphim Michæ non unum, sed multa fuisse idola, per quæ pro variis varie ederentur oracula. Audi eum : « Fecit sibi effigies tres puerorum et vitulorum, et leonem, aquilam et draconem et columbam. Et factum est ut omnes qui seducebantur, venirent ad eum, et si quid voluissent pro uxore interrogare, per columbam interrogarent eum : si quis autem pro filiis, per effigies puerorum. Qui vero pro divitiis, per speciem aquilæ. Qui pro fortitudine, per leonis effigiem consulebant eum. Si autem pro pueris et pro puellis, per species vitulorum interrogabant : nam si pro longitudine dierum, per draconis effigiem interrogabant. Et erat iniquitas ejus multiformis, et irreligiositas ejus astuta. » Verum hæc incerta sunt; nam Philo hic, qui scripsit antiquitates Biblicas, est Pseudo-Philo, multaque incerta et fabulosa continet.

IMPLEVITQUE UNIUS FILIORUM SUORUM MANUM, ET FACTUS EST EI SACERDOS, — *q. d.* Michas unum e filiis suis, v. g. primogenitum (huic enim olim competebat jus sacerdotii), consecravit sacerdotem idoli a se fabricati. Implere enim manus alicujus, phrasi Hebræa significat consecrare eum sacerdotem : hoc enim fiebat implendo manus ejus tum donis et victimis, tum unctione olei, ut dixi *Num.* III, 3.

Vers. 7. 7. FUIT QUOQUE ALTER ADOLESCENS DE BETHLEHEM JUDA (est enim alia Bethlehem in tribu Zabulon) EX COGNATIONE EJUS (scilicet Juda, *q. d.* oriundus ex Juda), ERATQUE IPSE LEVITES. — Scilicet pater ejus erat ex tribu Levi, mater vero ex tribu Juda : poterant enim Hebræi, præsertim Levitæ, ex alia tribu uxorem ducere. Porro Levites hic fuit Jonathan ex patre Gersam nepos Moysis, uti audiemus cap. XVIII, vers. 30. Peccavit graviter tam Michas, quam Levites, quod passus sit se a profano Micha sacerdotem consecrari (Levitæ enim erant duntaxat ministri Sacerdotum, uti sunt jam Diaconi), idque idoli : sed huc eum adduxit inopia, et spes alimoniæ ac honoris a Micha sibi promissi. Unde sequitur :

Vers. 10. 10. ESTO MIHI PARENS AC SACERDOS. — Sacerdos

enim vocabatur « Pater, » reverentiæ causa; ipse enim laicis erat quasi pater spiritualis, id est sacrorum et salutis eorum curator, instructor, director, præpositus : simili modo discipulis patres sunt præceptores, civibus senatores, juvenibus senes, Reipublicæ principes, principibus consiliarii, religiosis superiores, pœnitentibus confessarii, populo prædicatores. Unde S. Augustinus, vel potius Gennadius; lib. *De Ecclesiæ moribus*, cap. XXXI : « Hi, inquit, patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibusque rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios suos vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. »

Hinc disce quanta apud idololatras quoque fuerit sacerdotum reverentia. Audi quid de Tartaris feris et barbaris scribat Alexander Guaginus in sua *Tartaria* : « Seiid supremus sacerdos dicitur, qui apud Tartaros in tanta auctoritate et reverentia habetur, ut reges ei advenienti occurrant, stantesque equo insidenti manus porrigant, capiteque inclinato manum illius osculentur, idque ipsis regibus permissum est. Duces vero non manum, sed genua. Nobiles pedes deosculantur; plebeii autem vestes tantum aut equum manibus attingunt. »

VESTEM DUPLICEM. — Chaldæa et Septuaginta, *par vestium;* Hebræa, *ordinem vestium,* id est duas vestes, quibus ex ordine uteretur, scilicet unam æstivam, alteram hybernam; aut unam ferialem, alteram festam; aut unam domesticam, alteram forensem. Ita Rabbini, Vatablus, Pagninus et alii.

12. ET HABUIT PUERUM SACERDOTEM; — scilicet Levitam illum, de quo vers. 7, qui puer, id est adolescens erat, sacerdotem constituit, et apud se detinuit. Patet ex Hebræo. Vers. 12.

13. NUNC SCIO, DICENS, QUOD BENEFACIET MIHI DEUS HABENTI LEVITICI GENERIS SACERDOTEM. — Imo maledicet tibi Deus : *primo,* eo quod idolum fabricaris; *secundo,* quod Levitam ad idololatriam tuo pretio illexeris; *tertio,* quod idololatriæ in Israele sis fons et origo, quæ per multa durabit sæcula; *quarto,* quod tu, cum sis laicus ex tribu Ephraim, ausus sis Levitam consecrare sacerdotem. En quot ibi sacrilegia! Vers. 13.

Hinc tamen disce quanta olim fuerit opinio, et religio status Levitici et Ecclesiastici. Vide S. Chrysostomum, hom. 18 *in Acta Apost.*, ubi suadet ut fideles domi sacerdotem alant : sic enim Deum benedicturum eis in bonis tam temporalibus quam spiritualibus.

Vere Tertullianus, lib. *De Præscript.* cap. XLI : « Ordinationes, ait (hæreticorum), temerariæ, leves, inconstantes, etc. Apostatas nostros hæretici collocant, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. » Et S. Hieronymus, lib. VI, in cap. XVI *Isaiæ* : « Falsa doctrina pro lucro cuncta facit. »

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Danitæ idola Michæ surripiunt, et Jonathan sacerdotem abducunt; inde ex inopinato irruentes in urbem Lais, eam capiunt et succendunt; ibique sedes figunt, vocantes nomine suo Dan, atque in ea idola collocant.

1. In diebus illis non erat rex in Israel, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea; usque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat. 2. Miserunt ergo filii Dan, stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saara et Esthaol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent; dixeruntque eis : Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi; 3. et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum : Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? 4. Qui respondit eis : Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos. 5. Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum. 6. Qui respondit eis : Ite in pace; Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum. 8. Reversique ad fratres suos in Saara et Esthaol, et quid egissent

sciscitantibus responderunt : 9. Surgite, ascendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam et uberem, nolite negligere, nolite cessare. Eamus et possideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa et Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis. 12. Ascendentesque manserunt in Cariathiarim Judæ, qui locus, ex eo tempore, Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim. 13. Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ, 14. dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, cæteris fratribus suis : Nostis quod in domibus istis sit ephod, et theraphim, et sculptile atque conflatile; videte quid vobis placeat. 15. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ qui erat in domo Michæ, salutaveruntque eum verbis pacificis. 16. Sexcenti autem viri, ita ut erant armati, stabant ante ostium. 17. At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus. 18. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos : Quid facitis? 19. Cui responderunt : Tace, et pone digitum super os tuum, venique nobiscum, ut habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel? 20. Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis. 21. Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, et omne quod erat pretiosum, 22. et jam a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt, 23. et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham : Quid tibi vis? cur clamas? 24. Qui respondit : Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia quæ habeo, et dicitis : Quid tibi est? 25. Dixeruntque ei filii Dan : Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas. 26. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas quod fortiores se essent, reversus est in domum suam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus; veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, 28. nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob; quam rursum exstruentes habitaverunt in ea, 29. vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur. 30. Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. 31. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.

Vers. 1. 1. TRIBUS DAN QUÆREBAT POSSESSIONEM SIBI. — Tribus Dan æque ac cæteræ possessionem suam sorte acceperat a Josue, cap. XIX, vers 40, versus mare et Philistinos; sed his acriter resistentibus, et Amorrhæis alia ex parte eos coarctantibus, ut dictum est cap. I, 34, non potuerunt Danitæ totam sortem sibi a Josue attributam occupare : quare videntes se in ea nimis anguste habitare, novas sedes quæsierunt, ac coloniam duxerunt in Lais; hoc est quod hic dicitur : « Sortem non acceperat, » id est armis capere et occupare non potuerat.

Vers. 6. 6. DOMINUS RESPICIT VIAM VESTRAM. — « Dominum » vocat suum idolum, sive theraphim : hujus enim erat sacerdos; unde illud consulens hoc ab eo responsum accepit, vel certe accepisse se finxit.

Vers. 7. 7. VENERUNT LAIS, — quæ *Josue* XIX, 49 (ubi per prolepsin sive anticipationem hæc historia narratur, cum posterius contigerit) vocatur *Lesem*, alibi *Laisa*, postea a Danitis vocata est *Dan*, factaque caput tribus Dan, et juncto utroque nomine *Lesem-Dan*, deinde *Paneas* est dicta a Paneade fonte, qui eam alluit. Denique a Philippo Tetrarcha in honorem Tiberii Cæsaris instaurata et ornata, appellata est Cæsarea Philippi, ubi Christus Petro se Filium Dei confitenti dixit : « Tu es Petrus, Urbs Dan est Cæsarea Philippi.

et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,» *Matth.* XVI. Erat urbs hæc loco amœnissimo sita inter duos rivos Jor et Dan, ad radices fere montis Libani. Unde Jeroboam in ea æque ac in Bethel posuit suos vitulos aureos. Erat enim ipsa terminus terræ Israel versus Septentrionem, sicut Bersabee versus Austrum; unde dicitur « a Dan usque Bersabee, » id est per totum Israel. Hic oritur Jordanis fluvius, ita dictus, quod confletur ex confluxu duorum rivorum, scilicet Jor et Dan, aut quasi ירת מדן *ioret middan*, id est, *descendens ex Dan*. Ex hac urbe oriunda fuit mulier illa sanguinis fluxum patiens, quam Christus tactu fimbriæ sanavit, *Matth.* IX, 20, quæ ibidem proinde statuam Christo erexit, ad cujus basin herba quædam nascebatur, quæ sensim crescens, ubi Christi fimbriam attigisset, quoslibet morbos curabat, teste Eusebio lib. VII *Histor.* cap. XIV. Ita Christus urbem Dan quæ tantorum monstrorum et multiplicis idololatriæ fuerat sedes, fidei quasi cathedram thronumque suum effecit.

VIDERUNTQUE POPULUM HABITANTEM IN EA ABSQUE ULLO TIMORE. — Tres hic dantur illecebræ et causæ, cur Danitæ Lais invaserint: *primo*, quod cives in ea habitarent securi, ideoque inermes; *secundo*, quod essent opulenti: *tertio*, quod separati a cunctis hominibus, qui eis auxiliari potuissent.

ET PROCUL A SIDONE, — itinere scilicet unius diei, ait Josephus.

Tropologice, disce hic quam periculosa sit nimia securitas: hæc enim allexit Hebræos ut perderent Lais. Rursum noctu maxime esse excubandum contra hostes. Hinc Græci noctu ceperunt Trojam. Audi Virgilium, lib. II *Æneid*:

> Invadunt urbem sumno vinoque sepultam.

Sic Cyrus Babylonios eorumque regem Baltasarem noctu invasit et occidit, *Daniel.* V, 30; sic Abraham super hostes irruit nocte, eosque percussit, *Genes.* cap. XIV, 15; sic Nisus noctu cum Euryalo invadens castra hostium, ait apud Virgilium, *Æneid.* IX:

> Euryale, audendum dextra: nunc ipsa vocat res.'

Ita quondam et Romani apud Athenæum, lib. V, noctem illunem observantes, ebrios Athenienses consopitosque invadunt et obtruncant. Ita denique et Gracchus apud Livium, lib. XXIII, silenti profectus agmine, castra campana ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit, diripit et evertit.

Vers. 12. 12. MANSERUNT IN (id est, juxta, ut patet ex sequentibus) CARIATHIARIM (id est, urbe sylvarum; erat enim locus sylvosus) JUDÆ. — Erat ergo hæc urbs non in tribu Juda, sed in confinio tribus Dan et Benjamin. Minus recte ergo Adrichomius eam collocat in tribu Dan.

Vers. 14. 14. THERAPHIM, ET (id est) SCULPTILE ATQUE CONFLATILE. — « Theraphim » enim erant idola sculpta, vel conflata ex auro, argento vel ære. Adde « Theraphim, » id est idola non solum fuisse sculpta vel conflata, sed picta quoque, malleo deducta, ex argilla a figulo efficta, aliave arte et modo effigiata et efformata, *q. d.* Erant in domo Michæ « Theraphim, » id est idola varia varie efficta, sed præsertim arte fusoria conflata et sculptoria exsculpta: hoc enim videtur exigere vers. 18, ubi dicitur: « Tulerunt sculptile, ephod, et idola atque conflatile. » Et vers. 20: « idola ac sculptile. » Denique « Theraphim » proprie erant idola, a quibus divinatio petebatur, ut dixi superius.

VIDETE QUID VOBIS PLACEAT, — super hac re scilicet, an idola hæc Michæ accipere, an ei salva relinquere velitis.

19. PONE DIGITUM SUPER OS TUUM, — *q. d.* « Digito compesce labellum, » sile: symbolum enim silentii est digitus ori superpositus. Unde Harpocrates deus silentii pingebatur quasi puer nudus, imberbis, indicem digitum dextræ manus ori imponens, sinistra vero cornu copiæ gestans, mythra redimitus. Vide Pierium. Vers. 19. Harpocrates deus silentii.

30. POSUERUNTQUE SIBI SCULPTILE, ET JONATHAN FILIUM GERSAM FILII MOYSI, AC FILIOS EJUS SACERDOTES IN TRIBU DAN. — « Filii Moysi. » Ita constanter legunt Latina Romana et cætera. Sed Septuaginta, Chaldæa et Hebræa moderna legunt, *filii Manasse*. Vers. 30.

Verum germana lectio est, *filii Moysi*, itaque habent vetera Hebræa, ut notarunt Rabbini, Cajetanus et Vatablus. «Gersam» enim fuit filius Moysi, ut patet *Exod.* II, 22. Cæterum Hebræi olim ut consulerent honori Moysi ne infamia tam gravis a nepote Jonathan, utpote sacerdote idolorum, illi quasi avo inureretur, ad marginem *Moysi* posuerunt *Manasse*, littera נ in vicinam מ conversa et mutatis punctis, itaque legere cœperunt *filii Manasse*, quasi significantes quod Jonathan, qui natura erat filius, id est nepos Mosis, tanto et tam sancto patre, hoc est avo indignus, potius dicendus esset filius Manassis regis idololatræ: filius inquam non natura, sed imitatione, aut potius impietatis similitudine. Nam alioqui Jonathan hic aliquot sæculis præcessit Manassen: quæ lectio marginalis tandem in textum Hebræum irrepsit, sed ita ut notetur circulo et littera נ elevata et suspensa; nimirum ut alia vetus lectio quæ habet *Moysi*, vera et germana esse indicetur. Hinc patet hæc non diu post mortem Josue contigisse; nam idoli hujus sacerdos erat Jonathan nepos Moysi, qui tum erat adolescens. Ita Josephus et alii citati cap. XVII, vers. 1.

Vide hic quam « heroum filii noxæ, » quamque a parentum virtute degenerent, fiantque perditissimi, ut merito parentibus optandum sit mori illiberes, quam tam infames post se liberos relinquere. En tibi Moses legislator, dux et propheta populi, fundator Synagogæ et avitæ fidei, post se reliquit nepotem Jonathan, qui factus est idolorum sacerdos primus, et princeps cæterorum qui eum in Israele deinde plurimi secuti sunt. En tibi

tam sancti avi tam sacrilegus nepos. Sic Adam pius post se genuit parricidam Cain, Ezechias Manassen, Josias Joachim, Salomon Roboam, Abraham Ismaelem, Heli Ophni et Phinees, Samuel degeneres filios, ob quos populus petiit regem quem Deus per Samuelem dedit Saulem.

Captivitas Danitarum quando?

USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUÆ. — Hebraice, *usque ad diem migrationis terræ*. Sic et Septuaginta. Quæres, quænam fuit hæc Danitarum captivitatis in qua finita fuit eorum idololatria? Sunt tres sententiæ: *Prima* accipit captivitatem Assyriacam, qua decem tribus, inter quas una erat Dan, a Salmanasare abductæ sunt in Assyriam anno sexto Ezechiæ regis, IV *Reg.* XVII, 2. Ita Seder Olam et Raschi.

Secunda censet peculiarem hanc fuisse tribus Dan captivitatem, quam alibi Scriptura non narrat. Ita Cajetanus.

Tertia asserit fuisse eo tempore, quo arca Dei sub Heli Pontifice capta est, et Hebræi ingenti strage cæsi et magna clade affecti fuere a Philistæis (tunc enim multi ab eis bello capti in captivitatem fuere abducti), tam ex tribu Dan quam ex cæteris tribubus. Ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, Arias, Serarius, Genebrardus in *Chronolog.*, Ribera in *Osee* cap. X. Probatur *primo*, quia id significant verba sequentia, quibus ait: « Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. » Atqui hæc fuit in Silo usque ad Heli et Samuelem. Ubi nota Josue arcam cum tabernaculo collocasse in Silo, quia Silo erat in tribu Ephraim, ex qua erat et Josue, ut sic facilius in sua præsens tribu Josue, servaret purum Dei cultum. Addit Josephus, lib. V *Antiq.* cap. X, id factum ob loci pulchritudinem. Mansit in Silo arca a sexto anno Josue usque ad ultimum Heli per annos 350.

Secundo, quia idolum hoc non fuit in tribu Dan usque ad Salmanasarem. Quomodo enim publicam hanc idololatriam in regno suo permisisset David rex piissimus et potentissimus? quomodo Samuel? quomodo Josaphat, Asa, Ezechias?

Tertio, si in Dan fuisset idolum Michæ, Jeroboam ibidem non collocasset suos vitulos aureos quasi idola; suffecisset enim ipsi idolum Michæ ad populum a Jerusalem in Dan abstrahendum. Porro vituli aurei ipsius substituti fuere huic idolo Michæ, ut facilius a populo reciperentur, utpote qui jam pridem ibidem idolum Michæ, auctoritate Jonathan sacerdotis, qui erat nepos Moysi et posterorum ejus, roboratum coluisset.

Minus recte ergo Cajetanus putat hic duo tempora vocari: unum, quo Jonathæ sacerdoti durarit posteritas, et hoc esse usque ad Daniticam captivitatem, de qua dictum; alterum, quo steterit Michæ idolum, et hoc fuisse ad Philistæam arcæ captivitatem, Helique mortem, uti jam dixi. Nam unum idemque tempus notari hic satis indicant ipsa verba textus, præsertim Hebraici, qui sic habet: *Et constituerunt sibi filii Dan sculptile et Jehonathanem filium Gersan, filii Mosis. Ipse* (Jehonathan) *et filii ejus fuerunt sacerdotes tribus Dan usque ad migrationem terræ* (1).

Idem ergo fuit terminus et finis Danitarum ac sacerdotis et sacerdotii idololatrici, ac consequenter idololatriæ apud eosdem Danitas, nimirum clades Israelis et captivitatis arcæ sub Heli; tunc enim plurimi ex Danitis et cæteris tribubus a Philistæis fuere in captivitatem abducti, ac inter alios idola hæc Michæ cum suo sacerdote, ut satis colligitur ex I *Reg.* IV, 10, et *Psalm.* LXXVII, vers. 61, ubi de hac strage agens ait: « Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem (arcam) eorum in manus inimici. »

31. IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL, — qui suo imperio et potentia idololatriam hanc punire et evertere posset. Impune ergo illa grassata est, et duravit per tempora Judicum usque ad Heli, quia Judices non habebant tantam auctoritatem et imperium, quanta ad hoc malum tollendum requirebatur. Hinc videtur quod Samuel sanctissimus atque zelotissimus propheta, creato rege Saule, omnibus modis apud eum egerit, ut ipse reliquias idololatriæ e domo Michæ ac toto Israele cum suis sacerdotibus tolleret; quod ipsum fecisse non est dubium, et satis significat Scriptura, I *Reg.* XXVIII, 9. Vers. 31.

(1) Nulla adversantium interpretum opinio probat hunc librum Judicum a Samuele non fuisse scriptum.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Uxore Levitæ ab incolis urbis Gabaa, qui erant e tribu Benjamin, infanda libidine occisa, maritus Levita, cadavere uxoris in duodecim partes dissecto et ad duodecim tribus misso, omnes concitat ad tantum scelus vindicandum. Est hæc secunda appendix ad librum Judicum, in qua recensetur historia stupri et belli Benjaminitici, quæ contigit eodem tempore quo præcedens Michæ, paulo post mortem Josue et Seniorum illius ævi. Nam, ut dicitur cap. XX, 28, *contigit tempore Phinees, qui patri Eleazaro (hic enim pro Josue consulebat Deum ex jussu Dei et Mosis* Num. *cap.* XXVII, *vers.* 21) *in Pontificatu successit sub idem tempus, quo Othoniel successit Josue. Videtur enim Eleazarus Josue coævus paulo post illum obiisse. Unde* Josue *cap. ult. vers. ult., ejus mors statim post mortem Josue recensetur. Sicut ergo idololatria Michæ et Danitarum accidit sub Jonathan nepote Mosis, ut audivimus cap.* XVIII, 30; *sic hæc historia excidii tribus Benjamin accidit sub Phinees nepote Aaronis; Aaron autem fuit frater Mosis. Ita Rabbini, Josephus, Abulensis, Lyranus, Serarius et Genebrardus in* Chronol. *Minus recte ergo Sulpitius et Arias censent hanc historiam contigisse tempore Heli Pontificis; Suidas sub Samsone, et Masius sub Aod secundo Judice, et alii sub Othoniele, qui fuit primus Judex.*

1. Fuit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda; 2. quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus. 3. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos, quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus, 4. et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. 5. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit, quem tenuit socer, et ait ad eum : Gusta prius pauxillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris. 6. Sederuntque simul, ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum. Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur. 7. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere. 8. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursum : Ore te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. 9. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer : Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum; mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam. 10. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus; sed statim perrexit, et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam. 11. Jamque erant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem, dixitque puer ad dominum suum : Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum, et maneamus in ea. 12. Cui respondit dominus : Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa; 13. et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. 14. Transierunt ergo Jebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa quæ est in tribu Benjamin; 15. diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio. 16. Et ecce apparuit homo senex revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Jemini. 17. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis, et dixit ad eum : Unde venis, et quo vadis? 18. Qui respondit ei : Profecti

sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem; et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere, 19. habentes paleas et fenum, in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum est; nulla re indigemus nisi hospitio. 20. Cui respondit senex : Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt; tantum, quæso, ne in platea maneas. 21. Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit; ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium. 22. Illis epulantibus, et post laborem itineris, cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est absque jugo), et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes : Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. 23. Egressusque est ad eos senex, et ait : Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia. 24. Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis; tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. 25. Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam; qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. 26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit. 27. Mane facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam, et ecce concubina ejus jacebat ante ostium sparsis in limine manibus. 28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur : Surge et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam. 29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel. 30. Quod cum vidissent singuli, conclamabant : Nunquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus; ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

Vers. 2. 2. QUÆ RELIQUIT EUM. — Noster Interpres תזנח *tiznach*, id est *reliquit*, elongavit se, jam legunt תזנה *tizna* per ה, id est *fornicata est*. Unde censent Rabbini eam a Levita dimissam fuisse ob adulterium. Verum hujus criminis nec Septuaginta, nec Chaldæa, nec Josephus meminerunt. Septuaginta vertunt, *irata est ei;* Chaldæa, *contempsit eum*. Josephus ait eam discessisse a marito ob ejus zelotypiam. Verisimile est inter eos fuisse mores diversos, indeque simultates, lites et jurgia, qualia inter conjuges crebra sunt, ideoque uxorem a marito secessisse ad suos parentes. Id colligitur ex illo vers. 3 : « Secutusque est eam vir suus volens reconciliari ei. »

Vers. 10. 10. ET CONCUBINAM, — id est, uxorem secundariam.

Vers. 12. 12. NON INGREDIAR OPPIDUM GENTIS ALIENÆ, — puta Jerusalem, quæ tunc occupabatur a Jebusæis; licet enim illa expugnata sit a Caleb, *Judic.* cap. I, vers. 8, tamen postea eam recuperarunt Jebusæi. Aut potius Caleb urbem Jerusalem quidem expugnavit, sed non arcem Sion; hanc enim diu post expugnavit David. Quare Jebusæi tenentes arcem dominabantur urbi, in qua mixtim habitabant Judæi et Jebusæi, puta Benjaminitæ, uti diserte dictum est cap. I, vers. 21, et *Josue* cap. XV, vers. ultim. Hac ergo de causa Levita hic noluit pernoctare in Jerusalem, ne cum Jebusæis idololatris versari cogeretur.

Vers. 15. 15. ET NULLUS EOS RECIPERE VOLUIT HOSPITIO. — « Mentior, inquit S. Ambrosius lib. V *Hexam.* cap. XVI, si non Sodomitis hæc fuit causa supplicii, inhospitalitas; » imo *Ezechiel.* cap. XVI, vers. 49 : « Hæc, ait, fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant. »

Vers. 16. 16. FILII JEMINI, — id est *filii Benjamin*, hic enim per aphæresin primæ syllabæ *ben* vocatur *Jemini*.

Vers. 18. 18. VADIMUS AD DOMUM DEI, — ad tabernaculum et arcam fœderis in Silo, devotionis gratia, ut ibidem invocato et adorato Deo, inde incolumes redeamus domum in montem Ephraim.

Vers. 19. 19. HABENTES PALEAS ET FENUM. — Hinc liquet tum in Judæa non fuisse publica hospitia, sed proficiscentes rerum annonam detulisse, ac apud amicum vel civem aliquem hospitium quæsivisse, uti etiamnum fit in Turcia, Tartaria, Scythia, etc.

Vers. 22. 22. FILII BELIAL, ID EST ABSQUE JUGO, — scilicet homines effrænes, impii, scelesti. Vide quæ de Belial dixi II *Corinth.* cap. VI, vers. 15.

Vers. 24. 24. HABEO FILIAM VIRGINEM, ET HIC HOMO HABET CONCUBINAM, EDUCAM EAS AD VOS. — Quæres, an peccarit hic vir offerendo libidini Gabaonitarum filiam suam, et maritus Levita educendo uxorem suam ad evadendam sodomiam? Respondeo, licite eos potuisse volentibus inferre graviorem injuriam, offerre minorem ad redimendam graviorem. Minor autem injuria erat violari filiam vel uxorem, quam virum libidine nefanda, eumque hospitem, violando simul jus hospitii, quod tum temporis sanctissimum erat et inviolabile : sic volenti committere adulterium licet suadere fornicationem cum meretrice, ac volenti committere majus peccatum suadere minus. Hoc enim consilium prudens est et honestum, non enim suadetur hic minus malum absolute, sed sub conditione hac : si vis plane committere majus peccatum, committe potius minus; quod est objectum hujus consilii prudens, et viro cordato dignum. Ita S. Chrysostomus, homil. 27 *ad Populum*, et homil. 43 *in Genes.*, illi qui assuetus est jurare per Deum, suadet ut juret potius per caput suum. Et S. Augustinus, lib. II *De Adulter. conjug.* cap. XV : «Si facturus est, ait, quod non licet, jam faciat adulterium, et non homicidium,» id est, faciat minus peccatum, potius quam majus; idem docet S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VI; S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. XX, ac diserte Cajetanus hic; Barth. Fumus, in *Summula Casuum*, verbo *Tyrannus;* D. Soto, lib. VI *De Justitia*, Quæst. I, art. 5; Adrianus, quodlibet I, *Quæst.* II; S. Thomas, Quæst. *De Malo*. Vide Navarrum, cap. XIV, num. 40, in fine. Hoc in genere, jam in particulari.

Respondeo *secundo*, videri virum hunc peccasse contra pietatem. Hæc enim dictat patri ut filiæ suæ pudori et bono consulat, potius quam hospitis externi, etiamsi gravior injuria ei inferenda sit; et contra justitiam, si ea invita et repugnante (uti fieri solet) violandam obtulit; et contra charitatem, si in filia erat periculum consensus in delectationem veneream. Ita Lyranus, Abulensis, Dionysius et Pererius in cap. XIX *Genes.* vers. 5, ubi simile dixi de Lot offerente filias Sodomitis ad liberandos hospites. Quod si periculum consensus non erat in filia, ipsaque sponte patri sese submiserat, aut ad tantum nefas evitandum etiam obtulerat, et hoc probrum sustinendum, nullum omnino fuit peccatum.

Denique animi perturbatio, incogitantia et inopia consilii culpam viri hujus valde imminuerunt.

Magis excusandus est Levita qui, ut propriam injuriam infandam evaderet, obtulit uxorem ad stuprum, si ipsa ad hanc sui oblationem (ad quam non obligabatur) consensit. Quisque enim potius a se prohibere debet injuriam, præsertim tam nefariam, quam ab alio, puta ab uxore. Charitas enim incipit a seipso.

Vers. 25. 25. QUOD CERNENS EDUXIT, — ut objecti præsentia et feminæ pulchritudine illecti abstinerent a viro, nec ulterius quid peterent, uti reipsa factum est : ita Abulensis; et forte incolæ Gabaa petebant virum simulate, ut femina quam appetebant, et cujus per forum transeuntis miram pulchritudinem viderant, eis offerretur, uti asserit Josephus.

Fuit hoc ingens scelus, quod proinde totius pene tribus excidio Deus vindicavit. Unde de eo dicitur *Osee* cap. IX, vers. 9 : « Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur (Dominus) iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. »

Vers. 29. 29. IN DUODECIM PARTES AC FRUSTA CONCIDENS, MISIT IN OMNES TERMINOS ISRAEL, — puta ad duodecim tribus, cuique tribui unam partem. Non peccavit hic maritus, quia non concidit uxorem ad dehonestationem corporis ipsius, sed potius ad honorem illi restituendum per vindictam tanti flagitii, quæ paulo post reipsa secuta est : nam hac concisione omnes excitavit ad ultionem. Ita Abulensis.

Hoc Levitæ factum exemplumque citat S. Athanasius, epist. *ad Orthodoxos;* similique modo Arianorum nefanda scelera contra Catholicos commissa recensens, eosdem excitat, ut Arianos detestentur.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Undecim tribus bellum inferentes Benjaminitis ad vindicandam nefandam eorum libidinem, secundo ab eis cæduntur, tertio tandem aggressu eosdem cædunt usque ad internecionem, sexcentis duntaxat fuga in solitudinem elapsis.

1. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha; 2. omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum (3. Nec latuit filios Benjamin, quod ascendissent filii Israel in Maspha). Interro-

gatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, 4. respondit : Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti : 5. et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ; quia nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel. 7. Adestis, omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit : Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum; 9. sed hoc contra Gabaa in commune faciamus : 10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur. 11. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio. 12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent : Cur tantum nefas in vobis repertum est? 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum : 14. sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent. 15. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa. 16. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, ut dextera præliantes; et sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadraginta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam. 18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo; consulueruntque Deum, atque dixerunt : Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus : Judas sit dux vester. 19. Statimque filii Israel, surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa. 20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt. 21. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum. 22. Rursum filii Israel fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt. 23. Ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum, et dicerent : Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit : Ascendite ad eos, et inite certamen. 24. Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent, 25. eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa; et occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent. 26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino; jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, 27. et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28. et Phinees, filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum atque dixerunt : Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus : Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa; 30. et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt. 31. Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros; 32. putaverunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. 33. Om-

nes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt, 34. et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin; et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. 36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant. 37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cedentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut, postquam urbem cepissent, ignem accenderent; ut, ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. 39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris), 40. et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammas in sublime ferri; 41. qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin in fugam versi sunt, 42. et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus; sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum est ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad Orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores. 45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem; et pergebant ad Petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Et sic factum est ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. 47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri, sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. 48. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

Vers. 1. 1. EGRESSI ITAQUE SUNT OMNES (id est, plurimi, omnes qui commode domo abesse egredique poterant) AD DOMINUM IN MASPHA. — Quatuor erant urbes in Judæa dictæ *Maspha*, id est, *specula*, ait Abulensis, qui Galaaditicam hic intelligit. Melius alii accipiunt illam quæ erat in confinio tribus Judæ et Benjamin; hæc enim erat vicina Gabaæ, quam punire volebant, æque ac urbi Silo, ubi erat tabernaculum fœderis cum arca, quod ex Maspha videri poterat. Erat enim Maspha in loco alto quasi specula; unde ibidem dicuntur « congregati ad Dominum, » eminus in tabernaculo supra arcam residentem. Adde in tota Synagoga simul collecta ad causam piam, uti hic erat, Deus aderat, illique præerat. Unde ad eam convenientes dicebantur « congregari ad Dominum. » Hinc et alias sæpius Hebræi comitia celebrarunt in Maspha, ut patet I *Reg.* VII, 10; *Jerem.* XL; I *Machab.* III, 47, ubi et causa additur cum dicitur: « Locus orationis erat in Maspha ante in Israel, » *q. d.* Esto in Silo esset tabernaculum cum arca, tamen in Maspha erat Synagoga, sive locus orationis, ideoque eo quasi ad Synagogam sive proseucham convenerunt Israelitæ. Unde Rabbini Synagogarum originem referunt ad Synagogam celebrem et principem, quæ erat in Maspha.

Vers. 2. 2. OMNESQUE ANGULI POPULORUM, — hoc est omnes populi habitantes in suis locis, quasi angulis. Sic hodie vocantur *Cantones*, id est, Anguli Helvetiorum. Rursum et potius *omnes anguli*, id est, omnes primores, præfecti et duces populorum, omnes principes tribuum, ait noster Salazar in *Proverb.* cap. I, vers. 21, num. 229. Hi enim populum in unione et officio continent, sicut anguli stringunt continentque totam domum. Hinc angulus pro principe sumitur, ut cum

Christus dicitur « factus in caput anguli, » et esse « lapis angularis, » id est, columna, basis et princeps Ecclesiæ, *Psal.* CXVII, 22, et *Matth.* XXI, 42; et cum Isaias ait cap. XIX, vers. 13: « Deceperunt Ægyptum angulum (id est principem) populorum. » Et Zacharias, cap. X, vers. 4: « Ex ipso angulus, » hoc est, ex Juda prodibit princeps, puta Judas Machabæus. Similia sunt *Sophoniæ*, III, 6, et I *Reg.* XIV, 38.

Vers. 12. 12. ET MISERUNT NUNTIOS AD OMNEM TRIBUM BENJAMIN, — per universas urbes et cognationes Benjaminitarum.

Vers. 15. 15. INVENTIQUE SUNT VIGINTI QUINQUE MILLIA DE BENJAMIN. — Hebræus et Chaldæus habent 26 *millia*, quibus consentit Lyranus et Abulensis. Sed Septuaginta æque ac Latina Romana constanter legunt 25 *millia*: atque his plane consentit numerus cæsorum et superstitum vers. 35 et 47. Denique facile חמשה *chamissa*, id est *quinque*, depravari potuit in ששה *vescissa*, id est *et sex*.

Vers. 16. 16. QUI (incolæ Gabaa) SEPTINGENTI ERANT VIRI FORTISSIMI, ITA SINISTRA UT DEXTRA PRÆLIANTES, ET SIC FUNDIS LAPIDES AD CERTUM JACIENTES, UT CAPILLUM QUOQUE POSSENT PERCUTERE. — Est hyperbole, *q. d.* Peritissimi erant fundæ, ut ea jacientes lapidem, certo scopum configerent. Ita Lyranus, Abulensis, Cajetanus. Tales quoque erant incolæ Balearium insularum, qui a teneris exercebantur in jactu fundæ, adeo ut pueri jentare non possent, nisi jentaculum eminus positum funda dejecissent, teste Strabone. Audi quid de Commodo Imperatore scribat Herodianus: « Cervos et damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac prævenia fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero et pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne jaculis confodiebat, sic ut nec telum quispiam secundum, nec vulnus viderit nisi lethiferum. Nam ut primum se fera concitaverat, statim illam vel in fronte vel in corde sauciabat, nullo præterea usus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic ut pariter cum vulnere ipso conficeretur. » Plura tam peritorum sagittariorum exempla recensui *Thren.* III, vers. 12.

Vers. 18. 18. JUDAS SIT DUX VESTER. — « Judas » id est, tribus Juda, ejusque princeps.

Vers. 23. 23. FRATRES MEOS. — Hostes vocant fratres, ut ostendant quod, licet vitio sint punienda, natura tamen est diligenda, ait Lyranus. Hinc hostis olim erat hospes; unde Italicum *hoste*.

QUIBUS ILLE RESPONDIT: ASCENDITE AD EOS ET INITE CERTAMEN. — Mira Dei ordinatio: jubet enim undecim tribus semel cæsas a Benjaminitis ad 22 millia vers. 21, iterum eos aggredi, et ab eis rursum cædi ad 18 millia vers. 25, et tamen illæ bellum justum piumque agebant.

Probi in bello cæduntur ob

Cur hoc? *Prima* causa fuit, ut præterita eorum peccata castigaret, ac nominatim quod permisissent idolum Michæ: item cultum Baalim et Astaroth, cap. II et III. Ita Hebræi, Lyranus et Abulensis. tres causas.

Secunda innuitur vers. 22, quod scilicet nimis in sua fortitudine et numero confiderent: ut discerent Dei esse victoriam, eamque ab eo dari sæpe paucis et debilioribus contra plures et potentes.

Tertia, ut castra undecim tribuum, in quibus multi erant scelerati, a fæce expurgaret; itaque digna redderet, quibus victoriam largiretur: utque probaret et excitaret eorum fidem et obedientiam, quæ sane hic magna fuit; nam licet secundo cæsi, tertio tamen bellum Dei jussu instaurarunt, ideoque victores evaserunt. Audi S. Gregorium, lib. XIV *Moral.* cap. XIII: « Quid est quod in ultionem sceleris inflammatur Israel, et tamen prius ipso prosternitur: nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur; ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant? » Confirmat exemplo adulteræ, cujus accusatoribus ait Christus Dominus: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, » *Joan.* cap. VIII, 7, de quibus S. Gregorius: « Ad aliena, inquit, punienda peccata ibant, et sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. »

Denique ut ostenderet se supremum esse necis et vitæ omnium Dominum; itaque omnes sacro sui metu et reverentia percelleret, uti et factum est. Vide Origenem, homil. 14 *in Numer.*; S. Augustinum, lib. V *De Civit.* cap. XXI et XXII; Salvianum, lib. *De Providentia;* S. Gregorium, lib. XXI *Moral.* cap. III; S. Ephrem, tom. I, serm. *De Patientia.*

Similibus de causis Deus permisit, in bello contra Pharaonem infidelem inito, occidi Josiam piissimum regem Juda; et Ladislaum regem Hungarorum ab Amurathe Imperatore Turcarum in clade Varnensi; ac S. Ludovicum regem Franciæ, volentem recuperare terram sanctam, a Soldano Ægypti capi, et in secunda expeditione peste mori, ut miram ejus patientiam acueret, eamque toti mundo ostenderet, et mox in cœlis coronaret, quam sane præ aliis heroicis ejus virtutibus ego admiror et veneror. Sic S. Bernardus ante S. Ludovicum, jussu Dei incitavit Christianos ad capessendam eamdem in terram sanctam expeditionem, quæ tamen male cessit cæsis Christianis. Unde S. Bernardus a multis impostor audivit; sed ipse se tutatus est, ostenditque per miracula hanc fuisse Dei voluntatem, ut ipse citans hanc Israelitarum geminam cladem narrat lib. II *De Consid. ad Eugenium*, sub initium.

Vers. 26. 26. JEJUNAVERUNTQUE DIE ILLO USQUE AD VESPERAM. — Ex hoc loco et ex II *Regum* cap. I et IX, liquet Hebræos in jejunio solitos jejunare usque ad vesperam. Ex qua consuetudine fluxit superstitiosa observatio Saracenorum, Turcarum et Judæorum posteriorum, qui, cum jejunant, non

ante cibum sumere solent, quam stellam Veneris sive Hesperum (hanc enim colunt Saraceni) conspexerint, ut de Judæis refert S. Hieronymus, libro II *Contra Jovin.*, et Tertullianus, lib. *Contra Psychicos*, sub finem. De Saracenis idem liquet ex cap. II *Alcorani*.

Ad vesperam quoque olim jejunabant Christiani : unde in hujus rei memoriam etiamnum vesperæ in jejunio quadragesimæ ante prandium recitantur; quasi prandium, quod deinde sequitur, non tam prandium quam cœna sit.

Vers. 37. 37. QUI CUM REPENTE. — Intricatus est hic ordo et series historiæ, sed eum sic extrices et digeras cum Lyrano et Abulensi. Israelitæ se diviserunt in tres turmas sive partes, inæquales tamen : una fuit insidiarum, quæ positæ erant a tergo urbis Gabaa, ut Benjaminitis ad Israelitas insequendum egressis, urbem ipsam ingrederetur et succenderet. Altera turma erat decem millium, quæ Benjaminitas urbe elicuit, ut prior turma insidiarum jam dicta urbem intercipere posset, quæque eos ad tertiam turmam, sive aciem numerosissimam totius reliqui exercitus ad duas semitas consistentem, simulate fugiendo deduxit, dum urbis captæ signum a prima turma per fumum daretur : quo facto converterunt se, et omnes turmæ sive acies Benjaminitas aggressæ sunt, ex eisque interemerunt 25 millia, et insuper centum viros.

Vers. 48. 48. A VIRIS USQUE AD JUMENTA.— Hinc patet parvulos omnes feminasque fuisse occisos, tam in Gabaa, quam in omnibus aliis urbibus et viculis Benjamin, idque clarius liquet in Hebræo. Fecerunt ergo tribum Benjamin anathema, quale præcipitur faciendum in crimine publicæ idololatriæ, *Deuter.* XIII, 15. Et quanquam hic legis illius et vindictæ metas modumque undecim tribus excesserint occidendo mulieres et parvulos innocentes; divina tamen providentia id permissum est ad puniendam Sodomiticam et effrænem Gabaanorum libidinem, simul et rebellionem audacem et temerariam unius tribus Benjamin contra cæteras undecim.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jurant undecim tribus se non daturas Benjaminitis filias suas in uxores; unde mox dolentes de tribus illius interitu, sexcentis viris ex illa reliquis uxores dant 400 *virgines ex clade Jabes Galaad reservatas, et ducentas Siluntinas ex raptu.*

1. Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt : Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes : 3. Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4. Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare; obtuleruntque ibi holocausta et pacificas victimas, et dixerunt : 5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. 6. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere : Ablata est tribus una de Israel, 7. unde uxores accipient? Omnes enim in commune juravimus non daturos nos his filias nostras. 8. Idcirco dixerunt: Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse. (9. Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) 10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis : Ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. 11. Et hoc erit quod observare debebitis; omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros interficite; virgines autem reservate. 12. Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri torum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan. 13. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon; et præceperunt eis ut eos susciperent in pace. 14. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad; alias autem non repererunt, quas simili modo traderent. 15. Universusque Israel valde doluit, et egit

pœnitentiam super interfectione unius tribus ex Israel. 16. Dixeruntque majores natu : Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt, 17. et magna nobis cura, ingentique studio providendum est ne una tribus deleatur ex Israel. 18. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione qua diximus : Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin. 19. Ceperuntque consilium atque dixerunt : Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt : Ite, et latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis : Miseremini eorum; non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. 23. Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum : et juxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas, abieruntque in possessionem suam, ædificantes urbes, et habitantes in eis. 24. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel; sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Vers. 4. Altare hoc an licitum ?

4. ALTARE. — Non peccarunt, quia in sanctuario altare hoc erexerunt. Jam autem, *Deut.* XVI, 2, tantum vetatur ne extra sanctuarium hostias in altari immolent. Adde illud præceptum latum esse a Deo ob periculum idololatriæ; hic autem nullum ejus erat periculum. Unde videtur hic in illa lege fuisse dispensatum. Ita Abulensis. Cajetanus censet eos non aliud novum altare fabricasse, sed istud quod erat in tabernaculo restaurasse. Quarto et optime dicas hoc novum altare erectum ob necessitatem. Cum enim omnes tribus congregatæ essent, ac singulæ plures vellent Deo offerre hostias, unum altare tabernaculi ad eas capiendas non sufficiebat. Quare necessum fuit aliud altare erigi, ut omnibus satisfieri posset. Hic autem casus necessitatis censebatur exceptus a lege illa communi unius altaris. Unde Salomon in simili necessitate aliud altare erexit, III *Reg.* VIII, 64. Alias vero ad hoc opus fuit peculiari Dei instinctu et dispensatione, per quam Samueli in Rama, Galgala et Bethlehem sacrificare licuit, II *Reg.* VII, 11 et 16; Davidi in Area Ornan, II *Reg.* XXIV; Eliæ in monte Carmelo, III *Reg.* XVIII.

Vers. 6.

6. DUCTIQUE POENITENTIA, — non proprie dicta : nec enim peccarant occidendo Benjaminitas, sed *pœnitentia*, id est Dolore, *q. d.* dolentes unam tribum Benjamin pene exstinctam in Israel; Deus enim volebat omnes duodecim tribus conservari, tum ad honorem Abrahæ, Isaac et Jacob patriarcharum, tum ad robur et plenitudinem Synagogæ, æque ac Reipublicæ Israelis; tum ob mysteria numeri duodenarii, præsertim quia duodecim tribus, et Patriarchæ earum capita et principes fuere typus duodecim Apostolorum; tum denique quia ex Benjamin nasciturus erat Saul, quem Deus destinaverat primum regem Israelis, et S. Paulus Doctor Gentium, ac duodecim millia signati, qui tempore Antichristi convertentur, eique resistent, *Apocal.* VII, 8. « In Gabaa, inquit S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*, urbe ad solum diruta paululum substitit Paula recordata peccati ejus, et concubinæ in frusta divisæ, et tribus Benjamin sexcentos viros propter Paulum Apostolum reservatos, de quo prædixerat Jacob, » *Genes.* cap. XLIX, 27 : « Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. » De Paulo ergo recte hic dicas id quod de Fabio Maximo cecinit Ovidius, lib. I *De Ponto*, eleg. 2 :

Qui nasci ut posset, quamvis cecidere trecenti

(Fabii cæsi ab Annibale).

Non omnes Fabios abstulit una dies.

Vers. 10.

10. MISERUNT ITAQUE DECEM MILLIA. — Hebræus, Chaldæus et Septuaginta constanter habent *duodecim millia*. Sic et Josephus, lib. V *Antiquit.* cap. II. Unde nonnulli suspicantur hic esse mendum.

ET PERCUTITE HABITATORES JABES GALAAD, — juste, quia a communi undecim tribuum prælio et sceleris vindicta soli se subduxerunt : unde ab undecim tribubus, hoc est, a toto populo justam mortis sententiam acceperunt. Debebant enim ipsi in publica Reipublicæ causa, conventu et prælio comparere ut cæteri, ac Rempublicam adjuvare, et propugnare ut cæteri. Hoc enim justitia legalis et aurea exigit.

Vers. 11.

11. VIRGINES AUTEM RESERVATE. — Virgines enim magis amant primos sponsos, quam corruptæ. Virgines autem dignoscebant, non per explorationem matronarum, ut vult Abulensis, sed ex communi fama, quod nunquam fuissent nuptæ.

Vide dicta *Numer.* XIII. Porro videntur hic undecim tribus ex zelo nimio modum justæ vindictæ excessisse, eo quod parvulos quoque et mulieres innocentes occidi jusserunt.

Vers. 18. 18. FILIAS ENIM NOSTRAS EIS DARE NON POSSUMUS CONSTRICTI JURAMENTO. — Juramentum hoc obligabat eo casu, quo Benjaminitis reliquis, de uxoribus, quæ essent Israelitides, alia ratione provideri potuisset, ut ipsi non cogerentur ducere gentiles et alienigenas, vel cogerentur manere cælibes cum interitu totius tribus. Tunc enim non obligabat hoc eorum juramentum, eo casu scilicet, quo una tribus perire debuisset, vel mulieres alienigenæ ex vicinis assumendæ fuissent, quod periculosum et lege vetitum erat; tum quia sicut votum, ita et juramentum factum de minori bono, quod majus bonum impediat, non obligat quatenus illud impedit; et jurans censetur tacite majus bonum excipere voluisse cum juraret; nam alioqui illicitum fuisset juramentum : quia promissio, licet juramento firmata, non censetur infringi, quando in melius commutatur; hic autem melius erat non perire unam tribum, quam non dare illi filias suas uxores. Vide Sylvestrum, verbo *juramentum*. Quocirca peccassent Israelitæ, si jurassent se in tali necessitate et periculo non daturos uxores Benjaminitis, ait Abulensis; putarunt tamen ipsi, cum essent simplices et rudes, se hoc juramento teneri : unde rationes quærunt quibus et juramento et conservationi tribus caveatur; et quamvis Abulensis fucatas eas fuisse putet, et in fraudem juramenti; melius tamen Lyranus, Hugo, Cajetanus, Arias censent legitimas fuisse; et quoad Galaadites mulieres eis datas patet, quia Galaaditæ bello non interfuerant (unde et merito excisi sunt : debuerant enim, ut recte Abulensis, vocati ad communem vindictam tanti sceleris venire); juramentum autem præsentes tantum, qui scilicet jurarant, concernebat, non absentes.

An juramentum hoc obligabat?

Vers. 19. 19. ECCE SOLEMNITAS, — non nundinarum, ut vult Abulensis, sed festi alicujus. Videtur autem hoc festum fuisse Tabernaculorum, quod celebratur in septembri; tunc enim collectis uvis, vites abundant foliis et pampinis, sub quibus hi virginum raptores latitare potuerunt, ut dicitur vers. 20. Ita Arias, Serarius et alii.

Vers. 21. 21. RAPITE EX EIS SINGULI UXORES. — Quæres, an licite raptum hunc consulere potuerint, et an Benjaminitæ, consilium hoc exsequendo, virgines Siluntinas rapere? Respondeo affirmative; unde dico nec majores natu, raptum hunc consulentes fuisse perjuros; quia singuli tantum particulatim jurarant se eis proprias filias non daturos, non autem non daturos aliorum filias communi decreto. Similiter nec parentes filiarum fuisse perjuros, quia ipsi consilii raptus non erant conscii, nec dederunt filias suas; sed hæ illis abreptæ sunt, imo, ut textus innuit, parentes prius Benjaminitis petentibus illas negarant. Unde peccatum, sive inæqualitas ab eorum parte fuisse dicitur, quia scilicet eas petentibus jure suo Benjaminitis, in tali necessitate negarant ob jurisjurandi religionem.

Raptus hic fuit licitus cur?

Denique non fuit hic peccatum raptus, ut recte Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Arias; quia is tantum misericordialis fuit non valde invitis filiabus, nec etiam parentibus, nisi ob perjurii periculum, quod hic nullum erat; et quia raptus hic factus est mandato illorum ad quos spectabat cura totius populi, et communis boni, quorum erat in tali necessitate et providere juramento, et determinare uxores, modumque eas accipiendi salvo juramento, quas quivis eorum alioqui Benjaminitis dare debuisset, ne tribus illa interiret, vel tarde nimis succresceret.

Raptus Sabinarum.

Simili modo Romulus et Romani instituerunt ludos, et adventantes ad eos rapuerunt virgines Sabinas, ut eas haberent uxores. Id factum est post annos 700; tot enim Phinees, æque ac Othoniel, antecessit Romam et Romulum. Romanorum raptus contigit 14 Kalendarum septembris, ait Plutarchus; Benjaminitarum vero eodem mense septembris. Romani rapuerunt virgines 527, vel ut Halicarnassæus 689; Benjaminitæ vero 200. Benjaminitas ad raptum coegit necessitas, Romanos libertas, uti docet S. Augustinus, lib. II *De Civitate*, cap. XVII, et lib. III, cap. XIII. Unde Romanorum raptus concivit bella et strages, Benjaminitarum vero pacem et lætitiam.

Hic finitur historia duodecim Judicum Israelis, qui fuere typus duodecim Apostolorum, ac præfuere populo a Josue usque ad Heli, per annos 299; nimirum Othoniel annis 40, Aod 80, Barac 40, Gedeon 40, Abimelech 3, Thola 23, Jair 22, Jephte 6, Abesan 7, Ahialon 10, Abdon 8, Samson 20. De quibus ita scribit Rupertus, lib. IV *De Victoria verbi Dei*, cap. VI : « Erant unici et veri Salvatoris (Jesu Christi) vicarii. Salvatio per illos duplici modo, videlicet judicando et præliando administrabatur : judicando quippe populum ab idolorum servitute prohibebant; præliando ipsi in fronte gradientes, de hostibus quibus servierant fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina judices, in prælio duces, in utroque salvatores, Sacramenta victoriasque Salvatoris æterni gestis præclaris et victoriis mysticis præfigurantes. Sicut enim speculum oppositum soli, similem reddit imaginem; ita et salvatorum et judicum illorum lucida fides, Salvatori et Judici æterno, cujus erant vicarii, similem prætulit in gestis suis pulchritudinem. »

COMMENTARIA

IN

LIBRUM RUTH.

ARGUMENTUM.

Pertexitur hic genealogia Judæ Patriarchæ a Phares filio ejus usque ad Davidem, ex quo prognatus est Christus, hoc fine ut Christus (quem quasi scopum et finem tota S. Scriptura respicit) ostendatur natus ex Juda, uti promiserat et prædixerat Jacob Judæ filio suo benedicens, *Gen.* XL, 10. Inducitur autem hic in hanc genealogiam Ruth Moabitis et Gentilis, sed mox facta fidelis et proselyta, qui miro casu vel potius Dei providentia in eam subintroivit æque ac Rahab Chananæa : « Ut ostenderet, ait S. Hieronymus, non dedignatum ex peccatoribus nasci, qui venerat ut omnium peccata deleret, utque gentium vocatio et electio Judæis exclusis a Christo facienda, in Ruth gentili et avia Christi significaretur. » Tropologice, ut in Ruth idea et exemplar piæ, modestæ et sanctæ uxoris daretur. Symbolice, ut indicaretur nobilitatem generis dari a Deo, utpote qui Ruth gentilem, vilem et pauperem ascivit in familiam Abrahæ et Judæ, eamque fecit genitricem Davidis et posterorum, quin et ipsius Christi. Unde Ruth a Rabbinis et S. Chrysostomo, et B. Petro Damiano vocatur « Mater regni et regum. » Omnes enim reges Juda ab ea descenderunt.

Est hic liber appendix libri Judicum, unde et ab Hebræis illi annectitur : ejus enim historia contigit sub Judicibus, ut patet cap. I, vers. 1. Estque præludium et quasi manuductio ad librum Regum ; in eo enim gesta Davidis et cæterorum regum ex Ruth prognatorum describuntur. Quocirca recto ordine interjicitur hic liber inter librum Judicum et Regum. Porro hic liber ab omnibus tam Catholicis quam Hæreticis (excipio Manichæos, qui totum vetus Testamentum, ac consequenter et librum Ruth, velut a Deo malo profectum rejiciebant et blasphemabant, teste S. Augustino in libris *Contra Faustum*) habitus fuit Canonicus S. Scripturæ, esto in nonnullis Arabicis, utpote manuscriptis duntaxat non exstet.

Auctor libri est incertus ; a nonnullis enim censetur fuisse Ezechias rex, ab aliis Esdras, a pluribus vero Samuel, idque verisimilius videtur, tum quia Samuel sub hoc tempus vixit, tum quia ipse librum primum Regum conscripsit, ad quem hic liber dirigitur.

Scripserunt in Ruth Rupertus ; Abulensis, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, Serarius, ac Fevardentius, qui pulchra et plurima morum documenta ex hoc libro elicit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elimelech Bethlehemites, urgente fame, cum uxore Noemi et duobus filiis peregrinatur in Moab : ibi omnibus defunctis, sola Noemi vidua cum Ruth nuru sua in Bethlehem revertitur.

1. In diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in Terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis. 2. Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi, et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion, Ephratæi de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. 3. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi, remansitque ipsa cum filiis. 4. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis ; 5. et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet et Chelion : remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito. 6. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Moabitide : audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas. 7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru, et jam in via revertendi posita in terram Juda, 8. dixit ad eas : Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum. 9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt, 10. et dicere : Tecum pergemus ad populum tuum. 11. Quibus illa respondit : Revertimini, filiæ meæ, cur venitis mecum? num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis? 12. Revertimini, filiæ meæ, et abite : jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali, etiamsi possem hac nocte concipere et parere filios, 13. si eos exspectare velitis, donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ : quia vestra angustia magis me premit, et egressa est manus Domini contra me. 14. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt : Orpha osculata est socrum, ac reversa est; Ruth adhæsit socrui suæ. 15. Cui dixit Noemi : En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea. 16. Quæ respondit : Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam : quocumque enim perrexeris, pergam ; et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus. 17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar : ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit. 18. Videns ergo Noemi quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere ; 19. profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit ; dicebantque mulieres : Hæc est illa Noemi. 20. Quibus ait : Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) ; sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. 21. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens? 22. Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ, ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

Vers. 1. Quando virit Ruth? Resp. Primo.

1. IN DIEBUS UNIUS JUDICIS. — Quæres, quis fuit hic Judex sub quo hæc fames et conjugium Ruth cum Booz contigit? *Primo*, Josephus, Zonara et Magister Historiæ Scholasticæ censent fuisse Heli Pontificem. Verum id dici nequit; nam Heli judicavit 40 annis, deinde Samuel et Saul annis totidem: his successit statim David, anno ætatis trigesimo. Jam David genitus fuit a Jesse, hic ab Obed, hic a Booz, quæ omnes generationes tam paucis annis, scilicet octoginta, quibus præfuere Heli, Saul et Samuel, fieri non potuere.

Secundo. *Secundo*, Rabbini et Lyranus censent Judicem hunc fuisse Abesan, de quo *Judic.* XII; adeoque Abesan esse Booz. Litteræ enim utriusque nominis fere sunt eædem. Verum obstat ratio temporis; nam Abesan factus est Judex anno 272 a capta Jerichunte per Josue, cap. VI, quando Salmon duxit Rahab, quæ exploratores Josue exceperat, ex eaque genuit Booz, qui fuit maritus Ruth; quare Booz, si est idem cum Abesan, fuit circiter 272 annorum, quod illo ævo erat insuetum et impossibile; tunc enim nemo tamdiu vixit.

Tertio. *Tertio*, Seder Olam censet fuisse Aod secundum Judicem.

Quarto. *Quarto*, Abulensis in cap. IV. *Ruth*, Quæst. XC, censet fuisse Barac, sub cujus ultimis annis contigerit hæc fames. Accedit Torniellus, nisi quod hic sub annum vigesimum Barac eam accidisse arbitretur.

Quinto et vere. *Quinto*, valde apposite noster Salianus censet famem hanc contigisse sub Abimelech, filio Gedeonis; conjugium vero Booz cum Ruth, sub ejus successore Thola, de quo plura cap. IV, 21.

FACTA EST FAMES IN TERRA, — non universa, sed Israel, ut habet Chaldæus; ad illam enim evitandam Elimelech concessit in Moab, eo quod ibi non esset fames. Verisimile est famem hanc ob peccata populi a Deo fuisse immissam; Deus enim solet publica scelera publica fame vel peste castigare. Talia autem fuere parricidia et idololatria ab Abimelech et Sichimitis commissa.

Fabulantur Rabbini stationem aliam solis, qualis fuit sub Josue, præivisse hanc famem, ejusque causam extitisse, atque hanc stationem Elimelech utpote virum sanctum precibus a Deo impetrasse, ideoque ipsum esse, de quo dicitur I *Paral.* IV, 22: « Qui stare fecit solem. » Ubi fuse hac de re agam.

Vers. 2. 2. IPSE VOCABATUR ELIMELECH. — Perperam Josephus, Zonaras et Theodoretus eum vocant « Abimelech. » *Elimelech* hebraice idem est quod *Deus meus rex*, vel *Dei mei rex*, aut *fortis mei rex*. Fuit hic vir primarius et dives, utpote ex familia Salmon principis tribus Juda, ejusque filio Booz propinquus.

EPHRATÆI, — id est oriundi ex Bethlehem, quæ alio nomine dicebatur *Ephrata*. Sic et David dicitur filius viri *Ephratæi*, id est, Bethlehemitæ, lib. I *Reg.* XII, 12.

Alibi vero *Ephratæus* vocatur is qui erat ex tribu Ephraim, ut *Judicum* cap. XII, vers. 5, et I *Regum*, cap. I, vers. 2 et 3.

ET UXOR EJUS NOEMI. — *Noemi* hebraice idem est quod *pulchra, suavis, amœna*, qualis hæc fuit tam dictis quam factis. R. Simon ait eam dictam *Noemi*, propter illud *Psalm.* LXXXIX, 17: « Sit splendor Domini Dei nostri super nos; » nam ibi pro *splendor* hebraice est *noam*.

Quinque virtutes Noemi. Rabbini tradunt hanc fuisse filiam fratris Salmonis, ideoque neptem Nahassonis, qui fuit princeps tribus Juda. Nahasson enim genuit Salmon ejusque fratrem, qui fuit pater Noemi. Porro heroicas Noemi virtutes has ex hoc libro colligit Serarius. *Primo* enim elucet hic ejus in vero Dei cultu, etiam cum in idololatrarum regionem extrusa esset, constantia. *Secundo*, zelus, dum ad eumdem cultum nurum suam Ruth adduxit. *Tertio*, prudentia, dum tam perite hujus exploravit animum et confirmavit. *Quarto*, in adversis asperisque rebus tolerantia, maxime in fame, inopia, et quodam veluti exilio. *Quinto*, patriæ amor, dum ad illam vetula jam et decrepita redire voluit. *Sexto*, sapientia in Ruth conservanda, dirigenda et ad felicissimum tandem connubium provehenda, e quo salus mundi, terræ gaudium, cœlorum lætitia Christus Jesus prognatus est.

ET DUO FILII, ALTER MAHALON, ET ALTER CHELION, — *Mahalon* hebraice idem est quod *infirmitas*, vel *chorus* : *Chelion* vero *defectus*, vel *deficientia*. Apposite, quia uterque præmature in Moab diem obiit. Rabbini tradunt hos duos esse eos qui lib. I *Paral.* cap. IV, in Hebræo vocantur *Joas* et *Saraph*, quod Noster vertit, *securus* et *incendens*, quia desperantes de Israelis a fame liberatione, secure nimis et remisse in Moab, id est terra idololatrarum degebant, ibique duxerunt uxores Moabitidas; ideoque aiunt eos a Deo addictos exitio et incendio. Sed hæc eorum de more sunt commenta, aut potius figmenta.

Vers. 4. 4. QUI ACCEPERUNT UXORES MOABITIDAS. — Rabbini, ut dixi, aiunt eos graviter hac in re peccasse. Nec est quod cogat eos a peccato excusare, ait Abulensis. Excusari tamen possunt partim necessitate, quod in Moab non invenirent feminas Israelitides, quas ducerent; ac ipsis utpote juvenibus, in fervore ætatis, difficilis et periculosus esset cœlibatus. Rursum, quod Noemi eorum mater pia femina videtur eos ad hoc conjugium direxisse ex Dei instinctu, qui per Ruth destinabat nasci Davidem, et ex eo Christum. Addunt aliqui Orpham et Ruth fuisse ab idolis conversas ad Deum verum, quare licite potuisse duci a Mahalon et Chelion Hebræis, uti Salmon duxit Rahab Chananæam ad Judaismum conversam, *Josue* cap. II; licitum enim Hebræis erat Chananæas ducere, si illæ ad Judaismum converterentur (1).

Verum hæc responsio hic non habet locum;

(1) Scopus legis Hebræorum erat impedire ne Moabitidæ usquam pars populi Israelitici fierent.

nam Orpha ad idola sua rediit, et Ruth tunc demum conversa est cum secuta Noemi, cum ea ex Moab migravit in Bethlehem, ut patet ex sequentibus :

QUARUM UNA VOCABATUR ORPHA. — Hanc Goliath gigantis, quem David prostravit, fuisse matrem asserunt Thalmudici, et Philo, seu potius Pseudo-Philo in *Antiquit. Biblicis*, ac Prudentius in *Hamartigenia*, dum ait eam præ Noemi sequela maluisse « semiferi stirpem nutrire Goliæ. » Ratio eorum est quod mater Goliath vocetur *Rapha* vel *Harapha*, I *Reg.* cap. XXI, vers. 19 et 22, ac I *Paral.* cap. XX, vers. 6 et 7. *Harapha* autem idem videtur quod *Orpha*. Verum errant; nam *primo*, Harapha erat Philistæa, Orpha vero Moabitis; *secundo*, Harapha erat ex Geth urbe Palæstinæ; Orpha vero ex urbe Petra; *tertio*, Harapha fuit tempore Saulis et Davidis; Orpha vero longe anterius, scilicet tempore Ruth et Booz, qui fuit proavus Davidis; *quarto*, Orpha hebraice per ע *Ain*, Harapha vero per ה *He* scribitur. Porro *Orpha* hebraice idem est quod *cervicosa*, vel *ore nudata*. Unde R. Samuel in *Sutha* cap. VIII, ait matrem Goliath fuisse meretricem, ideoque dictam *Horpham*, quia eam omnes decervicabant, deprimebant, dedecore veluti scortum afficiebant : *Hárapham* vero, quia eam omnes granorum ac tríticorum, quæ II *Reg.* cap. XXIX, et *Prov.* cap. XXVII et XXI, *harpihoth* vocantur, instar contundebant.

An Orpha mater Goliath?

Verum alia est Orpha hæc ab Harapha matre Goliath, uti jam ostendi; imo non mater, sed pater Goliath, I *Paral.* cap. XX, vers. 6 et 7, vocatur *Rapha* vel *Harapha;* ab eo enim posteri Gigantes dicti sunt Raphaim, ut ibi dicitur vers. 4, de quo plura I *Reg.* cap. XXI, vers. 19 et 22.

ALTER VERO RUTH. — Thalmudici tradunt Ruth fuisse filiam Eglon regis Moab, quem occidit Aod, *Judicum* cap. II, ut sic Davidi suo prosapiam regiam ex Moab concilient; sed nugantur. Quomodo enim rex Moab filiam suam dedisset exteris pauperibus et pene fame pereuntibus?

Porro Ruth erat ex Moab quæ est pars Arabiæ Petreæ, cujus metropolis erat urbs dicta *Petra*, eo quod in rupe esset sita (quam Bellonius, lib. II, cap. LIII, opinatur esse *Mecham*, ubi exstat sepulcrum Mahometis; sed errat), id patet ex illo *Isaiæ* cap. XVI : « Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Et intelligebatur de Messia qui futurus erat de filiis David : et ipse David futurus erat de stirpe Ruth, qui venturus erat de urbe Moab, quæ vocatur petra deserti, » ait Abulensis hic, *Quæst.* XVI. Vide dicta *Isaiæ* cap. XVI, vers. 1.

Porro Ruth hebraice idem est quod *irrigua* vel *ebria*, a radice רוה *rava*, id est *irrigare*, aut potius *visio* vel *prophetia*, a radice ראה *raa*, id est *vidit;* quasi *Ruth* idem sit quod *Rauth*. Aut *inspiratio*, ait auctor Imperfecti *in Matth.* cap. I, a radice רוח *ravach*, id est *spiravit*, inspiravit; quasi Ruth sit idem quod *Rachut*, quia sine Dei inspiratione nec dixisset, nec fecisset ea quæ dixit et fecit. Unde in ea, ait idem auctor, laudatur dilectio generis Israel, simplicitas, obedientia, fides. Cabalistæ aiunt *Ruth* per anatrophen esse *Tur*, id est *turtur;* quia ipsa ut turtur gemendo maritum suum defunctum luxit. Thalmudici dicunt eam vocatam *Ruth*, eo quod ex ea prognatus sit David, quem Deus prævideret fore בשירות *besciroth*, id est in canticis, psalmis et laudationibus.

Denique non videtur Ruth fuisse soror Orphæ nec consanguinea in gradu propinquo, sed per affinitatem cognata, ut dicam vers. 15.

8. ITE IN DOMUM MATRIS VESTRÆ. — Hebræi et Septuaginta : *Ite, redite, unaquæque in domum matris suæ.* Hinc liquet eas non fuisse sorores, nec eamdem habuisse matrem, sed diversam. Suadet Noemi nuribus suis Orphæ et Ruth reditum ad suos Moabitas, ut commodius apud suos vivant, utque ipsa earum cura exoneretur; ac ut ipsas adhuc infideles non deducat apud populum fidelem in Israel; hoc enim fuisset scandalum. Quare tacite (quod alias sæpe aperte fecerat) eas adhortatur, ut convertant se ad fidem et religionem Israelitarum, *q. d.* Si vultis mecum pergere in Israel, Israelitice in fide et cultu unius veri Dei vobis vivendum est. Si id facere non vultis, redite ad vestros Moabitas infideles. Vers. 8.

FACIAT VOBISCUM DOMINUS MISERICORDIAM, SICUT FECISTIS CUM MORTUIS ET MECUM; — mortuos enim maritos vestros (qui mei erant filii), dum viverent, coluistis ea observantia et amore, qua par est; mortuos vero decenter sepelistis, luxistis, memoria conservastis, celebrastis, et in eorum gratiam viduæ huc usque mecum permansistis, me alendo, fovendo, juvando. Unde Chaldæus vertit : *Faciet Dominus bonum vobiscum sicut id quod fecistis cum maritis vestris dormientibus; quod renuistis viros accipere post mortem eorum : et mecum, quod aluistis et sustentastis me.*

Multo magis fideles amicis defunctis exhibent misericordiam, cum pro animabus eorum orant et sacrificant, uti fecit S. Ambrosius Theodosio Imperatori, sicut ipse narrat orat. *De obitu ejus* : « Dilexi, ait, et prosequor eum usque ad regionem vivorum, donec fletu et precibus inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium, ubi mortale hoc induat immortalitatem, et corruptibile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ votum impleat diligentis, magna promissio. »

11. NUM ULTRA HABEO FILIOS IN UTERO MEO, UT MARITOS EX ME SPERARE POSSITIS? — Hinc colligitur præter legem, *Deuter.* cap. XX, quæ jubet Judæis suscitari semen (id est prolem) fratri sine liberis defuncto, idipsum in usu fuisse apud Gentiles. Unde Thamar Chananæa ante legem et Mosen, suscitavit semen filiis Judæ ipsique Judæ, *Gen.* cap. XXXVIII. Cum enim femina in aliqua familia Vers. 11.

nupsisset, marito mortuo eidem familiæ adhærebat, ex eaque alium maritum exspectabat, nec transibat ad aliam; idque honestatis et affinitatis jam cum ea contractæ causa.

Porro Cajetanus et Serarius hinc colligunt suscitationem hanc seminis fratri defuncto usitatam esse in fratribus quoque uterinis duntaxat. Nam si Noemi vidua rursum alteri nupsisset, indeque natos filios dedisset maritos Orphæ et Ruth, illi mariti utique fratres tantum uterini fuissent Mahalon et Chelion, qui eorum priores fuerant mariti; quod intellige; si fratres illi uterini patres habuissent quidem diversos, sed ex eadem tamen tribu et familia, tunc enim uxor, marito suo sine prole defuncto, suscitabat semen ex ejus fratre vel consanguineo ejusdem familiæ; ad quod faciendum non videtur fuisse obligata, si posterior frater uterinus ex patre alterius tribus vel familiæ fuisset progenitus.

Vers. 13. 13. ANTE ERITIS VETULÆ QUAM NUBATIS. — Hebraice est תעגנה *teagena*, quod alii עון *og*, id est *uri, ustulari* derivantes vertunt : *Num aduremini absque marito?* quasi Apostolus huc alludat, dum ait : « Melius est nubere quam uri, » I *Corinth.* cap. VII. Germanius Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, Pagninus, Marinus et passim Recentiores vertunt : *Num detinebimini* vel *retardabimini, ut maneatis viduæ donec ego novos vobis gignam? q. d.* Num vos obligabitis (hoc enim significat κατέχεσθαι, ut vertunt Septuaginta) ad manendum in viduitate, donec ego novos filios procreem, qui vestri fiant mariti? Hebræa hic sunt obscura, sed ea plane et clare sic vertas : *Si dicerem : Est mihi spes; etiam fui hac nocte cum viro, et genui etiam filios : An propterea exspectaretis quousque magni fierent? an propterea differretis, ut non essetis cum viro?* juxta hunc sensum explicandi sunt Septuaginta pariter obscuri.

Vers 15. 15. EN REVERSA EST; — quia Orpha minus amabat Noemi quam Ruth; hinc Ruth adhæsit Noemi, Orpha vero ab ea ad suos recessit.

COGNATA TUA. — Orpha fratria tua, quæ scilicet maritum habuit fratrem mariti tui; vos enim duæ nupsistis duobus fratribus, ac proinde per nuptias cum iis factas, estis cognatæ, hoc est, affines. Hoc enim significat Hebraice יבמה *iebama*.

AD POPULUM SUUM ET AD DEOS SUOS. — Non quasi Noemi hortetur nurum suam Ruth, ut instar Orphæ redeat ad deos Gentium, quos hactenus in terra Moab coluerat; illud enim suadere fuisset peccatum; sed volens eam consolari, hortatur ut redeat ad populum suum, ibique rursum nubat; permittit vero ut pergat deos suos colere (quod connexum erat, quodque ipsam facturam sciebat, si ad suos, qui erant idololatræ, rediret); idque facit ut sincerum et constantem Ruth nurus suæ animum exploret, qui necessarius erat ad religionem cum patria mutandam, constanterque retinendam, ne ipsa postea quereretur se Noemi socrus suæ artibus vel fraudibus impulsam transiisse in alienam ac minus sibi gratam religionem. Ita Abulensis.

ET AD DEOS SUOS. — Hinc patet Orpham non fuisse ad Deum conversam, sed patriæ religioni et idolis ejusdem semper adhæsisse; Ruth vero, quia patriam cum Noemi mutavit, mutavit et religionem ac in Israelitarum coloniam et synagogam transiit. Disce hic quam noxium sit inter infideles, hæreticos et impios degere; quam bonum vero inter fideles et pios : illi enim manent vel fiunt infideles, hæretici, impii; hi vero fideles, orthodoxi et pii, juxta illud *Psalm.* XVII : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. » Sic Orpha, rediens ad suos infideles, mansit infidelis : Ruth vero, transiens ad fideles, facta est fidelis.

16. NEC ADVERSERIS MIHI UT RELINQUAM TE, — Vers 16. Chaldæus, *ne me irrites, ne me cogas.* Hinc patet Ruth initiatam fuisse sacris Judaicis per baptismum, non qui esset sacramentum, sed qui esset ablutio corporis, sicut masculi initiabantur per circumcisionem. Audi Thalmudicos ritum hujus initiationis describentes : Qui proselytus esse vult, tria ei, siquidem mas sit, necessaria; ut nimirum circumcidatur, baptizetur, et in holocaustum offerat vel pecudem, vel par turturum aut columbarum; si femina vero fuerit, duo tantum posteriora faciat, baptizetur nimirum, et holocausti offerat victimam.

POPULUS TUUS, POPULUS MEUS; DEUS TUUS, DEUS MEUS, — Magnus fuit hic Ruth amor, observantia et fidelitas erga Noemi socrum suam, qua patriam cum extera regione, et domesticam fidem cum peregrina Judæorum religione commutare constanter decrevit; quia videbat eam tam sapientem et probam, totque virtutibus et gratiis præditam, ut certo sibi persuaderet illam veram habere fidem et religionem, ac Deum ejus esse Deum verum. Unde hoc exemplum nuribus imitandum proponit Origenes, lib. I *in Job*, dicens : « Beata Ruth tantum detulit socrui suæ veteranæ, ut usque ad mortem non sit passa eam relinquere. Idcirco sane in Scriptura perpetuo magnificatur; apud Deum vero in infinita sæcula beatificatur. Judicabit nihilominus atque condemnabit in resurrectione omnes malignas et impias nurus, quæ soceris vel socribus suis contumeliam vel injuriam ingesserint : non reminiscentes, quod ipsi eis viros genuerint atque nutrierint, et pro substantia et pro victu illis laborem acquisierint. » Ex quibus hanc conclusionem elicit : « Si igitur diligis virum tuum, o mulier, dilige et eos qui genuerunt eum et nutrierunt sibi filium, tibi vero maritum. Noli separare filium a patre vel matre. Noli compellere filium patrem, aut matrem inhonorare, ne in condemnationem incidas apud Dominum Deum, in die terribilis inquisitionis atque judicii. Sufficiat tibi, o mulier! quia possides virum quem non nutristi, et substantiam tuam quam non acquisivisti; quia venis in domum quam non

ædificasti, et eris domina atque potestatem habens laborum alienorum, pro quibus tu nullatenus laborasti. Noli ergo retribuere mala his qui tibi præparaverunt, atque suo labore acquisierunt omnia sive virum, sive substantiam. O mulier, ne ascendat super te maledictio a Domino Deo. »

Rursum S. Hieronymus (vel quisquis est auctor, stylus enim dissonat, esto sit grandiloquus) tomo IX, tract. *De vera Circumcisione*, asserit Ruth hoc tam animoso pioque responso meruisse ut fieret mater, id est avia Christi; unde exclamat : « O virtutem viris etiam præferendam! Abrahæ fidem incircumcisæ gentis mulier imitatur, quam virilis circumcisio dereliquit, et per aliena vestigia meritum justificationis ingreditur, a quibus majorum cæca hæreditas deviavit. Deos suos Moabita contemnit, cum tu, Israel, desideres alienos; illa in unum Deum, suorum jam oblita conjurat; et tu post multitudinem fornicaris idolorum : hinc eligitur a Domino; hinc fit Israelita mente, non genere; fide, non sanguine; virtute, non tribu : hinc usque adeo benedicitur, ut prophetarum tuorum mater vocetur et regum. »

HÆC MIHI FACIAT DOMINUS ET HÆC ADDAT, — scilicet immittat mihi morbum, paupertatem, persecutiones, et his pejora addat. Hæc enim in juramento hoc Hebræorum subintelliguntur; ipsi enim per euphemismum illa subticent boni ominis causa, ne scilicet illa quæ sibi imprecantur, revera eveniant. Tale erat juramentum Romanorum in fœdere, quod recenset Festus, lib. XI : « Jovem, inquit, lapidem juraturi, silicem tenentes, his verbis utuntur : Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem. Et lapidem tunc manu excutiebant. »

Allegorice, Ruth hic typum gessit Ecclesiæ e Gentibus ad Christum transeuntis. Audi S. Chrysostomum, hom. 3 *in Matth.* : « Considera ea quæ in Ruth facta sunt, nostris quadrare. Hæc enim erat et alienigena, et in extremam delapsa pauperiem; sed videns eam Booz, nec ipsius paupertatem despexit, nec generis ignobilitatem abominatus est : sicut et Christus Ecclesiam suscipiens et alienigenam, et magnorum laborantem penuria bonorum, accepit eam consortem. » Subdit deinde modum : « Sed quemadmodum Ruth illa, nisi prius reliquisset parentes, nisi domum contempsisset, et gentem, et patriam atque cognatos, nunquam tali fuisset juncta connubio; ita Ecclesia etiam non ante amabilis efficitur sponso, quam patrios mores ritusque reliquerit. Quod Propheta quoque ad ipsam loquens ait *Psal.* XLIV : Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. Hoc Ruth etiam fecit, et idcirco æque ac Ecclesia mater regum effecta est. Ipsius enim ex stirpe est David. »

Audi et S. Ambrosium, lib. III *in Lucam*, post medium : « Quomodo intravit (Ruth) in Ecclesiam, nisi quia sancta et immaculata moribus supra legem facta est? si enim lex impiis et peccatoribus posita est; utique Ruth, quæ definitionem legis excessit, et intravit in Ecclesiam, et facta est Israelitis, et meruit inter majores dominici gregis computari, propter cognationem mentis electa, non corporis, magnum nobis exemplum est; quia in illa nostrum omnium, qui collecti ex gentibus sumus, ingrediendi in Ecclesiam Domini figura præcessit. Hanc igitur æmulemur, ut quia hæc moribus hanc prærogativam meruit adsciscendæ societatis suæ, sicut historia docet; nos quoque propter morum electionem in Ecclesiam Domini meritis suffragantibus adlegamur. »

20. NE ME VOCETIS NOEMI (id est pulchram, item decoram, jucundam, suavem, hilarem); SED VOCATE ME MARA (id est amaram), QUIA AMARITUDINE VALDE REPLEVIT ME OMNIPOTENS. — Privavit enim me marito et utroque filio, fecitque viduam et orbam. Idem dicere poterat B. Virgo, videns filium suum crucifixum et mortuum. Vers. 20.

Tropologice, cum ob dotes aliquas laudamur, defectus nostros inspiciamus, itaque laudes in lamenta vertamus, uti Noemi exemplo fecit S. Gregorius, lib. II, *epist.* 64, cum a Narse laudatus fuisset : « Multa mihi, inquit, dulcissima charitas vestra per epistolas suas in bonæ operationis laudibus est locuta; ad quæ omnia breviter ego respondeo : Nolite me vocare Noemi, id est pulchrum, sed vocate me Mara, id est amarum, quia amaritudine plenus sum. » Et lib. I, *epist.* 6 ad eumdem, dolens se e quiete monasterii evectum ad curam Pontificalem : « Simiam, inquit, Leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo nos scabiosos sæpe catulos, pardos vel tigres vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi; quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, id est pulchrum; sed vocate me Mara, quia amaritudine plenus sum. »

Idem respondit S. Leandro, lib. VII, *epist.* 125. Idem fecit S. Digna virgo et martyr in Hispania anno Domini 853, sub Mahomad Saraceno, de qua ita scribit S. Eulogius illi coævus, et in eadem persecutione martyr, in *Memor. Sanct.*, lib. III, cap. VII : « Hæc puella cum pro summa humilitate atque obedientia inter convirginales ultimam se judicaret, essetque incomparabili apparatu obsecundatrix, nunquam tamen appellari se dignam patiebatur, dicebatque cum lacrymis : Nolite me dignam vocare, sed magis indignam, quia cujus meriti sum, etiam nomine debeo insigniri. »

Pro *Omnipotens* hebraice est *Saddai*, quod et cornucopiam, sive Deum omnibus bonis abundantem, mammosum, æque ac castigantem et vastantem significat : utrumque huic loco competit, *q. d.* Deus qui quasi *Saddai*, id est *Mammosus*, olim me conjugio honorato et prolibus, opibusque cumularat; nunc quasi *Saddai*, id est *vastans*, iisdem me spoliavit et vastavit; idem tamen, ut spero, misertus mei, rursum ut prior *Saddai* benigne solabitur, ditabit et beabit. Ipse enim suos « mortificat et vivificat, deducit ad inferos et re-

ducit. » Vide quæ de *Saddai* dixi *Genes.* XVII, 1.

Vers. 22. 22. REVERSA EST IN BETHLEHEM, QUANDO PRIMUM HORDEA METEBANTUR, — scilicet in Paschate. Die enim secunda Paschatis Hebræi offerebant Deo primitias spicarum, ac deinde die tertia eas demetebant. Unde Chaldæus vertit : *Illæ* (Noemi et Ruth) *ascenderunt in Bethlehem in ipsis Paschæ ascensionibus*, seu cum adesset Paschalis dies, *et in illo die cœperunt filii Israel metere gomer seu manipulum, qui elevari, seu coram Domino offerri solebat, et erat ex hordeis.*

Simili modo Josue, reducens Hebræos ex Ægyptia servitute, ingressus est in terram promissam in Paschate, *Josue* cap. III.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ruth in agro Booz spicas colligit, ac benigne a Booz excipitur et pascitur; domum reversa Noemi socrui suæ reliquias affert, ab eaque audit Booz sibi esse affinem.

1. Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, et magnarum opum, nomine Booz. 2. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam : Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit : Vade, filia mea. 3. Abiit itaque et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. 4. Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum. Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus. 5. Dixitque Booz juveni qui messoribus præerat : Cujus est hæc puella? 6. Cui respondit : Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, 7. et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia; et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est. 8. Et ait Booz ad Ruth : Audi, filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco; sed jungere puellis meis; 9. et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi; sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas de quibus et pueri bibunt. 10. Quæ cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum : Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem? 11. Cui ille respondit : Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui; et quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum quem antea nesciebas. 12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. 13. Quæ ait : Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. 14. Dixitque ad eam Booz : Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias. 15. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens : Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam; 16. et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat. 17. Collegit ergo in agro usque ad vesperam . et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios. 18. Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ; insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. 19. Dixitque ei socrus sua : Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata; et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. 20. Cui respondit Noemi : Benedictus sit a Domino; quoniam eamdem gra-

tiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait : Propinquus noster est homo. 21. Et Ruth : Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur. 22. Cui dixit socrus : Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. 23. Juncta est itaque puellis Booz; et tandiu cum eis messuit donec hordea et triticum in horreis conderentur.

Vers. 1. 1. HOMO POTENS ET MAGNARUM OPUM. — Hebraice אִישׁ גִּבּוֹר חַיִל *is gibbor chail*, id est vir potens vel fortis robore : ita Septuaginta, hoc est, robustus tam corpore, quam animo; aut vir potens opibus : has enim *chail* quoque significat, idque hic est aptius. Booz enim parabatur maritus ad conjugium cum Ruth, in quo maxime spectari solent opes.

Vers. 3. 3. COLLIGEBAT SPICAS POST TERGA METENTIUM, — uti faciunt pauperes et famelici, qui post segetem demessam et in acervos collectam, deciduas et reliquas spicas legendo faciunt spicilegium : quod lege veteri non tantum licitum erat, sed et commendatum a Deo; imo messoribus jussum ut de industria spicas aliquas pauperibus colligendas relinquerent, *Levit.* cap. XIX, 9, et cap. XXIII, 22. Sic Antigonus succedens Alexandro Magno aiebat : « Alexander messuit, ego spicas lego. » Sic et nos post messem tot Patrum et Doctorum, facimus sapientiæ spicilegium.

NOMINE BOOZ. — Hebraice בֹּעַז *Booz*, ait Pagninus in *Nom. Hebr.*, idem est quod *in fortitudine;* vel *in eo fortitudo,* hoc est *fortis.* Talis hic fuit, ut patet vers. 1. Hinc Auctor Imperfecti hom. 1 *in Matth., Booz* interpretatur, *prævalens.* Hinc et duæ columnæ in templo Salomonis vocabantur *Iachin et Booz,* III *Reg.* VII, 21, id est *directio et fortitudo,* ut exponunt Septuaginta, lib. II *Paral.* cap. III, 17.

Vers. 4. 4. DIXITQUE BOOZ MESSORIBUS : DOMINUS VOBISCUM, — *q. d.* Dominus vobis adsit, cooperetur, benedicat, vosque roboret et prosperet. A Deo enim bonitas messis et cujuslibet rei exspectanda et postulanda est. Hinc Varro, lib. I *De Re rustica :* « Quia Dii, ait, facientes adjuvant, prius invocari vult duodecim Deos Consentes, non urbanos, sed agrestes, qui agricolarum duces sunt, Jovem, Tellurem, Solem, Lunam, Cererem, Liberum, Rodigum, Floram, Minervam, Venerem, Lympham ac bonum Eventum. »

Dominus vobiscum quid ? Hic primum illa salutandi formula : « Dominus vobiscum, » invenitur, quam post Booz alii usurparunt, ut Propheta missus a Deo ad Asa regem Juda, dum victor cum exercitu reverteretur : « Dominus vobiscum, inquit, quia fuistis cum Domino, » II *Paral.* cap. XV, et postea Gabriel salutans B. Virginem dicendo : « Dominus tecum, » ac tandem Ecclesia eamdem induxit in Missæ sacrificium et officium Ecclesiasticum : de quo vide Bellarminum, lib. II *De Missa,* cap. XVI, et Joannem Durantum, *De Ritibus Ecclesiæ* lib. II, cap. XV, et B. Petrum Damianum, *Opusc.* XI. Unde lib. IV *Ration.* cap. *De salute ad populum,* Guilielmus Minatensis episcopus : « Hujusmodi, ait, mutuæ salutationes notant, quod sacerdotis et populi unus debet esse affectus. Et est sensus : Tu pro nobis facturus es preces ad Dominum; et quia Dominus Deus illas tantum preces approbat et exaudit, quæ ex bono corde procedunt, oramus et nos similiter pro te, ut ille sine quo nullum est bonum, sit cum Spiritu tuo, ut qui tecum est in ore, sit et in corde et maneat. » Et pergit : « Potest etiam dici, quod in hac responsione populus se refert solum ad actionem immolationis, ad quam sacerdos procedit, in qua per spiritum totaliter elevatus, et ab omni terrenitate prorsus abstractus esse debet. »

Et Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 22 : « Illud autem quod a plebe respondetur : Et cum spiritu tuo, hanc habet sententiam : Pacem quidem nobis tribuisti, Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam. Pacem autem nobis da, hoc est ejusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum Spiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidisti, a tua charitate nequeamus divelli. »

Denique in Concilio Braccarensi, *can.* 21 : « Placuit, inquit, ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes : Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur. »

Herus visitat operas. Œconomice Booz visitans agrum et messores docet heros, ut sua sæpe prædia et operarios visitent : « Sub hoc enim metu, cum familia villicus erit in officio, » ait Cato, *De Re rustica,* cap. II. Unde Plinius, lib. VIII, cap. VI : « Majores, ait, fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. » Et Aristoteles, lib. I *Œconom.* : « Optimum agrorum stercus, inquit, sunt domini vestigia. »

QUI RESPONDERUNT EI : BENEDICAT TIBI DOMINUS. — Disce hic priscam piamque salutandi et resalutandi formulam. Herus enim prior comiter salutans operarios ait : « Dominus vobiscum; » illi aliis verbis, sed idem significantibus officiose eum resalutant : « Benedicat tibi Dominus, » hoc est, Dominus pariter tecum sit, tibique benefaciat, bonisque suis te cumulet et fortunet.

Vers. 7. 7. ET ROGAVIT (Ruth præfectum messorum) UT SPICAS COLLIGERET. — Ex lege spicæ hæ erant pauperum; quare Ruth eas legere poterat sine rogatu; maluit tamen rogare, ut messores sibi magis devinceret, et liberaliores faceret ad plures sibi spicas relinquendum.

Vers. 10. 10. ET ADORANS, — id est, reverentiam ei exhibens corporis demissione, vel capitis curvatione.

Vers. 12. 12. AD QUEM VENISTI ET SUB CUJUS CONFUGISTI ALAS? — « Alas, » id est curam, protectionem, providentiam; sic enim pulli confugiunt sub alas gallinæ, ut ab ea ab injuriis aeris, æque ac a milvis rapacibus protegantur. Simili enim modo, « ad alas, » id est, protectionem Dei confugere debemus, ut ab eo a malis omnibus corporis et animi, ac a dæmonibus defendamur, juxta illud Davidis: « Sub umbra alarum tuarum protege me, » *Psalm.* XVI, 8. Et: « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis, » *Psal.* XC, 4. Hinc et Christus ait Jerosolymæ : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » *Matth.* XXIII, 37. Vide ibi dicta. Hinc Chaldæus hoc loco vertit : *Quia venisti ut proselyta fieres et teipsam absconderes* (vel separares) *sub umbra majestatis gloriæ ipsius.*

Vers. 13. 13. INVENI GRATIAM APUD OCULOS TUOS, DOMINE MI, — quod tam benigne me exceperis paverisque. Hebræus et Septuaginta habent in optativo : *Inveniam gratiam,* idque appositum est : optat enim petitque ut Booz gratiam sibi exhibitam continuare et prorogare pergat.

QUI (Hebr. et Sept. *quia*) CONSOLATUS ES ME, ET LOCUTUS ES AD COR ANCILLÆ TUÆ. — Idem, vel quasi idem sunt *consolari,* et *loqui ad cor,* scilicet loqui placentia, grata, jucunda, solari, blandiri.

QUÆ NON SUM SIMILIS UNIUS PUELLARIUM (Hebraice שפכות *sephacoth,* id est, ancillarum) TUARUM. — Ecce mira humilitas Ruth, quæ se facit ancillis omnibus Booz inferiorem, et ancillarum ancillam, ideoque meruit fieri ejus uxor. Sic B. Virgo dicens : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » meruit fieri mater Dei. Hinc Ordo virginum, quæ vulgo Annuntiatæ vocantur, quem instituit B. Joanna, filia Ludovici XI et uxor Ludovici XII regum Franciæ, illam quæ præest cæteris monialibus nuncupat *Matrem Ancillam,* æque ac S. Franciscus sui Ordinis superiores appellari voluit *Ministros,* ut impleant illud Christi: « Qui major est vestrum erit minister vester, » *Matth.* XXIII, 11.

Vers. 14. 14. INTINGE BUCCELLAM TUAM IN ACETO. — Nota hic frugalitatem illius ævi, qua operarii non aliud habebant embamma vel obsonium quam acetum, quo intingentes panem faciebant offam. Acetum enim in æstu laborantes refrigerat, nervos astringit, vires corroborat, putredinem tollit. Unde etiamnum in Italia rustici panem aceto aqua diluto intinctum, quasi offam manducant. « Vini, ait Plinius, lib. XXIII, cap. I, etiam vitium transit in remedia. Aceto summa vis est in refrigerando: non tamen minor in discutiendo. » Et postea : « Per se haustum fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamenta olfactu. » Et Raschi : « Acetum, ait, jucundum in æstu (1). »

(1) Apud æque veteres ac recentiores acetum frequentissime bibebant rustici operarii.

15. ET CONGESSIT, — ipsa Ruth, dante et in sinum ejus congerente ipso Booz, ut habent Septuaginta et Hebræus, quod enim ipse vel ejus vicarius dabat affatim, hoc ipsa congerebat. Vers. 15.

POLENTAM SIBI. — *Polenta* hebraice קלי *cali,* ἄλφιτον, est tostum far sive hordeum. Fiebat autem sic, ait Cato, lib. *De Re rustica,* cap. CVIII : « Perfusum aqua hordeum siccabant nocte una, postero die fringebant, deinde molis frangebant servabantque in multos dies. » Audi Senecam, *epistol.* 111 : « Disce parvo esse contentus, et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus. » Idem, *epist.* 18 : « Non injucunda, ait, res est aqua et polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem. »

ET TULIT RELIQUIAS — cibi et polentæ domum ad Noemi socrum suam, ut eam pasceret, vers. 18. Vide quam officiosa sit Ruth, ideoque a Booz amata, evecta, et in conjugem ascita. Ita videmus eos qui officiosi sunt amari, evehique ad magna.

20. QUONIAM EAMDEM GRATIAM, QUAM PRÆBUERAT VIVIS, SERVAVIT ET MORTUIS, — *q. d.* Booz sicut benefecit Elimelech marito meo, ejusque filiis Mahalon et Chelion, quasi sibi consanguineis, dum viverent, ita nunc pergit benefacere iis mortuis, dum eorum uxoribus, quæ superstites sunt, scilicet, mihi Noemi, et tibi Ruth, beneficus est, nosque alit et pascit. Vers. 20.

PROPINQUUS NOSTER EST HOMO. — Additur in Hebræo : *e redemptoribus nostris ipse est,* seu e vindicibus, id est ex iis ad quos pertinet jus liberandi nos ab orbitate, redimendi facultates nostras, vindicandi nomen filiorum meorum maritique tui ab interitu et oblivione, semen iis ac posteritatem erigendo, ut habetur *Levit.* XXV, 25.

Ubi nota : *Propinquus* vocatur hebraice גואל *goel,* id est *redemptor,* tripliciter, scilicet agri, uxoris et hæreditatis, famæ et injuriæ. *Agri,* quia si a quopiam ager esset venditus alicui externo, propinquus venditoris habebat jus redimendi agrum, reddendo pretium ejus emptori, qui agrum emerat. *Uxoris,* quia si quis sine liberis esset defunctus, propinquus ejus habebat jus, imo debitum ducendi ejus uxorem, ut ei liberos suscitaret, sicque eam cum sua hæreditate quasi redimebat, sibique vindicabat. *Famæ et injuriæ,* quia si quis ab alio fuisset occisus, ad propinquum occisi spectabat cædem ejus vindicare, et occisorem ad necem deposcere, eumque apud judices reum mortis peragere : ut hac ratione occiso quasi suum jus, id est suam famam et innocentiam restitueret.

22. MELIUS EST, etc., UT CUM PUELLIS EJUS EXEAS AD METENDUM, — non ut tu metas, sed ut jungas te metentibus, ut spicas deciduas colligas, uti dictum est vers. 15 et seq. Unde in Hebræo non est τὸ *ad metendum* : caret ergo fundamento expositio Vers. 22.

Abulensis, qui sic explicat, *q. d.* Noemi : suadeo tibi, o Ruth mea nurus dilecta! ut operam tuam impendas Booz, demetendo ejus segetes, idque gratis et sine pretio, ut hoc officio facilius eum tibi concilies, et viam ad matrimonium cum eo ineundum sternas.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ruth suasu Noemi matrimonium Booz jure affinitatis postulat; ille se eam ducturum promittit: ideoque hordeo onustam ad Noemi remittit.

1. Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea : Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi. 2. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat. 3. Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream. Non te videat homo, donec esum potumque finierit. 4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat : veniesque et discooperies pallium quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis : ipse autem dicet tibi quid agere debeas. 5. Quæ respondit : Quidquid præceperis faciam. 6. Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus. 7. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio a pedibus ejus, se projecit. 8. Et ecce, nocte jam media expavit homo, et conturbatus est : viditque mulierem jacentem ad pedes suos, 9. et ait illi : Quæ es? illaque respondit : Ego sum Ruth ancilla tua; expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 10. Et ille : Benedicta, inquit, es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti; quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites. 11. Noli ergo metuere; sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. 12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. 13. Quiesce hac nocte; et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus. Dormi usque mane. 14. Dormivit itaque ad pedes ejus usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz : Cave ne quis noverit quod huc veneris. 15. Et rursum : Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem, 16. et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei : Quid egisti, filia? Narravitque ei omnia quæ sibi fecisset homo. 17. Et ait : Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait : Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam. 18. Dixitque Noemi : Exspecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo, nisi compleverit quod locutus est.

Vers. 1. 1. POSTQUAM AUTEM REVERSA EST (peracta messe) AD SOCRUM SUAM — Noemi. Legit Interpres תשב *tascab*, id est *reversa est* : jam aliis punctis legunt *teseb*, id est *sedit*, commorata est.

QUÆRAM TIBI REQUIEM, — id est quæram tibi honestum et opulentum conjugium, in quo a paupertatis famisque laboribus, cæterisque libera, in mariti divitis et placidi cura et providentia conquiescas, vitamque agas quietam, hilarem et jucundam, nimirum quæram tibi maritum divitem, æque ac benignum, cum quo concorditer et hilariter vivas; nam cum maritis asperis et rixosis non est quies uxori. Porro Aben-Esra: « Non solent puellæ quiescere, inquit, donec nupserint. » Est enim conjugium « quasi juventutis portus, » ait Plutarchus, ne per vagas libidines castitatis faciat naufragium.

Vers. 3. 3. LAVARE ET UNGERE, — oleo simplici, quasi pauper, sed honesta : tales enim tunc oleo ungebantur ad nitorem et lætitiam. Suadet Noemi nu-

rui suæ Ruth ut ungatur oleo, non nardino, aut simili bene olenti et illecebroso, sed naturali et simplici; nec ut stibio, cerussa, aliisque pigmentis et fucis faciem suam coloret et immutet, sed ut facie lota et nitida, et cultioribus vestibus induta compareat coram Booz; ut scilicet ornata modeste eum invitet ad matrimonium sibi quasi debitum. Ornatus enim modestus vestium, et magis morum et virtutum, decet matronam honestam et castam, uti docet S. Petrus, *epist.* I, cap. III, vers. 4. Porro quod de Cleopatra dixit Lucanus, lib. X:

Vultus adest verbis, facies formosa perorat,

in cæteris pariter verum est.

Vers. 4. 4. ET PROJICIES TE, ET IBI JACEBIS, — non nuda; hoc enim inverecundum et illecebrosum fuisset, sed cultioribus vestibus induta, ut dixit vers. 3. Quare licet Lyranus et Dionysius, imo S. Ambrosius, libro III *De Fide*, cap. V, hoc consilium Noemi et factum Ruth accusent, quasi parum honestum et illecebrosum, tamen utramque excusant Theodoretus, Auctor Imperfecti, Abulensis, Salianus et Serarius et alii, tum quia totus hic ornatus et apparatus erat honestus et modestus; tum quia eo non aliud petebatur quam matrimonium debitum; tum quia tam Booz quam Ruth erant grandævi, probatæ et castæ vitæ, ut eis de fornicatione non esset metuendum; tum quia hæc res dirigebatur a Noemi, quæ sapiens et pia erat matrona, ac magis a Deo, qui hoc conjugium contrahi volebat, ut ex eo nasceretur David, et ex eo Christus. Unde Auctor Imperfecti in cap. I *Matth.*, ait *Ruth* hebraice idem esse quod *inspiratio*, eo quod inspirata a Deo hoc egerit: « Nisi, ait, inspiratio Dei fuisset in Ruth, non dixisset quæ dixit, nec fecisset quæ fecit. » Nam aliis feminis et viris hoc factum Ruth non est imitandum, quia periculosum, et ad fornicationem illiciens. Pergit Auctor *Imperfecti*: « Quid primum laudatur in ea? dilectio generis Israel? aut simplicitas? aut obedientia? aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, et una fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem juvenum potius appetisset. Quoniam autem non lasciviæ suæ, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quam juvenilem ætatem. Simplicitas autem, non ultronea sub pallium ejus ingressa est; nec cogitavit ne forte sperneret eam, quasi vir justus lascivam puellam, aut ne deluderet eam, et quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi: sed obaudiens facta socrus suæ consiliis fidenter credidit, quod prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata (1). »

(1) Perplures increduli de hoc exemplo ad scandalum magno apparatu inhiarunt, antiquitatis simplicitatem morum negantes: Voltarius tamen hic fugax philosophus Ferney dicebat: « Nous avons dit bien des fois que ces temps et ces mœurs n'ont rien de commun avec les nôtres, soit en bien soit en mal; leur esprit n'est point notre esprit, leur bon sens n'est point notre bon sens, c'est pour cela même que le Pentateuque, les livres de Josue et des Juges sont mille fois plus instructifs qu'Homère et Hérodote. »

7. ET DISCOOPERTO PALLIO (id est stragulo lecti) A PEDIBUS EJUS SE PROJECIT, — scilicet vestitam, non ad latus Booz, sed transversim ad pedes ejus; hoc enim honestas exigebat. Vers. 7.

8. VIDITQUE MULIEREM. — Licet enim esset nox, tamen quia sub dio in area dormiebat, ac lucente luna vel stellis, facile videre poterat Ruth esse mulierem, non virum; etiamsi quænam esset ex facie dignoscere nequiret ob noctis caliginem. Vers. 8.

9. EXPANDE PALLIUM TUUM SUPER FAMULAM TUAM, QUIA PROPINQUUS ES, — hoc est, duc me uxorem, quia ad hoc quasi propinquus teneris, ut suscites semen marito meo sine liberis defuncto. Unde Chaldæus vertit: *Accedat, quæso, nomen tuum ancillæ tuæ, ut me uxorem ducas,* habeasque tori consortem. Addit Lyranus, sponsum solitum extremitatem pallii sui super sponsam ponere, ut hoc gestu significaret se eam in suam potestatem et tutelam accipere. Accusant nonnulli, ut dixi, hoc dictum factumque Ruth, quasi quæ nimis periculose Booz castitatem tentarit, et suam exposuerit. Verum alii passim excusant, quod confisa castitati Booz et suæ, utpote per tot annos probatæ, censeret nil esse periculi, uti revera ex eventu patuit nihil fuisse. Vers. 9.

Addit Abulensis Ruth petiisse hac phrasi concubitum Booz. Verum hoc non est verisimile; si tamen eum petiit, petiit ut actum conjugalem, non ut fornicarium. Tunc enim clandestina matrimonia non erant vetita: quare per consensum mutuum sive verbis expressum, sive copula carnali indicatum, contrahebatur matrimonium. Si ergo hoc petiit Ruth, nonnisi debitum conjugale petiit, ac per illud petiit ipsum conjugium; idque fecit, tum ut suæ, ac socrus suæ Noemi viduitati et paupertati per opes mariti divitis prospiceret; tum ut nomini et memoriæ mariti sui sine liberis defuncti, suscitando ei semen ex alio marito, consuleret; qui erat actus charitatis et amoris conjugalis: tum ut Dei legi per consuetudinem extensæ, jubenti marito suscitare semen, satisfaceret, ipsumque Booz ad eidem satisfaciendum impelleret: qui erat actus obedientiæ et religionis.

Allegorice S. Hieronymus, procemio in *Osee*: « Salmon, ait, virum justum Booz de Rahab meretrice generavit, qui Ruth Moabitem pinna pallii sui operiens, et jacentem ad pedes ad caput evangelii transtulit. » Et lib. V in *Isaiæ* cap. XVI: « O Moab! in quam desæviturus est leo, et de qua ne reliquiæ quidem salvari poterunt, habeto solatium hoc: Egredietur de te agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum. De petra deserti, hoc est Ruth, quæ ma-

riti morte viduata, de Booz genuit Obed, et de Obed Jesse, et de Jesse David, et de David Christum. »

Vers. 10. 10. ET PRIOREM MISERICORDIAM POSTERIORE SUPERASTI. — Hebraice, *meliorem fecisti gratiam posteriorem priore*; Vatablus, *præstantiorem fecisti pietatem tuam posteriorem priore, q. d.* Pia fuisti in virum tuum viventem, sed pientior nunc es in mortuum, dum allaboras ut illi sine liberis defuncto suscites semen per matrimonium cum illius propinquo. Audi B. Petrum Damianum, lib. VIII, epist. 14 *ad Sorores*: « Ruth socrui reverentiam dignam exhibuit, matronalem pudicitiam tenuit; defuncto viro fidem servavit : idolis deditam patriam parentesque deseruit, et ad cultum veri Dei sine ullo doctoris magisterio, nobilis proselyta transivit. Ecce igitur Judith prospera, quibus in vita fulciebatur abjiciens; Ruth adversa quibus premebatur amplectens. Utraque scilicet mente una, licet diversa fortuna, uni Deo non immerito placuit, quia nec adversis ita succubuit, nec in prospera suimet obliviscens, sese illa dejecit. Sed illa tolerabat quibus abundabat, ista fruebatur qua patiebatur; utraque nimirum de mundanæ inconstantiæ alternitatibus asserens : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. »

Vers. 11. 11. SCIT ENIM OMNIS POPULUS, QUI HABITAT INTRA PORTAS URBIS MEÆ. — Hebræus, *scit omnis porta populi mei,* quod Vatablus et alii exponunt, *q. d.* Scit enim omnis Senatus populi mei. Judices enim et Senatus olim in portis sedebant et judicabant, ut a rusticis et exteris facile adiri et conveniri possent. Plenius Noster *portam populi* explicat per conversionem *populum portæ,* hoc est, populum intra portas habitantem.

MULIEREM TE ESSE VIRTUTIS. — Hebraice חיל *chail,* hoc est, strenuitatis, fortitudinis, roboris, *q. d.* Sciunt omnes te esse viraginem strenuam, sedulam, laboriosam. Unde Septuaginta vertunt : γυνὴν δυνάμεως, id est *mulierem potentem et ἀνδρείαν*, id est *virilem.* Chaldæus, *apertum est ante omnes, qui sedent in porta magnæ Sanhedrim* (id est Congregationis sive Concilii) *populi mei, te mulierem esse justam, et in te robur sive vim esse ad aspiciendam præceptorum Dei lucernam.* »

Vers. 12. 12. SED EST ALIUS ME PROPINQUIOR. — Sciebat utique hoc Noemi; sed norat ejus ingenium, quod nollet pauperculam et extraneam Ruth uxorem accipere, uti eventus ostendit, ideoque non eum, sed Booz modestiorem et pientiorem ad matrimonium ejus honeste invitandum censuit. Ita Abulensis, Serarius et alii.

Vers. 13. 13. BENE RES ACTA EST. — טוב *tob*, id est *bonum est.* Rabbini nonnulli τὸ *tob* accipiunt quasi nomen proprium propinqui, quasi ille nuncupatus fuerit *Tob*, id est *bonus*, sicut *Tobias* dictus est quasi *bonus Deo*, vel *bonitas Dei.* Unde Raschi : « Salmon, inquit, Elimelech et Tob fratres fuerunt. » Verum Septuaginta, Chaldæus, Noster et alii τὸ *Tob* accipiunt ut nomen appellativum, vertuntque in genere neutro, *bonum est.*

EGO TE ABSQUE ULLA DUBITATIONE SUSCIPIAM — in conjugem. Mirare hic insignem charitatem, æque ac castitatem Booz, utpote qui Ruth accubantem nec tangere voluerit, sed matrimonium promiserit. Audi Auctorem *Imperfecti,* hom. 1 *in Matth.* : « Quid in Booz prædicatur? humilitas, castitas et religio. Humilitas quidem et castitas, quia non contigit eam quasi lascivus puellam; nec abhorruit eam quasi castus lascivam : sed mox ut verbum ejus de lege proximitatis audivit, nihil horum omnium lasciviæ imputavit, sed universa religioni adscripsit. Nec despexit quasi dives pauperem; nec veritus est quasi maturus adolescentulam; sed paratior fide quam corpore mane processit ad portam, et provocavit quemdam ex genere, quem jure propinquitatis æstimabat propinquiorem, obtinuit, prævaluit non tantum jure proximitatis, quantum Dei eligentis favore. Idcirco forte prævalens dictus est. » *Booz* enim hebraice idem est quod *fortis.* Hinc Thalmudici Booz conferunt cum castissimo Josepho. Unde R. Eliezer, cap. XXXIX : « Tres fuerunt, ait, qui coram Creatore suo concupiscentiam domuerunt : » Joseph, Booz et Phaltiel filius Lais, de quo II *Reg.* III, 15. Audi et Abulensem : « Profecto, inquit, admirandum est, etiamsi ferreus aut adamantinus esset, et ossa ejus ænea, et caro lapidea. Tulit tamen ista incitamenta venerabilis Booz, virtutis desiderio seipsum temperans. » Et inferius : « Sola ergo reverentia honestatis, et juris amor ipsum Booz tenuerunt, ne venereum expleret opus. Valde ergo laudabilis est vir ille, qui data tali opportunitate, tantis Venereis flammis resistere potuit; ideo nec a nobis sub silentio prætereundus est, sed aliquali laude canendus. Jure ergo de talibus parentibus Christus nasci voluit, quia tantæ virtutis exstiterunt. » Castitas mira Booz.

Porro castitatem Booz multum adjuvit duritiem lecti et frigus; quod scilicet non in lecto plumeo, sed in area, sub dio in aere frigido cubaret, durities enim lecti et frigus valde infringunt ardorem concupiscentiæ; qua de causa Pharisæi, quemadmodum alibi dixi, cubantes, laminam plumbi renibus (in quibus origo est seminis) admovebant ad eos refrigerandos, itaque evitandas nocturnas in somnis pollutiones. Hinc quoque multi Religiosi incedunt nudipedes. Nudi enim frigidique pedes valde restinguunt calorem naturæ æstumque luxuriæ, uti experientia constat. Hinc denique S. Antonius, S. Hilarion et S. Macarius, cæterique Anachoretæ non in lectis, sed humi dormiebant. S. Franciscus, teste S. Bonaventura, in domum Cardinalis cujusdam invitatus, eum noctu in lecto molli decumberet acres sensit dæmonum infestationes; quare mox ex ea profugit, dictitans, « mollibus dæmones ad tentandum allici, asperis vero deterreri et fugari. »

Vers. 15. 15. MENSUS EST SEX MODIOS HORDEI. — Poterat Ruth hos sex modios humeris portare. Nam siligo levior est tritico, hordeum siligine, et avena hor-

deo. Erat enim ipsa « mulier virtutis, » ut dixit vers. 11, id est virilis, fortis et robusta.

Symbolice R. Salomon, apud Lyranum, per sex modios accipit sex dona Spiritus Sancti, quia tot sunt in Hebræo *Isaiæ* cap. XI, vers. 1 et seq. Aben-Esra vero per sex modios accipit sex justos, qui ex Ruth progignendi erant, scilicet Davidem, Danielem, Ananiam, Misaelem, Azariam et Messiam.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Booz coram Judicibus, propinquiore jure suo cedente, adit possessionem Elimelech defuncti, ejusque nurum Ruth accipit uxorem, ex qua gignit Obed patrem Jesse, cujus filius fuit David rex.

1. Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum : Declina paulisper, et sede hic, vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit. 2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos : Sedete hic. 3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum : Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide; 4. quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme et posside; sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es; et me, qui secundus sum. At ille respondit : Ego agrum emam. 5. Cui dixit Booz : Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. 6. Qui respondit : Cedo juri propinquitatis : neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. 7. Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. 8. Dixit ergo propinquo suo Booz : Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo. 9. At ille majoribus natu, et universo populo : Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech et Chelion, et Mahalon, tradente Noemi; 10. et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis. 11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu : Nos testes sumus; faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel; ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem. 12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. 13. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem; ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet et pareret filium. 14. Dixeruntque mulieres ad Noemi : Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel. 15. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est, quæ te diligit; et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios. 16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio. 17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, et dicentes : Natus est filius Noemi; vocaverunt nomen ejus Obed : hic est pater Isai, patris David. 18. Hæ sunt generationes Phares : Phares genuit Esron; 19. Esron genuit Aram; Aram genuit Aminadab; 20. Aminadab genuit Nahasson; Nahasson genuit Salmon; 21. Salmon genuit Booz; Booz genuit Obed; 22. Obed genuit Isai; Isai genuit David.

Vers. 1. 1. ASCENDIT ERGO BOOZ AD PORTAM. — In porta enim sedebant judices coram quibus hæc causa cessionis juris propinquitatis legitime agenda erat.

VOCANS EUM NOMINE SUO. — Hebraice vocans פלני אלמני *peloni almoni*, quod Cajetanus vertit, *sede hic talis*, viduæ scilicet Ruth propinquus; Septuaginta, *declina huc abscondite;* Chaldæus, *vir qui absconditor est viæ suæ*, id est, qui videri non vult.

Verius est τὸ *peloni almoni*, ad verbum significare *talis singularis*, vel *certus quidam, q. d.* Tu talis et talis veni huc, et audi me; habeo enim negotium quod tecum tractem. Sic enim solemus advocare exteros, quorum nomina non scimus; vel si scimus ea, nominare nolumus. Unde a τὸ *peloni* videtur derivatum Hispanicum *fulano*, Græci vocant δεῖνα, Itali *un tale*, Galli *un quidam*.

Porro videtur Booz eum nomine suo compellasse, sed noluit Scriptura ejus nomen exprimere, eo quod indignus esset nominari : utpote qui nollet semen et nomen fratris sui defuncti suscitare. Ita Abulensis; juste enim nomen ejus æterna oblivione sepelitur, qui nomen fratris et propinqui sui eadem sepeliri permittit.

Denique אלמני *almani* derivatur a נאלם *neelam*, id est obmutuit, quia cujus nomen reticetur, illud quasi mutum non auditur, et ut sic dicam, obmutescit; talis ergo dicitur *almoni* : idem dicitur פלני *peloni*, a פלא *pele*, id est occultum et mirabile, quia ea quæ occulta, miramur. Ita Serarius.

Vers. 3. 3. PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI ELIMELECH VENDET NOEMI, — ejus vivi uxor, nunc vidua defuncti; « vendet, » inquam, tam pro se, quam pro nuru sua Ruth alendo : ambæ enim erant pauperes. Licet enim uxores non succederent apud Judæos in hæreditatem maritorum, aut aliorum propinquorum vel affinium defunctorum, tamen ex hoc loco colligitur illas hæreditatis maritorum usumfructum habuisse ad vitam, adeoque eamdem vendere potuisse, sed ita ut jus emendi proxime spectaret ad propinquos mariti defuncti, ad quos post mortem uxoris viduæ devolvenda erat hæreditas. Unde et qui e propinquis hæreditatem hanc, v. g. agrum emere volebat, debebat defuncti viduam relictam uxorem ducere, ut illi, cujus hæreditatem nactus erat, semen suscitaret. Porro verisimile est agrum hunc Elimelech, eo tempore quo ipse peregrinabatur in Moab, alicui elocatum fuisse, qui quotannis ex ejus fructibus annuum censum persolveret. Ita Abulensis, Lyranus, Fevardentius et alii.

Vers 6. 6. CEDO JURI PROPINQUITATIS : NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIÆ MEÆ DELERE (Hebraice, *corrumpere.* Sic et Septuaginta) DEBEO, — *q. d.* Est mihi uxor, sunt filii et filiæ : illos alere debeo, ut meam familiam et nomen propagent; quare nolo secundam uxorem Ruth mihi accersere, ne et illam cum filiis alere, itaque meis, quos jam genui, alimoniam detrahere vel minuere debeam, atque filios, saltem primogenitum, ex Ruth procreandos non mihi, sed alteri gignam, ut scilicet ejus marito, qui propinquus meus fuit, semen et nomen suscitem. Unde Chaldæus vertit : *Non possum mihi vindicare ob causam seu colorem hunc; quia uxor mihi est, ad quam assumere aliam mihi non facultas, ne forte oriatur in domo mea jurgium, et corrumpam hæreditatem meam. Vindica tu tibi possessionem meam, quia tibi uxor nulla, et ego non potero mihi vindicare.*

Vers. 7. 7. SOLVEBAT HOMO CALCEAMENTUM SUUM. — Erat hæc excalceatio, cæremonia politica; scilicet erat signum quod excalceans cederet jure suo, ac sicut calceum, sic et jus suum tradebat alteri propinquo ad emendum agrum sui propinqui defuncti, et ad ejus viduam ducendam in uxorem. Porro excalceatio hæc erat duplex : una in pœnam; si enim frater germanus nollet fratris sui sine liberis uxorem ducere, itaque ei suscitare semen, lex jubebat *Deut.* cap. XXV, vers. 9, eum etiam invitum excalceari, et in faciem ejus conspui; quæ ingens erat pœna, contumelia et ignominia. Altera in signum cessionis juris : si enim quis non esset frater germanus defuncti, sed cognatus in secundo, tertio vel quarto gradu, non tenebatur quidem ex lege *Deuter.* cap. XXV (hæc enim solos fratres germanos tangit) uxorem defuncti ducere ad suscitandum illi semen; tenebatur tamen ad id ipsum ex quadam honestate et consuetudine; si tamen id facere nollet, vel non posset, coram judicibus excalceabat se, calceumque suum alteri propinquo tradebat; ut hoc signo significaret se jus suum illi resignare, tam ad agrum defuncti emendum, quam ad viduam ejus accipiendam in uxorem.

Allegorice S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. V : « Designabatur, inquit, futurus ex Judæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est populi mortui semen doctrinæ cœlestis semine suscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritalia deferebant. Non Moyses sponsus : illi enim dicitur *Exodi* III : Solve calceamentum pedum tuorum, ut Domino suo cedat. Non Jesus Nave filius sponsus. Nam et ipsi dicitur, *Josue* cap. V : Solve calceamentum pedum tuorum, ne ex similitudine nominis sponsus crederetur. Non alius sponsus, sed solus Christus est sponsus, de quo dixit Joannes : Qui habet sponsam sponsus est. Illis igitur calceamentum solvitur, huic solvi non potest, sicut dixit Joannes : Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Solus ergo Christus est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa, ante inops atque jejuna, sed jam Christi messe dives innubat, quæ manipulos fecundæ segetis, verbique reliquias gremio legat mentis interno, ut exhaustam illam viduam morte filii, atque inopem defuncti populi matrem novis pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, et novos quærens. Solus ergo Christus sponsus est, qui nec Synagogæ ipsi manipulos suæ messis invidebat. »

Porro pro *calceamentum suum* Chaldæus vertit, נרתקה *narteke*, id est *vaginam*, vel potius *chirothecam suam*. Forte utrumque fiebat, ut scilicet cedens suo jure et possessione exueret calceum, et simul chirothecam, eamque alteri traderet, significans hoc signo se jus suum illi resignare. Sic enim et nunc nonnullis in locis per chirothecam jus resignatur. Hoc enim signum resignationis est appositum et quasi connaturale. Aut olim hæc resignatio fiebat per calceum, postea vero per chirothecam. Unde Judæi nunc suos contractus et resignationes faciunt per resignationem lintei, quam ipsi vocant *emptionem sudar*, id est sudarii, teste R. Elia. Fuse de his agunt Abulensis et Serarius; Christiani vero hæreditatem domus adeunt per clavium acceptionem, agri vero per pedum positionem.

Vers. 11. 11. QUÆ ÆDIFICAVERUNT DOMUM ISRAEL, — puta genuerunt filios posteros et nepotes Jacobi patriarchæ, qui alio nomine a Deo vocatus est *Israel*, id est *Dominans Deo*, eo quod luctans cum Angelo Dei illi prævaluisset, *Genes.* cap. XXVIII. Rachel enim et Lia uxores Jacobo genuerunt duodecim filios, a quibus tota *domus*, id est stirps et familia Israelis propagata et mire multiplicata fuit. Unde Chaldæus addit : *in duodecim tribubus*, quia hi duodecim Jacobi filii fuere duodecim tribuum parentes, ideoque Patriarchæ.

Vers. 13. 13. TULIT ITAQUE BOOZ RUTH ET ACCEPIT UXOREM. — Licite id fecit, quia ipsa jam erat proselyta et conversa ad Judaismum. Nam lex illa, *Deut.* XXIII, jubens ne Moabites ingrediatur in Ecclesiam Dei, viros tantum concernit, non feminas, uti docet Abulensis. Aliter respondet S. Augustinus in *Deut.*, Quæst. LV : « Quæstio, inquit, quomodo intraverit Ecclesiam Domini Ruth, quæ Moabitis fuerit, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi forte istam mystice prophetaverit intraturam, quod ait usque ad decimam generationem. Computantur enim decem generationes ex Abraham, quando fuit et Lot, qui genuit Moabitas et Ammonitas, » *Gen.* XIX et XXXVII. Sunt autem istæ generationes : « Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Nahasson, Salmon, cujus filius Booz. »

Hæc responsio est ingeniosa, sed non genuina. Nam in *Deut.* additur : « in æternum. » Moraliter audi Auctorem *Imperfecti*, hom. 1 *in Matth.* : « Ruth, ait, pro merito fidei suæ nupsit Booz, quia propriam gentem contempsit, et terram, et genus, et elegit Israel, et non despexit socrum, viduam simul et peregrinam, desiderio ducta generis ejus magis quam sui, deos patrum suorum repulit, et Deum viventem elegit. Rursus Booz pro merito suæ fidei illam accepit in uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus non sibi uxorem accepit, sed Deo; non propter passionem corporis sui, sed propter justitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo; non magis amore quam religione ferventior : ætate senex, juvenis autem fide; et ideo forsan nominatus est in virtute, vel virtus in ipso prævalens. Quoniam qui secundum ætatem ad ineundum conjugium est in virtute, nominabilis et laudandus, quia est in virtute; sed qui extra ætatem conjugalem jam factus, accepit ex religione virtutem ad conjugium ineundum, sicut iste Booz, ille laudabilis et nominabilis est, quia existit in virtute, et illius talis viri virtus in ipso est. » S. Hieronymus, *epist.* 25 : « Vide, ait, quanti meriti sit desertæ præstitisse solatium. Ex ejus semine Christus oritur. »

Vers. 16. 16. SUSCEPTUMQUE NOEMI PUERUM POSUIT IN SINU SUO, ET NUTRICIS AC GERULÆ FUNGEBATUR OFFICIO, — docens puerum ambulare, loqui, colere Deum, parentibus obedire, legem Dei audire, turpia fugere, honesta sequi, beneficentiam in omnes exercere, nulli nocere, cœlum ambire, etc.; a pueritia enim pendet adolescentia, virilis ætas, totaque hominis vita. Quare puerorum recta institutio summi est momenti ad eorum salutem æque ac ad Reipublicæ bonum. Quocirca S. Hieronymus, epist. *ad Lætam*, de filiola ejus Paula, quæ neptis erat S. Paulæ, ita scribit : « Ipse, si Paulam miseris, et magistrum et nutricium spondeo; gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo; multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam regnis cœlestibus offerendam.

Vers. 17. 17. VOCAVERUNT NOMEN EJUS OBED. — *Obed* hebraice idem est quod serviens, sustentans, sublevans, ait Pagninus. Vocarunt ergo eum « Obed, » quasi optantes et augurantes ut hic filius parentibus jam labore et ætate grandævis, obsequiis suis serviret, eorumque senectam solaretur et sustentaret. Unde versu 15, dicunt de eo : « Qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem. » Ita Josephus, Serarius et alii : sic apud Romanos vocatus est *Scipio*, eo quod ipse junior parenti seni et cæcutienti, instar scipionis, cui incedens incumberet, subserviret. *Obed* enim hebraice idem est quod latine *scipio* sive sustentaculum. Unde mater Tobiæ, cap. V, 23, filium suum vocat « baculum senectutis. » Porro Cornelius cognomento Scipio, a quo Scipionum gens patricia initium habuit, patrem luminibus carentem pro baculo gerebat, quem Grammatici *scipionem* appellant : hinc illi cognomen *Scipionis* inditum, quod deinde posteris ejus adhæsit, ait Macrobius, lib. I, cap. IV. Rursum, *Obed* hebraice idem est quod *colens*, scilicet Deum, ut ex Chaldæo ait Fevardentius : fuit enim Obed pius tam in Deum, quam in parentes, æque ac Jesse ejus filius, a quibus David suxit suam virtutem et pietatem. Obed etymon.

Dices : Filius hic potius vocandus erat *Mahalon*, quia ei suscitabatur semen. Respondet Abulensis, *Quæst.* LXXXV : « Oportuisset filium, qui e posteriori matrimonio primus nascebatur, de-

functi nomine affici, siquidem qui defuncti uxorem duceret, verus ac proprius illius frater esset, non autem, si frater improprie, id est, cognatus tantum esset. »

Allegorice, Booz repræsentat Christum; Ruth, Ecclesiam e gentibus convocatam. Lege Auctorem *Imperfecti*, hom. 1 *in Matth.*

Moraliter vide Hugonem, Dionysium, Fevardentium, Serarium, ac præsertim Ludovicum de Puente in priore parte *Ducis sui spiritalis*, ubi ex dictis factisque Ruth pulchra et singularia elicit morum documenta.

Vers. 21. 21. SALMON GENUIT BOOZ, BOOZ AUTEM GENUIT OBED. — Arias in *Apparatu Bibl. Reg.* tract. *De Nominibus Hebraicis*, censet *Salmon* idem esse quod *Salomon*, sed fallitur: *Salmon* enim scribitur per *sin*; *Salomon* vero per *schin*. Rursum *Salomon* hebraice dicitur שלמה *Selomoh*, habetque ultimam litteram *He*; צלמון *Salmon* vero habet ultimam *Nun*. Denique *Salmon* hebraice idem est quod *vestitus* aut *vestiens*; *Salomon* vero idem est quod *pacificus*. Ita Serarius.

Vers. 22. 22. OBED GENUIT ISAI (qui est Jesse), ISAI GENUIT DAVID. — *Jesse* hebraice idem est quod *munus*, vel *existens* aut *debitor*.

Nota: Salmon fuit maritus Rahab, quæ Jerichuntem prodidit Hebræis, *Josue* II; a Rahab autem et Salmon, id est, ab ingressu Hebræorum in Chanaan usque ad annum quartum Salomonis fluxere anni 440, ut colligitur ex III *Reg.* VI, 2; ab annis enim 80, qui ibi numerantur, demendi sunt 40, qui ab ingressu Hebræorum fluxere in peregrinatione per desertum, usque ad ingressum in Chanaan. Ergo his 440 annis tantum quinque fuere generationes. Salmon enim genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Jesse, Jesse genuit David, David genuit Salomonem. Unde nonnulli censent singulos quatuor primos, scilicet Salmon, Booz, Obed et Jesse, genuisse anno ætatis centesimo, ut conflent 440 annos jam dictos. Ita Abulensis, Serarius, Dionysius, Cajetanus, hic Salmeron, Barradius et Maldonatus in *Matth.* I. Verum hoc violentum videtur, et ex necessitate confictum. Planius Lyranus, R. Salomon, Genebrardus, Catharinus, Jansenius et Salianus tres ponunt Booz, qui omnes unico hoc nomine Booz contineantur; sicut *Matth.* I, nomine Jechoniæ continetur tam Joakim pater, quam Joachim filius, de quo mox plura. Sic ergo has generationum series distribuit Salianus, tom. II, anno Debboræ et Barac 21. Salmon in ingressu Chananitidis, quando duxit Rahab in uxorem, quartum circiter et trigesimum agebat annum; ipsa vero ferme 25. Post alios ex ea susceptos liberos, genuit anno ætatis sexagesimo primum hujus nominis Booz; de summa ergo 440 annorum, qui numerantur ab ingressu in Chananæam, usque ad jacta templi fundamenta, tollendi erunt 26 anni. Booz autem primus ac secundus genuerunt 65 ætatis anno, tertius autem septuagesimo, Obed, item

Series genealogiæ.

et Isai 70; quibus adde 70 annos vitæ Davidis; et quatuor de regno Salomonis, efficies omnino 440 annos.

Ex his autem probabiliter collectum vides primum Booz natum decimo Othonielis anno; secundum, 35 Aodi; tertium, 20 Baraci, duxisseque Rutham, ac genuisse Obed, septimo anno Tholæ; Isai autem natum primo Samsonis, et genuisse Davidem anno undecimo Samuelis ineunte.

Si quis tamen malit dicere Salmon, Booz, Obed et Jesse genuisse anno centesimo, potius quam duos Booz uni sacræ Scripturæ adjungere audeat, dicat similia exstare illius, imo posterioris ævi exempla. S. Servatius enim Trajectensis episcopus et patronus vixit 373 annos, teste Sigeberto in *Chron.* Celebratur in Historiis Joannis de temporibus qui vixit 300 annos. Maffeius, lib. XI *Hist. Indicæ*, trecentos pariter annos cuidam Indo assignat. Verum hæc portenta sunt et quasi miracula, quæ in uno duntaxat contigerunt; hic autem oportet asserere longævitatem hanc contigisse quatuor hominibus sibi invicem continua generatione succedentibus, quod est inauditum; præsertim cum David eorum filius vitam homini sua ætate circumscribat 70 annis: « Dies annorum nostrorum, inquit, in ipsis septuaginta anni, » *Psalm.* LXXXIX. Porro sæpe in Scriptura generationes et nomina aliquorum generantium subticentur, ut *Matth.* cap. I, 3, ubi dicitur: « Joram autem genuit Oziam. » Joram enim genuit Ochoziam: Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam. Ibidem vers. 11: « Josias autem genuit Jechoniam, » ubi Jechonias ponitur pro duobus, scilicet pro Joakim sive Jeconia, et Joachim sive Jechonia; scilicet Josias genuit Jeconiam, Jeconias autem genuit Jechoniam. Accedit ratio: nam hisce 440 annis, qui fluxere a Salmon ad Salomonem, in cæteris tribubus non quinque, sed longe plures fuere generationes.

Exemplum unum e multis clarum accipe I *Paralip.* VI, 33. Ab Heman qui fuit Cantor tempore Davidis, ascendendo ad Core qui vixit tempore Mosis, eique rebellans a terra absorptus fuit, *Numer.* XVI, numerantur octodecim generationes. Sic enim ait: « Heman Cantor filius Johel, filii Samuel, filii Elcana, filii Jeroham, filii Eliel, filii Thohu, filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, filii Elcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Thahat, filii Asir, filii Abiazaph, filii Core. » Numera τὸ *filii* decies octies repetitum, et videbis octodecim generationes hic recenseri.

Quare verisimile est hic pariter aliquas præteriri, et nonnullos filios intermedios quasi obscuriores omitti, nominari vero tantum illustriores, uti Naasson, quia ipse fuit princeps tribus Juda in ingressu terræ sanctæ, duxitque Rahab uxorem; Booz, quia ipse fuit maritus Ruth, cujus

historia hic texitur; Obed, quia ex eis natus est Isai, qui fuit pater Davidis regis (1).

Denique Rabbini in *Juchasin*, pag. 10, tradunt Ruth, cum nupsit Booz, fuisse annorum 40, ac deinde diu admodum vixisse: « Nam fuit, inquiunt, adhuc tempore Salomonis, et ad ejus latus una cum Bethsabea sedebat in throno regio.» Sic et filium ejus Obed aiunt vixisse 400 annos, sed hæc incredibilia, ideoque conficta videntur.

Tropologice S. Chrysostomus, hom. 1 *in Matth.*: « Talis, inquit, Booz ex tali conjuge Ruth, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur *subditus*. Nunc autem qui divitias eligunt, et non mores, pulchritudinem, et non fidem; et quod in meretricibus solet quæri, hoc in conjugibus optant, propterea non generant filios subditos vel sibi, vel Deo, sed contumaces et contra se et contra Deum, ut filii eorum non sint fructus justæ conjunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum. Iste autem Obed, qui *subditus* dicebatur, quid genuit? Jesse, id est, refrigerium; Jesse enim latino sermone *refrigerium* appellatur. Nam vere quicumque subditus est Deo et parentibus suis, tales filios generat Deo præstante, a quibus refrigeretur, quoniam qui honorat patrem honorabitur a filiis suis; qui autem contumaces existunt aut in Deum, aut in parentes, generantes non refrigeria sibi generant, sed dolores, ut a filiis suis recipiant quod fecerunt in parentibus. »

Addit Chrysostomus forte *Obed* sic appellatum quod eo nascente Hebræi Philistæis essent *subditi*, a quibus liberati fuere per Samuelem, sub quo vixit Jesse filius Obed; ideoque eum vocatum esse *Jesse*, id est, *refrigerium*.

(1) Verisimile est quasdam generationes omissas ponendas esse intermedias Obed et Isai, vulgo Jesse.

COMMENTARIA

IN

LIBRUM PRIMUM SAMUELIS

SIVE

REGUM.

ARGUMENTUM.

Ordo. Libri Regum recto temporum ordine proxime sequuntur librum Judicum, cujus appendix est liber Ruth. Post Judices enim in Israele regnarunt Reges, quorum gesta hic describuntur, ideoque libri Regum nuncupantur. Itaque liber Judicum desinit in Samsone, qui ante Heli ultimus fuit Judex, judicavitque annis 20, *Judic.* XVI, vers. ult. Samsoni proxime succesit Heli Pontifex, qui quasi Judex præfuit Israeli 40 annis : Heli successit Samuel et Saul totidem annis. Samuel ergo absolute ultimus fuit Judex : nam sub eo populus petiit regem, quem Samuel jussu Dei eidem primum dedit Saulem. Hic igitur mutavit statum Reipublicæ ac Aristocratiam Judicum convertit in Monarchiam Regum. Heli autem licet Judicis gesta, non in libro Judicum, sed in in hoc libro Regum præmittuntur, quia sub ipso floruit Samuel propheta, qui principatum mutavit in regnum, de quo mox.

Materia. Hisce igitur quatuor Regum libris Spiritus Sanctus prosequitur historiam gentis Judaicæ, et Ecclesiæ sive Synagogæ veteris proxime a Judicum exitu, quorum ultimus fuit Samuel, cujus hic gesta præmittuntur; quia ab eo facta est mutatio regiminis aristocratici in monarchicum et regale. Unde Regum nomine hi libri inscribuntur. Nam in *primo* libro agitur de ortu, educatione et principatu Samuelis, ac de regno, actis et morte Saulis; in *secundo* agitur de regno Davidis, qui Sauli a Deo ob inobedientiam rejecto, a Samuele jussu Dei surrogatus est : quocirca hi duo primi Hebraice vocantur libri Samuelis, sive quia a Samuelis gestis incipiunt, sive quod gesta Saulis et Davidis, gesta Samuelis censeantur, eo quod Samuel eos reges constituit.

Sectio Porro hi duo primi libri complectuntur tempus quo Heli, Samuel, Saul et David præfuerunt Israeli, quod fuit 120 annorum. Nam, ut dixi, Heli præfuit annis 40 totidem Samuel et totidem denique David.

Duo vero posteriores libri, scilicet *tertius* et *quartus* Regum, enarrant acta Salomonis, qui Davidi patri successit, ejusque filiorum et nepotum, qui in Juda a Salomone usque ad ultimum Sedeciam regnarunt; item gesta Jeroboam et posterorum ejus, qui schisma facientes a Roboam et Juda, in Israele, id est in decem tribubus regnarunt usque ad ultimum regem Osee, qui a Salmanasar captivus abductus est in Assyriam anno sexto Ezechiæ regis Juda. Igitur hi duo libri historiam omnem regum tam Juda quam Israel a primo ad ultimum per annos 430 pertexunt. In qua ad litteram multa virtutum, multa etiam divinæ providentiæ, Deique juste infideles et impios punientis, et fideles piosque præmiantis exempla passim describuntur : multa quoque prophetice dicta intexuntur, quæ ad institutionem fidelium et mores dirigendos multum conferunt. Audi S. Gregorium hic in *Proœmio* : « Historia Regum, quia eo Spiritu condita, quo et cætera Scripturæ sanctæ volumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor Sacramentis, quibus non est inferior titulo auctoritatis. Nam omnes scriptores ejus fuisse Prophetæ referuntur, qui, cum historica narrant, spiritalia signant, exteriora loquuntur, et intima innuunt; terrena proponunt, ut cœlestia exsequantur, » etc. Et post nonnulla : « Suavis est historia Regum in superficie litteræ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis. » Et D. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. I : « Ipsa Scriptura quæ per ordinem Reges eorumque facta et eventa dirigens, videtur tanquam historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis, si adjuvante Spiritu Dei considerata tractetur, vel magis vel certe non minus prænuntiandis futuris,

quam præteritis enuntiandis invenietur intenta. »

Porro duo primi libri ab Hebræis vocantur libri Samuelis, imo ab eis æque ac Syris vocantur *Prophetia Samuelis*; duo vero posteriores soli ab eis vocantur libri *Regum* vel *Regnorum*, quod in eis plurium regum tam Juda quam Israel regna, id est, regnationes modique regnandi recenseantur.

Utilitas. Ubi nota quantum differat historia sacra a profana : illa enim, cum spiritu divino conscripta sit, narrat res humanas ut a divina providentia gubernantur; hæc vero spiritu humano composita refert eas, ut hominum prudentia et industria proveniunt; itaque illa docet prudentiam divinam, qua mens pio cultu Deo adhæreat, ejusque ope et religione potissimum nitatur; hæc vero prudentiam humanam et minutas quasdam cautiunculas hominum industria inventas, quæ plerumque parum habent virium, et sæpe afferunt periculum. Quare nihil congruentius principum instructioni quam sacræ historiæ, præsertim lib. Regum explicatio. Inde enim clare intelligent fundamentum regni et politiæ, totiusque prosperitatis in vera religione et justitia collocandum : extra hoc nihil Christiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V Imperatori, cui adolescenti Adrianus (postea sextus ejus nominis Pontifex) institutor suasit lectitare libros Regum. Unde ille ea hausit gubernandi documenta et principia, quæ illum non solum Catholicum effecerunt, sed etiam in maximum et potentissimum principem successibus felicem evexerunt.

Pari modo refert Cicero *ad Quintum fratrem*, Scipionem Africanum assidue lectitasse pædiam Cyri, indeque tantum in bello æque ac pace ducem et principem evasisse. Lampridius in *Alexandro Severo*, refert eum solitum legere *Rempublicam* Platonis; Plutarchus in *Alexandro Magno*, scribit eum sæpe ad manum habuisse Homerum, ex cujus lectione sentiebat sibi addi animos ad heroica facinora, quando in eo tanta Achillem patrasse cernebat. Porro Religionem orthodoxam esse fundamentum imperii scribit, et inculcat Theodosio Imperatori S. Cyrillus, lib. *De Recta fide*, sub initium. Denique S. Clemens, lib. I *Apost. Const.* cap. VI, docet Christiano lectitandos esse libros Regum, inde enim veras piasque historias petendas esse, non a libris Gentilium.

Allegorice. Allegorice et tropologice S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum* : « Samuel, inquit, in Heli mortuo et in occiso Saule, veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoch atque David, novi sacerdotii novique imperii Sacramenta testatur. Melachim, id est, Regum tertius et quartus liber a Salomone usque ad Jechoniam; et ab Hieroboam filio Nabat usque ad Osee, qui ductus est in Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt. Si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, et hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur. »

Omnes enim reges Juda fuere typi Christi ex eis nasciturі, qui est Rex regum et Dominus dominantium, ut ait hic S. Gregorius. Unde S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXIV. « Dico, inquit, illorum hominum non tantum linguam, sed etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quemdam, quia et magni cujusdam, fuisse Prophetam. »

Auctor. Primum Regum librum scripsit Samuel propheta (unde duo primi libri ab Hebræis Samuelis vocantur) usque ad mortem suam, quæ recensetur lib. I, cap. XXV. Ita censent S. Gregorius, Theodoretus, Procopius, Eucherius, Hugo, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Vatablus, Serarius et alii passim; mortem vero Samuelis et gesta post eam usque ad finem libri secundi scripsit David, ait S. Isidorus, lib. VI *Originum*, cap. II, aut potius Nathan et Gad prophetæ, qui Davidi erant a secretis et commentariis, ut scilicet ejus acta per singulos dies, quasi Diaria et Chronica sive Ephemerides conscriberent, uti diserte dicitur I *Paralip.* XXIX, in fine. Ita censet Bellarminus et Sixtus Senensis, lib. I, licet Abulensis hic, et Quæst. IV in cap. XVII lib. *Judicum*, eos ab Isaia vel Jeremia conscriptos putet, eo quod cap. XXVII, vers. 6, *Siceleg.* dicatur facta regum Juda « usque ad diem hanc : » hoc enim non videtur dixisse David, sed aliquis eo posterior, ut Isaias vel Jeremias. Verum hæc particula libro jam composito addi potuit ab Isaia vel Jeremia, uti similia addita sunt in Pentateucho Mosis, Josue, Judicum et aliis libris.

Duos posteriores Regum libros usque ad Jerosolymæ excidium, ex priscis singulorum regum annalibus a Jeremia scriptos esse censet Procopius, Isidorus, R. Moses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis, lib. I. Item Abulensis, Dionysius et alii; idque confirmatur ex eo quod caput ultimum Jeremiæ idem sit cum capite ultimo libri quarti Regum. Isaias enim diu ante posteriorum regum tempora et captivitatem Babylonicam, quæ hic enarrantur, mortuus fuit : ea vero vidit Jeremias. Ubi nota : singuli reges suos habebant a commentariis, qui acta eorum, sive Diaria quotidie conscriberent; sic enim gesta Salomonis scripsit Ahias Silonites et Addo propheta, ut dicitur II *Paralip.* IX, quæ III *Reg.* XI, vocantur « liber verborum, » id est factorum « dierum Salomonis, » ait Theodoretus et Abulensis. Sic acta Roboam filii Salomonis, æque ac Abiæ regis filii Roboam, scripsit idem Addo et Semeias propheta, ut dicitur II *Paralip.* XII, 15, et cap. XIII, 22. Sic Oziæ regis gesta scripsit Isaias, ut ibidem dicitur cap. XXVI, vers. 22, æque ac Ezechiæ, uti ibidem dicitur cap. XXXII, vers. 32; unde putant nonnulli Isaiam gesta regum scripsisse, vel ex Diariis collegisse a Salomone usque ad Manassem, a quo Isaias interfectus est; reliqua deinde usque ad captivitatem Babylonicam post Isaiam pertexuisse Jeremiam. Ita Sanchez. Favet quod quatuor capita Isaiæ, scili-

cet XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, prorsus eadem sint cum IV *Regum* cap. XVIII, vers. 19 et 20. Addit Sanchez viros Ezechiæ, qui collegerunt Proverbia Salomonis, *Proverb.* XXV, forte Diaria quoque collegisse. Vide Sixtum Senensem verbo *Ezechias*. Sic pariter Jehu filius Hanani scripsit verba dierum, id est Diaria, sive Commentarios et Annales Josaphat regis, ut patet II *Paralip.* cap. XX, vers. 34. Hinc etiam a Septuaginta vocatur *liber Paralipomenon*, qui hebraice inscribitur *dibre haiamim*, id est *verba*, hoc est gesta *dierum*, quasi dicat : hic liber continet ea quæ in libris Regum relicta et omissa sunt ex iis, quæ in priscis regum Diariis conscripta erant. Ergo hi Regum libri ex antiquis eorum Diariis collecti sunt, partim ab Isaia, cæterisque viris ab Ezechia ad hoc deputatis, partim a Jeremia, partim ab Esdra, uti sunt ea quæ post Jeremiam sub Cyro contigerunt.

Libris Regum attexuntur duo libri *Paralipomenon*, id est *relictorum*, sive *residuorum*, et ut S. Hieronymus, epist. *ad Domnionem*, ait, « præteritorum; » quia hi supplent ea quæ in libris Regum de regibus Juda (nam gesta regum Israel vix tanguntur in lib. *Paralipomenon*) prætermissa sunt; unde eos hic intexam, ubi eadem narrant; peculiaria vero quæ addunt, in illis ipsis explicabo. *Paralipomenon* auctor non fuit Jeremias, quia capite ultimo narratur solutio captivitatis Babylonicæ, ante quam mortuus est Jeremias (nisi quis dicat hanc illis postea additam, uti mors Mosis addita fuit *Deuteronomio*); unde Hebræi, Lyranus, Abulensis et Joannes Driedo, lib. I *De Script. Eccles.*, et Sixtus Senensis, lib. I *Bibliot.*, probabiliter opinantur eos conscriptos ab Esdra, quia idem est finis *Paralipomenon*, et initium *Esdræ*, ut patet intuenti : et quia cum eadem historia narratur in libris *Regum*, *Paralipomenon* et *Esdra*, narratio *Paralipomenon* consentit cum *Esdra*, non cum libris *Regum*. Rursum in fine *Paralipomenon* narrantur gesta Cyri, quæ narrare non potuit Jeremias, qui ante Cyrum, sed Esdras, qui post Cyrum vixit.

Dices, II *Paral.* V, 9, dicitur : « Fuit arca ibi (in templo) usque in præsentem diem. » Hoc autem de tempore Esdræ dici nequit : nam ante captivitatem Jeremias arcam extulerat et absconderat, ut patet II *Machab.* II, 5. Respondet Abulensis τὸ *usque in præsentem diem* intelligi de diebus Nathan, Addo et Ahiæ, qui primi Chronica et Diaria Paralipomenon conscripserunt, ex quibus Esdras ea descripsit et in ordinem redegit. Nam alioqui falsum esset quod in fine *Paralipemenon* de Cyro narratur. Constat enim diu ante Cyrum arcam ab Jeremia fuisse absconditam.

Porro « Paralipomenon liber, ait S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum*, id est instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturæ sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. » Et Cassiodorus, lib. *De Divin. lect.* cap. II : « In Paralipomenon, ait, libris duobus, a patribus magna prædicatur utilitas, qui veram gestorum notitiam breviter quidem, sed plenissime continere noscuntur. »

INTERPRETES.

Primo. Ad litteram scripsit quæstiones in libros Regum et Paralipomenon S. Hieronymus, sed de iis merito dubitat Bellarminus et alii an sint S. Hieronymi, quia S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, testatur se scripsisse Traditiones sive Quæstiones Hebraicas in *Genesim*, *Loca Hebraica et Nomina Hebraica*, sed de Traditionibus sive Quæstionibus Hebraicis in libros *Regum* et in libros *Paralipomenon* nihil dicit; præterea in quæstionibus Hebraicis in *Genesim* adscribit idem S. Hieronymus passim verba Hebraica; in Quæstionibus autem in libros *Regum* et *Paralipomenon*, non nisi semel aut iterum id facit. Denique gravior videtur scriptio illa in *Genesim*, quam ista in libros *Regum* et *Paralipomenon;* sed cujuscumque sit hoc opus, non magni refert. Quare Quæstiones has esse S. Hieronymi, pernegat Serarius, sunt tamen antiqui auctoris; nam sæpe citantur ab Angelomo.

Secundo. S. Augustinus scripsit librum *ad Simplicianum*, in quo quinque quæstiones ex libris *Regum* resolvit. Item in *Canticum Annæ*, lib. XVII *De Civit.* cap. IV. Adhæc in varios Regum locos sermones decem, nimirum 196, 200, 201, 204, 206, 207, 210, 211 *De Tempore*, et primum inter *Homilias* 50.

Tertio. S. Eucherius ex monacho Lugdunensis episcopus, anno Domini 441, tempore Leonis I Pontificis et Theodosii junioris Imperatoris, scripsit in libros *Regum;* quem hisce elogiis ornat Claudianus Mamertus, episcopus Viennensis illi coævus, lib. *De Statu animarum* : « Eucherius viridis ævi, maturi animi, terræ despuens, cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquio profluus, magnorum sui sæculi Pontificum longe maximus, » etc.

Verum, ut recte advertit Bellarminus *De Script. Ecclesiast.* in *Eucherio* : « Hi commentarii nequeunt esse Eucherii, eo quod auctor sæpe S. Gregorium citet, et ad finem expositionis libri primi *Regum*, lectorem invitet ad *Moralia* S. Gregorii perlegenda, S. autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur scripsisse Eucherium ad Salonium et Uranium de obscuris Sanctarum Scripturarum capitulis. »

Porro auctor horum commentariorum videtur fuisse Anglus, et vixisse paulo post tempora S. Gregorii. Nam in lib. III *Commentariorum in libros Regum*, cap. XXII, sic loquitur : « Nostris, ait, nuper temporibus S. Gregorius Papa, Evangelicis roboratus eloquiis, Romanam rexit Eccle-

siam, et reverendissimi Patres Augustinus, Paulus et alii socii eorum jubente illo venerunt in Britanniam, » etc. « Atque ab hoc auctore multa iisdem pene verbis descripsit Beda in suis Quæstionibus super libros Regum, » ait Bellarminus, loco citato. Unde Doctores Lovanienses et Sixtus Senensis suspicantur hos commentarios non esse Eucherii, sed Bedæ.

Quarto. Venerabilis Beda, qui floruit anno Domini 730, scripsit Quæstiones in libros *Regum*, quæ incipiunt : *Post librum Judicum.*

Quinto. Angelomus Gallus, monachus Ordinis D. Benedicti Congregationis Lexoviensis, vir in divinis Scripturis nobile sortitus ingenium, jussu Drogonis episcopi Metensis, filii Caroli Magni Imperatoris, collegit e Commentariis veterum Patrum opus in IV libros *Regum*. Claruit anno Domini 830. Porro Angelomus primo sensum litteralem, deinde allegoricum prosequitur, idque fere ex Quæstionibus S. Hieronymi in libros *Regum*.

Sexto. Posterioribus sæculis scripsere in hos libros Lyranus, Hugo, Dionysius, Abulensis fuse et ex-

Septimo. acte. Nuper Cajetanus et Vatablus. Novissime nostri Franciscus Mandoza, Gaspar Sanchez et Nicolaus Serarius.

Octavo. Mysticum sensum horum librorum tradit Commentarius Eucherii jam citatus. S. Augustinus nonnulla variis in locis tetigit, quæ collegit Germanus quidam in opere lucubrationum S. Augustini in *Biblia*, collegit etiam Godefridus, Tilmanus, Carthusianus Parisiensis in hos libros, æque ac in cæteros biblicos sensus mysticos ex variis auctoribus, sed fere ignotis. S. Gregorius tropologice scripsit in cap. XVI lib. I *Regum;* Origenes homiliam unam in prima capita. Exstat Venerabilis Bedæ expositio allegorica in Samuelem prophetam, in quatuor libros distincta ad Accam. Nonnulla quoque ex his libris allegorice explicat S. Prosper, lib. *De Promis. et prædict.* Denique in libros *Regum* et *Paralipomenon* scripsit Procopius Gazæus, sed ejus commentarios necdum vidi, et an impressi sint dubitat Bellarminus. Noster Serarius hic testatur se eo manuscripto ex bibliotheca Marci Velseri usum fuisse.

CHRONOLOGIA REGUM SACRA ET PROFANA.

Post Mosen Josue præfuit Israeli 17 annis, deinde Judices usque ad Samsonem inclusive per annos 299, uti ostendi initio *Josue* et *Judicum*. Judicibus, puta ultimo Samsoni immediate successit Heli per annos 40. Mox Samuel et Saul per totidem annos, inde David per totidem annos, Davidi Salomon tot pariter annis. Quocirca a morte Mosis et ingressu Hebræorum in Chanaan usque ad Heli, a quo incipiunt libri *Regum*, fluxere anni 316. Quare cum Moses mortuus sit anno mundi 2495, eodemque anno Hebræi duce Josue ingressi sint terram promissam, sequitur Heli Israeli præesse cœpisse anno mundi 2811. Illo enim mortuus est Samson eique successit Heli, qui fuit annus ante Christi nativitatem 1357. Post captam Trojam (a qua Gentiles omnes suas computant historias) 29. Hæc omnia juxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho digessi. Porro S. Cyrillus Alexandrinus, Græcorum doctissimus, lib. I *Contra Julianum*, hunc assignat synchronismum, sive combinationem historiæ sacræ cum profana : Troja, ait, expugnata est post Mosen anno 410, regnante apud Hebræos judice Esebon, apud Ægyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamo, apud Græcos Agamemnone. Synchronismus.

Quinto anno post captam Trojam, apud Latinos regnavit Æneas, apud Hebræos Judex Samson.

Anno 65 post captam Trojam mortuus est Heli Pontifex, prophetat Samuel, regnat Saul.

Anno 165 post captam Trojam floruerunt Homerus et Hesiodus, apud Latinos Alba Sylvius.

Anno 268 post captam Trojam vixerunt Elias et Elisæus, regnante apud Hebræos Joram.

Anno 275 post captam Trojam Lycurgus leges dedit Spartanis, Latinis rex Procax Sylvius.

Anno 280 post captam Trojam prophetarunt Osee, Amos, Isaias.

A capta ergo Troja usque ad primam Olympiadem anni 815.

Prima Olympiade, nascuntur Romulus et Remus, regnante apud Hebræos Joathan, in Israel Phacee.

Olymp. 35, fuit Thales Milesius vixitque usque ad Olympiadem 58.

Olymp. 36, prophetant Jeremias et Sophonias.

Olymp. 46, Solon leges dedit Atheniensibus, abrogans Draconis leges.

Olymp. 49, cum Judæi essent in Babylone, prophetant Daniel et Ezechiel.

Olymp. 50, floruerunt septem Sapientes et Anaximander.

Olimp. 56, regnat Cyrus, prophetant Aggæus, Zacharias. Hæc omnia S. Cyrillus et plura.

Adverte in hoc S. Cyrilli computu Judicem Esebon esse Abesan. Hunc enim Septuaginta vocant Ebesan, pro quo Cyrilli codex corrupte habet Ebeson, sub quo captam Trojam censet Cyrillus, licet Eusebius, Salianus et alii putent præcise captam Trojam anno ultimo Ahialon judicis, qui proxime successit Abesan; sed hoc in tanto numero et computu priscorum annorum exigua est differentia, ac concordari potest dicendo Trojam a Græcis obsessam fuisse per decem annos : quare sub Abesan cœpisse obsideri, et hoc velle Cyrillum; sub Ahialon vero fuisse expugnatam et hoc velle Eusebium, Salianum atque alios. Rursum Cyrillus a capta Troja usque ad Samsonem numerat annos quinque : quare pro Esebon in Cyrillo legendum videtur Abdon. Hic enim successit Judici Ahialon præfuitque per octo annos, *Judic.* cap. XII, 8 et seq. Abdoni autem successit Samson. Hic enim fuit ordo : Abesan præfuit Is-

raeli septem annis; post hunc Ahialon annis decem; post hunc Abdon annis octo; post hunc Samson annis 20. Cyrillus suo Esebon sive Abdon tantum tribuit annos quinque. Hinc rursum asserit anno 65 post captam Trojam, mortuum esse Heli eique successisse Samuelem, cum præcise id contigerit anno 69 post captam Trojam, ut patet ex dictis (1).

(1) Contra hosce libros Regum tot figmenta et nugas objiciunt Fernensis philosophus aliique increduli, ut totidem responsa superesse ac vanum nobis videtur, de quibusdam tamen minus jocosis instabimus.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Annæ sterili ex voto nascitur filius, vocaturque Samuel, qui ablactatus ab ea offertur et dedicatur Deo per manus Heli Pontificis.

Samuel enim hoc libro est quasi choragus, et Regni Regumque institutor; unde ipse expressus fuit typus Christi. Nam primo, *sicut Samuel natus est ex Anna sterili, sic Christus ex B. Maria Virgine.* Secundo, *Anna nato Samuele cecinit Canticum Eucharisticum Deo, sic B. Virgo concepto Christo cecinit* Magnificat. Tertio, *Anna ex voto Samuelem obtulit Deo, sic B. Virgo eidem obtulit suum Jesum.* Quarto, *Annæ filius dictus est* Samuel, *id est,* nomen ejus Deus; *B. Mariæ Virginis vocatus est* Emmanuel, *id est,* nobiscum Deus, *Matth.* I. Quinto, *Samuel fuit propheta magnus et sanctus; Christus fuit Prophetarum sanctissimus et maximus.* Sexto, *Samuel fuit judex et vindex Israelis contra Philistæos; Christus fuit judex et vindex omnium fidelium et Sanctorum, profligans dæmones, mortem et gehennam cæterosque eorum hostes.* Septimo, *Samuel instituit regnum ac primum regem Saulem, deinde Davidem auctoravit et creavit; Christus instituit regnum sacerdotale et sacerdotium regale, omnesque Christianos creavit reges, ut scilicet dominentur suis cupiditatibus, itaque fiant cives, imo reges cœli, juxta illud* I Petr. II, 9 : Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, *etc. Denique Samuel omnibus suis dictis et factis prælusit iis quæ dicenda et facienda erant a Christo, æque ac cæteri Judices et Reges. Unde S. Hieronymus, epist.* 103 ad Paulinum : In Judicum libro, *inquit,* quot principes populi, tot figuræ sunt *Jesu Christi. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib.* I Strom., *Judices et Reges qui post Mosen Israeli præfuerunt, prophetas nuncupat, non quod omnes ore prophetarint, sed quod factis et regia dignitate Christum in æternum regnaturum præfigurarint. Idem asserit S. Gregorius et S. Augustinus, quorum verba in Proœmio recitavi. Finis enim et scopus legis, ut ait S. Paulus, et Prophetarum totiusque sacræ Scripturæ, est Christus. Ipse enim est rex, salvator, redemptor mundi; ipse est honor, timor et amor noster; ipse salus nostra, ipse centrum cordis nostri, ipse portus, quies et saties nostrorum desideriorum; ipse vita, gloria, felicitas omneque bonum nostrum, ad quem proinde ut solem justitiæ omnes Reges, omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes fideles et Sancti, seu stellulæ ab eo lumen gratiæ et gloriæ emendicantes respiciunt, ipsumque demissis ad pedes ejus coronis suis prostrati in terram reverenter adorant,* Apoc. IV et V.

Samuel typus Christi. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

1. Fuit vir unus de Ramathaim-Sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus; 2. et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii, Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes; 5. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat, Dominus autem concluserat vulvam ejus. 6. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus; 7. sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini; et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum quam decem filii? 9. Surrexit autem Anna, postquam comederat et biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, 10. cum esset Anna amaro animo oravit ad Dominum, flens largiter; 11. et votum vovit, dicens :

Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. 12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam, 14. dixitque ei : Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades. 15. Respondens Anna : Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial; quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei : Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum. 18. Et illa dixit : Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis! Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. 19. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino : reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam, et recordatus est ejus Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. 22. Et Anna non ascendit; dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter. 23. Et ait ei Eleana vir suus : Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum, precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; 25. et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna : Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine. Ego sum illa mulier quæ steti coram te hic orans Dominum. 27. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum; 28. idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait.

Vers. 1. 1. FUIT VIR UNUS (singularis, egregius, eximius, quasi unus e multis) DE RAMATHAIM-SOPHIM. — Patria hæc Elcanæ et Samuelis dicta fuit *Rama*, id est *excelsa*, quia in monte sita, et Ramula, et Ramatha et Ramathaim, id est duæ Ramæ : est enim nomen duale, quia urbs hæc erat bipartita et bicollis, utpote in monte bicipiti sive bicolli sita. Ita Serarius, licet Sanchez putet Ramathaim in duali dici hanc urbem, eo quod vicina esset alteri Ramæ, quæ erat in tribu Benjamin, quasi duæ hæ urbes ob vicinitatem in unum corpus coaluisse videantur. Eadem addita litterâ *A* dicta est Arimathia, e qua oriundus fuit Joseph nobilis Decurio, qui sepelivit Christum, *Matth.* cap. XXVII, uti asserunt S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, Beda, Angelomus, Rabanus, Hugo, Dionysius et alii.

Porro Ramatha sive Ramathaim cognominata est *Sophim*, id est *speculantium*, quod in ea, utpote in alto monte sitæ essent urbis et regionis totius speculares turres, et in iis excubiæ speculatorum. Ita Vatablus, Cajetanus, Sanchez et alii. S. Hieronymus, (vel quisquis est auctor) in *Quæst.*, Lyranus et R. Salomon censent Rama fuisse oppidum speculatorum, id est contemplativorum, quod in ea quasi Academia residerent Prophetæ virique docti SS. Litterarum studio dediti. Unde Chaldæus vertit : *Fuit vir unus Ramathæus ex prophetarum discipulis.* Elias enim, Elisæus eorumque discipuli degebant in Carmelo aliisque montibus, tum ut turbas fugerent, tum ut in solitudine Deo soli vacarent, tum ut e montibus melius cœlum suspicerent ad illudque anhelarent.

Rama quintuplex.

DE MONTE EPHRAIM. — Tribus enim Ephraim habitabat in loco alto et montoso. Addit hoc, quia alia erat Rama in tribu Benjamin, alia in tribu Aser, alia in tribu Nephtalim; hæc vero sita erat in tribu Ephraim; imo Saligniacus, Adrichomius et alii numerant quinque urbes vel villas, quarum nomen erat Rama. *Prima* enim erat juxta Thecuam, in via Hebron. *Secunda*, in Nephtalim, proxima castro Sephet. *Tertia*, juxta Sephorim. *Quarta*, in Silo. *Quinta*, juxta Gabaa, quæ omnes vocantur Rama, id est; excelsa, quia in montibus sitæ.

Hinc S. Gregorius putat Samuelem, in Rama natum, fuisse prognatum a tribu Ephraim; sed certum est eum fuisse oriundum e tribu Levi, adeoque a Levi per Caath et Isaar, non vero per Amram et Aaron fuisse progenitum, ideoque fuisse Levitam, non Sacerdotem, ut patet lib. I *Paralip.* cap. VI, vers. 33.

Samuel origine fuit Levitas.

Dices : Si Samuel erat ex tribu Levi, quomodo natus est in Rama, quæ erat tribus Ephraim? Respondeo, causa est, quod tribus Levi in divisione Chananææ non acceperat sortem propriam, uti cæteræ tribus, sed per eas sparsa erat, adeoque in iis sua habebat oppida, inter quæ erat Rama. Cujus dispersionis causas quatuor dat Lyranus in cap. XXI *Josue* : « *Primam,* ne cultus Dei ad unam tantum tribum pertinere videretur; *secundam,* ne una tribus vel duæ de sustentatione Levitarum nimis gravarentur; *tertiam,* quia apud omnes gentes illi qui intendunt cultui divino a toto populo sustentantur; *quartam,* quia Levitæ tenebantur docere populum de his quæ ad cultum divinum pertinebant, facilius autem docerent per omnes tribus dispersi, quam in unam congregati. »

Has Lyrani rationes ibidem oppugnat Abulensis, *Quæst.* VIII, sed frustra. Hinc patet Samuelem æque ac Elcana fuisse Levitam, non Sacerdotem, quia ex Caath per Core, non per Aaron sacerdotem descendit; unde dicitur *Psalm.* XCVIII, vers. 6: « Moses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. » Samuel tamen ex Dei dispensatione sacerdotis officio functus est, et ut sacerdos sacrificium Deo obtulit, ut audiemus in seq.: ita Abulensis et alii. Hinc et Heman et Asaph cantores fuere filii Joal, filii Samuel, filii Elcana, ut dicitur I *Paralip.* cap. VI, vers. 33. Cantores autem erant Levitæ, non Sacerdotes. Ex citato *Paralip.* loco pariter patet pium Samuelem ex impio Core, quem Mosi rebellantem terra dehiscens vivum absorpsit, *Numer.* cap. XVI, fuisse progenitum. Ita Deus ex spina rosam produxit.

Ex Dei dispensatione sacerdos.

ET NOMEN EJUS ELCANA. — *Elcana* hebraice idem est quod *Dei fortis possessio.* Talis est vir fidelis et justus, qui per fidem, spem et charitatem in uno Deo recumbens fit *Elcana,* id est Dei possessio, ut nec homines, nec dæmones, nec minas, nec tormenta, nec mortem quamlibet timere debeat.

FILIUS JEROHAM, — ita legendum cum Romanis, Hebræis, Chaldæis, Septuaginta. Perperam ergo in Bibliis Regiis pro *Jeroham* legitur *Jeroboam.*

Ephrathæus quid?

EPHRATHÆUS. — Cur Elcana vocatur Ephrathæus? Respondet *primo* Cajetanus, quia *Ephrathæus* hebraice idem est quod *augustus, opulentus, magnificus;* talis autem erat Elcana. Verum hæc ratio est symbolica, non litteralis : nam ad litteram *Ephrati,* id est Ephrathæus, est nomen patronymicum, notans patrem vel patriam Elcanæ.

Secundo, S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.,* Angelomus, Rupertus, Hugo, Glossa, Dionysius dicunt Elcana dici Ephrathæum, eo quod ab Ephrata uxore Caleb, I *Paralip.* cap. II, vers. 19, prognatus sit, ita ut Elcana et Samuel per patrem descendant ex Levi, per matrem vero ex Caleb et Juda, sicut versa vice Christus eorum antitypus, ac B. Virgo ejus mater per patrem descendunt a Juda, per matrem a Levi, ut tam regalem quam sacerdotalem habeant prosapiæ suæ dignitatem.

Verum obstat quod Scriptura non a matre, sed a patre soleat viris suum genus et nomen indere, indeque cognominare.

Tertio ergo, genuine S. Gregorius, Beda, Lyranus, Abulensis, Vatablus et alii censent Elcanam dici Ephrathæum, quia ex Rama quæ erat tribus Ephraim erat oriundus, non quod ex tribu Ephraim esset prognatus (fuit enim ipse ex tribu Levi, ut dixi), sed quod in ea habitaret. Ephrathæus ergo idem est quod Ephraimita, ut patet *Judic.* cap. XII, vers. 5. Sic Judæi, *Actor.* cap. II, vocantur Medi, Persæ, Arabes, etc.; quod ex parentibus non Medis, Persis, Arabibus, sed Judæis in Media, Persia, Arabia essent nati.

Symbolice, *Ephrathæus* hebraice idem est quod *frugifer.* Talis fuit Elcana, quia fructum nobilissimum, puta Samuelem prophetam celeberrimum produxit.

ET HABUIT DUAS UXORES, NOMEN UNI ANNA, ET NOMEN SECUNDÆ PHENENNA. — Id fuit more illius ævi, quo polygamia Dei permissione erat licita et usitata, ad citius magisque multiplicandum semen Israel populi fidelis. Porro primaria uxor Elcanæ erat Anna, secundaria Phenenna : unde hæc ab eo ducta videtur non ex concupiscentia, sed eo quod Anna esset sterilis et illiberis, ut ex ea proles suscitaret : sicut Abraham duxit Agar ancillam Saræ primariæ uxoris, ipsa assentiente, imo rogante, ut cum ipsa esset sterilis, saltem ex Agar ancilla filios marito daret. *Phenenna* hebraice idem est quod *margarita, Anna* idem quod *gratia.* Apte : Phenenna enim margaritis et liberis, Anna vero gratia Dei ornabatur. Sic et hodie nonnullæ feminæ vocantur *Gratia* : ita nuper Japonia illa virago, quæ cum omnibus filiis pro fide Christi constanter mortem oppetiit, vocabatur Gratia.

Phenenna et Anna etymon.

Allegorice, *Phenenna* fecunda significat Synagogam Judæorum, quæ olim fidelibus filiis abundabat. *Anna* sterilis significat Ecclesiam gentium, quæ olim sterilis erat, sed per Christum omnes Gentes Deo peperit. Ita S. Gregorius, Rupertus, Hugo, Beda, Lyranus et Dionysius.

Symbolice, *Anna* significat vitam contemplativam Deo gratam; *Phenenna,* vitam activam proximis utilem. Ita S. Gregorius, Hugo et Dionysius, utramque enim complecti debet Elcana, id est vir eximius possidens Deum.

3. ET ASCENDEBAT VIR ILLE DE CIVITATE SUA (Ramatha) STATUTIS DIEBUS (Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, *Exodi* cap. XXIII, *Deut.* cap. XVI, Vers. 3.

vers. 16), UT ADORARET IN SILO, — ubi erant arca, altare et tabernaculum. Josue enim hæc collocavit in Silo, quia Silo erat tribus Ephraim, ex qua erat Josue : unde mansit arca in Silo toto tempore Josue et Judicum, per annos trecentos et amplius, donec capta fuit a Philistæis, I *Reg.* cap. v. Porro dicitur Elcana ascendisse in Silo, quia licet Ramatha in qua habitabat sita esset in monte, tamen Silo eo erat altior, imo altissimus totius Judææ, ait Adrichomius.

Adde : in Scriptura *ascendere* vel *descendere* idem est quod *venire.*

ERANT AUTEM IBI DUO FILII HELI, OPHNI ET PHINEES. — Heli primus fuit Pontifex ex stirpe Ithamar. Aaron enim duos habuit filios, seniorem Eleazarum, juniorem Ithamar : quare Eleazar Aaroni, ut senior, in Pontificatu successit : Eleazaro successit filius Phinees, et ita consequenter usque ad Heli. Tunc enim posteri Phinees segniter administrabant Pontificatum, ideoque ille ex familia Eleazari translatus fuit ad familiam Ithamar, puta ad Heli, in eaque mansit per 120 annos, scilicet toto tempore Heli, Samuelis, Saulis et Davidis ad Salomonem, qui Abiatharo abnepoti Heli, eo quod conspirasset cum Adonia regni sui æmulo, Pontificatum ademit, illumque transtulit in Sadoc, qui erat ex familia Eleazari. Rursum Heli successit Samsoni, ac post eum fuit Judex Israelis : quare utrumque gessit magistratum sive principatum, scilicet Ecclesiasticum et sæcularem. Gesta ejus fuere communia, et nil singulare continentia; unde a Scriptura æque ac gesta Abesan, Ahialon et Abdon, *Judicum* cap. XII, omittuntur.

Etymon Heli. Porro *Heli* hebraice idem est quod *super me,* vel *ascensio mea,* vel *folium meum.* Apte, quia ipse nimis lenis et lentus permisit filios sibi dominari, et impune impieque vivere, ideoque ipse cum filiis ceu folium vento raptum, cito Pontificatu et vita privatus est. Unde *Ophni* hebraice idem est quod *volans,* vel *avolans,* aut *tenebræ meæ; Phinees* idem est quod *os parcentis* vel *confidentis.*

Vers. 4. 4. DELITQUE PHENENNÆ UXORI SUÆ ET CUNCTIS FILIIS EJUS ET FILIABUS PARTES. — Intellige non vestium, ut volunt Hebræi teste Angelomo, sed carnium Deo sacrificatarum. Ita Origenes, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Vatablus et alii : licet enim in holocausto tota victimæ caro cremaretur Deo, tamen in victima pacifica solus adeps cum renibus Deo adolebatur per ignem, reliqua caro cedebat offerenti, qui ex ea ante tabernaculum cum suis epulabatur, et ex ea quasi sacro epulo cuique suam dabat partem, ut patet *Levit.* cap. III, *Deut.* cap. XII, vers. 27.

Nota hic et imitare religionem et pietatem Elcanæ, qui ter in anno cum uxoribus et filiis omnibus ex Ramatha pergebat in Silo (a quo distabat septem milliaribus) ibique hostias Deo immolabat, indeque religiose cum suis vescebatur. Addit Abulensis, *Quæst.* X, eum sæpius ventitasse, sed sine uxoribus, et alia de causa, scilicet ut quasi Levita per vices suas Levitarum ministerium obiret in tabernaculo.

5. ANNÆ AUTEM DEDIT UNAM PARTEM TRISTIS. — Vers. 5. Pro *tristis* hebraice est אַפַּיִם *appaim,* id est *facies* vel *iras.* Unde Septuaginta vertunt, *secundum faciem;* Chaldæus, *partem electam;* R. David, *honorabilem,* quæ scilicet speciosa erat, et pulchram habebat faciem, id est speciem. R. Joseph vertit, *partem irarum et tristitiæ;* Pagninus, *partem cum ira vel furore,* eo quod, cum Annam diligeret, indignaretur plures ei partes se dare non posse : quod secutus Noster vertit *tristis.* Hebraice enim *appaim,* et faciem, et iram tristitiamque significat; utraque enim passio maxime in facie ostenditur et elucet, atque una alteri conjuncta et affinis est : tristis enim irascitur malo quod ipsum contristat; ac vicissim iratus tristatur de malo cui irascitur. Sic II *Reg.* cap. VI, vers. 8, pro eo quod Noster vertit, *contristatus est David,* Hebraice est, *iratus est David.* Et hic vers. 18, facies sumitur pro tristitia in Hebræo. Hebraica Appaim quid?

Addit Pagninus : Dabat Elcana partem super faciem prostratus, precans pro sua uxore sterili, ut Deus eam fecundaret et prole donaret, uti fecit Isaac pro Rebecca, *Genes.* cap. XXV, vers. 21.

7. PORRO ILLA FLEBAT ET NON CAPIEBAT CIBUM. — Vers. 7. Dicitur Anna comedisse, sed adeo parum, ut non comedisse videretur, ait Lyranus; aut potius initio ex mœrore nil comedebat, postea tamen mariti hortatu aliquid gustavit. Ita S. Gregorius, lib. I, cap. II : « Quæ afflicta, inquit, comedere noluit, a viro cohortata manducavit. » Addit Philo, lib. *De Ebrietate,* Annam per omnem vitam vino et sicera abstinuisse, quasi Nazaræam. Hac continentia et patientia meruit fieri mater Samuelis, Prophetæ eximii. Nam Phenennæ æmulæ suæ se calumnianti et irridenti nil respondit, sed flebat. Unde S. Chrysostomus, hom. 62 *ad Populum* : « Tribulatio, ait, mater est philosophiæ (moralis, puta virtutis et patientiæ), Anna sua habens æmulam contumelia eam persecuta non est. » Præclare S. Ambrosius *in Psalm.* XXXIII, vers. 15, citans illud *Thren.* cap. III, vers. 29, *De Christo patiente* : « Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes, » pro eoque legens : « Dabit in sepulturam os suum : Ostendit, inquit, quamdam supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tanquam sepeliat os proprium, ne loquatur; et velut quoddam aggere virtutem obstruat, ne vocem doloris emittat : tantum pondus asserens patientiæ, quam spes foveat; ut vocem ipsam velut busto quodam et tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorquere nulla excitare possit injuria. » Moraliter, de patientia.

Idem Ambrosius, lib. II *De Offic.* cap. VII : « Quantas, inquit, a populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quam miti sermone post injurias appellabat? quomodo consolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus? merito æsti-

matus est super homines; et ut vultui ejus non possent intendere. »

Appositam huic rei et loco similitudinem dat S. Chrysostomus hom. 11 *in* I *ad Thess.* : « Non vides, inquit, in ædibus quando ex adverso et directe steterint duæ januæ, sitque ventus vehemens; si alteram clauseris, nihil potest ventus, sed magna pars ejus virium præciditur. Ita nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum, et ejus qui te contumeliis afficit et conviciis. Si tuam clauseris, exstinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi. »

Aliam appositam dat Tertullianus lib. *De Patientia,* cap. VIII : « Omnis, inquit, injuria seu lingua, seu manu incussa cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, qui telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum et obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnunquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet, nempe idcirco quis te lædit, ut doleas : quia fructus lædentis in dolore læsi est; ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. »

Vers. 8. 8. NUMQUID NON EGO MELIOR TIBI SUM QUAM DECEM (id est multi) FILII. — Ego enim sum vir nobilis, opulentus, pacificus, tui amans, ut in me omnem consolationem omneque bonum habeas, quod ex multis filiis sperare potes. Tradunt Hebræi Phenennam genuisse decem filios, qui Elcanæ mensam circumdabant et ornabant, juxta illud : « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, » *Psalm.* CXXVII, vers. 3. Atque ad eos alludere hic Elcanam, ut soletur Annam sterilem ex aspectu tot filiorum Phenennæ gementem, suamque sterilitatem lugentem. Sed hoc incertum est: decem enim hic sumitur pro multis.

Vers. 9. 9. SURREXIT AUTEM ANNA POSTQUAM COMEDERAT, etc.

Vers. 10. 10. CUM ESSET ANNA AMARO ANIMO, ORAVIT AD DOMINUM FLENS LARGITER, ET VOTUM VOVIT. — Tempus meridianum erat, ait S. Chrysostomus, hom. *De Anna,* post prandium scilicet, quod omnes faciunt tempus recreationis, ipsa vero fecit orationis : quod imitantur Franciscani aliique Religiosi, qui mox a prandio orant et psallunt. Hinc et S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam* : « Sic, ait, comedat, ut statim a cibo possit legere, orare, psallere. » Et S. Chrysostomus, hom. 24 in epist. *ad Ephes.* : « Vis, ait, discere vigiliam animæ, vade ad Annam. » Et hom. 79 *ad Populum* : « Anna, ait, orare non potuisset, nisi circa mensam jejunantibus fuisset similis, etc. Opus est itaque nos et mensam petentes et desistentes Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus nunquam in ebrietatem decidet aut insolentiam, nunquam crapula disrumpetur, sed orationis exspectationem pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, et multa quidem animam, multa vero benedictione corporis implebit. Mensa

A mensa orandum.

namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona. »

Rursum Anna *flens* orabat, intimi cordis compunctione et profusis lacrymis preces armabat, uti observat S. Gregorius et Origenes.

Tertio, « votum vovit : » talis sit nostra oratio; sic Deum expugnabit, et ab eo obtinebit quæcumque petit, ut obtinuit Anna. Porro votum hoc Annæ, erat se filium, si ei daretur, facturum Nazaræum, id est Religiosum illius ævi, qui scilicet comam non tonderet, et vinum siceramque non biberet, idque per omnem vitam, uti de Samsone dictum est *Judic.* XIII, 5, quique omnibus diebus vitæ Deo in tabernaculo ministraret, cum cæteri Levitæ per vices tantum, quæ tarde ob eorum multitudinem in orbem ibant et redibant, ministrarent. Erant enim Levitæ æque ac Sacerdotes in suas ἐφημερίας, id est classes distributi.

Porro Anna, vovendo Samuelem facere Nazaræum, vovit eum non iturum ad funera patris et matris, et reliquas et cæremonias Nazaræorum observaturum, ait Abulensis, licet id neget Cajetanus, qui putat eam vovisse Nazaræatum Samuelis, quoad intonsum capillum et abstinentiam a vino et sicera duntaxat. Idem dixi de Samsone, *Judic.* cap. XIII, vers. 5.

13. PORRO ANNA LOQUEBATUR IN CORDE SUO, TANTUMQUE LABIA ILLIUS MOVEBANTUR, ET VOX PENITUS NON AUDIEBATUR. — Nimirum orabat corde fervido, ita ut verba ex corde in os resultarent, sed adeo silenter et demisse, ut vox non audiretur. Unde S. Chrysostomus, *hom.* 79, orationis Annæ fervorem exaggerat, quod non fuerit resonans foris, sed attenta, quod ex mente temperanti et pene jejuna profecta, quod ante fores templi, quod contumeliam patienter tulerit, etc. Audi Cassianum, *Collat.* IX, cap. XXVI : « Nonnunquam vero tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, ut omnem penitus sonum vocis stupor subitæ illuminationis includat, omnesque sensus attonitus spiritus vel contineat intrinsecus, vel emittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundantia ac dolore suppletur, ut alias eam digerere nisi lacrymarum evaporatione non possit. »

Vers. 13. Oratio silens ex intimo corde.

Hinc S. Hieronymus *ad S. Eustochium* : « Esto, inquit, cicada noctium, » cicadæ enim noctu non ore quo carent, sed corde et pectore canunt, eodemque cibum capiunt. Nam ut ait Plinius, lib. XI, cap. XXVI : « Unum hoc, ex his quæ vivunt, sine ore est. Pro eo quiddam aculeatum linguis simile, et hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt. »

Audi rursum Chrysostomum, hom. 2 *De Anna* : « Illa, inquit, potissima est deprecatio cum ab intimis voces sursum feruntur, hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere. Sic oravit et Lo-

ses; cui cum nihil voce resonaret, Deus tamen, quid inquit, clamas ad me : Homines quidam externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus et ante hanc intus inclamantes audit. Itaque fieri potest ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans oret accuratissime, ut in consessu amicorum aliorum quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum. »

Audi denique S. Cyprianum, libro *De Oratione Dominica* : « Anna Ecclesiæ typum portans Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur non voce, sed corde; quia sic Deum sciebat audire, » etc.

ÆSTIMAVIT ERGO HELI EAM TEMULENTAM, — puta ebriam. Ita Scriptura, quia Anna ex ingenti mœrore afflictionis, æque ac fervore orationis labia ita motitabat ut instar ebriæ os distorquere, nimiumque depravare videretur, ait S. Chrysostomus, hom. 79 *ad Populum*. Animus enim mœrore et afflictione æstuans in gestus inconditos et indecoros, quales sunt ebriorum, erumpit. Heli vero nesciebat Annæ afflictionem, sed post prandium videns eam tales gestus edere, suspicatus est eam in prandio largius bibisse. Ad hæc Anna flebat : multi autem dum ebrii sunt flere solent, vel ex gaudio, vel ex recordatione suarum ærumnarum : vinum enim facile lacrymas ciet, ipsumque in vapores et lacrymas resolvitur.

Vers. 14. 14. DIXITQUE EI : USQUEQUO EBRIA ERIS? — Gravis fuit hæc objurgatio, præsertim quia a Pontifice profecta, ad quam leniendam Septuaginta vertunt, *Dixit ei puer Heli*. Unde S. Chrysostomus, hom. 2 *De Anna*, et Philo, lib. *De Ebrietate*, censent Heli non per se, sed per servum hæc Annæ objecisse, tunc ne eam nimis pudefaceret, tum quod Pontificis dignitate indignum putaret cum femina ebria colloqui.

Vers. 15. 15. RESPONDENS ANNA : NEQUAQUAM, INQUIT, DOMINE MI, — temulenta vel ebria sum, uti tu putas, mihique audacter nimis objicis. Notat S. Chrysostomus reverentiam, humilitatem et modestiam Annæ, quæ convicium ebrietatis, quod in femina est grave et pudendum, sibi ab Heli objectum patienter tulit, et simplici negatione refellit, ac Heli Dominum vocat, eique ut sacerdoti afflictionem suam pandit, ideoque ab eo benedici, et voti filiique compos fieri meruit. Audi S. Gregorium : « Dominum sacerdotem vocans ebriam se esse abnegat, ut superiori ordini ex humilitate se subderet, et falsæ objectioni cum veritate contra iret. »

SED EFFUDI ANIMAM MEAM IN CONSPECTU DOMINI, — animam, id est, animæ meæ angustias, mœrores, afflictiones, item desideria, vota et spes concipiendi prolem; hæc enim omnia, et consequenter totum quasi cor, totamque animam suam Anna orando Deo repræsentabat, et instar aquæ sincere et candide effundebat, nihil sibi reservans, nil latens vel occultum tenens, sed omnia pandens et in sinum Dei effundens. Unde S. Chrysostomus, hom. *De fide Annæ* : « Nequaquam, ait, aberraverit, qui hanc mulierem pueri simul et matrem et patrem appellarit; quanquam enim et vir addiderat semen, hujus tamen deprecatio vim efficaciamque semini præbuit, effecitque ut Samuel auspicatoribus exordiis nasceretur. »

Nonnulli apud Abulensem sic exponunt : effudi animam, id est bilem et iram animæ meæ in conspectu Domini, repræsentans ei motus iræ, quos conceperam contra Phenennam me subsannantem, eorumque remedium et solatium ab eo postulans, ut effusa tota coram Deo cordis mei ira, cor hoc felle liberarem, ne quid in eo remaneret, quod in Phenennam æmulam meam per os et verba iracunda effunderem. Atque hoc præsens iræ et indignationis remedium esse, ut scilicet quis eam totam coram Deo per orationem effundat, docet Abulensis et alii.

Vers. 16. 16. NE REPUTES ANCILLAM TUAM QUASI UNAM DE FILIABUS BELIAL, — puta ebriam, sceleratam et impiam. Vide quæ de Belial dixi II *Corinth.* VI. Nota, inquit S. Hieronymus in *Quæst.*, quod omnes qui ebrietatem sectantur filii Belial vocantur. Ita S. Hieronymus et ex eo Angelomus.

Vers. 17. 17. TUNC HELI AIT EI : VADE IN PACE, ET DEUS ISRAEL DET TIBI PETITIONEM TUAM. — Ecce, fructus reverentiæ et humilitatis est Pontificis benedictio et fausta precatio, quæ Annam voti compotem fecundamque effecit : « Mulier, ait S. Chrysostomus, ex accusatore fecit patronum, nacta est intercessorem quem habuerat objurgatorem. » Notat Theodoretus conjugibus ambiendam esse sacerdotis benedictionem, ut prolem suscipiant probam et sanctam, uti contigit hic Annæ; Samuel enim non tam Annæ, quam Dei filius, Annæ ab eo per benedictionem Heli datus censeri debuit.

Vers. 18. 18. ET ILLA AIT : UTINAM INVENIAT ANCILLA TUA GRATIAM IN OCULIS TUIS! — *Primo*, S. Chrysostomus sic exponit : Utinam ex rei eventu discas me non ex ebrietate, sed afflictione et devotione orasse! *secundo* et melius quasi dicat : Inveniam apud te hanc gratiam ut pro me orare velis, ut Deus hac afflictione me liberet, soletur, et matrem efficiat. Ita Hebræi, Vatablus, Cajetanus et alii; nam invenire gratiam Hebræis idem est quod placere, gratum esse.

VULTUSQUE ILLIUS NON SUNT AMPLIUS IN DIVERSA MUTATI. — Hebraice, *et non fuerunt ei amplius facies*, scilicet variæ et diversæ, ut nunc mœsta, nunc læta appareret, sed eadem semper facie, gravi, modesta, serena lætaque apparuit. Aliqui vertunt, *et non fuit ei amplius facies*, scilicet mœsta; vel *facies*, id est tristitia faciei; quia scilicet per orationem se totam Deo resignans, ab eo donata fuit animi serenitate et confidentia, ut in Deo, Deique providentia et voluntate conquiesceret. Deus enim tunc certam illi indidit fiduciam, quod oratio ejus esset ab eo exaudita, quodque filium con-

ciperet. Unde spei plena, ait R. Joseph et ex eo Serarius, abiit primo in suum Silontinum hospitium; postero deinde die Ramatham, cibumque jam lætabunda sumpsit, nec tristi dejectoque vultu amplius fuit, sed æquali et constanti. « Vides, inquit Chrysostomus, mulieris fidem? priusquam acciperet quod postularat, perinde confisa est quasi jam accepisset; in causa erat, quod oraret mulier cum fervore, » etc.

Vultus constans index animi constantis.

Porro vultus serenus et constans, animi sereni et constantis est index, ab eo enim promanat; nam ut ait Ambrosius, libro I *De Officiis*, cap. XVIII : « Habitus mentis in corporis statu cernitur; vox quædam est animi corporis motus. » Et lib. *De Helia*, cap. X : « Vultus, ait, quidam cogitationis arbiter, et tacitus cordis interpres. Facies index plerumque est conscientiæ et tacitus sermo mentis. »

Utrumque autem est fructus orationis. Audi S. Chrysostomum in *Ps.* CXXIX, loquentem de oratione : « Qui, inquit, ita precatur, etiam antequam consequatur, quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, invidiam expellens, cupiditatem exstinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens et exsiccans, animum in magnam tranquillitatem redigens, in ipsum deinde cœlum ascendens. »

Symbolice Rupertus et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* XXI. Anna non mutavit vultum, quia oculos mentis semel per orationem in Deo defixos ab eo deinceps non avertit, sed constanter in eo tenuit, et in oratione perstitit, ut semper Deum haberet in mente.

Vers. 19. 19. ET SURREXERUNT MANE, ET ADORAVERUNT CORAM DEO, — id est coram arca, Deum super arcam in propitiatorio residentem adoraverunt. Tropologice disce hic mane Deum invocare, antequam itineri, vel operi te accingas, ut Deus illud secundet et prosperet : « Egredientes de hospitio, ait S. Hieronymus, *epist.* 22, armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio. » Exaudita igitur est Anna, et magno miraculo natus ei filius. Tertullianus, lib. *De Jejunio*, VII : « Anna impetrat facile a Deo inanem cibo ventrem implere, et quidem propheta. » Vide quæ de mane orando dixi, *Deut.* VI, 7.

Vers. 20. 20. VOCAVITQUE NOMEN EJUS SAMUEL, EO QUOD A DEO POSTULASSET EUM. — Hinc patet *Samuel* hebraice idem esse quod *Saul meel*, id est *postulatus a Deo*.

Samuelis etyma. Primo.

Ita Josephus, Eusebius, Serarius et alii : postulatus, inquam, et postulatione matris impetratus : Hebræi enim in compositione nominum non servant ordinem Grammaticæ, sed quasdam litteras trajiciunt vel abjiciunt; vocatus est ergo Samuel hoc fine, ut quoties puer hoc suum nomen audiret, recordaretur se a Deo per miraculum matri voventi donatum, ideoque se totum quod esset et viveret, debere Deo quasi peculiarem Dei Filium, ac proinde totum se ei traderet, imo redderet, ac Nazaræatus onera, quæ mater voverat, libens capesseret; hujus enim voti reddebatur memor, dum a matre compellaretur *Samuel, Samuel*.

Secundo, nonnulli apud Abulensem censent *Samuel* idem esse quod *Ismael*, ut *Samuel* dicatur quasi *Scama el*, id est exaudivit Deus Annæ matris orationem. Secundo.

Tertio, S. Gregorius et Angelomus : « Samuel, » inquiunt, idem est quod *scemo el*, id est *nomen ejus Deus* ut « Samuel » sit fere idem, quod « Emmanuel, » id est « nobiscum Deus. » Huc alludit nomen « Samuel, » licet hæc non sit ratio et etymon nominis. Sicut Moses a Deo constitutus fuit Deus Pharaonis, *Exodi* VII, 1; sic et Samuel Saulis et Israelis. Tertio.

Quarto, Franciscus Georgius, tom. I, *Problem.* 442 : *Samuel*, ait, idem quod *scamo el*, id est *posuit eum Deus*. Accedit Philo, qui lib. *Quod Deus*, etc., et lib. *De Ebrietate : Samuel*, ait, idem est quod τεταγμένος Θεῷ, id est *positus* vel *ordinatus Deo*, quia scilicet Deus eum creavit, ut sibi esset dicatus et consecratus. Aliud Samuelis etymon postea addidit mater, de quo versu ultimo. Quarto.

Prima ratio maxime est propria et genuina, proinde sequuntur Josephus, Theodoretus, Procopius et alii passim. Sic *Theodorus*, et inverse *Dorotheus*, græce idem est quod Θεοῦ δῶρον, id est, *Dei donum* : unde Theodoretus scribit in *Philotheo*, cap. XIII, sibi hoc nomen esse impositum, eo quod mater precibus Macedonii Anachoretæ eum a Deo impetrasset. *Theodorus* ergo græce idem est quod latine : *A Deo datus*, quo nomine S. Augustinus filium suum nuncupavit, vel *Deo datus*, quo nomine appellatus est Philippus II, rex Franciæ, eo quod pater Ludovicus jam senior, desperata pene generatione, eum precibus a Deo impetrasset. Sic Demaratus dictus est filius Aristonis regis Spartæ, eo quod omnis populus supplicasset, ut Aristoni regi optimo filius similis nasceretur, teste Herodoto, lib. VI. *Demaratus* enim dicitur quasi δημου αρα, id est populi imprecatio, devotio, votum.

Vers. 21. 21. ASCENDIT AUTEM VIR EJUS ELCANA, ET OMNIS DOMUS (familia) EJUS, UT IMMOLARET DOMINO HOSTIAM SOLEMNEM (quam in tribus anni solemnitatibus, puta Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum offerre solebat; unde Hebraice est, *hostium dierum*, id est annuam) ET VOTUM SUUM. — Hinc patet quod vovente Anna uxore votum etiam Elcana vir ejus votum proprium Deo pro Annæ fecunditate et Samuele nascituro nuncuparit, quod nunc eo obtento et nato persolvere velit. Nam mater, repugnante patre, non potest filium vovere Deo, quia filius magis pendet a patre quam a matre, et maritus est caput uxoris totiusque familiæ. Ita docent Abulensis hic, *Quæst.* XXII, et Sylvester, verbo *Relig.* I, *Quæst.* XIII. Sic S. Gregorius Nazianzenus in carm. *De Vita sua*, asserit se per votum natum, et a Deo datum matri, adeoque ei gravidæ objectam fuisse physionomiam et nomen filii nascituri, ideoque se jam natum illico a matre fuisse Deo Elcanæ votum.

oblatum. Sic S. Nicolaus Tolentinus natus est per votum parentum, nuncupatum S. Nicolao Myrensi Episcopo, ab eoque Nicolai nomen accepit. Sic S. Franciscus Assisias, parentibus voventibus, obtinuit filium S. Franciscum de Paula, fundatorem Ordinis Minimorum, aliique plures similes.

Vers. 22. 22. NON VADAM DONEC ABLACTETUR INFANS. — Dices : Anna hic videtur non servasse legem purificationis puerperæ, implendam quadragesimo die a partu, *Levit.* XII, quando parentes primogenitum offerebant Deo et redimebant quinque siclis, *Exodi* XIII.

Respondet Abulensis, *Quæst.* XXXVII et seqq., Levitas (qualis erat Anna et Elcana) hac lege non fuisse obligatos, eo quod ipsi jam Deo erant dicati et consecrati, ac quod in ipsorum utilitatem sacrificia illa purificationis cederent; unde primogenitos suos non redimebant quinque siclis, nec hostias cæteris præscriptas offerebant.

Vers. 23. 23. PRECORQUE UT IMPLEAT DOMINUS VERBUM SUUM. — Hinc videtur quod præcesserit aliqua revelatio de Samuele, quæ hic non sit expressa, uti dixi de voto Elcanæ. Solet enim Scriptura multa tacere, quæ postea suggerit et supplet. Ita Cajetanus. R. Nehemias asserit vocem in Silo auditam : « Puer nascetur nomine Samuel, qui liberabit Israel de manibus Philistiim; » quare omnes matres tunc filios suos vocasse Samueles; cum autem Anna filium suum quoque nominasset Samuelem, dixisse Elcanam : « Impleat Dominus votum suum, » scilicet ut per Samuelem meum liberet Israel a Philistinis. Verum hæc fabellam olent Rabbinicam, uti fuse hic ostendit Abulensis. Nec enim Anna filium vocavit Samuelem, ex vocis oraculo, sed quia illum per votum et lacrymas postularat et impetrarat a Deo.

LACTAVIT FILIUM SUUM. — S. Chrysostomus, hom. *De Samuele* : « Ex eo tempore, ait, aspiciebat puerum non tantum ut mater, sed ut rem Deo consecratam, eumque reverebatur. Si enim qui phialas poculaque aurea Deo dicaturi sunt, posteaquam ea jam confecta acceperint, domique reposuerint, nequaquam ea quasi profana vasa intuentur, sed tanquam Deo sacra, nec audent ea temere citraque causam attingere quemadmodum alia; multo magis hæc mulier, » etc. Præsertim quia Samuel erat typus Christi, imo a nonnullis patribus nuncupatur « Novus Israelis Moses. » Porro matres debere filios non nutricum, sed suo lacte lactare, exemplo Saræ et Annæ docent S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap, VII; S. Chrysostomus, hom. 1 *in Psalm.* XX; Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag*, cap. IV; sic enim pueri fiunt validiores, matribus similiores, eorumque dotes et virtutes sugendo imbibunt.

Vers. 24. 24. ET ADDUXIT EUM, — jam recens, a lacte amotum, quod apud Hebræos fiebat anno ætatis tertio, ut colligitur II *Machab.* XXVII, 27. Ita S. Gregorius, Chrysostomus, Procopius, Theodoretus, Abulensis, Cajetanus, Hugo, Dionysius. Porro tempus triennii aptum esse lactandis pueris docet Galenus, et ex eo Franciscus Valesius, *Sacræ Philosoph.* cap. LXXXIII.

Tunc igitur Samuel infantulus, ut vocatur versu 24, fuit Deo in templo oblatus. Perperam ergo Lyranus anno ætatis decimo, alii septimo, alii duodecimo Samuelem Deo oblatum censent. Sic B. Virgo trimula fuit Deo in templo præsentata, uti docent Patres quos citat noster Canisius, lib. I *Marial.* cap. XII, et Christophorus a Castro in *Histor. Deiparæ*, cap. III. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Samuele* : « A mamma, inquit, divulsus. » Et inferius : « Prima statim pueritia a mamma matris venit ad mammam spiritualem. » Et S. Hieronymum *ad Ruth* : « Quid tam pium quam sanctæ matri sanctum filium custodire? Anna Samuelem non sibi, sed tabernaculo genuit. » S. Augustinum in *Psalm.* XCVIII : « Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox ut eum ablactavit, dedit in templum, ut ibi cresceret, ibi roboraretur in Spiritu, ibi Deo serviret. »

Moraliter, de educatione puerorum.

Hinc S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 40, exemplo Annæ docet matres debere suos filios ab infantia Deo consecrare. Audi S. Hieronymum, *epist.* 7 ad Lætam *De Instit. filiæ* : « Samuel nutritur in templo, Joannes in solitudine præparatur, ille sacro crine venerabilis est, vinum et siceram non bibit; adhuc parvulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit urbes; zona pellicea cingitur, locustis alitur, ac melle sylvestri, et in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuviis. Sic erudienda est anima quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. » Et pluribus interjectis : « Nutriatur in monasterio, sit inter Virginum choros; jurare non discat, mentiri sacrilegium putet; nesciat sæculum, vivat angelice, sit in carne sine carne; omne hominum genus sui simile putet. »

Sic S. Maurus, S. Placidus, aliique Senatorum et Principum filii a parentibus traditi sunt S. Benedicto, ut ab eo in pietate et timore Dei educarentur. In monasterio S. Pachomii (ut habet ejus Vita) alebantur pueri adeo simplices, ut ne quidem suam dextram vel sinistram nossent. S. Thomas Aquinas educatus fuit a monachis in monte Cassino, sic et plurimi alii principum filii.

Denique S. Paulinus, *epist.* 10, Melaniam comparat Annæ. Eidem Dorotheus aptius comparat S. Annam matrem Beatæ Virginis, quæ non Samuelem, sed Christum ipsum genuit.

ET ADDUXIT EUM, etc., IN VITULIS TRIBUS. — Ita Hebræus, Chaldæus et alii. Mirum ergo Septuaginta vertisse in singulari, *in vitulo trimo sive trienni.* Jam in, id est cum vitulis tribus, quos scilicet cum Samuele suo offerret Deo.

ET TRIBUS MODIIS FARINÆ. — Hebraice, *in Epha farinæ*, id est tribus in modiis farinæ. Epha enim

erat decima pars gomer sive cori, qui triginta modios continebat. Erat ergo Epha magnus modius, tres minores modios continens. Id responsum sit auctori Quæst. *in lib. Regum.* apud S. Hieronymum et Angelomo, qui putant hunc locum esse corruptum, leguntque, *et uno modio*; causam hujus oblationis dat B. Petrus Damianus, lib. VI, *epist.* 37, quæ in ordine omnium est 105 : « Samuel, inquit, puerulus tanquam tener agniculus cum tribus farinæ modiis et amphora vini mensæ Domini, ut ita loquar, apponitur, dum Heli sacerdoti et templo Dei a parentibus dedicatur. »

PUER AUTEM ERAT ADHUC INFANTULUS. — Hebraice, *et puer erat adhuc puer,* id est, erat parvulus infantulus, scilicet triennis.

Vers. 25. 25. ET OBTULERUNT PUERUM HELI ; — ut juxta votum suum eum quasi a sua domo abdicantes dedicarent Deo, ut ei jugiter serviret in tabernaculo. Audi S. Chrysostomum, hom. 1 *De Anna,* dubitantem an Annæ, an Samuelis virtutem magis mirari debeat : « Cum soleant, inquit, indignari pueri, quoties a lacte depelluntur; nec ipse puer ægre tulit a matre divulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creaverat; nec ipsa mater doluit a puero sejuncta, propterea quod naturalem affectum vicit interveniens gratia, et uterque se alteri convivere existimabat. »

Idipsum deinde apposita similitudine illustrat : « Sicut, ait, eodem in loco fixo fixa vitis in longum produxit palmites, et uva multo intervallo pendens cum radice habet commercium. Itidem et in hac accidit femina, quæ in urbe manens usque ad templum extendit suum palmitem, atque illic uvam suspendit maturam; nec intervallum illud ullum attulit impedimentum; cum charitas quæ secundum Deum est, puerum matri copularet. »

Addit Chrysostomus, cap. III, Annam seipsam quoque cum Samuele Deo obtulisse : ubi enim erat Samuel ibi erat et Anna; Samuel enim secum viscera trahebat materna : « Dum talia, inquit, loquitur, seipsam quoque dedicavit cum puero, quasi solido quodam naturæ affectu seipsam templo alligans. Etenim si ubi est thesaurus hominis, illic est et cor ejus; multo magis ubi puer mulieris, ibi et mens illius erit. »

Denique urget hoc Annæ exemplum S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vitæ Monast.*, docetque debere parentes permittere ut filii sui in cœlesti ministerio famulentur, non in templum eos introducentes, ut Anna Samuelem; sed in ipsum cœlum cum angelis divino ministerio dedicandos, religiosos enim una cum angelis Deo ministrare; ex quo etiam illud sequatur, ut multo magis ad parentum suorum gloriam ac felicitatem conferant, quam si in sæculo permanserint.

Vers 26. 26. VIVIT ANIMA TUA, — id est, juro per animam et vitam tuam : vel tam verum est quod loquor quam verum te vivere, vel me vitam tuam optare.

Vers. 28. 28. IDCIRCO ET EGO COMMODAVI (minus recte S. Gregorius legit « commendavi ») EUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS FUERIT COMMODATUS (erit) DOMINO. — *Commodavi,* id est *tradidi,* ut vertit Chaldæus, donavi, ut eum mihi Deus donavit, quasi dicat : Deus mihi eum dedit; quare ego illum Deo reddo et dedico, ut perpetim ministret illi in tabernaculo; Hebraice enim *scaal,* in Hiphil *hischil,* significat non tantum rogare et postulare, sed et rogatum postulatumque commodare, dare, donare per catachresim; verba enim Hebræorum actionem nunc inchoatam, nunc perfectam significant præsertim in Hiphil. *Scaal* ergo significat et postulare, et postulationem exaudire, sive rem postulatam dare et donare. Unde *Samuel* hic in Hebræo vocatur quasi *Saul leel,* id est, datus vel commodatus traditusque Deo. *Saul* quoque dictus est primus rex Israelis, quasi datus a Deo, vel postulatus a populo et vocatus a Deo. Unde a *Saule,* qui erat ex tribu Benjamin, dictus est Saulus Paulus Apostolus ex eadem tribu Benjamin oriundus; hinc ipse, initio epistolæ, hunc sibi dat titulum : « Paulus vocatus Apostolus, » etc.

Parentes filios Deo offerant.

In Hebræo est pulchra paronomasia. Ait enim Anna : *Ego scaalti,* id est, postulavi Samuelem a Deo et impetravi; idcirco ego vicissim *hisciltí,* id est, commodavi et tradidi eum Deo, ut sit *Saul,* id est commodatus, datus et dicatus Deo per omnem vitam. Alludit enim ad nomen Samuel, illique aliud dat etymon, quasi dicat : *Samuel* meus initio dictus est quasi *Saul meel,* id est postulatus a Deo; jam vero dicitur *Samuel,* quasi *Saul leel,* id est donatus et oblatus, imo redditus Domino : « Cunctis diebus quibus fuerit commodatus (supple, erit) Domino, » quasi quamdiu fuerit superstes, erit commodatus, datus, dicatusque Deo, ut is ipse eo utatur ad libitum. Unde Septuaginta vertunt χρῆσιν Κυρίου, id est *usum Domini,* quasi dicat : Tradidit eum Domino utendum ad quemlibet ejus usum. Vatablus : *Ego quoque mancipavi eum Domino cunctis diebus, quibus ipse mancipatus erat Domino,* quasi dicat : Ego eum dedi Domino, ut per omnem vitam sit mancipatus et addictus Domino. Audi S. Chrysostomum, hom. 2 *De Anna :* « Vide quam sit modesta; ne putes, inquit, magnam rem aut admirandam facere quod infantem dedico; non ego hujus benefacti sum auctor, sed persolvo debitum; depositum accepi, et hoc ei restituo qui dedit. »

Idem, homil. 21 *in epist. ad Ephes.* : « Quoniam, inquit, primitias (filiorum, scilicet Samuelem) obtulit, alvus ejus facta est fecunda, et alios etiam fratres illi acquisivit. » Imitentur hoc parentes, ut filios ad Religionem aspirantes non avocent, sed potius incitent; sic enim a Deo et filiis et opibus ditabuntur. Audi et S. Ambrosium, *Exhort. ad Virgines,* laudantem Julianam nobilissimam Romæ matronam, eo quod filium unicum dicasset exemplo Annæ nostræ : « Tu, inquit, fili, impetratus meus et votivus meus, agnosce a quo donatus sis

mihi; ille tua ora plasmavit; ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus obsequio te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es, cujus antequam de vulva matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, redderis, ego quasi Anna promisi ut omnibus vitæ tuæ diebus ac noctibus a conspectu Domini non recedas. Tu exequere. » Concludit D. Ambrosius : « Egregia, ait, semina, quæ sibi nihil reliquit, totum quod habuit Deo obtulit; cujus vita, institutio disciplinæ est, et quædam formula castitatis, bono proposito et meliore magisterio. »

Audi et S. Bernardum, *epist.* 110, parentes alloquentem : « Si filium vestrum Deus facit et suum, quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; et quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore; sed vos non perditis eum; quin potius multos per eum acquiritis vobis filios; quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus. »

CUNCTIS DIEBUS. — Lyranus censet Samuelem in templo ministrasse Deo usque ad annum ætatis quinquagesimum duntaxat; illo enim Levitæ quasi emeriti libertate donabantur, nec amplius in tabernaculo servire tenebantur, ut patet *Num.* cap. VIII, vers. 25. Verum id repugnat huic loco; unde alii passim censent eum in templo serviisse Deo per omnem vitam. Ita Philo, lib. *De Somniis*, in fine, S. Augustinus in *Psalm.* XCVIII, S. Hieronymus, in cap. XLIV *Ezech.*, B. Petrus Damianus, lib. V, *epist.* 9, Chrysostomus, hom. 4 *in Acta*, quem audi : « Considera Samuelem, qui post quadraginta annos cum populi rem administrasset, tamen adhuc nutriebatur in templo. »

Hinc Patres docent summam curam parentibus adhibendam esse in educatione puerorum, ipsosque pueros a teneris se virtuti Deoque dicare debere. Audi inter alios S. Chrysostomum in *Psal.* XIV, quærentem cur is et alii inscribantur *in finem*, ac respondentem : « Quoniam, inquit, docet de justitia ac reliquis virtutibus; qui autem de his docet, non debet in finem vitæ suadere hæc, sed ab initio et ab ipsis incunabulis. » Et paulo post : « Si, inquit, nullus vestrum vult possidere servum senem, quanto magis Deus vult adolescentiam, et tanquam intactam virginem eam sibi jungit; ut ejus vitæ primitias ambiat, ne quis cum juventutem peccato exhauserit, languidam et enervatam senectutem virtuti reservet, et vitæ fæcem temperet sapientia. »

Et Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. V : « Quemadmodum, inquit, patres et matres lubentius vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonum catulos, cervorum hinnulos, hominis puellum; ita et universorum Pater eos recipit, diligit ac defendit. »

Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza. Denique quod dixit Plato, eos qui arte aliqua vel scientia eximii evadere volunt, a puero eam exercere debere, id verius est in studio virtutis et sanctitatis. Unde Sancti eximii a puero sanctitati se dederunt, ut Samuel, S. Joannes Baptista, S. Nicolaus et alii.

Porro votum hoc matris non arctabat Samuelem, quin grandior factus libere posset e templo discedere, locumque alium et statum vitæ deligere, uti docet Lessius, tract. *De Voto*, dub. 10. Voluit tamen Samuel matris votum servare, et ratum facere per omnem vitam.

ET ORAVIT, — gratias Deo agendo, et canticum sequens, cap. II, canendo; pars enim prima orationis debet esse Dei laus et gratiarum actio, ut docet Paulus. Hinc laus subinde sumitur pro oratione, ut *Thren.* cap. II, vers. 19 : « Consurge, lauda in nocte. » Et *Jeremiæ* cap. VII : « Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eo laudem. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anna ob natum Samuelem exultans Deo hymnum concinit, simulque prophetat de Christo. Mox, vers. 12, *narrantur peccata filiorum Heli. Inde, vers.* 18, *Samuelis ministerium, et Annæ ab Heli benedictæ partus quinque prolium. Denique, vers.* 22, *Heli corripit filios, sed nimis leniter : unde, vers.* 27, *a Deo reprehenditur per Prophetam, qui idcirco obventuras, ei tam suas, quam filiorum et posterorum clades denuntiat.*

1. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatam est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos; quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes : recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, et infirmi

accincti sunt robore. 5. Repleti prius, pro panibus se locaverunt : et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos : et quæ multos habebat filios, infirmata est. 6. Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 7. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. 8. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. 9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam : puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. 12. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, 13. neque officium sacerdotum ad populum ; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14. et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum : et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi ; sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti : Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti ; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans : Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei : Nequaquam ; nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino ; quia retrahebant homines a sacrificio Domini : 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus ; dixitque ei : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fenore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios et duas filias ; et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli ; et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi ; 23. et dixit eis : Quare facitis res hujuscemodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo ? 24. Nolite, filii mei ; non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis ? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me ; et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. 29. Quare calce abjecisti victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo ; et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei. 30. Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me ; sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel, et non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo ; sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua : et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum quod ventu-

rum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees; in die uno morientur ambo. 35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : Demitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

Vers. 1. 1. EXULTAVIT COR MEUM IN DOMINO. — Est hoc Annæ canticum, vel ut S. Augustinus vocat, « hymnus, » quo de præteritis et præsentibus beneficiis gratias agit, ac de futuris in Christo prophetat vers. 5 et 10. Partim ergo est canticum Eucharisticum, partim prophetia, ait Theodoretus, Procopius, Abulensis, licet S. Augustinus, lib. I *De Civit.* cap. IV, velit totum esse prophetiam de Christo et Ecclesia, quod in sensu allegorico verum est. Anna enim, inquit Theodoretus et Procopius, quia prophetam concepit, prophetiæ quoque gratiam participavit, sicut et Elizabeth et B. Virgo.

Unde canticum Zachariæ ob natum Joannem Baptistam, et canticum B. Virginis ob conceptum Christum, « Magnificat anima mea Dominum, » etc., huic Annæ cantico persimilia sunt, ac subinde ad verbum cum eo consonant, ut patet ea inter se conferenti.

Audi quid de Cantico scribat S. Bernardus, serm. 1 *in Cant.* : « Non est strepitus oris, sed jubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum consonantia, non auditur foris, nec enim in publico personat; sed sola quæ cantat audit, et cui cantatur, id est sponsus et sponsa.

Ex dictis constat canticum hoc inspiratum fuisse Annæ a Spiritu Sancto esseque partem Sanctæ Scripturæ.

ET EXALTATUM EST CORNU MEUM IN DEO MEO. — « Cornu, » id est fortitudo et gloria mea; utriusque enim symbolum est cornu; boves enim, cervi et rhinocerotes in cornibus habent suum robur, decus et gloriam : hinc et coronæ regiæ earumque radii cornua vocantur, uti ostendit Pierius, *Hierog.* 7, Samuel enim coronam regiam dedit Sauli et Davidi. Sensus est, quasi dicat : Deus me imbecillam et abjectam, imo ob sterilitatem infamem et conviciis Phenennæ expositam fecit robustam et gloriosam, per miraculum me fecundando, dandoque filium Samuelem, qui erit robur et gloria tam mea quam totius Israelis. Ita Abulensis, Vatablus et alii. Unde S. Hieronymus in *Quæst.*, per cornu accipit filium Samuelem, qui ex Anna prodierat, sicut cornu prodit ex capite rhinocerotis. Sicut enim rhinoceros suo cornu ventilat et configit feras, imo elephantes, sic Samuel ventilavit et dissipavit Philistæos hostes Israelis. Unde S. Gregorius : « Quæ ergo, inquit, exaltatione, cornu in Deo sustollitur, Deum suum singulariter fatetur; quia summa illa infusio divinæ dulcedinis exaltatum mentem et sui susceptibilem, et valde familiarem facit. »

DILATATUM EST OS MEUM SUPER INIMICOS MEOS, — quasi dicat : Nunc habeo quod ore meo respondeam Phenennæ, ejusque filiis et cognatis, qui mei sunt æmuli, mihique sterilitatem exprobrant; ostentans enim meum Samuelem eis silentium imponam.

QUIA LÆTATA SUM IN SALUTARI TUO. — Hebraice, *in salute tua*, qua me salvasti et liberasti a malo et probro sterilitatis. Ita Chaldæus, Vatablus, Jansenius, Cajetanus. Mystice, *in Christo;* hic enim est salus nostra; unde Septuaginta vertunt σωτήριον, Noster *salutare* vel *salutarem*, id est salvatorem mundi. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civitat.* IV. Hinc patet non esse verum gaudium in mundo, nisi in Deo et Christo. Audi S. Chrysostomum, lib. III *De Anna* : « Non quoniam salvata sum, sed quoniam per te salvata sum, propterea lætor et exulto. Tales sanctorum animæ de Deo qui dedit, magis quam de donis gaudent; gratorum, hoc est, servorum, omnibus suis suum præponere Dominum; cum peccaverimus, non doleamus, quia punimur, sed quoniam Dominum exacerbavimus; et si quid boni fecerimus, non gaudeamus propter regna cœlorum, sed quoniam rem cœlorum Regi gratam gessimus; mentem enim habenti gehenna quoque formidolosius est Deum offendere, et omni regno desiderabilius Deo placere. » Et paulo post : « Talis erat et hæc mulier, ad Deum in omnibus confugiebat, et accepta gratia magis de Deo datore gaudebat. » Sic et David : « Cor meum, inquit, et caro mea exultaverunt in Deum vivum, » *Psalm.* LXXXIII, vers. 3. Sancti in solo Deo gaudent.

Audi S. Bernardum, *epist.* 115 : « Illud, inquit, verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; et quod cum possederis nemo tollet a te; cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est, omnis suavitas mœror est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare posset, molestum. »

Addit Origenes de Alcana : « Quoties in Deo gaudemus, toties diabolum flagellamus. »

Vers. 2. 2. NON EST SANCTUS UT EST DOMINUS. — Celebrat Anna *primo* sanctitatem Dei, quia hæc est primum et nobilissimum attributum Dei, ob quod ipse adoratione, omnique veneratione, obsequio, victima et cultu dignissimus est. *Secundo*, quia Deus in Annæ partu suam sanctitatem declaravit : tum quia ejus innocentiam et probitatem contra Phe-

nennam invidam defendit; tum quia fidem ei omnium tacite datam de prole per miraculum nascitura sancte præstitit; tum quia ei dedit Samuelem, quem facturus erat prophetam sanctissimum et sanctificatorem Israelis; quæ omnia a Dei sanctitate manarunt, ceu radii a sole, ejusque fuerunt dona et beneficia.

NEQUE ENIM EST ALIUS EXTRA TE, — Deus verus, per essentiam sanctus, ipsaque increata et immensa sanctitas, de qua in hymno S. Augustinus: « Tu solus sanctus, » Septuaginta vertunt, *non est justus sicut Dominus*, ubi justus accipi potest sanctus, vel potius justus, quia juste meam innocentiam a calumniantibus defendit.

ET NON EST FORTIS SICUT DEUS NOSTER. — Pro *fortis* hebraice est *tsur*, id est, petra, in qua contra tempestates et venatores securi tutique consistimus, juxta illud *Psalm.* CIII, vers. 18 : « Petra refugium herinaciis. A *tsur* dicta est *tor*, et Tyrus celeberrima urbs Phœniciæ et munitissima, quia undique mari circumdata, adeo ut a Nabuchodonosore fuerit obsessa per tredecim annos, et ab Alexandro Magno ægre expugnata. *Tyrus* enim hebraice dicitur *tsur* vel *tsor*, eo quod in petra fuerit exstructa, atque instar promontorii mari et tempestatibus maris fuerit opposita. Talis *petra*, talis *tsur*, talis Tyrus Annæ et piis est Deus, ut proinde iis nec homines, nec dæmones, nec leones, nec ignes, nec tormenta, nec mors metuenda sint. Audi S. Bernardum, serm. 61 *in Cant.* : « Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum et carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi tunc anima martyris? nempe in tuto; nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum, profecto sentiret; nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? neque mirum, si exul e corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. »

Vers. 3. 3. NOLITE MULTIPLICARE LOQUI SUBLIMIA GLORIANTES, — scilicet tu, o Phenenna, tuique filii et cognati, qui de vestra fecunditate et felicitate superbe gloriati estis, cum mei meorumque despectu et contemptu. Pro *sublimia* Hebraice est *geboha geboha*; Chaldæus, *magnalia magnalia*; Regia, *altum altum*; Cajetanus, *celsitudinem celsitudinem*, hoc est, valde alta, celsa, magna et sublimia, quæ vestras vires transcendunt. Unde alii vertunt : « Nolite loqui excelsa eminentia; » Theodoretus, « ne loquamini sublimia ad factum; » Origenes, lib. I in *Job* : « Nolite loqui superba in superbia. »

RECEDANT (Hebraice *exeant*) VETERA DE ORE VESTRO, — scilicet veteres superbi sermones jam dicti, quibus consueveratis gloriari, mihique sterili insultare. Chaldæus pro *vetera* vertit *blasphemias*; Septuaginta, *magniloquium*; alii, *verbum durum* vel *superbum*, juxta illud Prudentii in *Psychomachia* :

> Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.
> Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Et illud Nazianzeni : « Utres vacuos ventus distendit, fatuos sui existimatio. » Causam subdit dicens :

QUIA DEUS SCIENTIARUM DOMINUS EST, — quasi dicat : Nolite superbe vos jactare et gloriari, quia Deus scit et prævidet omnia, tam futura quam præterita et præsentia, illaque cum his connectit; quare ipse scit vestram gloriam in ignominiam, vestram felicitatem in infelicitatem, vestram copiam in inopiam, se decernente et puniente, convertendam.

ET IPSI PRÆPARANTUR COGITATIONES, — quasi dicat : Deo paratæ, id est apertæ, cognitæ et præsentes sunt vestræ insolentes ambitiosæque cogitationes, ut illas ipse contrariis suis cogitationibus, id est consiliis, judiciis et decretis deprimat, obruat et castiget. Sic Deus Nabuchodonosorem gloriantem in sua Babylone, convertit in bestiam, *Daniel.* cap. IV, ac Balthasarem ejus filium in suo epulo gloriantem, describens in pariete : *Mane, tekel, phares*, eadem nocte per Cyrum occidit, *Daniel.* cap. V.

« Deus ergo scientiarum Dominus est, » quasi dicat : Deus est scientissimus, *Deus omnia novit*, ait Chaldæus; quare ipse scit tam futura quam præsentia, scilicet me antea sterilem fore fecundam, et Phenennam fore sterilem; ideoque ipse est « arbiter conscientiarum » ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civitat.* IV, ut superbas earum cogitationes videat, damnet, premat sternatque. Deus est ipsius solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis, ait Philo, lib. *De offerend. vict.* Unde recte admonet S. Augustinus, serm. 46 *De Verb. Domini* : « Ipse, ait, timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? videris; lucerna ardet? videt te; lucerna exstincta est? videt te. In cubile intras? videt te. Ipsum time cui cura est ut videat te, et vel timendo castus esto, aut si peccaveris, quære ubi te non videat, et fac. » Et Boetius, lib. V *De Consol. Phil.*, Prosa 6 : « Aversamini igitur vitia, colite virtutes; magna vobis indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. »

Mystice S. Bernardus, serm. 15 *in Cant.* : « Origo, ait, fontium et fluminum omnium mare est, virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ, sed et juxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant, non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est; inde scientiæ, inde sapientiæ sermo; thesauri siquidem sapientiæ ibi omnes absconditi sunt. »

Porro Deus dicitur græce Θεὸς a θεᾶσθαι, quod omnia videat; unde Ægyptii Deum appellabant oculum mundi. Audi S. Augustinum, epist. 37 *ad Fortun.* : « Deus totus oculus est, totus manus, et totus pes, quia omnes videt, omnia operatur et ubique est. » Vide dicta *Eccles.* cap. XVI, vers. 16 et seq. et cap. XXIV, vers. 19.

ET IPSI PRÆPARANTUR COGITATIONES, — quasi dicat : Deo cogitationes omnes hominum et angelorum patent, ab eoque diriguntur, temperantur, adimplentur, vel rumpuntur et eliduntur. Deus est qui ea quæ cogitamus, cupimus, jactamus, dirigit atque perficit, vel discutit et evertit, uti mea fecunditatis desideria adimplevit, Phenennæ vero invidas et arrogantes cogitationes dissipavit et disperdidit. Hebraice pro *præparentur* est נתכנו *nitkenu*, id est ponderantur, numerantur, appendantur, mensurantur, quasi dicat : Deus mensurat cogitationes nostras, ac videt an nimis magnæ vel parvæ, æquæ vel iniquæ, sapientes vel stultæ sint, ut sciat cujus cogitationes, quando et quomodo explere debeat, cujus non explere, v. g. Annæ desideria perficere, non Phenennæ, quasi dicat : Laudo Deum qui perficit ea quæ ego cogitavi et cupivi; in illo ergo glorior, non in me, quia sterilitatem, quam ego superare meis viribus non potui, ipse sua divina vi superavit et discussit. Hoc est quod ait Salomon, *Prov.* cap. XVI, vers. 2 : « Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus; » ubi multa hac de re dixi.

Possunt secundo hic cogitationes non tantum hominum accipi, sed et ipsius Dei, uti vertunt Septuaginta. *Deus,* inquit, *præparans adinventiones suas;* et Chaldæus, *Dominus,* inquit, *super omne factum suum extendens judicium,* quasi dicat : Dei est perficere non tantum ea quæ nos cogitamus et cupimus, sed etiam quæ ipse de nobis cogitat et cupit; sæpe enim ipse alia cogitat et vult, quam nos cogitamus et velimus, tumque facit ea quæ ipse cogitat et vult, non quæ nos; sicut hic cogitavit fecundare et exaltare Annam, non Phenennam. Unde Chaldæus vertit : *Ipse vobis retribuet culparum vestrarum ultionem;* Theodotion, *Deus præparans exercitationes suas,* id est complens sua consilia; Symmachus, *non sunt apud Deum prætextus et excusationes;* Vatablus, *conatus ejus perficiuntur;* Pagninus, *ipsi directa sunt opera,* id est finem ad quem ab eo diriguntur attingunt. Deus enim suas cogitationes et voluntates mensurat sua omnipotentia, quæ tanta est quanta ejus voluntas et intellectus; quare omnia quæ cogitat et vult, perficere potest, et reipsa perficit; cum nos multa velimus quæ perficere nequimus. Sensus ergo est, quasi dicat : « Scientiarum Dominus est, » quia scit tam futura quam præsentia, imo ipse omnia recte justeque ordinat et disponit; ipse enim præparat cogitationes, ut scilicet insolentes et inflatos, qualis est Phenenna, deprimat; humiles vero et miseros, qualis ego fui soletur et extollat, sicut extulit Saram sterilem depressa Agar insolenti; quare nemo superbus confidat rebus præsentibus secundis, nemo humilis et miser in adversis desperet; quia Deus utriusque vices et sortes commutabit, ut hos faciat felices, illos vero infelices.

Hinc nonnulli pro לו *lo,* id est *el,* legentes לוא *lo* per *aleph* vertunt, *non sunt* (hominibus vel angelis) *mensurabiles cogitationes Dei,* juxta illud Pauli, *Rom.* cap. XI, vers. 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? »

Tropologice Rupertus : « Scientiarum, inquit, Domino cogitationes præparantur pro munere. Si vis ab illo promereri vel impetrare scientiæ donum, non multæ oblationes arietum et taurorum, sed sanctæ cogitationes ejus rei præparatoriæ sunt. »

Hinc vide quid cogites. Deus enim non solum actiones et sermones, sed et intimas cogitationes et intentiones pervidet, easque in die judicii toti mundo revelabit et judicabit, juxta illud *Hebr.* cap. IV, vers. 12 : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis. »

Denique aliqui sic exponunt : « Deus scientiarum Dominus est, » hoc est, Deus est scientissimus, quia ipse scit omnium hominum cogitationes et conatus convertere ad id quod ipse fieri voluerit; quare cogitationes hominum illi præparantur, sicut præparatur materia artifici, ut ex illa faciat id quod ipse voluerit. Sic cogitationes fratrum de Josepho vendendo convertit in Josephi bonum, et exaltationem, ut scilicet fieret princeps in Ægypto; sic Phenennæ proba et maledicta convertit in laudem et decus patientis Annæ.

Vers. 4. 4. ARCUS FORTIUM SUPERATUS EST (Septuaginta, *infirmatus est*), ET INFIRMI ACCINCTI SUNT ROBORE. — Huic versui antistrophus est ille B. Virginis : « Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. »

Prædicat Anna omnipotentiam Dei ex eo quod sæpe fortes fortitudine sua dejecerit, ac vice versa infirmos fortes effecerit. Unde Chaldæus vertit : *Et ii qui erant debiles factæ sunt virilitates, q. d.* Deus fortes quasi viros fecit debiles quasi feminas, et vice versa debiles quasi feminas fecit fortes quasi viros, uti jam Phenennam, quæ in pariendo tot filios videbatur fortis, fecit infirmam, ut amplius non pariat, et me Annam sterilem ad pariendum fecit validam, ut pepererim Samuelem, et quinque alias proles paritura sim; pendet enim hic versus a versu sequenti : « Donec sterilis peperit, » etc. Arcum vocat robur, potentiam, fortitudinem, quia ante inventas bombardas pugnabant arcubus, uti etiamnum pugnant Indi et Tartari. Proprie vero arcum vocat linguam mor-

dacem Phenennæ, quæ scommata et sannas quasi sagittas in Annam jaculabatur, quas Anna quasi infirma et sterilis tacita audiebat. Sed Deus hanc linguam et has sannas infregit, dum Annam fecundavit, itaque Phenenna validiorem effecit. Ita Lyranus, Hugo, Abulensis et Glossa.

Arcus fortium superatus quis? Resp. Primo.

Porro sententia hæc generalis est; unde multis aptari potest. *Primo* ergo S. Gregorius eam adaptat S. Michaeli ejusque angelis, ac Lucifero ejusque asseclis dæmonibus, qui erant summi et potentissimi, præ quibus Michael et Angeli videbantur esse minores minusque potentes : « Quos Deus, inquit D. Gregorius, de cœlo præcipitavit, ut in lapsis angelis disceret homo quid timeret; nam quid de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fœtore plenis ignoscit? »

Secundo.

Secundo, Origenes, hom. *De Elcana*, hanc gnomen accommodat dæmonibus, qui potentissimi sunt spiritus, et hominibus, qui carnei sunt, ideoque infirmissimi : « Et tamen tu, ait Origenes, si indutus sis armis Dei, si scuto fidei munitus, et galea salutis obtectus, et lorica charitatis, et gladio spiritus accinctus, arcus contra te potentium pro munimentis talibus infirmabitur. »

Tertio.

Tertio, Beda et Origenes eam attribuunt Philosophis gentilibus et fidelibus plebeiis ac simplicibus, de quibus ait Apostolus, epist. I *ad Corinth.* I : « Stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientes. »

Quarto.

Quarto, S. Hieronymus in *Quæst.*, refert ad Pharaonem et Ægyptios, ac Mosen et Hebræos : Pharao enim potens in equis et curribus insequens Hebræos per mare Rubrun eo mersus est, cum Hebræi salvi validique exirent. Simili modo attribuas Chananæis, quos licet gigantes et bellipotentes, imbelles Hebræi duce Josue profligarunt.

Quinto.

Quinto, S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* IV, S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus et Beda referunt ad Judæos et Gentiles. Judæi enim in lege validi, per Christum infirmati sunt : Gentiles vero per eumdem erecti, et Judæis validiores effecti.

Sexto.

Sexto, Lyranus refert ad Pharisæos et Apostolos; illos enim nobiles, doctos et potentes per gratiam Dei dejecerunt rudes, pauperes et infirmi Apostoli : « Qui olim, ait S. Gregorius, mulierum verba timuerunt, postea auctoritatem principum libertate frangebant. »

Denique Euthymius, Cajetanus et Dionysius illam adaptant superbis et humilibus; potentes enim et fortes in sua fortitudine superbiunt, infirmi vero in sua infirmitate se humiliant, Deique potentis opem invocant; unde hi a Domino, cujus ope et robore se indigere sentiunt, roborantur; illi vero robore suo privantur, quia non agnoscunt illud se a Deo accepisse, et ab eo pendere : « Ut non glorietur coram Deo omnis caro, » sed omnem roboris gloriam Deo a quo datur, attribuat. Atque hæc est causa, cur Deus per infirmos majora sæpe quam per fortes operetur, ut qui « gloriatur, in Domino glorietur, » ait Apostolus. « Virtus *enim Dei* in *nostra* infirmitate perficitur, » II *Corinth.* XII, 9. Vide ibi dicta.

REPLETI PRIUS PRO PANIBUS SE LOCAVERUNT, ET FAMELICI SATURATI SUNT. — Huic antistrophon est illud B. Virginis : « Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes, » *Luc.* I. Vide ibi dicta. Ad litteram Deus sæpe impios opibus et cibis repletos depauperat et fame affligit, ut cogantur operas suas pro panibus lucrandis elocare, et vires suas laborando exhaurire : unde Aquila vertit, *attriverunt se*; uti fecit filio Prodigo, qui præ fame coactus fuit pascere porcos eorumque siliquas comedere, *Lucæ* cap. XII. Sic Deus ob peccata sæpe sterilitatem et famem populis immittit, ut immisit Ægyptiis totique orbi tempore Abrahæ, *Genes.* cap. XII, vers. 10, et tempore Joseph, *Genes.* XLI, et tempore Mosis, *Exod.* X, 14, et tempore Ruth, cap. I, pios vero famelicos Deus saturavit, imo alios per eosdem pavit, ut patet de Joseph pascente Ægyptum totumque orbem, de Abraham, *Genes.* XII, de Hebræis quos per quadraginta annos aluit manna in deserto. Sic Judæos a Tito obsessos fame confecit, adeo ut matres suos filios vorarent, cum Christiani urbe egressi cibis abundarent. Sic Anna hic ob mœrorem sterilitatis non comedens, cap. I, vers. 7, erat famelica, sed jam mœrore per generationem depulso comedens, saturata et exhilarata est; Phenenna vero prius læta et saturata, nunc mœrens, cœpit cibum fastidire, forte etiam ipsa cum filiis ad tantam egestatem redacta est, ut cogerentur se suasque operas pro panibus congerendis elocare; hoc enim hic innuit Anna.

Mystice.

Mystice : Deus fideles pios satiat sapientia, prædicatione et doctrina verbi Dei, Eucharistia et Sacramentis, cum Judæos aliosque impios iis privat. Ita S. Ambrosius, serm. 12 *in Psal.* CXVIII : « Divites, inquit, eguerunt et esurierunt, quia qui antea abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere cœperunt; qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem Christi satiantur et abundant; sicut scriptum est : Edent pauperes et satiabuntur. »

Anagogice.

Anagogice, Sanctos Deus hic jejunantes satiat deliciis æternis in cœlo, improbos hic se ingurgitantes torquet fame perenni in gehenna, juxta illud *Isaiæ* LXV, 13 : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini. » Audi Tertullianum, lib. *De Spectac.* XXVIII : « Vicibus res disposita est; nunc illi lætantur, nos conflictamur. » Et paulo post : « Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint, gaudeamus. »

Idem, lib. *De Idolis* cap. XIII : « Sæculo, ait, gaudente lugeamus, et sæculo postea lugente gaudebimus. Sic et Lazarus in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contra dives in tormento ignis constitutus, alternas malorum et bonorum vices æmula retributione compensant. »

Et S. Augustinus, serm. 227 *De Tempore*: « Pauper, ait, beatitatem emit mendicitate, et dives supplicium facultate. »

DONEC STERILIS PEPERIT PLURIMOS. — Pendet hæc sententia a vers. 4; celebrat enim nunc Dei fortes infirmantis et infirmos fortificantis potentiam, ejusque quid eximium et quasi summum assignat. Idque significat τὸ *donec;* pro eo enim Hebr. est עַד *ad,* pro quo Septuaginta vertunt, *quia;* Chaldæus, *etiam;* Vatablus, *adeo ut.* Sensus ergo est; quasi dicat : Deus potentissimus sæpe fortes infirmat, et infirmos corroborat, *donec,* id est *usque adeo,* ut faciat sterilem, qualis ego eram, parere septem, id est multos filios; fecundæ vero et filiis abundanti, qualis erat Phenenna, deinceps partus sistat, ut fiat sterilis, imo proles jam genitas sensim auferat, aut pauperes miserasque et infirmas efficiat. Ita S. Hieronymus in *Quæst.,* Abulensis, Vatablus, Jansenius. Tradunt Hebræi quod Phenennæ tot moriebantur filii, quod nascebantur Annæ, ita ut nato Annæ Samuele primogenito moreretur primogenitus Phenennæ, et ita deinceps; sed hoc refutat S. Hieronymus et alii. Sic τὸ *donec* significat rei extremum et summum, lib. I *Reg.* cap. XXX, 4 : « Planxerunt, donec deficerent eis lacrymæ. » Et II *Reg.* XXIII, 10, de Eleazaro : « Percussit Philistæos, donec deficeret manus ejus. » Et lib. III *Reg.* cap. XVIII, vers. 28, de sacerdotibus Baal : « Incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. » *Sap.* X, 13, de Joseph : « Non dereliquit eum, donc afferret illi sceptrum regni. »

Anna peperit septem, quo sensu?

Pro *plurimos* hebraice est *septem.* Unde Josephus ait Annam peperisse septem filios; verum vers. 21, tantum numerantur quinque, ut addito Samuele sint sex. Rabbini nonnulli pro Samuele substituunt duos ejus filios, ut fiant septem proles Annæ. Rursum Rabbi Salomon duos Phenennæ filios Annæ assignat, ut septem habeat, idque quia quoties ipsa pareret, toties duo semper Phenennæ filii morerentur. Cumque duo tantum superessent, hos illa rogata suis precibus conservavit : at hæ sunt illorum fabulæ, ut in *homil.* vocat Origenes.

Dico ergo ad litteram : Anna peperit septem, id est multos filios. Septenarius enim est symbolum multitudinis. Prophetat Anna instincta a Spiritu Sancto de filiis quos paritura erat vers. 21.

Allegorice.

Allegorice, Phenenna significat Synagogam Judæorum, quæ jam parere Deo filios desiit; Anna Ecclesiam Christianorum, quæ plurimos ex omnibus gentibus filios Deo gignit. Unde Chaldæus vertit, *sterilis implebitur prole,* scilicet plurima. Ita Origenes, Theodoretus, Procopius et S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. IV.

Symbolice.

Symbolice Cabalistæ : Anna, inquiunt, peperit septem, quia Samuel et שבע *sceba,* id est *septem,* suis characteribus eumdem exprimunt numerum, scilicet 377. Sublimius Philo, lib. *Quod Deus sit immutabilis* : Septenarius, ait, est perfectissimæ quietis et sabbati symbolum; unde significat animum in Deo recumbentem et quiescentem, qualis erat Samuelis : « Samuel enim, ait, in solius Dei ministrorum ordinem adscitus nemini præterea serviens, ab uno et ente honestatur; quia status est septenarii animæ in Deo requiescentis, et nullis mortalibus occupatæ negotiis. »

Tropologice.

Tropologice Eucherius : « Vir sanctus, ait, qualis erat Samuel, est instar multorum, quia pluris est apud Deum, pluraque ab eo impetrat quam multi cæterorum, » juxta illud *Eccli.* XVI, 3 : « Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii. » Vide ibi dicta. Audi S. Chrysostomum, homil. 40 *ad Popul.* : « Helias, inquit, unus erat; sed totus mundus non erat dignus qui rependeretur ei. Et mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cum nec ad unius mensuram perveniant. »

Et Philo, lib. *De Decalogo,* quærens cur Deus in singulari dicat : « Non occides; non mœchaberis, » respondet : « Quia quicumque Deo paret ac legibus, æquatur frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imo mundo universo. » Rursum : « Apud homines, ait, injusta multitudo pluris quam unus justus æstimatur; apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. »

Insuper anima peccatrix, ideoque bonorum operum sterilis parit plurimos, cum pœnitens multos fidei, spei, pœnitentiæ, eleemosynæ, charitatis aliarumque virtutum actus producit : ac vice versa anima sancta, quæ bonis operibus abundabat, dum in peccatum mortale prolabitur, sterilescit adeo, ut non tantum nulla bona opera et merita pariat, sed et præterita dissipet et disperdat. Audi S. Basilium in cap. I *Isaiæ* ad illa : *Regionem vestram alieni comedunt.* « Vide, ait, juvenem quempiam a puero intra ædes educatum; alacriter et studiose ad orationem prodeuntem, nullum transmittentem beneficentiæ officium, æterni illius judicii memorem, jugiter acquiescentem sermoni doctrinæ : talem denique mihi considera in fornicationem prolapsum. Quonam pacto miserabilem illum e proximo consequitur omnimoda conversio priorum laborum. Conscientia commissi facinoris non jam eum comitatur, ut se conferat ad orationis locum : non idem in cœtu consistit eorum qui in arcano secessu deflent. Fit hinc ad orationem cunctantior. Denique sensim illius menti se inserit meditatio ut a proposito deficiat. Denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur. » Ad hæc Origenes, homil. *De Elcana.* : « Sterilis, ait, erat in me anima mea, non afferebat fructus justitiæ; nunc autem ubi per fidem Christi meruit gratiam Spiritus Sancti, et implevit eam spiritus timoris Domini, certum est quod sterilis peperit septem. » Et nonnullis interjectis : « Fecunda, ait, in propagine erat caro mea habens plurimos carnis fructus, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, idololatriam, etc. Hæc erat

carnis nostræ numerosa progenies : sed cum venimus ad fidem crucis Christi, et mortificationem Jesu cœpimus circumferre in corpore nostro, et mortificare membra nostra quæ sunt super terram, et exhibere ea servire justitiæ et sobrietati; tunc fecunditas probrosæ hujus generationis exclusa est, et hoc modo fecunda in filiis infirmata est. »

Denique, « Sterilis, ait S. Franciscus, est pauperculus, humilis sanctusque religiosus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos, quia quos nunc privatis orationibus et bonæ vitæ exemplo convertit ad Christum, illius gloriæ tunc judex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur; quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscit tunc se nihil proprii habere in eis. » Ita Annales Waddingi anno Christi 1220, num. 30, et S. Bonaventura in Vita S. Francisci.

Vers. 6. 6. DOMINUS MORTIFICAT ET VIVIFICAT, DEDUCIT AD INFEROS ET REDUCIT. — *Primo,* cum mortuos ad vitam resuscitat : item cum animas patrum ex inferis, id est ex limbo per Christum resurgentem eduxit, ait Theodoretus, ac dum animas plene purgatas e purgatorio ad cœlum traducit : unde Chaldæus vertit, *ab inferis deducit ad vitas æternitatis.* Rursum cum sanis morbum lethalem immittit, ac deinde iis pœnitentibus et supplicantibus sanitatem vitamque restituit, ut fecit Ezechiæ regi, *Isaiæ* cap. XXXVIII. *Secundo,* dum quem tot ærumnis affligi permittit, ut pene mori cogatur, ac deinde humiliatum iis liberat et prosperat. *Tertio,* cum sterilem, qualis Anna erat, fecundat et in prolibus quasi vivificat. Sterilis enim est quasi lignum aridum et emortuum, juxta illud *Isaiæ* LV, 3 : « Non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. » Et Apostolus, *Rom.* IV, 19, loquens de Abraham sene et Sara sterili : « Non, inquit, infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. » Et *Ezech.* cap. XVII, vers. 24 : « Siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. » Sic enim Deus arbores in hyeme defrondans et siccans mortificare videtur, in vere vero easdem frondere faciens rursus vivificare.

Deus mortificat et vivificat.

Allegorice, Deus mortificat Synagogam Judæorum, vivificat Ecclesiam Christianorum, ait S. Gregorius, Beda, Angelomus.

Tropologice S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* cap. IV, Dominus, cum in nobis carnales affectus mortificat, spirituales spiritumque vivificat : mortificatio enim carnis est vivificatio spiritus, uti docet S. Paulus. Unde Origenes : « Deus, ait, occidit Paulum persecutorem eumque vivificavit ut fieret Apostolus Christi. » Audi S. Ambrosium, serm. *De Jejunio.* : « Occidit Deus primum in nobis homicidia, adulteria, scelera, furta per baptismum; et sic nos tanquam novos homines æternitatis immortalitate vivificat. Morimur ergo peccatis per lavacrum, regeneramur autem vitæ per spiritum. » Et paulo post : « Occidimur, ait, quodammodo, cum desinimus esse quod fuimus; novo enim pietatis genere in uno eodemque homine impius et adulter occiditur, ut misericors renascatur et castus. Interimitur idololatria, ut religio propagetur. Fornicator et ebriosus exstinguitur, ut continens et sobrius procreetur. Sic ergo mortificat Dominus ut vivificare faciat : sic occidit ut prosit : sic verberat ut emendet. Hæc est igitur circa homines suos tota ejus severitas, ut in his peccata puniantur, anima conservetur, auferantur detestanda vitia, virtutes optimæ nutriantur. »

Audi S. Gregorium hic : « Deum, inquit, ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere; reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus. »

Vers. 7. 7. DOMINUS PAUPEREM FACIT ET DITAT, HUMILIAT ET SUBLEVAT. — Deus enim hunc pauperem facit, illum divitem; hunc humilem et abjectum, illum sublimem et elevatum, imo unum eumdemque pauperem et abjectum, mox divitem et sublimem effecit, præsertim cum superbum humiliat, et humiliatum exaltat.

Vers. 8. 8. SUSCITAT DE PULVERE EGENUM, ET DE STERCORE ELEVAT PAUPEREM. — Pagninus : *Exaltat mendicum, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Sic Job bonis omnibus ipsaque sanitate spoliatum, ac sedentem in sterquilinio elevavit, et ad pristinam regni gloriam reduxit, imo eamdem duplicavit. Sic Saulem ab asinis evexit ad sceptrum; sic David ab ovibus earumque fimo extulit ad gloriam regni Israelis. Sic Joseph e carcere evexit ad principatum Ægypti. Mystice S. Gregorius, Deus peccatorem suscitat e pulvere, cum e veniali culpa, e stercore, cum e mortali eum per pœnitentiam elevat ad gratiam.

Celebrat hic Anna Dei potentiam per quinque antitheses, ut ostendat Deum posse quemlibet ex imo elevare ad summum, et vicissim ex summo in imum dejicere, ac proinde nec sublimi ac felici vane gloriandum esse in sua sorte, nec humili et misero in sua infelici fortuna desperandum : Deum enim posse utriusque vices commutare, ac reipsa sæpe commutare, cum superbos deprimit et humiles extollit, uti hic Annam extulit et Phenennam depressit.

Cardines terræ qui? Resp. Primo. DOMINI ENIM SUNT CARDINES (Vatablus, *columnæ*) TERRÆ, ET POSUIT SUPER EOS ORBEM, — *q. d.* Deus mundi cardines in sua habet manu et potestate; quanto magis ea quæ jam dixi efficere potest. Per cardines terræ Angelomus, Hugo, Abulensis, Dionysius et Jansenius accipiunt quatuor terræ extremas partes sive climata, scilicet Orientem, Occidentem, Aquilonem et Meridiem. Secundo. *Secundo,* noster Sanchez accipit duos cœli polos; super hos enim gyrantur cœli, omnesque orbes planetarum et elementorum circa terram, quasi dicat : Sicut Deus

duos polos mundi Arcticum et Antarcticum constituit, quasi duos cardines cœli et terræ, ut circa eos assidue moveantur et gyrentur omnes cœli et elementa, quo fit ut nunc eleventur, nunc deprimantur; sic pariter Deus gyrat omnes homines omnesque creaturas, ut eas nunc elevet et beet, nunc deprimat et affligat. Verum hi proprie sunt poli cœli, non cardines terræ, unde super eos positi sunt cœli, non terra. *Tertio,* alii per cardines accipiunt centrum terræ; huic enim quasi basi incumbit terra totusque orbis. *Quarto,* alii accipiunt mare, dicentes cum Thalete terram quasi ratem innatare aquis, juxta illud *Psalm.* XXIII : « Ipse super maria fundavit eam. » Verum hoc refellit Aristoteles et Philosophi, lib. III *De Cœlo,* cap. I. *Quinto,* ergo genuine pro *cardines* hebraice est מצוקי *metsuke,* id est *fundamenta* sive *bases et columnæ* terræ; quare per catachresim simpliciter per illa accipias ipsam terræ firmitatem et soliditatem, ipsi a Deo in creatione mundi inditam, et semper conservatam ac conservandam; in hac enim quasi in firmis cardinibus basibusque suffulta terra, stabilis, firma et immota consistit, ut non tantum se, sed et orbes omnes cœlestes et elementares quasi basis et columna solidissima fulciat et sustentet. Terra enim nullos habet cardines vel bases, sed immutabilis Dei voluntas et potestas, quæ eam semper fulsit et firmat, unica est ejus basis, columna et cardo, ait S. Basilius, hom. 1 *Hexam.*, et Nazianzenus, *orat.* 34. Terra enim in aere est pendula, ibique Dei voluntate quasi cardine firma consistit.

Tertio

Quarto

Quinto genuine.

Symbolice, cardines orbi sunt sancti.

Symbolice, cardines terræ sunt principes et prælati; hi enim sunt quasi bases et columnæ Reipublicæ : ita S. Hieronymus in *Quæst.* Unde Cardinales sunt dicti, quod ipsi sua prudentia et sanctitate debeant esse cardines Ecclesiæ, et columnæ basesque fidelium. Ac hebraice *Adon,* id est Dominus, dicitur ab אדן *eden,* id est basis, æque ac græce βασιλεὺς, id est rex, a βάσις, quod rex sit regni basis et fulcrum. Ita S. Gregorius, Beda, Angelomus, Jansenius et alii.

Rursum cardines Ecclesiæ imo mundi sunt viri justi et sancti, ait S. Hieronymus. Nam, ut ait Ruffinus, Præfat. *in Vitas Patr.* : « Quis dubitat mundum precibus stare sanctorum? » unde pro *cardines terræ,* S. Hieronymus in *Quæst.* vertit, *afflicti* (radix enim *tsuc* significat arctare, angustiare, affligere) *terræ,* id est humiles et pauperes spiritu, super quos aiunt Hebræi Deum posuisse orbem, quia eorum sanctitate et precibus stat et conservatur, ne sicut Sodoma igne cœlesti ob scelera sideretur, vel aquis mergatur, uti mersus est in diluvio tempore Noe. Ita ex Hieronymo Rupertus, lib. I *De Sapientia,* cap. XXVIII, quem audi : « Et afflicti terræ, qui sunt nisi humiles et contriti corde? super illos plane qui hujusmodi sunt, Dominus orbem posuit : quia super eos qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes, humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocavit; qui videlicet tanto clementius, tanto compatientius eumdem orbem portare possunt, quanto amplius clementis atque compatientis gratia se indiguisse meminerunt. »

Gnomæ

Idem Rupertus, lib. III *in Matth.* cap. IV : « Afflictio hæc, ait, humilitas est, quæ ad portandum orbem constantes eos facit et fortes. » Unde R. Jonathan apud Lyranum pro *afflicti terræ,* vertit *fortes terræ;* vir enim, dum se suaque membra coarctat, fit fortior, sic et humilis. Talis erat Abraham, de quo S. Ambrosius, lib. *De Abraham,* cap. VI : « Unde discimus, inquit Ambrosius, quantus murus patriæ sit vir justus, et quemadmodum non debeamus invidere Sanctis nec temere derogare. Illorum etenim fides nos servat : illorum justitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros decem justos, potuit non perire. »

Et Philologus, *De Migratione Abrahæ* : « Nonne revera, ait, fulcrum generis humani justus est, suas dotes communicans et in publicum usum conferens? » Et paulo post : « Oremus, ait, ut ceu columna in domo, in humano genere homo justus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi de publica salute desperandum non est. »

Sic Deus ob S. Paulum in naufragio salvavit omnes qui cum eo erant in navi, numero 270, *Actor.* cap. XXVII, 24. Sic Innocentius III Pontifex, cum S. Franciscum petentem ordinis sui confirmationem repulisset, per visionem vidit ecclesiam Lateranensem, quæ est sedes Pontificis, et mater matrixque omnium totius orbis ecclesiarum, labantem et ruentem inniti et fulciri humeris pauperis S. Francisci : quare illico eum quæri et advocari jussit, ejusque regulam et ordinem confirmavit. Ita habent Chronica S. Francisci. Sicut ergo Atlas rex (et ab eo mons) Mauritaniæ, ob inventam Astrologiam dicitur humeris sustinere cœlum : sic et Franciscus et sancti sunt Atlantes orbis.

Anagogice, Chaldæus pro *cardines orbis* accipit *cœlum,* quod Deus piis, *et gehennam,* quam impiis præparavit. Sic enim vertit : *Ante Dominum revelata sunt filiorum hominis opera; ab inferiori parte apparavit gehennam improbis verborum suorum transgressoribus, et in justis voluntatem suam facientibus fundavit orbem.*

Anagogice.

Porro Septuaginta et ex eis S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. IV, hic addunt : « Deus votum voventi dat, » id quod per votum petit, ut hic Annæ dedit Samuelem.

9. PEDES SANCTORUM SUORUM SERVABIT. — Hæc est posterior pars cantici, qua Anna prophetat de futuris, sicut priori hucusque de præteritis Dei beneficiis, Deum celebravit. Prophetat autem promitque septem miracula. Primum est hoc : « Pedes Sanctorum suorum servabit, » ne scilicet in culpam, indeque in gehennam corruant; ita S. Gregorius. Unde Chaldæus, *corpus servorum justorum custodivit Deus a gehenna.* Per « pedes » significantur gressus, motus, actiones justorum, quas Deus dirigit, necubi offendant, cespitent, corruant. Unde

Vers. 9. Pedes Sanctorum servat Deus.

cum Psalte cuique fideli jugiter orandum, præsertim dum domo vel cubiculo egreditur: « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, » *Psalm.* x, 13. Nam ut idem ait *Psalm.* xc, 11 : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; » quia ut ait hic Abulensis : « Nulla est pars in toto corpore humano, quæ magis lædi possit quam pedes; » et quia super eos tota moles corporis sustentatur.

Mystice. Mystice, pedes animæ sunt ejus affectus, quos ut dirigat fulciatque Deus; ne ad terrena labantur, jugiter invocandus est. Nam ut ait S. Augustinus in *Psalm.* cxliv : « Adimus Deum animo, non vehiculo, affectionibus, non pedibus, » passibus mentis, non corporis. Idem, Præfat. *in Psal.* cxxi : « Ad Deum, ait, ascendit volando qui ascendit amando. » Porro duo animæ pedes, quibus ad Deum imus, sunt humilitas et fortitudo, ait S. Gregorius. Denique S. Bonaventura, in *Psalm.* cxviii, vers. 105 : « Dictis pedibus, inquit, providere debemus, ne inquinentur, ne illaqueentur, ne subvertantur, sed puri, liberi et firmi serventur. Inquinantur autem per luxuriam; illaqueantur per avaritiam; subvertuntur per superbiam, sed servantur per sanctimoniam. De primo : Lavi pedes meos, scilicet per pœnitentiam. Quomodo inquinabo illos, scilicet per luxuriam? Ecce pedum inquinatio. De secundo : Laqueos absconderunt pedibus meis. Ecce pedum illaqueatio. De tertio : Calamitates meæ illico surrexerunt, pedes meos subverterunt. Ecce pedum subversio. De quarto : Pedes Sanctorum suorum servabit. Ecce pedum servatio. »

Nota : Septuaginta pro *pedes* vertunt *annos : Benedixit*, inquiunt, *annis*, vel ut habent Sixtina, *annos justi*, dum eorum dies, menses et annos dirigit prosperat, bonis donisque suis cumulat ac promovet, ut ad annos beatæ æternitatis perveniant. Et ut explicat S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* iv : « Ut cum illo sine fine vivat, cui dictum et anni tui non deficient. » *Psalm.* ci, vers. 28 : « ibi enim stant anni : hic autem transeunt, » imo pereunt; antequam enim veniant, non sunt; cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt.

Et impii in tenebris (tum corporis, uti Sodomitæ, *Gen.* xix, 11, et Ægyptii, *Exod.* x, 21; tum potius mentis, scilicet imprudentiæ, cæcæ concupiscentiæ peccatorum, ac tandem utrisque in gehenna) conticescent, — ex vehementi horrore, pavore et consternatione, ut se mutuo alloqui solarique nequeant. Audi S. Gregorium, I part. *Pastor.* cap. xi : « Cæcus, inquit, est qui supernæ contemplationis lumen ignorat; qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum veram lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat nescit. Hinc etenim prophetante Anna, dicitur : Impii in tenebris conticescent. »

Porro « conticescent, » hoc est *primo*, obscuri erunt : sic enim lunam non lucentem et obscuram per catachresin vocamus silentem, juxta illud Virgilii, lib. II *Æneid.* :

Tacitæ per amica silentia lunæ.

Secundo, « conticescent, » id est immobiles erunt præ stupore, sicut Ægyptii in plaga tenebrarum pavidi et stupidi non audebant se loco movere, quasi « vinculis tenebrarum compediti, » *Sapient.* cap. xvii, vers. 2. Nam ut ibidem dicitur vers. 17 : « Una catena tenebrarum omnes erant colligati. »

Tertio, « conticescent, » quia non habebunt quidquam excusationis, quod culpæ et gehennæ suæ obtendant (sed maledicent sibi, parentibus, omnibusque creaturis; quæ sibi peccati et damnationis fuere causa), hoc est, « convincentur et convicti silebunt. » Unde Chaldæus vertit : *Improbi transgressores dicti sui in gehennam in tenebris judicabuntur, ad ostendendum quod non quisquam sit in quo sit fortitudo puritatis ad diem judicii.*

Hinc gehenna vocatur hebraice דומה *duma*, id est silentium et locus silentii. Hinc et Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

Et chaos et Phlegeton loca nocte silentia late.

Et Ovidius, lib. V *Fastor.* :

Mox etiam Lemures, animum dixere silentum.

Et Seneca in *Hippolyto* :

Adiit silentem nocte perpetua domum.

Est hoc secundum Annæ oraculum.

« Impii *ergo* in tenebris conticescent, » id est damnabuntur ad æternas gehennæ tenebras, qui hic se et sua superbe jactabant, et ubique gloriose se magnificantes personabant.

Quia non in fortitudine sua roborabitur vir, — ut Deo fortissimo prævaleat, vel resistere valeat. Refert hæc ad id quod præcessit, quasi dicat : Ideo Deus pedes Sanctorum suorum servabit, quia ipsi cognoscentes infirmitatem suam confisi sunt in fortitudine non sua, sed Dei, eumque suppliciter invocarunt; impios vero permisit labi in peccatum et ruere in gehennam, quia ipsi in fortitudine sua confisi opem Dei invocare neglexerunt. Audi S. Augustinum in *Soliloq.* cap. xxiii : « Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi. Quod magis credidi posse per me minus semper potui. Dicebam enim : Hoc faciam, illud perficiam, nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non erat voluntas, quam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus meus, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Non est enim hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit, sed potius a te gressus hominis diriguntur. »

Causam dat idem S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. IV : « Cum enim, inquit, Dominus possidere nos cœperit; profecto adversarius qui noster fuerat, ipsius fit et vincitur a nobis, sed non viribus nostris, quia non in virtute sua potens est vir. »

Vers. 10. 10. DOMINUM FORMIDABUNT ADVERSARII EJUS, — tum tempore proximo, quo Philistæi a Deo per meum Samuelem tonitruis et fulguribus exterriti diffugient, uti audiemus cap. IV, vers. 7, et cap. VII, vers. 10; tum quolibet alio, præsertim tempore Christi, qui tum in hac vita dæmones, Pharisæos, infideles omnes vi spiritus sui percellet et prosternet; tum maxime in die judicii, quo eos adiget in tartara : tunc enim adeo formidabilis eis apparebit, ut dicant « montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? » *Apoc.* cap. VI, vers. 17; *Osee* cap. X, vers. 2; *Lucæ* cap. XXIII, vers. 30. Ita S. Augustinus, S. Gregorius, Lyranus, Abulensis et alii. Est hoc tertium Annæ vaticinium, sequitur quartum :

ET SUPER IPSOS IN COELIS TONABIT. — Hoc fecit Deus *primo,* cum per Samuelem oratione sua elicientem e cœlo fulgura et tonitrua Philistæos perculit, ut dicetur cap. VII, vers. 10, et cap. XII, vers. 18; *secundo,* cum super Christum intonuit in baptismo, transfiguratione, et alias, *Joan.* cap. XII, vers. 28 : « Hic est Filius meus dilectus, » etc., ac rursum cum in Pentecoste per tonitru et linguas igneas misit Spiritum Sanctum in Apostolos (unde Septuaginta vertunt : *Ipse ascendit in cœlos et tonuit,* ut ipsi pariter voce tonarent, et vita fulgurarent, itaque Judæos et gentes percellerent, eosque Christo subjicerent. Unde S. Hieronymus S. Paulum vocat « tonitru gentium, » et Christus Jacobum et Joannem vocavit « Boanerges, » id est, filios tonitrui.

Denique in die judicii sententiam damnationis in impios detonabit et fulminabit, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

Tonat Deus in peccatores. Mystice, tonat in anima peccatrice Deus, cum ei injicit minas metusque gehennæ, ut ex terrestri fiat cœlestis, imo ex terra fiat cœlum. Nam ut ait S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 12 : « Cœlum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet, et corpus suum continenti sobrietate moderatur. » Audi S. Hieronymum in *Psalm.* CXXXIII, vers. 3 : « Multi de terra cœli fiunt, et multi de cœlo terra. Infelix Judas cœlum fuit, et factus est terra. Paulus Apostolus, eo tempore quo persequebatur Ecclesiam, terra erat; confessus est, et cœlum factus est. »

Et S. Bernardum, serm. 27 *in Cant.* : « Habet, inquit, Ecclesia cœlos suos, homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem tonant increpationibus, coruscant miraculis. »

DOMINUS JUDICABIT FINES TERRÆ, ET DABIT IMPERIUM REGI SUO, ET SUBLIMABIT CORNU CHRISTI SUI. — Hebræa et Chaldæa, *Messiæ suo.* Est hoc quintum, sextum et septimum Annæ oraculum de Christo post mille et trecentos annos nascituro, quo illi eminus quasi applaudit et gratulatur; ubi adverte Annam esse primam in Scriptura quæ hic exprimat nomen Messiæ sive Christi. Hucusque enim in Pentateucho, Josue et Judicibus nomen Christi non audivimus.

Nota hæc tria proxime referri posse ad tempus Annæ et Samuelis, ac Saulis et Davidis; quos Samuel reges constituit et consecravit; unde Septuaginta pro מלכו *malcho,* id est *regi suo,* legentes in plurali מלכנו *melachenu,* id est *regibus nostris,* vertunt, *ipse dabit fortitudinem regibus nostris;* sed sub his omnibus præcipue intelligit Christum, eorum antitypum : Christus enim solus judicabit fines totius terræ. Simili modo Isaias, cap. XIV, parabolice per casum Luciferi de cœlo describit casum Nabuchodonosoris, vel potius Baltasaris : ac Ezechiel cap. XXVIII, per casum Cherubini describit casum et occasum Tyri.

Sensus ergo est quasi dicat : Deus per meum Samuelem « judicabit fines terræ, » scilicet Sanctæ, sive Palæstinæ. Samuel enim judex Israel obibat celebriores urbes judicando, et lites quaslibet totius populi dirimendo; itaque totum Israelem in pace et religione conservabat, ut patebit cap. VII, vers. 10.

Rursum Dominus per meum Samuelem « dabit imperium (Hebr. עז *oz,* id est, *fortitudinem*) regi suo, » *primo,* puta Sauli (Samuel enim unxit Saulem in regem, qui proinde unctus ab eo fortiter propugnavit Israelem, ac Philistæos aliosque ejus hostes prostravit). Denique Dominus per Samuelem sublimabit « cornu », id est regnum, fortitudinem et gloriam « Christi sui, » puta Davidis, ut Sauli succedens eum superet, ac Israelis regnum longe lateque propaget. David ergo fuit Christus, id est unctus Domini, ac ab eo mire dilectus et electus, ut ex eo nasceretur Christus.

Quocirca hæc omnia magis spectant ad Christum. Deus enim per Christum judicavit fines terræ, non tantum Sanctæ, sed totius mundi, cum omnes gentes per prædicationem Apostolorum Christi fidei et legi Evangelicæ subjecit, ut Christus omnium gentium sit princeps, rex et legislator, juxta illud *Psalm.* II : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ. » Et *Psalm.* LXXI, vers. 1 : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio : » quod maxime de Salomone Davidis filio, sed præcipue de Christo utriusque filio et antitypo dictum est. « Deus » ergo dedit fortitudinem et « imperium regi suo, » quando Christum omnium gentium regem et dominum constituit, illasque omnes per Apostolos illi subjecit : quare tunc pariter « sublimabit cornu, » id est robur, regnum et gloriam « Christi sui. »

Rursum et magis id faciet Deus in die judicii. Tunc enim per Christum Judicem judicabit omnes omnium terrarum temporumque gentes et homines, ac fideles sibi obedientes cœlo, infideles sibi rebelles inferno adjudicabit. Quare tunc ut rex cœli et terræ absolutus, omnibus omnino angelis et hominibus imperabit, ac tunc Deus cornu regni et gloriæ ejus sublimabit usque in cœlum empyreum, ut ibi cum sanctis suis in omni felicitate regnet et triumphet in æternum. Unde Chaldæus hæc referens ad tempora Antichristi, Gog et Magog sic vertit : *Favet ultimum de Gog et Magog, et exercitu gentium raptorum qui venerunt ex finibus terræ, et dabit fortitudinem regi suo, et multiplicabit regnum Messiæ sui.*

Tropologice S. Augustinus, lib. VII *De Civit.* cap. IV, hæc attribuit cuilibet fideli, sancto et beato : hic enim est Christus, id est unctus, scilicet chrismate Christi in Baptismo et Confirmatione; ideoque quasi athleta, victor, rex et triumphator mundi, carnis, et diaboli, cum Christo regnabit in cœlo per omnia sæcula.

Porro hæc aliter exponit R. Jonathan filius Uziel in translatione sua Chaldaica, eumque sequentes Rabbini posteriores, qui negant Christum venisse; unde hæc a Christo detorquent ad Levitarum successum, potentiam, et victorias quas habituri erant sub Samuele, et deinde sub Machabæis, quasi illas Deo revelante Anna præsciverit, et hic prædixerit. Vide Abulensem hic *Quæst.* ult. et Lyranum.

Vers. 11. 11. PUER AUTEM ERAT MINISTER IN CONSPECTU DOMINI ANTE FACIEM HELI SACERDOTIS, — nimirum discebat legis rudimenta, ac canere (hoc enim erat officium Levitarum : unde filii Samuelis fuere cantores, imo eorum præfecti, I *Paral.* cap. VI et XXV), custodire tabernaculum, lucernas accendere, et cætera quæ ad officium Levitarum spectabant obire, ait Abulensis; ac, ut ait S. Gregorius : « Erat fratribus utilis, Deo devotus. » Unde S. Chrysostomus, homil. *De Samuele* : « Quanquam, ait, in puero ætas erat immatura, virtus tamen erat matura; omnibus enim in templum ascendentibus multæ pietatis ac religionis magister factus est. » Audi S. Augustinum in *Psalm.* XCVIII : « Samuel quid fecit infans ad templum datus? omnes ætates suas inter sancta Sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei. Ipsius coma promittebatur, et potus aqua erat, ait Josephus, et quidem usque ad ejus mortem, » inquit Philo, *De Nazaræatu*, cap. I, vers. 57. Audi S. Hieronymum, epist. ad Lætam *de Instit. filiæ* : « Anna filium quem Deo voverat, postquam obtulit in tabernaculo, nunquam recepit; indecens arbitrata ut futurus propheta in ejus domo cresceret, quæ adhuc alios filios habere cupiebat. Denique postquam concepit et peperit, non est ausa ad templum accedere, et vacua apparere coram Domino, nisi prius redderet quod debebat : talique immolato sacrificio reversa domum, quinque liberos sibi genuit, quia primogenitum Deo pepererat. Miraris felicitatem sanctæ mulieris? imitare fidem. Ipse, si Paulam miseris, et magistrum me, et nutricium spondeo : gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam regnis cœlestibus offerendam. »

Nota τὸ *ante faciem Heli*. Magnus enim ad virtutem stimulus est, si quis videat se in conspectu viri magni, ut Pontificis vel Principis versari, ab eoque videri et notari. Audi Senecam, lib. I *ad Lucilium*, epist. 10 : « Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat : sic vive cum Deo, tanquam homines audiant. » Et eodem lib., *epist.* 11 : « Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem veneretur, cujus auctoritate secretum suum etiam sanctius faciat. O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Elige itaque Catonem. »

12. PORRO FILII HELI FILII BELIAL, — id est erant improbissimi et impiissimi, ideoque Deus per Samuelem Heli cum filiis castigavit, et morte punivit, ut sequitur : Vers. 12.

13. NESCIENTES DOMINUM, — practice, id est Domino non servientes, legi ejus inobedientes, sacra profanantes, sacrificia sacrilege violantes, carnes victimarum Deo eripientes et sibi arrogantes : quia, ut ait S. Gregorius, « pravitatem exercebant operis, sed non errabant in fide conditoris. » Talibus sacerdotibus intentat Deus per *Osee* cap. IV, vers. 6 : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. » Præclare Nazianzenus Deum sic definit : « Deus est quem omnia nesciunt, omnia metuendo sciunt. » Porro Philo, lib. *De Sacerdotum præmiis*, docet sacerdotes debere semper Dei sui, utpote cujus sacerdotes sunt, meminisse : « Dum enim, inquit, assuescunt semper alimenti partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivionem veniunt : qua in re nihil in vita potest contingere homini felicius. » Idem de Essæis ita scribit, lib. *De Vita contemplat.* : « Perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quam imagines divinarum pulchritudinum. Et sunt in his qui somniando produnt præclaras sacræ philosophiæ sententias. » Vers. 13. Deus sit semper in memoria.

Imo de quolibet fideli ita scribit D. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 33, sub initium : « Nec enim, ait, tam sæpe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus. Imo si dici hoc potest, aliud nihil quam hoc faciendum. »

Causam dat S. Bernardus, lib. *De Inter. domo*, cap. IX : « Nam sicut, inquit, nullum est momentum quo non fruamur Dei misericordia, sic nullum esse debet momentum in quo illum præsentem non habeamus in memoria. »

NEQUE OFFICIUM SACERDOTUM AD POPULUM. — Hoc est primum filiorum Heli peccatum, quod scilicet nescientes Dominum, nescientes pariter officium suum, tum practice, tum speculative, quia enim non curabant Deum Deique legem et officium suum observare : hinc nec curabant eam legere et scire, ne hæc scientia pareret eis conscientiam et remorsum peccati; atque hæc est causa cur multi suis libidinibus addicti fiant athei, ut scilicet eis libere indulgeant sine metu numinis et vindictæ : hic enim metus eorum cupiditates vel frenaret, vel morderet, ac sensum voluptatis eorum magno pavoris dolorisque sensu mixtum dilueret et infringeret; nolunt ergo scientiam et conscientiam suis cupediis oblatrantem et occlamantem.

Taxantur hic quatuor scelera filiorum Heli ex gula manantia. *Primum,* ignorantia officii sui jam dicta; *secundum,* rapina victimarum, nimirum quod cum ex victima tantum pectusculum et armus dexter sacerdoti deberetur *Levit.* VII, 32, ipsi quaslibet victimæ partes, præsertim pinguiores et delicatiores sibi usurparent; *tertium,* quod id facerent vi, rapientes eas invitis offerentibus; denique *quartum,* quod id facerent antequam victima Deo per cremationem ab ipsis esset immolata, et caro cocta lixaque. Primum enim debebat Deo hostia pacifica offerri coquique, ac deinde pectusculum et armus dexter dabatur sacerdoti, reliqua caro offerenti.

Sic et apud Gentiles non nisi peracto sacrificio eo vesci licebat. Unde proverbium : « Haud immolata sacra sæpe devorat, » quod jactabatur in intemperantes et ventri deditos, quales erant filii Heli.

Vers. 17. 17. ERAT ERGO PECCATUM PUERORUM GRANDE NIMIS, CORAM DOMINO, QUIA RETRAHEBANT HOMINES A SACRIFICIO DOMINI. — Regia legunt, *quia detrahebant homines sacrificio Domini;* Hebraice est וַיִּנְאֲצוּ *niatsu,* id est, ut Chaldæus et Septuaginta, *spernebant,* despectui habebant, abominabantur sacrificium Domini, videntes illam irreligiosam avaritiam et gulam sacerdotum.

Peccatum sacerdotis gravius. Vide hic quam grave sit peccatum Sacerdotum, ob scandalum quod datur laicis. Unde Deus, *Osee* cap. III : « Audite, inquit, hoc, sacerdotes, etc., quia vobis judicium est quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. » Audi S. Gregorium, hom. 17 *in Evangelia* : « Nullum, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit : quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque, quod est gravius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerat ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. » Et inferius : « Imploremus Hieremiæ lacrymas; consideret mortem nostram, et deplorans dicat : quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est; quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. » Lege sequentia :

Vers. 18. 18. SAMUEL AUTEM MINISTRABAT ANTE FACIEM DOMINI, PUER, ACCINCTUS EPHOD LINEO. — Ephod polymitum et gemmatum continens Rationale cum duodecim gemmis, in quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum Israel, erant proprium Pontifici : at Ephod lineum erat vestis Levitarum, qualis erat Samuel, eratque simile superpelliceo, quali vestiuntur pueri choraules canentes in templo. Ita duplex hoc Ephod distinguunt S. Augustinus, *Quæstione* XLI, in lib. *Judicum,* et S. Hieronymus, lib. *Contra Jovinian.* Minus recte ergo Procopius et Theodoretus censent hoc Ephod Samuelis fuisse sacerdotum, illi ab Heli Pontifice concessum ob admirabilem Dei gratiam in ipso resplendentem.

Ephod lineum vestis Levitarum.

Tropologice B. Petrus Damianus, lib. II, *epist.* 10 : « Linum, ait, laboriose pervenit ad candorem, et clerici modo litterarum studiis insudando, modo quibusdam gradibus ascendendo, difficile promoventur ad sacri ordinis dignitates. » Et S. Gregorius hic : « Bene, inquit, Samuelis vestis linea fuisse perhibetur, ut novi sacerdotis gloria aperte ostenderet, quod novæ pudicitiæ moribus splenderet. »

Vers. 20. 20. REDDAT TIBI DOMINUS SEMEN (prolem) DE MULIERE HAC, PRO FENORE QUOD COMMODASTI DOMINO, — id est pro commodato vel dono quod obtulisti et dedisti Deo, puta pro tuo Samuele, quem mihi quasi Dei Pontifici obtulisti.

Vers. 21. 21. VISITAVIT ERGO DOMINUS ANNAM, ET CONCEPIT ET PEPERIT TRES FILIOS ET DUAS FILIAS. — Ecce hic fuit fructus partim benedictionis Heli Pontificis, partim oblationis Annæ, quæ suum Samuelem Deo obtulerat : nam pro uno Samuele quinque proles ei reddidit Deus. Discant hic parentes aliquos filiorum dicare Deo; hi enim eis benedictionem in bonis tam spiritualibus quam temporalibus impetrabunt.

ET MAGNIFICATUS EST PUER SAMUEL APUD DOMINUM, — hoc est crevit ætate, sapientia et gratia, non tantum apud homines, sed et apud Deum, uti explicat vers. 26. Unde Samuel fuit typus Christi, de quo ait Lucas cap. II, vers. ult. : « Jesus proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et homines. » Tropologice S. Gregorius : « Notandum, inquit, est quod puer Samuel dicitur, et magnificatus. Cur ergo puer, nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis celsitudinem erat sublimatus? » Et ad novæ legis prædicatores idipsum adaptans : « Puer, inquit,

et magnificatus in conspectu Domini Samuel dicitur, quia novus ordo prædicatorum, etsi ad magnæ conversationis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe non prodesset, si puer esse desisteret : quia humilitate amissa, placere omnipotenti Deo de conversationis altitudinem non valeret. »

Vers. 22. 22. DORMIEBANT CUM MULIERIBUS, QUÆ OBSERVABANT AD OSTIUM TABERNACULI. — Chaldæus, *quæ veniebant ad orandum in tabernaculi porta.* Josephus : « Quæ ad Dei religionem accedebant, et in ea perseverabant. » Erant enim hæ feminæ piæ, quæ se Deo ad ei in tabernaculo serviendum dicarant, inter quas educata fuit B. Virgo, uti sunt nostræ moniales, de quibus dixi *Exod.* XXXVIII. Hæc verba jam desiderantur in Septuaginta. Est hoc tertium filiorum Heli scelus, scilicet luxuria, puta adulterium et sacrilegium, quod scilicet feminas Deo dicatas violarent, idque in loco sacro et tabernaculo : gulæ enim comes est luxuria, et venter vino æstuans despumat in libidines, ait S. Hieronymus, etiam sacrilegas. Unde Chaldæus, vers. 32, ait eos peccasse in domo Sanctuarii. Et S. Hieronymus in *Quæst.* : « Locus tabernaculi, ait, subversus est, et propter vitia sacerdotum Dei Sanctuarium destitutum est. » Idem Hieronymus in cap. VIII *Ezech.* : « In exemplum Ophni et Phinees, inquit, idolorum scelera operamur in tabernaculo Dei; et fornicamur cum his quæ se militiæ et ministerio Dei voverunt. » Hebræi apud S. Hieronymum in *Quæst.*, hoc peccatum extenuant, dicendo filios Heli non concubuisse cum mulieribus, sed tantum suasisse eis copulam cum maritis tempore menstrui : item ante tempus purificationis quadraginta dierum a partu expletum; sed hæc sunt eorum figmenta, quibus verba S. Scripturæ invertunt. Denique hæc scelera sacerdotum commemorat Scriptura, ut indicetur cur Deus suscitarit Samuelem ad ea corrigendum.

Rursum, ut indicetur sanctitas Samuelis, qui inter tam improbos educatus tam probus tamen evasit. Audi S. Cyprianum, lib. *De Singularitate Clericorum* : « Mala, inquit, conversatio corruptionem seminat, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecora simplices mores in perniciem perditorum. »

Et S. Bernardum, epist. 24 *ad Hugon.* : « Inter bonos, inquit, bonum esse salutem habet; inter malos vero, et laudem : illud tantæ facilitatis est quantæ et securitatis, hoc tantæ virtutis quantæ et difficultatis. » Quale nempe est illud « tangere picem et non inquinari ex ea? in igne sine læsione versari, et in tenebris absque caligine esse? » ubi alludit ad illa tria Scripturæ loca : « Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, » *Eccl.* XIII, 1. « In medio ignis non sum æstuatus, » *Eccl.* LI, 6. « Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus : ubicumque autem habitabant filii Israel lux erat, » *Exod.* X, 22.

Porro hæc filiorum Heli luxuria procedebat partim ex gula, partim ex inobedientia, qua Deo et patri suo rebellabant. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. XIII : « Adam, quia auctori suo esse subditus noluit, jus carnis suæ quam regebat, amisit, ut in se ipso inobedientiæ suæ confusio redundaret, et superatus disceret quid elatus amisisset. » Luxuria filiæ gulæ et inobedientiæ.

Et S. Bernardus, serm. 1 *in Festo omnium Sanct.* : « Anima, ait, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa superiori suo subjecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subjectam. » Causam dat S. Augustinus in *Psal.* CXLIII : « Agnosce, inquit, ordinem. Tu Deo : tibi caro (scilicet obediat) quid justius, quid pulchrius? tu majori, minor tibi. Servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi caro : qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. »

Vers. 24. 24. NOLITE, FILII MEI. — Reprehendit Heli filios, sed semel duntaxat, et nimis leniter. Peccavit ergo *primo*, quia ob tanta flagitia debebat eos acriter et crebro objurgare; *secundo*, objurgatos, si se non emendarent, a sacrificiis amovere, et sacerdotio privare, ait Theodoretus, *Quæst.* III, eos a se abdicare (exhæredare) et verberibus afficere, ait S. Chrysostomus, lib. III *De Monast.* cap. IV, et maxime peccavit, quod eos a puero non magis ad meliora flexerit, castigarit et correxerit : puerorum enim animi ad quidlibet flexiles sunt; grandævorum vero inflexiles, utpote in prava consuetudine radicati et obdurati. Tritum est illud :

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Porro modum corrigendi, ut scilicet severitas condiatur lenitate, docet S. Gregorius II part. *Pastor.* cap. XI : « Necesse est, ait, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur : quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. » Et mox : « Curandum est, inquit, ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. » Et paulo post : « Sollicita circumspectione providendum ne ut districtio rigida, aut pietas sit remissa, etc. Erga subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina. » Exemplum dat Samaritanum, qui alligavit vulnera læsi, infundens oleum et vinum, *Luc.* X, 34 : « Ut per vinum, inquit D. Gre- Modus corrigendi.

gorius, mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. »

Vide de castigatione filiorum dicta *Proverb.* cap. XXVIII, vers. 14.

NON ENIM EST BONA FAMA, — hoc est, pessima est fama. Est miosis.

Vers. 25. 25. SI PECCAVERIT VIR IN VIRUM, PLACARI EI POTEST DEUS : SI AUTEM IN DOMINUM PECCAVERIT VIR, QUIS ORABIT PRO EO? — « In Deum, » non tantum ejus legem transgrediendo (sic enim omnis qui peccat, in Deum peccat), sed ejus sacerdotium, sacra et sacrificia, itaque Dei sanctitatem violando et polluendo. Significat hoc peccatum non esse irremissibile, ut voluere Novatiani, sed difficulter remitti. Quis enim pro publico Dei ministro tam scelerato orare audeat? Sane Moses aliquis sit oportet. Audi S. Gregorium : « Quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitet, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? » Et Origenes, homil. 10 *in Numer.* : « Qui, inquit, meliores sunt, inferiorum semper culpas et peccata suscipiunt; sacerdos autem si delinquat aut Pontifex, ipsum suum potest purgare peccatum, si tamen non peccet in Deum : de hujusmodi enim peccatis non facile remissionem aliquam videmus in legis litteris designari. » Et *novella* 123 Justinianus : « Si, ait, illi quibus negotium datum est orandi pro populo, indigni ministerio Dei inventi fuerint, quomodo pro populi delictis placare Deum poterunt? » Hinc S. Leo, *epist.* 90, ex Apostolica traditione, probat presbyteris aut diaconis pro crimine aliquo non esse per manus impositionem pœnitendi remedium concedendum, sed alia rigidiore ipsis satisfactione utendum.

Pro *placari ei potest*, Hebraice est פללו *pillelo*, id est *judicabit*, vel *causam ejus cognoscet Deus* (ita Pagninus), ut si videat eum ab alio in quem peccavit prius fuisse læsum, vel aliam peccati excusationem habeat, ei parcat.

Porro Chaldæus, Vatablus et R. David per Hebræum *Elohim* intelligentes non Deum, sed Judicem, sic vertunt et explicant : « Si peccaverit vir in virum, judicabit illum judex, litemque dirimet, et eum qui innocens est eripiet; si autem in Deum, quis cum illo, vel pro illo dijudicabitur? quis se judicem interponet? »

ET NON AUDIERUNT VOCEM PATRIS SUI. — Quartum est hoc filiorum Heli scelus, scilicet contumacia et obstinatio. Causam subdit :

QUIA VOLUIT DOMINUS OCCIDERE EOS. — Nota : Prima causa, eaque directa et propria, cur filii Heli non audierint patrem monentem, fuit eorum prava et perversa voluntas in malo obstinata, ob quam noluerunt audire patris monita : sacra tamen Scriptura hic more suo causam aliam indirectam assignat, scilicet in altissimam Dei providentiam et judicium id refert : nimirum, quod Deus noluerit eorum ob tanta scelera toties iterata misereri, eisque dare gratiam efficacem, quæ pœniterent et mortem evaderent, sed permiserit eos in suis criminibus volutari et obfirmari, ut eos justissime toties merita morte puniret, ad reparandum scandalum toti populo ab eis datum, et ad exemplum terroremque aliorum sacerdotum. Solet enim Scriptura passim inculcare Dei attributa, præsertim misericordiam et judicium, ut significet Deum omnium omnino rerum, tam bonarum quam malarum exactam habere providentiam, ut illas præmiet, has castiget. Hoc enim facit homines Deum timere et colere, eosque a peccatis coercet. Nullum enim magis est peccatorum frenum quam Numinis metus, et Dei vindicis seria cogitatio.

Vers. 27. 27. VENIT AUTEM VIR DEI (Propheta) AD HELI. — Quis hic vir? Abulensis, *Quæst.* XXII, putat fuisse Angelum specie viri indutum : R. Salomon et Rabbini recentiores censent fuisse Elcanam patrem Samuelis. Rabbini antiquiores apud S. Hieronymum in *Quæst.*, arbitrantur fuisse Phinees Pontificem, qui vixit tempore Josue et Othonielis : censent enim ipsi Phinees esse Eliam; quare ipsum adhuc vivere et victurum usque ad Antichristum, a quo occidetur. Sed hoc refutavi *Num.* XXV, 13. Incertum est ergo quis fuerit hic Propheta, eo quod Scriptura ejus nomen, genus aut stirpem non exprimat.

Quando venerit ad Heli pariter incertum est. Videtur autem venisse cum Samuel adhuc esset puer, tum quia id hic ejus pueritiæ subnectitur; tum quia, cum Samuel factus est grandior, Deus eo usus est ad Heli rursum commonendum, imo condemnandum. Ita S. Hieronymus in *Quæst.*

Porro hæc prophetia continet primo, refricatque Dei beneficia in Heli collata; deinde vers. 29, ejus et filiorum peccata exprobrat, demum vers. 31, quintuplicem iis pœnam infligit.

NUMQUID NON APERTE REVELATUS SUM DOMUI (familiæ) PATRIS TUI (Aaronis), CUM ESSENT (ipse ejusque filii et frater Moses) IN ÆGYPTO IN DOMO PHARAONIS? — Tunc enim ex omnibus filiis Israel elegi Mosen in eorum ducem, ac Aaronem in ejus socium ac interpretem, æque ac Pontificem, ut populum ex Ægypto educerent, ac per desertum deducerent in terram promissam.

Vers. 29. 29. QUARE CALCE ABJECISTIS (Hebraice, *quare calcitrastis*, non tam tu quam filii tui, ac tu per filios tuos) VICTIMAM MEAM? — *q. d.* Quare contempsistis mea sacra, proinde ac si calcibus ea abjecissetis?

ET MAGIS HONORASTI FILIOS TUOS QUAM ME, — quia non ausus fuisti eos reprehendere et castigare, ne eos offenderes; itaque permisisti ut ipsi me offenderent, ideoque tu pariter offendisti me. Ita S. Gregorius : « Magis, ait, Deum quam filios honoravit;

quia, dum aperta eorum peccata contemneret, lucra temporalia eisdem providebat. »

UT COMEDERETIS PRIMITIAS OMNIS SACRIFICII ISRAEL POPULI MEI? — Ut scilicet primo comederetis carnes victimarum pacificarum (quæ proprie erant populi, quia pro ejus pace et salute offerebantur et ab eo comedebantur), antequam mihi primitiæ adipis in altari adolerentur et cremarentur, vers. 15 et 16. Rursum primitias vocat præcipuas victimarum partes : has enim fuscinula Deo eripiebat, sibique arrogabat servus sacerdotis, vers. 13.

Vers. 30. 30. LOQUENS LOCUTUS SUM (certe locutus sum, quasi dicat : Firmiter decreveram) UT DOMUS TUA ET DOMUS PATRIS TUI MINISTRARET IN CONSPECTU MEO. — Hinc patet Pontificatum a Deo datum fuisse Heli, ac ex familia Eleazar translatum fuisse ad familiam Ithamar, ex qua erat Heli, ut patet ex eo quod Heli, abnepos Abiathar, III *Regum* II, ex Ithamar prognatus dicitur, I *Paral.* XXIV. Quare falso aliqui censent Heli propria auctoritate invasisse Pontificatum. Causa translationis ignoratur, sed videtur fuisse ignavia vel peccatum aliquod Eleazaritarum.

Series Pontificum Synagogæ. Porro hæc fuit series et successio Pontificum per filios : Aaroni successit Eleazar, huic Phinees, huic Abisue, huic Bocci, huic Ozi, ut patet I *Paral.* cap. VI, vers. 4, et ex Josepho, lib. V *Antiq.* cap. ult. Ab Ozi translatus est Pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar fratre Eleazari. Heli genuit Phinees, qui ante patrem occisus fuit in prælio, cum arca a Philistæis caperetur : loco Phinees successit filius Achitob, huic filius Achias, huic filius Achimelech, huic filius Abiatar. Addit Josephus quod Phinees, patre Heli vivente, functus sit pontificatu eo quod Heli præ senio eo fungi non posset; quod intellige non quod Phinees fuerit Pontifex, ut videtur velle Josephus; sed quod Heli senem manentem Pontificem in administrando Pontificatu adjuverit.

Ex hoc versu patet quod Deus Heli ejusque posteris promiserat continuam filiorum in Pontificatu successionem; si videlicet illi recte eo fungerentur; sed his male eo fungentibus, minatur et prædicit hic Deus se rursum illum eis ablaturum. Id fecit sub Salomone, qui Abiathar pontificem descendentem ex Heli et Ithamar a Pontificatu amovit, eo quod contra se cum Adonia conspirasset, eumque in regem unxisset; ac Pontificem constituit Sadoc, qui oriundus erat ex Eleazar. Ita Abulensis. Mansit ergo Pontificatus in familia Heli per quinque posteros, scilicet Heli, Phinees, Achitob, Achias, Achimelech et Abiathar; inde rediit ad Sadoc et familiam Eleazari, in eaque mansit usque ad Christum.

USQUE IN SEMPITERNUM, — non absolute ut patet, sed respective, scilicet toto tempore legis veteris, sive quamdiu duraret Judaismus usque ad Christum.

Vers. 31. 31. PRÆCIDAM BRACHIUM TUUM, — id est, robur, dignitatem et auctoritatem tuam pontificiam; id est auferam a te Pontificatum. Ita S. Gregorius, Angelomus, Rupertus, Lyranus et Vatablus. Porro Septuaginta vertunt, *disperdam semen tuum;* Chaldæus, *extirpabo fortitudinem seminis tui, q. d.* Filios et nepotes tuos faciam imbecilles, invalidos, infirmos, ut non diu vivant, nec ad senium perveniant, ut sequitur, ac tandem delebo omnem posteritatem tuam. Est hæc prima pœna a Deo inflicta Heli.

Symbolice, nonnulli per fortitudinem intelligunt arcam testamenti, quæ capta fuit a Philistæis sub Heli, juxta illud *Psalm* LXXVII, 61 : « Tradidit in captivitatem virtutem (hebraice *fortitudinem*) eorum, » id est arcam, ait ibidem S. Augustinus, Theodoretus, Eucherius et Hugo. Arca enim erat robur et firmamentum Israelis, quia Deum quasi vehebat.

UT NON SIT SENEX IN DOMO TUA. — « Senex, » id est Pontifex, ait S. Hieronymus, Angelomus et S. Augustinus. Simplicius accipe τὸ *senex* ut sonat. Sic enim se explicat vers. 33, dicens : « Morietur cum ad virilem ætatem venerit. » Rursum aliqui apud Vatablum, *senex,* inquiunt, id est sapiens. Senum enim est sapientia; unde a senibus dictus est Senatus, qui est cœtus sapientum Reipublicæ consulentium. Pœna ergo impiorum præsertim parentibus rebellium (uti fuere hi filii Heli), congrua est vitæ brevitas, ut ante senium moriantur, juxta illud : « Antequam dies ejus impleantur, peribit; et manus ejus arescent, » *Job* cap. XV, 32. Et illud : « Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum, » *Job* cap. XXII, 16. Unde David : « Viri, inquit, sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, » *Psalm.* LIV, vers. 24. Et Salomon : « Noli, inquit, esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo, » *Eccles.* VII, 18. Vere Seneca, lib. *De Brevit. vitæ,* cap. VI : « Non accepimus, ait, brevem vitam, sed facimus : non inopes temporis, sed prodigi sumus. »

Vers. 33. 33. VERUMTAMEN NON AUFERAM PENITUS VIRUM EX TE AB ALTARI MEO, — quasi dicat : Auferam quidem a tuis posteris Pontificatum, permittam tamen ut sint minores Sacerdotes vel Levitæ, sed in augmentum pœnæ tuæ et ipsorum; ut scilicet ipsi videntes se Pontificatu, tantisque ejus opibus et emolumentis spoliatos, ingemiscant, ac præ amaritudine et dolore deficiant et tabescant. Hæc enim dicuntur Heli, non in persona sua, sed posterorum. Hæc est tertia pœna; sequitur quarta :

ET PARS MAGNA DOMUS (familiæ, puta posterorum) TUÆ MORIETUR, CUM AD VIRILEM ÆTATEM VENERIT, — quasi dicat : Morientur juvenes, non senes, idque violenta morte, scilicet « romphæa sive framea, » id est gladio, ut addunt Septuaginta, et Chaldæus : *Omnis,* inquit, *multitudo domus tuæ occidentur juvenes.* Id factum audiemus cap. XXII, 12 et seq., ubi Saul occidit Abimelech Pontificem, ac nepotem Heli cum tota sua familia, eo quod panes dedisset Davidi. Porro τὸ *omnis multitudo,* ut

habent Hebræa et Chaldæa, idem est quod plerique, multi : nam aliquos servatos fuisse et mortem evasisse patet ex sequenti.

Vers. 34. 34. HOC AUTEM ERIT TIBI SIGNUM, — has clades posteris tuis obventuras; illas enim non vidit Heli, utpote jam mortuus : unde earum signum et certitudinem dat ei Deus, cædem Ophni et Phinees; hanc enim ipse vivens audivit et ingemuit. Hæc est quarta Heli pœna; sequitur quinta :

Vers. 35. 35. ET SUSCITABO MIHI SACERDOTEM FIDELEM. — Quis hic? nonnulli putant esse Samuelem, quem putant successisse Heli, non tantum in principatu, quasi judicem populi, sed et in Pontificatu. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* IV, et in *Psalm.* XCVIII, vers. 2; *Retract.* cap. LV, et *Contra Faust.* cap. XXXIII; Gregorius, Eucherius, Angelomus, hic Hieronymus ad illud I *Cor.* I : *Cum omnibus qui invocant nomen Domini*, ubi sic de Samuele : « Quem sacerdotem fuisse illa res probat, quia et sacerdoti successit, et hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est : Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem. » Quin et S. Ignatius, epist. *ad Magnesianos* : « Saul, ait, privatur honori regio, non exspectans summum Sacerdotem Samuelem. »

Samuel non fuit Pontifex.

Ratio est, quia Samuel, cap. VII, vers. 9, dicitur sacrificasse et orasse pro populo; ac Saulem in regem unxisse, ac post eum, Davidem. Hæc autem sunt munia Pontificis. Favet Josephus, lib. VI, cap. ult., dicens Samuelem a Pythonissa suscitatum esse cum sacerdotali amictu; Nazianzenus quoque, *orat.* 40, Ephod Samuelis vocat stolam sacerdotalem : sic et Theodoretus et Procopius hic.

Prob. Primo. Verum contrarium videtur longe verius, scilicet Samuelem non fuisse Pontificem. Ratio est, quia Pontificatus a Deo addictus erat Aaroni ejusque posteris, ex quibus non erat Samuel.

Secundo. Rursum, Heli moriente Samuel erat juvenis, ac juvenis post Heli judicare cœpit Israel, uti ipse indicat cap. XII, vers. 2. At Pontifex nemo creari poterat antequam esset vir triginta annorum, ut docet S. Hieronymus in cap. I *Ezech.* Sed hæc ratio non evincit, uti ostendam cap. XII, 2.

Tertio. *Tertio*, quia tempore Samuelis Pontifex erat Achias abnepos Heli, ut patet cap. XIV, 3.

Quarto. Denique in serie Pontificum, quam texit Josephus et alii, non ponitur Samuel, nec Scriptura usquam eum vocat sacerdotem, imo David *Psalm.* XCVIII : « Moses, inquit, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. » Ita censent Beda, Rabanus, Abulensis hic in cap. VII, *Quæst.* XXX; Hugo, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Genebrardus, ac S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* : « Samuel, ait, Levita non Sacerdos, non Pontifex fuit. » Et S. Augustinus fuse in *Quæst. veteris et novi Testamenti*, cap. XLVI (vel quisquis est earum auctor, non enim videtur esse S. Augustinus). Et S. Thomas in cap. VII *ad Hebr.* lect. 3, Serarius, Mendoza, Sanchez, Torniellus et alii.

Ad argumentum adversæ sententiæ respondeo, Samuelem, etsi ex genere et prosapia duntaxat esset Levita, subinde tamen ex dispensatione Dei sacrificasse, ut cum Saulem et Davidem unxit in reges, ideoque sacerdotem a multis (ut a Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Bernardo, Damiano et aliis, quos fuse citat hic Mendoza, p. 395) vocari; ac eos unxisse in reges, non ut Pontificem, sed ut Prophetam, æque ac Elias (qui non erat Pontifex) propheta Azaelem unxit in regem Syriæ, III *Reg.* XIX, ac Eliseus per unum e suis unxit Jehu in regem Israel, IV *Reg.* IX. Porro Ephod Samuelis lineum et Leviticum erat, non polymitum et sacerdotale. Unde S. Hieronymus in *Psal.* XCVIII, 6 : « Samuel, inquit, Levitici ordinis regulam tenet : quod Ephod illud lineum atque candidum figuravit, ostendens candidum effici posse, qui per pœnitentiam nomen Domini invocans, nigredinem peccati diluerit. »

Cum ergo hic dicitur : « Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, » intelligitur Sadoc, quem Salomon loco Abiathar creavit Pontificem, qui fideliter Deo in templo, et Christo, id est Davidi et Salomoni regi a se uncto ministravit.

Allegorice significatur hic translatio sacerdotii ab Heli et Aarone ad Christum : hic enim est sacerdos fidelis Deo. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus, Procopius et S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* cap. IV. Videmus vero hodie Judæos absque sacerdotio esse : « Et inter eos, inquit Augustinus, quicumque est ex Aaronico genere, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficiunt oculi ejus, et defluit anima ejus tabe mœroris; mors vero illa filiorum significavit mortem ipsius sacerdotis de filiis Aaron, inquit Augustinus, et sacerdos ille fidelis vers. 35, maxime et principaliter est Christus Dominus, » inquit Procopius, Theodoretus et alii.

Porro Christus non tantum est Sacerdos et Pontifex, sed et Christianos quoslibet efficit sacerdotes et reges mysticos, juxta illud *Apocal.* I, 11 : « Fecit nos regnum et sacerdotes. » Unde S. Leo, serm. 3 *in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum* : « Omnes, inquit, in Christo regeneratos crucis signum efficit reges; Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes. » Et mox ostendit qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat : « Quid enim, inquit, tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem : Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? »

ET ÆDIFICABO EI DOMUM (familiam, posteritatem) FIDELEM, — quæ scilicet fideliter mihi ministrans in Pontificatu, fideliter, id est firmiter et constanter in eo perduret. Hoc de Samuele dici nequit : ejus enim filii æque ac Heli fuere degeneres et improbi, ut patet cap. VIII, vers. 3 : « Declinaverunt, ait, post avaritiam, acceperuntque munera, et

perverterunt judicium. » Posteri vero Sadoc fideles firmique perstiterunt in Pontificatu usque ad captivitatem Babylonicam et eversum templum, imo et post eam, ut patet *Ezechiel.* cap. XL, 46, et ex serie Pontificum, quam texit Josephus, lib. X, cap. XI. Et ex eo Sigonius de *Republ. Hebræorum*, lib. V, cap. I.

Vers. 36. 36. FUTURUM EST AUTEM UT QUICUMQUE MANSERIT IN DOMO TUA, VENIAT UT ORETUR PRO EO. — Minores enim Sacerdotes ac Levitæ, cum quid peccassent, ex lege debebant, ut laici, offerre victimas pro peccato, et Pontifex debebat orare pro illis.

ET OFFEREBAT NUMMUM ARGENTEUM, ET TORTAM PANIS. — Sacerdoti sive Pontifici ut gratiam ejus captet, hoc fine ut ab eo ad partem sacerdotalem admittatur. Ex Hebræo verti potest clarius : *Veniet ad orandum pro nummo argenti et torta panis*, orando scilicet ut detur sibi quasi pauperi et famelico nummus exiguus, et fragmen panis, quo latrantem ventrem satiet. Ita Cajetanus et Vatablus. Unde noster Serarius pro *offerat*, vel, ut alii legunt *afferat*, legendum putat, *auferat*, id est accipiat *nummum et tortam panis;* verum Romani habent, *offerat*.

DIMITTE ME, OBSECRO, AD UNAM PARTEM SACERDOTALEM (tum victimæ a me oblatæ, tum quarumlibet aliarum victimarum a populo sacerdotibus oblatarum), UT COMEDAM BUCCELLAM PANIS. — Magna fuit hæc abjectio, vilitas et mendicitas posterorum Heli.

Allegorice, *buccella panis* significat sacrificium Eucharistiæ, quod e pane fit. Ita S. Gregorius, Eucherius, Theodoretus, Procopius. Audi S. Augustinum, lib. XVII *De Civitate Dei* cap. V : « Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit sacerdos ipse : Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita : ipsum est sacrificium non secundum ordinem Melchisedech; qui legit intelligat. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus rursum per Samuelem prædicit exitium Heli; idque Samuel Heli, ab eodem adjuratus, vers. 16, *candide edicit.*

1. Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre; 3. lucerna Dei antequam exstingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. 4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens ait : Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi; revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. 6. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, filii mi; revertere, et dormi. 7. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, 9. et ait : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum; et ait ad Samuelem : Vade, et dormi, et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. 10. Et venit Dominus, et stetit, et vocavit, sicut vocaverat secundo : Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel; quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus. 12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo. 13. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. 14. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum. 15. Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. 16. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit : Samuel fili mi? Qui respondens, ait : Præsto sum. 17. Et interrogavit eum : Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celave-

ris me. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 18. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. 20. Et cognovit universus Israel, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli.

Vers. 1. 1. PUER AUTEM SAMUEL. — Josephus, libro V, cap. XI, ait eum explesse annum duodecimum. Perperam Rabbini in Seder Olam aiunt eum fuisse annorum 40; Josephum sequuntur Suidas, Zonaras, Cedrenus, Abulensis, Torniellus, Serarius, Salianus, Mendoza et alii. Porro quot annorum tunc fuerit Heli incertum est. S. Ignatius, epist. *ad Magnesian.*, ait eum fuisse 90 annorum; Theodoretus, 86; Serarius, 98, Salianus, 72; ita ut deinde adhuc vixerit 26 annos. Mortuus est enim cum esset 98 annorum, quando Samuel ei successit, agens annum 39; verum nil certi de Heli anno hic statui potest.

CORAM HELI, — id est instruente et dirigente eum Heli, cui Samuel ad nutum obediebat. Chaldæus, *vivente Heli*.

ET SERMO DOMINI ERAT PRETIOSUS, — id est rarus; quæ enim rara, sunt cara et pretiosa, quasi dicat: Rari tunc erant prophetæ per quos Deus loqueretur, idque ob scelera filiorum Heli sacerdotum, æque ac laicorum. Qualis enim est sacerdos, talis est populus. Sic *Prov.* XXV, 17, ubi dicitur: « Substrahe pedem tuum; » Hebraice est *pretiosum* (Septuaginta, *rarum*) *fac pedem tuum in domo amici tui*.

NON ERAT VISIO (prophetia) MANIFESTA. — Hebraice נִפְרָץ *nipherats*, id est rupta, id est, late diffusa vel sparsa; Vatablus, *vulgaris;* Chaldæus, *quæ publice innotesceret;* Septuaginta, *distinguens*, id est distincta et clara. Hæc dicuntur ad laudem Samuelis, quod ipse in mediis scelerum et ignorantiæ tenebris propheta emicuerit, quasi novus quidam sol Israelis.

Vers. 2. 2. HELI JACEBAT IN LOCO SUO, — hoc est dormiebat in illa atrii parte, quæ vicina erat tabernaculo : cum in remotiore atrii parte dormiret Samuel cæterique Levitæ; ita Chaldæus.

Vers. 3. 3. LUCERNA DEI ANTEQUAM EXSTINGUERETUR, SAMUEL DORMIEBAT. — Ita lege cum Romana, Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, Aquila et Symmacho. Est periphrasis noctis. Lucernæ enim tabernaculi nocte ardebant, mane exstinguebantur. Sensus est quasi dicat: Cum adhuc lucernæ tabernaculi arderent, id est cum adhuc esset nox, vel certe aurora incipiens et obscura, ideoque Samuel adhuc dormiret, apparuit ei Dominus. Ita S. Hieronymus. Porro Septuaginta vertunt, *antequam lucerna Dei esset instructa*, quod aliqui exponunt quasi dicat : Antequam esset media nox, tunc enim lucernæ concinnabantur, ut reliqua nocte dimidia arderent. Planius exponas de noctis fine, quasi dicat : Antequam diesceret, summo mane, ante solis ortum, quo lucernæ noctu consumptæ oleo affuso instaurari solent, apparuit Samueli Dominus. Hinc disce mane et in aurora, cum primum evigilas, orare ut Dei vocem et instinctus haurias et audias. Nam summo mane apparuit hic Deus Samueli, non vero vespere, uti opinantur Theodoretus et Procopius.

Porro Rabanus, Angelomus, Eucherius, Abulensis et Cajetanus aliter legunt et dispungunt, nimirum sic : « Heli videre non poterat lucernam Dei antequam exstingueretur, » *q. d.* Heli cæcutiens videre non poterat in aurora, cum adhuc lucernæ arderent; sed videre poterat clara die cum lucernæ essent exstinctæ: verum legendum est cum Romana, ut paulo ante dixi.

Vers. 5. 5. ET CUCURRIT AD HELI, ET DIXIT : ECCE EGO, VOCASTI ENIM ME. — Hinc videtur quod Samuel, solitus mane a sommo excitari ab Heli, putaverit se vocatum ab Heli, non a Deo, utpote cujus vocem huc usque non audierat. Videtur autem hæc Dei, sive angeli vox fuisse similis voci Heli, ideoque ea audita ad Heli cucurrit Samuel. Ita S. Gregorius, Cajetanus et Mendoza. Vide hic prophetæ Samuelis obedientiam, ob quam meruit a Deo eligi in prophetam et principem populi. Rursum disce hic Deum loquentem Samueli remittere eum ad Heli, tum ut Heli oraculum hoc Dei diligentius consideraret et crederet; tum ut doceret oracula Dei examinanda et dirigenda esse a superioribus, ut servetur debitus ordo et subditorum subordinatio, ac ne locus sit illusioni diabolicæ. Ita Cassianus, *Collat.* II, cap. XIV. « Ut puerum Samuelem, inquit, judicio præelectum suo, nollet per semetipsum divini colloquii disciplina Dominus erudire; sed recurrere semel et iterum pateretur ad senem, eumque quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo senioris doctrina vellet institui; et quam sua vocatione dignissimum judicarat senioris mallet institutione formari, ut scilicet et illius, qui ad divinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, et junioribus forma subjectionis hujus proponeretur exemplo. » Audi S. Gregorium promptam et constantem Samuelis obedientiam dilaudantem. « Puer, inquit, humiliter homini subjectus atque obedientiæ ardua

Samuel per obedientiam meruit prophetiam.

arce sublimatus, dum vocatus accessit, jussus rediit; quid aliud nobis præbet nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire. » Et paulo post: « Quis, inquit, nostrum sese a murmuratione compesceret? quis ab ira temperet si vocatum bis aut ter audiret, et tamen ex vocantis responso perciperet, quia, vocatus minime fuisset, nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere noverat, quod obedivit. »

Vers. 7. 7. PORRO SAMUEL NECDUM SCIEBAT DOMINUM, — id est, necdum expertus erat Dei vocem, necdum assuetus erat audire Dominum loquentem, ut ejus vocem a voce Heli distingueret, Deumque ex sua voce agnosceret. Ita S. Hieronymus in *Quæst.*, vel quisquis est auctor : puto enim non esse S. Hieronymum, sed passim putatur et citatur nomine S. Hieronymi, ideoque et ego sic cito. Loquendum enim ut multi, sapiendum ut pauci.

Vers. 9. 9. INTELLEXIT ERGO HELI (vel instinctu Dei, ut vult Salianus, vel ratiocinatione humana; quia scilicet nemo alius eo loci erat, qui Samuelem vocaret; et quia Samuel Deo erat gratissimus ob suam virtutem et pietatem), QUIA DOMINUS VOCARET PUERUM.

LOQUERE, DOMINE, QUIA AUDIT SERVUS TUUS, — ut jussa tua excipiat et exsequatur. Hoc cuilibet fideli dicendum, cum Deum quid interius menti suggerentem vel inspirantem audit. Hinc ait S. Bernardus, serm. *De Septem spirit.* sub finem : « Felix, ait, et beata anima, quæ venas divini susurri percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Audi S. Ephrem, lib. *De Virtute* cap. II, tom. II, fol. 42 : « Samuel per obedientiam quam Heli sacerdoti præstitit dignus est qui vocem Dei audiret. » Et *Parænetic.* 13, fol. 115 : « Exemplum humilitatis in Samuele propheta habetis; non enim exaltatum est cor ejus adversus Heli sacerdotem, quamvis etiam a Deo audisset de viro isto. » Et *Parænet.* 21 : « Vide, frater, ne negligas te sobrium ac vigilantem præbere in omnibus; nonne audistis quod sæpius vocatus propheta Samuel, neque semel cunctatus sit surgere, quantumvis adhuc puer esset. »

Audi et Origenem, hom. 1 *in Cant.*: « Beatæ sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sessorem Verbum Dei super se, et frena ejus patiuntur, ut quocumque ipse voluerit flectat, et agat habenis præceptorum suorum; quia jam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur et reducuntur voluntate sessoris. »

Vers. 10. 10. ET VENIT DOMINUS, ET STETIT. — Hinc patet Deum, id est angelum Dei vicarium hinc non tantum menti Samuelis hæc inspirasse, sed in corpore assumpto, corporali voce illi esse locutum. Unde Chaldæus hic vertit, *et revelata est ei gloria Domini,* quasi dicat : Samuel vidit Angelum, Dei legatum in corpore splendido et glorioso, sed confuse; ita ut splendorem videret, sed corpus Angeli distincte non videret; vocem tamen ejus distincte auribus audiret. Unde cognovit tandem se non ab Heli, sed a Deo vocari. Ita S. Gregorius, Abulensis, Dionysius, Cajetanus et alii.

Porro quod Samuelem puerum ob puritatem et sanctitatem alloquitur Deus neglecto seniore Heli, ostendit « quanto canitie melior sit juventus, quæ virtute ornatur, » ait Theodoretus, *Quæst.* III. Nimirum « cum simplicibus (Hebraice *cum rectis*) sermocinatio ejus, » *Proverb.* I, 3.

SAMUEL, SAMUEL. — Audi S. Gregorium : « Nomen iteratur, cum in magnam familiaritatem internæ majestatis, mens videntis excipitur et ferventibus desideriis ad amorem se vocantis elevatur; ut præter id quod audit, nihil libeat, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat. » Talis fuit illa ejusdem Dei vocatio : « Saule, Saule, » *Actor.* cap. IX, vers. 4, et illa : « Moyses, Moyses, » *Exodi* III, 4, et illa : « Abraham, Abraham, » *Genes.* XXII, 1, de quo D. Chrysostomus, hom. 47 *in Gen.*: « Quid, ait, vult verbi duplicatio? magnæ benevolentiæ erga Patriarcham argumentum est, et monstrabat ei, vocatione ipsa, quod magnum aliquid ostensurus esset. Ut igitur attentiorem redderet, vocationem geminabat. »

Vers. 11. 11. FACIO VERBUM (id est, rem et supplicium Heli comminatum, adeo dirum et horrendum) QUOD QUICUMQUE AUDIERIT, TINNIENT AMBÆ AURES EJUS, — scilicet ut totus percellatur et exhorrescat; puta arcæ captionem, ait Lyranus, et filiorum cædem, ait Abulensis, et cætera recensita cap. II. Ita Angelomus et S. Hieronymus in *Quæst.* Metaphora est, ducta ab eo qui repente audit cymbalum tinniens, vel boatum bombardæ magnæ, vel tonitrui ingentis, cujus vehemens sonus percellit, et tinnitum diu durantem in auribus audientium excitat.

Vers. 13. 13. PRÆDIXI ENIM EI QUOD JUDICATURUS (id est, juste puniturus) ESSEM DOMUM (familiam et posteritatem) EJUS, EO QUOD NOVERAT INDIGNE AGERE FILIOS SUOS, ET NON CORRIPUERIT EOS. — Corripuerat eos Heli, sed nimis lenitate paterna, non auctoritate et severitate Pontificia, ait Angelomus. Idcirco morte punitur : luit ergo filiorum scelus sua nece. Sic Deus, populo fornicante cum filiabus Moab, jussit principes suspendi, *Num.* XXV. Causam dat B. Petrus Damianus, lib. IV, *epist.* 15. « Quid est, ait, quod populus in luxuriæ voraginem labitur, et in eorum præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, at Principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est qui peccat : alius ille qui vapulat. Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in præpositorum redundat opprobrium? et quod de ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur, et vide quam formidolosa sit conditio Præsidentium, ut non modo pro suis, sed etiam subditorum puniantur offensis. »

Vers. 14. 14. IDCIRCO JURAVI DOMUI HELI, QUOD NON EXPIETUR INIQUITAS DOMUS EJUS VICTIMIS ET MUNERIBUS USQUE IN ÆTERNUM. — Hinc multi putant Heli esse damnatum, ut dicam cap. IV. Verum id locus hic non evincit. Agit enim de domo Heli, non de ipso Heli, quasi dicat : Supplicia quæ domui Heli ob ejus peccatum prædixi et intentavi cap. II, nullis victimis revocabuntur, sed certa et fixa me decernente persiabunt; certoque posteris ejus obvenient : e quibus tamen multi probi fuere et salvati videntur, ut Achias, Achimelech, Abiathar.

Vers. 17. 17. HÆC FACIAT. — Est formula adjurandi hebraice, quasi dicat : Puniat te Deus, vel male tibi cedat, si hæc me celaveris.

Vers. 18. 18. DOMINUS EST, QUOD BONUM EST IN OCULIS SUIS FACIAT. — Vide hic responsum Heli dignum Pontifice pœnitente, æquanimi, et resignato ad omnem Dei voluntatem, et castigationem tam horrendam, ob quod Heli salvatus videtur. Ita Theodoretus, Procopius, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus, Serarius, Mendoza hic, S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituperium vitæ monasticæ*.

Minus apte ergo S. Ephrem in *Apologia de Heli*, hoc responsum Heli tribuit ejus pervicaciæ, quasi dicat : Dominus quod bonum est in oculis suis faciat; ego vero filiis meis molestiam inferre non possum. Et S. Gregorius : « Ista, inquit, responsionis humilitas, si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est; vere esset humilis, si se ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, obtulisset. Dum ergo dicit : Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat; potius elegit minarum Dei causas incurrere, quam de perpetratis iniquitatis filios condemnare. » Sic et Rupertus.

Moraliter, hinc discamus adversitates et afflictiones quaslibet a Deo immissas, vel permissas ad nostrum bonum æquanimiter tolerare, ac Deo flagellanti dorsum humiliter subjicere. Ita fecit David fugiens Absalonem et Saulem : « Justus es, inquit, Domine, et rectum judicium tuum, » *Psal.* CXVIII, vers. 137. Ubi Ambrosius citat simile Jeremiæ exemplum, qui, cum in luti voragine turpi necandus illuvie mergeretur, clamabat : « Justus es, Domine, » esto hæc verba jam in Jeremia, cap. XXXVIII et XLV, non reperiantur. Idem tamen *Thren.* CXVIII : « Justus, inquit, est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. » Sic tres pueri in fornace Babylonica, humili exsultatione canebant : « Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis, » *Daniel.* III, 27, ideoque ab Angelo in igne servati sunt illæsi. Idem fecit Daniel in lacu leonum, cap. VI, 16, et cap. XIV, 30. Ac Jonas in ventre ceti, cap. II, 10 : « Ego, inquit, in voce laudis immolabo tibi. » Et Job cap. I, vers 21 : « Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. »

Deo flagellanti dorsum subjice.

Exempla.

Sic Mauritius Imperator, qui S. Gregorium vexarat, cum a Deo puniretur morte tam sua, quam uxoris et filiorum suorum omnium, quos in sua præsentia cernebat a Phoca æmulo et successore imperii jugulari pœnitens clamabat : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, » uti habent ejus Acta, et ex eis Baronius.

Causam dat S. Ambrosius, loco citato, « quia cum nostra amittimus, Deo illa reddimus, non amittimus : justus ergo Dominus in periculis, justus in damnis, justus in ultionibus est, non solum quia unusquisque justæ pœnæ suæ culpas luit, verum etiam quia dum unus punitur, plurimi corriguntur. »

Et Tertullianus, lib. *De Fuga in persecutione*, cap. X : « Ubicumque, inquit, fuero, in manu ejus sum : faciat quod vult, non discedo, et si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego servo illi. »

Vers. 19. 19. CREVIT AUTEM SAMUEL. — Septuaginta ἐμεγαλύνθη, id est, *magnificatus est*, tum ætate, tum potius sapientia, virtute, fama et gloria apud Deum et homines. Nam ut ait S. Gregorius : « Crescit, qui in virum perfectum mentis ætate proficit. » Deinde subdit : « Nonnulli sunt qui, dum virtutibus crescunt, elatione corruunt. Hi nimirum crescere videntur; sed tamen cum eis Dominus non est : quia a se eum, alta sentiendo de se ejiciunt, quem in profectu virtutum positi per humilitatem secum habere potuerunt. » Mox invectus in eos qui ex dignitate evanescunt : « Plerique, inquit, in humiliori ordine Religiosi sunt; sed cum subito ad culmen sanctitatis pervenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur profecit, et proficiens Dominum secum habuit. Ut profecto electorum prædicatorum morem præferret, qui cum dona et dignitates quibus prosint, aliis assequuntur, de semetipsis placere Deo non negligunt. »

ET NON CECIDIT EX OMNIBUS VERBIS EJUS IN TERRAM. — *Primo*, quasi dicat : Nihil a Samuele dictum fuit irritum, sed omnia ab eo dicta et prædicta, reipsa fuere impleta. Est metaphora a casu et ruina domorum, vel rerum pretiosarum liquidarum, in qua multa diffluunt, dissipantur, franguntur, perduntur, ut colligi nequeant. Ita Eucherius, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Vatablus et alii.

Secundo, quasi dicat : Sermo Samuelis non erat contemptibilis, sed apud omnes in magno honore et pretio; quæ enim contemnimus, in terram abjicimus. « In terram, ait S. Gregorius, verbum prædicatoris cadit cum reproba ejus conversatione vilescit. »

Symbolice, Hugo quasi dicat : Samuel non loquebatur de terra, terrena; sed de cœlo, cœlestia; quia ipse erat cœlestis, et velut angelus inter homines. Unde S. Dionysius, *Cœlestis Hierarchiæ*, capite II : « Tu autem, inquit, o fili, divina loquendo divinus efficere. » Nam ut ait S. Bernardus, *De Inter. domo*, capite XLIII : « Vanus sermo

vanæ conscientiæ est index : » sicut enim Hispanus est, qui Hispanice loquitur; Germanus, qui Germanice; Polonus, qui Polonice; sic cœlestis est, qui cœlestia promit; terrestris, qui terrestria. Nam, ut ait Christus, *Matth.* XV: « Ex abundantia cordis os loquitur. »

ET COGNOVIT UNIVERSUS ISRAEL A DAN USQUE BERSABEE, — hoc est per totam Judæam; illius enim limes et terminus ad Aquilonem est Dan sive Cæsarea Philippi, ad Austrum vero limes est, Bersabee. « Cognovit, » inquam, Samuelem esse « fidelem, » id est, veracem prophetam, « non in ambitione vanitatis, sed in spiritu Dei, et sermonis Domini veritate judicantem, » ait Rupertus; non enim hominum plausum spectabat, nec eorum minas metuebat, quia in uno Deo solidatus ei soli placere satagebat. Quare idipsum quod ore docebat, opere monstrabat. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 11 *in Ezech.*: « Cui aliena cura committitur speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est : speculator quippe in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. » « Nil enim, inquit Div. Chrysostomus, homil. 1 *in Acta*, Doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur. Neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypocritæ; ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant quam verbis. Quin potius nec verbis erat opus, cum clamarent opera. »

Vers. 21. 21. ET ADDIDIT DOMINUS (UT APPARERET IN SILO (Septuaginta addunt : *ei*, scilicet Samueli, quasi dicat : Deus iterum apparuit Samueli in Silo), QUONIAM REVELATUS FUERAT DOMINUS SAMUELI IN SILO, — quasi dicat : Quia Dominus cœperat apparere Samueli in Silo; hinc eidem ibidem apparere perrexit ob sanctitatem tum Samuelis, tum arcæ fœderis quæ erat in Silo. Deus enim est constans, ideoque constanter sua cœpta promovet et prosequitur : quare unius beneficii a Deo collatio, est ratio et stimulus alterius conferendi. Secus fit apud homines, qui cum sint arctæ mentis, cum unum beneficium dederint, alterum negant. Quid hic Samueli Deus dixerit Scriptura tacet; verisimile est iterasse et confirmasse prius oraculum de supplicio Heli, deque Israelis strage, ac addidisse salutem eidem per Samuelem, post mortem Heli, offerendam; solet enim Deus tristibus læta subjungere, et ultimum hoc proprie tangebat Samuelem.

Tropologice Philo, lib. *De Migratione Abrahæ* : « Fons, ait, unde bona promanant est, cum benigno Deo familiaritas; ideo quasi obsignans sua beneficia dicit : Ero tecum. Quid igitur boni defuerit præsente omnipotente Deo? Tunc proveniunt acervatim cuncta commoda. »

Et S. Chrysostomus, homilia 46 *in Genesim* : « Quando, ait, amicum et benevolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus, multo securiores vivemus quam ii qui in civitatibus versantur, divina gratia nobis omnia suppeditante. »

Idem Chrysostomus, hom. 26 *in epist. ad Hebr.*: « Si, inquit, semper mente videmus Deum, si semper in recordationem ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia; omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur. » Et paulo post a minori idipsum confirmans : « Si quisquam, inquit, recordatus amici erigit animam suam delicians ex memoria illius, qui in mente habuerit eum qui nos diligere vere dignatus est, quando poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid, aut periculosum timere. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat clades a Samuele prædictas reipsa evenisse tam Heli et filiis, quam toti Israeli, scilicet a Philistæis cæsa fuisse 34 millia, captam arcam, Ophni et Phinees trucidatos : unde Heli, hæc audiens, e sella corruens expiravit; et uxor Phinees partu ex dolore accelerato peperit Ichabod, dicens : Translata est gloria de Israel.

1. Et factum est in diebus illis, convenerunt Philistiim in pugnam; et egressus est Israel obviam Philistiim in prælium, et castrametatus est juxta lapidem adjutorii. Porro Philistiim venerunt in Aphec, 2. et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philistæis; et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3. Et reversus est populus ad castra; dixeruntque majores natu de Israel : Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Che-

rubim : erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. 5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. 6. Et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque : Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra. 7. Timueruntque Philistiim, dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes : 8. Væ nobis! non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius; væ nobis! Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. 9. Confortamini, et estote viri, Philistiim : ne serviatis Hebræis sicut et illi servierunt vobis; confortamini, et bellate. 10. Pugnaverunt ergo Philistiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum : et facta est plaga magna nimis; et ceciderunt de Israel triginta millia peditum, 11. et arca Dei capta est : duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. 12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput. 13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi; et ululavit omnis civitas. 14. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque : Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli : Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait : Quid actum est, fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nuntiabat : Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et ruina magna facta est in populo; insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees; et arca Dei capta est. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus; et ipse judicavit Israel quadraginta annis. 19. Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui; et audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus, et vir suus, incurvavit se et peperit : irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit. 21. Et vocavit puerum, Ichabod, dicens : Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo, et pro viro suo. 22. Et ait : Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST IN DIEBUS ILLIS. — Ecce hic expletur prophetia Samuelis ac minæ Dei, et clades ab eo intentatæ Heli et filiis, totique Israeli. Quantum temporis intercessit a prophetia Samuelis, ad hanc ejus expletionem, incertum est. Serarius et Abulensis putant eodem anno expletam; editam esse enim anno 98, et ultimo vitæ Heli, quo ipse audita arcæ captura, expirans corruit. Verius est aliquot annos intercessisse. Nam prædixit cladem hanc Samuel, cum esset puer, ut dictum est cap. III, 1; clades autem hæc contigit, cum ipse esset vir, vel certe juvenis; nam mortuo Heli illico successit Samuel in præfecturam populi; erat ergo grandior et maturæ ætatis. Salianus, ut dixi, putat intercessisse annos 26 ut Samuel factus sit judex post Heli anno ætatis 39. Mendoza censet intercessisse annos 18 vel 28; alii plures, alii pauciores.

ET CASTRAMETATUS EST JUXTA LAPIDEM ADJUTORII. — Erat locus ita postea appellatus a Samuele, quod in eo Hebræi in prælio Dei adjutorium sensissent, et victoriam obtinuissent, ut patet cap. VII, vers. 12. Porro « castra dicta sunt quasi casta, eo quod ibi castraretur libido, quia nullæ eis mulieres intererant, » ait Isidorus, lib. IX, Origenes, cap. II. Notent hoc duces et milites; sic enim erunt fortiores, et victoria potientur.

Vers. 3. 3. AFFERAMUS AD NOS DE SILO ARCAM FOEDERIS DOMINI. — Dei enim super arcam residentis, et ex propitiatorio responsa dantis præsentiam et opem crebro experti erant Hebræi, ut in transitu Jordanis, in expugnatione Jerichuntis, etc., multo majorem fiduciam habent Christiani in sacramento Eucharistiæ et reliquiis Sanctorum, quas proinde in periculo belli, famis, pestis cum Litaniis in supplicationibus solemni pompa circumferunt, ac sæpe miram exinde opem experiuntur. Vide Abulensem hic, *Quæst.* V. Audi S. Athanasium, de interpretatione Psalm. *ad Marcellinum* : «Si bellum, ait, populo ingruerat, arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat, et hoc sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium; nisi in bajulis

arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret. Fide siquidem et sana affectione opus est, ut lex precibus nostris cooperetur. »

Vers. 7. 7. VENIT DEUS IN CASTRA, — quia arca erat quasi solium Dei. Adde Philistæos, idolorum et simulacrorum adoratione et cultu assuetos, putasse arcam esse Deum, sive idolum Hebræorum; vel certe sapientiores ex eis existimasse Dei virtutem, ac divinum quid arcæ esse inclusum; tale enim quid opinabantur de suis idolis. Ita Abulensis, præsertim quia videbant Deum per arcam tam mira operari. Unde, cap. VI, vers. 19, Deus percussit quinquaginta millia plebis, eo quod vidissent arcam.

Allegorice, arca fœderis est humanitas Christi, præsertim in Eucharistia, ob plures utrinque analogias, quas recenset S. Bonaventura, serm. 2 *in Dominica* IV *Adventus* : « Arca, inquit, Dei velo involvi jubetur, *Numer.* cap. IV, vers. 5; in velo ergo arca, in arca urna, in urna manna fuit. Per velum species Sacramentales, per arcam corpus Christi, per urnam anima, per manna deitas significatur. Hanc arcam timent Philistini, id est dæmones, imo etiam guttam sanguinis Christi timent. » Et citat D. Chrysostomum, qui ait : « Ubicumque viderint sanguinem, fugiunt quidem dæmones, accurrunt autem Angeli. »

Vers. 8. 8. HI SUNT DII QUI PERCUSSERUNT ÆGYPTUM OMNI PLAGA IN DESERTO, — id est mari Rubro, quod vicinum est deserto Arabiæ, ait Vatablus; nam in mari hoc Deus mersit Pharaonem cum totis Ægyptiorum castris.

Serarius et alii subaudiunt copulam *et*. Unde Septuaginta habent, *et in deserto*. Et Chaldæus, *percussit Ægyptios omni percussione, et populo suo fecit multa miracula in deserto.*

ET CECIDERUNT DE ISRAEL TRIGINTA MILLIA PEDITUM. — Hebræi enim pedites pugnabant, vix equites, eo quod Deus, *Deuter.* cap. XVII, eis si non usum, certe copiam equorum vetuisst, ne in eis, non in Deo spem victoriæ reponerent. Ex hac communi tot millium strage patet non solos Heli filios sacerdotes, sed et populum, Deum offendisse neglectu templi, victimarum, oblationum, aliisque sceleribus. Sacerdotes enim imitatur populus. Ita Abulensis, *q. d.* Audi S. Hieronymum, epist. 3 *ad Heliodor.*, post clades Romani Imperii recensitas, earum causam suggerentem : « Nostris peccatis barbari fortes sunt; nostris vitiis, Romanus superatus exercitus. » Et paulo post : « Infelices nos qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem Barbarorum illius in nos ira desæviat. »

Vers. 11. 11. ET ARCA DEI CAPTA EST. — Cur permisit id Deus? Procopius duas dat causas : *Prior* est, ut doceret Hebræos recte viventes Dei providentiæ confidere; peccantes vero neque arcæ, nec ipsi Deo fidere. « Legis transgressores, » ait Auctor mirabilium S. Scripturæ, lib. II, cap. VII (exstat tom. III S. Augustini). « Nequaquam legis arca tuetur; sed quæ in ea lex erat, arguit, » ait Theodoretus. *Posterior*, ut Philistæi arcam capientes ejus vim et potestatem agnoscerent ex plagis ab ea immissis, quas audiemus capite sequenti, itaque Deum Hebræorum timerent et colerent.

Tertiam causam adde, ut Deus castigaret impietatem filiorum Heli, qui arca et altari ad suas rapinas et scelera abutebantur.

Sic Deus permisit Terram sanctam capi a Chaldæis, et postea a Romanis, ac demum a Turcis, ut ostenderet se « non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegisse, » II *Machab.* cap. V, vers. 19. Ita Theodoretus, Quæst. I *in Daniel.*

Tropologice, arca ab alienigenis capta indicabat testamentum Dei transiturum ad gentes, ait Eucherius et S. Gregorius.

Hæc clades Israelis, mors Heli et captura arcæ contigit anno mundi 2850, et ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 397. Id patet ex eo quod ab hoc exitu usque ad ædificationem templi, quæ contigit anno quarto Salomonis, fluxerunt anni 480, uti dicitur III *Reg.* cap. VI, vers. 1. Annus autem hic 480 conditi templi incidit in annum mundi 2933; inde ascende et tolle tres annos regni Salomonis, 40 Davidis, et 49 Samuelis et Saulis, invenies Heli, qui immediate præcessit et judicavit populum ante Samuelem, mortuum esse anno mundi 2850, hoc est ante templum conditum anno 83, jam cum mortuus sit Heli anno ætatis 98, ut dicetur vers. 15. Hinc sequitur eum natum esse anno mundi 2752, ab exitu ex Ægypto anno 299, ante templum 181; cumque ipse judicarit Israel 40 annis, sequitur illum principatum hunc iniisse anno mundi 2810, ab exitu ex Ægypto 357, ante templum 123, cum ageret annum ætatis 58. Hæc juxta chronologiam quam præfixi Pentateucho.

Nota : Magis puniti sunt Hebræi post adductam in castra arcam, quam ante adductam; nam ante, cæsa sunt duntaxat quatuor millia, post adductam vero triginta millia; quia scilicet propter arcæ et templi a sacerdotibus et populo violati scelus, a Deo irato et jam in arca præsente acrius puniebantur : præsertim quia scelus hoc aliaque plura seria pœnitentia non corrigebant. Allegorice, significabatur plures Judæos a Deo damnandos fore post Christum, quam ante Christum, quia scilicet ipsi Christum spreverunt, eumque occiderunt, et eorum posteri parentum Christicidium defendentes in Christum credere nolunt. Ita Beda. Sic acrius a Deo puniuntur qui coram eo in templo peccant, quam qui foris; sacra enim sacrilegos non tuentur, sed vindicant et castigant.

Vers. 18. 18. CUMQUE ILLE NOMINASSET ARCAM DEI, CECIDIT DE SELLA RETRORSUM JUXTA OSTIUM (templi, ait Tertullianus, lib. *De Jejuniis*, cap. X, et S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vitæ monasticæ*, vel urbis Silo; » in portis enim sedebant judices, qualis erat Heli, præsertim quia ipse avide exspectabat ab adventantibus ad portam urbis, cognoscere eventum prælii), ET FRACTIS CERVICIBUS MORTUUS EST. — Hinc notant Abulensis, Cajetanus et

alii virum pium fuisse Heli, utpote quem non filiorum, nec populi, ita tangeret cura, ut arcæ et sacrorum religio. Cecidit ergo retrorsum, eo quod plane consternatus, ac præ angore, pavore et stupore, spiritu deficiente jam se in alta sede continere non posset. Retrorsum autem, quia cathedra hæc erat vacua, et carens fulcris quibus nostræ sedes dorsum sedentis suffulciunt. Ita Abulensis. Monet ergo nos Heli, ait Dionysius, quam nos de Terræ sanctæ, ac tot Ecclesiarum et animarum captione ab hostibus dolere debeamus.

Audi B. Petrum Damianum, lib. I, epist. 6 *ad Nicolaum Pontificem Prælatos percellentem* : « Si Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea qua digni erant invectione corripuit, cum eis simul et cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica et in soliis judicantium præsident, et super non ignotis pravorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Judicis divinæ legis mandata confundunt; et dum perditis hominibus amittendi honoris officium servant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant. »

Nonnulli putant Heli damnatum.

Quæres, an Heli sit damnatus? Affirmat S. Gregorius, hic et II *Past.* cap. VI : « Quia, inquit, falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit; hinc namque divina voce ei dicitur : Honorasti filios tuos magis quam me. »

Et Eucherius : « Heli sacerdos, inquit, pro filiorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus severa animadversione plectebat. Equidem coercuit, equidem corripuit, sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate Pontificis. Qua sententia discant sacerdotes quomodo filiorum etiam propter scelera puniantur quique; et quamvis sancti sint, culpa tamen subditorum eisdem, si non coerceant, imputetur. »

Sic et Beda. Idem videtur sentire S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, S. Chrysostomus, hom. 59 *in Genes.*, et alibi sæpius, et S. Cæsarius Arelatensis, *hom.* 15, B. Petrus Damianus, tom. III, *epist.* 16, cap. XVIII. Quin et S. Augustinus, lib. *De Civitate Dei*, cap. IV, ait Heli reprobatum eodem modo quo Saul.

Verius est eum esse salvatum. Prob. Primo.

Contrarium censent Theodoretus, Lyranus, Dionysius, Abulensis, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Mendoza. Idque probatur *primo*, quia Heli fuit vir probus et pius, ideoque ad eum translatus fuit Pontificatus æque ac principatus; rursum audita arca expirans maximum dolorem, ex eoque maximum religionis zelum ostendit. *Secundo*, quia licet peccarit nimia lenitate et indulgentia erga filios, tamen ex parte eum excusat, quod præ senio non ita poterat eos severe corrigere, præsertim cum illi jam essent viri, et patris senis jussa dictaque contemnerent. *Tertio*, quia esto demus eum lethaliter peccasse; tamen videtur pœnituisse, ac duram pœnitentiam a Deo injunctam humiliter acceptasse, cum dixit cap. III, vers. 18 : « Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat. » Quid amplius pœnitens dicere posset? *Quarto*, quia Deus ideo tam dure eum punivit in hac vita, ut ei parceret in futura; ideo enim ultimus mortuus est, ut tam multas suorum mortes audiendo multoties moreretur. « Deus enim non punit bis in idipsum, » ut ait Sophonius. Porro quo sensu dicatur cap. III : « Iniquitas ejus non delenda in æternum, » ibidem explicui. Denique Heli culpam omnem residuam in Purgatorio luisse et expiasse videtur, ait Dionysius et ex eo Mendoza. Porro multi Patrum jam citatorum, asserentium Heli damnatum, exponi possunt de damnatione ad mortem temporalem, aliasque pœnas illi, id est posteris ejus inflictas.

Tertio. Quarto.

Secundo.

ET IPSE JUDICAVIT ISRAEL QUADRAGINTA ANNIS. — Ita Hebræus, Chaldæus, Josephus, Theodoretus; perperam ergo Septuaginta pro quadraginta habent viginti. Porro S. Chrysostomus, lib. III *De Providentia*, ante medium : « Samuel, inquit, cum intueretur magistrum in mortem miserabilem devectum, ita confusus atque turbatus est, ut decebat gratum amabilemque discipulum. »

INCURVAVIT SE ET PEPERIT, — quia angor et dolor accelerarunt ei partum, adeoque peperit fœtum septimestrem, ait Josephus, cum communiter gravidæ parere solebant nono vel decimo mense a conceptu. Porro partus septimestres esse vitales docet Galenus, lib. *Isagogico de definitionibus medicis*, et alii quos citat et sequitur Pineda, lib. I *De Rebus Salom.* cap. X. Imo Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiquit. Biblicis*, ait Isaac natum septimo mense, ideoque diu vixisse; sed hoc videtur fictitium. Denique matrem hanc paulo post reipsa expirasse docent Josephus, S. Gregorius, Eucherius, Angelomus, Dionysius et alii passim.

21. ET VOCAVIT PUERUM ICHABOD, DICENS : TRANSLATA EST (hebraice *gala*, id est migravit, transmigravit ab Israele ad Philistæos) GLORIA DE ISRAEL. — *Ichabod* hebraice dicitur quasi אי כבוד *e chabod*, id est *ubi gloria?* scilicet evanuit. Josephus vertit ἀδοξία, id est *ingloria, ignobilitas, vilitas, q. d.* Vocetur hic puer Hebraice *Ichabod*, Græce ἄδοξος, Latine *inglorius;* quia eo nascente occidit Israelis gloria, quasi dicat :

Vers. 21.

> Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
> Gloria Teucrorum, etc.
> Nunc tantum cinis, et statio malefida carinis.

Licet enim Ichabod successurus videatur patri suo Phinees et avo Heli in Pontificatu, tamen capta jam arca et translata in Philistæam, omnis ejus, æque ac totius Israelis gloria concidit et corruit.

Nota : Heli morienti in principatu successit Samuel, in Pontificatu non Phinees vel Ophni, ut-

Samuel succedit

In principatu Heli: Achitob in Pontificatu.

pote jam occisi, nec Ichabod utpote infans; sed Achitob nepos Heli ex filio, ut patebit cap. XIV, vers. 3. Ita Mendoza.

ET PRO SOCERO SUO ET PRO VIRO SUO. — *Primo, pro,* id est *de,* quasi dicat : Translata gloria regni de Israel, et gloria Pontificatus de socero suo Heli, et marito Phinees.

Secundo, id referri potest ad τὸ *vocavit, q. d.* Vocavit mater filium Ichabod, tum ex se, tum pro socero et viro suo, cujus erat nomen filio imponere. Aut ad τὸ *dicens,* quasi dicat : *Pro,* id est propter virum suum cæsum, et socerum suum mortuum dixit : « Translata est gloria de Israel; » quia scilicet Israelis principes et pontifices, scilicet Heli et Phinees, occubuere cum arca capta. Ita Chaldæus et Vatablus.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca a Philistæis capta, et collocata in templo Dagon, prosternit et mutilat Dagonem. Mox Deus, vers. 6, pudendis morbis et muribus affligit Azotios; inde, vers. 9, Gethæos, et vers. 10, Accaronitas : quare decernunt ipsi arcam in Israel esse remittendam.

1. Philistiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide adjutorii in Azotum. 2. Tuleruntque Philistiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. 3. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini; et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. 4. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. 5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. 6. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos; et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus. Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate. 7. Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt : Non maneat arca Dei Israel apud nos; quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. 8. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt : Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi : Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel. 9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis; et percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium et fecerunt sibi sedes pelliceas. 10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes : Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. 11. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt : Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. 12. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei, viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.

Vers. 2. 2. STATUERUNT EAM JUXTA DAGON, — idolum, sive deum suum, tum ut eum hoc dono honorarent, ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. IV; tum ut ei quasi victoriæ auctori nobilissima hæc spolia deferrent, ait Josephus, lib. VI, cap. I. Theodoretus et Procopius, quasi dicat : Ecce Dagon noster vicit Deum Hebræorum, nosque eorum victores effecit. Subdatur ergo arca Dei pedibus Dagonis. Hac de causa injuriam suam tantam ulciscens Deus Dagonem dejecit, ac Philistæos plurimos morte

mactavit. Audi Theodoretum et Procopium: « Dum Philistini arca apparente et Hebræis vociferantibus extimuissent, utilitatem et auxilium acceperunt; cum vero, post victoriam, arcam eamdem contempsissent, ipsa experientia, quanta Dei virtus esset, didicerunt. »

Dagon quid ?

Quæres, quis et qualis fuit Dagon? Respondeo, fuisse præcipuum Philistinorum deum. Litius Gyraldus *De Diis Gentium,* syntag. 2, pag. 109, censet Dagon fuisse Jovem Aratrium, quem colebant Phœnices, ut frumenti et aratri inventorem, ideoque dictum Dagon a דגן *dagan,* id est *frumentum* : sic quoque Eusebius, lib. I *De Præparat.*, Arias, Pagninus et alii, qui censent Dagon fuisse deum frumentarium, sive frumenti præsidem, qui scilicet messis copiam et frumenti abundantiam suis cultoribus daret.

Resp. Primo.

Alii passim *Dagon* derivant a דגה *Daga,* id est *piscis,* quod idolum hoc piscis formam haberet: cum enim Philistæi essent accolæ maris, piscationi dabant operam, ideoque fabricarunt et coluerunt Dagon, quasi piscium et piscationis præsidem. Unde S. Hieronymus in *Quæst.* : « Dagon, inquit, idem est Hebr. quod piscis tristitiæ. » Porro idolum hoc erat quidem specie piscis, sed homine mixti. Erat ergo compositum ex homine et pisce, ita ut caput (licet Lyranus, Abulensis, Adrichomius et alii censent Dagon habuisse caput piscis) et manus essent hominis, cæteris deinde membris ab umbilico deorsum, in piscisque caudam desineret. Id patet, ex eo quod manus illi coram arca præcisæ fuerint, vers. 4. Ita Vatablus, Cajetanus et alii mox citandi. Dagon ergo fuit instar Nereidum, Tritonum et Sirenum, quæ faciem habent muliebrem, et in piscem desinunt; de quibus Horatius in *Arte Poetica* :

> Desinit in piscem mulier formosa superne.

Confirmatur, quia Cyri et Palæstini pisces coluerunt quasi deos et numina. « Syri, inquit Xenophon, lib. I *Expedit. Cyri,* pisces habent sacrosanctos. » Cicero, lib. III *De Natura Deorum* : « Syri, inquit, piscem venerantur. » Clemens Alexandrinus in *Exhortatione ad Gentes* : « Qui Phœniciam incolunt Syri, columbas et pisces impense colunt. » Diodorus Siculus, lib. III, cap. II : « Unde et Syri, inquit, ad hæc usque tempora his piscibus abstinentibus eos pro diis colunt. »

Insuper, Josephus et alii asserunt Dagon esse Dercetem (quam alii Atergatim vocant), sive deam Syriam, quæ a Syris creditur in piscem mutata, ideoque specie piscis colitur, ita ut inferne habeat caudam piscis, superne faciem hominis, puta feminæ.

Quocirca Diodorus Siculus loco jam citato, Antonius Nebrissensis, in *Quinquag.* cap. VI, Sanchez, Lyranus, Abulensis, Scaliger, Serarius et alii censent Dagon sive Dercetem esse Venerem. Pisces enim instar Veneris luxuriant et mire prolificant. Unde Venus dicitur nata e mari, indeque nuncupatur Aphrodite, ac a Poetis fingitur in piscem transformari.

Audi Ovidium, lib. IV *Metamorph.* : Fuit Venus.

> Dercete quam versa squamis velantibus artus,
> Stagna Palæstini creduut coluisse figura.

Et Manilium, lib. IV :

> In piscem sese Cytheræa novavit;
> Cum Babylonicas submersa profugit in undas.

Favet quod Herodotus, lib. I, tradat Venerem ab Ascalonitis mire coli in templo suo antiquissimo, indeque Cyprios eidem simile templum dicasse.

Porro Gentes suos deos nominabant et colebant tam specie feminea, uti erat Venus et Dercete, quam virili, imo unum eumdemque nunc pingebant ut virum, nunc ut feminam, teste Macrobio, lib. III *Satur.* VIII; Horatio, lib. I *Apol.* XII, et Ammone, lib. *De Interpr.* Vide Serarium in cap. XVI *Judic.* Quæst. XXV. Audi et Rhodiginum, lib. XXV, cap. V : « Semiramidem, inquit, deæ cujusdam Dercetus fuisse filiam fabulosa prodit historia. Ejus templum fuerat ad Ascalonem Syriæ civitatem apud stagnum piscibus plenam. Eamdem Plinius vocat prodigiosam Atergatim, quod esset facie hominis, et corporis reliqua in piscem desinerent. Ferunt Venerem factam deæ illi obviam, quandoque adolescentis speciosi amorem injecisset, cui permixta Derceto filiam conceperit, etc. At dolore percita Derceto ex facti turpitudine in lacum se præcipitem edit, deformataque in piscem est. »

Tropologice, *Philistiim* hebraice idem est quod *conspersi* aut *conspergentes*, aut *ruinam ponentes,* aut *ruinam potantes,* ait Pagninus : hi sunt homines animales, terreni et carnales, qui colunt Dagon, id est, Venerem et ventrem, de quibus ait Apostolus, *Philip.* III : « Quorum Deus venter est : » hi sordibus gulæ et luxuriæ se aliosque conspergunt, ac ruinam potant, quia mortem præsentem ac æternam sibi accersunt, juxta illud Pauli : « Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem, » *Galat.* VI, 18. Unde S. Bonaventura in *Psal.* XXVIII, 1, *Dagonem* vocans *idolum Veneris* : « Philistæi, ait, posuerunt arcam Domini juxta idolum Veneris Dagonem; sic mali sacerdotes, quando ponunt filium Virginis juxta filium Veneris in altari. » Quam atrociter ergo puniet eos Deus, cum tam atrociter punierit Philistæos!

3. ECCE DAGON JACEBAT PRONUS IN TERRA ANTE ARCAM DOMINI, — quasi ab illa prostratus, illi subjectus, illamque adorans. Nota : Deus hic injuriam arcæ, id est sibi super arcam residenti illatam gravi pœna ulciscitur, eaque triplici. *Prima,* in Dagonem, qui arcam quasi devictam sibi subditam habebat, prosternendo ante arcam ut illam adorare videretur. *Secunda,* in Philistæos, eos partim morte, partim morbo ani pudendo mulctando. *Tertia,* in ipsam regionem, mures immittendo, Vers. 3.

qui omnia sata et germina depascerent. Unde prudenter Theodoretus, serm. 10 *De Providentia* : « Deus, inquit, traditæ arcæ majestatem tuetur allophylos docens quod non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. » Tropologice, S. Chrysostomus citatus a Glossa, *Exodi* XXIII, 23 : « Non possunt, inquit, virtutes cum vitiis morari, sed cum a virtutibus vitia fuerint superata, locum quem concupiscentiæ spiritus possidebat, charitas obtinebit, quem furor ceperat, patientia vindicabit; quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio lætitia possidebit; quem acedia vastavit, excolet fortitudo; quem superbia conculcabat, humilitas honestabit; singulis vitiis expulsis eorum loca virtutes contrariæ possidebunt, » quasi dicat : Non possunt simul habitare arca et Dagon, id est virtus et vitium, Deus et diabolus. Rursum, arca est Eucharistia, quæ ab energumenis expellit dæmones. Audi Cassianum, *Collat.* VII, cap. XXX : « Communionem, inquit, eis sacrosanctam a senioribus nostris, nunquam meminimus interdictam : quin imo, si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censebant. » Et paulo post : « Quæ ab homine præcepta, eum, qui in membris ejus incidet spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. »

Vers. 4. 4. CAPUT AUTEM DAGON ET DUÆ PALMÆ MANUUM (hoc est ambæ manus extensæ; hæ enim vocantur volæ sive palmæ : hoc signo Dagon fatebatur se victum ab arca : nam si manus in pugnum contraxisset, visus fuisset arcæ minari, illamque velle percutere) EJUS ABSCISSÆ ERANT SUPER LIMEN.

Priori plaga vers. 3, Dagon sua sede et solio erat dejectus in terram duntaxat : at cum illum in suum solium restituere Philistæi, pejus mulctatus est, capite scilicet et pedibus, ut quasi truncus jaceret in pavimento. Lucifer pro ἕκαστον, id est, unaquæque, legens ἕκατον, id est centum in Septuaginta vertit : *Et ambo vestigia manus ejus ablata erant per partes centum.*

Porro videntur alii etiam Philistæorum dii in cæteris eorum urbibus eadem vel simili qua Dagon, pœna mulctati, uti insinuatur cap. VI, vers. 5, per quod mystice significabatur idololatriæ interitus per arcæ dominicæ, id est Christi et Apostolorum ejus adventum, ait S. Gregorius, Angelomus et Beda. Rursum, Hugo Victorinus, lib. V *Allegor.* cap. VIII : « Caput, ait, Dagon, significat superbiam diaboli : duæ palmæ operationem idololatriæ, limen finem impiæ culturæ. »

Vers. 5. 5. PROPTER HANC CAUSAM NON CALCANT SACERDOTES DAGON, etc., SUPER LIMEN. — Tropologice S. Gregorius, « Sacerdotes Dagon, ait, usque in hodiernum diem remanent, quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificet, adhuc est. Qui profecto super templi limen calcare refugiunt, quia neque immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, concupiscentiarum tamen simulacris per nefaria opera se incurvant. »

Porro Gentiles limina templorum deorum suorum osculatos esse ex historiis clarum est. Audi Tertullianum, libro *De Corona militis*, cap. XIII : « Christianus, inquit, nec januam suam laureis infamabit, si norit quantos deos etiam ostiis diabolus affinxerit. Janum a janua, Limentinum a limine, Forculum et Cardam a foribus et cardinibus. »

Sic Christiani limina templorum olim osculabantur, et limina S. Petri etiamnum Romæ osculantur.

6. ET DEMOLITUS EST EOS, — id est, excidit, occidit, perdidit eos, ut patet vers. 9 et sequentibus. *Prima* Dei plaga fuit in deum Dagonem; hæc vero *secunda* fuit in ipsos Philistæos; multos enim ex eis Deus subita morte percussit, alios morbo fœtido afflixit. Nam : Vers. 6.

PERCUSSIT IN SECRETIORE PARTE NATIUM AZOTUM. — Fuit hic morbus alvi et ani, ita ut intestina eorum computrescerent et per anum foras prominerent. Unde Vatablus vertit vocatque *mariscas*. Est enim marisca ficus insipida, quæ hiando aperitur, et sua interna rubendo ostentat, de quibus Martialis, lib. XI : Mariscæ quid?

> Purpureæque Chelidoniæ, rilesque mariscæ.

Inde morbus hic ani marisca dicitur, quia fici jam dicti habet similitudinem. Unde Juvenalis, *Satyra* 2 :

> Cæduntur tumidæ medico vidente mariscæ.

Congrua est hæc pœna ventri deditorum, quales erant Philistæi, quorum, ut ait S. Bernardus : « Non alia est cura, quam cibum ingerere, digerere et egerere. » Nam ut ait Christus, *Matth.* XV, 17 : « Omne quod in os intrat in ventrem vadit et in secessum emittitur. »

Josephus, et ex eo Theodoretus, Procopius, Dionysius, Lyranus hunc morbum vocant dysenteriam, non vulgarem, sed propriam et peculiarem. Theodoretus ex Aquila vertit phagedænam, id est cancrum, sive ulcus exedens. Alii apud Franciscum Lucam in notis hic vocant cirinnium vel fratigium; alii, luem veneream; Rabbini, Abulensis et Genebrardus vocant hæmorrhoidas. Sidonius, pag. 592 : « Obscenum turgenti podice morbum. » Videtur hic morbus fuisse peculiaris et novus, adeoque non unus, sed multiplex, singulariter a Deo vindice Philistæis immissus; nam præter dolores acres, pariebat intestinorum putrefactionem et egestionem.

Porro hic morbus grassabatur per omnes Philistæorum urbes, pagos et villas, ut patet vers. 6, nec ulli dignitati, ætati vel sexui parcebat, nec ullo remedio curari poterat, vers. 9, duravitque per septem menses, cap. VI, vers. 1. Meminit Herodotus, lib. I, sub medium, hujus morbi; sed more Gentilium res Judaicas depravantium vera

falsis admiscet, ut notat Josephus lib. X *Antiquit.* cap. I. Ait enim Ascalone esse templum Veneris, quod nonnulli expilarint, ideoque mariscis percussi sint.

Plaga murium quanta!

ET NATI SUNT MURES. — Tertia fuit hæc plaga murium, qui, ut ait Josephus, hortos, agros, vineas, omnesque segetes, fruges et fructus depascebantur, uti fecit plaga ranarum in Ægypto, *Exodi* VIII. Hebræi nonnulli addunt mures hos e mariscis sanguinem suxisse. Addit S. Gregorius, lib. III, cap. III, momordisse ventrem Philistinorum, cum eum in secessu exonerare vellent. Causam dat Auctor *Mirabilium Sacræ Scripturæ* apud S. Augustinum, lib. II, cap. VII : « Qui misera, inquit, animalia divino cultu venerabantur, per miserrima animalia in adventu dominicæ legis castigantur; qui tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limites suos protraxerunt, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affliguntur clade. »

Alia causa erit, si cum Eusebio, Gyraldo et aliis jam citatis dicamus Dagonem fuisse deum frumenti; quia ergo hunc colebant Philistæi, hinc juste a Deo muribus puniuntur, ut illi frumentum Dagonis rodant et vorent.

Porro hinc nata est hæresis eorum qui a muribus dicti sunt Musoritæ, de quibus Philastrius, lib. *De Hæres.* : « Musoritæ, ait, sunt quidam nomine qui sorices colunt, qui sub Belo (*ego sub Helo seu Heli lego*) sacerdote, cum fuisset capta arca Testamenti ab Allophylis, atque ex ira Dei produxisset terra sorices, ut eorum fruges deperirent, admoniti a suis fecerunt aureos mures. »

Porro mures hi Philistinorum supernaturales fuere, ait Abulensis : quia nulla causa naturalis eos tam subito et in tanto numero producere potuisset.

Denique audi S. Antonium Magirum in *Palæstina,* fol. 241 : « Nonnullis, ait, in locis Palæstinæ agri sunt pene deserti ob murium et soricum abundantiam, quos nisi quædam aves devorarent, nullum sementem possent facere incolæ. »

Similes clades a muribus sæpe illatæ sunt. Unde « M. Varro, ait Plinius, lib. VIII, cap. XXIX, auctor est a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, ab ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas a muribus fugatos. » Idem, lib. X, cap. LXVIII, ait mures e Troade fugasse accolas, ac rationem addit quod mus sit fecundissimus, adeo ut ex uno geniti sint 120. Sic Popielus Poloniæ princeps a muribus est comestus, quod patruos suos veneno necasset, ex eorum enim cadaveribus mures enati ipsum cum uxore et filiis corroserunt, ut narrat, lib. II *Rerum Polonicarum,* Martinus Cromerus.

Idem Harroni Archiepiscopo Moguntiæ contigisse scribit Trithemius *Chron. Hirsaug.*, ad annum 967, et Genebrardus, anno Domini 970; sed id refutat Serarius in sua *Moguntia.*

8. OMNES SATRAPAS, — id est præfectos et principes : « Satrapæ, ait S. Thomas, lib. III *De Regim. Princip.* cap. XXII, dicti quasi sat parati ad munus suum et ad bellum, » vel quasi « sat rapientes, » hoc est diripientes subditos : ingeniosa est hæc allusio et lusus ingenii. Nam constat « satrapas » esse nomen Persicum, *Esther* III, 12; *Daniel.* III, 2. Hinc et Herodotus, lib. III, ait Darium regem Persarum Babylonem divisisse in viginti et octo satrapias sive præfecturas. Vers. 8.

CIRCUMDUCATUR ARCA. — Hoc consilium dant Gethæi, quia putabant cladem hanc Azotiis accidisse, non arca, sed ex natura loci, v. g. ex infecto et pestilenti aere, vel influxu maligno astrorum, ait Theodoretus et Procopius; unde et capite sequenti post circumductæ arcæ plagas, adhuc explorant per sortes vaccarum, an ab arca, an casu hæ plagæ eis obvenerint. Hinc et Septuaginta vertunt, *transeat arca ad nos, q. d.* Non timemus arcam arcæque vindictam; veniat illa ergo ad nos.

Pravum et infidele fuit hoc Gethæorum consilium, quod proinde Deus in ipsos eorumque stragem retorsit. Sic Judæi occiderunt Christum, ut ejus nomen delerent, et correptiones effugerent; sed per hoc magis ejus nomen auxerunt, et ultimum per Titum excidium incurrerunt. Præclare Nazianzenus, orat. 1 *De fuga sua,* sub finem : « Solus, inquit, ex omnibus rebus Deus est qui nec fuga vitari nec superari potest, cum aliquem arripere ac sub manum et potestatem redigere voluerit, celeres antevertit, prudentes decipit, fortes subvertit, sublimes contrahit, audaces mitigat, potentiam premit. »

9. MANUS DOMINI,—id est plaga et percussio Dei; hæc enim apud homines fit manu : manus autem Dei est immensa ejus potentia. Vers. 9.

ET COMPUTRESCEBANT PROMINENTES EXTALES EORUM, — id est exta sive intestina et viscera putida per anum defluebant, uti contigit Ario hæresiarchæ.

Hebraice est *latuerunt ipsis* עפלים *ophelim,* id est morbi occulti ani, *q. d.* Percussi sunt occultis et pudendis hisce morbis. Septuaginta, *percussi sunt in natibus;* Chaldæus, *in constrictionibus.* Huc respexit David canens, *Psal.* LXXVII, 66 : « Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. »

Porro Abulensis, *Quæst.* XV, ait nonnullos censere, non tantum Philistæos percussos fuisse in secretiori parte natium, sed etiam Hebræos recentiores, qui frequentem sanguinis fluxum seu hæmorrhoidem patiuntur in pœnam illius sacrilegii, quo postularunt Christi Domini mortem, exclamantes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Et in hunc sensum interpretantur illud : « Percussit inimicos suos in posteriora, » *Psalm.* LXXVII, 66, sed prudenter opinatur illos errare, cum nullo Scripturæ testimonio fulciantur.

ET FECERUNT SIBI SEDES PELLICEAS. — Biblia Regia, item Hebræa et Chaldæa, S. Gregorius, Lyranus et alii hæc omittunt (vide Franciscum Lucam

in notis hic); habent tamen Septuaginta correcti, nisi quod τὸ *pelliceas* omittant, sed morbus hic sedes molles exigebat: tales autem sunt pelliceæ. Unde et Theodoretus id videtur legisse. Ait enim eos fecisse sibi *sedes* χρυσᾶς, id est *aureas*; sed pro χρυσᾶς, legendum videtur βυρσᾶς, id est *pelliceas*. Ad quid enim aureæ hoc loco, nisi ad mali et doloris augmentum? Porro Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Mendoza et alii sedes hic proprie dictas accipiunt; has enim aiunt fecisse pelliceas, ut mollius sederent. Verum noster Sanchez per *sedes* apposite per metonymiam intelligit *vestes*, ad partes illas male affectas fovendum, ac ad viscera defluentia et emplastra eis imposita continendum. Palæstini enim femoralibus non utebantur. *Sedes* ergo, inquit, sumitur pro *vestes*, id est natium integumenta, sicut pes sumitur pro calceo, et corpus pro corporis veste. Sic et Abulensis, qui et tertiam causam addit, ne mures partes illas invaderent et roderent. Huc facit quod Septuaginta et Aquila hoc versu vertant : *Percussit eos in sedibus eorum; in sedibus*, id est, in natibus quibus sedetur : pari enim modo hic natium tegumenta vocari possunt sedes.

Porro congrua hæc fuit culpæ Philistæorum pœna; quia enim ipsi suum Dagonem ab arca, solio sedeque sua dejectum in illud restituerant, juste ipsi morbo puniti sunt in eo membro quo sedere solebant, ut sedere non possent nisi in sedibus pelliceis, eo quod Deo vero solium divinitatis abnegassent, illudque suo Dagoni assignassent. Ita Theodoretus : « Sedis, inquit, morbum passi sunt, qui arcam divinam impie locaverunt, nempe apud Deum falso appellatum. » Sic et Procopius. Huic simile est quod de Ariano quodam scribit S. Athanasius in epist *ad Solitarium* : « Ut olim, inquit, Azoti incolæ ausi arcam attingere, quam illis vel oculis conspicere nefas fuit, sedium tormentis excruciati peribant; sic Arianus quidam juvenis ausus sellam ligneam templi Alexandrini (ex qua docebat S. Athanasius) convellere, fragmento ligni inde in ventrem resiliente intestina sua perforavit, et eadem vi qua solium disrumpere conabatur, rupta alvo intestina effudit, celeriusque quam ipse thronum auferret, thronus ei vitam sustulit. »

Aliam rationem dat Auctor *De Mirabil. Sacræ Scripturæ*, lib. II, cap. VII : « Quatenus, inquit, qui tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limites suos protraxere, intraneorum suorum (alias interiorum suorum) foras prominentium fœda affligerentur clade. »

Simili viscerum dolore punitus fuit Antiochus ob direpta vasa templi, lib. II *Machab.* cap. IX.

Tertiam causam dat Rupertus et Glossa, scilicet Philistinos fuisse pæderastas et masculorum concubitores, ideoque eo membro quo peccarant fuisse punitos. Insinuat idipsum Isaias, cap. II, vers. 6, dicens : « Augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. »

Symbolice Mendoza : « In posterioribus, ait, Philistini percutiuntur, ut in tota sua posteritate feriendi significentur, hoc est, non solum in hac vita, sed etiam in futura; nec solum in suis corporibus, sed etiam in suis filiis ac nepotibus. » Sic Petrus Blesensis, *epist.* 48, comparans improbos Prælatos ac Principes cum Philistinis : « Nonne, inquit, isti in posteriora percussi sunt quorum finis interitus, quorum posteritas damnata est, ut successor eorum in Ecclesia Dei de cætero non resurgat, » juxta illud *Psal.* LXXVII, 66 : « Opprobrium sempiternum dedit illis. » Huc facit illud *Amos* I, 8 : « Et Convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum. »

Simili modo Deus punivit irrisores S. Thomæ Cantuariensis, qui amputata equi quo vehebatur cauda eum subsannabant; sed Deus caudam eis rependit. Nam omnes in posterioribus caudati effecti sunt, nec tantum ipsi, sed omnes eorum posteri usque in hodiernum diem, uti refert Polydorus Virgilius, lib. XIII *Historiæ Anglicanæ*.

12. GRAVISSIMA VALDE MANUS DEI. — « Manus, » Vers. 12.
id est, ultio, percussio, interfectio. Philo, in *Antiquit. Biblicis*, numerum cæsorum ita distinctim assignat : « Mulierum in utero habentium septuaginta quinque millia. Puerorum adhuc infantium et lactentium sexaginta quinque millia. Mulierum nutrientium et lactantium quinquaginta quinque millia. Virorum jam adultorum viginti quinque millia. Omnium simul collectorum ducenta et viginti millia. » Verum hic non est Philo, sed Pseudophilo.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philistæi remittunt arcam in Israel cum quinque anis et totidem muribus aureis, ut supplicium anorum et murium evadant. Plaustro ergo eam imponunt, non ab equis, sed a duabus vaccis protracto, explorantes an vaccæ recta tendant in Israel, an alio deflectant, ut sciant an a Deo Israel, an casu hæc plaga eis acciderit. Vaccæ cum arca recta pergunt in Israel ad terminos Bethsames. Bethsamitæ eam excipiunt, et vaccas in holocaustum offerunt; sed ex eis Deus percussit 50 *millia, eo quod curiosius arcam aspexissent. Quare Bethsamitæ arcam in Cariathiarim mittere destinant.*

1. Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus. 2. Et vocaverunt Philistiim sacerdotes, et divinos, dicentes : Quid faciemus de arca Domini ? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt : 3. Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini; et scietis quare non recedat manus ejus a vobis. 4. Qui dixerunt : Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei ? Responderuntque illi : 5. Juxta numerum provinciarum Philistinorum quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos ; quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam : si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra. 6. Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, et Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? 7. Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum ; et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. 8. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea , quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus ; et dimittite eam ut vadat. 9. Et aspicietis : et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande : sin autem, minime ; sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo ; et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. 11. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos et similitudines anorum. 12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram ; sed et satrapæ Philistiim sequebantur usque ad terminos Bethsames. 13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle : et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent ; 14. et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa. 17. Hi sunt autem ani aurei , quos reddiderunt Philistiim pro delicto, Domino, Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum ; 18. et mures aureos secundum numerum urbium Philistiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini ; et percussit de populo

septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethsamitæ : Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis? 21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes : Reduxerunt Philistiim arcam Domini, descendite, et reducite eam ad vos.

Vers. 1. 1. SEPTEM MENSIBUS. — Ita Hebræa, Chaldæa et cæteri. Perperam ergo Josephus habet, *quatuor mensibus. In regione Philist.* Septuaginta, *in agro,* quod Theodoretus sic explicat : « Cum, inquit, nulla civitas auderet arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio; sic enim docuit Historiographus : Fuit enim, inquit, arca Domini in agro alienigenarum menses septem : postquam autem existimarunt foris manente arca se esse liberos a plagis a Deo immissis, intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis. Immisit enim murium multitudinem in vites et segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt. »

Sic et Procopius : quod sic intellige, non quod plaga murium tum cœperit, sed quod tum confirmata sit et aucta. Hinc colligitur arcam a Philistæis fuisse captam in septembri, qui mensis apud Hebræos erat solemnis et magna ex parte sacer. Eo enim præter festum Neomeniæ, celebrabant festum Tubarum, et Tabernaculorum per octo dies, item festum Expiationis, ac Cœtus sive Collectæ, ut patet *Levit.* XXIII. Quare illo mense omnia erant plena oblationibus et victimis, quas, quia violarant et profanarant filii Heli, ac multi e populo eos imitantes, hinc eodem mense voluit Deus capi arcam, ut eodem mense puniretur quo gravius in eam peccarunt. Id ita esse liquet ex eo quod arca capta fuerit in Philistæa per septem menses, quibus exactis remissa in Bethsames cum meteretur triticum, ut dicitur vers. 13. Hæc autem messis in Palæstina fit in fine aprilis : jam computa retrogrado ordine septem menses ab aprili, et incides in septembrem jam dictum.

Vers. 3. 3. QUOD DEBETIS REDDITE EI PRO PECCATO. — Peccatum intellige ablatæ arcæ, ideoque irreverentiæ Deo Hebræorum illatæ, præsertim in Philistinorum opinione et conscientia, ait Abulensis. Nam alioqui si Philistini justum contra Hebræos gerebant bellum, non erat grave peccatum, cum reliquis spoliis arcam quoque religiose transferre. Peccatum autem verum et grave, ob quod a Deo flagellabantur, erat, quod ipsi arcam cum suo idolo Dagon collocassent, imo eam Dagoni subjecissent, et quasi trophæum dicassent : sed ipsi, utpote idololatræ et cultores Dagon, non æstimabant hoc esse peccatum; ideoque Deus eos percussit, ut inde discerent hoc peccatum æstimare, arcamque esse majorem Dagone.

Vers. 5. 5. QUINQUE ANOS AUREOS, ET QUINQUE MURES AUREOS, — quasi piaculum plagæ anorum et murium, quo Deus Israel vos percussit. Sic solent offerri sanctis effigies membrorum, quorum sanitatem ab eis recepimus, quasi anathemata.

Tropologice docemur hic peccata nostra licet pudenda coram Deo confiteri, ut hac confessione quasi deaurentur. Audi S. Gregorium : « Quia ad pretium æternæ salutis peccatorum turpitudines atteruntur, flendo deaurantur. » Et post pauca : « Dum, inquit, commissa attentius lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus. » Et mox : « Membra, inquit, deaurantur, cum corpus terrena et cœnosa concupiscentiarum fœditate deforme in splendorem commutatur æternæ vitæ; cum videlicet per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitum mundanæ dilectionis peccatorum fœtore sordebat, » juxta illud Apostoli : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. »

SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS ET A DIIS VESTRIS. — Hinc patet non solum Dagonem, sed et cæteros Philistinorum deos a Deo per arcam fuisse prostratos et afflictos.

Vers. 7. 7. ET RECLUDITE VITULOS (adhuc lactentes) EARUM DOMI, — retrahentes eos a matribus, scilicet a vaccis in itinere, ac in stabulum recludentes, ut indicant Hebræa et Septuaginta, ut videatis an vaccæ ad vitulos suos lactentes recurrant, an vero cum arca pergant in Israel. Hinc vaccæ erant « mugientes, » eo quod a vitulis suis avellerentur.

Vers. 11. 11. ET POSUERUNT ARCAM DEI SUPER PLAUSTRUM, — in trivio, ait Josephus, absque auriga, quinque satrapis Philistinorum spectantibus, et considerantibus quam viam sponte sua vaccæ inirent, an eam quæ ducebat in Israel, an aliam. Erant hæ sortes divinatoriæ, nec a Deo suggestæ, ideoque superstitiosæ et illicitæ (Philistini enim vacabant auguriis et sortilegiis, ut patet ex illo *Isaiæ* II, 6 : « Augures habuerunt ut Philistiim ») ; sed Deus eas direxit, vel per angelos, vel per diabolos, ut ex Origene vult Mendoza, sortilegii hujus instigatores, incitavit vaccas ut viam in Israel capesserent, ut Philistæi ex suis sortibus cognoscerent a Deo Israel sibi has plagas fuisse immissas. Sic Deus direxit necromantiam Pythonissæ suscitantis Samuelem, fecitque ut non dæmon ab ea invocatus, sed Samuel prodiret, et Sauli mortem meritam prænuntiaret, I *Reg.* XXVIII.

Peccarunt ergo hic Philistæi, tum quia tentarunt Deum Israelis, quem ex tot plagis agnoscere et revereri debebant; tum quia utuntur augurio vaccarum, ut explorent an a Deo, an a casu hæ plagæ acciderint. Prius negat Abulensis, *Quæst.* XVIII, posterius silet : sed utrumque asserit Suarez, *De Relig.* tract. 3, lib. II, cap. X, § 11. Legi-

mus in Sanctorum historiis, eorum reliquias ab equis devectas certo quopiam loco constitisse, ut hoc signo indicarent se ibidem humari et coli velle; sed illa fiebant Dei ductu et instinctu.

Mystice, vaccæ mugientes et vitulos suos relinquentes, ac portantes arcam recta versus Bethsames, id est, domum solis, significant prædicatores et Sanctos, qui spiritu Dei acti recta per mortificationem carnalis affectus erga filios et parentes, et bona opera in cœlum concorditer contendunt. Ita S. Gregorius, Eucherius, Rabanus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Dionysius et alii. Audi S. Gregorium : « Pergunt vaccæ, quia sancti viri bona incessanter faciunt : mugiunt vero, quia carnalia desideria in seipsis extinguere sine magna quotidie tribulatione non possunt. Mugire namque ad laborem edomandæ carnis pertinet, pergere autem ad perseverantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit, dum graditur, quia propria desideria adimplere prohibetur. » Et mox : « Bene, inquit, duo hæc in Sanctorum profectione describuntur, pergere et mugire; quia, etsi eis ad supernam patriam festinantibus magna est instantia desiderii, est nihilominus invincibilis patientia laboris. » Probat id exemplo Apostoli dicentis : « Ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis, » *Phil.* III, 14. Et tamen mugiebat dicens : « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* VII, vers. 23 et 24. Sic igitur ait S. Gregorius : « Mugiunt vaccæ, sed pergunt; quia sancti viri, etsi magna sunt tentamenta, quæ perferunt, viam tamen supernæ patriæ non relinquunt. » Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza.

Vers. 12. 12. IBANT AUTEM IN DIRECTUM VACCÆ PER VIAM QUÆ DUCIT BETHSAMES. — Voluit Deus arcam Bethsames potius quam ad aliam urbem a vaccis duci, quia Bethsames erat vicina Philistææ, ex qua reducebatur arca (ut patet ex Chorographia Adrichomii) eratque urbs sacerdotalis : Sacerdotes autem decebat arcam custodire et curare. *Bethsames* Hebraice idem est quod *domus*, id est, sedes et civitas *Solis*. Fuit a Judæis ædificata instar Heliopolis Ægypti. Sicut enim vitulos aureos quasi deos ab Ægyptiis, ita et cultum Solis Judæi acceperunt, ait noster Sanchez, *Jerem.* XLIII, in fine capitis. Porro Bethsames hæc non erat in tribu Benjamin, uti scribit S. Hieronymus in *Locis Hebraic.*, nec in tribu Dan, ut vult Adrichomius, sed in tribu Juda, uti diserte dicitur IV *Reg.* XIV, vers. 11. Erat alia quoque Bethsames in tribu Nephtalim, ut patet *Josue* XIX, 38; et alia in tribu Issachar, ut liquet *Josue* XIX, 22. Vide dicta *Jerem.* XLIII, 13.

Vers. 14. 14. ET PLAUSTRUM VENIT IN AGRUM JOSUE, — sive Jesu, qui erat typus Jesu Christi; hic enim est Bethsamita, id est incola domus Solis; quia ipse ut Sol divinus radios suos sapientiæ et gratiæ infideles suos circumquaque diffundit. Audi S. Justinum, Dialog. *Contra Tryphon.* : « Non ad eum venere locum, unde arca abrepta fuerat : sed in agrum hominis cujusdam Jesu, seu Josue dicti illi cognominis, qui Jesu nomine transnominatus fuerat, quique populum in terram introduxit, et hæreditario jure ipsis eam divisit : in quem agrum cum venissent, constiterunt. Quo facto indicatur, virtute nominis ductas esse : haud aliter quam prior populus per eum qui nomen Jesu recipit, in terram est deductus. »

VACCASQUE IMPOSUERUNT SUPER EA HOLOCAUSTUM DOMINO. — Disputat hic Abulensis an hæc immolatio fuerit licita, multaque affert, quæ probant fuisse illicitam, scilicet *primo*, quod vaccas feminas sacrificarint, cum ex lege victima deberet esse mascula; *secundo*, quod extra tabernaculum, et sine altari; *tertio*, quod a laicis : verum extraordinarius hic casus tam mirabilis reductionis arcæ extraordinarium poscebat sacrificium et gaudium, ait Beda, ut vaccas arcæ bajulas Deo immolarent, idque coram arca, quæ tabernaculo erat sanctior; verum non nisi a sacerdotibus : erat enim *Bethsames* civitas Sacerdotalis. Porro altare erat hic lapis in quo sacrificasse Abrahamum tradunt Hebræi. Lapis autem erat typus Christi, qui est lapis angularis Ecclesiæ.

17. HI SUNT ANI AUREI. — Hos aureos anos et mures, ait Abulensis, *Quæst.* XIII, Hebræi vel in vasa quædam sacra conflaverunt; vel quasi anathemata, ad divinæ hujus potentiæ, justæque vindictæ memoriam conservarunt in tabernaculo, æque ac serpentem æneum *Num.* cap. XXI, et thuribulo Core, Dathan et Abiron, *Num.* XVI. Vers. 17.

18. ET MURES AUREOS SECUNDUM NUMERUM URBIUM PHILISTIIM, QUINQUE PROVINCIARUM (quinque satrapiarum Philistinorum quæ porriguntur, seseque extendunt) AB URBE MURATA, USQUE AD VILLAM QUÆ ERAT ABSQUE MURO, ET USQUE AD ABEL MAGNUM. — Sicut ergo quinque fuerunt duntaxat ani aurei, sic et totidem mures aurei duntaxat a Philistæis oblati : quia tot erant eorum Satrapæ et Satrapiæ. Minus recte ergo Hebræi apud S. Hieronymum, Cajetanus et Magister *Hist. Scholast.* sic interpretantur; quasi tot mures aureos obtulerint, quot erant urbes et vici in Philistæa. Unde Isidorus Clarius : « Aliarum, inquit, civitatum et locorum homines, audientes consilium sacerdotum, voluerunt et ipsi offerre Deo Israel anos et mures aureos, timentes quinque præcipuarum civitatum oblationem sibi minime suffragaturam. » Vers. 18.

ET USQUE AD ABEL MAGNUM, SUPER QUEM POSUERUNT ARCAM. — « Abel magnus » erat lapis magnus, ut vertit Chaldæus et Septuaginta, et patet ex vers. 14 et 15. Hic lapis dictus est *Abel*, id est luctus, ex luctu Philistinorum, sicut *area Atad* cognominata est *Abel* ob luctum, quem ob mortem Jacob in ea fecerunt Hebræi, *Genes.* L, 11; ita Beda, Lyranus, Abulensis, Hugo, Dionysius, Vatablus, Serarius, Mariana, Salianus et alii. *Secundo*

Cajetanus ex R. David *Abel magnum* interpretatur planitiem magnam; sic enim *Abel* pro valle et planitie capitur *Judic.* VII, 23. *Tertio*, S. Hieronymus in *Quæst.*, Procopius, Angelomus, Rupertus, per *Abel magnum* intelligunt civitatem magnam, puta *Bethsames*, de qua paulo ante actum est : hæc enim dicta est *Abel*, inquiunt, ob luctum cæsorum civium qui arcam inspexerant : prima sententia uti communior, ita et verior est.

Vers. 19. 19. PERCUSSIT (id est occidit) (1) AUTEM DE VIRIS BETHSAMITIBUS, EO QUOD VIDISSENT ARCAM DOMINI, — intectam et nudam : hoc enim sub pœna capitis vetitum erat *Num.* IV; ita Abulensis, *Quæst.* XXVI, imo quod introspexissent, ut viderent num Philistæi tabulas legis ex ea sustulissent, vel quid aliud ei imposuissent : unde ex Hebræo vertas, *eo quod inspexissent in arcam.* Ita Serarius, Vatablus, Clarius, R. Salomon asserit *Bethsamitas arcam sprevisse*; Hugo Victorinus, *in agro reliquisse, nec in urbem invexisse*; Lyranus tres alias causas addit : « *Prima*, quod inani lætitia gestierint; *secunda*, femellas sacrificarint; *tertia*, nullis arcam luminibus ante ipsam ardentibus venerati sint : » sed harum *prima* ficta est. *Secunda*, eorum tantum sacerdotum fuisset qui sacrificarunt. *Tertia* nulla est, cum nec in deserto lumina hujusmodi prælata sint, tantumque in tabernaculo candelabrum fuerit, *Exod.* XXVI, 27.

Bethsamitæ occisi, cur? Vera ergo causa percussionis fuit, quod Bethsamitæ arcam quæ ex Philistæa redierat velamentis suis cooperta, iis nudarint, nudamque intuiti sint; quod ne Levitis quidem licebat sub pœna mortis, ut patet *Num.* cap. IV, vers. 5 et 20. Tanta erat arcæ religio, quia ipsa erat Dei quasi sedes et solium, qui in ea quasi invisibilis degere et occultari volebat.

Allegorice, arca continens manna repræsentabat Eucharistiam, quam qui irreverenter aspiciunt et indigne sumunt, morte præsenti sæpe puniti, et semper æterna punientur, uti docet Apostolus, I *Cor.* XI, 30. Ita Dionysius. Hac de causa sacerdos in Missa extremas digitorum partes abluit : « Ut qui jam antea lotus est, ait S. Dionysius *Eccl. Hierar.* cap. III, nullam aliam nisi tantum summitatum extremitatumque suarum lotionem adhibeat. Per quam profecto supremam munditiam illud consequitur, ut castissimo in habitu divinæ speciei constitutus, ad divinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber atque expeditus. » Et paulo post : « Eos, inquit, qui ad sacramenta cœlestia conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, ut ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant. »

Audi Chrysostomum, hom. 60 *ad Popul.* : « Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne spirituali repletur? Linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore; quali mensa fruaris : quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur; huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro. »

Denique B. Petrus Damianus, lib. I, *epist.* 6 : « Si, inquit, Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur; et hoc cum adhuc puerulus vagiret in cunis; a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in cœlis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus; quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, jam in paternæ majestatis gloria sublimatus? »

ET PERCUSSIT DE POPULO SEPTUAGINTA VIROS, — primarios, eo quod septem mensibus reliquissent arcam in potestate hostium, nec quid periculi bellici, ait Theodoretus et Procopius, pro ea suscipere voluissent. Hoc incertum est : certiorem causam jam dedi. S. Gregorius, Angelomus et Rabbini dicunt eos fuisse Judices, vel Nobiles; Chaldæus, *senes populi*.

ET QUINQUAGINTA MILLIA PLEBIS. — Ita et Septuaginta et Chaldæa. Sed cur ob tam levem aspectum et culpam, tot millia percussa? Josephus, Hebræi, S. Hieronymus in *Quæst.*, Rupertus, Dionysius, Isidorus, Clarius, Lyranus et Abulensis aiunt septuaginta tantum fuisse percussos : quare hic mendum irrepsisse, ac tollendum τὸ *et quinquaginta millia plebis*, ait Abulensis, vel ita exponendum quasi dicat illos septuaginta viros adeo eximios fuisse, ut æquipararentur quinquaginta millibus plebis, ait Lyranus. Sicut lib. II, cap. XVIII, unus David dicitur esse instar decem millium. Denique ex Hebræo sic vertas : *Et percussit de populo septuaginta viros ex quinquaginta millibus virorum*, qui præsentes erant, ut quod Noster vertit, *et quinquaginta millia plebis*, explices in nominativo, *q. d.* et quinquaginta millia plebis aderant, videbantque hanc septuaginta stragem. Ita Serarius.

Verum quinquaginta millia plebis percussa fuisse a Deo clare indicat nostra versio, æque ac Septuaginta et Chaldæa. Fuit enim plaga hæc magna, ut dicitur vers. 19. Quare mirare et admirare hic judiciorum Dei severitatem, æque ac in clade Sodomæ et diluvii sub Noe. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Eucherius, Angelomus, Rupertus, Dionysius, Mariana, Mendoza et Salianus. Arca enim repræsentabat Deum, ejusque erat thronus et solium.

Mystice S. Gregorius : « Qui sunt, ait, Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti hæretici? dum arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt : qui cum Domini ac Redemp-

(1) Varii scriptores, inter quos eminent Lira, Kennicott, Bullet, Bergier, Guenée, affirmant periisse tantummodo septuaginta viros *ex* quinquaginta millia.

toris nostri sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam sunt depressi erroris. »

Rursum disce hic qua veneratione et cautela sacra vasa tractare debeamus.

Vers. 21. 21. MISERUNTQUE NUNTIOS AD HABITATORES CARIATHIARIM, — sive quia erant viciniores, ad quos proinde citius posset arca transferri : sive quia fortiores, qui proinde arcam a Philistinis, si eam reptere vellent, facilius tuerentur : sive quia nobiliores, apud quos proinde arca majori cultu ac veneratione servaretur. Ita Mendoza.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca Bethsames transfertur in Cariathiarim; anno a translatione vigesimo, Samuel Israelem renovato fœdere plane ab idolis purgat, et uni Deo astringit. Inde ingruentibus Philistinis orans et sacrificans per tonitru eos percellit; unde perculsos cædunt Hebræi, adeo ut toto tempore Samuelis fuerint humiliati. Quare Samuel quiete judicavit Israelem per omnem vitam suam.

1. Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa; Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini. 2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus) et requievit omnis domus Israel post Dominum. 3. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth; et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philistiim. 4. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. 6. Et convenerunt in Masphath : hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath. 7. Et audierunt Philistiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapæ Philistinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistinorum. 8. Dixeruntque ad Samuelem : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. 9. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino; et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. 10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israel : intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. 11. Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philistæos, et percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et inter Sen; et vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque : Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philistæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ sunt urbes quas tulerant Philistiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, et terminos suos : liberavitque Israel de manu Philistinorum, eratque pax inter Israel et Amorrhæum. 15. Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ; 16. et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath, et judicabat Israelem in supradictis locis, 17. Revertebaturque in Ramatha : ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Israelem; ædificavit etiam ibi altare Domino.

Vers. 1. 1. VENERUNT ERGO VIRI CARIATHIARIM, ET REDUXERUNT ARCAM. — Audi Adrichomium, pag. 22 : « Cariathiarim 1, urbs Sylvarum, quæ, et Cariath baal, et Bala, Baala, interdum Baal et Pharasim, et con-

junctim Baalpharasim, Hieronymo etiam Jarim. Est de Jerusalem ad quatuor milliaria, et dimidium contra Occidentem euntibus Diospolim. Hieronymus ait milliario uno. Urbs prius Gabaonitarum, postea tribus Judæ, estque terminus tribus Judæ et Benjamin, sita in colle. In hac mansit arca Domini annis viginti in domo Abinadab, quæ erat in Gabaa, id est in excelso, donec a Davide transferretur Hierosolymam. De hac fuit Zacharias F. Joiada, quem occiderant inter templum et altare. De hac fuit Urias propheta, quem interfecit Joachim rex in Jerusalem. »

IN DOMUM ABINADAB IN GABAA. — « Gabaa, » hæc non erat urbs Gabaa in tribu Benjamin, *Josue* cap. XVIII, ut vult Angelomus, Rupertus, Lyranus et Rabbini; sed erat collis sive locus excelsior in urbe Cariathiarim (in qua sita erat domus Abinadab); ad illam enim arcam translatam patet vers. 1 et 2. Gabaa enim hebraice collem sive locum altum significat; unde Noster et Septuaginta, lib. I *Paralipomen.* XIII, collem vertunt. Ita Josephus, lib. VI *Antiquit.* cap. I, Beda, Dionysius, Cajetanus, Vatablus, Torniellus, Serarius, Salianus et alii. Addit Beda illum collem fuisse arcem totius civitatis : ille ergo locus, utpote celsus, honoratus, munitus, congruebat arcæ, quæ erat quasi arx totius Israelis. Hinc arca erat typus B. Virginis, quæ super omnes cœlos exaltata omnibus se invocantibus patrocinatur.

ELEAZARUM AUTEM FILIUM EJUS SANCTIFICAVERUNT, — id est consecraverunt per Achitob Pontificem in urbe Silo degentem; vel in Levitam, ut vult Abulensis, Theodoretus, Procopius et Cajetanus, vel in Sacerdotem, ut censet Angelomus, Hugo et Dionysius. Erat enim vir justus, ait Josephus : aut sanctificarunt, id est elegerunt, destinarunt, aptarunt, et præfecerunt eum custodiæ arcæ, ita et Chaldæus, Josephus, Abulensis, Clarius, Vatablus.

Vers. 2. Arca quoties et quo translata?

2. ERAT QUIPPE JAM ANNUS VIGESIMUS — translationis et commutationis arcæ in Cariathiarim, et consequenter erat annus vigesimus a morte Heli, et a principatu Samuelis, qui Heli successit. Nam eodem circiter anno quo capta est arca, et reducta, ac a Bethsames translata in Cariathiarim, mortuus est Heli, ac Samuel ei suffectus est : ita Lyranus, Abulensis, Salianus, Mendoza et alii, licet Cajetanus, Genebrardus et Melchior Canus, lib. XI *De Locis,* cap. V, et ex eis Serarius censeant Samuelem post hos viginti annos exactos demum cœpisse judicare Israelem, et concionabundum obire provinciam, ut omnes ab idolis ad Dei cultum traduceret. Unde et S. Hieronymus (vel quisquis est auctor) in *Quæst.* : « A tempore, inquit, quo reprobatum est sacerdotium Heli, usque ad Samuelis ducatum, viginti fuerunt anni miseriarum et servitutis. » Verum Samuelem statim a morte Heli iniisse principatum, patet ex chronologia quam assignavi *Judic.* cap. III et IV. Porro mansit deinceps arca in Cariathiarim usque ad septimum annum regni Davidis, qui illam inde, ut dicitur I *Paral.* cap. XIII, vers. 5, clare et expresse, transtulit in domum Obededom; inde in montem Sion; inde traducta est in templum a Salomone fabricatum. Licet S. Hieronymus, Angelomus et Lyranus arbitrentur arcam e Cariathiarim post annum vigesimum translatam fuisse in Maspha, inde in Galgala, inde in Nobe, inde in Gabaa, inde in domum Obededom; eo quod hisce in locis sacrificatum legamus. Verum hoc non evincit arcam ibidem fuisse. Nam extra locum tabernaculi et arcæ, sæpe ob causas extraordinarias et peculiares sacrificarunt Hebræi. Ita Abulensis. Alias ordinarie sacrificia immolabant non ubi erat arca, sed ubi erat tabernaculum; in eo enim erat altare holocaustorum sacrificiis deputatum. Tabernaculum ergo fuit separatum ab arca, ac a Silo translatum in Nobe, et inde in Gabaa ante tempora Saulis, cum arca esset in Cariathiarim. Unde arca educta fuit a Saule ad prælium cap. XIV, et post prælium reducta.

ET REQUIEVIT OMNIS ISRAEL POST DOMINUM. — Legit Interpres cum Chaldæo *ianuchis*, a נוח *noach*, id est *quiescere*. Jam legunt *iinahu* a נהה *naha*, id est *lamentari*. Unde Vatablus vertit, *et lamentatione quadam post Dominum universa domus Israel anhela fuit*; Abulensis, *et festinavit post Dominum*. Idem est sensus, sed nervosior, *q. d.* Totus populus Israel territus clade Heli et plagis a Deo per arcam illatis, per viginti annos quievit in vero cultu unius Dei, idque hortante et instigante Samuele, ut sequitur; etiamsi nonnulli adhuc non publice, sed privatim colerent Baalim et Astaroth; hæc enim vers. seq. abstulit Samuel, ut simul auferret ab eis jugum Philistinorum, quod a tempore Heli hucusque subierant in cultu idolorum, ut miseriis fatigati ab iis ad Dei veri fidem cultumque redirent. Ita Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Salianus, Torniellus, Mendoza et alii. Audi Josephum, lib. VI *Antiq.* cap. II : « Cum populus toto hoc vicennio votis et sacrificiis operam daret, magnamque religionis et cultus divini curam præ se ferret; Samuel animadversa eorum promptitudine, putans se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, et bona quæ illam consequantur, orationem et tempori accommodans, et negotio, verba in hanc ferme sententiam ad eos fecit. »

Contrarium tamen censent Hebræi apud S. Hieronymum, scilicet hos viginti annos fuisse idololatriæ, miseriæ et servitutis, qua Hebræi ob idola oppressi fuerunt a Philistinis : sic et Abulensis et Serarius.

Tropologice, disce hic in orbe universo non esse veram quietem nisi in Deo Deique amore et cultu. Hic enim pariet quietem conscientiæ, quietem cum proximis, quietem cum hostibus, quietem a tentationibus. Audi Dionysium Carthusianum : « Conquiescere studeamus in Deo; ipse est enim finis noster, ad quem semper respicere et adspirare debemus; in quo solo vera et salutaris quies consistit, et in ipso per fidem, sapientiam

et virtutes defigimur. Optimum est enim gratia stabilire cor.» *Hebr.* cap. XIII, vers. 9 : « Impii autem in circuitu ambulant.» *Psalm.* XI, vers. 9 : « Quoniam rebus vanis, caducis et variabilibus, magis quam summo et incommutabili bono inhærent. Et hæc ipsa inhæsio tam inordinata peccatum est, et agitatio mentis. Nam sicut virtutes mentem in Deo stabiliunt et quietant, sic passiones et vitia inquietam et nutantem et gyrovagam reddunt.»

Vers. 3. 3. PRÆPARATE CORDA VESTRA DOMINO. — Audi S. Gregorium : « Cor Domino præparat qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat; sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat, ut velut abjectis et comminutis idolis, se Dei templum efficiat; dum illic divinæ gratiæ sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere per prava desideria non permisit.»

Et Theodoretum in *Psalm.* IX, vers. 1 : « Proprium, inquit, est perfectorum hominum totum cor Deo dedicare et omnem mentem ipsi consecrare. Qui enim partitur cogitationes in mammonam et Deum, in Christum et in aurum, in præsentem vitam et in futuram, non potest vere dicere : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.»

Vers. 5. 5. CONGREGATE UNIVERSUM ISRAEL IN MASPHATH, UT OREM PRO VOBIS DOMINUM. — Erat enim Maspha locus editus, regni sedes, utpote in quo Samuel judicabat, id est jus dicebat, ideoque conventu hominum celebris, ac proinde comitiis, concioni et orationi aptus. Unde *Maspha* hebraice idem est quod *specula*, qualis solet esse in monte vel turri. Hic ergo Samuel renovat et instaurat fœdus populi cum Deo.

Vers. 6. 6. HAUSERUNT AQUAM ET EFFUDERUNT IN CONSPECTU DOMINI, — in signum pœnitentiæ qua perfecte idololatriæ et peccatis renuntiabant, *q. d.* Sicut aquam hanc, sic et cor nostrum, omniaque ejus vitia effundimus coram Domino, profitentes nos ea detestari, pœnitere et aquam hanc vice lacrymarum fundere. Unde Chaldæus, *effuderunt cor suum in pœnitentia*; Rabbini, *hauserunt lacrymas e puteo cordis sui*. « Quid est, ait S. Gregorius, aquam haurire nisi de profunda animi pœnitentis confusione, lacrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus, dum quam profunda iniquitate cecidimus, considerantes plangimus.» Aquam ergo pro lacrymis effundebant, *q. d.* Optaremus pro peccatis tot lacrymas fundere, quot sunt guttæ in situla; sed quia id facere nequimus, nec lacrymas in manu habemus, hinc pro eis aquam effundimus.

Sic et Abulensis, Cajetanus, Vatablus, Sanchez et alii, qui sic exponunt, *q. d.* Sumus coram te quasi aqua effusa. Fuit ergo hæc aquæ effusio, signum candidæ et sinceræ contritionis, *q. d.* Nos terram totam nostris sceleribus maculavimus; optamus ergo illam hac aqua abluere, significantes nos optare tantam vim lacrymarum e corde contrito profundere, quæ toti terræ humectandæ et purgandæ sufficiat. Sic David ait *Psalm.* VI, 7 : « Lavabo (Hebraice שחה *asche*, id est *natare faciam*) per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo.» Aquæ effusio quid notat?

Rursum aquæ hujus effusione significat se optare, ut peccata ipsorum plane deleantur et pereant, sicut perit aqua effusa, ita ut ne gutta quidem culpæ vel pœnæ in iis remaneat.

Perperam ergo Rabbini nonnulli censent Hebræos aquam hanc libasse, id est sacrificasse Deo. Alii, hanc aquam fuisse certis execrationibus maledictam, ut ea hausta labia idololatrarum sibi adhærescerent, nec divelli possent, indeque Samuelem agnovisse idololatras, eosque morte punivisse : ut hæc aqua fuerit similis aquæ Zelotypiæ, *Num.* V. Alii censent Hebræos aqua hac abluisse cinerem capiti inspersum in signum luctus et pœnitentiæ.

ET JEJUNAVERUNT. — Ecce hic tres actus pœnitentiæ, scilicet *contritio* significata in effusione aquæ; *confessio*, cum dicunt : « Peccavimus Domino; » *satisfactio*, cum jejunant. Hoc enim jejunium non erat *Onasin*, id est coactionum, sive a lege præceptum, sed *Conasin*, id est voluntarium et sponte a pœnitentibus susceptum. Nam ut ait S. Gregorius : « Dum mens flendo compungitur, necesse est etiam ut caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur.» Audi S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovin.* : « Congregatum, ait, Samuel populum in Masphath indicto jejunio roboravit, et fecit hostibus fortiorem.» Et S. Leo, serm. 1 *De Quadragesima*, ubi agens de Hebræis hoc loco jejunantibus : « Ut superare, ait, hostes suos possent, vires animi et corporis indicto sibi reparavere jejunio.» Et post pauca : « Abstinentes ergo a cibo et potu, severæ sibi castigationis adhibuere censuram, et ut hostes suos vincerent, gulæ illecebram in seipsis ante vicerunt.» Jejunii commoda.

Et Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. VII : « In aquatione apud Maspham, ait, congregatus a Samuele populus ita statim jejunio delictum delevit, ut periculum prælii simul fugerit,» imo victoriam obtinuerit. Nam ut subdit Tertullianus : « Cecidcrunt pastos impasti, armatos inermes : hæ erant vires jejunantium Deo, cœlum pro hujusmodi militat : habes formam prælii etiam spiritualibus bellis necessariam.» Audi rursum S. Leonem, serm. *De Jejunio decimi mensis* : « Jejunia, ait, nos contra peccata faciunt fortiores, concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.»

Porro S. Athanasius, lib. *De Virgin.* : « Vide, inquit, quid faciat jejunium : morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorem reddit, et cor purgatius, et corpus salubrius, et ad thronum Dei hominem sistit.»

Denique S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. III : « Quid est, inquit, jejunium, nisi sub-

stantia et imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis est. Jejunium vita est Angelorum : jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. »

PECCAVIMUS DOMINO. — Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Pœnit.* cap. VIII : « Novit, ait, omnia Dominus; sed exspectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat : non vult ut insultet tibi diabolus, et celantem te peccata tua arguat. Præveni accusatorem tuum; si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis : si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces. »

Idem, lib. II *De Abel.* cap. IX : « Confessio, ait, pœnarum compendium est. » Idem in *Psal.* XXXV : « Justus, inquit, novit quemadmodum peccatorum suorum vincula dissolvat, nec exspectat accusatorem, sed prævenit, ut confitendo suum allevet omne delictum, nec habeat quod adversarius criminetur. Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorum confessione constringit. »

JUDICAVIT SAMUEL FILIOS ISRAEL IN MASPHATH. — « Judicavit, » id est judicandi potestatem exercuit, lites juridice definiendo, dissolutos arguendo, reos puniendo, dissidia componendo, dubia resolvendo, etc. Unde Hebræi apud S. Hieronymum, *judicavit*, inquiunt, id est *idololatras morte punivit.*

Quatuor urbes nominatæ Masphath.

Porro urbes dictæ Masphath, fuere quatuor. *Prima* in tribu Gad, *Josue* XIII, 26; *secunda* in dimidia tribu Manasse ad radices Hermon, quæ fuit patria Jephte, *Judic.* XI; *tertia* trans Jordanem in terra Moab, de qua I *Reg.* XXII, 3; *quarta* hæc nostra in confinio tribus Juda et Benjamin, in qua erat orationis locus, ideoque ad eam crebro conveniebant Hebræi. Alibi *Maspha* vel *Masphe* vocatur. Hanc postea ædificiis munivit Asa rex Juda, et in ea habitavit Godolias, IV *Reg.* XXV. Et Jeremias propheta, cap. XL, vers. 41. Nota : arca non erat in Masphath, uti nonnulli conjiciunt ex hisce Samuelis comitiis ibidem peractis, sed in Cariathiarim, uti ostendi initio capitis.

Mystice S. Gregorius : « In Maspha, ait, sacerdos judicat, cum non humanum arbitrium sequitur, sed divinum, » etc. Et anterius : « Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus ei decernitur afflictionis. »

Vers. 7. 7. ASCENDERUNT SATRAPÆ PHILISTINORUM AD ISRAEL, — id est *contra* Israel, nimirum cum valido exercitu ad eum profligandum, et comitia dissipandum; quia suspicabantur Hebræos sibi velle rebellare, et jugum excutere, uti revera per Samuelem excusserunt. Ita Dionysius et Cajetanus.

Tropologice S. Gregorius : « Ablatis, ait, diis alienis, peracto jejunio, exhibita a prædicatore censura examinis, ad Israel Philistinorum principes ascendunt; quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. » Quocirca S. Bernardus, in serm. *De Conver. ad Clericos*, cap. XVIII : « Quotidianis, inquit, discimus experimentis eos qui converti ad Deum deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis; et urgeri gravius in operibus luti, et laterum, qui Ægypto egredi, et Pharaonis imperium effugere moliuntur. »

Vers. 9. 9. TULIT AUTEM SAMUEL AGNUM LACTENTEM, ET OBTULIT ILLUM IN HOLOCAUSTUM INTEGRUM DOMINO. — Hinc patet Samuelem, licet ex stirpe duntaxat esset Levita, ex Dei tamen dispensatione extraordinarium fuisse sacerdotem, non tamen summum Pontificem, licet id velit Serarius. Vide dicta cap. II, vers. 35. Eodem modo dispensavit cum Samuele Deus, ut extra tabernaculum et altare holocaustorum sacrificaret in Maspha.

Sed cur dicitur hoc « holocaustum integrum? » Respondeo : « integrum, » id est indissectum : solebat enim victima in partes dissecari, itaque in altari comburi : hoc vero ob ingruentes hostes Philistinos dissecari non potuit, sed integrum fuit aræ impositum. Alioqui in omni holocausto tota et integra hostia debebat Deo comburi. Ita Salianus.

Vers. 10. 10. FACTUM EST AUTEM, CUM SAMUEL OFFERRET HOLOCAUSTUM, PHILISTIIM (et principes Tyriorum, uti addit *Eccles.* cap. XLVI, vers. 21) INIERE PRÆLIUM CONTRA ISRAEL : INTONUIT AUTEM DOMINUS FRAGORE MAGNO IN DIE ILLA SUPER PHILISTIIM, ET EXTERRUIT EOS; — « cum adhuc agni victima arderet, inquit Josephus, perterruit Dominus hostes fulmine, tonitru et terræ motu. » Sic Deus per fulmina contrivit exercitum Pharaonis in mari Rubro, ut dixi *Exodi* XIV; et Chananæos per Josue, cap. XVIII, vers. 11, et Barbaros, per legionem Fulminatricem sub Antonino Imperatore, teste Eusebio, libro V *Histor.* V, et Eugenium tyrannum per Theodosium Imperatorem, de quo audi Orosium, lib. VII *Histor.* cap. XXXV : « Dominum Christum solus solum corpore humi fusus, mente cœlo fixus orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, et testes propemodum, quas in pretium præsidii cœlestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit. » Hinc felix pugnæ successus. « Continuo, inquit, magnus ille et ineffabilis turbo ventorum, in ora hostium ruit; ferebantur per aerem spicula missa nostrorum, atque ultra mensuram humani jactus, manu in aere portata nusquam propemodum cadere, priusquam impingerent, sinebantur. Tela etiam quæ hostes vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinata ac retrorsum coacta, infeliciter configebant. »

Tropologice S. Gregorius : « Tonitrua nubium, ait, sunt ferventia electorum desideria, quibus suggestiones maligni spiritus expellunt. Imperfecta enim Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt. Fragor magnus ergo tonitrui perfectum est uniuscujusque desiderium electi.

Cum igitur fragore magno super Philistæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cæduntur, quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne quod adversæ parti militat, a se penitus abscindit. Bene quoque prius territi Philistæi, deinde a filiis Israel cædi memorantur : nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere; et quia opere devotio prior est, terreri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philistæos intonare, et exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cædere perhibentur; quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. »

Vers. 11. 11. PERCUSSERUNT EOS USQUE AD LOCUM QUI ERAT SUBTER BETHCHAR. — *Bethchar* erat vicus ita dictus a copia agnorum. *Car* enim agnum significat : nisi dicas ab agno a Samuele hic immolato locum ita nominatum; agnus enim hic fuit causa victoriæ.

Porro *Bethchar* erat in tribu Juda, vicinus Bethsames, ait S. Hieronymus in *Abenezer*, nec longe ab Aphese, et Lapide adjutorii.

Mystice S. Gregorius *Bethchar*, id est domus agni, notat vitam et conversationem Christi, ad quam omnes contendere debemus, etiamsi ad illam pertingere non possimus : « Quia, inquit, per indesinentem conatum certaminis, contendere debemus ad arcam perfectionis, ubi jam tanto fimus hostibus nostris terribiliores, quanto redemptori nostro viciniores. »

Vers. 12. 12. LAPIS ADJUTORII. — S. Cyprianus, lib. II *Testimon.*, vertit « lapis auxiliator. » Hic lapis fuit perenne monumentum victoriæ Hebræis per preces Samuelis a Deo concessæ. Sic locus cœlestis victoriæ a Deo Carolo Magno datæ appellatus fuit « Mons adjutorii, » teste Crantzio, lib. II *Saxoniæ* cap. IV.

Vers. 14. 14. ERATQUE PAX INTER ISRAEL ET AMORRHÆUM, — hoc est inter Judæos et Philistinos; hi enim vocantur hic Amorrhæi, quia ipsi occupaverant ista loca Amorrhæorum; unde censebantur Amorrhæi, hoc est esse e septem gentibus incolentibus terram Judæis a Deo promissam.

Vers. 15. 15. JUDICABAT QUOQUE ISRAELEM CUNCTIS DIEBUS VITÆ SUÆ.

Vers. 16. 16. ET IBAT PER SINGULOS ANNOS CIRCUIENS BETHEL (1) ET GALGALA ET MASPHATH. — Ideam hic perfecti Judicis et Principis exhibet Samuel circumeundo urbes Israelis, totumque se subditorum commodis impendendo, nec ulli labori parcendo, sed continue judicando, id est lites decidendo, dissidia componendo, pacem et concordiam inter omnes redintegrando firmandoque, regendo, jubendo, castigando malos, bonos præmiando toto tempore vitæ suæ, ita tamen ut in senio filii eum adjuvarent, ac tandem ipse Saul cum a Samuele rex creatus est. Nam quamdiu Saul fuit probus et Deo obediens, Samuelem quasi in principatu socium, imo prophetam coluit, ut patet cap. XI, vers. 7. Improbus vero et inobediens effectus, permisit tamen Samuelem in sua urbe Ramatha degere, et omnium qui ad eum recurrerent, ibidem lites dirimere. Hinc patet Samuelem tempore Saulis regis judicariam potestatem retinuisse, ac cum Saule judicasse populum, usque ad finem vitæ. Porro Samuel et Saul simul præfuerunt populo per annos 40, *Actor.* XIII. Quos annos varii varie distribuunt. Noster Salianus censet Samuelem solum judicasse populum per annos 23, deinde anno 24 regem creasse Saulem, ac cum eo perrexisse judicare per annos sedecim, tumque vita functum : ita ut Saul post mortem Samuelis solus regnarit annos duntaxat duos, de quo rursum inferius agendum. Denique quomodo Princeps recte Rempublicam judicare et gubernare debeat, paucis, sed nervosis indicat Politicus : « Curet, inquit, ut in foro sit fides, in civitate justitia, æquitas in judiciis, auctoritas in magistratibus, in senatu majestas, et in judiciis gravitas. Discordiam a curia summoveat, omnibus recte faciendi, aut incutiat voluntatem, aut imponat necessitatem. Dominium a latrociniorum metu servet immune; fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna munificentia vindicet. Honor dignis paratissimus sit. »

Tropologice S. Gregorius : « Qui sunt, inquit, dies uniuscujusque Doctoris, nisi virtutum spiritualium claritates. Omnibus namque diebus vitæ suæ Israelem judicat, qui lucem justitiæ quam loquendo asserit, ad subditorum, fidelium exemplum perfectione repræsentat bonæ conversationis. Qui autem virtutum spiritualium lucem non habet, quia ad docendum assumit bona conversationis extraneæ, diebus profecto judicat vitæ alienæ. »

Denique Samuelem imitentur Principes et Prælati, ut provincias obeant et visitent. Unde Concilium Tridentinum, *sess.* XXIV, cap. III *De reformat.*, ita sancit : « Patriarchæ, Primates, Metropolitani et Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem; si quotannis totam, propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur; visitare non prætermittant. »

Sic Josaphat rex obibat urbes Juda, omnes adhortantes ad pietatem, et ubique incorruptos Judices constituens, maxime vero in Jerusalem : « Dicebat enim, inquit Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. I, rectum judicium constitutum esse debere in ea civitate, in qua et templum Dei, et habitacu-

(1) Aliqui interpretes censent *Bethel* hic esse æque ac *domum Dei*, id est Cariathiarim, ubi arca tunc stabat.

lum erat regis.» Sic Paulus cum Barnaba visitabat Ecclesias, *Actor.* cap. XIII, vers. 36.

Vers. 17. 17. ÆDIFICAVIT ETIAM IBI (in Ramatha ubi habitabat) ALTARE DOMINO, — ut in eo crebro sacrificaret, Deumque toti Israeli placaret. Licet enim Samuel non ex stirpe, sed ex Dei dispensatione extraordinarius esset sacerdos, tamen potestas hæc sacerdotii fuit in eo, non ad unum alterumve duntaxat sacrificandi actum, sed constans, stabilis et perpetua per omnem vitam, ut, quoties vellet et ubi liberet, sacrificaret: unde a multis Patribus Samuel vocatur sacerdos, ut dixi cap. II, vers. 35.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi a Samuele sene ob filiorum ejus improbitatem postulant regem. Hæc postulatio displicuit Deo, et Samueli; unde Samuel jura et onera regalia jussu Dei eis enarrat, et prænuntiat, vers. 11. *Sed Hebræis in postulatione regis persistentibus, vers.* 19, *jubet Deus ut eis acquiescat regemque constituat.*

1. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel. 2. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel, et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee. 3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus; sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 4. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis; constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. 6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis qui regnaturus est super eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, 11. et ait: Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, 12. et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum. 13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. 14. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. 15. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. 16. Servos etiam vestros et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. 17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. 18. Et clamabitis in die illa, a facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. 19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam; rex enim erit super nos, 20. et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. 21. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. 22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM CUM SENUISSET SAMUEL, POSUIT FILIOS SUOS JUDICES ISRAEL. — Hebræi tradunt Samuelem fuisse 52 annorum, tumque mortuum; sed errant. Erat enim senex, et post hæc multos adhuc annos vixit cum Saule. Quare melius Abulensis, Salianus et alii censent Samuelem fuisse hoc tempore, circiter 60 annorum, ac post hæc primum regem Saulem creasse, cum eoque adhuc sedecim annis vixisse, et Israelem judicasse, ac defunctum esse anno ætatis 77, atque eo vita

functo, Saulem solum regnasse per biennium duntaxat.

POSUIT SUOS FILIOS JUDICES, — quasi vicarios suos, ait Abulensis, ita tamen ut ipse Samuel summus esset judex, et princeps populi, ac præcipua per se definiret, cætera filiis definienda committeret. Constituit autem Judices filios suos non ex carnali affectu, sed quia eos optime erudierat, et præ cæteris dignos judicabat, ait Dionysius, et forte initio tales erant, sed postea dignitate nova superbientes et muneribus corrupti, pravi evaserunt. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Audi nunc S. Gregorium : « Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, quos Judices Israeli ponebat, non cognovit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam non accipiunt; si ii qui prophetiæ spiritum habent, eumdem spiritum ad disponenda cuncta non habent? »

Vers. 2. 2. JUDICUM IN BERSABEE. — Erat hic terminus australis Judææ, quem filiis suis regendum tradidit Samuel; partem vero septentrionalem gubernandam sibi reservavit; ita Abulensis. Perperam ergo Josephus addit filios Samuelis judicasse tam in Bethel, quam in Bersabee.

Vers. 3. 3. ACCEPERUNT (filii Samuelis) MUNERA, ET PERVERTERUNT JUDICIUM. — Munera enim excæcant oculos etiam sapientum, uti alibi sæpe ostendi.

Filii sæpe degeneres. Vide hic quam filii Samuelis a patris probitate degenerarunt, æque ac filii Heli, nimirum : « Heroum filii noxæ. » Sed cur Deus propter filios impios non punivit Samuelem, sicut punivit Heli? Respondent Theodoretus et Procopius, scelera filiorum Samuelis fuisse minora et Samueli incognita; occulte enim accipiebant munera, idque modico tempore. Nam populus id advertens illico a Samuele pro iis petiit regem.

Moraliter, disce his non esse gloriandum in filiis, quia hi sæpe sunt degeneres. Sic enim Abraham genuit Ismaelem; Isaac, Esau; Moses, Gersam; Heli, Ophni et Phinees; Samuel, Joel et Abia impios; David, Absalonem; Salomon, Roboam; Ezechias, Manassem; Josias, Joachim; nam dignitas imperandi fuit eis occasio delinquendi : « Steterunt subditi, ait S. Gregorius, sed in culmine prælationis positi, prophetæ filii ceciderunt, » nimirum, sicut fumus in altum ascendit, ibique evanescit, sic et homo. Audi S. Basilium, hom. 7 *in divites avaros* : « Velut flumina, inquit, ex parvis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento quidquid objicitur, secum trahunt; sic et ii qui in magnam provehuntur potestatem, eo quod jam aliquos oppresserunt, ad majora continuo facinora, majoresque injurias progrediuntur. Potentiæ incrementum fit eis sceleris occasio majoris. »

Vers. 5. 5. CONSTITUE NOBIS REGEM, UT JUDICET NOS, SICUT ET UNIVERSÆ HABENT NATIONES. — Causa ergo stimulans Hebræos ad petendum regem, *prima* fuit senectus Samuelis, et iniquitas filiorum ejus; *secunda*, ut regni regumque splendorem haberent, quem videbant apud vicinas gentes; *tertia*, quia sperabant se a rege melius defensum iri contra Philistæos, ait Josephus; *quarta*, quia metuebant regem Ammonitarum, qui contra Israel grave parabat bellum, ut patet cap. XII, vers. 12.

Vers. 6. 6. DISPLICUIT SERMO IN OCULIS SAMUELIS, — tum quia displicebat ei filiorum improbitas quam audiebat, et hucusque ignorarat : ita Lyranus et Abulensis; tum quia justitiam et aristocratiam diligebat, ait Josephus. Licet enim monarchia sive regnum sit regimen optimum, teste Aristotele in *Polit.*, illudque Deus concesserit Hebræis, *Deut.* cap. XVII, imo fore prædixit *Genes.* cap. XVII, vers. 49, peccaverunt tamen Hebræi hic regem petendo. *Primo*, quia petunt eum inconsulto, imo invito Deo. Deus enim instituerat Judicum aristocratiam; hanc ergo ipsi in monarchiam mutare non debebant, nisi volente, et mutante Deo. Quare Deus novitatem hanc (studiumque novandi regiminis) habuit exosam, ait S. Gregorius. Peccarunt ergo, quia magistratum Judicum a Deo institutum repudiarunt, aliumque regem postularunt, cum potius debuissent petere a Samuele ut filios suos corrigeret, aut eorum loco alios æquos Judices Israelis præficeret.

Secundo, quia volebat Deus esse proprius rex et immediatus Dominus Hebræorum, qui eos partim per se, partim per Judices a se excitatos gubernaret; unde ægre tulit quod pro se alium regem peterent quasi Deum suo Israelis regno spoliare vellent; ipse enim dixerat *Exodi* cap. XIX, vers. 5 : « Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus; » et mox : « Eritis mihi in regnum sacerdotale; » unde Josephus, lib. II *Contra Appionem*, significanter ait Deum in Israele non tam *Monarchiam* quam Θεοκρατίαν, id est *Deiarchiam*, instituisse. Videbantur ergo Hebræi petitione hac regem suum abjicere; unde Deus indignans ait Samueli vers. 7 : « Non enim te abjecerunt, sed me ne regnem super eos. » Ita Theodoretus, Procopius, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus et alii. Unde David : « Lætetur, inquit, Israel in eo qui fecit eum, et filiæ Sion exsultent in rege suo, *Psalm.* CXLIX, vers. 2, ubi Theodoretus : « Omnium quidem Deus, universitatis est Deus; proprie autem Israelitarum rex nuncupabatur, cum primum igitur ingrati animi morbo laborarunt, alium regem ut esset eis petierunt. »

Hebræi perperam petunt regem. Cur?

Tertio, quia hac petitione abjiciebant Samuelem suum judicem, quasi is principatu indignus esset, nec posset aut vellet pro filiis improbis alios Judices probos surrogare : quæ insignis erat injuria et ingratitudo in prophetam tam bene de eis meritum, utpote qui totam vitam ipsorum commodis impenderat.

Quarto, quod peterent regem talem qualem habebant Gentiles, puta Persæ, Ægyptii, Medi, Chaldæi, qui, ut ait Aristoteles, lib. III *Polit.*, potes-

tatem regiam tyrannidi proximam obtinebant, ideoque eorum regnum vocat *barbaricum*, et παραβασίλειαν. Duplex enim, ait Serarius, est regia potestas : « Una finita certisque legum et conventorum vinculis astricta; altera vero absoluta et quodammodo infinita, ubi pro arbitrio pene suo quidlibet reges faciunt in subditos, et leges ipsas; sic volo, sic jubeo, etc. Est deinde magna satellitii copia, rerum omnium luxuria, successio continua, tributorum impositio, » etc. Et hanc apud Asiaticos istos populos maxime viguisse docet ibidem Aristoteles, de qua Christus, *Luc.* XXII; *Matth.* XX; *Marc.* X : « Reges gentium dominantur, » etc.

Denique reges, excluso Dei cultu, in Israelem invexerunt cultum idolorum, uti fecit Salomon, Manasses, Jeroboam cæterique reges Israel. Unde S. Gregorius : « Illi quidem, inquit, contra Domini voluntatem regem petierunt; sed a regia dignitate postea actum est, ut populus qui Deum abjecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quam reverenda ergo sint majorum consilia cernimus, si hoc sollicite consideramus! quia qui ea despicere ausi sunt, hoc se non providerunt agere; unde tam profundo erroris pelago demergi potuissent. »

Quocirca ipsimet Hebræi hoc agnoscentes postea dixerunt, cap. XII, 19 : « Addidimus universis peccatis nostris, ut peteremus nobis regem. »

Vers. 7. 7. NON TE ABJECERUNT, SED ME NE REGNEM SUPER EOS, — sicut hactenus regnavi, ita particulatim, sollicite et exacte eos regens, eorumque curam gerens, ac si proprius et immediatus fuissem eorum rex. Cur ergo alium regem quasi meliorem me postulant?

Moraliter, disce hic quod qui Prælatum spernit, Deum spernit, et qui illum honorat, Deum honorat. Audi S. Ignatium, epist. 6 *ad Magnes.* : « Decet, inquit, et vos obedire Episcopo, et in nullo illi refragari. Terribile namque est tali contradicere. Nec enim hunc fallit, qui videtur; sed invisibilem fallere nititur, qui non potest a quoquam falli. Nam, si id fit, non ad hominem, sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Dominus : Non te spreverunt, sed me. »

Et S. Cyprianus, *epistola* 18 : « Quomodo, inquit, possunt censuram Dei ultoris evadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et sacerdotibus, quibus honos tantus de Dei dignitate conceditur, ut in ipsis contemptis, Deus ipse contemptus censeatur, » juxta hunc locum : « Non te abjecerunt, sed me. » Porro S. Cyrillus Alexandrinus, lib. X *in Joan.* cap. XXX : « Apostolorum, inquit, vexatio in eum ascendit qui illos in Apostolatus apicem evexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus : Non te, inquit, sed me contempserunt. Periculosum igitur nimium est convenientem honorem sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat, a quo missi sunt. » Præclare Salvianus, lib. VIII *De Providentia* : « Sacrilegii, inquit, genus est Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quispiam cædat, in nos servorum cedit injuria; et si a quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii, pietas paterna torquetur : ita et cum servus Dei a quocumque læditur, Majestas divina violatur : dicente idipsum ad Apostolos suos Domino : Qui vos spernit, me spernit. »

Allegorice Angelomus : Sicut Judæi hic abjecerunt Samuelem Judicem, sic postea abjecerunt Christum Samuelis antitypum, regem et Messiam suum, clamantes coram Pilato : « Non habemus regem nisi Cæsarem. »

9. PRÆDIC EIS JUS REGIS. — Deus ut dissuadeat et deterreat Hebræos a sua postulatione regis, recenset onera gravia quæ sub eo subituri sunt. Audi S. Gregorium : « Jura hominum proponuntur contemnentibus jura Dei : et his qui mitia et salubria Divinitatis consilia spreverunt, dura et importabilia humanæ servitutis onera prædicuntur : ut ex his secum rationem facerent, quam intolerabilia essent imperia hominis eis, qui non tam imperantis, quam monentis Dei consiliis obedire noluissent. » Vers. 9.

11. HOC ERIT JUS REGIS, etc., FILIOS VESTROS TOLLET, etc. Vers. 11.

Quæres, an jus hoc æquum et justum sit, an vero inique et quasi tyrannice a regibus usurpatum : *Primo* S. Gregorius, lib. IV, cap. II, et S. Thomas, lib. III *De Regim. Princip.* cap. XI, et lib. II, cap. IX, censent hoc jus esse justum non absolute, sed respectu hominum, adeo ad mala proclivium ut non tam politice, quam despotice et tyrannice eos regi justum sit; ut hoc regimen sit jugum eorum, frenum, ac cupiditatis pœna et castigatio.

Secundo, alii plures melius censent jus hoc non esse justum, sed inique a regibus usurpatum. Iniquum enim est ut rex filios subditorum, et filios a parentibus ad libitum abripiat, eosque sua faciat mancipia, ut eorum vineas, agros et oliveta optima auferat, illaque det servis suis : ut servos, ancillas, asinos et juvenes optimos heris adimat, eosque operi suo admoveat. Unde culpantur et morte puniuntur Achab et Jezabel, quod vineam Naboth usurparint, lib. III *Regum*, cap. XXI, vers. 19. Quare Deus hoc jus non sancit nec approbat, sed tantum prædicit : ejusque acerbitatem proponit graphiceque coram oculis Hebræorum depingit, ut eos a petitione regis avellat. Describit ergo jus regale, non quale est apud fideles, sed quale est apud Ethnicos, verbi gratia Chaldæos, Turcas, Tartaros, ubi reges subditis utuntur quasi servis et mancipiis. Hoc enim jus sibi ipsi usurpant. Audi S. Augustinum, lib. IV *De Civitate*, cap. IV : « Remota, inquit, justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia, quia ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna? » Scitum est illud : « Regum est dimidium totius, tyrannorum vero totum auferre, » quia ignorant illud Platonis, libro III *De Legibus* : « Dimidium plus toto. » Et illud : « Ut serves totum, dimidium, Jus regis iniquum.

sive dividuum facito. » Hebraice enim משפט *mispat,* id est judicium sive jus, significat non jus proprium, sed usurpatum, puta morem et consuetudinem, licet iniquam, ut patet *Num.* IX, 14, et cap. XXIX, 6, et *Exodi* XXI, 9, et alibi. Denique nonnullos reges Israel hac regia potestate usos vel potius abusos esse, patet ex magnificentia curruum, equorum et mensæ Salomonis; unde de tributis ab eo impositis, questus apud Roboam ejus filium populus pejus ab eo acceptus est, ideoque fecit schisma, III *Reg.* XII.

Porro verum æquumque jus regis fidelibus imperaturi describit Deus per Samuelem inferius cap. X, 25, et per Moysen, *Deut.* XVII, ubi sancit quid rex Deo, quid populo, quid sibi ipsi præstare debeat. Vide S. Thomam, Bellarminum, Lipsium, Scribanium et alios qui de principe Christiano scripserunt.

Unde Clemens Alexandrinus : « Deus, ait, petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed insolentem se daturum minatur tyrannum, libidini et voluptatibus deditum. » Ita Clemens, pag. 261. Sic et Abulensis, Cajetanus, Serarius, Mendoza, Salianus et alii. Quin et Philosophi idem censent; unde Xenophon in *Memorabil. Socratis,* lib. III : « Rex, inquit, eligitur non ut se molliter curet, sed ut per ipsum ii qui elegerunt bene beateque agant. » Seneca Philosophus, libro I *De Clement.* cap. XVIII, docet « non civium servitutem regi traditam, sed tutelam. » Et cap. XIX, addit : « Rempublicam non esse principis, sed principem esse Reipublicæ. » Hinc Homerus regem appellavit « Pastorem populorum. » Et Claudianus *ad suum Honorium* :

> Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
> Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Denique Romani non ferentes Tarquinii Superbi insolens regnum, reges urbe expulerunt. Audi S. Augustinum, lib. V *De Civit. Dei,* cap. XII : « Romani, inquit, regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque Imperatores sibi fecerunt : qui consules appellati sunt a consulendo, non reges, aut domini, a regnando atque dominando. » Et paulo post : « Fastus, inquit, regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis; sed superbia dominantis. »

Vers. 13. 13. FILIAS QUOQUE VESTRAS FACIET SIBI UNGUENTARIAS (unguentorum, id est, odorum et pigmentorum confectrices) ET FOCARIAS (id est, *coquas,* ait Chaldæus, quæ circa focum versantur. Vatablus, *cupedinarias,* feminæ enim præ viris norunt ad delicias coquere) ET PANIFICAS, id est, ut Chaldæus, *pistrices,* quæ panem delicatum pinsent.

Præclare Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagogi,* cap. VIII : « Oportet, inquit, viros imprimis apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta. » Ita ille. Et S. Hieronymus, lib. II *Adversus Jovinian.* : « Odores, inquit, et diversa thymiamata et amomum, et muscus et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniant, nemo, nisi dissolutus negat. » Suffragatur D. Ambrosius, lib. *De Helia et Jejunio,* cap. X : « Unguento, inquit, se ungunt, qui corpori odoris gratiam quærunt, sed et illa unguenta libidinis illecebras movere consueverunt. » Nervosius S. Chrysostomus, concione 1 *De Lazaro* : « Te, inquit, non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem atque immundum. Cum enim diabolus aggressus deliciis eviraverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum in corpore suæ corruptionis lectum oblinit unguentis. » Denique Diogenes Cynicus : « Cave, ait, ne capitis odor sit vitæ fœtor. » Porro de focariis et panificis ita disserit Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædagog.* cap. VII : « Quin etiam facilem et parabilem cibum, nempe panem effeminant; quod frumenti est nutriens, excribrantes : ut quod est alimenti necessarium, sit probrum voluptatis. » Et paucis interjectis : « Nullum, inquit, habet terminum delicata ingluvies. In liba enim et placentas et bellaria provecta est : merendarum et cœnæ appendicum multitudinem inveniens. At mihi quidem videtur homo qui est hujusmodi, nihil esse aliud, quam bucca et maxilla. »

Vers. 15. 14. EUNUCHIS. — Audi de his S. Basilium, *epist.* 87 : « Ignominiosum, inquit, illud, ac modis omnibus perniciosum eunuchorum genus, nec femineum, nec masculinum, insaniens in mulieres, invidiosum, vilis pretii, animo feroci effeminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, et quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnandum. » Et paulo post fictam eorum continentiam, et apertam lasciviam exprimens : « Ibi, inquit, frustra quidem casti manent per ferrum; insaniunt vero absque fructu propter suam turpitudinem. » Hinc illud Claudiani in *Eutropium Eunuchum et Consulem* :

> Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.

Et :

> Tu telas, non tela pati potes.

Et :

> Eunuchi quis sceptra ferat?

Vers. 19. 19. NOLUIT AUTEM POPULUS AUDIRE VOCEM SAMUELIS. — Novum est hic populi peccatum contumaciæ; cujus proinde postea pœnas luit, ait S. Gregorius : « Magna, inquit, temeritas exstitit, contra Dei voluntatem, regem petere; magnæ duritiæ consiliis Prophetæ vinci non posse. » Et paulo post loquens de hac iterata regis petitione : « In eo, inquit, mali propositi consummatio est et inconvertibilitas voluntatis. »

Vers. 21. 21. LOCUTUS EST EA IN AURIBUS DOMINI. — Audi

S. Gregorium : « In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus : sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo conjuncti sunt, et in auribus loquuntur : quia divinæ propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposcunt, quanto apud ejus misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. »

Vers. 22. 22. AUDI VOCEM EORUM, ET CONSTITUE SUPER EOS REGEM. — Sed non talem qualem ipsi petunt, qualemque eis depinxisti, sed qualem ego descripsi *Deuter.* IX, qui scilicet fidelibus subditis politice imperet, non despotice : quique non suis, sed Reipublicæ commodis studeat. Deus enim iniquam Hebræorum petitionem regis ita resecat, ut quod in ea æquum est concedat, quod iniquum, neget, id est non concedat, sed fieri permittat, et fore prædicat.

Quærit S. Gregorius, lib. IV, cap. I, cur Deus concedat id quod male petitur? Respondeo, quia petenti irascitur, eumque vult sua petitione, quasi justa congruaque vindicta plectere et castigare. Sic et S. Augustinus in *Psalm.* LI : « Rex, ait, non ad permanendum electus est a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem secundum illam sententiam; quia regnare fecit hominem hypocritam propter perversitatem populi, » *Job.* XXXIV, 30. Idem Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. IX, vocat Saulem « pœnam peccantium. » Et S. Cyprianus, epist. 38 *ad Rogatianum* : « Ut hoc, inquit, ulcisceretur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas, superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

Id duobus exemplis confirmat Anastasius Nicænus, Quæst. XV *in Script.* Prius est Phocæ Imperatoris et tyranni, qui cum innocentes opprimeret, vir quidam pius Deo conquestus : « Cur, inquit, Domine, eum fecisti Imperatorem? » ab eo hoc responsum tulit : « Quia non inveni pejorem. Alterum monachi cujusdam, qui sceleratæ civitatis creatus episcopus, cum hoc honore insolesceret, ab angelo correptus audivit : « Cur superbis et magnifice tibi places, o infelix? Non es creatus episcopus quod dignus sacerdotio sis, sed quod civitas talis tali digna erat episcopo. » Denique audi S. Gregorium : « Petitus rex pro vindicta conceditur; magna etenim vindicta est, quæ ex districtione procedit interni examinis quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abjecisse convicti sunt, dum id eis permitteretur agere, per quod a se Dominum abjicerent, gravior pœna non erat, qua hic plecti debuissent. »

ET CONSTITUE SUPER EOS REGEM. — Hinc patet Saulem in regem fuisse electum, et evectum non a Republica nec ab optimatibus, sed immediate a Deo per Samuelem; ac proinde potestatem regiam non a Republica, sed a Deo immediate accepisse : (perinde ac Pontifex, licet eligatur a Cardinalibus, tamen non ab ipsis nec ab Ecclesia, sed immediate a Christo potestatem pontificum accipit). Quare eum hac potestate Respublica nulla ratione privare poterat, sed solus Deus; uti de facto ipse eum ob inobedientiam regno et vita privavit, eique suffecit Davidem. Idem dico de Davide. Hic enim non a Republica, sed a Deo per Samuelem creatus est rex, ab eoque omnem regendi potestatem accepit. Secus est de posteris Davidis. Hi enim non a Deo, sed a Republica creati sunt reges. David enim consentiente Republica ex filiis unum, puta Salomonem, ex Dei voluntate successorem in regno sibi delegit, regemque constituit. Salomoni deinde successit Roboam, quasi primogenitus; huic Abia, huic Asa eodem jure.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul, quærens asinas, reperit regnum. De iis enim consulens Samuelem, ab eo convivio excipitur, ponitur-que in capite mensæ, qui postero mane Sauli oraculum regni a Deo acceptum annuntiat.

Hic igitur finiuntur gesta Judicum (nam Heli et Samuel fuere Judices, iique ultimi) et incipiunt gesta Regum; hic enim status Reipublicæ aristocraticus mutatur in monarchicum; quare hæc est secunda pars libri, adeoque hic proprie incipiunt libri Regum.

1. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus; et non erat vir de filiis Israel melior illo : ab humero et sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul; et dixit Cis ad Saul filium suum : Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade et quære asinas. Qui cum transissent per mon-

tem Ephraim, 4. et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant; sed et per terram Jemini, et minime repererunt. 5. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo : Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis. 6. Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis : omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum suum : Ecce ibimus; quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rursum puer respondit Sauli, et ait : Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. 9. (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum : Venite et eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saul ad puerum suum : Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. 11. Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis : Num hic est Videns? 12. Quæ respondentes, dixerunt illis : Hic est; ecce ante te, festina nunc : hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. 13. Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum; neque enim comesurus est populus donec ille veniat; quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. 15. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul, dicens : 16. Hac ipsa hora quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philistinorum; quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei : Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. 18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait : Indica, oro, mihi ubi est domus Videntis. 19. Et respondit Samuel Sauli dicens : Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane; et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel, nonne tibi et omni domui patris tui? 21. Respondens autem Saul, ait : Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel; et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? 22. Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati; erant enim quasi triginta viri. 23. Dixitque Samuel coco : Da partem quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. 24. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel : Ecce quod remansit, pone ante te, et comede; quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. 25. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario; stravitque Saul in solario, et dormivit. 26. Cumque mane surrexissent, et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens : Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul : egressique sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel. 27. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul : Dic puero ut antecedat nos, et transeat; tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

Vers. 1. 1. NOMINE CIS. — Hic fuit pater Saul. *Cis* hebraice significat *durum*; quod licet initio S. Gregorius in malam partem de duritia cordis Saulis interpretetur, postea tamen in bonam partem accipit. «Pater, inquit, regis, Cis, id est durus, dicitur; quia profecto ii quorum sancti Prædicatores imitatores sunt, vita et zelo remissi non sunt; duri namque sunt, quia peccatoribus mollia non

loquuntur; duri etiam sunt, quia ut alios bene corrigant, dura quæ illis præcipiunt, in sua conversatione demonstrant. »

VIRI JEMINI, — id est de tribu Benjamin, ait Vatablus. *Benjamin* enim per aphæresin decurtatum est *Jamin*, et *Jemini*. Simili enim modo ex *Ben ammi* deductum et decurtatum est nomen Ammon, *Genes.* cap. XIX, vers. 38. Ita Chaldæus, Cajetanus, Mariana, Salianus. Aut potius quia paulo ante dixit: « Erat vir de Benjamin. » Hic *Jemini* fuit celebris ex tribu Benjamin, cujus posteri dicti sunt viri Jemini; unde ad hunc Jemini, quasi virum famosum deducitur hic genealogia Saulis, in eoque sistit quasi per illum sat nota et clara. Ita Abulensis, Mendoza et alii.

FORTIS ROBORE, — Septuaginta, *potens robore;* Vatablus, *heros fortis*, id est bellicus et disciplina militari clarus. Talis ergo fuit *Cis*, pater Saulis, et consequenter ipse Saul : talem enim decebat eligi in regem Israelis, ut eum contra Philistæos aliosque hostes propugnaret, uti reipsa fecit Saul.

Tropologice, « fortis robore » est, ait S. Gregorius, qui virtutem quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu Sancto. Unde Apostolis ait Christus : « Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto, » *Lucæ* cap. XXIV, vers. 49.

Vers. 2. 2. ET ERAT EI FILIUS VOCABULO SAUL. — Hebraice *Saul* idem est quod *postulatus*. Nomen ergo hoc ei inditum videtur omine divino, et quasi præsagio; quod ipse populo postulante regem a Deo evocandus foret ad regnum.

A Saule quasi primo Israelis rege ex tribu Benjamin creato, nomen accepit *Saul* sive *Saulus* « eo quod ad vexandam Ecclesiam a diabolo esset postulatus, » ait S. Hieronymus in epist. *ad Philem.*), qui erat ex eadem tribu, sed ex Saulo a Deo factus est Paulus, id est, ex Judæo, Christianus; ex persecutore, prædicator; ex Pharisæo, Apostolus; ex Judæorum fiscali, Doctor gentium.

Minus genuine ergo Ambrosiaster in cap. I *ad Romanos, Saul*, vel *Saulus*, derivat a Græco σάλος, id est maris commotio et inquietudo, ut *Saulus* sit idem, quod inquietus et turbator, qualis initio fuit Paulus.

Minus quoque apte alii *Saul* derivant a שועל *scual*, id est vulpes : *Saul* enim per א scribitur, *scual* per ע. Allusio pariter est non etymon, quod recenset Georgius Venetus, sect. 8, *Problem.* 453. *Saul* dici quasi שאול *scheol*, id est, infernus; nam sicut infernus nullis malis satiatur, sic Saulus erat barathrum vitiorum.

Allegorice Saul fuit typus Christi Regis regum. Nam, ut ait Beda, nomen *Saul* quod dicitur *expetitio*, Christo aptissime congruit, qui fuit desiderium gentium, et magno desiderio semper imploratur et adesse rogatur. Unde Christus a Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 26, vocatur « desiderium collium æternorum; » et a Sponsa, *Cant.* cap. V, vers. 16 : « totus desiderabilis; » Hebræus, *totus desideria;* S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, « totus concupiscentia. »

ELECTUS ET BONUS, — tum physice, quasi dicat : Saul erat insigni corporis forma et specie; quæ, ut ait Euripides, digna est imperio. Unde Chaldæus vertit, *juvenis pulcher*. Ita Procopius et Serarius. Unde Severus Sulpitius, lib. I *Sacræ Hist.* : « Saul, inquit, modestus animi, forma excellenti erat, ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret : » tum ethice et moraliter, quia erat vir probus et virtute præditus. Ita Josephus, S. Gregorius, Abulensis et alii.

Porro « bonitas Saulis, ait Abulensis, maxime erat circa humilitatem : quod erat valde in eo admirabile; nam ipse erat vir in virtutibus excellens, corporis statura admirabilis; quod solet homines superbos efficere; ipse autem hæc omnia habens, erat valde humilis. »

Tropologice S. Gregorius : « Quid, inquit, in Saul electo et bono significatur, nisi sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam aliis utiles sunt, et per conversationem sibi? qui sic alios possunt regere, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere? Electi namque et boni sunt, quia sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in se ipsis sunt affluentes aliis, et de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. »

ET NON ERAT VIR DE FILIIS ISRAEL MELIOR ILLO, — puta e populo; nam Samuel judex et propheta utique melior et sanctior erat Saule. Hinc cap. XIII, vers. 1, dicitur : « Filius unius anni erat Saul, » id est erat tam innocens et purus, ac si fuisset infans unius anni. Unde Chaldæus, *unius anni*, ait, *in quo non sunt peccata*. Sic et S. Gregorius, Angelomus, Procopius, Theodoretus, Rupertus, Abulensis et alii.

Causam dat S. Gregorius, II part. *Pastoralis*, cap. I : « Tantum, ait, debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris : ut scilicet tantum præcellat subditis, quantum homo præcellit brutis, » ait S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerdot.*

Vide jam, et miserere lapsum Saulis, qui ex tam bono, tam malus evasit, ut a Deo reprobatus vita sit spoliatus et regno. Audi S. Gregorium Nazianzenum, *Oration.* 7 : « Quid de Saule existimamus? nam et unctus, et Spiritus factus est particeps, ac tunc spiritualis erat : non enim de eo secus dixerim. » S. Hieronymus in cap. XX *Ezechielis* : « Eliguntur inquit, præsentia : nec statim qui eligitur, tentari non potest, nec perire; quia et Saul electus in regem, et Judas in apostolum suo postea vitio corruerunt. »

Causam lapsus assignat S. Cyprianus, *epist.* 7 : « Salomon, inquit, et Saul, quandiu in viis Domini ambularunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt : recedente ab eis disciplina dominica, recessit et gratia. » Cyrillus Alexandrinus in *Joan.* cap. XXI, probat quod « Deus superbis resistit, humilibus

autem dat gratiam,» exemplo Saulis : « Saul, inquit, cum parvus esset in oculis suis, dux super Israel constitutus est; cum vero in superbiam elatus est, a Deo abjectus et reprobatus : cum David vilis in oculis suis saltaret coram arca ludens cythara, mirum in modum Deo placuit; cum vero tumore animi inflatus populum jussit numerari, vindicem manum Dei sensit. »

Vers. 3. 3. QUÆRE ASINAS. — Asini in Syria sunt præstantiores Europæis; unde filii principum vehebantur asinis, *Judic.* cap. x, vers. 4, et cap. xii, vers. 14. Asinus ergo apud Hebræos erat jumentum regale. Hebræi enim equis vix utebantur, idque ex Dei monitu, *Deuter.* cap. xvii, vers. 16. Hoc ergo Sauli fuit quasi omen regni, ut quærens asinas reperiret regnum, iisque rex insideret. Hinc et Christus dum quasi Messias rex Israelis inaugurandus, cum ramis palmarum perrexit Hierosolymam, vehebatur asina, *Matth.* cap. xxi, 5.

Moraliter, vide hic quam omnis nobilitas ex vilitate sit orta. Nam ab asinis Saul evectus est ad regnum, et ex agasone factus est rex. Sic David ex opilione creatus est rex. Unde S. Chrysostomus, hom. 50 *in Matth.*: « Tu, inquit, qui magna de nobilitate majorum jactas, ultra proavos atque atavos tuos si progrediaris, invenies multos e genere tuo agasones, forsan aut caupones fuisse. »

Vers. 4. 4. PER TERRAM SALISA, — quæ et *Bale*, et *Segor* dicta est. Audi S. Hieronymum in trad. Hebr. *in Genes.*: « *Bale*, inquit, lingua Hebræa, *devoratio* dicitur. Tradunt igitur Hebræi hanc eamdem in alio Scripturarum loco Salisam nominari, dicique rursum vitulam consternantem, quod scilicet, tertio motu terræ absorpta est, et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim divino igne subversæ sunt, illa parvula nuncupetur; siquidem *Segor* transfertur in *parvam*. »

Allegorice Saul est Christus, ait Beda, ob quinque analogias et typos : « *Primus*, quia Saul dicitur electus : sic et Christus, *Isai.* cap. xlii : Ecce puer meus quem elegi. *Secundus*, quia Saul super omnes eminebat : et ita Christus, de quo Sponsa, *Cant.* cap. ii, vers. 23 : Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. *Tertius*; quia Saul missus est a patre ad quærendas asinas; Christus ad quærendas animas. *Quartus*, quia Saul secum duxit puerum; Christus chorum Apostolorum. *Quintus*, quia Saul quærens asinas invenit regnum; Christus, quærens animas, constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, » *Psalm.* ii, vers. 6.

Vers. 7. 7. IN SITARCIIS NOSTRIS. — *Sitarcia* sunt peræ vel sacculi, quibus panes reliquique cibi ad viaticum imponuntur. Græce enim σιταρχία vocatur annona militaris, quasi σῖτος ἀρκετός, id es frumentum, vel cibus sufficiens. Inde metonymice peræ hunc cibum continentes vocantur sitarcia. Male ergo nonnulli legunt *cistartiis*, quod nomen derivant a Latino *cista*, et Græco ἀρθός, *q. d.* cista vel sporta panis.

Sitarcia quid ?

ET SPORTULAM NON HABEMUS, UT DEMUS HOMINI DEI. — Sportulæ vocantur munuscula cibaria, vel etiam nummaria, ait Budæus in *Pand.* Hæc enim sportulis, id est parvis sportis ad asportandum imponi solebant, uti fieri videmus Romæ in sportulis quarum frequens est usus ad cibaria transmittenda. Hebraice enim est תשורה *tescura*, id est munus, xenium, donum; hæc enim in jure vocantur sportulæ, eo quod in sportulis offerrentur Judicibus a litigatoribus. Hæc igitur Saul volebat offerre Samueli pro oraculo asinorum, non ut mercedem; hoc enim fuisset peccatum simoniæ, scilicet emere et vendere prophetiam, quæ est res spiritualis, pretio temporali, sed ut munus gratitudinis, vel sustentationis causa, ultro oblatum : putabat enim Saul ex honestate Prophetæ deberi, sed ignorabat virtutem Samuelis, munera quælibet respuentis. Ita Josephus, Procopius, Theodoretus.

Vers. 9. 9. QUI ENIM PROPHETA DICITUR HODIE, VOCABATUR OLIM VIDENS, — a visione prophetica, quam a Deo accipiebat. Prophetia enim dicitur *visio;* unde *visio Isaiæ* inscribitur ejus prophetia, æque ac aliorum Prophetarum.

Vers. 13. 13. ANTEQUAM ASCENDAT EXCELSUM AD VESCENDUM, — nimirum Samuel quasi sacerdos obtulit hic sacrificium : hoc enim loco excelso, v. g. in colle, aut monte offerri solebat. Fuit autem hoc sacrificium pacificum : ex tali enim instruebatur convivium, quale hic instruxit Samuel, cum eodem excepit Saulem.

Tropologice S. Gregorius, II part. *Pastor.* : « Quicumque, inquit, ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet et vitæ propriæ altitudinem, et alienæ infirmitatis compassionem. » Et paulo post : « Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, et in oppidum deposuit; quia summi viri cum sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter vivere, plana prædicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos; sic attendere propriæ saluti, ut cum infirmis possint infirmari; infirmari dixerim, per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis; nam si per mentis languorem Doctor jacet, curare ægros, et jacentes erigere non potest. »

Vers. 15. 15. DOMINUS AUTEM REVELAVERAT AURICULAM SAMUELIS, — quasi dicat : Dominus occulte revelaverat Samueli postridie ad eum venturum Saulem, quem ipse regem designarat, perinde ac si id in aurem ei dixisset. Sic enim in aurem dicimus quod occultum esse volumus.

Vers. 19. 19. ASCENDE ANTE ME. — Quare, inquit Dionysius Carthusianus, « non dixit : Sequere me, vel perge mecum in excelsum; sed ascende ante me : an ad præfigurandum quod Saul erat sibi et aliis præficiendus in regem? Samuel quoque erat senex; nec potuit pariter illud montuosum celeriter ascendere. »

Tres alias causas dat noster Mendoza : « Mihi,

inquit, videtur Samuel hac in re et humilitatis, et obedientiæ, et temperantiæ exemplum præbuisse. Humilitatis quidem, quia potiores partes cessit Sauli, pone sequens præeuntem. Obedientiæ vero, quia non solum regi electo, sed etiam eligendo debitam reverentiam deferebat. Temperantiæ denique, quia qui ad labores ocior prævolabat, ad prandium tardior sequebatur. »

ET OMNIA QUÆ SUNT IN CORDE TUO, INDICABO TIBI, — id est quidquid scire volueris, « indicabo tibi. » Hebræi, teste S. Hieronymo, tradunt Saulem habuisse omen regni per visionem, qua vidit se in summitate palmæ collocari, quæ visio regalis erat; ac de hac voluisse consulere Samuelem. Verum sequentia Saulis verba, quibus Samueli ei regnum denuntianti adeo se humiliat, et quasi obstupescit, significant eum plane hujus rei fuisse inscium, nec quidquam de regno cogitasse.

Vers. 20. 20. ET CUJUS ERUNT OPTIMA QUÆQUE ISRAEL, NONNE TIBI? — « Optima, » id est regnum sive potestas et dignitas regia : hac enim in Republica nihil est præstantius; hebraice est כל חמ דה *col chem da,* id est, *omne desiderabile;* sive quod omnes desiderant, regnum; sive quod Hebræi desiderabant, regem; *q. d.,* ait Isidorus Clarius : « Totus Israel desiderat habere regem, et tu es ille in quem omnium vota nutu divino conspirant. »

Vers. 21. 21. NUMQUID NON FILIUS JEMINI EGO SUM DE MINIMA TRIBU ISRAEL? — « Minima, » tum quia tribus Benjamin ob stuprum pene fuit excisa, et ad sexcentos viros redacta, *Judic.* cap. XX, vers. 35. Ita Abulensis, Lyranus, Dionysius; tum quia ob stuprum hoc valde fuit diffamata et deformata, ideoque videbatur principatu et regno Israelis ob tantam infamiam indigna, æque ac fuit Ruben licet primogenitus Jacobi.

QUARE ERGO MIHI LOCUTUS ES SERMONEM ISTUM? — Intellexit Saul quod Samuel per optima sibi promitteret regnum, quo ipse per humilitatem se indignum censebat, præsertim quia tunc communis omnium erat rumor et exspectatio de novo rege creando. Ita Angelomus et Abulensis. Somnium est ergo Hebræorum, quod Saul per palmæ somnium cognoverit se fore regem.

Porro Saul humilitate hac sua meruit exaltari evehique ad regnum, quod postea per superbiam perdidit. Audi S. Hieronymum, epist. *ad Heliodorum,* de ejus nepote Nepotiano, qui se sacerdotio indignum asserebat : « Quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, et merebatur negando quod esse nolebat, eoque dignior erat, quo magis se clamabat indignum. »

Idem humilitatem S. Paulæ in ejus *Epitaphio* ita celebrat : « Fugiendo gloriam, merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. »

Vers 22. 22. INTRODUXIT EOS IN TRICLINIUM, — ad convivium hoc sacrum, puta instructum ex sacrificio pacifico, ut dixi vers. 13. Unde Hebræa, Græca, et Noster illud vocant *sacrificium;* Chaldæa. *oblationem sanctam,* ideoque non in urbe et in domo Samuelis, sed foris in excelso monte celebratum est.

Pro *triclinium* hebraice לשכתה *liscata,* id est *cœnaculum* : necdum enim erat usus accumbendi mensæ, sed prisci ei assidebant, uti nunc facimus; unde fratres Joseph mensæ ejus assedisse dicuntur, *Genes.* cap. XLIII, vers. 33. Sic in deserto « sedit populus manducare et bibere, » *Exodi* cap. XXXII, vers. 6. Imo etiam multo post David : « Ego, inquit, ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum, » I *Reg.* cap. XX, vers. 5; et Salomon : « Quando sederis ut comedas cum principe, » etc. *Prov.* cap. XXIII, vers. 1.

TRICLINIUM — autem proprie significat tres ordines lectulorum (κλίνη enim est lectus) mensalium, in quibus convivæ semijacentes et semisedentes accumbebant mensæ. Ergo hoc proprie non erat triclinium, sed cœnaculum : vocatur tamen a nostro Interprete triclinium, quia posteri usi hisce lectulis, cœnaculum quodlibet vocarunt triclinium, uti etiamnum vocatur, etsi usus accumbendi in lectulis cessarit, et usus priscus sedendi in mensa sit reductus.

DEDIT EIS LOCUM IN CAPITE, — ut indicaret Saulem ex Dei decreto fore caput et principem Israelis. Porro Deus elegit Saulem in regem, quia tum erat optimus, etsi postea superbiens reciderit. Præsciebat Deus hunc casum, sed eum permittere decrevit, tum quia eum suæ libertati permittere voluit; tum ut puniret Hebræos, qui regem se invito petierant; tum ut daret nobis exemplum eligendi præpositos pro tempore dignissimos, ac tolerandi eorum lapsus, si postea a primæva bonitate desciscant.

Aliam causam dat S. Gregorius : « Et fortasse, inquit, idcirco reprobus rex eligitur, ut electus successor ejus rex David in eo cognosceret quid cavere debuisset. Sic nimirum et de illa Angelorum curia legimus; quia de apostata primo angelo scribitur : Ipse est principium viarum Dei, » *Job* cap. XL, vers. 14. « Sed quia ante omnia conditus est per superbiam cecidit, et in ejus ruina sancti Angeli didicerunt, qua virtute stare potuissent, » etc.

Vers. 24. 24. LEVAVIT AUTEM COCUS ARMUM, ET POSUIT ANTE SAUL. — Dices : Armus dexter victimæ pacificæ (qualis hæc erat) cedebat sacerdoti, puta Samueli; nec nisi ab eo ejusque servo comedi poterat, uti sancitur *Levit.* cap. XXII, vers. 11. Quomodo ergo eum Samuel tradit Sauli? Respondet Abulensis armum hunc fuisse non dextrum, sed sinistrum, qui a laicis comedi poterat. Si malis fuisse dextrum, dicito armum hunc non fuisse victimæ, sed animalis communis. Cum victimis enim, si illæ numero convivarum non sufficerent, poterant comedi aliæ carnes communes, quæ non erant Deo sacrificatæ.

Moraliter, disce hic frugalitatem prisci ævi. En Samuel Sauli regi non perdices, non phasianos, Frugalitas priscorum.

non varia fercula, sed unum armum apponit. Audi qualia fuerint primorum Christianorum convivia, describentem Tertullianum in *Apol.* XXXIX : « Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum esurientes capiunt : bibitur, quantum pudicis est utile : ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse ; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisquis de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde disceditur ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ : ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. »

S. Antonius, teste S. Athanasio, solo pane, sale et aqua vixit ad annum ætatis 105. S. Paulus primus Eremita, teste S. Hieronymo, pane et aqua ad annum ætatis 113. S. Hilarion herbarum succo et paucis carycis post triduum ad annum 80. Idem fecere cæteri Anachoretæ, teste Theodoreto, Palladio, Cassiano. Audi S. Bernardum, epist. 1 *ad Robertum* : « Prudenti, inquit, sobrieque conversanti satis est ad omne condimentum, sal cum fame. Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, excitare in aliquo, et statim senties sola te appetere quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe sapores rebus exercitium, quos tulit inertia : fames miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. Olus, faba, pultes panisque cibarius cum aqua quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur deliciæ. »

Denique prisci Romani pultibus pro pane vescebantur, teste Valeriano Maximo, lib. II, cap. V. Unde et pultiphagi sunt appellati, erantque sani et validi, ut totum fere orbem sibi bello subjecerint. Medici enim docent multum ad sanitatem et vires conferre, si quis uno duntaxat, eoque simplici cibo vescatur, cruditatis enim, indeque febrium et morborum causam esse ciborum varietatem. Idem docet experientia.

QUIA DE INDUSTRIA SERVATUM EST TIBI. — Causam dant Septuaginta dum vertunt : *In testimonium positum est tibi a populo*, id est, *præter alios*, ut habent Romana, *e populo*; quasi dicat : Hic armus tibi servatus est, ut te quasi futurum regem discriminet a cætero populo. « Armus, inquit Theodoretus et Procopius, servatur Sauli, quasi regnaturo et pro populo periculum adituro, ideoque vocatur testimonium. » Unde Josephus, lib. VI, cap. IV, hunc armum vocat « regalem. » Armus enim symbolum est fortitudinis bellicæ, quæ in rege, præsertim Saule, hoc tempore pro Israele a Philistæis oppresso, pugnaturo requirebatur. Audi S. Gregorium : « Quid in armo pectoris nisi fortitudo signatur actionis? » Hæc autem in quovis rege, sed maxime in Saule ad subigendos hostes requirebatur.

Hac de causa sacerdoti ex victima cedebat armus dexter; separatus, ait S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. III : « Ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis. Nec inter malos tantummodo quæ recta sunt faciat; sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso, auctori discat immolare; et non solum pectore, quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia, armo operis invitet. » Hinc armus hic a Josepho vocatur « portio regalis : » voluit enim eo facto insinuare Samuel reges ac duces præcipue eminere debere in fortitudine et magnanimitate, quam armus significat, quem comedere debent, ut in ipsam animam fortitudinem trajiciant, non magni facientes illam quæ est corporis.

Sed Sauli cessit armus sine pectusculo, quia fuit in eo armus fortitudinis; sed defuit ei pectus sapientiæ, compassionis et charitatis in Davidem, aliosque suos cives.

Duas alias causas dat Auctor *Antiq. Convival.*, lib. I, cap. XXXIII. *Primam* : « Quod, inquit, armus in sacrificiis pars esset sacerdotum propria, Samuel hoc symbolo id admonere voluit, ut rex factus cum sacerdotibus conjuncte viveret : ita enim beatum et florens futurum ipsius regnum. » *Secundam*, « quod cum armus maxime valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret se non ad jocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda atque sustinenda vocari. »

25. ET LOCUTUS EST CUM SAULE IN SOLARIO. — Quid? Rabbini apud Lyranum et Abulensem : « De timore, inquiunt, Dei et custodia legis; » Carthusianus : « De pertinentibus, inquit, ad salutem, admonendo eum ad meliora; » Abulensis : « De pertinentibus ad instructionem regis, qualiter iste se deberet habere ad subditos, et qualiter ad Deum. » Vers. 25.

STRAVITQUE (Samuel lectum, puta culcitram, aut saccum stramineum, ut faciunt Hungari et Poloni) SAUL (Sauli, vel ut Gregorius, stravit Saul sibi ipsi) IN SOLARIO, — puta in tecto soli exposito. In Palæstina enim tecta sunt plana, ut in iis ambulare, cœnare, dormire queant, uti dixi *Deut.* XXII, 8. Audi S. Hieronymum *ad Suniam et Fretelam in Psal.* CI : « In Palæstina et Ægypto, ubi, vel scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria vel meniana vocant, id est plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur. »

Hæc verba desunt in Hebræo, et Chaldæo, et Latinis Regiis, verum habent Septuaginta, *straverunt*, inquit, *Sauli in solario*. Vide Franciscum Lucam in *Notis* hic.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel secreto ungit Saulem in regem, idque Dei jussu se facere triplici signo Sauli dato confirmat. Primo, est repertarum asinarum. Secundo, trium virorum euntium in Bethel. Tertio, chori Prophetarum, cum quibus et Saul actus Dei Spiritu prophetat. Mox, vers. 17, *Samuel palam in Maspha coram toto populo Saulem per sortem regem a Deo electum designat.*

1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait : Ecce, unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. 2. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas; et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit : Quid faciam de filio meo? 3. Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. 4. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum. 5. Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philistinorum, et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. 6. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium. 7. Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est. 8. Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te), ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas : septem diebus exspectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias. 9. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei; et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. 11. Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res accidit filio Cis, num et Saul inter prophetas? 12. Responditque alius ad alterum, dicens : Et quis pater eorum? propterea versum est in proverbium : Num et Saul inter prophetas? 13. Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. 14. Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus : Quo abistis? Qui responderunt : Quærere asinas; quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. 15. Et dixit ei patruus suus : Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. 16. Et ait Saul ad patruum suum : Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha; 18. et ait ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris; et dixistis : Nequaquam; sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias. 20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Benjamin. 21. Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri; et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. 22. Et consuluerunt post hæc Dominum utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi. 23. Cu-

currerunt itaque et tulerunt eum inde; stetitque in medio populi et altior fuit universo populo ab humero et sursum. 24. Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex. 25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino; et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. 26. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa; et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filii vero Belial dixerunt : Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera : ille vero dissimulabat se audire.

Vers. 1. 1. TULIT AUTEM SAMUEL LENTICULAM OLEI, ET EFFUDIT SUPER CAPUT EJUS. — Hic primus est rex Israelis qui unctione consecratur : nam apud Gentes ungi jam erat in usu, ut colligitur ex illo *Judic.* IX, 8. « Ierunt ligna ut ungerent super se regem. » Sic Cyrus vocatur *Christus*, id est unctus, *Isaiæ* XLV, 1. Unctio hæc ordinarie fiebat a Pontifice; subinde tamen a Propheta, uti hic. Causæ cur ungerentur erant variæ. *Prima*, ut significaretur summa regis dignitas in temporalibus, æque ac Pontificis in spiritualibus. Hac enim de causa ungebatur, ait Abulensis. Audi S. Cyprianum, (vel quisquis est Auctor) *De Cardinal. Christi operibus*, tract. *De Chrismate* : « Sicut oleum, inquit, fluitat et humidis quibuslibet superfertur; ita excellentia sacerdotalis et regiæ dignitatis, secundum formam Dei et Christi sub se omnia continens, regimen et munimen tam activæ quam contemplativæ vitæ obtinet. »

Unctionis regum antiquitas. Causa. Prima.

Secunda. *Secunda*, ut significaretur novo regi a Deo infundi novas vires et spiritum, ad populum Dei in vero ejus cultu continendum, et contra infideles defendendum.

Tertia. *Tertia*, ut admonerent reges lenitatis, benignitatis, clementiæ, misericordiæ, charitatis et beneficentiæ (horum enim symbolum est oleum) exercendæ in subditos. Ita S. Gregorius : « Oleum, inquit, liquoribus aliis superfertur : oleum ignem fovet; oleum vulnera curare consuevit. Ungatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda Doctoris. Habeat in unctione sua oleum : habeat misericordiam abundantem, quæ virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem Sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat oleum medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat. » Ita S. Gregorius, tropologice adaptans Doctori, quod ad litteram dicitur de rege.

Quarta. *Quarta*, ut esset typus Christi, qui est summus sacerdos, rex et propheta; Christus enim unctus est a Deo oleo gratiæ, tum habitualis copiosissimæ, tum unionis hypostaticæ, quæ in se est eminentissima. Quocirca reges uncti in Scriptura vocantur « sancti, » imo « Christi » sive « Messiæ, » ut patet cap. XXIV, 26, et lib. II, cap. I, 1.

Hinc mos hic ad Christianos derivatus est, ut eorum Imperatores et Reges ungantur, imo de jure Canonico sancitum est, ut patet ex cap. *Venerabilem, Extra. de electione.* Et cap. *Cum venissent, Extra. de sacra unctione*, quem morem Deus miraculo confirmavit. Nam cum S. Remigius Clodovæum in regem Franciæ ungeret, columba e cœlo detulit ampullam olei, quo eum unxit; quæ etiamnum Rhemis asservatur, indeque reges Franciæ uncti a Deo nanciscuntur facultatem curandi strumas, sive scrophulas, uti asserunt rerum Gallicarum scriptores, et testantur qui præsentes fuerunt, et idipsum viderunt.

Porro hæ cæremoniæ non ex lege, sed ex consuetudine apud Hebræos in unctione regis adhibebantur, ait Serarius : « *Prima*, rex inaugurandus in sede collocabatur. *Secunda*, diademate ornabatur, II *Paral.* XXIII; IV *Reg.* XI. *Tertia*, ungebatur. *Quarta*, ei dabatur in manus liber legis, id est, Deuteronom. *Quinta*, jurabant in ipsius observationem. *Sexta*, sacrificia fiebant omnis generis, III *Reg.* I, et hic infra cap. XI, quemadmodum apud Herodianum, lib. II. *Septima*, edebantur varia lætitiæ et approbationis signa, III *Reg.* et hic vers. 25, 27. »

LENTICULAM OLEI. — Oleo sacro ungebantur Pontifices; reges vero nunc sacro, ut cum a Pontifice ungebantur; nunc communi, ut cum a Propheta quopiam. An Saul unctus sit ab eo sacro ex tabernaculo accepto, an communi, incertum est. Hebræi, teste Vatablo, tradunt solos reges descendentes ex Juda et Davide, sacro oleo unctos fuisse : Saulem vero communi, eo quod reprobandus foret.

Porro *lenticula* erat vasculum sive laguncula lenticulari figura, sive instar lentis, qualem habet cornu (unde et cornu vocatur). Minus apte ergo Abulensis putat *lenticulam* a liniendo dictam. Idem vasculum Festo et Varroni guttur sive gutturnium, eo quod propter colli angustiam liquor ex eo guttatim effluat. Parvum erat hoc, tum quia parum olei in caput regis effunditur, tum quia secreta et privata erat hæc unctio.

Symbolice S. Gregorius : « Lenticula, ait, est parvum vas : quid ergo est, quod lenticula Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? velut enim lenticula, olei parum habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit. » Et inferius : « e contra autem, cum electus rex (David) ungi præcipitur, eidem prophetæ Dominus ait : Imple cornu tuum oleo, » I *Reg.* XVI, 1. Et Rupertus, lib. II *in Joannem*, cap. I : « Deus, inquit, cum Samuelem

misit, ut in regem ungeret electum suum David non lenticulam, sicut ad inungendum Saul, sed cornu olei tollere jussit; verisimiliter significans doni sui magnitudinem, simul et fortitudinem, id est, throni ejus firmitatem et prophetalis gratiæ celsitudinem. »

ET DEOSCULATUS EST EUM. — Osculum hoc significabat gratiæ communicationem, inquit Procopius, ac regalis et sacerdotalis officii mutuam concordiam et operam, scilicet reges debere cum sacerdotibus et Pontificibus esse concordes, ac mutuo se invicem adjuvare, protegere et propugnare. Osculum enim amicitiæ et pacis est symbolum. Tunc enim optimum est regimen, cum potestas civilis Ecclesiasticæ, sive cum regnum Ecclesiæ, et rex Pontifici subservit et opitulatur. Audi Theodoretum, *Quæst.* XVI, causam hujus osculi litteralem et allegoricam assignantem : « Gratia, inquit, quæ sibi inerat eum impertiit. Nam Deus quoque cum insufflasset in Apostolos, dixit : Accipite Spiritum Sanctum. Etenim ex plenitudine ejus omnes accepimus. Sic Propheta deosculatus est regem cui impositæ erant manus. »

Addit Abulensis osculum æque ac unctionem fuisse cæremoniam, qua Saul constitutus fuit rex. Sicut enim cum quis creatur Doctor, inter alios ritus solet accipere osculum a Doctore qui ipsum creat, et quasi osculo sibi æquat, et in cæterorum Doctorum numerum adsciscit : sic Samuel judex et princeps osculatur Saulem, quasi illum sibi æquans, et inter principes contituens, imo regem efficiens. Sic Isaac osculatus est Jacob, conferens ei benedictionem primogenituræ, et ex ea principatum super fratres, *Genes.* XXVII, 27. Osculum ergo erat signum primogenituræ et delati principatus.

ECCE UNXIT TE DOMINUS SUPER HÆREDITATEM SUAM, — id est super populum suum, uti explicans subdit, juxta illud : « Hæreditas mea Israel; » Israel enim erat quasi synagoga, respublica et regnum Deo peculiare et proprium, juxta illud *Exodi* XIX, 5 : « Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus. »

Moraliter S. Gregorius : « Doctor, inquit, eligitur, ut de prælatione sua non suum, sed Domini lucrum quærat. Unctionis fructus est cultus divinæ hæreditatis. »

ET HOC TIBI SIGNUM, QUIA (quod) UNXIT TE DEUS IN PRINCIPEM. — Dat Samuel signum, quod jussu Dei eum unxerit, ac Deus per eum liberaturus sit Israelem de manu hostium, ut Saulis humilis et trepidantis, tam novum arduumque opus et onus subire, animum elevet, roboret et confirmet. Ita Theodoretus, Procopius, Hugo, Dionysius et alii. Hinc S. Gregorius : « Cum, inquit, sancti viri ad primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer expavescunt; ne onus tanti ordinis sibi judicio hominum sit impositum, non ordinatione conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se a Deo non ab hominibus electos sciant. »

Vers. 2. 2. INVENIES DUOS VIROS JUXTA SEPULCRUM RACHEL IN FINIBUS BENJAMIN. — Hoc sepulcrum erat in Bethlehem, ideoque in tribu Juda, *Genes.* XXXV, 19; sed tribus Benjamin erat confinis tribui Judæ. Ita Lyranus, Abulensis et Serarius. Alienum enim est sic cum nonnullis dispungere, quasi dicat : « Duos viros » qui nunc, dum hæc loquor, sunt « juxta sepulcrum Rachel, invenies in finibus Benjamin, » cum eo veneris.

Tropologice Rachel, ait S. Gregorius, monet regem debere vacare contemplationi, præsertim de sepulcro et morte sua, indeque progredi ad actiones suas, et functiones regias.

IN MERIDIE. — Refer hoc non ad locum, sed ad tempus, quasi dicat : Invenies eos in tempore meridiano. Hoc enim significat hebraice צלצח *tseltsach*, id est *clara umbra;* talis enim est in meridie. Septuaginta vertunt, *salientes grande*, sive *granditer*, a radice צלח *tsalach*, id est *saltare*. Quasi dicat : Invenies duos viros saltantes, id est alacres et lætos, ac præ lætitia exilientes. S. Gregorius, Dionysius, Hugo, Abulensis legunt, *salientes magnas*, vel, *claras foveas* : per quos S. Gregorius tropologice prædicatores accipit : « In meridie, inquit, magnas foveas saliunt, quia per fervorem perfectæ charitatis, cuncta quæ videntur sæculi, alta despiciunt. Quidquid enim in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea quæ omnes quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit. » Aliter S. Bonaventura : « In meridie, inquit, id est in spirituali prosperitate magnas foveas saliunt, qui lætitiam magnam quam habent in corde, exterius ostendunt : quia inventæ sunt asinæ, id est, animæ Christi sanguine redemptæ. »

ET VENERIS AD QUERCUM THABOR, — montis, in quo transfiguratus est Christus. Ita Abulensis, licet Hugo putet τὸ *Thabor* esse nomen viri cujus erat hæc quercus. Mystice, *Thabor* hebraice idem est quod *veniens lumen*; unde typus est vitæ contemplativæ. Ita S. Gregorius : « Hujus, inquit, conversationis viri, dum ad exteriora opera activæ vitæ non exeunt, quasi in umbra sunt : quia incendia tentationum sentire non possunt. Quia enim in cœlesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo quietiores manent in umbra refrigerii. »

INVENIENT TE IBI TRES VIRI ASCENDENTES AD DEUM IN BETHEL. UNUS PORTANS TRES HÆDOS, — Deo sacrificandos in Bethel. « In Bethel, » id est ubi Jacob vidit Deum innixum scalæ per quam ascendebant et descendebant angeli, *Genes.* XXVIII; inde locus dictus est *Bethel*, id est *Domus Dei*. Hinc Bethel, quasi hac visione Dei, consecratus fuit locus orationis, æque ac immolationis : tum quia necdum fabricatum erat in templum, extra quod sacrificare Judæis vetuerat Deus; tum quia tabernaculum, quod erat quasi templum mobile et portatile, jam erat separatum ab arca, quæ Deum repræsentabat, et arca a tabernaculo, qui erat proprius arcæ locus. Tabernaculum enim erat in

Silo, *Judic.* XVIII, 1; arca in Cariathiarim, ut audivimus cap. VII, 2. Quare tunc licitum erat alio loco, præsertim a Patriarchis culto qualis erat *Bethel*, sacrificare, Deo id permittente. Hinc et Jeroboam in *Bethel* collocavit vitulum aureum, quasi idolum : ideoque ex *Bethel*, id est *domo Dei*, fecit *Betaven*, id est *domum idoli*, uti eam vocant Prophetæ.

Vers. 5. 5. POST HÆC VENIES IN COLLEM DEI, — id est in Cariathiarim, ubi erat arca Dei, ait R. Salomon. Unde Chaldæus vertit, *ad collem in quo arca Domini*. Sic et Isidorus, Clarius, Vatablus et alii; sed errant : nam Cariathiarim erat in tribu Juda; Saul autem jam egressus erat limites Juda, eratque in tribu Benjamin. Lyranus, Glossa, Hugo, Dionysius, per collem Dei accipiunt locum in quo degebant Prophetæ Dei, de quibus sequitur. Melius Abulensis, Sanchez et alii accipiunt Gabaa, quæ erat patria Saulis, eratque in colle : unde et Gabaa est dicta. *Gabaa* enim hebraice est collis. Adde, in Gabaa erat statio Philistinorum, de qua sequitur, et patet cap. XXIII, 18. Philistini enim, ut Israelitas sub jugo suo continerent, et ab eis tributa exigerent, certis locis munitis, uti erant colles, habebant sua castra et præsidia. Ita Abulensis, Lyranus, Hugo et Cajetanus. *Gabaa* autem vocatur *collis Dei*, quia in ea Prophetæ divinas laudes concinentes morabantur.

Prophetæ erant Religiosi Dei laudes canentes.

OBVIUM HABEBIS GREGEM PROPHETARUM. — Prophetæ hi non erant proprie dicti, qui futura prædicerent; sed erant viri religiosi, qui a turba secedentes vacabant Deo, illique hymnos et laudes concinebant, tum voce, tum instrumentis musicis : unde secum ducebant psalterium, citharam, tympanum et tibiam, ut sequitur. Hos videtur instituisse Samuel, qui multis annis Eliam et Elisæum antecessit. Unde cap. XIX, vers. 20, Chaldæus vertit, *et Samuelem stantem docentem super eos*. Hi igitur sunt quasi primi Religiosi, quos in sacra Scriptura invenimus. Pro quibus postea David Psalmos composuit. Unde Chaldæus hos prophetas vocat *scribas*, qui scilicet sacræ Scripturæ describendæ, legendæ, discendæ et meditandæ vacabant, uti tempore Christi fecerunt Essæi. Ita Lyranus, Abulensis, Hugo, Cajetanus, Sanchez, Serarius, Torniellus, Magister *Historiæ Scholasticæ*, Genebrardus in *Chronico*, et alii. Hi ergo sunt Prophetæ, qui in sequent. vocantur *filii*, id est *discipuli Prophetarum*, scilicet Samuelis, Eliæ, Elisei, etc. Erant tamen inter eos aliqui veri Prophetæ, qui futura prænuntiarent, ut patet ex eo quod illi ipsi prænuntiarint Eliseo raptum Eliæ in cœlum, lib. IV *Regum*, cap. II, 3. Pluribus id probat Abulensis, cap. XIX, *Quæst.* XXXI.

IPSOSQUE PROPHETANTES, — id est hymnos Deo canentes. Cantores ergo hic vocantur prophetæ, præsertim ii qui ex afflatu Dei hymnos hos eructabant, uti fecit Saul de quo sequitur. Sic filii Asaph dicuntur prophetasse, id est, Dei laudes cecinisse in citharis, lib. I *Paral.* cap. XXV, vers. 1. Vide quæ de significatis nominis prophetæ dixi, I *Cor.* XIV. Causam et fructus hujus cantus dat S. Justinus, *Quæst.* CVII : « Excitat, ait, Ecclesiasticus cantus cum voluptate quadam animam ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium, affectiones et concupiscentias carnis sedat : cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amolitur : pietas decertatores, generosos et fortes per constantiam in rebus adversis efficit : omnium rerum, quæ in vita tristes et luctuosæ accidunt, piis affert medicinam. »

Et S. Isidorus, lib. VII *Sent.* cap. VII : « Psallendi, inquit, utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. » Et paulo post : « Nescio quo pacto modulatione canentis major nascitur compunctio cordis; multi enim reperiuntur qui, cantus suavitate commoti, crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavissima. »

6. ET INSILIET IN TE SPIRITUS DOMINI, ET PROPHETABIS CUM EIS, — hoc est afflatus Dei spiritu et quasi enthusiasmo actus hymnos dictabis et canes Deo : « Hoc verbo (insiliet) tanquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significat afflatus, » ait S. Augustinus, lib. II *ad Simplicianum*, Quæst. II. Vers. 6.

ET MUTABERIS IN VIRUM ALIUM, — majorem a Deo infusam accipies sapientiam et magnanimitatem, ex rusticano agasone fies civilis, politicus, regalis, quia indues animum liberalem et regium. Fies ex rudi sapiens, ex duro mitis, ex agresti urbanus, ex privato regius. Addit Nazianzenus dubitandum non esse quin Saul per inhabitantem Spiritum Sanctum fuerit in spiritualem virum commutatus.

7. QUANDO ERGO EVENERINT SIGNA HÆC OMNIA TIBI, FAC QUÆCUMQUE INVENERIT MANUS TUA. — Quasi dicat : Ex hisce signis intellige certissimo te esse regem a Deo electum, et facultatem regiam adeptum cum ope Dei tibi assistente, ut possis perficere quæ velis, quæcumque in regimine agenda tibi occurrent. Regaliter ergo age et pugna intrepide pro populo Dei et tuo. Vers. 7.

QUIA DOMINUS TECUM EST, — tanquam tuus director et gubernator. Ita Angelomus, Abulensis et alii. Audi S. Hieronymum in *Quæst.* : « His signis noscere poteris, quia Deus te regem fore voluit : et idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Dominus tecum est. » Et Chaldæus, *quando venient hæc signa tibi, parato tibi vasa* (instrumenta) *regni, quia dictum* (verbum) *Domini in auxilio tuo*. Lyranus, *dispone*, inquit, *te quantum potueris ad decenter et potenter regnandum.*

8. ET DESCENDES ANTE ME IN GALGALA. — Videtur Samuel vel rumore populi, vel instinctu Dei præ- Vers. 8.

cognovisse machinationes bellicas Naas regis Ammon contra Jabes Galaad. Hac de causa præmittit Saulem in Galgala, quæ vicina erat Jabes Galaad, seque eo secuturum promittit, ut voluntatem Dei de hoc bello illi indicet; sed cum urgeret hostis Samuelem, exspectare Sauli non licuit, ait Cajetanus et Lyranus.

Aliter Abulensis, qui generalem hic regulam dari Sauli a Samuele censet, ut quandocumque in periculis belli et hostium sit constitutus, se recipiat in Galgala, eoque se evocet, et exspectet quasi de voluntate Dei ibidem sciscitaturum; idque innuitur cap. XIII, 8. Sic quoque Angelomus et Mendoza : « Optime, inquit Serarius, jungeretur expositio Lyrani et Abulensis, ut et tunc temporis id factum sit, et postea semper de compacto fieri debuerit in difficilioribus negotiis, uti ex Josepho intelligitur, et infra cap XXIII, vers. 8 et 18.»

Porro in Galgala jubet descendere Saulem, tum quia Galgala erat vicina Jordani, ad eum contra hostes, ne per eum transirent in Judæam, defendendum; tum quia Galgala erat locus dicatus orationi et sacrificio, ex quo Hebræi transeuntes Jordanem sicco pede, prima in Galgala posuissent castra, *Josue* IV, 20, tum ut hujus beneficii et transitus memorem redderet Saulem, eumque magis Deo obligaret.

UT OFFERAS OBLATIONEM ET IMMOLES VICTIMAS, — quasi dicat : Afferes victimas per sacerdotem immolandas. Nam eas per se Sauli immolare non licebat, quia ipse non erat sacerdos.

Vers. 9. 9. IMMUTAVIT EI DEUS COR ALIUD, — *q. d.* Deus cor Saulis, quod, cum esset privatus, erat pusillum, abjectum, agreste, servile; jam eo rege facto fecit magnanimum, sublime, amplum et regale, ut nullis periculis cederet, nullos hostes metueret, nullum onus sibi difficile arbitraretur. Sic. S. Catharina Senensis petiit a Christo aliud cor conforme cordi Christi et obtinuit. Ita Abulensis : « Mutavit, inquit, ei cor, quod antea erat parvum et servile, in cor regale. » Hugo Cardinalis : « Altius, inquit, et audacius cor habuit. » Carthusianus : « Dedit Sauli cor virtuosius et specialiter magnanimius. » Vatablus : « Immisit illi mentem aliam, et cor regium sive regios spiritus. » Theodoretus : « Quoniam, inquit, erat rusticus solum sciens terram colere, cum ei manus imposuisset, dedit ei spiritum regium. » D. Gregorius : « Cor, inquit, immutatum habebat : quia qui asinas quæsierat, jam de regni dispositione cogitabat. »

Deus dedit cor aliud Sauli.

Idem tamen Gregorius rursum in malam partem hæc verba explicat : « Si, inquit, aliud cor tunc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit; sed ut cœpit discedere, pariter et cœpit superbire : in mente sua jam non esse parvulum; sed regem se cogitabat : adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis æstimatione. »

Proprie tamen hic mutavit Deus cor Saulis, quia fecit « prophetare, » id est Deo laudes canere, uti præcessit. Ita Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XI : « Saulem, ait, tam Dei spiritus antea vertit in alium virum, id est in prophetam, quam et malus spiritus postea evertit in alium virum, in apostatam scilicet. » Sic et alii Interpretes exponunt.

Vers. 10. 10. ET PROPHETAVIT IN MEDIO EORUM, — id est afflatus numine easdem laudes Deo cecinit, quas cæteri Prophetæ canebant. Modum explicat Auctor *De Mirabil. S. Script.* lib. I, cap. XI, agens de cantico Hebræorum post transitum maris Rubri, *Exodi* XV : « Admiratione, ait, dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, et omnes ætates, eodem inspirati flamine, uno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem continenter litteras decantarent in unum. Ubi non consuetudine humani ingenii, sed divino spiritu cantorum pectora et ora inspirantur, Dominus qui paulo ante in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodum in tali cantico, eorum linguas et ingenia gubernabat. »

Addunt Hebræi apud S. Hieronymum Saulem vere prophetasse de futuro sæculo, de præmiis justorum et pœnis improborum.

Vers. 11. 11. NUM ET SAUL INTER PROPHETAS, — ex subita mutatione tanta Saulis hæc vox adstantium erupit, quæ versa est in proverbium simile illi quo dicimus : « Anser inter olores, asinus inter apes, corvus inter Musas. » Simili modo dixere tempore Christi de Saulo facto Paulo : « Numquid Saulus inter Apostolos? » Numquid ille Jesum prædicat, qui Jesum persqui solebat? ait S. Gregorius. Hoc proverbium quoque usurpes, cum promiscue quilibet sibi magnificam aliquam functionem solitis suis viribus majorem usurpat; ut hoc ævo nemo non tractat sacras litteras, de iisque disputat. Ita S. Gregorius Nazianzenus, *Apol. de fuga sua ad Pontum* : « Pro eo, inquit, quod deberent esse dociles Dei, prophetant omnes, adeo ut et Saul sit inter Prophetas juxta priscam historiam et proverbium.» Acute Epictetus, cap. XX, *can.* 20: « Philosophari, inquit, desideras? para teipsum, quasi irridendus sis, quasi te subsannaturi multi sint, quasi dicturi : de repente hic nobis philosophus evasit? et unde nobis hoc supercilium? »

Moraliter, disce hic quam utilis sit societas bonorum : hæc enim aliis suam bonitatem affricat. En tibi Saul in societate Prophetarum, fit propheta et prophetat. Deus enim suum spiritum afflans Prophetis, etiam Sauli inter eos constituto eum afflabat.

Mystice S. Bernardus, serm. 2 *ad Fratres, de altitudine cordis* : « Magnum, inquit, prophetandi genus, cui vos deditos esse conspicio; magnum prophetiæ studium, cui vos conspicio mancipatos. Quo illud? Nempe juxta Apostolum non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur sine dubio prophetare, est ambulare in spiritu; ex fide vivere, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram; oblivisci quæ retro sunt, et extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. »

Vers. 12. 12. ET QUIS PATER EORUM; — ita legunt Romana,

quod primo aliqui sic explicant, quasi dicat : Mirum non est Saulem prophetare, quia Prophetæ donum prophetiæ non habent a parentibus, quasi ex traduce, sed a Deo : sicut ergo Deus illis idipsum gratis communicavit, sic et Sauli. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Vatablus, Sanchez et alii.

Aliter explicant nonnulli per auxesin, quasi dicat : Quomodo Saul subito factus est propheta? imo pater eorum, scilicet et cæterorum Prophetarum? illis enim Saul canendo eminet, quasi pater, id est magister discipulis. Quomodo tam subito factus est Prophetarum magister, qui paulo ante necdum eorum erat discipulus? Ita Hebræi apud S. Hieronymum in *Quæst.*

Porro Septuaginta legunt : *Et quis pater ejus?* quasi dicat: Nonne Cis est pater Saulis? Cis autem est homo amusus; quomodo ergo filius ejus Saul illico tam canorus evasit musicus? Quis eum docuit adeo melodice canere? utique non pater Cis, nec quis alius præter Deum. Verum legendum cum Hebræa, Chaldæa et Romana, *et quis pater eorum?*

Vers. 13. 13. ET VENIT AD EXCELSUM,— scilicet collem unde Prophetæ descenderant vers. 5; in excelso enim erat locus orationis et sacrificii. Eo ergo ascendit Saul antequam ad suos rediret, ut animum colligeret, et Deo pro tot donis sibi collatis gratias ageret, ait Abulensis, Hugo et Dionysius. Mystice S. Gregorius : « Ad excelsum, inquit, post prophetiæ ministerium venit, qui ad cœlestia gaudia, quæ prædicat, mentem erigit, et ad ea amando, se sublevat, quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, quasi in plano sunt : et quia post verba prædicationis ad promerenda ea quæ prædicant, se bonis operibus præparant, ad excelsum venire perhibentur. »

Vers. 14. 14. DIXITQUE PATRUUS SAUL. — Patruus hic Saulis fuit Ner pater Abner principis militiæ Saulis, inquiunt Beda, Hugo, Abulensis, Dionysius et alii. Nec ergo fuit pater Cis patris Saulis.

Vers. 16. 16. DE SERMONE AUTEM REGNI NON INDICAVIT EI. — Cur tam altum de regno suo Saul tenuit silentium? Respondet Lyranus : « ut evitaret jactantiam, et humilitatem servaret. » Vatablus : « Hoc tribuitur, inquit, modestiæ Saulis. » Abulensis : « Erubuit, inquit, de se hoc dicere, ne videretur se jactare, si hoc crederet esse verum. » Addit Carthusianus : « Quo exemplo, inquit, quorumdam jactantia, vanitas, insipientia arguuntur, qui nihil norunt celare, et præsertim, si quid gloriæ et honoris eis exhibitum fuerit? aut exhibendum, silere non valent, et propriam pandunt stoliditatem. » Porro S. Gregorius : « Verbum, inquit, non indicat, qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Nam qui magna dignitate, magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit, quæ loquendo non dicit. »

Secunda causa fuit, ne secretum propalaret : ita Lyranus. « Nam Samuel, ait, unxerat eum secreto, propter quod puerum Saulis fecit præire, ne audiret verba ejus, ut supra dictum est : et ideo voluit tenere secretum, et debuit quousque Samuel negotium publicaret. » Regi enim ad regia negotia summe opus est secreto.

Tertia, ne patrui invidiam sibi concitaret, uti concitavit Joseph narrans somnium fratribus de suo principatu : ita Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. IV, Hugo, Abulensis et alii.

Vers. 17. 17. ET CONVOCAVIT SAMUEL POPULUM AD DOMINUM IN MASPHA, — non quod *in Maspha* esset arca Domini, ut vult Lyranus, sed *ad Dominum,* id est ad comitia Domini, ad conventum et Ecclesiam Domini, ad Synagogam Domini; ubi enim est Ecclesia Dei, ibi est præestque ipse Deus. Rursum *ad Dominum*, id est ad Domini sortes et judicium; quo scilicet Dominus publice erat designaturus regem Israelis a se electum : ita Cajetanus. Vide dicta de *Maspha,* cap. VII, vers. 5, et *Judic.* XX, 1. Noluit enim Deus suspectum populo esse Samuelem, quasi humano non divino judicio rem tantam peregisset.

Vers. 18. 18. EGO EDUXI ISRAEL, etc. — Vere S. Bernardus, serm. *De septem misericordiis,* de seipso fatebatur : « Sic, inquit, onerat me miserationibus suis Deus, sic obruit beneficiis, ut onus aliud sentire non possim. »

Vers. 19. 19. NUNC ERGO STATE CORAM DOMINO. — « Religiosus, inquit Cajetanus, sortium usus significatur, per stare coram summo Deo : ut non ex casu, sed ex divina providentia exspectarent effectum sortis, elevatis mentibus in Deum et devote commendando causam Deo. »

Vers. 20. 20. ET APPLICUIT (hebraice יקרב *iacreb*, id est, appropinquare vel accedere fecit) OMNES TRIBUS ISRAEL, — ad sortem, hoc est : dedit vel jecit sortem duodecim tribubus, ut per eam videret quam ex illis Deus eligeret, ut ex ea regem designaret. *Applicuit* eas Samuel, ait Abulensis, ponendo sortes pro illis, vel Deum interrogando pro singulis. Quales fuerint hæ sortes nescimus, quia eas Scriptura non explicat.

Nota : Samuel jam ante ex Dei jussu Saulem unxerat in regem, sed secreto; nunc ut eumdem a Deo electum toti populo ostendat, sortem jacet instinctu Dei, qui Samueli suggessit se ita sortes has directurum, ut non in alium quam in Saulem caderent. Prudenti consilio id fecit Deus ne quis a Samuele non a Deo electum Saulem ob privatam amicitiam, spes et commoda arbitraretur; aut se vel alios e Juda, vel aliis nobilioribus tribubus, ait Lyranus, regno digniores esse judicaret. Sors hæc fuit divinatoria, sed a Deo suggesta ideoque licita. Vide quæ de sorte triplici partim licita, partim illicita, dixi *Actor* I, et *Jonæ* I.

Vers. 21. 21. ET CECIDIT COGNATIO METRI. — Inter filios Benjamin qui exacte numerantur libro I *Paral.* cap. VIII, vers. 1 et seq., nominatur *Metri.* Quare Hebræi, Lyranus, Abulensis, Hugo, Dionysius et alii censent aliquem ex posteris Benjamin, qui

nominantur I *Paral.* VIII, cognominatum fuisse *Metri,* id est *jaculatorem,* quod in arte sagittandi, scopum scilicet configendi excelleret; in hac enim eminuisse Benjaminitas patet, *Judic.* XX, 16.

Vers 22. 22. ET CONSULUERUNT POST HÆC DOMINUM, — per Pontificem indutum Rationali, in quo erant Urim et Tummim, uti dixi *Exodi* XXVIII, 30.

ECCE ABSCONDITUS EST DOMI, — in vasis quibusdam, ut habent Hebræa et Græca, puta in populi, qui convenerat, sarcinis, ait Vatablus, vel in latebram aliquam fugerat, ut ait Josephus, idque ex humilitate qua se regno indignum judicabat, et onus regendi formidabat, ait Lyranus, Hugo, Abulensis, et Cajetanus. Vide hic quomodo honor sequitur fugientes, sequentes fugit, uti secutus est Saulem.

Vers. 23. 23. ALTIOR FUIT UNIVERSO POPULO AB HUMERO ET SURSUM, — ut sicut corpore, sic et mente, virtute et dignitate regia subditis omnibus emineret. Fuit ergo Saul procerus, et quasi gigas. Sic Anchises, *Æneid.* VIII, ait Virgilius : « cunctis altior ibat, » et Turnus, lib. VII, « toto vertice supra est. » Sic procerus fuit Salomon, *Cant.* V, 15, Carolus Magnus, Julius Cæsar, Romulus. Suum Trajanum laudat Plinius in *Panegyrico* : « Quod non humeris hominum, ut alii superbi Imperatores, veheretur; sed sola corporis proceritate elatior et excelsior, non de patientia civium, sed de superbia Principum triumphasset. »

Audi Theodoretum : « Ideo Deus elegit omnium maximum, quia Hebræi non animi virtutem, sed corporis magnitudinem mirabantur. »

Tropologice S. Gregorius : « Rex, inquit, præcellit collo, præcellit et capite. Quid enim in collo, nisi locutio? quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur? Capite ergo et collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinæ. » Et paulo inferius : « Emineat, inquit, rex collo, emineat capite, sit humero sublimis, ut conversatione perfectus sit, eloquio mirabilis, præ cæteris arduus in arce contemplationis. »

Saul typus Christi tripliciter. Allegorice Saul fuit typus Christi, idque ob tres analogias quas recenset Beda, lib. II *in Samuel* cap. III : « *Primo,* inquit, quia Saul de tribu Benjamin, id est, filii dexteræ, descendit : ita Christi Domini familia, quæ ab eo pascitur ac regitur, tota dextera est; nam ejus charitas in eis solum, qui ad dexteram regni partem pertinent, perfecte generatur. *Secundo,* quia Saul altior fuit universo populo, seu eminebat super omnem populum; ita Christus Dominus suæ sanctitatis et potestatis gloria cunctos facile superabat. Quis enim similis erit Deo, inter filios Dei? » Et iterum : « Qui de cœlo venit, super omnes est. *Tertio,* quia Saul in regem ungendus absconditus est domi; ita et Christus Dominus, cum venturi essent ut raperent eum et constituerent sibi regem, fugit. » Nec sine mysterio Saul domi absconditur : « Quia Christus Dominus, inquit Beda, intus se quæri debere, intus inveniri posse, intus esse quæ docet; intus, quo ducit, ostendit. »

Vers. 25. 25. LOCUTUS EST AUTEM SAMUEL LEGEM REGNI, — id est præscripsit leges servandas tam regi circa populum, quam populo circa regem, quid scilicet rex populo, ac vicissim quid populus regi præstare deberet. Hinc liquet jus regis a Samuele recensitum cap. VIII, vers. 11, non esse legitimum, sed inique usurpatum.

Vers. 26. 26. ET EXPOSUIT CORAM DOMINO, — puta coram arca Domini. Hic ergo Samuel publice coram toto populo Saulem ex Dei jussu pronuntiavit regem, ideoque publice rursum eum unxit, et diademate cæterisque regiis insignibus decoravit. Ita Abulensis, et sat colligitur ex innovatione regni quæ facta dicitur cap. seq. vers. 14.

Vers. 27. SED ET SAUL ABIIT IN DOMUM SUAM IN GABAA. — Mystice S. Gregorius : « Domus, inquit, regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicitur. Domus ergo regis in Gabaa esse ostenditur, quia electus Doctor non ima et terrena cogitando incolere, sed alta et cœlestia meditari studet. »

27. FILII VERO BELIAL (homines indomiti, superbi, protervi, inobedientes, rebelles) DIXERUNT : NUM SALVARE NOS POTERIT ISTE? — « Iste, » scilicet vilis, plebeius, ignobilis, incognitus, inexpertus; quid faciet hic longolius? quid præstabit turris hæc carnea? « Non est in tanto corpore mica salis. » Ad quid tantum gigantis supercilium, nisi ut capita nostra despiciat, eaque suis brachiis premat et tundat? Hic erit noster Cacus, de quo Ovidius :

> Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
> Grande : pater monstri Mulciber hujus erat.

ILLE VERO DISSIMULABAT SE AUDIRE. — Hebraice, *obsurdescebat,* gerebat se quasi surdum : « Noluit enim, ait Dionysius, regnum suum a turbatione, lite et sanguine inchoare. Si enim ostendisset se verba illa audire, nec vindicasset, pusillanimis videretur; si vero ulcisceretur, ferocitati et arrogantiæ adscriptum fuisset. » Ergo recte dissimulavit, finxitque se non audire, juxta illud *Eccles.* XXXII, 12 : « In multis esto quasi inscius. » Sapienter S. Isidorus, lib. III *Sent.* cap. L : « Plerumque, ait, princeps justus etiam malorum errores dissimulare novit, non quod iniquitati eorum consentiat; sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire. » Et Seneca, lib. I *De Clementia* : « Regibus, ait, certior est ex mansuetudine securitas, quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. » Et paulo inferius : « Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores præstat; ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus. » S. Bernardus, *ad Eugenium Pontificem* : « Pauca, ait, castiges; multa dissimules. » Theodosii Imperatoris in injuriis clementiam ita dilaudat S. Ambrosius, *epist.* 17 : « Antiochenis, inquit, jam donasti injuriam; inimici tui filias

Sapiens multa dissimulat.

revocasti, nutriendas apud affinem dedisti; matri hostis tui misisti de ærario tuo sumptus.» Et Augustinus, lib. V *De Civitate*, cap. XXVI : « Inimicorum suorum, ait, filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, Christiana charitate dilexit; nec privavit rebus, sed auxit honoribus.»

Causam dat S. Ambrosius, *serm.* 20 : « Quo enim quis fuerit ad injuriam patientior, eo potentior constituitur in regno. » Sapienter S. Ambrosius, lib. II *De Interpellat. Job*, cap. III : « Tacere, inquit, debet, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet et scindatur cicatrix, tacere, et qui non recognoscit; audit enim alterius, non suum crimen; quod si referat, suum facit; si tacet, retorquet, et conviciantem vulnerat. »

Sapientius Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. VIII, docet claudendas esse aures ne injurias audiant : « Si parum, inquit, æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est; aut cruciabor impatientia muta. At qui hujusmodi dictis aures obstruxerit, ab utroque incommodo eripietur; neque loquens maledicet, neque tacens affligetur. Ita David suas aures obstruebat. Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. »

Fructum hujus patientiæ subjicit Tertullianus : « Omnis, inquit, injuria seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem ictu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum et obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnunquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet. Nempe idcirco qui te lædit, ut doleas; qui fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.»

Regium ergo, imo divinum est, injurias contemnere, despicere, indulgere, et beneficiis obruere.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Naas rex Ammon vult viris Jabes Galaad eruere oculos dextros. Audit id Saul, cogitque exercitum, quo cædit castra Naas ad internecionem. Quare, vers. 12, *Hebræi applaudunt, eique regnum confirmant in Galgala.*

1. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. 2. Et respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Jabes : Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel; et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, et locuti sunt verba hæc, audiente populo; et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. 5. Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro, et ait : Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. 6. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. 7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens : Quicumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. 8. Et recensuit eos in Bezech : fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Juda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntiis qui venerant : Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad : Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes : qui lætati sunt. 10. Et dixerunt : Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies; reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem : Quis est iste qui dixit : Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. 13. Et

ait Saul : Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum : Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

Vers. 1. 1. HABETO NOS FOEDERATOS, — *q. d. Pange nobiscum fœdus,* ut vertunt Septuaginta. Chaldæus vero, *Decerne nobis pactum, et serviemus tibi;* quasi dicant : Subditi et servi tui erimus, sed fœderati, non bello victi et manu capti, quasi mancipia.

Vers. 2. 2. IN HOC FERIAM VOBISCUM FOEDUS, UT ERUAM OMNIUM VESTRUM OCULOS DEXTROS, — tum ad ignominiam et opprobrium, ut sequitur; tum ut vos semicæcos et bello inutiles reddam : « Milites enim oculum sinistrum scuto tegunt, dextro vero in pugna rem gerunt. » Ita Abulensis. Audi Josephum, lib. VI *Antiq.* cap. V : « Hic (Naas) Judæis ultra Jordanem habitantibus infestus, cum magno et forti exercitu regionem ingressus, urbes eorum subjugare cœpit; nec contentus libertatem in præsens abstulisse, ut omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tam ultro deditis, quam vi subactis, dextrum oculum eruebat; ut quoniam scutum sinistro prospectum negat, omnino inutiles bello fierent. »

Tertiam causam addit Dionysius, scilicet voluisse Naas hac exoculatione Jabesitarum, terrorem sui omnibus Hebræis incutere, ne quis deinceps similis supplicii metu, sibi rebellare auderet.

Tropologice *Naas* hebraice idem est quod *serpens,* puta diabolus, « qui dextros oculos suorum eruit, quando abstinentibus a se devictis, sic per gulam prævalet, ut carnalia sola cupiant, et spiritualia, quæ amare solebant, non attendant, » ait S. Gregorius, Beda et Angelomus; spiritualia enim sunt dextra, id est potiora et meliora; ideoque dextro et meliori oculo intuenda : carnalia vero sunt sinistra, id est viliora; ideoque sinistro et viliori oculo obiter aspicienda. Dextro ergo suspicimus cœlum et cœlestia; sinistro despicimus terram et terrestria.

Audi S. Nilum in *Ascetico* : « Naas Ammonites, qui serpentem significat, Israeli perspicaci omnem oculum dextrum effossurum se minitatur, ut nulla dextera cogitatio ad ullam dexteram actionem dirigatur; eos enim qui a contemplatione ad actionem se conferunt, valde proficere non ignorat; nam illi in actionibus suis sine reprehensione egerunt, qui mentis oculis acutissimis, quid agendum sit, antea meditati sunt. »

Vers. 3. 3. CONCEDE NOBIS SEPTEM DIES, — ad petendum a cæteris Hebræis consilium et auxilium. Concessit eis hoc Naas superbus non ex pietate, sed ex animositate, ait Dionysius, æstimans neminem ausurum eis succurrere, vel sibi in prælium occurrere. Putabat enim tam paucis diebus tantum exercitum, qui suo par foret, cogi non posse.

Vers. 4. 4. VENERUNT ERGO NUNTII IN GABAA SAULIS, — Gabaa enim erat patria Saulis, ideoque in ea rex factus residebat.

Vers. 5. 5. ET ECCE SAUL VENIEBAT SEQUENS BOVES DE AGRO. — « Veniebat, ait Hugo, sequens boves de agro; non ut custos boum, quia hoc esset inconveniens, ut rex esset bubulcus; sed casu accidit, ut cum rediret Saul de agro, boves præcederent eum in via. » Sic et Lyranus et Dionysius.

Verum hic sensus contortus videtur et violentus; sequi enim boves de agro, est aratorum boves ab aratro reducentium ad stabulum. Fuit ergo Saul arator, ait Abulensis, et licet jam foret rex creatus, ad solitam tamen agriculturam, cum alia regni negotia non occurrerent, rediit. Sic et David, postquam a Samuele unctus esset in regem, rediit ad pascendum suas oves. Unde vers. 7, utrumque hunc bovem suum, quo arabat Saul, concidit in frusta. Erant ergo hi proprii ejus boves, non alieni. Ita Abulensis, Cajetanus, Sanchez, Mendoza et alii. Causam dat S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* cap. XVII, quia « perit omne quod agitur, nisi sollicite in humilitate custodiatur. » Et « hoc, ait Hugo Cardinalis, est contra Religiosos, qui quando fiunt Episcopi, dimittunt regulam suam. » Vide et mirare hic simplicitatem et modestiam primorum regum, Saulis et Davidis, ac agriculturæ dignitatem et præstantiam; utpote quam olim reges et principes exercuerint. Sic Romulus, Remus, Curius, Fabricius, primique romani Senatores et Principes erant aratores et agricolæ. Audi Propertium, lib. IV :

Saul rex et bubulcus.

Sic et prisci Senatores Romani.

> Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
> Pellitos habuit, rustica corda, Patres.
> Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
> Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

Plinius, lib. XVIII *Hist.* cap. III : « Ipsorum, inquit, manibus Imperatorum colebantur agri; gaudente terra vomere laureato, et triumphali aratore. » Valerius Maximus, lib. IV, cap. IV : « Illi, inquit, prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa solum versabant; imo quos pericula Reipublicæ imperatores accersebant, angustiæ rei familiaris, bubulcos fieri cogebant. » Causam dat S. Chrysostomus, hom. 15 *in* II *ad Corinth.* Quod Deus primis parentibus agriculturam ut necessariam, artemque innocentissimam et præstantissimam indixerit, juxta illud *Gen.* cap. II, vers. 15 : « Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. » Et mox a diluvio cœpit « Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam, » *Gen.* IX, 9.

Cur? Agriculturæ laus.

Audi Philonem, lib. *De Abel et Cain* : « Moyses, ait, præclaram existimans artem pastorum, ipse tractavit hoc negotium. » Et lib. *De Agricultura* : « Tanta, inquit, curæ pastoralis honestas creditur et utilitas, ut Poetarum gens reges soleat vocare pastores populi. » Et lib. *De Joseph*, agens de cura pastoritia : « Quæ disciplina, ait, cum civili convenit. Et hoc est, opinor, cur Poetæ reges vocant pastores populi. Nam qui summus est in arte pecuaria, facile bonus rex evadet, pulcherrimo hominum gregi præpositus, approbata industria in minore negotio. » Denique lib. I *De Vita Moysis*, tom. II, de Moyse : « Præfuit, ait, gregibus, ad principatum se præparans. Nam pastoralis ad regnum est præludium, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi. » Clemens Alexandrinus, lib. *Strom.* : « Moyses, ait, oves pascit, ut qui ad principatum pastoralem prius erudiretur. Ei enim qui hominum gregi est præfuturus, est præexercitatio, ovium pascendarum scientia. Ab ea autem ducit Deus, ut esset dux Hebræorum exercitus. » D. Ambrosius eleganter idipsum notat lib. I, *epist.* 4 : « Abraham, ait, et Jacob, et postea Moyses et David pastores fuerunt, regalem quamdam in hoc munere disciplinam induentes. » Denique S. Basilius, hom. 26 *De Martyre Mamante* : « Ne contemnas, inquit, virum ubi pastorem audis. Qui Deo primus placuit, Abel pastor fuit. Moyses magnus ille legislator pecudes pavit in monte Horeb; et per pasturam ad colloquium Dei pervenit. Jacob patriarcha, pecudes pascendo, pro veritate patientiam ostendit, et in modica imagine universam vitam suam, quasi quodam charactere obsignavit; David a pecudum pastura pervenit ad regnum. Sorores quædam sunt pastura et regni administratio. Quapropter Dominus, utraque complexus, et pastor est et rex. »

Vers. 6. 6. ET IRATUS EST FUROR EJUS NIMIS. — Acuit Saul iram justam in Naas idololatram et tyrannum tam indigna poscentem ab Israelitis; Deo et sibi quasi regi jam subditis, ut illa ipsi esset cos virtutis, eumque stimularet ad justam de eo vindictam, et subditorum defensionem; ad hoc enim opus erat animo heroico et excelso, præsertim in re tam subita, cum nullum haberet militem, et hostis tempusque angustum urgerent. Audi S. Basilium, hom. 10 *De ira* : « Nervus, inquit, est animæ indignatio, fortitudinem constantiamque præbens ad res bene gerendas; quæ animam voluptate delinitam ac lascivientem, veluti ferro quodam cohibens, austeriorem fortioremque ex molli ac remissa dedit. » Et paulo post : « Ira, inquit, velut armis utamur. Ideo Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Quid Phinees justum reddidit? Nonne contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac mansuetus existens, protinus utrumque trucidavit; Samuel autem regem Amalec nonne justa ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira sæpenumero bonarum actionum administra. Elias vere Zelotes turpitudinis sacerdotes justa indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit. »

Ira cos virtutis.

Quocirca S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXI : « Irascimini, ait, ubi est culpa, cui irasci debeatis; non potest enim fieri ut non rerum indignitate moveamur; alioqui non virtus; sed lenitudo et remissio judicatur. Irascimini ergo, ita ut a culpa abstineatis. »

Tropologice S. Gregorius : « Ecce, ait, Saul ut irasci nimis potuerit, prius in eum spiritus Domini insiliit. Quam metuenda sit ergo Sanctorum ira cernimus, si insilientem in eos Domini Spiritum cogitamus, si dum illos foris irascentes aspicimus, commoventem spiritum intus pariter attendamus; quoties ergo majorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere, si eorum impetum motum Sancti Spiritus credimus. »

Vers. 7. 7. ET ASSUMENS UTRUMQUE BOVEM, CONCIDIT IN FRUSTA. — Imitatus est Saul exemplum Levitæ, qui uxorem stupro occisam conscindens in frusta, illa per totum Israelem dispersit, itaque omnes ad stupri vindictam accendit, *Judic.* XIX, 29. Sic novitas concisionis, novi regis minantis se idem facturum bobus ejus, qui se a bello subduxisset, omnes impulit, ad commune periculum communibus animis armisque propulsandum. Timebant enim tyrannum Naas, ne subjugatis et exoculatis Galaaditis, victoria insolescens, pergeret trans Jordanem, ibique pari cæteros feritate omnes Hebræos sub jugum mitteret et exocularet. Timebant quoque iras et minas sui regis Saulis. Timebant denique Deum vindicem, ne si regem suum ab eo constitutum desererent, ab eo in manus Naas traderentur.

QUICUMQUE NON EXIERIT ET SECUTUS FUERIT SAUL ET SAMUEL, SIC FIET BOBUS EJUS. — Hinc patet Samuelem Dei monitu adfuisse Sauli, et interfuisse castris et prælio, ut omnes ad illud animaret, et suis precibus meritisque, eis a Deo victoriam impetraret. Unde et ea parta vers. 12, ait populus ad Samuelem : « Quis est iste qui dixit : Saul non regnabit super nos? » Et vers. 14 : « Dixit Samuel ad populum, » etc., toti ergo huic belli tam periculosi negotio interfuit, imo præfuit cum Saule Samuel, quasi judex vindexque Israelis. Nota hic : tam diu bonus fuit Saul, quamdiu Samuelem directorem secutus est; quando vero ejus monita jussaque neglexit, factus est malus et reprobus. Rursus Saul præponit se hic Samueli, quasi rex totius Israelis, ideoque dignior; licet Samuel eo esset sanctior.

SIC FIET BOBUS EJUS. — Sed cur idipsum hominibus ipsis non comminatur? Respondet R. Salomon apud Lyranum et Abulensem : « Noluit, ait, comminari pœnam mortis, vel detruncationis membri, ne in principio regni sui, a magno rigore incipere videretur. » Astipulatur Dionysius : « Comminabatur, ait, Saul pecorum ablationem,

non hominum trucidationem, ut temperate inciperet suam exercere jurisdictionem. »

Novelli ergo principes, si sapiunt, sequantur illud Claudiani : « Mitissima sors est regnorum, sub rege novo. »

Vers. 8. 8. FUERUNTQUE FILIORUM ISRAEL TRECENTA MILLIA, VIRORUM AUTEM JUDA TRIGINTA MILLIA. — Mendaciter Josephus, ut vires suorum Israelitarum Vespasiano et Romanis ostentet, ait ex Israele fuisse septingenta millia, ex Juda vero septuaginta. Quanquam Septuaginta hic numerent sexcenta millia Israelis, et septuaginta ex tribu Juda. Porro Saul « recensuit eos in Besech, » qui erat locus juxta Jordanem, cujus rex erat Adoni-Besec, *Judic.* I, 5, quam Josephus *Balam* vocat, Septuaginta *Bama* (1).

Mystice, *Besec* hebraice idem est quod *fulgur* vel *egestas*, quod Beda ad mysterium traducens asserit, « fideles omnes, æternæ patriæ cives, in Christo Domino, qui fulguri comparatur, *Lucæ* cap. XVII, vers. 24, numerandos esse et colligendos. » Et rursus, « qui relictis omnibus sequuntur Dominum, describendos esse et recensendos, ut regno cœlorum potiantur, quod pauperes spiritu consequuntur, » *Matth.* V, 3.

Porro numeris 300 et 30 millium, idem Beda hoc mysterium assignat : « Ternarius, ait, propter confessionem sanctæ Trinitatis ad fidem; denarius, et centenarius propter dexteræ mercedis electionem, et denarium diurnum bonis vinitoribus dandum, referuntur ad spem. Porro millenarius ad immobilem stabilemque perfectæ dilectionis respicit operationem. » Et statim : « In filiis Israel, qui est videns Deum, intelligit speculantium perfectionem; in viris autem Juda, qui interpretatur confessio, confitentium fortitudinem, » suo utrisque nomine optime accommodato. Nam *contemplatores* mitiori vocabulo *filii; confessores*, solidiori nomine *viri* nuncupantur.

Vers. 9. 9. CRAS ERIT VOBIS SALUS. — Mirare hic prudentiam et celeritatem Saulis, qui uno die tantas copias conflavit, disposuit, magnis itineribus in hostem contendit, pugnavit, vicit, triumphavit, ut cum Julio Cæsare dicere posset : « Veni, vidi, vici. » Hinc patet minus vere Josephum, et ex eo Magistrum *Historiæ Scholasticæ* pro *cras*, supponere, *tertio die*. « Credibile est, ait Dionysius, quod Samuel divina revelatione cognovit, quod Saul cum suis triumpharet. »

CUM INCALUERIT SOL. — Mystice B. Petrus Damianus, lib. VI, *epist.* 5 : « Cum, ait, mens per desidiam primitus tabefacta, jam in se reversa, ad Conditoris sui desiderium recalescit; cum torporem negligentiæ deserit, et frigus insensibilitatis pristinæ flamma sancti amoris accendit; tunc velut incalescente sole, victoria de hostibus sumitur, et obsessa civitas de superbi regis manibus liberatur. Hinc est quod de Abraham scriptum est : Quia apparuit ei Dominus in convalle Mambre in ipso fervore diei, » *Genes.* cap. XVIII, 1. « Hinc est quod de Lot dicitur : Sol ortus est super terram, et Lot ingressus est Segor, » *Genes.* cap. XIX, vers. 23. « Recte igitur mundi, sive principis ejus amicitias dedignamur, et cum eis simul societatis fœdus habere contemnimus, ne dum tenebris jungimur, luce privemur. »

(1) Non est mirum quin Saulis exercitus tam numerosior fuerit, nam pro patriæ salute apud veteres quisque currebat ad arma.

10. MANE EXIBIMUS. — Audi S. Gregorium : « Qui, Vers. 10.
ait, jam de vicino auxilio securi sunt, quamdam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant; sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt. » Et paulo post : « Dabant, ait, hostibus credere, quod sic se in eorum manibus traderent, ut facere de eis possent quæcumque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum regem in suum auxilium noverant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. »

11. CONSTITUIT (divisit) SAUL POPULUM IN TRES Vers. 11.
PARTES, — ut tribus ordinibus et locis in hostium castra ex inopinato irruerent; itaque eos percellerent et occuparent, ne quis eorum evaderet. Rursum, ut si una turma deficeret vel succumberet, altera ei succurreret.

Mystice, B. Petrus Damianus, lib. VI *Epistolarum*, epist. 5 : « Quid est, ait, quod populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales animæ virtutes : fides scilicet, spes et charitas? in trifariis itaque bellatorum partibus victoria certaminis obtinetur, quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. »

ET INGRESSUS EST MEDIA CASTRA IN VIGILIA MATUTINA, — ut somno sopitos vel semisomnes invaderet et opprimeret. Simili stratagemate usus Josue cap. X, vers. 9, cecidit Amorrhæum. Vide ibi dicta.

ET PERCUSSIT AMMON, — puta Ammonitas. Addit Josephus ipsum eorum regem Naas fuisse occisum.

13. ET AIT SAUL : NON OCCIDETUR QUISQUAM IN DIE Vers. 13.
HAC, — quia hæc dies est gaudii, victoriæ et triumphi, quam non decet cæde luctuque civium funestare, fœdare, maculare, ait Josephus, Abulensis et Dionysius.

14. EAMUS IN GALGALA, ET INNOVEMUS REGNUM. — Vers. 14.
Elegit Samuel Galgala, tum quia hic locus erat vicinus Jordani, juxta quem commissum erat prælium, et victoria parta; tum quia Galgala locus erat celebris ob castra Josue cap. V; tum quia Samuel in Galgala populum judicare solebat. Ibi ergo fiebat conventus populi et comitia publica; in quibus proinde Samuel voluit innovare regnum Saulis, id est nova populi de tanta ejus victoria gratulatione confirmari. Unde verisimile est Samuelem hic rursum unxisse Saulem in regem, cæterisque regis insignibus eum ornasse. Hinc Josephus, lib. VI, cap. IV, asserit Saulem unctum

in *Maspha* et in *Galgala*. Ter ergo unctus est Saul a Samuele: *primo*, secreto et privatim cap. x, vers. 1; *secundo*, publice in *Masphat*; *tertio*, post victoriam publice pariter in *Galgala*. Ita Abulensis, Sanchez, Serarius et alii. Sic et David ter fuit unctus in regem : *primo*, privatim in domo patris, cap. xvi, vers. 13; *secundo*, publice in Hebron « super tribum Juda, » II *Reg.* cap. II, vers. 4; *tertio*, cap. v, vers. 3. Ibidem « super totum Israel. »

15. ET OBTULERUNT IBI VICTIMAS PACIFICAS, — in gratiarum actionem pro pace Israeli per victoriam Saulis parta; et in postulationem, ut illa pax tam Israeli quam Sauli foret firma et constans. In nova enim tantæ victoriæ exsultatione ac novi regis et triumphatoris Saulis inauguratione, par erat hæc sacrificia ad publicam gratulationem offerri « in Galgalis, » esto ibi non esset arca fœderis, nec tabernaculum, vel altare holocaustorum. Vers. 15.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel sui principatus juste sancteque gesti testimonium poscit a plebe. Mox, vers. 7, refricans Dei in populum beneficia ac populi ingratitudinem, graviter eum contestatur, ut soli Deo serviat; alioqui Dei vindictam experturum; in cujus rei signum, Dei quasi e cœlo dicta sua confirmantis vocem elicit per tonitruum, vers. 18. Igitur hoc capite populus Samuelis innocentiam probat, sapientiam audit, patientiam videt, potentiam admiratur.

1. Dixit autem Samuel ad universum Israel : Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem. 2. Et nunc rex graditur ante vos; ego autem senui, et incanui : porro filii mei vobiscum sunt; itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum : si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. 4. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. 5. Dixitque ad eos : Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt : Testis. 6. Et ait Samuel ad populum : Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris : 8. quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum; et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. 9. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philistinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. 10. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. 11. Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. 12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi : Nequaquam, sed rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis : ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum; 15. si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros. 16. Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis, et videbitis quia grande malum feceritis

vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. 18. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem : Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. 20. Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc; verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum; quia juravit Dominus facere vos sibi populum. 23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. 24. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro; vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. 25. Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.

Vers. 2. 2. REX GRADIATUR ANTE VOS. — Chaldæus : *Ecce rex ductor in capite vestro.* Hoc enim petierat populus cap. VIII, vers. 20. Rursum Samuel hic quasi se abdicat principatu, quasi dicat : Ego officio meo perfunctus sum, regem quem petistis dedi vobis Saulem; ille ergo deinceps erit rex, dux et princeps vester. Unde mox vers. 3, Samuel coram Saule toti populo administrationis suæ rationem reddit, uti solent facere ii qui magistratu abeunt, vel eo se abdicant; qua in re tum reverentiam et obedientiam Sauli detulit, tum suam integritatem ostendit; dum Saulis et totius populi judicio se supposuit, si quis aliquid adversus eum haberet, ait Cajetanus.

EGO SENUI ET INCANUI; PORRO FILII MEI VOBISCUM SUNT, — ut me mortuo injuriam vel damnum, si quod alicui vestrum intuli, ex bonis meis præstent et sarciant; dummodo læsus illud nunc palam edicat, et de eo me convincat. Ita Lyranus. *Secundo*, Dionysius, *q. d.* Ego abeo, sed filii mei pro me, si qua in re opus erit, vobis novoque regi servient. *Tertio*, Mendoza, *q. d.* : « Filii mei vobiscum sunt. Optime illos nostis; et ab illis in meam vitam facile inquiretis an ego illorum malitiam foverim, aut juverim, aut aliquo patrocinio ad injustitiam exercendam incitarim. Quare cum hæc inquisitio facilis sit, omnes, quæso, ad hoc judicium concurramus. »

Ex τὸ *senui et incanui*, patet Samuelem hoc tempore fuisse valde senem : scilicet circiter sexaginta annorum, ita ut natus anno secundo Heli, qui 40 annis præfuit, cum ei morienti successit, fuerit 38 annorum, ac deinde 22 præfuerit Israeli.

Sic enim hisce annis additis conflabuntur anni sexaginta senectutis ejus, quæ in eo citior et gravior fuit, ob labores assiduos, quos in judicando subierat. Dices : Quomodo ergo subdit Samuel : « Conversatus coram vobis ab adolescentia mea? » nam qui 38 est annorum non est adolescens, sed vir. Respondeo : Samuel adhuc vivente Heli, cum junior esset, multa loco Heli jam grandævi administrabat; exercebat enim eum Deus per Heli, ut idoneus fieret ejus successor : huc enim eum ipse destinabat.

Vers. 3. 3. CORAM CHRISTO EJUS, — id est coram Saule, qui est *Christus*, id est *unctus Dei*, eo quod Deus eum per me regem crearit, et unxerit. Samuel ergo coram Saule et coram Deo suam integritatem enuntiat, ad Saulis et populi exemplum, ut illud imitentur; simul tacite innuens, se Deo illam acceptam referre. Nam, ut ait D. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. XIII : « Quisquis, inquit, tibi, Domine, enumerat vera merita sua; quid tibi enumerat nisi munera tua? » Et epist. 105 *ad Sixtum* : « Cum, inquit, Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua. »

UTRUM BOVEM CUJUSQUAM TULERIM. — Sic et S. Paulus : « Argentum, ait, et aurum, aut vestem nullius concupivi; ipsi scitis, » *Actor.* cap. XX, vers. 33. Et iterum : « Capite, ait, nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus, » etc., II *Cor.* cap. VII, vers. 22.

Hinc B. Petrus Damianus, lib. I, *epist.* 12, coarguit episcopos, qui nolunt se suosque actus a civibus examinari : « Quis, ait, est hic arrogantiæ tumor? quis elationis fastus? quæ denique tanta superbia? ut liceat episcopum ad propriæ voluntatis arbitrium vivere, et quod insolenter excessum est a subjectis suis, dignetur audire. » Et paulo post, hunc fastum per exempla proborum contraria exaggerans : « Beatus, ait, Job dicit : Si contempsi subire judicium cum servo meo, » *Job* cap. XXXI, vers. 13. « Et tu dicis : Absit, ut digner ad examen venire cum Clerico meo. Deus omnipotens per Isaiam clamat : Venite et arguite me, » *Isaiæ* cap. I, versu 18. « Is qui judicat omnia non dedignatur a servis argui; tu servus utique cum servo in judicium venire fastidis? Samuel ultro se arguendum nullis accusantibus obtulit; et utrum eos in aliquo violenter oppresserit, inquisivit. Ecce præsto sum, inquit, loquimini de me, » etc.

SI OPPRESSI ALIQUEM. — Samuelis justitiam et modestiam affectatus S. Gregorius Nazianzenus,

oratione 32, se populi judicio submittit : « Quid, ait, populum hunc per avaritiam circumvenimus? numquid privatis utilitatibus consuluimus? numquid Ecclesiam molestia affecimus? Nihil profecto, quantum mihi conscius sum. Purum minimeque adulterinum sacerdotium custodivi. » Mox gravi contentione idipsum perurget dicens : « Quod si Principatus, aut sublimium thronorum studio ductus sum, aut Imperatorum aulas calcare appetii, nunquam aliud quidquam splendoris consequi mihi contingat; aut si consecutus fuero, statim illud projiciam atque amittam. »

Porro Samuel hæc de se recenset coram novo rege Saule; ut eum suo exemplo doceat subditos non opprimere, sed sublevare. Ita S. Chrysostomus, hom. 24 *in epist.* II *ad Corinth.*, qua in re vide et imitare prudentiam Samuelis.

Prælati respuant munera.

SI DE MANU CUJUSQUAM MUNUS ACCEPI, — etiam ultro et sponte oblatum. Magnæ integritatis, magnanimitatis et sanctitatis indicium est, munera refutare. Sic Daniel ad Baltasar, cap. v, 17 : « Rex, inquit, munera tua alteri da. » Quærit S. Chrysostomus *in Psalm.* XCV : « Et quod erit interpretationis suæ Danieli præmium? » ac respondet : « A Deo merces veniet; quin potius hoc ipsum mihi veritatis præmium, interpretari veritatem ac puritatem, quæ infamatur, vindicare. » Sic Abraham respuit munera regis Sodomæ, quem ab hostibus liberarat, *Gen.* cap. XIV, vers. 22; et Eliseus munera Naaman, quem a lepra curarat, IV *Reg.* cap. V, vers. 14, et Moses, *Num.* cap. XVI, vers. 15, et Job, cap. XXXI, vers. 7. S. Hilarion Orionis, a quo legionem dæmonum expulerat, ampla dona refutans, cum ille instaret, ut saltem illa accipiens erogaret in pauperes, respondit : « Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio avaritiæ est; misericordia vero artem non habet. Melius nemo erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Tristi autem et in terra jacenti : « Noli, inquit, contristari, fili; quod facio pro me et pro te facio : si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. »

Hinc S. Bernardus, lib. IV *De Consid.*, mire laudat Gaufridum Legatum Apostolicum, quod omnia omnino etiam exigua munera spreverit : « Non fuerunt, inquit, qui possent Legato dicere : Ditavimus Abraham. Ipse vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes : Loquimini de me, » etc. Addit S. Bernardus exemplum cardinalis Martini, cui cum episcopus quidam equum donasset, ac mox ejus quadam in re suffragium flagitasset ab eo hoc responsi tulit : « Decepisti me, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est. »

Tropologice, quisque debet quotidie judicium hoc sui peragere per rigidum conscientiæ examen. Audi S. Bernardum *ad Fratres de monte Dei* « Discito tibi præesse, vitam ordinare, mores componere, teipsum judicare, et te apud teipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat accusans justitia, stet rea et temetipsum accusans conscientia; nemo te plus diligit, nemo fidelius judicabit. Pete a teipso rationem præteritæ noctis, et venturæ diei, tu, tibi canonem præscribito, et supervenientis noctis regimen indicito : sic districto nunquam aliunde lascivire vacabit. »

4. NON ES CALUMNIATUS NOS, etc. NEQUE TULISTI DE MANU ALICUJUS QUIPPIAM. — Magnum hoc est et mirabile totius populi de integritate Samuelis testimonium pariter et judicium. Quocirca S. Gregorius Nyssenus Meletium episcopum Antiochiæ virum integerrimum confert Samueli in *Orat.* habita in ejus funere : « Cum primum, ait, illa Ecclesia Meletium vidit; vidit mansuetudinem atque clementiam qualis in Davide fuit; qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam; qualis in Moyse, bonitatem; qualis in Josepho, continentiam pudicitiamque; qualis in Davide, sapientiam; qualis in Samuele, perfectionem. » Vers. 4.

Integritas Samuelis.

Porro Samuel suæ integritatis testimonium poscit a populo, ut deinde liberius eum de suis sceleribus redarguat. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. XVI. « Mundus esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere; quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat; et superpositas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. David vir sanguinum templum Deo ædificare prohibetur. » I *Paralipomenon* cap. XXII, vers. 8. « Quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritualiter mentes proximorum erubescat. » Et Tertullianus, libro *De Patientia,* cap. I : « Oportet, ait, constantiam commonendi, propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. » Et S. Ambrosius, lib. V *in Lucam,* cap. VI : « Nisi tu, ait, prius interiora tua vacua feceris ob omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum ante mundaveris? »

Quocirca Ferrandus Diaconus Carthaginiensis hoc Samuelis exemplum, belli ducibus imitandum proponit. Sic enim scribit, Regula prima *Innocentiæ militaris* : « Dux, ait, in sua administratione, non præesse diligat, sed prodesse : imitetur bonis actibus Samuelem; comparet sibi liberam fiduciam verecundæ et honestæ libertatis, ut ingenua fronte dicere valeat subjectis sibi, sicut dixit Samuel : Ecce adsum ego, etc.; aut de manu alicujus accepi pro exhortatione vel calceamentum, etc. Et respondeatur etiam ei, quod dixerunt ad Samuel : Nemini nostri nocuisti, etc. O quam gloriosus dux erit ante faciem principis, qui ista audire meruerit! » etc.

11. ET MISIT DOMINUS JEROBAAL. — Hic est *Gedeon* succisor aræ Baal, *Judic.* cap. VI, vers. 32. Vers. 11.

ET BADAN. — Hic est *Samson*, ut vertit Chaldæus. Sic et S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.*, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Vatablus et passim Interpretes. Nam *Samson* dictus est *Badan*, quasi בדן *bedan*, hoc est *in Dan habitans*. Fuit enim ipse ex tribu Dan : vel quasi *bendan*, id est *filius Dan* sive *Danita*, ait Clarius, Pagninus, Abulensis et alii. Unde nonnulli codices addunt *Samson*, quod explicationis *Badan* causa additum in margine, postea irrepsit in textum; unde ex eo illud delevere Romani. Rursum, *Badan* hebraice idem est quod *vestis et fortitudo eorum*, ait Pagninus; talis enim Hebræis fuit Samson. Denique, per anagramma et alphabetariam revolutionem, quam Hebræi vocant *Atbas*, qua ultimæ litteræ cum primis retrogrado ordine commutantur, v. g. *aleph* prima commutatur cum ultima *tau*, ac *beth* secunda a principio, cum *schin*, quæ secunda est a fine, ac *daleth* quarta a principio, commutatur cum *mem*, quæ quarta est a media *iod*. Hac, inquam, litterarum commutatione *Badan* est *Samson*; sic enim per idem anagramma, *Sesach* est *Babel*, *Jerem.* cap. XXV, vers. 26. Vide ibi dicta. Utitur Scriptura hac litterarum revolutione, ut significet fortis Samsonis commutationem, qua vir fortissimus post capillorum resectionem factus est infirmissimus, ac captus a Philistæis exoculatus est.

Vers. 12. 12. VIDENTES AUTEM QUOD NAAS, etc., DIXISTIS : REX IMPERABIT NOBIS. — Hinc patet causam, cur Hebræi petierint regem, fuisse metum imminentis Naas, ut superius dixi.

Vers. 14. 14. SI TIMUERITIS DOMINUM, — eum reverendo, amando, colendo, obediendo, et cavendo, ne qua in re legem ejus transgrediendo eum offendatis. Nam, ut ait S. Chrysostomus in *Psalm.* CXXVII : « Nullum est malum quod non exstinguat Dei metus. Quemadmodum ignis, quodcumque ferrum ceperit contortum vel rubigine confectum, id clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, et quod in eo erat perversum et inflexum, perfectissime corrigit; ita Dei metus vel exiguo tempore facit omnia, et eos qui ab ipso tincti sunt, nulla re humana frangi sinit. »

Eleganter et nervose Tertullianus, lib. *De Præscriptione*, cap. XLIII : « Ubi, ait, Dei metus, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia. »

ERITIS, etc., SEQUENTES DOMINUM, — *q. d.* Ostendetis reipsa vos ex toto corde sequi Dominum, sicut filii sequuntur per omnia patrem, milites ducem, subditi regem. Atque hinc consequemini magnum decus : « Gloria enim magna est sequi Dominum, » ut ait Ecclesiasticus cap. XXII, vers. 38, ac magnum est pariter emolumentum. Deus enim vos quasi sequaces cultoresque suos proteget, prosperabit et beabit. Unde Septuaginta addunt, *et liberabit vos*.

15. SI AUTEM NON AUDIERITIS VOCEM DOMINI : SED EXASPERAVERITIS SERMONES EJUS. — *Primo*, aliqui cum Hugone sic exponunt : « Si præcepta Dei æstimaveritis esse aspera et difficilia, vel impossibilia servatu. » Nam, ut ait S. Gregorius : « Bona opera in dilectione suavitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis; nam quibus semper dura et aspera videntur, quæ a Domino præcipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt. » Et paulo post : « Si non exasperaveritis, ait, os Domini, quasi dicat : Si ea, quæ carnalibus aspera sunt, præcepta charitatis, usque ad vitæ finem cum jucunditate deducitis. » Piger enim et nequam servus est, « qui fingit laborem in præcepto, » *Psalm.* XCIII, vers. 20. *Secundo*, idem Hugo : *q. d.* « Si feceritis Deum aspere loqui propter peccata vestra, » ut scilicet dicat : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Vers. 15

Tertio et genuine, hebraice est, *sed amaricaveritis* vel *amarum feceritis os Domini*, hoc est, si irritaveritis, et ad iram provocaveritis Dominum; ira enim ostendi solet amaro ore et vultu, indequo prodeuntibus sermonibus amaris et asperis; unde Chaldæus vertit, *et rebellaveritis dictis Domini*. Rursum, per *os et sermones Domini*, possunt accipi leges et præcepta Dei, quæ ipse ore suo edixit, *q. d.* « Si offenderitis legem, eamque ad iram provocaveritis. » Est prosopopœia; tribuitur enim legi inanimæ anima, sensus et ira. Lex enim videtur irasci impiis, dum ab iis violatur et contemnitur, ideoque ipsa quasi irata sui violatoribus minas et pœnas in se sancitas intentat. Verum per legem intelligitur Deus legislator, qui prævaricatoribus irascitur, eisque pœnas in lege statutas infligit. Hic ergo sensus in idem cum priore redit.

ERIT MANUS DOMINI SUPER VOS, ET SUPER PATRES VESTROS. — *Primo*, Chaldæus sic exponit : *Erit plaga Domini in vobis, ut hæc quæ fuit in patribus vestris, cum in deserto Deo rebellarunt*. Sic et Vatablus : *Affliget*, ait, *vos ut afflixit majores vestros, quando fuerunt inobedientes*. Accedit Lyranus : *Manus*, ait, *Domini erit super vos de futuro, sicut fuit super patres vestros de præterito*. Et Carthusianus : « Quidam, ait, sic exponunt : Ita erit super vos in posterum, sicque puniemini, sicut jam ante fuit, et sicut puniti fuerunt patres vestri transgressores. » Tὸ enim *et*, quando copulat similia, idem valet quod *sicut*, ut patet in *Proverbiis*.

Secundo, Dionysius, *q. d.* « Tam vos, ait, quam patres vestri, qui vos ad mala inducunt, seu a vitiis non refrenant incurretis debitas pœnas Dei, vel super patres vestros defunctos condemnatos; quorum damnatio seu tormentum augebitur ex iniquitatibus et condemnationibus vestris, in quantum præbuerunt vobis occasionem et exemplum peccandi, et pœna unius damnati redundat in alium. » Hic sensus, si de vivis accipiatur, planissimus est; si de mortuis, remotior videtur, et altius quam Hebræorum crassa mens se porrigeret, longiusque petitus.

Tertio, « Erit manus Domini super vos et super

patres,» id est principes vestros; princeps enim est pater patriæ, teste Aristotele, lib. VIII *Ethic.* cap. XI; unde Homerus Agamemnonem regem vocat «patrem et pastorem populorum.» Et Romani senatores suos, qui omnia regebant, vocabant *Patres conscriptos;* ac sæpe in Scriptura principes vocantur *Patres.* Ita S. Gregorius, Abulensis, Cajetanus. Unde Septuaginta vertunt, *super vos, et super regem vestrum.* Audi Senecam, lib. I *De Clementia,* cap. XIV : «Hoc, ait, quod parenti, etiam principi faciendum est, quem appellavimus Patrem patriæ, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima liberis consulens, suaque post illos reponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat, et cum absciderit reponere cupiat, et in abscindendo gemat, cunctatus multum diuque.»

Vers. 17. Tonitru miraculosum.

17. NUMQUID NON MESSIS TRITICI EST HODIE? INVOCABO DOMINUM, ET DABIT VOCES (tonitrua) ET PLUVIAS. — Fuit hoc miraculum, ut docet S. Gregorius, Lyranus, Hugo, Abulensis, Vatablus, Dionysius, Cajetanus et cæteri. Nam, ut scribit S. Hieronymus testis oculatus, in *Amos.* cap. IV, vers. 7: «Numquid in fine mensis junii, sive in mense julio in his provinciis, maximeque in Judæa, pluvias vidimus? Denique in Regum libris, pro signo magno atque portento, diebus æstatis et messis orante Samuele pluviæ concitatæ sunt.»

Rursum, quia cum serenum esset cœlum, Samuel per preces suas subito hæc tonitrua et pluvias e cœlo elicuit, et a Deo miraculose fieri impetravit. Audi Auctorem *De Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. IX, apud S. Augustinum, tom. III : «Samuele invocante Dominum, cum populus sibi regem peteret, Dominus per pluvias et horribiles voces intonuit, quibus plebs quæ audierat se Dominum repulisse ne regnaret sibi, intelligeret. Quos fragores per Samuelis iterum Dominus deprecationem compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem intus aspexit.»

Addit idem Auctor Samuelem pœnitenti populo mox stitisse pluvias et cœlum serenasse; quod novum fuit miraculum. Hinc Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.,* culpat Græcos, quod hanc Samuelis historiam detorserint ad Æacum, fingentes ipsum suis precibus a Deo impetrasse pluviam, qua segetes siccitate emortuæ reviviscerent(1).

Tropologice S. Gregorius : «Dominus, ait, vocem dat (hoc est tonitruum), quia peccatorum corda excitat, ut pravitatis suæ nequitiam recognoscant. Dat pluvias, quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adjuvat, ut non solum deserat mala quisque quæ fecit, sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit.» Et paulo post : «Non est, ait, minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris. Non minus miraculum est, arentia corda reviviscere, quam æstivis ardoribus, inusitato more pluvias inundare. Majus quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam collisis per ventum nubibus tonitruum insonare.»

ET VIDEBITIS QUAM GRANDE MALUM FECERITIS VOBIS IN CONSPECTU DOMINI, PETENTES SUPER VOS REGEM, — tum quia Deus per tonitru, iratum se fuisse vobis testabitur : ipse enim in peccata et peccatores detonat; tum quia, ut ex R. Salomone ait Lyranus : «Deus excitavit ista tonitrua, ut confutaret pervicaciam populi; nam si tantæ erant vires Samuelis ut posset cœlum commovere et tonitrua devocare, quomodo non potuit hostem profligare et Reipublicæ præesse?»

18. ET DOMINUS DEDIT VOCES, — tonitrua mixta fulguribus et grandinibus, ait Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. VI. Vers. 18.

Porro S. Gregorius, hom. 27 *in Evang.,* citans illud *Jerem.* XV, 1 : «Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est, inquit, quod Moyses et Samuel cæteris Patribus in postulatione præferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus a populo lapidibus impetitur,» *Exodi* XVII, 4, et tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu ejicitur, et tamen petitus ut exoraret, fatetur dicens : Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.»

20. NOLITE RECEDERE A TERGO DOMINI. — Hebraice, *de post Dominum;* Chaldaice, *de post cultum ejus, q. d.* Ne destiteritis sequi Dominum, eumque amare et colere. Moraliter S. Gregorius : «Pœnitentis, ait, mens tunc bene dirigitur, si divina judicia metuat, et de Dei omnipotentis miseratione confidat. Timor quidem sine spe in desperationem præcipitat; sed cum spei conjungitur, salutem mentis operatur. Quare summo studio optimus Doctor invigilare debet, ut peccantem terreat, et territum ad veniæ spem reducat. Quatenus per metum peccare desinat, et per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat.» Vers. 20.

Tropologice idem S. Gregorius : «Justi, inquit, stant in conspectu Domini, quia testimonio bonæ conscientiæ de amore Conditoris præsumunt. Peccatores autem, cum mala committunt, a facie Domini fugiunt; cum vero redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt, quia ei discedere longius nolunt, et tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt. Hinc est quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur, *Lucæ* VII, 38. Retro etiam illa stetit, quæ fimbrias ejus tetigit, *Matth.* IX, 20. Retro quidem stat pro verecundia peccati; sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus; et in quibus confundimur, devitare; Samuel peccatoribus imperat, ut a tergo Domini non recedant.»

21. NOLITE DECLINARE POST VANA, — hoc est *idola,* Vers. 21.

(1) In Palæstina nunquam nisi veris et autumni mensibus pluebat, et in finem mensis julii frumenti messis erat.

quæ falsa sunt numina, ideoque vanissima et mendacissima, quæ opem se invocanti præstare non possunt. Porro vanitatem idolorum argute ostendit et irrisit Dionysius tyrannus, qui, ut ait S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.* : « Cum venisset in templum Jovis amictum aureum, quo operiebatur simulacrum ejus, detrahi jussit, et imponi laneum, dicens aurum hieme frigidum, æstate onerosum esse. Sic deum irrisit suum, ut nec onus ferre posse, nec frigus putaret. Item, cum Æsculapii barbam vidisset auream, tolli imperavit, incongruum esse appellans, ut filius barbam haberet, cum Apollo pater ejus adhuc non haberet. Item, simulacris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere, quod dii darent. Ita ludibrio habiti sunt, ut neque Jupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, neque omnes qui dicuntur dii retrahere potuerint pateras quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. »

Idolorum vanitas.

Tropologice S. Gregorius : « In comparatione, ait, æternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est ; quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam, cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, et omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt. » Et inferius : « Declinare post, est in eorum appetitum defluere ; amorem illorum divino amori præferre. Merito ergo his vana non proderunt ; quia ea, eo ordine, quo condita sunt, habere noluere. »

Vers. 22. 22. ET NON DERELINQUET POPULUM SUUM PROPTER NOMEN SUUM MAGNUM. — *Primo,* « nomen Dei, » est fama Dei, quæ magna erat apud omnes gentes : quod scilicet Deus Israelem suum populum a Pharaone aliisque hostibus, per tot prodigia liberasset et propugnasset. Ita Abulensis, Vatablus, Dionysius.

Secundo, « nomen Dei, » est ejus omnipotentia, misericordia et fidelitas.

Tertio, « nomen Dei, » est ipse Deus nominatus et invocatus ; Deus enim est optimus et maximus.

Mystice, « propter nomen suum magnum, » id est propter « Christum ; » hic enim est « nomen Patris ; » quia loquitur, id est manifestat ipsum mundo, ait Hugo. Hic quoque « Jesus, » id est « Salvator mundi. Nomen magnum, » ergo est « Jesus. » Audi S. Bernardum, serm. 15 *in Cant.* : « Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infundatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum : si disputes, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. » Et paulo post hujus nominis fructus eximios demonstrans : « Iræ, ait, impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius dedecoris fugat pruriginem. »

23. ABSIT A ME HOC PECCATUM IN (id est contra) DOMINUM, UT CESSEM ORARE PRO VOBIS. — Prælati enim et Prophetæ (qualis erat Samuel) officium et debitum est orare pro populo sibi subdito, præsertim in periculo offensæ iræque Dei constituto, qualis erat hic Israel. Addit S. Gregorius : « Si secundum legis præceptum hoc discutitur, peccatum non esset ; si pro abjicientibus se, non oraret ; nam lex Moysis præcipit, dicens : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Quid est ergo quod dicit ? Absit a me peccatum, nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos ? legis quidem veteris mandato instructus ; sed novæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis, evangelica perfectione reprehendit. »

Vers. 23. Prælatus oret pro populo sibi subjecto ?

Porro Patres hanc Samuelis vocem, ut charitate in sibi adversos æstuantem, miris laudibus extollunt : imo ut benignitatis et charitatis speculum, omnibus imitandum proponunt. Audi S. Gregorium, hom. 15 *in Ezech.* : « Cupimus animum in benignitate dilatare ? Samuel in cogitationem deducatur, qui de principatu dejectus, a populo, cum idem populus peteret, ut pro eo Domino preces effunderet, respondit, dicens : Absit a me hoc peccatum ad Dominum, ut cessem orare pro vobis. Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos adversarios pertulerat usque ad ejectionem, benignitatem gratiæ non reddidisset in prece. »

Samuel charitatis speculum.

S. Chrysostomus, homil. *De cruce et latrone* : « Samuel, ait, qui exordinatus fuerat, qui contemptus, ait : Mihi absit peccare, intermittendo orare pro vobis Dominum, peccatum arbitratur, minus pro inimicis orare. »

B. Antiochus, *hom.* 72, Samuelem vocat virum admirabilem, quod pro iis, qui eum principatu dejecerant, oraverit. Hinc infert S. Gregorius, homil. 27 *in Evang.* : « Virtus ergo veræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisque, quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in oratione nec inimici odio fuscatur. »

Vers. 25. 25. QUOD SI PERSEVERAVERITIS IN MALITIA, ET VOS, ET REX VESTER PARITER PERIBITIS, — quia rex et populus politice sunt quasi una persona : quare sicut unum quid fiunt in culpa, sic et unum quid fiunt in pœna.

Rex et populus sunt quasi una persona.

Porro sagaciter S. Gregorius, lib. VI : « Ita, ait, sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpe ex culpa præsidentium, deterior fiat vita subjectorum, et sæpe ex merito plebium, delinquat vita Pastorum. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul adsciscit sibi et Jonathæ filio tria millia militum. Jonathas percutit stationem Philistinorum. Illi ingentem redintegrant exercitum, parantque prælium. Saul pavidus offert sacrificium, ut Dei opem imploret. Intervenit, vers. 10, Samuel, eumque objurgat quod se, uti jusserat, non exspectarit; ideoque, vers. 14, Deum regnum ab eo quasi inobediente ad Davidem traducturum edicit. Philistini, vers. 19, ut arma Hebræis eripiant, cavent ne apud eos sit faber ferrarius.

1. Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset; duobus autem annis regnavit super Israel. 2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel; et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Bethel; mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin : porro cæterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua. 3. Et percussit Jonathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. 4. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam. Percussit Saul stationem Philistinorum, et erexit se Israel adversus Philistiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala. 5. Et Philistiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven. 6. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis. 7. Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. 8. Et exspectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. 9. Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum, et pacifica; et obtulit holocaustum. 10. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat; et egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum. 11. Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti? Respondit Saul : Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philistiim congregati fuerant in Machmas, 12. dixi : Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum. 13. Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum; 14. sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus. 15. Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin : Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. 16. Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin; porro Philistiim consederant in Machmas. 17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philistinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saul. 18. Porro alius ingrediebatur per viam Beth-horon; tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. 19. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel; caverant enim Philistiim ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. 20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum. 21. Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum,

et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum. 22. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus. 23. Egressa est autem statio Philistiim, ut transcenderet in Machmas.

Vers. 1. 1. FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL, CUM REGNARE COEPISSET; DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT SUPER ISRAEL. — Impossibile videtur quod Saul filius unius anni creatus sit rex, et reipsa regnarit. Quocirca Melchior Canus, lib. XI *De Locis*, cap. v, ad argumentum 12, legendum vult : « Filius viginti et unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset. » Scholiastes Græcus vero legit : « Filius triginta annorum erat Saul, cum regnare cœpisset. » Verum huic lectioni repugnant Hebræi, Chaldæus, Septuaginta, Romana, Aquila, Symmachus et cæteri, qui constanter legunt : *Filius unius anni erat Saul.* Adde : Saul hoc tempore plurium quam 20 aut 30 erat annorum; jam enim genuerat Isboseth, qui hoc tempore erat 20 annorum, et Jonatham eo seniorem, utpote qui esset dux belli contra Philistæos, ut patet cap. sequenti. At quo sensu ergo dicitur hic fuisse *filius unius anni?*

Saul filius unius anni. Exposi-tio. Primo. *Primo,* Rabanus in Glossa τὸ *Saul* accipit in casu dativo, *q. d.* « Sauli initio regni sui natus erat filius unius anni, » puta Isboseth : verum hoc tam violentum est, quam falsum. Violentum, quia *Saul* est hic nominativi casus, ut patet ex eo quod sequitur : « et duobus annis regnavit super Israel ; » quod licet Rabanus referat pariter ad Isboseth, qui, mortuo Saule patre, duobus annis regnavit, ut patet II *Reg.* II, 10, tamen ad Saulem referendum esse patet ex anteced. et sequent., quæ omnia ad Saulem spectant, non ad Isboseth. Falsum, quia Isboseth hoc tempore non erat unius, sed viginti annorum, ut minimum. Nam Saul post Samuelem regnavit duntaxat 20 vel 18 annis, quibus exactis mortuus est, successitque ei filius Isboseth, qui tum erat 40 annorum, ut patet II *Reg.* II, 10. Deme a 40 annis 20, remanebunt 20.

Secundo. *Secundo,* alii passim sic exponunt, *q. d.* Saul, cum regnare cœpit, adeo erat simplex et innocens, ac si fuisset puer unius anni, et in hac innocentia persistens regnavit duos annos, quibus exactis ab ea defecit per inobedientiam, ideoque a Deo et Samuele reprobatus est. Unde Chaldæus vertit, *sicut filius unius anni, in quo non sunt culpæ, Saul erat quando regnavit.* Ita S. Gregorius, Angelomus, Eucherius, S. Hieronymus in *Quæst.* (vel quisquis est auctor), Theodoretus, Rupertus, Procopius, Hugo, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus et S. Augustinus, lib. VII *Locutionum in Judices.* Audi B. Petrum Damianum, lib. II, *epist.* 20 : « Sic erat innocens, tanquam puer unius anni, cum regnare cœpit; et duobus annis in ejusdem innocentiæ simplicitate permansit; sed qui tunc erat in humilitate filius, postmodum per superbiam factus est servus. » Audi et Rupertum in cap. II *Apoc.* pag. 21 : « Saul duobus annis eadem humilitate regnavit; ab hac excidit, quando contra legem holocaustum obtulit, cum non esset sacerdos de stirpe Aaron, pepercit Agag, » etc.

Porro dicit hoc Scriptura, *primo,* ut demonstret optimam fuisse Dei electionem, utpote qui non nisi Saulem virum optimum et dignissimum ad regnum evexerit; ut idem nos facere docet. Ita S. Gregorius. *Secundo,* « ut ostendatur, ait Dionysius, providentia Dei ita semper se habentis, nisi nostra iniquitas obsistat, ut quo majorem confert dignitatem, majorem etiam conferat sanctitatem; et propterea in Saule cum suprema præsidentia, supremam innocentiam conjunxisse. » *Tertio,* ut omnes metu sacro percellat, ne quis sibi præfidat, et in sua sanctitate sit securus, videns ex ea excidisse Saulem adeo innocentem, ait Abulensis. *Quartam* causam dat Lyranus, ut indicet quam teter et profundus fuerit lapsus Saulis; sicut enim lutum bysso candidæ, ita peccatum animo innocenti fœdius adhærescit. Hinc tropologice S. Gregorius : « Licet, inquit, multis annis regnaverit, illis solis regnasse dicitur, in quibus innocens ac humilis fuisse perhibetur. » Et paulo post : « Illo ergo, inquit, solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter et humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate et fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita, minime memorantur. »

Quocirca Josaphat, Barlaamum suum catechistam interrogans quot annorum esset, ab eo audivit : « Natus sum annos 45; » miranti Josaphat, quod eum canum videret, respondit : « Si annos meos ab ipso vitæ ortu nosse quæris, recte sane eos plusquam septuaginta esse conjecisti. At mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in hujus mundi vanitate consumpti sunt. » Præclare Philo, lib. *De Præmiis et Pœnis,* sub finem : « Eorum, ait, qui nec disciplinis instituti sunt, nec legibus, nec numerus initur, nec habetur ratio. » Et paulo post : « Virtus, ait, et honestas in qualitate consistit, non in quantitate; unde vel unus dies sine culpa transactus, integræ vitæ sapientis æquiparatur. » Quamobrem cordate et nervose Eusebius Emissenus (vel potius Gallicanus) homil. 9 *ad Monach* : « Illum, ait, diem tantum vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti; quem sine ulla regulæ transgressione duxisti, illum diem vixisse te computa, qui puritatis et sanctæ meditationis habuit lucem. »

Hic sensus communis est et commodus; sed tropologicus potius videtur, quam litteralis. Nam sicut duo anni, quibus dicitur regnasse Saul, simpliciter pro annis proprie dictis accipiendi sunt;

sic et unus ille annus, de quo immediate ante dicitur : « Filius unius anni erat Saul. »

Tertio. *Tertio* ergo nonnulli sic exponunt, *q. d.* « Saul electus in regem unc anno quievit, et domi vitam privatam egit, sed exacto hoc anno regnare cœpit. » Ita Eucherius. « Uno, ait, anno postquam rex electus est a Samuele, in domestica domo sedens, dissimulavit se esse regem : reliquis duobus annis publice judicavit omnem Israelem, tenens obedientiam cum humilitate. » Et Beda : « Postquam, ait, electus est Saul, et oleo sancto perunctus in regem, toto anno primo humilis et privato similis mansit, nec regio habitu indui, cæteraque regni insignia curavit. » Sic quoque Genebrardus in *Chronol.* Verum hoc non videtur verum; nam mox ab electione sua Saul, quasi rex, gessit bellum contra Naas, regem Ammon, ut audivimus cap. præced. Adde Josephum asserere quod Saul, electus rex, uno tantum mense a regio munere abstinuerit. Denique aliud est esse filium unius anni, aliud privatam vitam agere.

Quarto. Optime. *Quarto* ergo et planissime sensus est, *q. d.* Saul parta victoria de Naas, ideoque comparata sibi auctoritate et gratia populi, rursum in regem a Samuele unctus, cap. XI, vers. ultimo, agebat, et forte exigebat primum regni sui annum, ac inchoabat secundum; quo exacto elegit tria millia militum præsidiariorum, ut sequitur. Ita R. David, Vatablus, Brixianus, Serarius et alii.

Hunc sensum exigit phrasis hebraica, quæ ad verbum sic habet : *Filius unius anni Saul in regnare ipsum,* quasi dicat : Jam regnabat Saul unum annum; jam agebat primum regni sui annum. *Secundo,* ex eo quod Naas septimo mense a creatione Saulis invasit Galaaditas, ac tum Saul ei occurrens eum cecidit, et regnum suum confirmavit et innovavit, ut patet ex dictis cap. XI. Unde hæc omnia fuere acta anni primi regni Saulis.

Est hebraismus; Hebræi enim tempori, diei, mensi et anno tribuunt nomen *filius,* ut *filius hujus anni, diei,* vel *temporis* dicatur, qui hoc anno, die vel tempore natus est. Tempus enim, annus et dies dicuntur, quasi patres, generare eos, qui illo tempore, anno et die nascuntur : quia scilicet annus et dies adducit causas secundas, puta parentes, qui hunc filium generant. Est metonymia. Sic *Jonæ* IV, 10, hedera in Hebræo vocatur *filia noctis,* quia illa nocte orta et nata erat. Sic « filius auroræ » est Lucifer, sive stella Veneris, quæ in aurora nascitur, *Isaiæ* XIV, 12. Sic « filii prunæ » sunt scintillæ, quæ ex prunis eliciuntur, *Job.* V, 7. Sic « filii Orientis » vocantur in Oriente nati, *Judic.* VI, 33. Sic « filii terræ » vocantur terrigenæ. Sic « filii arcus » sunt sagittæ, *Job* XLI, 20, quia ex arcu violenter emittuntur, et quasi parturiuntur. Sic « filii areæ » est frumentum, vel palea, *Isaiæ* XXI, 10. Sic, *Exodi* XII, 3, sancitur ut agnus Paschalis sit « anniculus, » Hebraice בן שנה *ben scana,* id est *filius anni.* Sic quoties in *Levit.* et *Numer.* jubetur immolari ovis vel agnus *anniculus,* Hebraice est *ben scana,* id est *filius anni.* Simili tropo dicitur veritas *filia temporis,* quia tempus latentem veritatem sensim educit et aperit.

DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT SUPER ISRAEL. — Præter expositiones jam recensitas, nonnulli ex hisce verbis censent Saulem per biennium duntaxat fuisse regem, ac in fine biennii in prælio occubuisse : ita Hebræi in Seder Olam, cap. XIII, Arias apud Lorinum, cap. XIII *Actor.*, Adrichomius, et Gerardus Mercator in sua *Chronologia;* verum difficile creditu est Saulem biennio gessisse omnia quæ deinceps usque ad finem libri, ac præsertim cap. XIV, sub finem narrantur; illa enim plures annos exigunt. Adde S. Paulum asserere Saulem regnasse 40 annis, *Actor.* XIII, 21.

Secundo, alii sic exponunt, quasi dicant : « Saul post mortem Samuelis tantum regnavit duobus annis. » Id verum esse patet ex Josepho, lib. VI *Antiq.* cap. ult., et Clemente Alexandrino, lib. I *Strom.,* Abulense et aliis passim. Verum cur hujus biennii duntaxat meminit hic Scriptura, cum per plura capita sequentia recenseat acta Saulis vivente adhuc Samuele?

Tertio, alii sic explicant, *q. d.* « Saul per biennium duntaxat regnavit, quia post biennium a Samuele exauctoratus, regium ejus imperium abiit in tyrannicum. » Ita Lyranus, Hugo, Abulensis, Vatablus et Pineda, lib. VIII *in Proœmio Salom.* cap. II. Verum plures quam duos hic intercessisse annos, liquet ex sequentibus, et demonstrat Mendoza.

Quarto ergo genuine, τὸ *duobus annis regnavit,* junge cum sequentibus, *et elegit tria millia, q. d.* ait Genebrardus, anno mundi 3106. « Cum, inquit, Saul regnasset duobus annis, elegit sibi tria millia : nempe duobus primis regni annis, sat habuit vitare invidiam, et se adversus malignas linguas modestia et auctoritate Samuelis tueri. Postea dum se satis confirmasset, cœpit more regio sese stipare satellitibus. Non quod alioqui duobus tantum annis regnarit. » Sic et Torniellus, Baradas, Abulensis, Hugo, Dionysius et Mendoza.

Quot annis regnavit Saul? Quæres, quot annis regnarit Saul? Respondent aliqui per 40 annos; hoc enim videtur asserere Paulus, *Actor.* cap. XIII, vers. 21. Ita Auctor apud S. Hieronymum in *Quæst. Hebr.,* Serarius in lib. III. *Reg.* cap. VI, proposit. 2, et Melchior Canus, loco superius citato. Verum cæteri omnes censent Paulum, illis 40 annis quos assignat Sauli, complecti quoque annos Samuelis, quibus ipse præfuit. Ita Eusebius, Josephus, Severus Sulpitius, Beda, Freculphus, Torniellus, Bellarminus, Gordonus, Genebrardus, Gerardus Mercator et alii in suis *Chronicis,* Lyranus et Abulensis hic, S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. VII; Ribera, lib. I *De Templo,* cap. I; Pineda, lib. VIII *De Rebus Salom.* cap. II, num. 2; Lorinus in cap. XIII *Actorum.* Porro hos 40 annos varii varie inter Saulem et Samuelem partiuntur. Nam Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* cap. XI, Sauli cum Samuele tribuit

annos 27; deinde mortuo Samuele, soli Sauli alios viginti; sic universim fierent anni 47, cum Apostolus duntaxat 40 assignet. Rursum Josephus, libro VI *Antiq.* cap. XIV, ait « Samuelem solum præfuisse Reipublicæ annis 12; deinde cum Saule annis 18; Saulem vero post mortem Samuelis annis 20, » ut habet idem Josephus in fine ejusdem libri VI, et iterum libro X, cap. XI. In textu tamen Græco libri sexti habet annos viginti duos, sicut et Zonaras, qui Josephum de more sequitur. Verum sic fierent anni 52, cum fuerint tantum 40, ut dixi. Alii Samueli dant annos 30, Saul 10. Alii aliter. Verius Salianus et alii censent Samuelem solum præfuisse Israeli per annos 22; deinde creato rege Saule, cum eo præfuisse annis sedecim; mortuo vero Samuele, solum Saulem regnasse biennio duntaxat. Junge enim hos annos, et invenies 40. Hic computus confirmatur ex eo quod arca capta a Philistæis in morte Heli, indeque post septem menses reducta in Cariathiarim, ibi manserit per 20 annos, quibus, jam mortuo Heli, præerat ejus successor Samuel, ut patet cap. VII, vers. 2, ac deinde nonnulla Samuelis et filiorum ejus gesta recensentur usque ad creationem regis Saulis, quæ biennium facile requirunt.

Adde, quod Scriptura, cap. VIII, ait, Samuelem valde senem pro se filios suos constituisse Judices. Atqui natus est, inquiunt nonnulli, Samuel judicante Heli sub annum ejus quartum; Heli autem judicavit 40 annis. Adde 20 annos Samuelis, quibus arca fuit in Cariathiarim, ac deme 4 annos Heli ante natum Samuelem, habebis annos Samuelis 40, quæ non est tanta senectus, quanta a Scriptura tribuitur Samueli. Ergo pluribus annis judicavit Samuel; ac facile fuit sexaginta annorum, cum præ senio filios constituit Judices. Quare ipse tunc 22 annos videtur explesse in principatu, ac natus Heli anno secundo; sic enim additis hisce quatuor annis, conflabuntur Samuelis anni 60, quæ justa est ejus senectus. Ita Salianus.

Vers. 2. 2. ET ELEGIT SIBI SAUL TRIA MILLIA DE ISRAEL. — Quæres, quando illa elegit? Respondent Abulensis et Cajetanus anno primo regni sui, postquam cecidit Naas, et regnum innovavit in Galgalis, cap. XI, vers. 15. Melius Beda, Hugo, Dionysius, Genebrardus, Pineda loco citato. Mendoza et alii id Saulem fecisse censent anno secundo regni, scilicet postquam *duobus annis regnavit,* uti præcessit; eo enim hæc verba pertinent : unde Vatablus vertit, *tum elegit.* Causam cur elegerit dedi versu 1, cui adde Saulem elegisse hæc tria millia, ut irruentibus more suo repente Philistinis, Ammonitis aliisque hostibus vicinis, haberet ea ad manum, quæ illis statim opponeret, ne Israelis agros urbesque vastarent.

Addunt nonnulli Saulem post biennium regni, a primaria innocentia et fiducia in Deum defecisse; ideoque ad humana præsidia respexisse, et hæc tria millia conscripsisse; verum defectus et lapsus Saulis postea contigit, ut audiemus vers. 10.

Mystice, Beda per « tria millia, » accipit tres virtutes Theologicas, quæ nos contra omnes tentationes et hostes defendunt. « Populus fidelium, inquit, sibi de Israel tria millia elegit, quia dum unitati fidei, sociandam spem et dilectionem cognoverit, mox sibi Doctores, qui eamdem fidem, spem et charitatem diligentius se suosque doceant, atque ab hostis irruptione tutentur, elegit. » D. Gregorius refert ad tres Ecclesiæ status : « Tria, inquit, millia esse perhibentur, quia in summa perfectionis facie, virgines proferunt, juxta quos, et continentes et veritatis defensores ponunt : dum enim exemplo virginum ad summam incorruptionis alios accendunt, dum continentium vitæ, alios a sæculi corruptionibus auferunt; dum humilium debilitatem per auxilia potentium defendunt; contra hostes sanctæ Ecclesiæ boni Doctores, quasi cum tribus electorum virorum millibus veniunt. »

Porro solerter S. Gregorius urget τὸ *tria millia virorum,* quod habent Septuaginta. « Quia prædicatores, inquit, veritatis, ad defensionem sanctæ Ecclesiæ, non infirmos et debiles, sed robustos et validos bellatores ducunt. » Et paulo post : « Viri, inquit, dicuntur pro fortitudine; de Israel esse referuntur, pro divina contemplatione. » *Israel* enim hebraice idem est quod *videns Deum,* aut potius, *prævalens Deo.*

CUM SAUL DUO MILLIA IN MACHMAS. — « Machmas, ait Adrichomius, Magmas, et Megmas civitas magna satis, cujus multa in Scripturis mentio, terminus tribus Ephraim contra Austrum. In hac Jonathas Machabæus habitavit, atque hic B. Virgo percepit puerum Jesum non esse in comitatu, sed remansisse in Jerusalem; quamobrem regressa est in Jerusalem ad quærendum eum. Usque hodie, ait Hieronymus, ostenditur vicus grandis in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, ab ea novem millibus distans juxta villam Rama. Nunc Byra dicitur, et est in dominio Fratrum Militiæ templi, ut Brocardus et Breidenbachius tradunt. »

Mystice S. Gregorius : « Machmas, inquit, id est humilitas, quid aliud quam continentium ruborem significat? Nam dum præterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. » Et paulo post : « Dum recolunt quales fuerunt in sæculo, superbire non possunt de eo, quod magnos se vident esse in Deo. »

Jam *Bethel,* id est *domus Dei,* est Ecclesia, quam sancti præsules et prædicatores, contra dæmonum et tyrannorum incursus, quasi validi bellatores propugnant, ait S. Gregorius.

MILLE AUTEM CUM JONATHA IN GABAA BENJAMIN. — *Jonathas* hebraice idem est quod *columbæ donum;* unde puritatem purosque denotat, qui in *Gabaa,* id est *in colle sanctitatis* degunt. Audi Bedam : « Jonathas, columbæ donum, institutor virginum dicitur; quia incomparabili gratia Spiritus Sancti efficitur, ut a manentibus in carne, carnis corruptio nesciatur. Bene et in sublimi virgines esse di-

cuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Jesu, locum virginum insinuans ait : Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, etc. Virgines enim sunt, *Apocal.* cap. XIV, vers. 1. In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in suprema Redemptoris gloria sublimantur. »

PORRO CÆTERUM POPULUM REMISIT UNUMQUEMQUE IN TABERNACULA SUA. — Mystice S. Gregorius : « In tabernacula, inquit, sua cætera plebs remittitur, ne de altioris vitæ temeritate damnetur, et velut debilis, et infirma in bello pereat, dum altæ conversationis fidem spondet, quæ altæ virtutis robur non habet. »

Vers. 3. 3. ET PERCUSSIT JONATHAS STATIONEM PHILISTINORUM, QUÆ ERAT IN GABAA. — *Gabaa* erat patria et sedes Saulis ac Jonathæ, ideoque Jonathas juvenis animosus et audax illico ex ea exturbavit Philistinorum stationem, id est, ut Septuaginta, Aquila et Theodoretus vertunt, ὑποστημα, id est *præsidium*. Philistæi enim tempore Samsonis et postea dominantes Hebræis, ut eos sub jugo continerent, ne rebellare auderent, locis Judææ altioribus et munitioribus (qualis erat Gabaa) erigebant arces, sive loca munita, quæ vallo cingebant (Itali vocant *fortezze*), in quibus constituebant milites præsidiarios ; ideoque illa vocabant *stationes*, sive *præsidia militum*. Ita Josephus, Theodoretus, Procopius, Abulensis, Cajetanus, Dionysius et alii. Chaldæus vertit, *percussit Jonathas plantationem Philistinorum* : hæ enim stationes erant quasi *plantationes* non arborum, sed hominum et militum : unde etiamnum Angli, dum Anglorum suorum colonias in Hyberniam traducunt, dicunt se in ea facere plantationem.

Quæres, quibus armis Jonathas percussit Philistæos? nam ferrea eis ademerant Philistæi, ut patet vers. 19. Respondeo, arma priscorum erant brachia : « Nam pugnis rem agebant, a quibus pugna dicitur. Inter ipsos adversarios, inquit Cassiodorus, lib. I. cap. XXX, non erant prius armata certamina, sed pugnis se, quamvis fervida, lacessebat intentio, unde et pugna nomen accepit. » Hinc Lucretius, lib. IV, pag. 118 :

Arma antiqua, manus, ungues, etc.

Arma priscorum, quæ? « Postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari. » Ante Belum utebantur fundis, arcubus, baculis, fustibus, perticis, sudibus præustis. Audi *Virgilium*, lib. VII *Æneid.* :

Hic torre armatus obusto ;
Stipitis hic gravidi nodis, quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

Et paulo post :

Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.

Potuit quoque Jonathas ignem in stationem injicere, itaque eam comburere : potuit insuper incautos, vel dormientes Philistæos noctu invadere, eorumque arma occupare, iisque ipsosmet obtruncare.

Mystice S. Gregorius : « Jonathas, inquit, stationem Philistinorum percutit, quia electa virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit. Bene autem statio Philistinorum dicitur, quia in corpore virginali, carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant quippe, quia impugnant : sed requiescere non possunt, quia mentem sanctam minime oblectant. »

QUOD CUM AUDISSENT PHILISTIIM, — id est Philistini non jam cæsi a Jonatha, sed cæteri qui in Judæa degebant. Aliqui subaudiunt, *conturbati sunt* : ita S. Hieronymus, Hugo et Cajetanus; sed id licet verum sit, non tamen est necesse hic supplere; nam sensus expletur per id quod subditur : « Saul cecinit, » *q. d.* Cum audissent Philistini suorum stragem factam a Jonatha, ideoque consternarentur, Saul misit circumquaque buccinatores, qui insonantes buccina, undique convocarent Hebræos, ut Philistæos hac clade consternatos invaderent et mactarent. Ita Abulensis, Dionysius et alii. Audi S. Hieronymum in *Quæst.* : « Hæc buccina signum victoriæ et exhortationis fuit, ut audirent et noscerent Hebræi conturbatos et superatos esse Philistæos. » D. Gregorius : « Buccina, inquit, canere est, et victoriam nuntiare, et exemplo victorum, aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare. »

Mystice S. Gregorius : « Jonathas, stationem Philistinorum percussit; sed Saul tuba canens se percussisse perhibuit; quia, nimirum, electorum prædicatorum triumphis adscribitur, quod a subditis occulti adversarii superantur. »

Vers. 4. 4. AUDIANT HEBRÆI — cæsa esse castra Philistinorum, seque hac buccina evocari ad cœptam victoriam prosequendam, ut plane Philistæos e nostra Judæa ejiciamus. Septuaginta pro עברים *ibrim*, id est *Hebræi*, legentes, עבדים *abadim*, id est *servi*, vertunt, *inobedientes fuerunt servi*.

ET EREXIT SE ISRAEL ADVERSUS PHILISTIIM. — Hebraice, *et fœtidus* (id est odibilis, exosus) *factus est Israel in Philistiim*; Vatablus, *Palæstini abhorrebant ab Israelitis, tanquam a re male olente et putida*; Cajetanus, *fastidierunt Israelem Palæstini*. Noster sensum reddidit. Ideo enim *fœtidus*, id est odibilis, *Palæstinis erat Israel*, quia contra eos *se erexerat*, eisque rebellaverat. Unde Septuaginta vertunt, *et contempsit Israel Philistiim*.

Porro Septuaginta Romæ correcti habent : *et puduit Israel in alienigenas*; unde aptius ex Hebræis vertas, *et fœtorem contraxit Israel a Philistiim*, hoc est fœtuere Palæstini Israelitis; Palæstini fuerunt Israelitis fœtori, id est pudori et abominationi; fœtuit et puduit Israelitas, quod tam imbellibus et vilibus Philistinis servirent, quodque

jugum eorum tam inerme et vile non excuterent. Quare indignitate hac et pudore excitati, animos erexerunt, ut eos e finibus suis ejicerent.

Denique mihi magna suspicio est, Nostrum pro נבאש *nibas;* id est *fœtuit,* putidus fuit, legisse נכעש *nichas* (litteræ enim utrimque sunt similes), id est *iratus est,* excanduit, sprevit, abominatus est : sic enim videtur legisse Chaldæus, nam vertit, *et concitatus est Israel in Philistæos.* Et Septuaginta : *Contempsit,* inquiunt, *Israel Philistiim.* Irati enim sunt, et excanduerunt Israelitæ, quod tam diu tolerassent jugum et tyrannidem Philistinorum, cum viderent eos tam facile a Jonatha cæsos. Quare ira hac excitati erexerunt animos, et in prælium contra eos convolarunt. Ira enim est cos fortitudinis. Unde milites præliaturi acuunt iras in hostem, ut contra eum generose decertent, eumque prosternant.

CLAMAVIT ERGO POPULUS POST SAUL IN GALGALA, — dicendo : Sequamur Saulem regem nostrum ad prælium contra Philistæos, cœptam ejus de illis victoriam, cum eo communibus animis et viribus prosequamur, eliminemus Philistæos e terra Israel. Sic enim milites Gedeoni in prælio contra Madianitas acclamarunt : « Gladius Domini et Gedeonis, » *Judic.* VII, 20. Porro in *Galgala,* id factum, quia *Galgala* locus erat religiosus, ob circumcisionem a Josue cap. V, ibidem peractam, ut pie et religiose in eodem loco invocata Dei ope ad prælium animose pergerent.

Moraliter, disce hic illud *Job* cap. VII, 1 : « Militia est vita hominis super terram, » id de corporali militia sæpe verum, de spirituali semper. Nam Hebræi victo Naas, illico a Philistæis lacessiti, acrius cum eis bellum gesserunt. Unde S. Gregorius : « Quoties, inquit, alios hostes vincimus, necesse est ut ad aliorum devincenda certamina præparemur. Omnipotens enim Deus, quia electos suos copiosius remunerat, eos semper vult in pugna consistere, ut ipsi semper possint sibi æterni muneris dona præparare. » Et inferius : « Deus, inquit, magna prælia permittit, quæ vincant; levia excitat, in quibus cadant : ut victoria fortium magna sit, casus innoxius; ut cadentes, se facile erigant; et eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant. »

Vers. 5. 5. ET PHILISTIIM CONGREGATI SUNT TRIGINTA MILLIA CURRUUM. — Olim enim Syri, Arabes et Asiatici e curribus depugnabant. Mystice Beda : « Crescente, inquit, in bonis ardore virtutis agendæ, crescit et in immundis spiritibus ardor ejusdem impediendæ ac refringendæ virtutis; qui videntes fidelium contra se amicos erectos, hos colles, insidiarum deceptionumque variarum copiis expugnare contendunt. »

Vers. 6. 6. ABSCONDERUNT SE IN SPELUNCIS, — quibus abundat Judæa, teste Josepho, lib. I *De Bello,* cap. XII. Unde et David fugiens Saulem abdidit se in spelunca, I *Reg.* XXIV, et *Josue* X, occidit quinque reges latentes in spelunca.

IN ABDITIS. — Hebraice et Chaldaice, *in munitionibus;* Vatablus, *inter spineta;* Cajetanus, *in scissuris montium.* Abulensis explicat, hæc *abdita,* esse loca secreta tam urbium, quam domorum. Tales sunt Romæ criptæ et cœmeteria S. Priscillæ, S. Sebastiani, S. Laurentii, S. Pancratii, etc., in quibus tempore persecutionum se abdebant Christiani, quæ ego sæpius subintrans, vidi subterraneam civitatem et Romam, vidi et obstupui. Mystice Dionysius Carthusianus : « Sic inquit, aliqui Christiani cernentes se undique a diabolo, mundo et carne tentari, in foramine petræ, in fossa humo, id est, in Christi vulneribus, et in Dominicæ passionis memoria salubriter se occultant; et in proprio humiliationis profundo se celant, atque in tantum parvi pendunt, et quasi nihil se reputant quod a dæmonibus nequeunt tangi. » Et Beda : « Cum viderint, inquit, fideles antiqui hostis insidias, etc. Præsidia mox necesse est lectionum spiritualium, jejuniorum, eleemosynarum, orationum cæterarumque virtutum, quibus defendantur, adeant, abscondanturque in eis a contradictione linguarum; ut Pater, qui videt in abscondito, misereatur et adjuvet. »

7. HEBRÆI AUTEM TRANSIERUNT JORDANEM. — Est paranomasia in Hebræo עברים *ibrim,* id est *Hebræi,* et עברו *aberu,* jam est *transierunt;* עברי *ibri* enim, id est, *Hebræus,* dicitur ab עבר *abar,* id est *transivit,* eo quod Abraham veniens ex Chaldæa in Palæstinam transierit Euphratem, ut dixi *Genes.* XIV, 13, ubi Abraham vocatur *Hebræus,* id est *transitor* Euphratis, indeque ejus posteri vocati sunt *Hebræi.* Sicut Romæ omnes Germani, Galli, Hispani, etc., vocantur : *Transmontani,* sive *Transalpini.* Vers. 7.

Probabiliter censet Abulensis hos Hebræos qui transierunt Jordanem fuisse Rubenitas, Gaditas et Manassenses, qui trans Jordanem habitabant, *q. d.* Hi audito adventu Philistinorum ex Galgalis, transito Jordane, domum redierunt, quasi suo Jordane tuti, et a Palæstina separati.

Addit Auctor *Quæst.* apud S. Hieronymum, ac S. Gregorius, Rabanus, Hugo Victorinus et alii, eos ad Philistæos transfugisse; id enim innui videtur vers. 21, cap. XIV, licet id negent Lyranus, Abulensis et Dionysius.

8. ET EXSPECTAVIT SEPTEM DIEBUS JUXTA PLACITUM (id est constitutum et decretum) SAMUELIS. — Jusserat Samuel Sauli, cap. X, ut, ingruente hoste vel periculo, iret in Galgala, ibique nuntio ad se misso, suum adventum præstolaretur per septem dies integros; ut, invocato Deo, ab ipso audiret quid agendum foret. Paruit Saul, misitque nuntium ad Samuelem, ejusque adventum exspectavit per septem dies; sed septimo die inchoato, et necdum exacto, videns populum metu Philistinorum diffluere; non exspectato ulterius Samuele, sacrificium obtulit, ut Deo propitiato, ab eo disceret quid facto foret opus, ab eoque robur ad præliandum acciperet. Atque hac in re peccavit, Saul pec- Vers. 8.

cavit, quia Samuelem non exspectavit.

quod scilicet non exspectarit finem diei septimæ, uti jusserat Samuel. Nam ante ejus finem Samuel advenit, qui videns Saulem sacrificasse, acriter eum de inobedientia reprehendit. Ita S. Gregorius, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Serarius. Audi S. Gregorium : « Idcirco per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus sicut jussus fuerat non exspectavit. » Et postea : « Ecce septem diebus prophetam sustinuit, sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. »

Minus recte ergo nonnulli Saulem excusant, quod integros septem dies Samuelem exspectarit; sed quod non recte eos computarit; computasse enim eos a die, qua misit nuntium ad Samuelem accersendum; cum a postero die eos computare debuisset.

Vers. 9. 9. ET OBTULIT HOLOCAUSTUM. — Putant aliqui Saulem per se sacrificasse, ideoque regno privatum esse. Graviter ergo peccavit, quod, cum esset laicus, sacerdotalem functionem usurpare præsumpserit; sicut fecit Ozias rex thurificando, ideoque a Deo percussus est lepra, II *Paral.* XXVI, 16. Ita Rupertus, Lyranus, Dionysius, et favet Josephus. Addit R. Levi Saulem hæc sacrificia obtulisse, ut a Deo spiritum prophetiæ impetraret, quod deinceps sine Samuele regeretur. Unde et a Tertulliano, lib. II *Contra Marc.* cap. XXIII, vocatur, « despector Samuelis prophetæ. »

Verum nil tale indicat Scriptura, alioqui enim hoc illi exprobrasset Samuel acerrime; atque habebat Saul sacerdotes in castris, per quos sacrificia offerre poterat : cur ergo illud sibi vindicaret, sciens id a Deo vetitum? Ita Abulensis, Serarius, Sanchez et alii.

Vers. 10. 10. CUMQUE COMPLESSET OFFERRE HOLOCAUSTUM, ECCE SAMUEL VENIEBAT.— Vide quid faciet præcipitatio et impatientia. Si vel ad horam exspectasset Saul, ecce Samuel aderat pro eo sacrificaturus, et Deum consulturus. Jam autem defectu patientiæ et perseverantiæ horariæ, temporale regnum amisit, ac paulatim eo decidit, ut tandem amitteret quoque æternum. Volebat enim Deus ut Saul dirigeretur a Samuele, ac rex a sacerdote et propheta, ut doceret temporalem potestatem et principatum debere dirigi a spirituali et Ecclesiastica. Unde S. Ignatius, epist. 6 *ad Magnes.* : « Saul, inquit, honore privatur regio, non exspectans summum sacerdotem Samuelem : oportet itaque et nos revereri præstantiores; decetque non modo vocari Christianos, sed esse. Nec enim dici, sed esse, beatos facit. Si qui Episcopum appellant et sine eo omnia faciunt; hujusmodi dicet ipse, qui verus et primus Episcopus est : Quid me vocatis, Domine, et non facitis quæ dico? Tales enim non bona conscientia mihi præditi esse videntur, sed esse simulatores et personati. »

ET EGRESSUS EST SAUL OBVIAM EI. — Causas dat Dionysius : « Honoravit, inquit, Samuelem propter ejus senectutem et sanctitatem, prophetalemque gratiam; et quoniam ante eum Judex fuerat populi, et suis orationibus ac meritis multa bona a Deo obtinuit populo; sed et hac vice speravit juvari per Samuelem. »

11. ET TU NON VENERAS JUXTA PLACITOS DIES. — Vers. 11. Hebraice, *ad statutos dies*, quibus scilicet te venturum promiseras et constitueras, sive *ad constitutum diem*, quem nimirum constituere tibi placuit. Hinc putant aliqui Saulem exspectasse Samuelem per septem dies integros, sed male eos computasse, ut dixi vers. 8. Melius alii dicunt hanc excusationem ab eo obtendi, quod exspectarit usque ad septimum diem inchoatum, sed non perfectum. Quasi dicat : Exspectavi te usque ad septimum diem, et videns te non venire juxta tua promissa, putabam te non venturum; ideoque instante hoste, et dilabente exercitu, obtuli holocaustum, ut Deum mihi facerem propitium. Auxit peccatum Saul, quod culpam non agnoverit et veniam petierit, sed illam excusarit, et quasi in ipsum Samuelem retorserit. Causam dat S. Gregorius : « Quia, inquit, ex radice superbiæ, ipsa culpa inobedientiæ nascitur, solent inobedientes reatus sui magnitudinem audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam, cum sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur, et ideo dum excusationes proferunt, justitiam prætendunt, quia apparere peccatores erubescunt. »

Auget peccatum suum Saul excusando.

Porro quam grave sit et exosum Deo culpam excusare docet S. Bernardus, tract. *De Præcepto et dispens.*, loquens de Adæ peccato et excusatione : « Antiqua illa, inquit, tam nota, et tam noxia prævaricatio; facile ut creditur indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, et non defensio sequeretur. Neque enim tantum nocuit simplicis actionis, quamvis ex deliberatione, transgressio, quantum adjunctæ excusationis, cum præmeditatione obstinatio. »

12. NECESSITATE COMPULSUS. — « Saul, inquit Dionysius, mendose se excusavit : quia non erat necessitas vera, absoluta, sufficiens, talisque usurpata oblatio fuit magis offensiva Dei, quam placativa. » De hoc enim sacrificio dici potest, quod D. Bernardus, serm. 24 *in Cant.*, dixit de sacrificio Caini : « Munus, inquit, mortuum offers Deo, sed peccas. » Vers. 12.

13. DIXITQUE SAMUEL AD SAUL : STULTE EGISTI (Hebraice נסכלת *niscalta*, id est *stultus factus es*), NEC CUSTODISTI MANDATA DOMINI DEI TUI, QUÆ PRÆCEPIT TIBI, — ut scilicet exspectares meum adventum per septem integros dies, ac per me sacrificares, et consuleres Deum, uti tibi Deus per me præceperat. Ita Angelomus, Abulensis, Cajetanus et alii. Stultissimum enim est mandatis Dei non obedire; itaque ejus offensam, iram et vindictam in se provocare. Singula verba habent auxesim et emphasim peccatum Saulis aggravantem. Nam et solerter expendit S. Gregorius : « Ausus magnæ transgressionis esset, si ille, cujus Vers. 13.

mandata despicis, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret. Quantum ergo est quod committitur, cum Dei, ac Domini mandata negliguntur! »

Secundo, urget S. Gregorius τὸ *Dei tui*, *q. d.* : « Ejus præceptum contempsisti, qui, dum te de imo extulit, dum super alios te constituit, dum regem fecit, per impositionem tantorum munerum velut specialiter tuus fuit. »

Tertio, premit τὸ *quæ præcepit* non omnibus generatim, sed *tibi* speciatim, *q. d.* : « Illa Dei, et Domini tui mandata contempsisti, quæ non velut communia omnibus, sed velut propria, et soli tibi singulariter credita, observare debuisti. »

Tropologice, S. Chrysostomus ostendit peccatorem esse *stultum*, quia ex homine rationali se facit quasi bestiam irrationalem. Audi eum, homil. 12 *in Genes.* : « Homo mansuetum animal et rationale, mores suos in ferinos vertit. Idcirco Scriptura interdum canes vocat, ob impudentiam, *Isaiæ* LIX, 10; equos ob libidinem, *Jerem.* V, 8; asinos, ob stupiditatem et ruditatem, *Psal.* XLVIII, vers. 13; leones et pardos, ob rapacitatem et habendi aviditatem, *Oseæ* XIII, 7 et 8; aspides ob fraudulentiam, *Psal.* XIII, 3; serpentes et viperas, ob latens venenum et malitiam, *Psal.* CXXXIX, 4, et *Matth.* III, 7, et alia affectionibus respondentia nomina imponit, ut sic vel tandem confusi ad suam aliquando redeant nobilitatem, et suo generi confœderentur. »

QUOD SI NON FECISSES, JAM NUNC PRÆPARASSET DOMINUS REGNUM TUUM SUPER ISRAEL IN SEMPITERNUM. — *Præparasset*, Hebraice הָכִין *hechin*, id est *firmasset*, *stabilivisset*. Sic sæpe in Scriptura *præparare* sumitur pro *confirmare*, ut *Psal.* LXXXVIII : « In æternum præparabo semen tuum, » id est confirmabo posteris tuis regnum, ut in eo continua generationum serie tibi succedant : « in sempiternum, » non absolute, sed respective : quamdiu scilicet duravit respublica et regnum Israelis. Dices : Quomodo hæc sententia concordat cum illa *Genes.* XLIX, 10 : « Non auferetur sceptrum de Juda : » ibi enim Deus promittit regnum perpetuum Judæ; hic vero Sauli, qui non erat e tribu Juda, sed Benjamin? Respondeo : Deus primo decreverat Sauli et posteris ejus perpetuare regnum, si illi per omnia sibi fuissent obedientes : verum quia prævidebat id Saulem non facturum, hinc decrevit ab eo transferre sceptrum ad Judam et Davidem. Prophetia ergo illa Jacobi de regno Judæ, præsupponit prævisionem culpæ et rejectionis Saulis, licet post aliquot sæcula futuræ. Hoc enim evincit hæc Samuelis de regno Saulis continuando assertio.

Vers. 14. 14. SED NEQUAQUAM REGNUM TUUM ULTRA CONSURGET, — ut post te in filios tuos transeat : transibit enim ad Davidem. Nam alioqui Saul non fuit privatus regno : imo tota vita sua mansit rex, sed eo moriente Deus regnum a filiis Saulis transtulit ad Davidem. Unde ex hoc loco evinci non potest Saulem hic peccasse mortaliter, eo quod privatus sit regno : poterat enim Deus sine omni ejus culpa regnum ab ejus posteris transferre ad Davidem. Ergo multo magis id facere poterat ob venialem ejus culpam; quia scilicet non plene obediebat Deo et Samueli. Sic *Angelus*, id est Episcopus *Ephesi*, puta S. Timotheus, audivit a Christo, *Apoc.* cap. II, vers. 4, « charitatem tuam primam reliquisti, etc. Prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo; » hoc est, amovebo te a tuo candelabro, id est, privabo te tuo episcopatu. Vide ibi dicta.

Apposite ergo privatur Saul regno, quia Deo regi suo, a quo rex erat constitutus, non obedivit. Sic vice-rex officio spoliatur, si regi suo non obtemperet. Homo ergo, « ut possit imperare, debet Deo esse subjectus, » ait S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 10. Et S. Augustinus in *Psalm.* CXLIII, ad illa : *Qui docet manus meas ad prælium.* « Expedit, inquit, ut ille, qui sibi subjici vult quod est inferius, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem. Tu Deo, tibi caro; quid justius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi : servi tu ei, qui fecit te ut tibi serviat, quod factum est propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. »

Saul regno privatur ob inobedientiam.

Et S. Gregorius, lib. I *Dialog.* cap. I : « Usus quidem, inquit, rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit : nec obedientiam subjectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere. »

QUÆSIVIT DOMINUS SIBI VIRUM JUXTA COR SUUM, — scilicet juxta suum gustum et votum, juxta suum placitum et desiderium; qui scilicet « cor, » id est « mentem et voluntatem suam, » plane et plene conformet « cordi, » id est « menti et voluntati suæ; qui » scilicet « faciat omnes voluntates meas, » ut explicat S. Paulus, *Actor.* XIII, 22. Hic est David : quod enim vult cor meum, hoc vult et cor Davidis, ac proinde in eo « cor, » id est « mens mea » se plane oblectat et conquiescit; cum in te, o Saul, non conquieverit, eo quod mea præcepta non plene, sed ex parte duntaxat expleveris. Ita S. Gregorius : « Per Dei cor, inquit, in sacro eloquio, intima ejus voluntas designatur. Juxta eam vero sumus, quando hanc et per intellectum agnoscimus, et per amorem custodimus. » Et paulo post : « Potest, inquit, intelligi vir, pro fortitudine, secundum cor Dei, pro interna charitate. Quando igitur necessitas exigit, ad curam sanctæ Ecclesiæ quæratur vir, ut sit conversatione fortis : quæratur secundum cor Dei, ut per affectum magni amoris quasi unitus sit divinæ voluntati. » Et inferius : « Ideo eum quæsivit, quia tu juxta cor suum esse noluisti. » Unde merito exclamat S. Chrysostomus, hom. *De Davide et Goliath* : « O beatum Davidis sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, Judex præfert summus : dum enim David sanctissimus, homo secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit;

Vir secundum cor Dei quis?

quidquid mente concipit, perficit; dum, inquam, David cordi Dei cor proprium jungit, et menti ejus mentem suam adnectit; hoc est, ut quæ vult Deus, velit, et quæ non vult, similiter nolit? sic eum Dominus individuo amore et conjuncta charitate dilexit.»

Hinc morale dogma utilissimum et sanctissimum elicit B. Petrus Damianus, lib. V, *epist.* 3, quæ in ordine est 72. «Unum, inquit, est, quod mens cujusque fidelis debet solerter attendere, et intra semetipsam sollicita semper inquisitione versare, scilicet, utrum placeat Deo, quod agit, et an ejus vita Deus, vel operibus delectetur. Quid enim prodest, quidquid homo faciat, si hoc non placeat Deo? sic de Davide dicitur: Quæsivit sibi Deus virum juxta cor suum. Nam, si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in Conditore.»

Porro S. Hilarius in *Psalm.* LIII, et S. Bernardus, serm. 34 *in Cant.*, docent Davidem maxime fuisse «virum secundum cor Dei,» eo quod in inimicos fuerit adeo benevolus. Sic et S. Dionysius, epist. 8 *ad Demophilum*: «Quid, inquit, Davidem illum Dei parentem, fecit divina amicitia dignum? nempe, cum esset bonus atque in hostes benignus: Inveni, inquit ille summe bonus ac benignitatis amator, hominem secundum cor meum.»

ET PRÆCEPIT EI DOMINUS UT ESSET DUX SUPER POPULUM SUUM. — «Præcepit,» id est ordinavit, apud se constituit, in corde suo edixit et quasi præceptum sanxit; sed illud necdum promulgavit. Sic Deus ait Eliæ: «Corvis præcepi,» id est statui, ordinavi, «ut pascant te,» III *Reg.* XVII, 4. Causam dat S. Gregorius: «Ille, inquit, aliis utiliter præcipit, qui obedire Deo perfecte jam novit; qui solum hoc præcipit, quod ex consilio procedit intimæ veritatis.»

Addit S. Gregorius, Prælatum non debere ambire imperium, sed ad illud præcepto quasi cogi. «Quia, inquit, electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, se coacti perducuntur, bene dictum: Et præcepit ei ut esset dux, quasi dicat: In honorem prælationis, non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit.» Deinde jubens ut ad publicum honorem perfectissimus quisquis diligenter quæratur, subjicit: «Præcipiatur ei ut sit dux; quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat; sed ex humilitate pertimescat, sicque sibi humilis metuat, ut subdi præcepto Dei devotius agnoscat.»

EO QUOD NON SERVAVERIS QUÆ PRÆCEPIT DOMINUS. — Tota ergo causa, cur Deus a Saulis stirpe abstulerit regnum, fuit, quod Saul non plane et plene accommodasset cor et voluntatem suam, cordi et voluntati Dei, quam ei explicuerat Samuel, ut scilicet se exspectaret, et per se sacrificaret, Deumque consuleret. Volebat enim Deus ut Saul honoraret Samuelem, quasi suum sacerdotem et prophetam; ut is internuntius esset inter Saulem et Deum: sicut Deus jusserat Josue nil agere, nisi ex Eleazari pontificis consilio et oraculo, *Num.* cap. XXXIV, vers. 13.

Moraliter, disce hic primo quam plene et perfecte Deus, ut omnium Dominus, sibi suisque velit obediri ad litteram, sine excusatione et interpretatione. Unde tam graviter punivit Saulem, qui id non fecit: eo quod ipse esset primus rex Israelis a se constitutus, privando eum regno; ut David et cæteri deinde reges ejus exemplo saperent, discerentque Deo et Pontifici per omnia plene obedire.

In primis Deus statuit exempla.

Sic primus homo, Adam, comedens pomum vetitum, punitus fuit morte sua et posterorum, ut illi ejus exemplo discerent Deo plane obtemperare. Sic primus angelus Lucifer, nolens Deo se humiliare et obedire, cecidit in tartara. Vide ergo hic quam primatus sit periculosus, disceque eum non ambire. In primis enim Deus statuit exempla posterorum: quare primos vult esse exactos, ut sint speculum sequentibus; speculum, inquam, virtutis aut castigationis suæ. Nam ut ait Poeta:

> Principiis obsta, sero medicina paratur,
> Cum mala per longas invaluere moras.

Non ergo primo loco, at «medio tutissimus ibis.» Primogenitus Abrahæ Ismael, vexans juniorem Isaac, domo Abrahæ expulsus fuit. Primogenitus Isaac fuit Esau, qui jure primogenituræ spoliatus est a fratre Jacobo. Primogenitus Jacobi fuit Ruben qui, ob incestum, gradu suo dejectus est. Primogenitus Adæ fuit Cain qui, Abelem fratrem occidens, factus est vagus et profugus. Primogenitus Davidis fuit Ammon qui, ob incestum cum sorore sua Thamar, ab Absalone fratre occisus occubuit, II *Reg.* cap. XXIII, 21 et sequentibus.

Pontificatus est onus onerum.

Sic primatus Ecclesiasticus, sive Pontificatus, est «onus onerum,» ait S. Leo, et ex eo B. Petrus Damianus, lib. I, *epist.* 20, qui scribens ad Cadaloum ambientem Papatum, imo Antipapam (qui se Honorium II vocabat): «Enim vero, inquit, cum religiosus quisque vir subire tam laboriosæ sedis onus abhorreat, illicque vix ullis hominum precibus constitui acquiescat; cur tu onus onerum, ut sanctus Leo Papa dicebat, non modo non paras aufugere, sed ultro etiam preces et pretium offerendo, anxie te conaris intrudere?»

S. Gregorius hic, lib. IV, cap. IV, loquens de Saule electo in regem, et se domi abscondente: «Videat, inquit, sacerdos qua mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere tam caute reges fugerunt.» Ita fugit ipse S. Gregorius, seseque abscondit, donec columna ignea cœlitus proditus, raptus fuit ad pontificatum. Sic de S. Cornelio Pontifice scribit S. Cyprianus, lib. IV, *epistol.* 2: «Qui Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec vi, ut cæteri quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit;

sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. »

Porro « onus onerum, » quod subit Pontifex. Ita declarat S. Bernardus, lib. II *De Consideratione ad Eugen. Pontif.* : « Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, non uni, unus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Quod si ita est, quanta erit sarcina, quantum onus totum, ut ita dicam, orbem terrarum humeris sustinere! »

Idem, lib. IV : « Te ipsum, inquit, considera : formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum Sponsi, Cleri ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, spem miserorum, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi. Quis non timeat et tremat hæc audiens, » ut Pontificatus onus Angelicis humeris formidabile ambire audeat?

Denique S. Chrysostomus (vel quisquis est auctor) in Opere imperfecto *in Matthæo*, homil. 35 : « Primatum, inquit, Ecclesiasticum concupiscere neque ratio est, neque causa; quia neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, labori, dolori, et quod majus est periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia, apud justum Judicem, nisi forte qui nec credit judicium Dei, nec timet uti, abutens primatu suo Ecclesiastico, ut sæculari, et convertat eum in sæcularem? »

Vers. 15. 15. SURREXIT AUTEM SAMUEL, ET ASCENDIT DE GALGALIS, IN GABAA BENJAMIN. — Eodem pergebat Saul cum exercitu, ut sequitur; sed Samuel præcessit, et se a Saule ob culpam admissam separavit, ut se iratum ostenderet, et Saulem ad culpæ agnitionem et pœnitentiam flecteret. « Quia scilicet, ut ait S. Gregorius, in rege quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ, qua manere cogeretur, minime cognovit, etc. Rex in ministerio relinquitur, ut ipsa Prophetæ separatione corrigatur; quia plerumque quos Prædicatoris verba non corrigunt, dividi a Prædicatorum familiaritate, vel a sanctæ Ecclesiæ unitate pertimescunt. Juxta Prædicatores duri sunt, sed separati resipiscunt. »

Ivit autem Samuel in Gabaa, ut se jungeret Prophetis ibidem habitantibus, ut dictum est cap. X, vers. 5, cum iisque Dei laudibus vacaret, ac pro Israele oraret, ac populum cum Saule eodem pergentem ad prælium contra Philistæos, sua saltem præsentia ad fortiter pugnandum animaret. Mystice S. Gregorius : « Quid est, inquit, quod de Samuele dicitur : surrexit et ascendit, nisi quod in perfectioribus viris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur? sic nobis irascuntur, ut quieti intus, secreti sui alta conscendere velociter possint. Fortes namque et potentes sunt, et qui magna et fortia sua leviter ferunt, nostris infirmitatibus non gravantur. »

ET RELIQUI POPULI, — id est e populo reliqui : τὸ enim *populi* non est nominativus pluralis, sed genitivus singularis, ait Abulensis. Hæc verba desunt in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, Regiis et Complutensibus, suntque obscura et implexa : sensus tamen eorum hic esse videtur, quasi dicat : Reliqui, qui cæteris metu Philistinorum diffugientibus manserant in castris, hi cum Saule ascenderunt de Galgalis in Gabaa, quæ erat urbs sita in colle tribus Benjamin.

OBVIAM POPULO (Philistinorum hostium, qui e vicino oppido *Machmas*, ut dicitur vers. sequenti, excursiones faciebant, et) EXPUGNABANT EOS, — scilicet Hebræos, venientes de Galgala in Gabaa. Jonathas enim expugnaverat stationem Philistinorum in Gabaa, ut dictum est vers. 3. Quare multi Hebræorum e Galgalis pergebant in Gabaa; hos e latere invadebant et cædebant Philistini, degentes in vicina urbe *Machmas* : ut ergo hoc iter suis securum redderet Saul, cum suis contra eos ascendit; ac simul ut se cum Jonatha degente in Gabaa conjungeret, uti de facto ibi se conjunxit, ut sequitur :

17. ET EGRESSI SUNT AD PRÆDANDUM DE CASTRIS PHILISTINORUM TRES CUNEI. — Hebraice, *tria capita;* Chaldaice, *tres turmæ;* Septuaginta, *tria principia;* Vatablus, *tria agmina. Cuneus* proprie est ferrum acutum, quod sensim crassescit, quo in fissuras inserto ligna finduntur. Unde illud : « Malo nodo malus quærendus est cuneus. » Hinc per metaphoram, cuneus significat peditum multitudinem in cunei formam redactam, quæ in acie angustior et quasi acutior; deinde latior densiorque procedit, ait Vegetius lib. II *De Re milit.* Unde Virgilius, lib. XII *Æneid.* : Vers. 17.

> Densi, cuneis se quisque coactis
> Agglomerant.

PORRO FABER FERRARIUS NON INVENIEBATUR IN OMNI TERRA ISRAEL : CAVERANT ENIM PHILISTHIM NE FORTE FACERENT HEBRÆI GLADIUM AUT LANCEAM, — ut eos sub suo jugo continerent, ne rebellare possent. Sic servis a Romanis olim vetita fuere arma, ne heros suos invaderent, nisi in extrema necessitate, qualis fuit post Cannensem cladem : tunc enim contra Annibalem armarunt servos, teste Valerio Maximo, lib. VII, cap. VI. Sic adimenda esse servis arma docet Aristoteles II *Polit.* II. Sic SyrusLydis contra se rebellantibus ademit arma, teste Justino, lib. I. Vers. 19.

Verum Deus elusit cautionem et prudentiam Philistinorum, dum per Samulem Hebræis dedit victoriam sine ferro et armis ferreis. Unde S. Gregorius : « Armati, ait, ab inermibus victi sunt, ut totum quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. »

Faber est meditans mystice.

Mystice, « faber » est orans et meditans, qui folle discursus sui in officina ferraria, id est, in meditatione excitat ignem devotionis et charitatis, juxta illud : « In meditatione mea exardescet ignis. » Audi F. Bartholomæum *De Martyr.* archiepiscopum Braccarensem in insigni suo doctrinæ spiritalis compendio, cap. XXVII, pag. 285 : « Faber ferrarius, ignitum ferrum de igne extrahens, ictibus mollire satagit; sed antequam penitus frigescat, ad ignem reducit, ut iterum faciliter ignescat; sic etiam spiritus noster a fervore devotionis extractus et occupationis terrenæ ictibus percussus, ne omnino frigescat atque induretur, ad fornacem devotionis est reducendus. Nam qui studiose curant devotionem nutrire quotidie, facile conservant ac tuentur; si vero, licet paucissimis diebus, ab officio recedant, difficulter ad exercitii interioris fervorem redire solent. Quapropter illud maxime curandum est, ut orationis assiduitate cor semper Deo pateat. »

Tropologice, faber est prædicator.

Tropologice, « faber ferrarius » est prædicator, præceptor, et quivis alius castigator vitiorum : hunc tollere conantur « Philistæi, » id est, dæmones, ut homines inermes eorum tentationibus resistere nequeant. Audi B. Petrum Damianum, lib. I, *epist.* 18, quæ ordine est 106 : « Spiritualis quisquis conventus, si fraterni zeli frequenti correptione non utitur, Israeliticæ plebis mystica laborat inopia; quæ videlicet incipiente Saul regis imperio, fabrum ferrarium non habebat. » Et paulo post : « Philistæi, inquit, de terra Israel fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus, falsæ pietatis obtentu zelum correptionis de fratrum labiis auferunt. » Causam subjicit : « Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, et quasi cudendo rigidæ mentis duritiam frangit. » Ex quibus concludit : « Si de sacro conventu correptionum censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus enervatur, et religio tota destruitur; quia dum unusquisque propriæ sequitur voluntatis arbitrium, ad sæcularia rediens, spiritualis observantiæ violat institutum. » Deinde ad praxim cuique hoc pium dat monitum : « Unde quisquis est, cui regularis vitæ fervor inæstuat, correptiones libenter amplectitur : et tunc etiam, cum innocens est, suis reprehensionibus delectatur : non, ut eum conscientia peccasse remordeat; sed quoniam hoc prodesse cæteris audientibus sperat; ut unde ipse innocens, et mundus arguitur, alii qui vel lapsi, vel lapsuri forte sunt, corrigantur. »

Nam ut ait Ecclesiastes, cap. XII, vers. 11 : « Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. » Hinc et illud *Jeremiæ* XXIII, 29 : « Numquid non verba mea sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram? » Sic et S. Gregorius, Eucherius, Beda, Hugo, qui et addunt dæmonem adimere fidelibus « fabros ferrarios, » id est bonos prædicatores, vitiorum castigatores, cum facit ut ipsi subtilia, philosophica, poetica vana, elegantia et placentia populo prædicent, ac plausum populi quærant, non planctum, ut ait S. Bernardus.

Rursum, « fabri ferrarii » sunt magistri et doctores qui docent philosophiam, rhetoricam, mathesin, poesin, etc., quæ fidei et doctrinæ sacræ subserviunt, ut eam contra hæreticos, Gentiles et impios defendant. Hos aufert Satanas, dum satagit ut Religiosi, Clerici et Sacerdotes iis non studeant, sed indocti otio torpeant : inde enim orta fuit hæresis Lutheri et posterorum ejus, æque ac priscorum hæreticorum. Ita S. Gregorius et Cyrillus Alexandrinus, lib. VII *Contra Julianum.*

Denique, « arma ferrea » sunt mortificationes et pœnitentiæ, quibus concupiscentia carnis retunditur et contunditur.

21. RETUSÆ ITAQUE ERANT ACIES VOMERUM, — quia continua aratione sulcando terram, ejus resistentia et renitentia retundebantur et hebetabantur; ac Hebræis difficile erat, ad eas acuendas, toties ire in Philistiim. Vers. 21.

USQUE AD STIMULUM CORRIGENDUM, — quasi dicat : Adeo retusæ erant acies instrumentorum ruralium, ut ne exiguus quidem stimulus quo boves pungerentur, superesset, qui non esset hebetatus; ideoque corrigi et acui deberet. Ita Lyranus. Aut cum Abulensi refer hæc superius ad vers. 20 : « Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, ut acueret unusquisque vomerem suum et ligonem, etc., usque ad stimulum corrigendum, » *q. d.* Non tantum ad majora instrumenta acuenda, sed etiam ad minimos stimulos corrigendos et acuendos, oportebat ire in Philistæam, quia in Israel non erat faber, qui eos acueret.

22. CUMQUE VENISSET DIES PRÆLII, NON EST INVENTUS ENSIS. — Populus ergo et milites sequentes Saulem armabantur arcubus, fundis (Gabaasitæ enim erant optimi fundibularii, ut patet *Judic.* XX, 16), perticis, fustibus, ut dixi versu 3; hæc enim sunt arma rusticana et prisca : item ligonibus, falsibus, tridentibus, stimulis, malleis, securibus, serris, baculis sive flagellis, quibus triturantur et excutiuntur frumenta, cæterisque instrumentis rusticanis : ac forte ea igne liquando conflabant in perticas, pugiones et gladios, sed rudes et impolitos, juxta illud Virgilii : Vers. 22.

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Sic Samgar judex vomere aratri occidit sexcentos Philistæos, *Judic.* III, 31. Et Samson, carens ense, mandibula asini occidit mille viros, *Judic.*

cap. XV, 15. Ex quibus liquet antiquam fuisse hanc Philistinorum cautionem, ne Israelitæ haberent arma et fabros ferrarios.

EXCEPTO SAUL ET JONATHA. — Mystice Dionysius Carthusianus : « Prælati, ait, et eorum Vicarii debent tantæ esse perfectionis, quod quantumcumque subditi spiritualibus armis priventur, et passionum immoderantiis agitentur, ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientiæ perseverent firmissime et mala vincant in bono, suaque probitate, aliorum defectuositates reprimant ac reforment, quoniam ipsi sunt velut mensura et regula subditorum. »

Porro Hebræi dicunt vel fingunt Sauli et Jonathæ allatos esse hos enses cœlitus ab angelis. Plenius dicas ipsos hos enses occultasse, vel occulte sibi e locis vicinis comparasse.

23. EGRESSA EST AUTEM STATIO PHILISTINORUM, UT TRANSCENDERET IN MACHMAS. — Jam ipsa erat *in Machmas*, ut dictum est vers. 5; τὸ ergo *in Machmas*, vel referendum est ad *statio*, non ad *transcenderet*, *q. d.* Statio Philistinorum, quæ erat in Machmas, transcendit Machmas ivitque ulterius obviam Sauli et Hebræis ad prælíandum cum eis; vel certe *in Machmas*, id est, *ultra Machmas*, ut vertunt Septuaginta. Hebraice, *egressa est statio Philistinorum ad transitum* (Chaldaice, *vadum*) *Machmas;* Vatablus, *in ulteriorem partem, quæ erat inter Machmas et Gabaa, stationem sive præsidium transtulerunt.* Vers. 23.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonathas solus cum armigero invadit castra Philistinorum: Deus illis terrorem et perturbationem injicit; unde ipsi mutua se cæde trucidant. Audit eorum tumultum Saul, vers. 19, *edicitque ne quis usque ad vesperam comedat, donec hostes fugientes persequatur, et conficiat. Jonathas, edictum ignorans, mel in sylva repertum comedit. Milites defatigati et esurientes, vers.* 32, *contra legem comedunt carnem cum sanguine. Unde Saul, statuta petra, jubet ut in ea sanguinem effundant. Mox, vers.* 36, *Saul, nocte irrupturus in castra hostium, consulit Dominum; sed Dominus non respondet. Quare Saul jacit sortem, ut cujus culpa iratus sit Deus, exquirat. Sors denotat Jonatham, vers.* 42; *ille fatetur se mel comedisse. Quare a patre morti addicitur, sed populus eum liberat. Inde, vers.* 47. *Saul debellat Ammonitas, Maabitas, Idumæos aliosque per circuitum hostes. Denique, vers.* 49, *filii Saul recensentur.*

1. Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit. 2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, quæ erat in Magron; et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petræ ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene; 5. unus scopulus prominens ad Aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad Meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus : Fac omnia quæ placent animo tuo; perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris. 8. Et ait Jonathas : Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, 9. si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos : stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint : Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris; hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum; dixeruntque Philistiim : En Hebræi egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. 12. Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham et ad amigerum ejus, dixeruntque : Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum :

Ascendamus, sequere me; tradidit enim Dominus eos in manus Israel. 13. Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri (1), quam par boum in die arare consuevit. 15. Et factum est miraculum in castris, per agros; sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. 17. Et ait Saul populo qui erat cum eo : Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham, et armigerum ejus. 18. Et ait Saul ad Achiam : Applica arcam Dei (erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel). 19. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum; crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manum tuam. 20. Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis; et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis. 21. Sed et Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonatha. 22. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum. 23. Et salvavit Dominus in die illa Israel. Pugna autem pervenit usque ad Bethaven. 24. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa; adjuravit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem, 25. omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus juramentum. 27. Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum; extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis; et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus. 28. Respondensque unus de populo, ait : Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus). 29. Dixitque Jonathas : Turbavit pater meus terram; vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto : 30. quanto magis, si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quem reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philistiim? 31. Percusserunt ergo in die illa Philistæos a Machmis usque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis; 32. et versus ad prædam, tulit oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra; comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Prævaricati estis; volvite ad me jam nunc saxum grande. 34. Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem; et occiderunt ibi. 35. Ædificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino. 36. Et dixit Saul : Irruamus super Philistæos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus : Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos : Accedamus huc ad Deum. 37. Et consuluit Saul Dominum, num persequar Philistiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa. 38. Dixitque Saul : Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. 39. Vivit Dominus salvator Israel, quia si

(1) Cardinalis Bellarminus censet legendum esse *quod*, non vero *quam*.

per Jonathan filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et ait ad universum Israel : Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul : Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel : Domine Deus Israel, da indicium ; quid est quod non responderis servo tuo hodie ? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem ; aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas et Saul, populus autem exivit. 42. Et ait Saul : Mittite sortem inter me et inter Jonatham filium meum. Et captus est Jonathas. 43. Dixit autem Saul ad Jonatham : Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas, et ait : Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior. 44. Et ait Saul : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha. 45. Dixitque populus ad Saul : Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est : vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur. 46. Recessitque Saul, nec persecutus est Philistiim ; porro Philistiim abierunt in loca sua. 47. Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philistæos, et quocumque se verterat, superabat. 48. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus. 49. Fuerunt autem filii Saul, Jonathas, et Jessui, et Melchisua ; et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol. 50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimaas ; et nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul. 51. Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel. 52. Erat autem bellum potens adversum Philistæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Vers. 1. Jonathas Dei instinctu invasit castra Philisthiim.

1. VENI ET TRANSEAMUS AD STATIONEM PHILISTINORUM. — Dixit hoc, et fecit ea quæ sequuntur Jonathas peculiari instinctu Dei, ut patet ex victoria miraculosa quam ab eo obtinuit ; alioqui temerarius fuisset, si solus cum uno armigero, invasisset tota hostium castra. Deus ergo illi, ut id faceret, suggessit, animosque illi addidit ac fiduciam victoriæ tam miræ consequendæ. Ideoque id Jonathas patri non indicavit, ne is illud impediret. Qui enim a Deo regitur, regis alterius regimine non eget. Ita Theodoretus, Procopius, Abulensis, Cajetanus et alii.

Mira ejus fortitudo.

Mira ergo hic celebratur Jonathæ fortitudo, qui Deo nixus, tantum periculum solus adiit, certus aut vincere, aut vinci et pro patria mori gloriose. Unde S. Bernardus, serm. *ad Milites templi*, cap. I, eos comparat cum Martyribus, ut si vincant, coronentur corona triumphantis ; si vincantur, martyrii laurea. « Quam gloriosi, ait, revertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur Martyres in prælio ! » Et cap. III : « Secum, ait, præliantur, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum. Miles Christi securus interimit, securior interit ; sibi præstat, cum interit ; Christo, cum interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida ; sed, ut ita dixerim, malicida reputatur. Cum occiditur ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum ; quam excipit, suum. » Et cap. IV, eorum armis recensitis : « Imminente bello, ait, fide intus, foris ferro, non auro muniuntur ; quatenus armati, et non ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloces, non coloratos, aut phaleratos ; pugnam quippe non pompam, victoriam non gloriam cogitantes, et studentes magis esse formidini quam admirationi. »

Vers. 2.

2. PORRO SAUL MORABATUR IN EXTREMA PARTE GABAA, SUB MALOGRANATO, QUÆ ERAT IN MAGRON. — Ita Hebræus, Chaldæus et alii ; sed Septuaginta pro ו legentes affine ד vertunt in *Magdon*. Erat locus hic juxta Gabaa, quæ erat patria et sedes Saulis ; cujus meminit et Isaias cap. X, 28 : non ergò erat in ipsa urbe Gabaa, sed *in agro Gabaa*, uti hic legunt Biblia Regia, Glossa, Hugo, Abulensis, Dionysius, Vatablus.

Pro *malogranato*, Hebraice est *Remmon*, quod, ut nomen proprium loci, retinet Vatablus : qui alibi vocatur *collis*, vel *petra Remmon ;* in quem, ut locum munitum et tutum, se receperunt sexcenti e clade tribus Benjamin superstites, et reliqui, *Judic.* XX, 27, ideoque et Saul ibidem castra locavit. Sic nobilis illa Hispaniæ civitas, regnique caput, dicta est *Granata*, a malogranatorum copia vel figura. Sic hic locus hebraice dictus est *Remmon*, a malogranatorum præstantia et abundantia. Sic Jericho dicta est *civitas palmarum* ab

earum fertilitate, pluresque aliæ civitates dictæ sunt *Thamar*, id est, *palma*, a palmetis quibus abundant. Sic Bethel prius dicta est *Luza*, a nucibus, corylis, et amygdalis, *Genes.* cap. XXVIII, vers. 19.

Malogranatum speciem habet regis.

Apposite Saul rex consedit sub malogranato; quia hoc speciem habet regis et regni. Nam, ut advertit Mendoza: *primo*, malogranatum in suo flore elegantem purpuream coronam, in pomo autem purpuram, in granis coronam in vertice ostentat: ut plane videatur regem purpuratum et coronatum repræsentare. *Secundo*, « quia dum multa grana sub uno cortice complectitur: vel significat multitudinem negotiorum et consiliorum, quæ a regibus fido silentio occultantur, » ut S. Ambrosius lib. III *Hexam.* cap. XIII, insinuat; « vel significat concentum omnium virtutum, quibus æquum est ut regum animi exornentur, » ut S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, explicat; « vel significat prudentiam gubernatricem, qua reges suos subditos, et moribus et honoribus dissidentes, in officio continent, et in gyrum rationis circumversant, » ut Theodoretus lib. III *in Cant.* indicat; « vel significat animorum charitatem, quam reges suo in regno curare et conservare debent, » ut idem Theodoretus clarius significat. Qua de re multa dixi *Cant.* cap. IV, vers. 3.

Tertio, « quia sicut malum granatum pulchrius apparet, cum fatiscit; nam tunc interna grana, quæ sub vili cortice latebant, pyropos imitata expanduntur; ita reges quo majoribus difficultatibus scinduntur ac distrahuntur in suorum præsidium ac tutamen populorum, eo clariora præbent omnium oculis suarum spectacula virtutum. »

Quocirca Henricus IV, Hispaniæ rex, malogranatum pro insigni regio delegit cum epigraphe: « Acredulce, ut significaret in optimo rege ita severitatem et humanitatem temperandas, ut nunquam rex, aut sine severitate ignavus, aut sine humanitate crudelis videretur. Non immerito igitur Saul sub malogranato morabatur, ut ab ipsa arbore admoneretur regiæ dignitatis et potestatis, aut sanctitatis quam in rebus arduis difficilibusque temporibus exercere oportebat. »

ET ERAT CUM EO POPULUS, QUASI SEXCENTORUM VIRORUM, — præter mille qui erant cum Jonatha: nam duo millia quæ sibi delegerat Saul, cap. XIII, vers. 2, metu Philistinorum defluxerant et fugerant; ita ut cum Saule ex iis tantum remanserint sexcenti, iique viri fortes et constantes, qui proinde licet pauci, tantas tamen victorias contra Philistæos plurimos obtinuerunt, quantæ in seq. narrantur.

Moraliter, disce hic quantum valeat virtus paucorum generosorum. Sic Gedeon cum trecentis prostravit numerosissima castra Madian. Causam dat Josephus, lib. V *Antiq.* cap. VIII, vel juxta aliam editionem X: « Imbellem, inquit, naturam hominum sibi Dominus placere declaravit, ut populus victoriam non sibi, sed Deo deputaret. » Judas Machabæus cum paucis superavit copias Antiochi; David superavit Goliath, omnesque Philistæos; duodecim Apostoli sua virtute subjugarunt Christo totum orbem; S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, et nuper S. Ignatius fundator Societatis Jesu cum paucis sociis, quanta ubique terrarum effecere? virtus ergo non in numero, sed in paucitate generosa consistit. Nam, ut ait Isaias, cap. IX, 3: « Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. » Vide ibi dicta. Tritum est illud: « Virtus unita fortior divisa. » Et illud: « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, » I epist. *ad Corinthios* I. Et illud: « Virtus Dei in nostra infirmitate perficitur, » II epist. *ad Corinth.* cap. XI.

3. ET ACHIAS FILIUS ACHITOB FRATRIS ICHABOD, FILII PHINEES, QUI ORTUS FUERAT EX HELI SACERDOTE (Pontifice) DOMINI IN SILO, PORTABAT EPHOD, — id est, pontificalem amictum quasi Pontifex secum deferebat ad pontificatu fungendum; ut per Urim et Tummim, quæ erant in rationali et ephod, pro Saule consuleret Dominum, quid in bello tam ancipiti et periculoso agendum foret. Hinc patet Samuelem non fuisse Pontificem, ut vult Serarius et alii, sed Achiam: hic enim portabat vestem pontificalem, et recta linea descendebat ab Heli pontifice. Heli enim genuit Phinees, Phinees genuit Achitob et Ichabod, Achitob genuit Achiam, ait Josephus. Vers. 3.

Achias fuit Summus Pontifex, non Samuel.

Dices: Cap. XXI, versu 9, dicitur Achimelech, filius Achitob, fuisse Pontifex; ergo Achias non fuit Pontifex. Respondeo, Achiam fuisse binomium, et alio nomine dictum « Achimelech. » *Achias* enim hebraice idem est quod *frater Dei*. *Achimelech* idem, quod *frater Regis*. Deus autem est « Rex regum; » vel certe Achiæ seniori sine liberis mortuo, in Pontificatu successit Achimelech, qui erat frater Achiæ junior.

Achias fuit binomius.

4. ERANT AUTEM INTER ASCENSUS, PER QUOS NITEBATUR JONATHAS TRANSIRE AD STATIONEM PHILISTINORUM, EMINENTES PETRÆ, etc. NOMEN UNI BOSES, ET NOMEN ALTERI SENE. — Chaldæus, *nomen unius lucubratio, et nomen alterius conculcatio*. Philistini, ait Josephus, posuerunt castra in rupe prærupta et quasi inaccessa, ideoque in ea securi degebant, neminem metuentes: idcirco Jonathas eos hac via invasit. Sic Alexander Magnus hostes in rupe altissima commorantes, ideoque eum deridentes rogantesque an volare posset, a tergo per saxa invia immittens trecentos juvenes generosos, rupem insciis hostibus occupavit, eosque trucidavit: « En, inquit, ostendi me posse volare. » Ita Curtius. Vers. 4.

Porro, *Boses* hebraice idem est quod *humescens*, vel *florescens*, vel *oviparus*, ait Pagninus. *Sene* idem est quod *rubus*; quæ mystice explicans Beda: « Quia, inquit, non minus florente, quam adversante et pungente mundo, Sanctorum ascensus

impeditur; et ut vel corpore vel corde deficiat, ab infatigabili hoste pulsatur. »

Hoc est quod aiunt Sancti *Psal.* LXV, 12: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. » Nam, ut ait S. Bernardus, serm. *De S. Malachia*: « Transivit per ignem et aquam, quem nec tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt. »

Vers. 6. 6. DIXIT AUTEM JONATHAS AD ADOLESCENTEM ARMIGERUM SUUM. — Dixit hoc impulsus a Deo, tacite promittente suam opem et victoriam, ut patet ex eventu, et victoria tam mira et felici.

QUIA NON EST DOMINO DIFFICILE SALVARE VEL IN MULTIS VEL IN PAUCIS. — Hebraice *non est* מעצור *matsor*, id est, *restrictio*, detentio, vel prohibitio, *q. d.* Nil est quod Deum arctet, detineat, restringat ad paucos vel multos, ut vincant. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 119 *De Tempore*: « Omnipotens est Deus ad facienda majora et minora; omnipotens ad facienda cœlestia et terrestria; omnipotens ad facienda immortalia et mortalia; omnipotens ad facienda spiritualia et corporalia; omnipotens ad facienda visibilia et invisibilia; magnus in magnis, nec parvus in minimis. »

Hoc Jonathæ exemplum imitatus Judas Machabæus, cum paucis contra plurimos decertans: « Facile, inquit, est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis et in paucis, » I *Machab.* III, 18. Et cap. IV, 30: « Benedictus, inquit, Salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David; et tradidisti castra alienigenarum, in manu Jonathæ filii Saul, et armigeri ejus, » I *Machab.* IV, vers. 30. Idem dixit Asa rex Juda, pugnans contra decies centena millia Æthiopum, II *Paral.* XIV, 11.

Vers. 7. Omen capit Jonathas instinctu Dei. 7. SI TALITER LOCUTI FUERINT. — Omen hoc captat Jonathas, instinctu et inspiratione Dei, ut patet ex tanta animositate Jonathæ potius divina quam humana, et ex tam felici eventu ejus; quare non superstitiosum fuit, nec Dei tentativum, sed religiosum æque ac animosum, eo quod solus ipse cum armigero præruptam hostium arcem conscenderit, hostes invaserit, fugarit, occiderit. Ita Lyranus, Hugo, Abulensis, Dionysius, Cajetanus, Serarius et alii. Vide Sanchez, lib. II *De Superstitione*, cap. X, num. 10, qui et addit cum Serario et Abulensi Jonatham huic omini orationem ad Deum præmisisse, in eaque a Deo animatum ad hoc audendum. Simile omen de Rebecca, in uxorem Isaaco accipienda, accepit Eliezer, *Genes.* cap. XXIV.

Omini Jonathæ simile fuit omen Pazonum, de quo ita scribit Herodotus, initio lib. V: « Pazones, qui sunt a Strymone, admoniti divino responso ut bellum Perinthiis inferrent; et siquidem a Perinthiis ex adverso considentibus provocarentur, nominatim compellantibus, eos invaderent, sin minus, ab invadendo abstinerent. Ita fecerunt et vicerunt. »

Vers. 12. 12. ASCENDITE AD NOS, ET OSTENDEMUS VOBIS REM, — quam vos per præruptas has rupes scandendo quærere videmini. Est sarcasmus, sive hostilis irrisio, quasi dicant: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis viam non ad vitam et victoriam, quam vos quæritis, sed ad mortem, hoc est, mactabimus vos. Ita Lyranus, Abulensis, Salianus et alii. Unde Josephus, lib. VI *Jud. Antiq.* cap. VII: « Venite huc, inquit, daturi pœnas audaciæ. »

ASCENDAMUS. — Apposite hoc omen Jonathæ dedit Deus, quia signum fortitudinis et victoriæ est prævenire et invadere hostem, licet potentiorem, itaque eum metu percellere et fugare, uti fecit hic Jonathas. Sic Moses Josue contra Amalec ituro: « Elige, inquit, viros, et egressus pugna contra Amalec. » Sic Timotheus cum Juda Machabæo dimicaturus suis ita præcipit: « Cum, inquit, appropinquaverit Judas, et exercitus ejus ad torrentem aquæ; si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum; quia potens poterit adversum nos; si vero timuerit transire, et posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, et poterimus adversum illum, » I *Machab.* V, 40. Sic Achab, cum paucis invadens ampla castra Benadad regis Syriæ, ea fudit, fugavit, prostravit, III *Reg.* XX, 13. Sic experti duces, ut animos ostentent, primi hostem invadunt, itaque eum sæpe percellunt et sternunt.

Vers. 13. 13. ASCENDIT AUTEM JONATHAS MANIBUS ET PEDIBUS REPTANS, — per præruptas rupis saxa.

Mystice S. Gregorius: « In manibus, inquit, opera solent significari. Reptat manibus pastor, quando peccatoribus viam non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. » Et inferius: « Bene, inquit, reptans ascendere ad stationem Philistinorum dicitur, quia ad destruenda vitia pervenire ille Doctor potest, qui peccatores magna humilitatis ostensione, et magna charitatis affectione demulcet. »

ITAQUE ALII CADEBANT ANTE JONATHAM, — *q. d.* Pavore panico a Deo eis injecto, ut patebit versu 15, corruebant ante Jonatham, ut ab eo mactarentur; unde Vatablus, Glossa et alii legunt: *itaque cum vidissent faciem Jonathæ* (quasi ea perculsi), *alii cadebant ante Jonatham*. Quod acceptum videtur ex Septuaginta, qui vertunt, *et videntes Philistini contra faciem Jonathæ, et percussit in eis*. Sic ergo Jonathas fuit typus Christi, qui solo aspectu perculit et fugavit ementes et vendentes in templo. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Matth.* cap. IX: « Fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ in humana facie relucebat. » Et in cap. XXI: « Igneum quiddam et sidereum radiabat ex oculis ejus. »

Quare fictitium videtur quod ait Josephus, Jonatham irruisse in Philistæos dormientes; sic enim scribit lib. VI, cap. VII: « Quam vocem Sauli filius cupide arripiens ut omen victoriæ, tunc quidem recessit e loco in quo conspecti fue-

rant, sed ex alia parte ad rupem accedentes propter situm incustoditam, magno labore, difficultate loci superata, erepserunt ad hostem: aggressique sopitos, viginti ex his interfecerunt, et eos stupore ac consternatione repleverunt, ut abjectis armis in fugam se darent. Plerique vero non noscitantes inter se, quod ex multis gentibus conflati essent, pro hostibus se invicem invadebant; et cum non putarent duos tantum Hebræos in castra penetrasse, mutuo marte cadebant quidam in præcipitia, aut ipsi ruebant, aut alii ab aliis protrudebantur. »

Vers. 14. 14. IN MEDIA PARTE JUGERI, — hoc est brevissimo terræ spatio occidit Jonathas viginti, quasi dicat: Unitos occidit, non palantes et sparsos: dicit hoc ut augeat miraculum Dei, et fortitudinem Jonathæ; utpote qui non divisos, uti cæsis duobus Horatiis, ultimus Horatius fugiens tribus diversis locis tres Curiatios jam fessos occidit, itaque Albanos Romanis subjecit, teste Livio; sed unitos trucidavit.

Vers. 15. Terræ mortu territi sunt Philistini. 15. ET FACTUM EST MIRACULUM IN CASTRIS, — scilicet mirus et inusitatus terræ motus, indeque pavor, terror et perturbatio a Deo immissa Philistinis, tam iis qui erant in castris, quam iis qui e castris prædatum per tres cuneos exierant cap. præced. vers. 17. «Miraculum» ergo, hoc est, miraculosus terræ motus, ac hostium *stupor*, ut vertunt Septuaginta, et *conturbatio*, ut Chaldæus, et *pavor*, ut Vatablus, et *tremor*, ut alii. Hoc enim significat Hebraice חרדה *charada*, adeo enim obstupefacti, pavidi, excæcati et perturbati fuerunt Philistini, ut socios æstimarent esse hostes, ac in eos arma converterent, itaque se mutua cæde trucidarent, ut patet vers. 20. Idem fecere Madianitæ, clangentibus buccinis et lagenas flammeas complodentibus trecentis Hebræis, Gedeonis militibus, *Judic.* cap. VII, vers. 22. Facile enim Deo fuit perturbare eorum phantasiam, ut amicos putarent inimicos : sicut naturaliter id fieri videmus in melancholicis et maniacis; qui per melancholiam velut atram nubem omnia intuentes, putant cuncta esse atra, tetra, inimica et noxia.

Porro Hebræa ad verbum sic habent: *Et fuit tremor in castris, in agro, et in toto populo* (Philistinorum); *tum statio, tum qui grassabantur tremuerunt etiam ipsi, et tremuit terra, et fuit in tremorem Elohim*, id est, magnum et validum; quæ enim Dei sunt, magna sunt. Unde *cedri* et *montes Dei* vocantur altissimi et maximi. Ita Vatablus, Cajetanus, Pagninus at alii. Unde cum Romanis legendum: *conturbata est terra*, non autem: *conturbata sunt castra*, uti legunt alii.

In arduis Deo parendum. Moraliter, disce hic, cum Deus vocat ad ardua, quæ vires superant, non trepidare, nec subterfugere, sed Deo parere, remque animose aggredi: mox enim Deus aderit, difficultates complanabit, intricata explicabit, remque omnem facile conficiet, uti hic Jonatha solo cum armigero castra hostium integra invadente, illa perturbavit et cecidit per ipsosmet hostes.

Legimus in Vitis Patrum, Angelum cuidam Anachoretæ ostendisse vastum gigantem, eique dixisse: cum hoc te luctari oportet. Cumque ille tremeret: « Ne timeas, inquit, incipe duntaxat, ego mox adero, et gigantem tecum prosternam. Si Deus pro nobis, quis contra nos? » *Rom.* VIII. « Tonans » enim « juvat conantem. »

Vers. 18. 18. ET AIT SAUL AD ACHIAM : APPLICA ARCAM DEI, — hoc est, admove, vel affer huc ad me arcam, ut Hieraticam stolam, ait Josephus et Theodoretus, hoc est Ephod, quod positum est juxta arcam, accipias et induas quasi Pontifex, eoque per Urim et Tummim quæ sunt in Ephod, coram arca consulas Deum super arcam in propitiatorio residentem, ut per te revelet nobis quid in re tam ancipiti, et in hoc tumultu agere debeamus.

Fuge ad Eucharistiam in periculis. Mystice, in periculis Christiani fugiant ad arcam, id est, ad Eucharistiam: item ad B. Virginem, quæ Christum quasi manna, in arca ventris sui continuit et peperit pro cibo et salute mundi. Audi B. Petrum Damianum, serm. *De Nativitate Virginis*: « Numquid, inquit, quia ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis, in quo discrimine nos reliqueris, uti jaceant, quantum delinquunt servi tui. Non enim convenit tantæ misericordiæ tantam miseriam oblivisci : quia, etsi subtrahit gloria, revocat natura; neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. »

ERAT ENIM IBI ARCA DEI IN DIE ILLA, — quia eo e Cariathiarim fuit translata, petente Saule et Hebræis, ob belli periculum, ut Deum super arcam residentem consulerent, eumque haberent comitem, imo ducem belli.

Vers. 19. 19. ET AIT SAUL AD SACERDOTEM : CONTRAHE MANUM TUAM, — desine explicare Ephod; imo illud manu tua contrahe, et repone in arcam. Nam urgente hoc tumultu, non est mihi otium consulere Dominum; sed illico involandum in hostes. Putabat enim Saul filium suum Jonathan a Philistinis circumdatum opprimi : unde ad illos accurrit, ut eum eriperet. Ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, licet Chaldæus sic vertit, *affer Ephod*, *q. d.* Festina induere Ephod; et consulere Dominum. Unde et Josephus asserit Deum consultum respondisse, ac promisisse Hebræis victoriam et hostium stragem.

Vers. 20. 20. ET ECCE VERSUS FUERAT GLADIUS UNIUSCUJUSQUE AD PROXIMUM SUUM, — *q. d.* Excæcati et perturbati mutua se cæde truncarunt, æstimantes socios esse hostes.

ET CÆDES MAGNA NIMIS. — Josephus, lib. VI, cap. VII, ait cæsa sexaginta Philistinorum millia.

Vers. 24. 24. ADJURAVIT AUTEM SAUL POPULUM, DICENS : MALEDICTUS VIR QUI COMEDERIT PANEM USQUE AD VESPERAM, DONEC ULCISCAR DE INIMICIS MEIS, — « panem, » id est cibum quemlibet; hunc enim Hebræi vocant

panem. Unde Jonathas non panem, sed mel comedens, judicatus fuit hoc patris mandatum violasse.

Saul indicens jejunium a multis laudatur.

Porro Saul suis hic hanc legem jejunii indixit, ex recto fervore et zelo, ut hostes fugientes insequeretur : ne si sui milites ad cibos defluerent, et in mensa desiderent, hostes fuga elaberentur; atque ut hoc jejunio, Deo gratias ageret pro victoria tam miraculosa, eumque provocaret ad illam plane pleneque perficiendam : censebat enim cum Deo tam liberali in se et suos liberaliter esse agendum. Ita Abulensis, Serarius, Salianus ac S. Ambrosius et Hieronymus mox citandi. Atque hanc legem sanxit cum execratione, dicens : « Maledictus vir, » *q. d.* Malefaciat ipsi Deus, ac ego malefaciam ei, id est puniam et occidam eum.

Ab aliquibus arguitur.

Lyranus vero putat Saulem male id sanxisse et jurasse, ac pejus implesse : eo quod non esset tanta necessitas hostis insequendi, ac in lege hac sua, necessitatis casum excipere debuisset, qualis fuit in Jonatha, et aliis pluribus præ inedia deficientibus; qui utique majorem hostium stragem edidissent, si eos prosequendo, simul aliquid cibi raptim sumpsissent, verbi gratia, mel obvium in sylva, uti fecit Jonathas, ut valentiores ad gradiendum et pugnandum evaderent. Denique, quod lex hæc dederit occasionem Jonatham occidendi, et populo sanguinem lege vetitum comedendi, vers. 33. Favet Lyrano Josephus, S. Gregorius hic et S. Chrysostomus, hom. 14 *ad Popul.*, et noster Sanchez, qui hoc præceptum Saulis, ut nimis severum et stultum damnant. Verum esto fervention fuerit militaris duraque hæc Saulis sanctio, et aliquid discretionis in ea desideretur : tamen in se justa sanctaque fuit, ob causas jam dictas. Unde populus totus eam probavit et acceptavit; quibus adde : si peccasset Saul, debuisset eum sors vers. 41, indicare, aut certe silere : ibi autem sors non indicavit Saulem præcipientem, sed Jonatham præceptum transgredientem. Unde Saulem dilaudat Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. x, ubi, Saulis jejunio, ait « a Deo præstitam auctoritatem. » Ac S. Ambrosius, serm. 36 (in veteri editione est 25) *post Dominicam primam Quadragesimæ* : « Bonus plane rex, qui hostes suos non tam armis quam devotione vincebat; et plus dimicabat religione, quam telis. Cum ergo Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, et Jonathas ejus filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens, favum mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repente commota est, ut et differretur victoria, et Divinitas læderetur. »

Sed etsi lex hæc de jejunio fuerit dura, fuit tamen justa.

Hinc et Jonathas culpam suam fatetur vers. 43 : « Gustavi, ait, paululum mellis, et ecce ego morior. » Chaldæus, *morti obnoxius sum*. Et S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.*, post medium : « In Exodo, inquit, adversus Amalec oratione Moysi, et totius populi, usque ad vesperam jejunio dimicatum est. Jesus, filius Nave, stationem impetravit soli et lunæ, et inediam plus quam unius diei victoris exercitus protelavit. Saul, sicut in Regum primo libro scribitur : Maledictus, inquit, qui ederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis; et non gustavit omnis populus ejus, et tota terra prandebat. Tantique fuit auctoritas stationis semel Domino destinatæ, ut Jonathas, qui causa victoriæ exstiterat, deprehenderetur sorte, et ignorantiæ crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret manum, et vix populi precibus salvaretur. » *Stationis*, id est jejunii. « Stationes » enim a Tertulliano, Cassiano et S. Ambrosio vocantur, « stati orationis et jejunii dies, » quod in eis stantes et commorantes inimicos repellimus; et sicut Hebræi per 40 mansiones, sive stationes pervenerunt in terram promissam; sic Christiani per 40 dies Quadragesimæ perveniunt ad Pascha et resurrectionem Christi. Ita Baronius anno Christi 57, cap. CLV, et Pamelius in Tertulliano, ad finem libri *De Oratione* : imo ipse S. Ambrosius, initio *serm.* 36 jam citati.

Moraliter, disce hic jejunium parere victoriam hostium corporalium, æque ac spiritalium.

Septuaginta hic aliquid addunt.

Dices : Septuaginta hic addunt : *et ignoravit Saul ignorantiam magnam*. Ergo peccavit. Respondeo, *ignorantiam* intelligunt, qua Saul ignorabat futurum, ut ex hac sanctione Jonathas periculum capitis adiret, sed ignorantia hæc in Saule fuit invincibilis et inculpata : unde enim scire poterat Jonatham comesturum mel?

Saul vir pius et fortis hactenus : sed post hæc peccavit graviter inobedientia.

Hinc apparet Saulem fuisse virum pium, æque ac fortem, ac Deum ei favisse, dedisseque ei victorias, ut omnes per circuitum hostes superaret, ut dicetur vers. 47. Quare esto Deus cap. præced. ob non exspectatum Samuelem, ejus quasi minus perfecte obedientis posteros regno privarit, tamen eum non abjecit, sed direxit et adjuvit, donec gravius inobedientiæ crimen, non cædendo plane pleneque Amalecitas, uti Deus jusserat, committens, a Deo abjectus fuit, ac David in ejus locum a Samuele in regem unctus, de quo cap. XV et XVI.

Vers. 25.

25. VULGUS VENIT IN SALTUM, IN QUO ERAT MEL. —

Apes in sylvis mellificant.

Apes enim sylvestres in sylvis mellificant, uti videre est in Polonia et Moscovia, ubi proinde cum ursis sylvestribus depugnant. Ursi enim melli inhiant, itaque arbores in quibus sunt favi scandere nituntur; sed apes in nares ursorum involantes, aculeisque suis pungentes, eos facile deturbant : ursi enim debili sunt capite in naso.

Mystice S. Ambrosius, *serm.* 36 : « Nec in abstinentia positi, inquit, declinemus ad favum. Favus enim quædam mundi est voluptas, seu vitia quæ, ut scriptum est *Prov.* cap. v, ad tempus quidem impinguant fauces; sed novissima amariora sunt felle. »

Mel est mundi voluptas.

NULLUSQUE MANUM AD OS APPLICUIT. TIMEBAT ENIM POPULUS JURAMENTUM, — id est adjurationem et execrationem regis dicentis : « Maledictus vir qui comederit, » etc., vers. 21. Mystice S. Gregorius;

« Mel, inquit, fluit, quia dulcis fama sanctorum dulciter velociterque currit; sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel; et nemo ad os manum applicet ut sanctorum fama dulciter fluat; et ipsos a quibus defluit, non extollat. Fluat ut alios satiet; sed non sumatur, ne mortem propinet. »

Vers. 27. 27. ET ILLUMINATI SUNT OCULI EJUS, — qui scilicet prius præ inedia, labore et fame, deficientibus spiritibus opticis caligabant : jam autem sumpto melle restauratis spiritibus, illuminari, refocillari et reviviscere videbantur, ut fortior et promptior esset, ad hostes insequendum. Hinc jejunantium visus caligat, qui sumpto cibo restauratur. Ita Angelomus, Cajetanus, Vatablus et alii. Aliter Beda, qui illuminatos oculos ait Jonathæ, uti fuere aperti oculi Adæ, cum se nudum vidit, et culpam agnovit, *Genes.* cap. III.

Vers. 28. 28. DEFECERAT AUTEM POPULUS. — Hebraice et Chaldaice, *defatigatus est*; scilicet labore insequendi; ac inedia, ut deficientibus viribus ægre insequi posset.

Vers. 29. 29. TURBAVIT PATER MEUS TERRAM. — Juveniliter hoc dixit Jonathas; verumque fuisset, nisi mora comedendi impedimento fuisset præsentaneæ persecutioni hostium. Ita Abulensis et Cajetanus. Non peccavit ergo Jonathas mel comedendo, quia prohibitionem patris ignorabat; peccavit tamen patris prohibitionem publice reprehendendo, ideoque sors culpæ eum attigit vers. 41. Quia etsi indiscreta fuisset hæc sanctio patris, tamen Jonathæ erat eam non culpare, sed potius excusare, ne populus contra suum regem concitaretur, et tumultuaretur : quod in castris summum solet creare periculum.

Jonathas non peccavit comedendo mel, sed peccavit prohibitionem patris reprehendendo.

Vers. 31. 31. DEFATIGATUS EST AUTEM POPULUS NIMIS, — tum ex jejunio, tum ex labore continuo insequendi et cædendi Philistæos.

Vers. 32. 32. COMEDITQUE POPULUS CUM SANGUINE, — quia præ fame non exspectabat, donec sanguis e bobus mactatis efflueret; sed illico mactatorum carnes sanguine conspersas coquebat; imo crudas vel semicrudas non tam comedebat, quam vorabat instar luporum, præ fame et aviditate comedendi. Vetuerat Deus edi sanguinem, ob causas quas recensui, *Genes.* cap. IX, vers. 4, et passim in *Levitico*; sed famis vehementia valde hoc eorum peccatum imminuit. Ita Abulensis.

Vers. 33. 33. VOLVITE AD ME NUNC SAXUM GRANDE. — Jussit Saul, ait Abulensis, ut elevaretur magnus lapis super quem occiderentur omnia animalia, a militibus comedenda, ut ex eo pendente capite cujuscumque jugulati pecoris, sanguis universus statim efflueret : prius autem in terra plana illa jugulabant, ubi sanguis ægre, nec nisi lente tardeque effluere poterat, quod ipsi præ festinatione et fame exspectare nequibant. Ita Cajetanus.

Vers. 35. 35. ÆDIFICAVIT AUTEM SAUL ALTARE DOMINO, — tum ut hoc esset quasi monumentum victoriæ de Philistinis adeptæ, uti fuit altare a Mose erectum, ob partam de Amalec victoriam, *Exodi* cap. XVII, vers. 15; tum ut in eo offerret hostias pacificas, in gratiarum actionem pro victoria accepta, ac in propitiationem : ut scilicet Deum sibi suisque redderet propitium, ad bella plura quæ superarant simili felicitate conficienda.

TUNCQUE PRIMUM COEPIT ÆDIFICARE ALTARE DOMINO. — Dices : Jam ante Saul ædificarat altare cap. XIII, vers. 9, cum ante adventum Samuelis in eo sacrificavit, ideoque a Samuele fuit reprehensus. Respondent *primo* S. Hieronymus in *Tradit.*, Angelomus, Glossa, Lyranus et Hugo, hoc primum fuisse altare Deo gratum, quod Saul erexit. Nam illud cap. XIII, fuit Deo ingratum, ex culpa inobedientiæ. *Secundo*, Abulensis, Cajetanus, Hugo, Lyranus et Sanchez respondent altare illud cap. XIII, vers. 9, aliena manu, et opera populi fuisse erectum, hoc proprie jussu et opera Saulis. Nam, ut recte advertit Lyranus, illud in Galgalis diu ante fuit erectum a Gaditis, Rubenitis et Manassensibus tempore Josue cap. XXII, vers. 10.

Vers. 36. 36. ACCEDAMUS HUC AD DEUM, — id est ad arcam in qua residet Deus, ut eum consulamus, an hac nocte in castra hostium irruere debeamus. Tropologice S. Gregorius : « Ad Dominum, ait, accedere, est ejus voluntatem secreta contemplatione cognoscere. Et bene accessus dicitur, quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui occulta et intima quærit et exteriora non deserit, ea quæ nescit adire, non invenit. Quando ergo a nobis de occultis rebus consilium quæritur, ad Dominum accedamus, ut tunc demum quod agendum est proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur. Multa enim videntur bona esse, et non sunt. Pleraque etiam facienda sunt, sed utilius fiunt, si congruo tempori reserventur. Quædam quoque alii facere debent, alii vero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. »

ET CONSULUIT SAUL DOMINUM, — per Achiam Pontificem indutum Ephod, in quo erant Urim et Tummim; qui nomine Saulis, Deum in arca residentem interrogavit, quid hic facto foret opus. « Antiquitus, ait S. Chrysostomus hom. 14 *ad Popul.*, Deus dux erat bellorum, et absque illius sententia nunquam attingere pugnam ausi fuissent, et bellum ipsis pietatis materia fiebat : nec enim ex corporis infirmitate, sed a peccato vincebantur, si quando et victi fuissent : nec potentia et fortitudine, sed superna benevolentia vincebant quandocumque vincebant. » Audiant hoc et imitentur nostri castrorum duces, si obtinere volunt victoriam. Hæc enim proprie datur a Deo, ut alibi ostendi.

ET NON RESPONDIT EI IN DIE ILLA, — tacuit Deus consultus, ut se subiratum ostenderet. At cui et

cur? Respondet S. Chrysostomus *hom.* 14 jam citata, Deum Sauli fuisse offensum, ob temeritatem qua legem de jejunio nimis rigidam et stultam sanxerat. S. Gregorius vero germanius ob ejus hypocrisin : « Nam Deus, inquit, in simili cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate virtutis invenitur. » Addit deinde aliam causam : quia Saul « ita volebat Philistæos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quæruntur ut temporalis hostis nullus a cæde relinquatur, sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur : Non respondit ei Dominus in die illa. »

Abulensis, Cajetanus, Serarius et alii censent Deum tacuisse, ut indicaret jejunium a Saule sancitum, non fuisse a Jonatha servatum. Esto enim Jonathas sanctionem patris ignorasset, ideoque non violasset eam formaliter, sed tantum materialiter, tamen multi hoc e populo nesciebant, qui potuissent scandalizari : idcirco Deus voluit hoc suo silentio inquiri prodique Jonathan, ut ipse patefaciendo suam legis ignorantiam, se excusaret : ne videretur Deus, vel Saul esse personarum acceptor, ait Abulensis. Addit Cajetanus Deum voluisse Jonatham, non propter factum, hoc est, violatum jejunium; sed propter defensionem facti sui, quæ ad factum erat impertinens, qua scilicet patris in lege jejunii sancienda, indiscretionem culpavit, publice hac nota humiliare, ut deinceps in loquendo de edictis regiis esset modestior et cautior.

Respublica tota ob unius peccatum punitur.

Vide hic ut Deus puniat totam Rempublicam ob unius civis peccatum, sicut punivit tota castra Josue, cap. VI et VII, ob furtum unius Achan. Unde in orthodoxorum Archimandritarum libello *Syntax. Constant.* apud Baronium, tom. VII, anno 536 legitur : « Communicant anathemati habentes in medio anathema, sicut ostendit nobis antiqua Scriptura in Achan et Jonathan, qui scienter et ignoranter inciderunt in anathema, » etc. Nam, ut ait S. Ambrosius loco citato : « Unius culpa cunctis confertur ignavia, unius delicto cunctis generatur infirmitas. » Sic S. Gregorius, Angelomus et alii.

Vers. 38. 38. APPLICATE HUC UNIVERSOS ANGULOS POPULI. — « Angulos, » id est præfectos vicorum vel plateārum : sic Helvetii suos pagos vocant *Cantones*, id est *angulos*. Nam « quod sunt anguli in domo, hoc sunt principes in populo, ait Vatablus, quia sicut angulis domus, sicut populus principibus innititur. » Igitur sicut Græci urbis partes, pagos, Latini vicos appellant; sic Hebræi *angulos* vocant : ac sicut a Græcis Præfecti pagorum, *pagitæ* nuncupabantur; sic et apud Hebræos, qui *angulis*, id est vicis præerant, *Anguli* quoque appellabantur : simile est *Judic.* XX, 2.

Vers. 39. 39. VIVIT DOMINUS SALVATOR ISRAEL : QUIA SI PER JONATHAM FILIUM MEUM FACTUM EST (hoc Dei irati silentium) ABSQUE RETRACTATIONE MORIETUR. — Ita Romana, licet S. Gregorius legat : « sine retractione morietur. » Hebraice est, *morte morietur*, id est, certo et infallibiliter morietur. Chaldaice, *occidendo occidetur*, id est sine remissione certo occidetur. Culpat hoc Saulis juramentum S. Chrysostomus, *hom.* 14 citata, ut temerarium et parricidale, ideoque a diabolo suggestum, utpote qui eum in filii tanti tamque innocentis cædem impelleret. « Et pater, inquit, factus est filii carnifex, et ante examinationem damnationis protulit sententiam. » Addit Saulem sua hac temeraria jejunii sanctione multorum perjuriorum fuisse causam. « Eia igitur, inquit, numeremus commissa perjuria. Temeratum est primum Saulis juramentum a filio; secundum rursus, et tertium ipsius Saulis de filii cæde. Et visus est populus vere jurasse : sed si quis diligenter rem examinet, et hi rursus omnes perjurii criminibus obnoxii facti sunt. Ipsius enim Jonathæ patrem pejerare coegerunt, patri filium non dedentes : vides quot homines, tum volentes, tum invitos perjurio obnoxios unum fecit juramentum, quot mala molitum est, quot cædes patravit? »

Juramentum Saulis.

Verum S. Ambrosius, S. Hieronymus, Abulensis, Cajetanus, Salianus, Serarius et alii hoc juramentum Saulis ut religiosum laudant, et sacrificio Abrahæ volentis suum filium Isaac immolare comparant. Fuit enim profectum ex magno offensi Dei placandi studio et zelo.

Incautum.

Fuit tamen incautum. Nam *primo*, Jonathas comedens mel contra sanctionem patris, nullam admiserat culpam, quia sanctionem ignorabat. Ergo juste occidi non poterat, utpote immunis a culpa et innocens. Neque silentium Dei arguebat culpam esse in Jonatha, sed alias ob causas, quas recensui, contigit. *Secundo*, etiamsi Jonathas sanctionem patris scivisset, tamen transgressio ejus erat levis et exilis; utpote gustus exigui mellis in gravi vel extrema necessitate famis, idque sine gravi scandalo : quare ipse hoc gustatu non merebatur mortem. *Tertio*, licet daremus Jonatham mortaliter in hac comestione peccasse, tamen adhuc melius erat peccanti parcere, quam eum ut reum punire et occidere. Erat enim Jonathas miles fortissimus, qui causa victoriæ partæ exstiterat. Erat filius regis, illi in regnum successurus. Erat regia indole et moribus; quare longe utilior et pene necessaria erat ejus vita toti Israeli, quam mors ad sanciendam disciplinam militarem. Unde juramentum hoc Saulis de occidendo non obligabat, quia vergebat in deteriorem partem, ac in nocumentum damnumque grave totius regni. Quocirca merito populus Sauli regi contradixit, nec permisit Jonatham occidi, illique tandem Saul assensus est.

Vers. 41. 41. DA SANCTITATEM, — id est revela nobis sanctam veritatem, scilicet culpam esse in certa persona e populo. Pro toto hoc versu Hebræa habent duntaxat : *Domine Deus Israel, da Tummim*; id est

per Urim et Tummim, occultum reum nobis indica. Septuaginta, Complutensia, *da manifestationes;* Chaldæa, *venire fac sortem pro veritate,* id est fac ut sors cadat super peccatorem; Vatablus, *da perfectionem,* id est sortem veram et perfectam. Habent tamen Septuaginta, Romani hæc omnia, quæ habet hic editio vulgata; sed videntur esse congesta ex variis interpretationibus rei ejusdem, ut advertunt Cardinalis Caraffa, Franciscus Lucas in *Notis,* et Serarius hic.

Quæres, cur veritas vocatur « sanctitas? » Respondeo, quia sanctitas, ut ait S. Dionysius, est ipsa puritas. Veritas autem est purissima et sincerissima, ipsaque puritas et sinceritas. Unde de sapientia sive veritate æterna dicitur, *Sapient.* VII, 25 : «Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula,» etc.

Veritas est sanctitas. Primo.

Secundo. *Secundo,* quia futurorum contingentium et arcanorum cognitio (quæ hic a Saule quærebatur) adeo sublimis est, ut hominum et Angelorum intellectum transcendat, solique Deo, qui Sanctus Sanctorum est, sit propria. « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; et sciemus quia Dii estis vos,» ait Isaias, XLI, 23.

Tertio. *Tertio,* quia oraculum veritatis hic a Saule quærebatur a sacra persona; puta a Pontifice sacris vestibus, in quibus erant *Urim* et *Tummim,* id est *illuminationes et perfectiones,* sive ut Noster vertit, *Exodi* XXVIII, 28 : « Doctrina et veritas, » induto. Veritas ergo hic quærebatur a sanctitate, id est a Deo sanctissimo, per sanctum ejus Pontificem : jure ergo ipsa vocatur *sanctitas, q. d.* Da, Domine, *Tummim,* id est per sacrum Pontificem, perque sacrum Ephod et Tummim, da sanctum sanctæ veritatis oraculum.

Quarto. *Quarto,* quia veritas auctoris qui crimen commiserat, hic quærebatur, ut Deo offenso per ejus castigationem justamque vindictam satisfieret; itaque sanctitas Dei, quasi læsa exterius, redintegraretur. Quærebatur enim hic veritas justitiæ, justitia autem est sanctitas. Sensus ergo est, *q. d.* « Da sanctitatem, » id est indica nobis, Domine, reum qui te offendit; ut eum juste castigemus et emendemus, itaque tuæ sanctitati offensæ per sanctam vindictam satisfaciamus. Hinc patet indicare reum Superiori, ut is eum corrigat, esse actum sanctitatis, id est justitiæ et charitatis. Unde in nonnullis Religionibus sancitur, ut Religiosi suorum sociorum errata et lapsus ad Superiorem deferant, ut is eos emendet. Hic enim est actus sanctitatis, puta correctionis fraternæ, imo paternæ. Tria enim opera sancta in ea peraguntur : *primo,* satisfit Deo offenso, qui est actus pœnitentiæ et justitiæ vindicativæ; *secundo,* lapsus corrigitur et sanctificatur, qui est actus charitatis; *tertio,* tollitur scandalum, caveturque ne culpa ad alios proserpat, ne scilicet illi vitium, quod a superiore vident non castigari, sed tolerari, sequantur et imitentur; qui est actus justitiæ pariter et charitatis.

Reum indicare Superiori est actus sanctitatis.

Symbolice, Deus qui est prima summaque sanctitas, est pariter prima summaque veritas. Ac Filius Dei, ex vi suæ originis et generationis, est *verbum,* id est vera notio et intellectio Patris. Unde a S. Joanne sæpe ipse vocatur *veritas,* ut cap. I: «Erat lux vera quæ illuminat omnem venientem in hunc mundum.» Et : «Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.»

Symbolice.

Ethice, ipsa virtus et sanctitas est ipsa prudentia et veritas practica. Nam quid aliud sunt virtutes nisi lumina veritatis? Hoc enim honestum et sanctum est, quod practice verum est : sive quod conforme est veritati et legi æternæ, quæ est in mente; quodque ipsa recta ratio vere faciendum esse dictat. Hinc S. Joannes in *Evangel.* cap. VIII, de diabolo ait : «ille in veritate,» id est sanctitate «non stetit.» Et passim ipse, æque ac S. Paulus, et David in *Psalmis* jubet ut faciamus «veritatem,» id est opera virtutis et sanctitatis.

Ethice.

Rursum, quid est veritas, nisi vera fides, spes et charitas? et quid hæc tria sunt, nisi ipsa sanctitas?

Denique Christus ait Pilato se venisse in hunc mundum, ut doceret «veritatem,» scilicet fidei, et morum, id est, veram fidem et sanctitatem, *Matth.* XXVII. Veritas ergo est ipsa sanctitas. Unde qui confitetur veritatem, dicitur Deum sanctificare et glorificare. Sic Josue, cap. VII, vers. 19, dixit Achan : « Da gloriam Deo, » id est confitere tuum furtum, Deumque esse veracem, qui te furti reum per sortem significavit; ut ipsi sanctitas, laus et decus veritatis ab omnibus tribuatur.

ET DEPREHENSUS EST (per sortem de qua sequitur) JONATHAS ET SAUL (esse in culpa, dedisseque Deo causam silendi et non respondendi) : POPULUS AUTEM EXIVIT,—liber et immunis a culpa, *q. d.* Sors non tetigit populum; sed eum quasi insontem præteriit : tetigit autem Saul et Jonatham, ac tandem Jonatham : quia in re esto solus Jonathas ultimo deprehensus sit, et notatus directe; indirecte tamen et Saul notatus est castigatusque in suo dilectissimo Jonatha; taciteque monitus, ut mitiora deinceps, utiliora et observatu faciliora edicta ederet; nec suis imperiose dominaretur, sed modeste consuleret ut pater : alioqui in iis ipsis, quasi suis filiis puniendus et castigandus.

42. ET AIT SAUL : MITTITE SORTEM INTER ME ET JONATHAM. — Nonnulli censent has sortes, utpote divinatorias, fuisse superstitiosas et illicitas, quia earum divinatio exspectabatur a dæmone. Unde S. Chrysostomus, hom. 14 *ad Populum,* ait dæmonem instigasse Saulem ad captandas has sortes, ut is peccatum peccato adderet, ac juramentum male conceptum pejus impleret; atque parricidium Jonathæ mente destinatum reipsa patraret. Verum mitius meliusque censent alii, scilicet Saulem has sortes captasse a Deo : nam paulo ante

Vers. 42.

vers. 41, Deum invocavit, ut sortem dirigeret, ac per eam reum manifestaret. Quare Deus videtur eum movisse ad has sortes capessendas, easque direxisse, ut reum indicarent Jonatham. Hac enim de causa Deus Sauli, Deum per Pontificem consulenti non respondit, ut daretur occasio sortibus, ut per eas Jonathas deprehenderetur. Ita Abulensis, Serarius et alii. Audi S. Ambrosium, *serm.* 36 jam citato : « Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Unde intelligimus quod Saul hostes non tam virtute militum, quam abstinentia superabat. Denique unius culpa cunctis confertur ignavia, et unius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, ut deficit in observatione jejunium. Quod ut peccatum Saul ex ipsa divinitatis offensione cognovit, statim Jonathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione ejus sanguinis expiandum. »

ET CAPTUS EST JONATHAS, — ob causas quas superius recensui. Quibus adde, licet nesciret Jonathas patris legem, scire tamen aliquo modo potuit; cum enim videret tam multos quos secum habebat, nihil omnino, etsi valde famentes et fatigatos obvii mellis gustasse, facile suspicari potuit causam aliquam subesse, quam interrogando facillime intellexisset, vers. 27 et 28. Indicat enim textus ipsius ordo populum ante ipsum ivisse. Ita Serarius. Adjunge, in Jonatha hic voluisse Deum ostendere, quam subditi Superiorum mandata, licet rigidiora et severiora revereri debeant, nec eis obloqui, uti oblocutus erat Jonathas, sed iis humiliter et animose se subdere, ac fortiter illa capessere et exequi. Si quid enim temeritate peccabat Saul, Jonathæ erat non illum traducere apud populum; sed Samuelem certiorem facere, ut eum secreto admoneret et instrueret; sicut in Religionibus, Provincialium et Visitatorum est admonere Rectores, si quid in subditos nimia austeritate vel lenitate peccent; cum subditorum sit tacere et obedire, ac dicere cum Psalmista : « Propter te mortificamur tota die. »

Rursum, voluit Deus ostendere quam metuendæ sint Saulis, id est Superiorum execrationes, et ut Theodoretus ait, « anathemata, » licet leviori de causa irrogata. Ita Theodoretus, Procopius et alii.

Vers. 43. 43. ET ECCE EGO MORIOR. — Hebraice, *ego moriar*, id est, occidar a patre; Chaldaice, *ecce ego obligatus ad mortem, q. d.* Ego gustavi tantillum mellis; sumne propterea reus mortis? An pro gutta mellis occidar? Miserabili hac voce et lamentatione Jonathas populo movit compassionem, ut se morti eriperet. Aliter Jonathæ animum verbaque explicat Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. VII, scilicet, Jonatham id dixisse ex constantia et mortis contemptu : « Saul, inquit, jurat eum se occisurum; pluris quam genus, aut naturam, aut affectus, jusjurandum faciens. Ille mortis minis non territus, magno ac generoso animo se præbuit. Nihil inquam, deprecor, pater; libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione solvat; dum prius tam magnificam victoriam videre contigit. Maximum enim mihi fuerit solatium, Palæstinorum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam. His omnis multitudo ad dolorem et miserationem flexa est, jurantque non laturos se ut occidatur Jonathas auctor victoriæ : atque ita eum diris patris eripiant, et vota Deo pro juvene faciunt, ut ipsum immunem a peccato faciat. » Verum solet Josephus suorum Hebræorum gesta dictaque ornare et phalerare, ut ea Vespasiano et Romanis ad pompam ostentet.

Vers. 44. 44. MORTE MORIERIS, JONATHA. — Accusat S. Chrysostomus, *hom.* 14 citata, Saulem, quasi parricidam; excusant Abulensis, Serarius et alii, ut religiosum Abrahæ imitatorem, qui filium morti pro justitia et disciplina militari sancienda devoverit; uti Titus Manlius apud Romanos filium injussu suo pugnantem occidit : « Unde ab hoc Manlio, ait Gellius, lib. IX, cap. XIII, imperia aspera et immitia, Manliana dicta sunt : quoniam bello postea adversus Latinos, cum esset Consul, filium suum securi percussit, qui speculatum ab eo missus, ne pugnaret interdictus, hostem a quo provocatus fuerat, occidit. » Sed Manlio religiosior fuit Saul, qui Deo offenso filium reum pro victima immolare destinavit. Audi S. Ambrosium, *serm.* 36 : « Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis observantia, qui offensum Deum optavit etiam parricidio mitigare, et quanta sit resoluti culpa jejunii, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Etsi ignorans Jonathas indictum a patre jejunium, quia resolverit, morti addicitur : qui sciens indictum a Christo resolvit, quid meretur? Ergo, fratres, statutum nobis custodiamus omni observatione jejunium, ut hostes nostros spirituales carnalesque vincamus. »

Vers. 45. 45. DIXITQUE POPULUS AD SAUL : ERGONE JONATHAS MORIETUR, QUI FECIT SALUTEM HANC MAGNAM IN ISRAEL? — Merito populus Jonatham patris iræ et mortis decreto eripuit, ob causas superius recensitas. Erat enim Jonathas robur, æque ac amor populi.

QUIA CUM DEO OPERATUS EST HODIE, — id est, quia per miram Dei opem hodie tantam hostium stragem edidit. Septuaginta, Romana, pro עם *im*, id est *cum*, alio puncto legentes *am*, id est *populus*, vertunt, *populus Dei fecit diem hanc*. Pro quo Complutensia pro ἐλός, id est *populus*, corrupte legentes ἔλεος, id est *misericordia*, vertunt, *quia misericordiam Dei fecit in hac die*. Porro alio deflectit Chaldæus : *quia ante Dominum manifestum est*, inquit, *quod in ignorantia fecit hodie.*

Vers. 47. 47. ET SAUL, CONFIRMATO REGNO, SUPER ISRAEL PUGNABAT PER CIRCUITUM ADVERSUS OMNES INIMICOS, etc., ET QUOCUMQUE SE VERTERAT, SUPERABAT. — Vide hic fortitudinem Saulis, et felicitatem illi a Deo datam. Unde patet eum nondum omnino Dei favore et gratia excidisse, etsi posteris ejus Deus regnum jam abstulerat.

Vers. 49. 49. FUERUNT AUTEM FILII SAUL, JONATHAS ET JESSUI ET MELCHISUA. — *Jessui*, cap. XXXI, 2, et I *Paral.* cap. VIII, 33, vocatur *Aminadab* (a Josepho, *Jesus*), ubi et additur quartus ejus filius *Esbaal*, qui alio nomine dictus est *Isboseth*, II *Reg.* II, 8. Forte is hic omittitur, quia Sauli fuit superstes, cum cæteri tres cum Saule occubuerint cap. XXXI.

Vers. 50. 50. ET NOMEN UXORIS SAUL ACHINOAM. — Hæc erat primaria uxor et regina. Præter hanc Saul habuit concubinam, id est, secundariam uxorem, nomine *Respha*, ex qua genuit *Armoni et Miphiboseth*, II *Reg.* XXI.

ABNER FILIUS NER PATRUELIS SAUL. — Erat ergo *Cis* pater Saulis, frater *Ner* patris *Abner*; ideoque Saul elegit *Abner* patruelem suum in principem militiæ. Porro *Cis* et *Ner* utpote fratres eumdem habebant patrem nomine *Abiel*, ut patet de *Ner* hoc loco; de *Cis* vero cap. I.

Vers. 52. 52. NAM QUEMCUMQUE VIDERAT SAUL VIRUM FORTEM ET APTUM AD PRÆLIUM, SOCIABAT EUM SIBI. — Idem faciunt magni castrorum duces. Tropologice idem faciat Episcopus et Prælatus. Unde S. Gregorius : « Eligat, ait, doctor milites Christi, eligat fortes, ut, dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vincant. Eligat ergo aptos ad prælium, ut, dum inter dona fortitudinis non superbiunt, triumphi gloria in cœlestibus sublimentur. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul, jussus delere Amalec, parcit Agag regi et melioribus jumentis : quare a Samuele increpatur, et regno privatur. Ille, vers. 20, *se excusat, ac tandem frigide ait :* Peccavi; *ut Samuel honorem regium illi coram populo deferat. Samuel, vers.* 32, *jubet Agag regem in frusta concidi, ac jugiter usque ad mortem luget Saulis casum.*

1. Et dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel; nunc ergo audi vocem Domini. 2. Hæc dicit Dominus exercituum : Recensui quæcumque fecit Amalec Israel, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. 3. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus; non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum. 4. Præcepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos; ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda. 5. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. 6. Dixitque Saul Cinæo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. 7. Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti. 8. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum; omne autem vulgus interfecit in ore gladii. 9. Et pepercit Saul, et populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea; quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens : 11. Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul : Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14. Dixitque Samuel : Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio ? 15. Et ait Saul : De Amalec adduxerunt ea; pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul : Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me de nocte. Dixitque ei :

Loquere. 17. Et ait Samuel : Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel, 18. et misit te Dominus in viam, et ait : Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem Domini; sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? 20. Et ait Saul ad Samuelem : Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. 21. Tulit autem de præda populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. 22. Et ait Samuel : Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum; 23. quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex. 24. Dixitque ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum. 26. Et ait Samuel ad Saul : Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus ne sis rex super Israel. 27. Et conversus est Samuel ut abiret; ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et scissa est. 28. Et ait ad eum Samuel : Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat pœnitentiam. 30. At ille ait : Peecavi; sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. 31. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem, et adoravit Saul Dominum. 32. Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, et tremens. Et dixit Agag : Siccine separat amara mors? 33. Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua; et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 34. Abiit autem Samuel in Ramatha : Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. 35. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ; verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

Vers. 1. 1. DOMINUS MISIT ME (non tam per motum localem, non enim Samuel ivit ad Saulem, sed Saul venit ad Samuelem, eum consulturus de asinis, quam per instinctum internum), UT UNGEREM TE IN REGEM. — Causas unctionis superius dedi; quibus adde S. Chrysostomum, hom. 4 in epist. *ad Philip.* in moral. : « Idcirco, ait, sacerdotes, reges et prophetæ ungebantur, quia divinæ benignitatis symbolum habebat oleum; » quanta autem debeat esse benignitas hæc in regibus subjungit dicens : « Si quis principem laudare velit, nihil illi adeo decorum adscribet; atque misericordiam. Principatus enim proprium est misereri. » Et post multa : « Pretiosum, inquit, vir misericors; imo misereri, est Deum esse. »

Porro S. Gregorius : « Rex Saul, ait, demoliri Amalecitas præcipitur, ut si mandatum Domini, ejusdem cæde gentis, perfecerit, prioris inobedientiæ nexus enodaret. »

NUNC ERGO AUDI VOCEM DOMINI. — Deus jusserat ter delere omnino Amalec : *primo, Exodi* XVII, 14; *secundo, Deut.* XXV, 17; *tertio* hic, ut ostenderet quam ex animo et omnino id vellet fieri; quocirca gravis fuit culpa Saulis, hoc Dei præceptum prævaricantis. Unde Rupertus, lib. I *in Deut.* cap. IV : « Non igitur mirum, inquit, aut injustum, quod talem ob culpam irrecuperabiliter projectus est Saul, quia prævaricari ausus est quod ex lege semel atque iterum, imo et tertio, tanta cum gravitate præceptum est. »

Superiori inobedienti non obedietur.

Tropologice, rex et rector obediat Deo, suisque Superioribus, si velit sibi a subditis obediri. Innuit τὸ *ergo, q. d.* Deus te fecit regem et rectorem : ergo Deo tuo gratus et obediens esto, ac rege juxta ejus voluntatem. Nam, ut ait S. Augustinus Deum alloquens, *Soliloq.* cap. XVIII : « Sicut nulla est hora vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria; et te non diligam ex omni fortitudine mea. » Audi S. Bernardum, *epist.* 42 : « Ut secure præesse possitis, subesse et vos, si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis, prælatione reddit indignum. Videant

in vobis subditi quod redhibeant. » Hoc est quod David Salomoni filio, novo regi præcepit. « Observa, inquit, custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia et testimonia, » III *Reg.* II, vers. 3. Quocirca sapienter S. Gregorius, lib. I *Dialog.* cap. 1 : « Usus quidem, ait, rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subjectis imperet quam Prælatis non novit exhibere. »

Vers. 2. 2. RECENSUI QUÆCUMQUE FECIT AMALEC ISRAELI. — Chaldæus, *recordatus sum*; Origenes, hom. 19 *in Num.*, *recogitavi*; Hebræus, *visitavi*; Septuaginta, *nunc ego ulciscar*. Deus enim in memoria sua tenacissima recondit peccata hominum, ut suo tempore ulciscatur; nisi ab homine per pœnitentiam deleantur. Audi Jeremiam, cap. XVII, 1 : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum et in cornibus ararum eorum. » Vide ibi dicta. Sapienter S. Augustinus in *Psalm.* CII, vers. 8 : « Non sic, ait, tibi videatur Deus misericors, ut non videatur et justus. » Et mox : « Cum tibi thesaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris justum, quem contempsisti, benignum? » S. Hieronymus, vel quisquis est auctor (multi enim tribuunt Rabano) in illud *Thren.* III, 12 : *Tetendit arcum suum.* « In arcu, ait, quanto longius trahitur chorda, tanto de eo districtior exibit sagitta; sic extremi judicii dies quanto longius differtur ut veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet. »

Causam dat S. Laurentius Justinus in *Ligno vitæ*, cap. IV, dicens : « Lento gradu ad vindictam tui procedit ira divina, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Altissimus enim est patiens redditor; quia quos diu, ut convertantur, tolerat; non conversos durius damnat : et quanto diutius exspectat, ut emendentur; tanto gravius judicabit, si neglexerint. » Quocirca Psaltes : « Misericordiam, ait, et judicium cantabo tibi, Domine, » *Psalm.* CI, 1.

Vers. 3. 3. AMALEC, — id est, Amalecitæ prognati ab Amalec nepote Esau, qui Hebræorum iter in terram sanctam impedire omnibus modis sunt conati; ideoque cæsi fuere a Josue, *Exodi* XVII. Vide ibi dicta. Mystice, ex Origene et S. Gregorio Beda : « Amalec, inquit, qui transito mari Rubro, restitit Israeli, ea peccata demonstrat, quæ nobis post undam Baptismi, ne ad promissa cœlestis patriæ regna perveniamus, obsistunt : quæ omnia demoliri, neque eis parcere jubemur. »

Porro *Amalec* hebraice idem est quod *populus lingens;* unde notat gulosos et carnales : item dæmones, ait S. Gregorius : « Nam eorum, inquit, est lambere, id est, mentem ad peccandum carnis blandimento delinire; velut enim linguæ tactu lambere ambiunt, cum levibus suggestionibus mentem tangunt. »

INTERFICE A VIRO USQUE AD MULIEREM, ET PARVULUM ET LACTENTEM. — Jusserat Deus, qui est necis vitæque omnium Dominus, deleri plane Amalecitas, non solum homines, sed et jumenta; adeoque eorum memoriam aboleri : hæc autem memoria in posteris (esto ipsi injuriam non fecissent) perdurabat, quare jussit eos funditus exscindi; præsertim quia ipsi parentum odia in Judæos induerant, aliaque eorum peccata imitabantur. Idcirco enim Samuel occidit Agag regem Amalec, dicens versu 33 : « Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. » Parvuli quoque ob peccatum originale rei erant mortis, eisque cita mors erat beneficium potius quam supplicium; ne si adolescerent, gravius peccarent, ideoque acrius in gehenna punirentur. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Cain.* cap. IX : « Longævitas Caino indulta, inquit, vindicta est. » Satius est enim peccatores cito mori, ne culpam et gehennam sibi adaugeant. Unde idem S. Ambrosius, lib. *De Interpel. David* : « Vivendo, ait, damna contrahimus innocentiæ; morte finem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur, vitæ autem usu, tanquam miseris debitoribus usurarii nominis, ad reatum fenus augetur. »

Cita mors beneficium peccaturis.

Hoc est quod apud Balaam vaticinatus est : « Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur, » *Num.* XXIV, 20. Vide ibi dicta. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 25 *in Genes.*, quærens cur Deus ætatem hominum ad 120 annos coarctaverit? Respondeo, id fecisse ex misericordia, ne diutus vivendo, diutius miserias hujus vitæ sentirent, ac cupiditates sectando, gravius peccarent, ideoque acrius punirentur. Et Origenes, hom. 1 *in Num.* : « Bonitatis Dei indicium est, ait, inimica scelestis regna destruere, et bellando cum sua gente evertere nationes. »

Deus jussit deleri Amalec, cur?

Propria autem, et potissima causa, cur Deus tam severe jusserit deleri Amalecitas, fuit quod ipsi populum Hebræorum, jam recenter Deo in Sina copulatum, et velut in fide et religione novitium, ac Deum in columna nubis, quasi ducem præeuntem, per omnia sequentem in terram promissam, ab eo avertere; imo totum hoc Dei opus evertere sint conati. Erant enim ipsi posteri Esau, qui proinde videntes tantum Hebræorum exercitum, timebant ne jam impleretur prophetia illa, *Genes.* XXV, 23 : « Major serviet minori, » id est posteri Esau majores servient posteris Jacob minoris; quare timebant ne ab Hebræis sub jugum mitterentur, eisque servire cogerentur. Idcirco quasi pro libertate pugnantes, extrema quæque contra Hebræos tentarunt. Hinc disce quam graviter ferat puniatque Deus eos, qui novitios in fide vel religione scandalizant, et ab ea avertere satagunt. Hi enim in eis nascentem quasi Deum Christumque occidunt; ac proinde sunt quasi Deicidæ et Christicidæ. Ob hoc ergo scelus jussit Deus Amalecitas cum omnibus suis stirpitus exscindi, ac fieri חרם *cherem*, id est *anathema*, imo

statui sæculis omnibus futuris vivum et perenne acris iræ et vindictæ Dei exemplum, instar Sodomæ et Gomorrhæ. Ita Abulensis.

Huc facit terribilis Prætextatæ pœna, quam recenset S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam* : « Prætextata, ait, nobilissima quondam femina, jubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit; et neglectum crinem mundano more texuit, sibi vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium; et ecce sibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum, terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba frangentem : Tune ausa es viri imperium præferre Christo! tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus! quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata quid feceris, et finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseveraveris in scelere, et marito simul orbaberis et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt; et seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas et pretiosissima ornamenta defendit. »

Audi S. Anselmum, epist. *ad Goffridum* : « Si quis separat pretiosum a vili, nempe animam a sæculo, erit tanquam os Dei; ille cujus os, et manus extrahat animam adhærentem Deo ad sæculum, quid erit? Nonne super eum cadet, quod Dominus dicit : Qui non colligit mecum, dispergit; et qui non est mecum, contra me est. »

Audi et S. Bernardum, *epist.* CXI, parentes filium Eliam a Religione avocantes acriter objurgantem : « O durum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios! imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris, quorum consolatio, mors filii est. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Mira abusio. Domus ardet, ignis instat a tergo, et fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi. Et hæc ab iis, qui in incendio positi sunt, et obstinatissima dementia, et dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis salutem vestram, quid juvat etiam persequi meam? » Denique hoc crimen valde exaggerat S. Chrysostomus, lib. III *Contra vituperat. vitæ monasticæ.*

Vers. 4. 4. ET RECENSUIT EOS QUASI AGNOS,—*q. d.* Saul recensuit suos milites, sicut pastor recensere et numerare solet suos agnos. Legit Interpres כתלאים *cattelaim;* jam legunt בתלאים *battelaim*, quod Vatablus accipit ut nomen proprium loci, vertitque, *in Thelaim.* Unde et Septuaginta et Josephus vertunt *in Galgalis,* quasi *Thelaim* fuerit locus vicinus Galgalis, sed iis obscurior. Verum alii accipiunt *telaim*, ut nomen commune significans *agnos.* Unde Chaldæus vertit, *in agnis Paschalibus;* Rabbini, *recensuit eos in agnis;* quod sic explicant, quasi quisque miles adduxerit agnum, ut ex agnorum numero constaret numerus militum. Rationem addunt, quod a Deo vetitum erat populum secundum se numerare; quare numeratos hic esse milites non viritim per se, sed per agnos, quos singuli sigillatim adducebant. Sed hoc frivolum est, æque ac falsum de militibus, hi enim passim in Scriptura numerantur. Sensus ergo est, quem initio dedi.

Porro, apposite milites comparat agnis, ut notet militum tum simplicitatem, facilitatem et obedientiam, quod ut agni sequantur suum regem; tum mansuetudinem, unionem et concordiam, quod sicut agni mansueti gregatim incedunt, et quo unus præit, eo sequuntur et cæteri, sic unirentur et milites Saulis, ut quo ipse præcederet, eo omnes sequerentur. Præclare Tertullianus, lib. *ad Martyres cum diabolo decertantes* : « Vos, inquit, inveniat munitos et concordia armatos, quia pax vestra, bellum est illi. »

DUCENTA MILLIA. — Minus vere Josephus habet : *quadraginta millia;* Septuaginta correcti, *quadringenta millia.*

ET DECEM MILLIA VIRORUM JUDA. — Hi seorsim numerantur, quia validiores et bellicosiores erant, inquit Hugo, Abulensis et Dionysius.

6. DIXITQUE SAUL CINÆO. — Cinæi erant posteri Vers. 6. Jethro soceri Moysis; ideoque ejus et Hebræorum amici; erantque viri religiosi et pii : quocirca eos ab Amalecitis evocat Saul, ne cum eis communi gentis excidio involvantur. Vide dicta *Exodi* XVIII, *Judic.* I, 16, et *Num.* XXIX, 21.

TU ENIM FECISTI MISERICORDIAM CUM OMNIBUS FILIIS ISRAEL, CUM ASCENDERENT DE ÆGYPTO. — Quam, quando et ubi? Respondent nonnulli, quando Jethro suscepit Mosen fugientem ex Ægypto in Madian, eumque aluit, et filiam Sephoram ei uxorem despondit, *Exodi* II, 20. Ita Rabanus, Hugo et Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum. Verum hæc misericordia facta est soli Moysi, non omnibus filiis Israel, cum ipsi adhuc degerent in Ægypto, ante egressum ex ea; hæc autem dicitur facta : « Cum (ipsi) ascenderent, » id est exirent « de Ægypto. » *Secundo*, alii aiunt respici hic ad Jahel Cinæam, quæ occidit Sisaram hostem Judæorum, *Judic.* cap. IV, vers. 21. Verum hoc factum est non in « ascensu, » id est exitu Hebræorum ex Ægypto, sed diu post ingressum eorum in Chanaan.

Tertio ergo et genuine, id factum est quando Hobab filius Jethro, Cinæus, venit ad Moysen et Hebræos in deserto peregrinantes, eosque suo consilio direxit, et per omnia adjuvit. Unde Moyses ei volenti in Madian ad suos redire, ait *Num* cap. X, vers. 29 et 31 : « Noli nos relinquere; tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster, » non ut nobis ostendas viam in Chanaan : hanc enim ostendit Angelus in columna nubis castra præcedens, et viæ dux; sed ut demonstres nobis ubi in hoc deserto sint fontes ad bibendum, pascua ad pascendum pecora nostra, ligna ad ignem et

fabricam. Erat enim desertum hoc vicinum Madian e qua oriundus erat Hobab. Unde desertum hoc ejusque fontes, pascua et sylvas sat norat. Ita Abulensis, Hugo, Dionysius, Mendoza et alii.

Vers. 9. 9. ET PEPERCIT SAUL ET POPULUS AGAG, — vel ex superbia, ut de eo triumpharet, ait Serarius; vel potius ex avaritia, ut ingens ab eo lytrum, et thesauros absconditos extorqueret, ait Lyranus: uti Hispani ante centum annos, ab Atabaliba rege Americæ capto, pro lytro extorserunt cubiculum auro plenum; sed cum illud eo usque plenum quousque promiserat, præstare non posset, ab eis occisus est; vel denique ex humana erga regem commiseratione, ait Abulensis. Unde Josephus ait Saulem regi Agag vitam condonasse, ob corporis ejus præstantiam, et ob fortunæ regiæ similitudinem; sed præpostere: nam Deus vers. 3, jusserat eum cum omnibus suis occidi. Inobediens ergo fuit Deo Saul, qui suam cupiditatem vel commiserationem prætulit Dei judicio et præcepto. Unde in eo impleta est prophetia Balaam, *Num.* XXIV, 7: « Tolletur propter Agag rex ejus (Saul) et auferetur regnum illius. » Vide ibi dicta.

ET OPTIMIS GREGIBUS OVIUM ET ARMENTORUM, ET VESTIBUS ET ARIETIBUS ET UNIVERSIS QUÆ PULCHRA ERANT (repeti pepercit), NEC VOLUERUNT DISPERDERE EA: QUIDQUID VERO VILE FUIT ET REPROBUM, HOC DEMOLITI SUNT. — Ecce hic nova Saulis et populi inobedientia, profecta ex cupiditate et avaritia, quæ excæcabat eorum judicium, ut judicarent satius esse ea servari ad humanos usus, quam comburi vel demoliri; esto Deus id præcepisset. Judicium ergo suum Saul Dei judicio et decreto prætulit; ideoque graviter eum offendit, ejusque iram in se concitavit, ut regno et tandem vita privaretur. Deus enim clare vers. 3, præceperat dicens: « Demolire universa ejus; non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum. » Quid expressius dici juberique poterat? Nullus ergo hic tergiversationi vel excusationi erat locus; sed mera elucet cupiditas et inobedientia. Cupiditas ergo spoliorum et prædæ tam opimæ excæcavit Saulem et populum, ut pejora mactaret, meliora sibi reservaret, æque ac Cain pejora Deo obtulit, meliora sibi arrogavit, ideoque a Deo cum donis suis rejectus est, *Genes.* IV. Deus enim volebat Amalecitas statui *cherem*, id est *anathema*, ac funditus exscindi, æque ac fecerat Jerichunti Josue cap. VI, vers. 7. Quare sicut Achan ex ea suffurans nonnulla, fuit sacrilegus, ideoque ipse factus est anathema, sic et Saul immemor ipsius Achan, ait Theodoretus et Procopius. Vide hic miserabilem lapsum Saulis, qui reprobationis ejus causa exstitit; quia scilicet bene cœperat, sed in cœptis non perseveravit, ideoque periit, cunctaque perdidit. Pathetice S. Bernardus, *epist.* 112, juvenem a bene cœptis fervidisque suis desideriis dilabentem, ita deplorat et coarguit: « Doleo super te, fili mi Gaufride, doleo super te, et merito. Quis enim non doleat florem juventutis tuæ quem lætantibus angelis Deo illibatum obtuleras in odorem suavitatis, nunc a dæmonibus conculcari, vitiorum spurcitiis et sæculi sordibus inquinari? Quomodo qui vocatus eras a Deo, revocantem diabolum sequeris; et quem Christus trahere cœperat post se, repente pedem ab ipso introitu gloriæ retraxisti? »

Saulis secunda inobedientia.

ET VESTIBUS. — Hebraice משנים *misnim*, quod Pagninus vertit *pinguibus*, quasi *misnim*, per metathesin idem sit quod משמנים *miscemanim*, id est *pinguibus*. R. Salomon vertit, *duplicatorum*, id est, qui sunt duplicati carne et pinguedine, id est *pinguium*. Alii vertunt, *anniculorum*, *a scana*, id est *annus*. Noster recte vertit, *duplicium*, scilicet vestium: hæ enim erant meliores et pulchriores.

11. POENITET ME QUOD CONSTITUERIM SAUL REGEM. — Loquitur anthropopathῶς, sive humano more: nam proprie in Deum, cum ipse sit immutabilis, sapientissimus, futurorum omnium conscius et præscius, æque ac beatissimus, nullus cadit dolor, nulla pœnitentia. Unde vers. 29, de eo dicitur: « Porro triumphator in Israel non parcet et pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. » Pœnitet ergo Deum, cum decreta sua ob hominum culpam mutat; cum beneficia sua retractat, cum dona sua ab ingratis et indignis revocat, v. g. cum Saulem hic regno, quod ei contulerat, ob inobedientiam ejus spoliat et privat. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Procopius et alii. Unde S. Hieronymus *in Ezech.* cap. II: « Electio Judæ et Saulis unctio, ait, non arguunt Deum ignorantiæ futurorum, sed præsentium monstrant esse Judicem. » Sic cum Deus diluvio vindicaturus esset peccata hominum, dicitur de eo, *Genes.* VI, 6: « Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, ait, hominem quem creavi a facie terræ. » Vide ibi dicta. Præclare S. Augustinus, lib. I *Conf.* cap. IV, Deum alloquens: « Amas, ait, nec æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; » uti mutat homo facti pœnitens. Et Tertullianus docens quæ et qualis sit in Deo pœnitentia, lib. II *Contra Marc.* cap. XXIV: « Nihil, ait, aliud intelligitur, quam simplex conversio sententiæ prioris quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti etiam in homine, necdum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. Nam et in græco sono pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est. » Hanc enim significat græce μετανοία, id est, *pœnitentia*.

Vers. 11.

CONTRISTATUSQUE EST SAMUEL, ET CLAMAVIT AD DOMINUM TOTA NOCTE, — ut Sauli veniam impetraret, sed frustra; tum quia Saul manebat in suo scelere obstinatus, eratque impœnitens, imo illud excusabat et defendebat, ut patet vers. 20 et seq.;

tum quia licet Saulem vere sceleris pœnituisset, Deus quidem illi suam gratiam, sed non regnum restituisset. Jam enim ob secundam ejus inobedientiam tam claram, omnino et irrevocabiliter decreverat eum regno privare, illudque ad Davidem transferre. Hoc enim Deum hac nocte respondisse Samueli narrat ipse Samuel, vers. 16 et 17.

Vers. 12. 12. CUMQUE DE NOCTE SURREXISSET SAMUEL, UT IRET AD SAUL MANE. — Vide hic et imitare celerem obedientiam, vigilantiam, strenuitatem Samuelis nocte surgentis, ut mane rem peragat. Hæc enim duo tempora, scilicet nox sive vespera, et mane, maxime observanda et ordinanda sunt. Audi F. Bartholomæum de Martyribus, Archiepiscopum Braccarensem, in insigni suo Doctrinæ spiritualis Compendio, cap. XXVII : « Doce sæculares, cum cubitum eunt, hæc meditari : vitam in morte terminari, sicut dies declinavit in noctem ; et corpus exclusa anima in sepulcro collocandum, sicut exuta veste in lecto te collocas ; cum autem mane expergisceris, recogita quam acute vigilare oporteat in die judicii, ubi hujus sæculi nox terminabitur ; accerseris a sepulcro, rursum indues animam, ut coram Deo in judicio stes, operum tuorum omnium rationem redditurus. Hæc consideratio assidue versetur ob oculos, nempe quo pacto te Dominus ab æterno elegerit, quasi quamplurium bonarum actionum instrumentum, ut tuis potentiis, sensibus, ac membris, beneplacitum ejus in multis bonis operibus adimpleres ; post creationem se tibi altius insinuavit, expetitque in te ac per te opera, quibus gloria ejus innotescat exercere ; tu vero quasi refractarium instrumentum, tanto beneficiorum ponderi non cedis, imo resistis, idque curare videris ne voluntas Domini in te perficiatur. »

NUNTIATUM EST SAMUELI, EO QUOD VENISSET SAUL IN CARMELUM, etc. — Clare Hebræa : *Nuntiatum est Samueli dicendo : Venit Saul in Carmelum ; et statuit sibi manum, et conversus transiit ivitque in Galgala.* » Ita Septuaginta, Chaldæa, Vatablus et alii. Porro *manus* metonymice vocatur insigne opus manus, sive manufactum, puta arcus triumphalis. Vatablus *trophæum*, de relata ab Amalecitis victoria.

Vers. 13. 13. BENEDICTUS TU DOMINO, — hoc est a Domino vel apud Dominum ; Chaldæus, *ante Dominum, q. d.* Deus te plurimum diligit, teque magno favore prosequitur, ac suis benedictionibus, id est donis et beneficiis cumulat. Adulatur Saul Samueli, eum laudando, ut inobedientiam suam abscondat, vel certe os Samueli claudat, ne eum redarguat.

Vers. 15. 15. PEPERCIT ENIM POPULUS MELIORIBUS OVIBUS ET ARMENTIS, UT IMMOLARENTUR DOMINO. — Velat Saul suam inobedientiam per speciem religionis et sacrificii, cum revera ejus causa fuerit avaritia. Nam, ut dictum est vers. 9, meliora sibi servavit, deteriora occidit ; partem tamen aliquam et prædæ primitias obtulit et immolavit Deo : sed etsi omnia Deo immolasset, inobedientiæ crimen Deique offensam non evasisset, uti ei in sequent. exprobrat Samuel.

17. NONNE CUM PARVULUS ESSES IN OCULIS TUIS, CAPUT (REX) IN TRIBUBUS ISRAEL FACTUS ES? — Nota hic fructum humilitatis. Deus enim ob eam Saulem evexit ad regnum. Ipse enim « humiles exaltat, superbos humiliat, » uti crebro clamat S. Scriptura. Urget S. Gregorius τὸ *in oculis tuis, q. d.* Qui se clare cognoscit, sibi vilescit ; superbia enim oritur ex cæcitate et sui ignorantia. Idem Gregorius, hom. 7 *in Evang.*, sic clare et nervose explicat, *q. d.* : « Cum tu te parvulum aspiceres, ego te præ cæteris magnum feci ; quia vero tu te magnum conspicis, a me parvus æstimaris. » Unde concludit : « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat. » Vers. 17.

19. QUARE ERGO NON AUDISTI VOCEM DOMINI ? — *q. d.* Cur non perstitisti in primæva tua humilitate ? sic enim pariter perstitisses in primæva tua obedientia : sed quia elatus ad regnum, defecisti ab humilitate, defecisti pariter ab obedientia, hoc est superbus, indeque inobediens evasisti. Præclare S. Bernardus, *epist.* 253 : « Vera, ait, virtus finem nescit, tempore non clauditur, charitas nunquam excidit. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit : Satis est ; sed semper esurit sititque justitiam ; ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur ; non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui, juxta illud : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, » *Psalm.* CXVIII, 112. Vers. 19.

Radix ergo lapsus Saulis fuit, quod ipse nimis sui judicii esset tenax, nec illud Dei judicio et voluntati submitteret. Judicabat enim satius esse servare prædam Amalec ad suos suorumque usus, quam illam disperdere sine fructu. Deus autem judicabat et volebat contrarium. Accessit, imo præcessit avaritia et cupiditas spoliorum tam opimorum ex Amalec. Quare S. Chrysostomus ait Saulem esse lapsum, eo quod totum cor suum non tradidisset Deo ; sed partim Deo, partim suis affectionibus et cupiditatibus ; cum e contrario David cor suum totum tradidisset Deo, ideoque esset vir secundum cor Dei : quare eum Deus, amoto Saule, regem creavit. Saul nimis sui judicii tenax.

20. ET AIT SAUL AD SAMUELEM : IMO AUDIVI VOCEM DOMINI. — Inobedientiæ crimen hic excusat et defendit Saul ; qua excusatione valde illud adauget, iramque Dei in se confirmat magisque accendit : quod si scelus agnovisset et pœnituisset, veniam consecutus fuisset, licet non regnum, ut dixi. Vers. 20.

ET AMALEC (Amalecitas) INTERFECI. — Porro non omnes Amalecitas fuisse interfectos, sed nonnullos absentes vel fuga lapsos, qui rursum excreverint, patet ex eo quod postea David eosdem invaserit, ut dicitur cap. XXIX et XXX. Non omnes Amalecitæ cæsi a Saul.

Vers. 22. 22. MELIOR EST OBEDIENTIA QUAM VICTIMÆ, — *q. d.* Melius est facere quod Deus jussit, omissis victimis quas non jussit, quam, omisso eo quod jussit, offerre victimas voluntarias, aut etiam prohibitas, uti fecit offerens oves et boves Amalecitarum, quos omnes jusserat Deus in bello mactari, non in templo immolari. Illos enim execrabatur quasi anathemata.

Dices : Religio, cujus officium est offerre victimas Deo, præstantior est omnibus virtutibus moralibus; ergo etiam præstat obedientiæ. Religio enim proxime circa Deum versatur, illique debitum cultum, adorationem et sacrificium defert : obedientia vero versatur circa præcepta Dei et Superiorum, ac illa adimplet. Respondeo, religio in se melior majorque est virtus, quam sit obedientia. Obedientia tamen dicitur melior, quia magis necessaria, et in praxi præponenda religioni. Quod enim Deus jussit, hoc absolute faciendum est, eique obediendum; actus vero religionis, ut victimæ et sacrificia, sunt liberi; quare obedientiæ cedant oportet. Nam liberum debet cedere necessario, et consilium præcepto. « Melior ergo est obedientia quam victimæ, » hoc est, ut habent Hebræa, *melius est obedire, quam victimas offerre;* victimas vero offerre, est liberum et spontaneum. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus, Beda et alii.

Obedientia melior victimis.

Adde : Licet, ratione objecti, religio sit virtus præstantior quam obedientia; tamen obedientia etiam libere assumpta, præsertim continua et perpetua, uti fit in monasteriis, in multis præstat religioni. *Primo*, quia, ut ait S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. X : « Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. » Quare quantum voluntas hominis excellit oves et boves, tantum obedientia præcellit victimis. Unde S. Bernardus, lib. *De Ordine vitæ* : « Tanto quisque Deum, inquit, citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitrii superbia, gladio præcepti se immolat.

Primo.

Secundo, quia per obedientiam voluntas nostra conformatur voluntati divinæ, quæ est sanctissima, ac norma et regula omnis virtutis et sanctitatis. Quare illi proprie competit, id quod Deus ait per Isaiam, cap. LXII, vers. 4 : « Vocaberis voluntas mea in ea. »

Secundo.

Tertio, quia obedientia facit voluntatem quasi vivum et perenne Dei sacrificium; in victimis vero mortua animalium caro Deo offertur. Quocirca obedientia mysticum quidem, sed nobilissimum est holocaustum, quod totum hominem Deo devovet. Unde S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XLIII : « Non exegi, ait, a te oblationes, nec thura quæsivi, etc. Sed obedientiam, quæ est sacrificium, de quo David *Psalm.* L : Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Quare in hoc sacrificio, voluntas quasi victima immolatur et moritur; sed tamen vivit, ideoque est mortua, simul et viva; nimirum mortua sibi, et vivens Deo divinæque voluntati. Hæc enim in ea vivit et operatur. Audi S. Augustinum, lib. X *De Civit.* cap. VI : « Ipse homo Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est, etc., corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, sic hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, sacrificium est. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo vel instrumento utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Dominum refertur, sacrificium est, quanto magis anima ipsa, cum se refert in Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium. »

Tertio.

Pressius S. Gregorius, hom. 12 *in Ezech.* : « Qui, inquit, sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen et quædam quæ sunt sæculi non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris accendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt. »

Quocirca S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVI, art. 7, docet statum religiosum non aliud esse quam holocaustum, eo quod omnia suo Deo tradat; et qui se huic statui dicarit, is tum interiora, tum exteriora omnia Creatori suo obtulerit. D. Thomam sequitur Thomas Waldensis insignis theologus, *De Sacrament.* tit. IX, cap. LXXXIX, ubi vitam religiosam non tantum sacrificium, sed altum sacrificium esse demonstrat; eo quod actus omnes carnis et mentis per religionis ingressum perenniter Deo consecret.

Religionis status est holocaustum.

Denique obedientiam, fidem, spem, charitatem, religionem cæterasque virtutes secum adducit, uti recte ostendit Hieronymus Platus, lib. III *De Bono status religiosi*, cap. IX. Simili de causa ait Deus : « Misericordiam volo et non sacrificium. » Hinc S. Gregorius, et ex eo S. Bernardus, tract. *De Ordine vitæ* : « Sola, ait, obedientia virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit insertasque custodit. » Quocirca ut idem alibi ait : « Christus perdidit vitam, ne perderet obedientiam : factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

Mystice S. Gregorius : « Victimæ, ait, ad magnæ conversationis austeritatem; holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. Melior est enim obedientia quam victimæ; et auscultare, magis quam offerre arietum adipem : quia longe altioris est meriti propriam voluntatem alienæ semper voluntati subjicere, quam magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio? Melior est tamen obedientia, quia qui perfecte voluntatem præceptoris sui implere

didicit, in cœlesti regno et abstinentibus et flentibus excellit.»

Vers. 23. 23. QUONIAM QUASI PECCATUM ARIOLANDI EST REPUGNARE; ET QUASI SCELUS IDOLOLATRIÆ NOLLE ACQUIESCERE. — Hebraice, *quia peccatum divinationis est rebellio, et iniquitas Theraphim, abrumpere;* vel avellere se a Dei voluntate et mandato.

Inobediens similis idololatræ. Vatablus, *quoniam contumacia est peccatum magiæ, et obfirmare animum, est peccatum idololatriæ.* Nota: Loquitur Samuel de inobedientia, non subitanea et transeunte, cujus paulo post hominem pœnitet, ut obediat; sed de obfirmata et obstinata, ut sit rebellio, qualis erat Saulis. *Secundo*, proprie loquitur de inobedientia, non generali, qua quis aliquod Decalogi præceptum, similemve legem transgreditur; sed speciali, qua quis Deo particulatim aliquid per se vel per prophetam a se missum cuipiam jubenti, non vult obedire, uti fecit Saul nolens occidere oves et boves Amalec, quod ei per Samuelem præceperat Deus. Hæc enim inobedientia est propria et præcisa, qua quis Deo non vult obedire, sed jussionem ejus spernit, transgreditur et violat; quæ gravis est injuria et contemptus Dei. Unde Chaldæus vertit: *Attendere loquelis Prophetarum ejus, bonum est præ pinguedine saginatorum. Nam ut culpæ virorum qui petunt ab ariolo; sic culpa omnis viri, qui rebellat super verba legis Domini; et sicut culpa populi qui errat post errores* (idola), *sic culpa omnis hominis, qui addit super loquelas Prophetarum.*

Porro, non dicitur hic quod inobedientia sit magia, vel idololatria, vel illis æqualis culpa; sed quod utrique sit similis. Nam in se gravius crimen est magia vel idololatria, qua quis dæmonem vel idolum, ut Deum consulit et adorat in Dei veri injuriam, quam sit inobedientia, qua quis jussis Dei duntaxat non obedit. Hæc tamen utrique illi est similis. Nam, ut ait S. Gregorius: «Quasi peccatum ariolandi, est repugnare; quia velut contempto divino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus Prælatorum consiliis, contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur; quia nimirum in inobedientia sua obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi idolum facit. Et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescere, quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in majorum contemptum erigitur; quia intus eis quæ fingendo statuit, propositi sui simulacris incurvatur.»

Et ariolo. Inobediens ergo est similis ariolo, quia conjectat de voluntate Dei, ex mendacibus rationis et judicii sui conceptibus et figmentis; sicut ariolus conjectat de futuris, ex garritu et volatu avium. Imo voluntati Dei sibi revelatæ et cognitæ suam anteponit, quasi illa sit sapientior et melior divina: ideoque Deo se sapientiorem, prudentiorem et meliorem æstimat. Quare negat Dei omniscientiam, omniprudentiam, omnibonitatem; ideoque tacite negat Deum esse Deum, ac se suumque judicium et volitum facit Deum, suumque idolum.

ET QUASI SCELUS IDOLOLATRIÆ, NOLLE ACQUIESCERE. — Hebraice און ותרפים הפצר *aven uteraphim haptsar*, id est *iniquitas vel idolum, et theraphim est reniti et repugnare;* sicut enim *idolum* est mendax Deus, *Theraphim* est mendax oraculum; sic inobediens suum judicium et voluntatem præferens divinæ, illud quasi fidum suum idolum colit, illudque quasi suum prudentiæ oraculum, sed falsum et mendax, consulit et sequitur. Porro τὸ *haptsar* varii varie vertunt; Cajetanus, Marinus et alii vertunt, *cogere, compellere, vim facere, q. d.* Scelus idololatriæ est, cogere mandatum Domini, illique vim facere, ac illud ad sui cerebri figmentum detorquere, uti fecit Saul, ac facit omnis inodiens. Chaldæus vertit, *debellare, q. d.* Inobediens Deo rebellans similis est idololatræ. Septuaginta vertunt, *dolorem et labores inducere;* hos enim sibi suisque creat inobediens. Pagninus vertit, *transgredi, q. d.* Inobediens transgreditur Dei jussa sicut idololatra. Alii magis præcise vertunt, *abrumpere, vi avellere, q. d.* Inobediens pugnans cum Deo est similis gigantibus cum Deo; et Titanibus cum Jove pugnantibus, ut eo de cœlo et solio divinitatis dejecto, se ipsos facerent deos; qui enim spreta Dei voluntate suam illi adversam sequitur, cum Deo pugnat, et seipsum quasi facit Deum. Sicut enim guloso Deus est venter, luxurioso Venus, ambitioso honor, avaro aurum; sic inobedienti Deus est proprium judicium et propria voluntas; ad hanc enim omnes suas actiones refert, ut huic satisfaciat totis viribus laborat: hanc omnium suorum laborum finem metamque statuit; hanc summum suum esse bonum æstimat, huic se suaque omnia dicat et tradit. Quid hoc est aliud quam illam suum facere Deum?

Unde moraliter S. Bernardus, lib. *De Ordine vitæ*: «Cernis, inquit, quantum malum, quod idololatriæ magicisque comparatur artibus. Adolescentes, qui tali repleti sunt malo, subdi senioribus dedignantur; facta vero eorum aut dicta, tumida et erecta cervice non observant, sed dijudicant; non venerando exaltant, sed spernendo subsannant; sed non impune. Inde enim evidenter deficiunt, unde miseri proficere debuerunt.» Causam deinde subjicit: «Hoc autem vult Deus, ut homo per hominem doceatur, et minor majori subdatur. Si enim Angelus Angelo imperat, et inter jubentem et obedientem summa manet semper concordia: videat ille quam graviter peccat, qui debitam exhibere suis majoribus reverentiam non curat.» Et pluribus interjectis hanc obedientiæ palmam assignat: «Sola obedientia est, quæ fi-

dei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem dicitur in ostensione obedientiæ : Vir obediens loquetur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. »

Plura de obedientiæ præstantia dixi alibi, ac præsertim *Prov.* cap. XXI, vers. 28 jam citato.

PRO EO ERGO QUOD ABJECISTI SERMONEM DOMINI, ABJECIT TE DOMINUS, NE SIS REX, — quia sprevisti, vel reprobasti verbum Domini, sprevit, vel reprobavit te Dominus, ne sis rex. Justa et congrua est hæc pœna Saulis; ut qui Deo suo subesse noluit, privetur regno ab eo dato, ne quis subditorum ei subsit, sed illi ei rebellent, sicut ipse rebellavit Deo : perinde ac Adam inobediens Deo, comedendo pomum vetitum, sensit animalia, imo membra sua sensusque omnes sibi inobedientes et rebellantes.

NE SIS REX. — Putant nonnulli Saulem hic a Deo privari regno, ut amplius non fuerit rex, sed Israelis rex fuerit David; nam ipse cap. seq. a Samuele unctus fuit in regem. Favet S. Chrysostomus, hom. *De David cum Goliath*, dicens : « Saulem regem putari, Davidem vero esse. »

Saul an regno privatus a Samuele ?

Melius alii censent Saulem hic privari regno, quasi in actu primo non secundo, hoc est potestate regia illum dejici, sed permitti tamen ei illius usum et administrationem ad vitam. Aut potius denuntiari ei privationem regni, cujus privationis realis exsecutio paulo post facienda erat in ejus clade et morte : sicut hæretici aliique similes, lege Ecclesiastica privantur suis bonis, sed tamen iis uti permittuntur, donec hujus pœnæ et sententiæ executio fiat a principe, ut per ejus fiscalem reipsa confiscentur et fisco addicantur.

Nam Saulem mansisse regem usque ad mortem patet *primo*, quia ipse eo usque regnum continuo gubernavit, perinde ut fecerat ante; *secundo*, quia populus eum ut regem suum habuit et coluit; *tertio*, quia David semper professus Saulem esse regem, se vero ad regnum jus non habere, nisi post ejus mortem. Nec aliud voluit Chrysostomus, dicens Davidem regem esse, scilicet a Deo designatum, ut Sauli abdicato morienti succederet, ac regnum ad posteros transmitteret, in iisque perpetuaret. Denique ipse Samuel, post hanc regni privationem, Sauli honorem regium detulit, eumque ut regem secutus est vers. 32; alioqui enim Israel caruisset rege et principe : nec enim David rexit ante mortem Saulis. Quod ergo ait Samuel : « Abjecit te, ne sis rex; » hoc est abjecit te, ne diu in regno perseveres : decrevit enim tibi regnum cum vita brevi auferre, illudque in Davidem transferre; quare non tui, sed Davidis posteri in regnum succedent, eruntque reges continuo Israelis.

Vers. 24. Pœnitentia Saulis non fuit seria.

24. DIXITQUE SAUL AD SAMUELEM : PECCAVI. — Pœnitentia hæc Saulis non fuit vera et seria, ex vero cordis dolore ob Deum offensum profecta, sed labialis duntaxat et oralis ex metu perdendi regni, et infamiæ publicæ promanans. Hoc enim est quod ipse mentem suam explicans ait vers. 30 : « Peccavi, sed nunc honora me coram Senioribus populi mei et coram Israel; » ne illi me quasi a Deo per te reprobatum reprobent, et reipsa regno dejiciant. Ita Rupertus *in Apoc.* cap. II : « Humilitatem primam, ait, reliquit Saul, neque pœnitentiam egit; dixit quidem : Peccavi; sed non humiliter dixit aut sensit. Addit enim : Sed nunc honora me; honorem ergo vel gloriam non Dei, sed suam ista confessione mercari voluit, dicendo : Peccavi. »

Et S. Bernardus, serm. 16 *in Cant.* : « Numquid, ait, profuit Sauli, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus est? Culpabilis procul dubio fuit illa confessio quæ culpam non diluit. Quomodo enim humilem contemneret confessionem humilitatis magister? et cui humilibus dare gratiam certe ingenitum est, omnino non poterat non placari; si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas. »

25. SED NUNC PORTA, QUÆSO, PECCATUM MEUM. — Vers. 25. « Porta, » id est suffer, tolera, dissimula, ignosce, parce, condona. Ita Josephus, Chaldæus, Pagninus, Vatablus et alii.

ET REVERTERE MECUM (in Galgala vers. 12), UT ADOREM DOMINUM, — ut coram te et per te sacrificem Domino; itaque populus videat me non projectum a Deo, sed illi tibique esse reconciliatum.

27. ILLE AUTEM APPREHENDIT SUMMITATEM PALLII EJUS QUÆ SCISSA EST. — « Ille, » scilicet Samuel, inquiunt Rabbini nonnulli, apprehendit pallium suum, vel certe pallium Saulis, illudque scidit, ut significaret scissum et separatum ab eo esse regnum. Verum dico, « ille, » scilicet Saul apprehendit pallium Samuelis, illudque renitente Samuele scissum est, ut significaretur scissio et separatio regni a Saule ejusque posteritate. Ita Septuaginta, Josephus et S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate* VII, ubi contendit ex Septuaginta hic prædici regnum a Judæis transferendum ad Christum et Christianos. Sic enim habent Septuaginta : *Scidit Dominus regnum tuum ab Israel de manu tua hodie; et dabit illud proximo tuo magis bono quam tu. Et scindetur Israel in duo et non revertetur, neque pœnitentiam aget Sanctus Israel.* Nam regnum non est scissum ab Israele, nisi in Christo et per Christum, ait S. Augustinus, qui fuit melior Saule, id est Judæis, quorum rex erat Saul : tuncque *scissum est in duo*, quia pars una Judæorum conversa est ad Christum, altera vero mansit obstinata in sua incredulitate et Judaismo. Et hoc Dei decretum erit æternum, ut amplius Judæi non habeant regem et regnum, quia in Deum non cadit facti pœnitentia. Hæc S. Augustinus et recte in sensu allegorico, non litterali. Nam ad litteram, scissum est hic regnum a Saule, cum datum fuit Davidi, qui erat obedientior et melior Saule : tuncque *regnum scissum est in duo;* quia sola tribus

Juda adhæsit Davidi, quasi regi suo, reliquis tribubus Abner dux militiæ regem constituit Isboseth filium Saulis, idque per septem annos, donec occiso Isboseth, omnes tribus Davidem in regem acceptarunt, ut patet II *Reg.* cap. II, vers. 4 et sequent.

Simili modo Ahias propheta pallium suum scidit in duodecim partes, ac decem partes dedit Jeroboam; hoc symbolo significans eum fore regem decem tribuum, duas vero tribus reliquas, scilicet Juda et Benjamin, adhæsuras Salomoni ejusque filio Roboam, III *Reg.* cap. XI, vers. 30. Scissio ergo hæc pallii repræsentabat scissionem regni Salomonis ob ejus idololatriam.

Vers. 28. 28. ET TRADIDIT, — id est tradere decrevit : significatur enim actus inchoatus et destinatus, non perfectus. Sic « scidit, » id est scindere decrevit, « regnum Israel a te, » ut tradat illud « meliori te, » scilicet Davidi.

Vers. 29. 29. PORRO TRIUMPHATOR IN ISRAEL NON PARCET. — Chaldæus, *decretum est super te a Domino victoriarum Israel, q. d.* Lata est absoluta et irrevocabilis Dei sententia super te, ut priveris regno. Vocat Deum « triumphatorem in Israel, » ut pungat Saulem, *q. d.* Tu tuis victoriis contra Amalec aliosque hostes superbis et triumphas, ideoque Deo rebellas; sed scito illas victorias non esse tuas, nec tuis viribus partas, sed a Deo tibi concessas. Ipse enim est rex et « triumphator in Israel, » qui pro Israele fideli populo suo pugnans, eum vincere et triumphare facit de hostibus. Hebraice, *et etiam victoria Israel non mentietur,* id est Deus, qui fuit causa hujus victoriæ et cæterarum Israelis, non retractabit suum dictum de auferendo tibi regno. Ita Noster. Alii, *non mentietur,* ut scilicet promissionem regni Davidi decretam revocet ac fallat. Vatablus vero, *q. d.* Deus virtutem Israeli datam non faciet irritam; Deus non destituet Israelem pristina virtute.

Vers. 30. 30. AT ILLE AIT : PECCAVI; SED NUNC HONORA ME (quasi regem) CORAM SENIORIBUS POPULI MEI, ET CORAM ISRAEL, — id est coram reliquo Israelis populo, ne ille me a te spretum spernat et regno spoliet. Vides hic pœnitentiam Saulis fuisse humanam, et metu regni perdendi extortam. Unde S. Bernardus in *Declamat.*, versus finem : « Ad quid, ait, tibi hæc honoratio, miser? Hæccine tota erat illa supplicatio : Peccavi, ora Dominum pro me? Merito sane non pepercit, qui intuebatur cor, falsa non poterat supplicatione moveri. Vix adhuc dixerat David : Peccavi; et responsum illi est : Dominus transtulit peccatum tuum a te. Sic nimirum, sic usque hodie dilectissimi, cujus ad alias consolationes mens inhiat, et penitus in caducis et transitoriis non renuit consolari, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis. Quam si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret; sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. »

Pœnitentia Saulis humana.

Audi S. Gregorium hic, lib. VI, cap. II : « Liquet quam pœnitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc veraciter pœniteret, inhonorari potius quam honorari concupisceret, » etc. Angelomus quoque : « In eo quod ait : Honora me coram senioribus populi mei, verecundiam passus, ac superbia detentus locutus est; quia timebat honores amittere, et ideo non obtinuit quod petiit, dicens : Peccavi. Quisquis enim sub specie confessionis humanos adhuc honores amittere timet, iste indulgentiam, quam ficta humilitas postulat, a Deo adipisci non valet, » etc.

Vers. 31. 31. REVERSUS ERGO SAMUEL SECUTUS EST SAULEM. — Cessit Samuel Saulis petitioni, ne eum in desperationem vel furorem adigeret; at ut ejus honorem coram populo tueretur, ne is eum sperneret et regno pelleret. Hoc modicum consolationis Sauli indulsit, ut regni privationem lenius ferret, et ne ad pejora delaberetur. Nam, ut ait S. Gregorius : « Fortasse si abjectus rex secum ad adorandum Dominum, revertentem prophetam non cerneret, dæmonum simulacra adoraret. Et projicit ergo eum, et cum eo revertitur; quia in potentibus hujus sæculi sic est damnanda iniquitas, ut bonum quod habent, exasperati non perdant. » Unde colligit : « Bene ergo Samuel cum abjecto rege revertitur, quia electi prædicatores, sæculi potentes, et pro iniquitate percutiunt, et pro exemplo bona agere quædam sinunt. »

Addunt Hebræi apud S. Hieronymum Samuelem primum locum Sauli, quasi regi honoris causa dedisse; sed Josephus ait in eo tantum Sauli detulisse honorem, quod eum non deseruerit.

Quæres, quando miserabilis hic Saulis casus contigerit? Nonnulli censent eum contigisse anno 3 regni Saulis, ex eo quod cap. XIII, vers. 1, dicitur ipse duobus annis regnasse super Israel; quod multi intelligunt sic, ut innocenter, juste et probe regnarit per biennium, ac consequenter tertio anno sit lapsus. Verum alius illius loci magis genuinus est sensus, uti ibi dixi.

Lapsus Saul anno septimo regni.

Alii aliter : probabilis est sententia nostri Saliani, Saulem esse lapsum anno septimo regni sui, ita ut octavo regni ejus anno David a Samuele unctus sit in regem, ut dicitur cap. sequenti; ac deinde Saul adhuc regnarit decem annos. Universim enim regnavit annis octodecim, cum Samuel ante eum judicarit Israel per annos 22. Sic enim anni Saulis et Samuelis simul juncti conflant 40, quos ei tribuit Paulus, *Actor.* XIII. Unde sequitur lapsum hunc Saulis accidisse anno 29 a morte Heli, et ab initio principatus Samuelis, qui immediate successit Heli. Sic enim apposite gesta tam præcedentia, quam sequentia Saulis per hos annos octodecim compartiemur, etsi ex Scriptura nil certi definiri possit, quid quolibet anno gestum sit. Conjectura ergo hic opus est.

Vers. 32. 32. DIXITQUE SAMUEL : ADDUCITE AD ME AGAG REGEM, — ut quem Saul noluit occidere, ego occi-

dam, itaque Dei voluntatem expleam in vindicta et anathemate Amalecitarum.

ET OBLATUS EST EI AGAG PINGUISSIMUS ET TREMENS, — præ pinguedine, *q. d.* Adeo pinguis ut tremulo et vacillanti gressu incederet. Nam Hebraice est *Agag* מעדנות *Maadanoth*, quod Chaldæus vertit, *Agag deliciosus;* Pagninus, Vatablus et alii, *Agag deliciarum*, id est Agag deliciis saginatus et impinguatus, ideoque tremulus. Minus recte ergo nonnulli sic exponunt, quasi dicat : Oblatus est Samueli *Agag cum deliciis*, hoc est gradiens deliciose, incessu regio et superbo. Alii, *gaudens de morte*, eo quod mortem servituti præferret : vel ut R. Kimchi, quod a Samuele benigno vitam speraret. Alii vertunt, *cum vinculis*. Ita qui a vulgata discedunt, abeunt in diversa.

Aman ex stirpe Agag.

Porro Aman hostis Judæorum ab Assuero suspensus, *Esther*. cap. III, vers. 1 et 10, dicitur fuisse *de stirpe Agag*. Unde ab hoc Agag rege Amalec eum prognatum fuisse censent Josephus, lib. X *Antiq*. cap. VI, Hebræi, Chaldæus, Lyranus, Cajetanus, Serarius et Rupertus, lib. VIII *De Victor. Verbi Dei*, cap. IV. Hinc et Aman, *Esther* cap. XII, vocatur *Bugæus*, quasi *Benagagæus*, vel *Bengogæus*, id est *filius Agag* vel *Gog*. Nam Septuaginta, *Numer*. XXIV, 7, *Agag* per apheresim vocant *Gog*, aut *Bugæus*, quasi *Gogæus :* subinde enim littera *B* mutatur in *G*, *Ezech*. XXVII, 9. *Senes Giblii* vertunt Septuaginta Biblios, et ipsa civitas vocatur Giblus et Beblus, teste S. Hieronymo, *De Locis Hebraicis*. Ita etiam *l* in *B*, cum duellum bellum, duellius, bellius, ait Cicero in *Oratore*. Vide Angelum Caninium in *Hellenismis*. Esto enim Aman fuerit Macedo, tamen fieri potuit ut aliquis ex Amalec et stirpe Agag migrarit in Macedoniam, ex quo ibidem prognatus sit Aman. Verum potuit alius esse Agag pater vel avus Amani diversus ab Agag rege Amalec; unde nil certi in hac re statui potest. Verisimile tamen est hunc eumdem fuisse, tum quia hic fuit celebris, nec alius hoc nomine in Scriptura reperitur; tum quia hic fuit superbus, deliciosus et crudelis, æque ac fuit Aman, ut in eum hosce suos mores cum semine transfudisse videatur. Et hoc innuit τὸ *Aman de stirpe Agag*.

ET DIXIT AGAG : SICCINE SEPARAT AMARA MORS, — quasi dicat : O quam amara est mihi delicato et in deliciis enutrito ista mors imminens, et quam statu meo regali, opibus, honoribus et deliciis abundanti indigna. Sperabam enim in iisdem quibus assueveram vitam concludere. Ita Abulensis. Hoc est quod ait Ecclesiastes, cap. XLI, vers. 1 : « O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus. » Vide ibi dicta.

Minus apte ergo Vatablus, Pagninus et alii vertunt, *recessit a me amaritudo mortis*, quasi Agag generoso et regali animo contemnens mortem id dixerit; aut viso Samuele, ab eo vitam sperarit. Hebraice enim סר *sar*, id est *recessit*, in *Cal.* more Hebræo sumitur pro *Hiphil*, id est pro *recedere facit;* sive, ut Noster vertit, *separat*. Sensus ergo est : Itane mihi moriendum est tam amara, misera et violenta morte? Itane separanda est anima a corpore, sensus a deliciis suis, Agag a regno suo? aut ut Serarius vertit : « Declinavit ad me amaritudo mortis, » *q. d.* Actum est de vita mea, imminet mihi amara et acerba mors.

Tropologice S. Gregorius : « Recens conversi, ait, dum a solitis suis voluptatibus separantur, dolorem instar mortis sentiunt : » unde hac tentatione pulsantur : siccine me separat a meis deliciis amara mors pœnitentiæ et sanctæ vitæ? « Quia in eis, inquit, carnalitas sine magna tribulatione minime necatur. Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est, dicit menti sensualitas sua: Læta pro tam tristibus spernis?

33. ET AIT SAMUEL : SICUT FECIT ABSQUE LIBERIS MULIERES GLADIUS TUUS, SIC ABSQUE LIBERIS ERIT INTER MULIERES MATER TUA, — *q. d.* Ego matrem tuam te occidendo faciam viduam sine liberis, quia tu multas fecisti viduas necando eorum filios. Nimirum juste occideris, quia injuste alios occidisti. Æterna enim Dei lege sancitum est, ut homicida occidatur. Nota deliciosos, qualis erat Agag, sæpe esse crudeles; quia omnem amorem quem habent sibi ipsis impendunt, ac proinde in alios non nisi odia expromunt; imo alios fraudant et spoliant, ut plura habeant quibus delicientur. Omnia enim sibi appetunt, aliis nihil. Vers. 33. Deliciosi sæpe crudeles.

Figmenta sunt quæ scribit Philo Biblicus, scilicet Deum jussisse Samueli ut Agag regi daret vitæ inducias per sequentem noctem; qua proinde Agag uxorem suam gravidam effecerit, indeque natus sit filius nomine *Edab*, qui fuerit Amalecites ille, qui Saulem se occidisse asseruit Davidi, cap. XXXI, ut per filium Agag justo Dei judicio occisus sit Saul; eo quod ipse Agag non occidisset, ut jusserat Deus. Hæc enim est talionis pœna.

ET IN FRUSTA CONCIDIT EUM SAMUEL (non per se, ut vult Serarius, sed per suos, ait Josephus) CORAM DOMINO, — quasi sceleratum in victimam anathematis justitiæ divinæ sacrificans; idque non ex sævitia, sed ex zelo justæ vindictæ; qualem habuit Phinees occidens principem fornicantem, *Numer*. cap. XXV, et Elias occidens sacerdotes Baal, III *Regum*, cap. XVIII (1). Samuel ex zelo occidit Agag.

Tropologice, cum superbia et vitiis dimicantes, debemus ea frustatim concidere, et nihil ex eis relinquere, quod novum nobis bellum moveat. Ita Beda.

35. ET NON VIDIT SAMUEL ULTRA SAUL, — id est, non invisit Samuel Saulem amplius, non eum adiit honoris causa, uti fecerat prius, non collocutus est cum eo, non eum direxit, admonuit, reprehendit, uti facere solebat. Hunc esse sensum patet ex Hebræo : nam alioqui postea Samuel Vers. 35.

(1) Nil in hoc a Samuele crudelius erga sceleratissimum hunc Agag.

vidit Saulem inter prophetas prophetantem, cap. XIX, vers. 24.

LUGEBAT SAMUEL SAULEM, — quia dolebat Saulem a se unctum, regno, ac Israelem, rege tam forti et felici privari; atque nesciebat quis et qualis ei successurus esset. Adde, timebat Saulem non tantum regno, sed et vita ac salute æterna privandum; licet enim hic tantum a Deo regno spolietur, tamen τὸ *abjecit*, et hebraice *reprobavit te Deus*, innuit eum a Deo derelictum, in majora scelera ruiturum, in iisque moriturum ac damnandum, uti reipsa contigisse videtur. Lugebat autem, et simul lugens orabat pro Saule, ut vel regno restitueretur, vel certe in ulteriora mala non decideret. Sperabat enim Dei decretum de abjectione Saulis non esse omnino absolutum et irrevocabile, sed comminatorium, ac precibus flecti mutarique posse. Unde Deus, cap. seq. vers. 1, asserit id esse absolutum; vetatque ne amplius lugeat Saulem, sed ejus loco in regem ungat Davidem.

Nota hic et imitare misericordiam et charitatem Samuelis erga Saulem sibi Deoque inobedientem. Audi S. Gregorium: « Quid est quod luget quem cernere dedignatur, nisi quia et cum zelo rectitudinis, sancti Doctores habent affectum magnæ charitatis; ipsa autem charitatis magnitudo ostenditur, quia projectum regem plangere perhibetur? Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro projectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? instantia namque luctus ostenditur, quia subjunctum est: Usquequo tu luges Saul? » Charitas Samuelis.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel ungit Davidem in regem, ut Sauli mortuo succedat. Mox, vers. 14, Spiritus Dei a Saul transit ad Davidem, ac Saulem exagitat spiritus malus, quem David pellit pulsando citharam. Unde, vers. 21, eum diligit Saul, facitque suum armigerum.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges, Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem; providi enim in filiis ejus mihi regem. 2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni. 3. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi. 4. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 5. Et ait: Pacificus; ad immolandum Domino veni, sanctificamini et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. 6. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est Christus ejus? 7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 8. Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. 9. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. 10. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. 11. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum; nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat. 12. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie, et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim. 13. Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus; et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps; surgensque Samuel abiit in Ramatha. 14. Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. 15. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. 16. Jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus,

psallat manu sua, et levius feras. 17. Et ait Saul ad servos suos : Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. 18. Et respondens unus de pueris, ait : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum, et Dominus est cum eo. 19. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens : Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. 20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini et hædum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. 21. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo; at ille dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger. 22. Misitque Saul ad Isai dicens : Stet David in conspectu meo; invenit enim gratiam in oculis meis. 23. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

Vers. 1. 1. USQUEQUO TU LUGES SAUL (et lugendo oras pro eo restituendo), CUM EGO PROJECERIM EUM (utpote inobedientem, obstinatum et impœnitentem), NE REGNET SUPER ISRAEL? — « Cur enim, ut ait S. Gregorius, projecta persona plangitur, cum melior subrogatur? » Audi S. Chrysostomum, hom. 5 *De pœnitentia:* « Multum exhausit temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, noctesque multas transegit insomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus repudians (non enim cum prophetæ oratione peccatoris convenit pœnitentia), dicit ad prophetam : Usquequo tu ploras? usquequo ostendit tempus, ac perseverantiam deprecantis? Et repulit Deus tempus deprecationis prophetæ. Non enim cum justi interventu, regis pœnitentia stetit. » Et S. Bernardus, sermone 12 *in Cantic.* : « Samuel, ait, lugebat Saul, qui se quærebat occidere, ad ignem charitatis incalescente pectore liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos. » Subjicit Chrysostomus secus fuisse in Davide qui, a Nathan correptus de adulterio et homicidio, serio pœnituit, ideoque ab eo illico audivit : « Transtulit Dominus peccatum tuum, » II *Reg.* XII.

PROVIDI ENIM IN FILIIS EJUS MIHI REGEM, — id est, destinavi unum e filiis Isai creare regem, qui Sauli succedat. Sed cur eum non designat, nec nominat? Causam dat S. Chrysostomus in *Psal.* L : « Attende, inquit, diligenter. Non dixit ad Samuelem : Vade, ac Davidem mihi unge; sed vade, unge mihi unum ex filiis Jesse. Ne videlicet idem Davidi accideret, quod prius Josepho; ut enim fratres, cum regem eum fore intellexissent, insidias ipsi struxerunt, eodem modo periculum erat, ne isti quoque idem facinus perpetrarent. » Idem etiam Theodoretus expressit, Quæst. XXXVII *in Reg.* : « Nam, ait, cum etiam sic facta electione aperuerunt fratres suam invidiam, fratrem conspiscati in acie, quid non fecissent; si non facta esset hoc modo? »

Cur Deus non nominarit regem ungendum?

Vers. 4. 4. ADMIRATI SUNT SENIORES, — et simul perterriti, quod insolitum erat tantum Prophetam et Judicem solum venire; tum quia ex inopinato, nullo præmonito aderat; unde timebant ne iratum Saulem fugeret, ejusque iram in Bethlehemitas, quasi Samuelem recipientes devolveret; aut ne triste aliquid prænuntiaret. Tropologice S. Gregorius : « Electi Doctores, inquit, vix aliquando videri in publico debent, esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni. »

SANCTIFICAMINI, — id est, sancte vos præparate ad sanctum sacrificium; ad quod vos invito ut ei intersitis : licet solum Isai cum filiis vocarit Samuel ad prandium sacrificii, ut secreto ungeret unum e filiis ejus in regem; unde sequitur :

Vers. 5. 5. SANCTIFICAVIT ERGO ISAI ET FILIOS EJUS, ET VOCAVIT EOS AD SACRIFICIUM. — « Sanctificavit, » id est jussit eos sanctificari, sive purificari per secubitum, id est, abstinentiam, perque sparsionem aquæ lustralis : ut si quam irregularitatem legalem contraxissent, illam hac lustratione expiarent. Vide dicta *Numer.* XIX. Idem imitati sunt Gentiles juxta illud : « Casta placent Superis, pura cum veste venite. » Et : « Donec me flumine vivo abluero. »

Unde illa lex apud Ciceronem, lib. II *De Legibus* : « Caste deos adeunto. » Hinc argumento a minori ad majus colligit S. Gregorius, aitque : « Si interesse sacrificiis non audent nisi sanctificati; quid de sacrificantibus censendum? sanctificare enim purgare est. Quantum ergo puros decet esse Pontifices, ubi invitatæ ad sacrificium, non nisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes? sanctificatio quippe corporis, pudicitia est; sanctificatio mentis, charitas et humilitas. »

Vers. 6. 6. CUMQUE INGRESSI ESSENT — ad prandium ex peracto Samuelis sacrificio instructum, non enim in sacrificio, utpote publico coram senioribus, sed in prandio coram Isai et fratribus, Samuel secreto unxit Davidem in regem; ne Saul rem intelligeret et utrique, scilicet tam Samueli quam Davidi, necem machinaretur.

VIDIT ELIAB, ET AIT : NUM CORAM DOMINO EST CHRISTUS EJUS? — *q. d.* : Samuel Eliab primogenitum Isai stitit et obtulit Domino, eumque interrogavit : Hiccine est, Domine, quem elegisti in regem, ut jubeas eum a me ungi; itaque ipse fiat *Christus*, id est unctus Domini?

Vers. 7. 7. ET DIXIT DOMINUS AD SAMUELEM : NE RESPICIAS

VULTUM EJUS (virilem, grandem et elegantem), NEQUE ALTITUDINEM STATURÆ EJUS (uti Saul rex ab humero sursum eminebat toti populo), QUONIAM ABJECI EUM. — Hebraice מאסתיהו *meastihu*, id est *reprobavi eum*; Septuaginta, *quoniam contempsi eum*; Chaldæa, *elongavi*, scilicet a regno, *q. d.* Abjeci Eliab, licet primogenitum, pulchrum et procerum, ne sit rex. Ita S. Gregorius Abulensis, Hugo, Lyranus et Dionysius. Alii, *q. d. Abjeci eum*, id est *Christum meum*, quem scilicet a te ungi volo in regem; puta Davidem feci abjectum, id est juvenem et minimum natu inter filios Isai.

HOMO ENIM VIDET EA QUÆ PARENT, DOMINUS AUTEM INTUETUR COR. — Hebraice, *homo videt* (et videndo judicat) *secundum oculos* (juxta apparentiam externorum oculorum), *Deus autem videt* (et videndo judicat) *secundum cor*. Quare homines sæpe falluntur. « Oculi (enim) et vultus sæpe mentiuntur, » et indicant mentem sapientem vel probam, quæ insipiens est et improba. *Cor* autem, id est mens et voluntas mentiri et fallere nequit; quia aliud se esse quam revera sit fingere nequit. Deus ergo est *Cardiognostes*, id est cordis inspector, imo Dominus et possessor. Sensus est, quasi dicat : Deus videt cor Davidis melius esse corde Eliab; esto vultus et forma Eliab melior et grandior sit, quam vultus et forma Davidis : hac de causa non Eliab, sed Davidi regnum assignabit. Hinc Septuaginta vertunt, *quoniam homo videbit in faciem, Deus autem in cor*, puta arcana et intima cordis. Et Chaldæus, *quia filii hominis vident in oculis suis, et ante Dominum manifestæ sunt cogitationes cordis*.

Vers. 10. 10. ADDUXIT ITAQUE ISAI SEPTEM FILIOS SUOS. — Habuit ergo Isai, sive Jesse (hæc enim duo nomina apud Hebræos unum idemque sunt), universim octo filios. Nam David absens erat octavus. Dices : I *Paralip.* cap. III, cum Davide numerantur septem duntaxat filii Isai sive Jesse. Respondeo, ibi non omnes numerari, sed unum prætermitti ob causam nobis incognitam, forte eo quod octavus genitus sit ex concubina, vel uxore secundaria; sicut cap. XIV, vers. 49. Saulis filii numerantur tres, et omittitur quartus, scilicet Isboseth, de quo II *Reg.* cap. II.

Isai habuit octo filios.

Aliter Lyranus, Cajetanus et Dionysius; dicunt enim nomen tertii filii fuisse *Nathan*, sive *Jonathan*; eumque omitti, eo quod filius esset adoptivus, non naturalis. Verum de hac ejus adoptione nil uspiam legimus. Hinc liquet Samuelem revelasse Isai Dei consilium de eligendo uno ex filiis ejus in regem, eoque ungendo. Ideo enim Isai omnes filios ordine nativitatis adduxit ad Samuelem, ut videret quem ex eis unum Deus eligeret.

Vers. 11. 11. ADHUC RELIQUUS EST PARVULUS. — Vide hic quam diversa sint judicia Dei et hominum. Isai enim Davidem ut juvenem et minimum, ideoque oves pascentem parvi æstimabat, nec dignum conspectu Samuelis : unde eum non adduxit; Deus autem eum fratribus omnibus prætulit, regemque creavit. Unde S. Ambrosius, serm. 18 in *Psalm.* CXVIII : « Patris, ait, oves pascebat vili ablegatus obsequio, non est oblatus sacerdoti (Samueli), quasi indignus, qui ungeretur in regnum. »

Alia judicia Daliaei, hominum.

PARVULUS. — Hinc et magis ex cap. XVII, vers. 23, 42, 58, multi censent Davidem, cum unctus fuit in regem, ætate puerum exstitisse, imo pucrulum, ut ait S. Chrysostomus in *Psal.* L; sic et Josephus, Serarius et alii.

Ex adverso Hebræi in *Seder-Olam* cap. XIII, censent Davidem hoc tempore fuisse 29 annorum, eo quod putent Saulem duos duntaxat annos regnasse et vixisse : quo mortuo statim ei successit David, cum esset triginta annorum, ut dicitur II *Reg.* cap. V, vers. 4.

David unctus rex anno vigesimo.

Media sententia est verior, scilicet Davidem, cum unctus fuit, fuisse viginti circiter annorum. Hæc enim ætas apta est regno et media inter pueritiam et virilem ætatem. Probatur *primo*, quia David vers. 18 vocatur « fortissimus robore, vir bellicosus et prudens in verbis. » Ergo facile erat viginti annorum. *Secundo*, quia, ut dixi cap. præcedenti, Saul per inobedientiam parcendo Agag anno septimo regni sui, eo a Samuele privatus est; mox autem anno sequenti, puta octavo Saulis, pro eo jam rejecto unxit Davidem; Saul autem posthæc regnavit adhuc decem annis : universim enim regnavit 18 annis. Quare cum post decem annos mortuus sit Saul, eique in regnum succedens David, fuerit tunc triginta annorum; dicere oportet eum, hoc anno quo primum secreto unctus est, fuisse 20 annorum. Ita Abulensis, Dionysius, Salianus et alii. Adde quod Saul vers. 21, Davidem fecit suum armigerum; armigeri autem solent esse juvenes, non pueri.

Dices : Quomodo ergo David hic vocatur parvulus? Respondeo, quia respectu fratrum omnium erat parvulus, id est minimus natu, ideoque opilio. Unde pro *parvulus* hebraice est קטן *katan*, id est *parvus*, ut vertit Chaldæus. Hinc Septuaginta vertunt, *minor*, id est *minimus fratrum*. Sic Benjamin vocatur *parvulus*, id est natu minimus filiorum Jacob, *Genes.* cap. XLIII, vers. 29, cum tamen jam tunc genuisset decem filios, ut patet *Gen.* cap. XLVI, vers. 21.

Principes olim agricolæ et pastores.

ET PASCIT OVES. — Sic olim Patriarchæ et Principes fuere agricolæ et pastores ovium, et ex ovibus didicerunt pascere regereque homines. Tales fuere Adam, Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses. Tales quoque fuere Romani, de quibus Ovidius, lib. I *Fastor.* :

> Jura dabat populis posito modo Prætor aratro,
> Pascebatque suas ipse Senator oves.

Vide dicta cap. XI, vers. 5.

MITTE ET ADDUC EUM, NEC ENIM DISCUMBEMUS PRIUSQUAM HUC ILLE VENIAT. — Hinc patet ante prandium unctum fuisse Davidem, tum quia ante prandium res arduæ tractari solent; tum quia prophetæ zelosi, qualis erat Samuel, Dei præcepta

urgent, illaque illico ante res alias exsequuntur; tum quia, ut ait S. Gregorius : « In observatione jejunii celebranda sunt Sacramenta unctionis. » Unde et sancitum est ut non nisi jejuni sacrum chrisma in Confirmatione accipiant.

Vers. 12. 12. ERAT AUTEM RUFUS. — Hebraice אדמוני *admoni*, id est *rubicundus*, sanguineus, rufus, quasi esset alter *Adam*, ait Theodoretus, ideoque typus et figura Christi. Rufi enim sunt pulchri et sæpe insigni indole. Unde Cedrenus scribit Valentinianum Imperatorem habitum Davidi similem, eo quod rubicundus esset, rufis capillis, oculis cæsiis et pulchris. Rufus enim color accedit ad fulvum, qualis est leonis, qui fortitudine superat omnia animalia, eorumque est rex. Addit Aristoteles in *Physiognom.* cap. x : « Quibus color ruber est, acuti sunt; quoniam omnia quæ secundum corpus sunt, a motu calefacta rubescunt. »

Ruforum laus.

SURGE, UNGE EUM, IPSE EST ENIM — quem in regem elegi, et a te ungi volo. Porro S. Athanasius in *Vita S. Antonii*, ait Davidem a Samuele agnitum fuisse ex lætitia vultus, æque ac ex eadem ab omnibus agnoscebatur Antonius inter mille Monachos : « Si quis enim ignarus ejus inter multitudinem Monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante cæteris prætermissis ad Antonium currebat, et animæ puritatem agnoscebat ex vultu, et per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquido ostendebat se de cœlestibus cogitare, sicut Scriptura ait : Corde lætante vultus floret, sed in mœrore continuo tristatur, » ait S. Athanasius. Sic Samuel, inquit, agnovit Davidem : « Lætificatos enim habebat oculos et dentes sicut lac candidos. »

David agnitus ex lætitia vultus.

David typus Christi.

Allegorice, David fuit typus Christi, qui fuit « rufus, ait S. Gregorius, quia lancea vulneratus; rufus, quia ex passione rubicundus. Unde et per prophetam ei dicitur : Quare rubrum est indumentum tuum? Rufus quippe exstitit, qui candorem tantæ innocentiæ pretiosi sanguinis rubore coloravit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia et resurgendo immortalitatis pulchritudinem induit, et mortales nos ex magna charitate respexit. » Et inferius : « Rufus ergo in sæculo fuit, pulcher in paradiso, decora facie perennis in cœlo; potest et omnis hæc trina pulchritudo in hac præsentis vitæ ejus conversatione cognosci. Rufus quippe exstitit, quia ferventer amavit eos pro quibus animam posuit : pulcher aspectu fuit, quia omnia novit; decora facie, quia omnia bona fecit. »

Vers. 13. 13. TULIT ERGO SAMUEL CORNU OLEI ET UNXIT EUM IN MEDIO FRATRUM EJUS. — « Non, ut ait Josephus, quasi in ipsius aurem insusurrarit Samuel; sed, ut fratres omnes unctionem viderent et intelligerent, idque ut pluris ipsum deinceps facerent, minoreque invidia laborarent, cum sibi eum præferri viderent, » ait Theodoretus, *Quæst.* XXXVII.

Ter unctus David.

Porro unctus est, non ut statim regnaret, sed ut Sauli morienti in regno succederet. Hinc patet patrem et fratres Davidis cognovisse eum a Samuele ungi in regem. Ita Abulensis, licet id neget Cajetanus. Ter unctus fuit David : *primo*, hic privatim; *secundo* publice, cum factus est rex tribus Juda; *tertio*, cum factus est rex omnium tribuum, II *Reg.* cap. II et V. In Græcis codicibus Psalterii additur psalmum CLI, qui de hac unctione agit, ubi David de se ita canit : « Parvus eram in fratribus meis, et junior in domo patris mei; pascebam oves patris mei, etc. Ipse emisit angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei, et unxit me oleo unctionis suæ. Fratres mei pulchri et magni; et non bene sensit in eis Dominus. » Tropologice S. Gregorius : « Cornu olei tollitur, ait, ut in excellenti liquore magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ. Oleo ungitur caput regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, ut increpando purget, et miserando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis oleum ad fomenta virtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut virtus Pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in unctione sua habet, si tam in virtute misericordiæ, quam charitatis et verbi perfectus est; plenum etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cujus omnis potestas per misericordiam dispensatur. » Et post plura : « Oleo quippe in medio aliorum ungitur, quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet ut hunc omnes aspiciant, et ab eo lucis exemplum sumant. » Et paucis interjectis : « Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum et medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, et vim dignitatis exerceat, quia unctus est; videat se medium, et communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut si humilis et sublimis, sublimis ordine, humilis æstimatione. In medio idem ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet, lucra aliorum quærat. Atque hic finit S. Gregorius suam expositionem moralem in lib. *Regum*.

Spiritus Domini in David quis? Resp. Primo.

ET DIRECTUS EST SPIRITUS DOMINI A DIE ILLA IN DAVID — Quæres, quis fuit hic spiritus? Respondeo *primo*, fuit spiritus fortitudinis tum animi, tum corporis, qui eum bellicosum et victoriosum effecit; unde post hanc unctionem David tam leonem et ursum, quam Goliath gigantem interfecit. Hinc Septuaginta vertunt, *insiliit in eum spiritus Domini*, sicut insiliit in Samsonem, irruitque, quoties is aliquod heroicum fortitudinis opus aggrediebatur. Ita Lyranus, Abulensis et Vatablus, qui vertit, *agitare eum cœpit spiritus Domini*; Chaldæus, *mansit spiritus fortitudinis a Deo super David*.

Secundo.

Secundo, fuit spiritus animi magni et regii. Sicut enim Deus, Saulem ab asinis vocans ad regnum, ei cor rusticanum mutavit in magnanimum et regium: sic jam eumdem spiritum a Saule transtulit in Davidem, ut qui prius non nisi de ovibus

pascendis cogitarat, jam de toto Israele gubernando et propugnando cogitaret : magnos ergo novosque animos, novos spiritus, novas cogitationes, nova consilia, nova desideria et vota illa indidit; hoc enim significat hebraice תצלח *tislach.*

Tertio. *Tertio,* fuit spiritus Poeticæ et Musicæ, puta psallendi psalmosque dictandi et canendi : nam ab unctione cœpit psallere et psalmos componere. Ita Abulensis, Dionysius et alii.

Quarto. *Quarto,* fuit spiritus prudentiæ, ut in omnibus dictis factisque mire esset prudens, discretus, providus, illaque non se suamque familiam duntaxat, sed et totum regnum sapientissime gubernaret. Unde eamdem a Deo postulavit et obtinuit Salomon Davidis filius, III *Reg.* cap. III, vers. 12. Denique Hebraice *tislach,* quod Noster vertit, *directus est,* cum Marino et aliis vertas, *prosperavit,* fortunavit, ad felicem effectum direxit; ut scilicet David omnia prudenter et feliciter conficeret, ac ad optatum finem perduceret.

Quinto. *Quinto,* fuit spiritus prophetiæ : David enim fuit propheta, ac in Psalmis non tantum psallit, sed et prophetat de Christo, Christique vita, morte, Apostolis, Ecclesia, etc. Ita S. Hieronymus, Josephus et alii.

Spiritus Domini mansit in Davide. Porro spiritus hic non pertransiit, sed constanter mansit in David, saltem quoad aliquas ejus operationes. Hoc enim significat τὸ *a die illa et deinceps.* Ita S. Gregorius.

Subita Davidis mutatio. Subito ergo David per unctionem Dei et Samuelis hic ex abjecto pastorculo ovium, factus est rex fortissimus et prudentissimus, ac Psaltes et propheta divinus : nam si antea aliquid horum habuisset, utique pater et fratres eum non ita abjecissent ad oves, sed pluris fecissent.

Etymon Davidis. IN DAVID. — David ab amore nominatus est quasi *amabilis.* David enim Hebraice idem est quod דוד *dod,* id est, *dilectus,* vel *amor et dilectio,* juxta illud *Cant.* I : « Meliores sunt amores tui (Hebraice דדיך *dodecha*) vino. » Hinc et Salomon filius ejus idem nomen a Deo accepit, vocatusque est *Iedidia,* id est, « amabilis Domino, » II *Reg.* cap. XII, vers. 25. Porro S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faust.* cap. LXXXVII, et in *Psal.* XXXIV : « David, ait, idem est quod manu fortis vel desiderabilis, » ut *David* dicatur quasi די יד *dai iad,* id est, *sufficiens* (hoc est, validus, potens) *manu.*

Audi S. Chrysostomum, homilia *De David et Goliath,* Davidem cum Saule conferentem et præferentem : « Inveni mihi David, virum secundum cor meum, qui faciet omnem voluntatem meam. O beatum David sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, judex præfert summus! Dum enim David sanctissimus, homo est secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concipit, perficit. Dum enim, inquam, David cordi Dei cor proprium jungit, et menti ejus mentem suam annectit; hoc est; ut quæ vult Deus, velit; et quæ non vult, similiter nolit; sic eum Dominus individuo amore et conjuncta charitate dilexit. » Et paucis interjectis : « Hic ab ovibus ad regnum deligitur, ille a regno ad gladium destinatur. Hunc sancta vita promovit, illum mandatorum despectio reprobavit. David adhuc pastor debellat leonem, interficit ursum; Saul, contemnendo Dominum, malum in se provocat spiritum. Regnat David sanctissimus, sed latenter : Saul reprobus efficitur evidenter. Hic jam rex est, ille putatur; hic jam obtinet, ille tantummodo dicitur; hic occultam possidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem; a Deo David Sancto Spiritu inundatur. Saul vero Spiritu isto deseritur. Denique Saul David persequitur innocentem, David vero traditum sibi, illæsum exhibet peccatorem; ut et in David Spiritus Sanctus mitesceret, et in Saule malus spiritus in innocentem sæviret, ut vitæ diversitas, diversa jam merita demonstraret, et causæ istæ hominibus deputarentur non Deo, qui male vel bene gerentibus regnum, aut tollerent, aut conferrent. »

Spiritus agitans Saulem quis? Resp. Primo. SPIRITUS AUTEM DOMINI RECESSIT A SAUL, — puta spiritus fortitudinis, bonitatis, prudentiæ, magnanimitatis, animi liberalis et regii, etc., « recessit a Saul, » ac recidit ipse in primævam suam animi pravitatem, dejectionem, imprudentiam, vilitatem, pusillanimitatem : unde qui prius in bellis erat acer et victor, deinceps exstitit imbellis, ignavus, iners, nec quidquam præclare gessit.

ET EXAGITABAT EUM SPIRITUS NEQUAM A DOMINO. — Quæres, quis fuit hic « spiritus nequam exagitans Saulem? » *Primo,* Hebræus, Josephus, Cajetanus, Genebrardus in *Chron.* anno mundi 3066, Delrio, lib. III *Magic.* cap. IV, censent fuisse atram bilem, sive melancholiam et maniam, quæ Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, invidias, mœrores, anxietates, desperationes, furores, deliria, amentias : hæc enim concepit, ex eo quod vidit se a Deo rejectum et a Samuele regno privatum. *Primo* probatur, quia Septuaginta vertunt, *suffocabat eum spiritus malus;* Chaldæus, *terruit eum;* Vatablus, *turbavit eum. Secundo,* quia a Josepho spiritus hic vocatur « perturbatio et morbus a dæmone inflictus, qui suffocationes et strangulationes illi creabat. » *Tertio,* quia hoc spiritu agitatus invidit Davidi successionem in regnum, ideoque eum voluit occidere, cap. XVIII, vers. 19. *Quarto,* quia morbus hic Saulis levabatur per musicam Davidis pulsantis citharam, quia scilicet musica exhilarat, itaque fugat tristitiam.

Melancholicorum mira phantasmata quomodo curentur? Porro, quam malignus sit humor melancholicus docent Galenus, Fernelius et Levinus Lemnius medicus, lib. *De Complexionibus,* sub finem, pag. 162, ubi mira melancholicorum phantasmata et curationes recenset. « Primus enim, ait, sibi persuaserat nasum sibi excrevisse instar proboscidis elephantis. Medicus farcimen naribus ejus admovit, illudque et tandem ultimam nasi

pelliculam cultro abscidit: itaque imaginarium illi nasum avulsit. *Secundus* credebat ranas et bufones intestina sua perterebrare. Medicus clystere per alvum eum purgavit, ac excrementa pelvi excipiens, in eamdem ranas et bufones conjecit. En, inquit, ranæ et bufones ventris tui: scito te jam iis liberatum, itaque phantasma hoc suum illi excussit. *Tertius* imaginabatur sibi femora esse ex vitro; quare nec sedere, nec quid tangere audebat, ne illa collisa dissilirent. *Quartus* opinabatur se esse mortuum, ideoque cibum sumere nolebat: jamque ad septem dies jejunus persistebat (diem autem septimum inediæ medici lethalem autumant) medicus personatos quosdam linteaminibus obvolutos in ejus cubiculum immisit, qui se dicerent mortuos, et tamen coram eo laute epularentur. Invitatus ille et voce epulantium, et nidore deliciarum, cœpit gustare et tandem comedere affluentius: peracta autem cœna somnus illi salutaris obrepsit, in eum usum confecto liquamine; itaque ad vitam et mentem rediit. » Hic sensus verus est; sed hoc loco non sufficit.

Secundo. *Secundo*, alii censent fuisse angelum bonum, a Deo Sauli immissum, ad eum affligendum, ut justas ab eo inobedientiæ pœnas exigeret.

Tertio. *Tertio* et verius, alii censent fuisse diabolum, qui non tantum exterius vexavit Saulem, uti vexavit S. Job; sed etiam interius eum possederit, eumque diris phantasmatibus, tristitiis, mœroribus, anxietatibus, doloribus afflixerit, et per vices exagitarit; hic enim proprie est et vocatur « spiritus nequam: » ab eo ergo possessus fuit Saul, factusque energumenus et dæmoniacus, ita ut per vices ab eo exagitatus deliraret, insaniret, fureret, uti audiemus cap. seq. vers. 10 et seq. Ita censent Josephus, Rupertus, Isidorus, Eucherius, Lyranus, Hugo, Abulensis, Dionysius, Vatablus, Serarius, Sanchez hic, et S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. VI, ac Theodoretus hic *Quæst.* XXXVIII: « Cum divinus, inquit, recessisset spiritus, locum est sortitus malignus spiritus; sic cum Apostolica gratia Judam reliquisset, in eum ingressus est diabolus. »

Porro, *spiritus* hic vocatur *Domini*, quia a Deo Sauli fuit immissus vel permissus ad castiganda ejus peccata. Sic Paulus, II *Corinth.* II, fornicarium tradidit Satanæ. Audi S. Gregorium: « Ideo idem spiritus et Domini appellatur, et malus: Domini, per licentiam justæ potestatis; malus, per desiderium injustæ potestatis. » Hæc enim potestas, ex parte Dei punientis Saulem per diabolum, erat justa; ex parte vero diaboli tyranni et tyrannice Saulem excruciantis, erat injusta. Diabolus autem in Saulem nil poterat, nisi potestate a Deo accepta, qui illam limitarat, ut tantum et non amplius eum affligere posset, uti fecit in S. Job.

Vers. 16. 16. PSALLAT MANU SUA, ET LEVIUS FERAS. — Quomodo psallendo fugetur dæmon dicam vers. 23.

18. FORTISSIMUM ROBORE ET VIRUM BELLICOSUM.— Vers. 18. Rabbini apud S. Hieronymum in *Quæst.* et Lyranum censent Doeg Idumæum, infensum Davidi, hoc dixisse et finxisse, scilicet hostiliter Davidem laudasse, ut illi, dum ante furentem Saulem staret, vitæ periculum crearet; sed necdum Davidis virtus et fama adeo increbuerat, ut eum nosse et odisse posset Doeg. Hinc ergo patet Davidem, accepto in unctione sua spiritu fortitudinis, illico fortitudinem suam eximiam exeruisse ad intuentium stuporem, ac insignia quædam fortitudinis bellicæ opera edidisse: quæ qui viderunt, ad Saulem detulerunt, eique Davidem commendarunt.

19. QUI EST IN PASCUIS. — Vide hic modestiam Davidis, qui licet jam unctus esset in regem, ac destinatus Saulis successor, tamen illico rediit ad oves suas, factusque est opilio, æque ac Saul unctus licet in regem, rediit tamen ad suos boves et aratra, cap. XI, 5. Vers. 19.

23. DAVID TOLLEBAT CITHARAM ET PERCUTIEBAT MANU SUA, ET REFOCILLABATUR SAUL, ET LEVIUS HABEBAT; — quia scilicet exhilarabatur musica, itaque minuebatur ejus melancholia, indeque sequentes angores et pravæ animæ passiones. Ad has enim mitigandas vel pellendas mire valet musica. Cassiodorus, lib. II *Variarum*, cap. XL: « Musica, inquit, tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum. » Vers. 23.

Musica excitat animi affectus. S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. XXXIII, asserit: « Omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere proprios modos in voce et cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur. »

Quin et Seneca ex Pythagora, lib. III *De Ira*, cap. IX: « Pythagoras, inquit, perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos et tubas concitamenta esse; sicut quosdam cantus, blandimenta quibus mens resolvatur? »

Asclepiades medicus *πάθη*, id est, passiones morbosque animi musica lenire ac sedare consuevit. Timotheus excellens fidicen, fides pulsando Alexandrum Magnum ita concitabat, ut ad arma procurreret. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XVII. « Græcorum civitates, ait Marianus Capella, sanxerunt ut animorum corporumque morbi ad lyræ modulos curarentur. Unde qui ægris remedia præstabant, olim dicebantur præcinere, inquit Macrobius, et Xenocrates lymphatos carminum modulis a dementia liberavit. Paracelsus ait ischiadicorum dolores lenibus tibiarum Phrygiæ modulis sedari, tibicinemque modulate canentem viperarum morsibus mederi. »

Atque ut cætera sileam, illud quod Saulis per citharæ pulsum curationi affine est commemo-

Stupor ex tarantulæ morsu musica curatur.

rabo. Experientia continua et quotidiana Italos præsertim in Apulia docuit et docet eos quos momordit tarantula et stupefecit, ut lethargo correpti somnum lethalem dormiant, ni evigilent, nulla medicorum arte excitari posse, nisi carmine modulato, quod in varios numeros et harmoniam flectunt, donec illam inveniant, quæ morbo et stupori huic, quasi medela respondeat; illi deinde canendo insistunt; excitatur æger in vigilium et tripudium; saltu sudorem elicit, itaque venenum omne dispellit, ac sibi mentique et sanitati restituitur. Miraculum hoc musicæ et carminis quis non admiretur?

David cithara pellit dæmonem, qua vi? Resp. Primo.

Sed quid potuit musica et cithara Davidis in dæmonem agitantem Saulem? Respondent Platonici, ac eos secuti Cajetanus in cap. II *ad Ephes.*, Augustinus Niphus, lib. III *De Dæmon.* cap. V et seq., Eugubinus, libro VIII *De perenni Phil.* cap. XXVI, dæmones habere corpus aliquod subtile, ideoque musicam audire, eaque commoveri. Verum hic jam est error. Certum est enim Angelos ac dæmones esse plane incorporeos, ac puros merosque spiritus.

Secundo.

Secundo, aliqui censent Deum posse subjicere, imo de facto subinde subjicere dæmones nonnullis rebus corporeis, v. g. melodiæ, fumo jecoris, *Tob.* cap. VI, hyperico, rosmarino, etc. Ita Levinus Lemnius et Franciscus Valesius, *Sacræ Philos.* cap. XXVIII: « Jecori piscis Tobiæ, inquit, virtus supernaturalis tributa est, illuminandi oculos Tobiæ; uti igni inferni tributa est vis torquendi dæmones, et aquæ benedictæ data est vis eosdem fugandi, et animam a culpis abluendi. » Addit Valesius, aitque: « Dicunt exorcistæ nonnulli pelli dæmones suffitu cornu cervini, et cujusvis stercoris præsertim humani, item ruta et hyperico: duobus prioribus, eo quod se contemni non ferat dæmon utpote superbissimus. Ego vero, inquit ipse, eos venisse in hanc opinionem puto, eo quod medici omnes testentur illarum rerum suffitu epilepsiam manifestari. Statim ergo ut epilepticus illarum suffitum sentit, epilepsiæ paroxysmo membrorumque omnium agitatione et jactatione corripitur, aut si ejus paroxysmo jam laborat, ingravescit: exorcistæ vero illi hoc dæmoni tribuunt eumque visitari autumant. Rutam vero et hypericum salutares esse epilepsiæ curandæ, patet ex eo quod flatus abigant, qui cerebrum epilepticorum agitant. » Verum licet certum sit Deum posse subjicere dæmones rei corporeæ, ut musicæ; tamen incertum est an de facto eos illi subjecerit.

Tertio.

Tertio ergo, verius est Davidem psallendo fugasse dæmonem Saulis vi partim naturali, partim supernaturali: naturali, quia musica exhilarat, itaque pellit melancholiam, qua dæmon utebatur ad Saulem cruciandum. Nullus enim humor magis quam hic opportunus est diabolo, ut homines vexet, tentet, incitetque ad mœrorem, invidiam, iram, desperationem. Quare dæmon, qui agit per causas naturales, maxime utitur humore melancholico ad homines adigendum in angores, scrupulos, diffidentias, dissensiones, aversiones, odia, rixas, cædes, etc. Talis fuit lunaticus ille a Christo curatus, qui cum luna crescente melancholia et mania magis agitabatur a dæmone, *Matth.* XVII, 14.

Hinc Franciscus Valesius, *Sacræ Philos.* XXVIII: « Dæmones, ait, melancholicos invadunt, aut melancholicos morbos hominibus inferunt, quia melancholicus succus maxime omnium paratus est hominem in insaniam et desperationem adigere: quod maxime nequam illi spiritus exoptant. Humor enim melancholicus cor deprimit, gravat, contristat, ac cerebrum atra fuligine, quasi caligine obnubilat; ut per eam omnia atra, tristia, noxia, inimica, horrida videantur. » Quocirca, qui tentationes diaboli evadere cupit, caveat a melancholia; si a natura vel casu tristitiam habet, contra eam pugnet, omnibusque ejus imaginationibus et suggestionibus, viriliter et constanter resistat, v. g. cum suspiciones, timores, angores, scrupulos ingerit, dicat: Non credo vobis; vos enim proceditis a meo hoste, scilicet a dæmone et melancholia: falsa sunt, inepta, stulta, quæ mihi repræsentatis; contraria ergo, quæ vera sunt, apta et prudentia amplectar. Sic enim dicimus illi qui, laborans vertigine, putat omnia verti et gyrare: falleris, amice, nihil gyratur nisi tuum cerebrum; ejusque vertigine quæ te gyrat, fit ut omnia quæ quiescunt, tibi gyris agitato gyrari videantur. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, aiebat, « nihil efficacius esse ad vincendos dæmones, quam lætitiam spiritualem. » Et S. Jacobus, *epistola* cap. V, 3: « Tristatur aliquis vestrum? oret: Æquo animo est? psallat. » Hac de causa in officio divino utitur Ecclesia cantu et musica, ut fideles excitet ad devotionem, alacritatem, lætitiam, quibus Deo serviant, diabolo resistant, et ad omne opus virtutis alacres procedant. Id in se expertus S. Augustinus, initio conversionis suæ, sic ait libro IX *Confes.* cap. VI: « Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. »

Et S. Basilius in *Proœmio Psalmorum*: « Psalmus, inquit, est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum: Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus et ornamentum, senum solamen. Denique mundus est mulieribus exornandis appositissimus. » Et nonnullis interjectis: « Psalmus est animarum tranquillitas, arbiter ineundæ pacis, cujus annutu exundantes ac tumultuariæ cogitationes se contrahunt et conquiescunt, etc. Psalmus est opus

Angelorum, spirituale thymiama.» Atque ut alios plures præteream, S. Ambrosius, *Præfat. in Psal.*: « Psalmus, inquit, benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio. Iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, mœrorem allevat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ : citharæ modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus psalmum resultat, psalmum resonat occasus. »

Hac de causa Elisæus, parans se ad excipiendam a Deo prophetiam, jussit adduci psalten, ut ejus psalmodia mens sua in Deum elevaretur, aptareturque ad illuminationem divinam, lib. IV *Regum* III.

Vis ergo naturalis musices et citharæ Davidis, leniens melancholiam Saulis, consistebat in duobus : *primo*, quod diverteret ejus phantasiam a tristium rerum cogitatione, ad attendendum lætis musices sonis et canticis; *secundo*, quod ipsa voluptas cantus eum exhilararet, itaque melancholiam abigeret vel minueret. Ita Lyranus, Abulensis, Valesius, Sanchez, Serarius et alii.

Vis supernaturalis citharæ.

Verum potior vis hujus citharæ erat supernaturalis, nimirum quod David citharæ pulsu mentem suam excitabat (æque ac fecit Elisæus, ut dixi), ut ferventius oraret Deum pro Saulis salute : unde Deus eum exaudiens, ob Davidis ferventes preces et merita abigebat dæmonem a Saule, et Saulem sibi mentique restituebat. Ita Josephus (qui addit Davidem citharizando psalmos recitasse), Theodoretus, Lyranus, Abulensis, Serarius. Simili modo S. Franciscus Senensium animos in mutua odia a dæmone excitatos, per canticum solis (quod recensui *Eccles.* XLIII, vers. 2) sedavit et ad pristinam concordiam redegit.

Cithara typus crucis Christi.

Allegorice, cithara repræsentat crucem Christi; sicut enim chordæ in cithara distenduntur, sic Christus distensus fuit in cruce. Audi Angelomum : « Non enim illius tanta virtus erat, sed mysterium crucis Christi per lignum extensione nervorum mystice gerebatur, in qua etiam passio cantabatur. » Sic et Prosper, parte II *Prædic.* cap. XXV. Imo Angelomus, Eucherius et Beda censent malum spiritum pulsum a Saule virtute crucis Christi futuræ, cujus typus erat cithara Davidis : sicut Hebræi liberati sunt ab Angelo percutiente et Ægypto per sanguinem Agni Paschalis, qui erat typus sanguinis Christi in cruce immolandi.

Hinc S. Augustinus, serm. 3 *De Tempore*, docet citharam repræsentare carnem Christi. Audi eum : « Adhuc citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur : ars, manus et chorda; et tamen unus sonus auditur : ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat quod audiatur, nec ars nec manus sonum reddunt; sed ea cum chorda pariter operantur : sic nec Pater nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem; et tamen cum Filio pariter operantur : sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accipit; operatio in tribus constat, sed quoniam ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. »

Idem Augustinus *in Psal.* XXXVI, ad illa : *Exsurge psalterium et cithara* : « In psalterio, ait, chordæ desuper sonum accipiunt, in cithara autem ex inferiore parte; sic per carnem suam duo genera factorum operatus est miracula et passiones. Miracula desuper fuerunt; passiones de inferiori fuerunt : illa enim quæ fecit miracula, divina fuerunt, sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo divina operans, psalterium est : caro humana patiens cithara est. Sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui; iste est sonus psalterii. Sonet et cithara, esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. »

Hinc et sancti, qui vel martyrium subierunt, vel carnem mortificarunt cum vitiis crucifixerunt, citharizant Deo in citharis suis, *Apoc.* XIV, 2. Vide ibi dicta.

Symbolice, Rupertus per citharam accipit dulcedinem prædicationis Evangelii : hæc enim sua suavitate ad se rapuit omnes gentes. « Movit Amphion lapides canendo : » multo magis saxea corda fregit Christus prædicando.

Tropologice citharæ.

Tropologice, spiritualis cithara est sermo lenis et blandus; item docta et pia concio vel exhortatio : adhæc psalmodia et oratio, quibus leniuntur et flectuntur ad pietatem duræ, superbæ, iratæ et avaræ hominum mentes, juxta illud *Prov.* XV, 1 et 4 : « Responsio mollis frangit iram, lingua placabilis, lignum vitæ. » Vir mansuetus medicus est cordis. Et *Eccli.* VI, 5 : « Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. » Sic de Judæis Christum audientibus ait Lucas, cap. IV, vers. 22 : « Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. » Ita Angelomus : « Cum sensus potentium, ait, per elationem in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentis, locutionis nostræ tranquillitate, quasi dulcedine citharæ revocetur. » Idem iisdem verbis habet Eucherius.

Denique qui tam in adversis, quam prosperis Deum laudat, eique gratias agit, hic Deo et hominibus citharizat. Audi S. Augustinum *in Psal.* XXII : « Confitere Domino in cithara : sive tibi abundet aliquid, gratias age illi, qui dedit; sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, chithariza securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, chithariza securus, certus

in Deo tuo, tange chordas in corde tuo, et dic tanquam in cithara in inferiore parte bene sonante : Dominus dedit, Dominus abtulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. »

Saul liberatus a dæmone per citharam Davidis.

RECEDEBAT ENIM AB EO SPIRITUS MALUS. — Videtur ergo dæmon, qui prius ad pulsum citharæ Davidis remiserat de sua sævitia vexandi Saulem, eodem pulsu sæpius iterato et continuato tandem plane victus, a Saule recessisse. Pro *recedebat* enim Hebræa et Græca habent, *recessit*, ideoque Saul jam sanatus Davidem ad patrem Jesse domum remisit. Unde cap. sequenti Saul Davidem ad se redeuntem non agnovit; sed parta a Davide contra Goliath victoria, audiens populum illi acclamare : « Percussit Saul mille, et David decem millia; » invidia et odio in eum exardescens, rursum a dæmone agitari cœpit, ut patet cap. XVIII, 10; nec deinceps ab eo liberatus legitur, quia Davidem, quasi æmulum, ejusque citharam amplius non ferebat.

Sed postea iterum possessus.

Porro David, a Saule dimissus, ad patrem et oves suas rediit; non eo quod immineret bellum Sauli a Philistæis, ut ait Josephus et Abulensis, sed quia Saul jam curatus Davide non egebat, ac David magis caulam quam aulam, id est vitam privatam quam aulicam, diligebat. Tunc vero, ait Chrysostomus, hom. *in Psal.* L : « David adolescens, civitates quidem ac turbas aufugiens, per eremum vero philosophatus nihil commune sæcularium habens, non negotiationes, non fenerationes, non aliquid difficile mundi hujus, sed et parva ætate in deserto silentii habitabat; et sicut in portu tranquillo, in eremo sedens et ovium curam habens, regnum cœleste meditabatur : ac non robore corporis, sed virtute fidei ursos et leones gregem suum invadentes occidebat, » ut ipse ait cap. seq. vers. 35 et 36.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duellum Davidis cum Goliath, in quo David eum funda, vers. 49, *prostravit, et gladio proprio caput amputavit. Unde fugiunt, vers.* 52, *Philistæi, ac cædunt eos insequentes Hebræi. Denique, vers.* 57, *Abner Davidem triumphantem et manu gestantem caput Goliath ad Saulem deducit.*

1. Congregantes autem Philistiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ; et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim. 2. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philistiim. 3. Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi; 5. et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamata induebatur. Porro pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris erat; 6. et ocreas æreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus. 7. Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium; ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri, et armiger ejus antecedebat eum. 8. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis : Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philistæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen : 9. si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi; si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis et servietis nobis. 10. Et aiebat Philistæus : Ego exprobravi agminibus Israel hodie. Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. 11. Audiens autem Saul, et omnes Israelitæ, sermones Philistæi hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. 12. David autem erat filius viri Ephratæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros. 13. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium, et nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma. 14. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem, 15. abiit David et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. 16. Procedebat vero Philistæus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus. 17. Dixit

autem Isai ad David filium suum : Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, 18. et decem formellas casei has deferes ad tribunum, et fratres tuos visitabis, si recte agant ; et cum quibus ordinati sunt, disce : 19. Saul autem, et illi, et omnes filii Israel in valle Terebinthi pugnabant adversum Philistiim. 20. Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi ; et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai ; et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. 21. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philistiim ex adverso fuerant præparati. 22. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philistæus, de Geth, de castris Philistinorum ; et loquente eo hæc eadem verba audivit David. 24. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde. 25. Et dixit unus quispiam de Israel : Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel. 26. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens : Quid dabitur viro qui percusserit Philistæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philistæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis? 27. Referebat autem ei populus eumdem sermonem dicens : Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. 28. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait : Quare venisti, et quare derelequisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui ; quia ut videres prælium, descendisti. 29. Et dixit David : Quid feci? numquid non verbum est? 30. Et declinavit paululum ab eo ad alium ; dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31. Audita sunt autem verba quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul. 32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei : Non concidat cor cujusquam in eo ; ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philistæum. 33. Et ait Saul ad David : Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum ; quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34. Dixitque David ad Saul : Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis ; 35. et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum, et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus ; erit igitur et Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi ; quoniam quis est iste Philistæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? 37. Et ait David : Dominus qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi hujus. Dixit autem Saul ad David : Vade, et Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. 39. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere ; non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere, quia non usum habeo ; et deposuit ea, 40. et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus ; et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente ; et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philistæum. 41. Ibat autem Philistæus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger ejus ante ante eum. 42. Cumque inspexisset Philistæus et vidisset David, despexit eum ; erat enim adolescens rufus et pulcher aspectu. 43. Et dixit Philistæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? et maledixit Philistæus David in diis suis. 44. Dixitque ad David : Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ. 45. Dixit autem David ad Philistæum : Tu venis ad me

cum gladio, et hasta, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti 46. hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philistiim hodie volatilibus cœli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. 47. Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus; ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. 48. Cum ergo surrexisset Philistæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi. 49. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philistæum in fronte, et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram. 50. Prævaluitque David adversum Philistæum in funda et lapide, percussumque Philistæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, 51. cucurrit, et stetit super Philistæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua; et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philistiim quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52. Et consurgentes viri Israel et Juda vociferati sunt, et persecuti sunt Philistæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati de Philistiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. 53. Et revertentes filii Israel, postquam persecuti fuerant Philistæos, invaserunt castra eorum. 54. Assumens autem David caput Philistæi, attulit illud in Jerusalem; arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. 55. Eo autem tempore, quod viderat Saul David egredientem contra Philistæum, ait ad Abner principem militiæ : De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si novi. 56. Et ait rex : Interroga tu cujus filius sit iste puer. 57. Cumque regressus esset David, percusso Philistæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philistæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul : De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David : Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

Vers. 4. 4. ET EGRESSUS EST VIR SPURIUS. — Pro *spurius* Hebraice est בנים *benaim*, quod *primo* Vatablus, Pagninus, Marinus et Rabbini vertunt, *inter duas acies*, q. d. *intermedius*, sequester, duellio, qui scilicet inter duas acies Hebræorum et Philistinorum medium se interponeret, ac Hebræos provocaret ad duellum secum ineundum.

Secundo, alii *benaim* vertunt, *instar duorum;* Goliath enim tam magnitudine, quam robore par erat duobus. Unde Septuaginta vertunt : δυνατός, id est *potens*.

Tertio, recte Noster vertit, *spurius*, nam *benaim*, cum sit duale, ad verbum idem est quod, *inter duos*, scilicet patres conceptus, cujus scilicet pater est incertus; qui olim S. *P.* id est *sine patre*, scilicet *certo*, dicebatur: ideoque *spurius*, ait ex Plutarcho Sigonius in *Nomin. Romanis*. Quia enim furtivi fornicariorum amores solent esse vehementes et ardentes, idcirco totos se suaque in generatione effundunt, ac procreant gigantes et monstra. Hæc enim originis gigantum fuit causa, ut dixi *Genes.* VI. Audi S. Isidorum, lib. IX *Orig.* cap. V, hæc spurio etyma dantem : « Nothus dicitur, qui de patre nobili et matre ignobili gignitur, sicut ex concubina. Est autem hoc nomen græcum, et in latinitate deficit. Huic contrarius est spurius, qui de matre nobili et patre ignobili nascitur. Idem spurius patre incerto, matre vidua genitus : velut, tantum spurii filius, quia muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut ἀπο τοῦ σπόρου, hoc est seminis non patris nomine. Eosdem et favonios appellabant, quia quædam animalia favonio spiritu hausto concipere existimantur. Unde et ii qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius quam patrem sequuntur. Latine autem spurii, quasi extra puritatem, id est quasi immundi. »

Spurius ergo a απείρειν, id est *seminare* dicitur, eo quod e patre nil habeat nisi semen.

Porro Rabbini aiunt vel potius fingunt Goliath ex Orpha prognatum, Davidem ex Ruth. Idem asserit Philo in *Antiq. Biblicis;* sed hic est Pseudophilo et Prudentius in *Hammartig.* Vide dicta *Ruth.* cap. I.

Etymon Goliath. NOMINE GOLIATH. — *Goliath* hebraice idem est quod *captivitas, transmigratio, revolutio*, ait Pagninus. Apte : nam ipse, captus et cæsus a Davide, causa fuit quod Philistæi socii sui caperentur et cæderentur ab Hebræis, itaque victoria et imperium a Philistæis transmigraret et revolveretur ad Hæbreos, primos Philistæorum dominos.

ALTITUDINIS SEX CUBITORUM ET PALMI. — Erat enim de stirpe gigantum, ait Nazianzenus, *Orat.* 30, et Philastrius, *Hæresi* 39.

Vers. 5. 5. ET LORICA SQUAMATA INDUEBATUR. — Regia legunt, *hamata;* sed legendum cum Romano, Chal-

Lorica squamata, quæ?

dæo, Vatablo et Pagnino, *squamata,* id est squamis æreis operta et tecta, ait Vatablus. Septuaginta tamen vertunt, *hamata,* id est hamis, id est catenulis contexta, de qua Virgilius, lib. III *Æneid.* :

Loricam consertam hamis, auroque trilicem (1).

Porro, lib. I *Regum* XVII, 19, dicitur Adeodatus Bethlehemites percussisse Goliath Gethæum, « cujus hastile erat quasi liciatorium texentium. » Unde Chaldæus, Rabanus, Lyranus, Glossa et Rabbini per Adeodatum accipiunt Davidem, ut sit eadem historia et pugna cum hac quæ hoc capite describitur.

Adeodatus qui Goliath percussit, non fuit David.

Melius Josephus, Abulensis, Serarius et alii censent esse diversam, eo quod I *Paral.* XX, 6, Adeodatus dicatur percussisse fratrem Goliath : quare sicut David percussit Goliath, sic Adeodatus unus ex fortibus militibus Davidis percussit fratrem ejus qui pariter vocabatur *Goliath*, aut certe dicebatur Goliath, quia proceritate et robore, æque ac superbia et audacia similis erat Goliatho Davidis. Sic vulgo dicimus de viro forti : Iste est alter Samson, vel alter Hercules.

Vers. 7.

7. HASTILE AUTEM HASTÆ EJUS ERAT QUASI LICIATORIUM (Chaldæus et Vatablus, *quasi jugum*) TEXENTIUM. — *Licia* vocantur fila quibus in pannis textores implicant et intexunt stamina, idque circa lignum crassum, quod ab *iis liciatorium* dicitur vel *jugum,* eo quod textores telam illi jungant et circa illud convolvant. Unde Ovidius, lib. VI *Metamorph.* : « Tela jugo est juncta. »

Vers. 8.

Duellum aliquando licitum.

8. ELIGITE EX VOBIS VIRUM, ET DESCENDAT AD SINGULARE CERTAMEN. — Subinde licet bellum vertere in duellum, cum id publica auctoritate fit; ut unius cæde multorum strages redimantur. Sicut Romani bellum cum Albanis verterunt in duellum trium Horatiorum cum tribus Curiatiis, utrimque tergeminis fratribus. Vide Theologos de bello et duello disserentes. Verum Goliath hic inique et ex fastu duellum hoc ambivit, et ad illud singulos Hebræos provocavit, confisus sua proceritate, robore et armatura, putans neminem sibi posse æquari vel resistere : quare merito Deus ejus fastum stravit per Davidem; uti sæpe in duellis provocantes justo Dei vindicis judicio succumbunt et cæduntur. Sic Radislaus dux Curmiensis, injuste invadens Bohemiam, ejus regem S. Wenceslaum provocavit ad duellum; acceptavit illud rex sanctus, ut bellum duello et populi periculum suo unius redimeret. Dum ergo equum conscendit, vidit ejus adversarius illi ab Angelo hastam porrigi, se vero hac voce cœlesti moneri : « Noli ferire. » Quo viso perterritus, ex equo desiliit, ad pedes S. Wenceslai procidit, veniam petiit, quam ei rex mitis, ad parcendum quam ad ulciscendum pronior, illico indulsit. Ita habet ejus Vita et Æneas Sylvius, cap. XV *Bohemiæ*. Audi S. Ambrosium, libro I *Offic.* cap. XXXV : « Nunquam David nisi lacessitus bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam et adversus Goliam, immani mole corporis virum singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit. Virtus enim suis lacertis magis quam alienis integumentis nititur. Deinde eminus, quo gravius feriret ictu lapidis hostem interemit : postea nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. Ideo in omnibus victor prœliis usque ad summam senectam manu promptus, bello adversum Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis. »

Duellum S. Wenceslai Bohemiæ regis.

13. ABIERUNT AUTEM TRES FILII EJUS MAJORES POST SAUL IN PRÆLIUM.— Ergo Saul jam per Davidem citharizantem liberatus erat a spiritu malo : alioqui enim nec ivisset ad prælium, nec Davidem a se demisisset. Vers. 13.

17. ACCIPE FRATRIBUS TUIS EPHI POLENTÆ (1), etc. Vers. 17.

18. ET DECEM FORMELLAS CASEI,—id est, ut Chaldæus et Vatablus, *et decem caseos lactis;* ex lacte enim coagulantur casei in formas rotundas vel quadratas, quæ *formellæ* vocantur. Vers. 18.

Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197, qui est de Davide et Goliath, totum hoc caput et duellum explicat de Christo duellante cum diabolo : « Isai, inquit, gessit typum Dei Patris. Isai misit David ut requireret fratres suos; et Deus Pater misit unigenitum suum, ex cujus persona scriptum est : Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ad requirendos enim fratres suos venerat Christus, quando dicebat : Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel. » Et paulo post : « Venit ergo David cum tribus mensuris, et decem formellis casei, ut fratres suos in prælio positos visitaret; quia venturus erat Christus cum decalogo legis et mysterio Trinitatis, ut genus humanum de potestate Diaboli liberaret. »

ET CUM QUIBUS ORDINATI SUNT DISCE. — Hebraice ערבתם *arubbatam,* id est *mixtionem eorum accipe,* hoc est, cognosce cum quibus mixti et sociati sunt. Forte Noster pro ערבתם *arubbatam,* legit vicinum עכבתם *aruecatam,* id est *ordinem eorum.* Unde vertit, *cum quibus ordinati sunt disce;* Septuaginta, *quibus indigeant cognosce;* Chaldæus, *bonitatem eorum affer;* Pagninus, *pignus eorum tolle,* id est redime; Vatablus, *affer quædam diversi generis* (quasi mixta) *quæ illis tradas.*

20. ET VENIT AD LOCUM MAGALA. — Locus ita dictus quasi *Castrorum vallum* a circulari forma; עגול *agol* enim significat rotundum sive circulum; vel a curruum ambitu; hisce enim vallare solent castra, ac currus rotundis sive circularibus aguntur rotis. Unde Septuaginta vertunt, *et venit in rotunditatem;* Chaldæus, *venit in castra;* Vatablus, *venit in vallum castrorum.* Vers. 20.

(1) Loricæ squamatæ Goliath pondus erat centum et viginti librarum, unaquæque sexdecim uncias habens.

(1) Ephi erat mensura continens triginta lagenas, et polenta efficiebatur farina hordeacea cocta et fracta, et lacte aquæ mixto condita.

Vers. 26. 26. QUIS ENIM EST HIC PHILISTÆUS INCIRCUMCISUS, QUI EXPROBRAVIT ACIES DEI VIVENTIS? — Ecce jam spiritu Dei impellente David parturit monomachiam cum Golia, ut honorem tum Dei, tum Israelis tueatur. Unde S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 17 : « David, ait, perterritis omnibus, allophyli impetum lusit, et singulari certamine summam belli et totius prælii pondus excepit, virtute sua solus commune crimen refellens et totius retorquens in hostem plebis opprobrium. » Et *serm.* 18, docet Davidem hic prælusisse Christo : « Gerebat enim typum ejus, inquit, qui quasi despectus venturus esset in terras, et sine legato, sine adjutore, sine nuntio totum populum mundi hujus crucis suæ prælio liberaret; cui applauderent animæ sanctorum per baptismatis Sacramenta renovatæ, quod verum illum Goliam revelatum nobis ac proditum, verbi sui gladio trucidasset. Jacet igitur verus Golias humilitate Filii Dei stratus; amisit caput quod in multas artes vertebat et fraudes. Psallunt securæ jam animæ, quæ ante peccatorum suorum tormenta deflebant. Dicunt tympanis, hoc est corporibus suis peccato mortuis resultantes : Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus. Rex ille durus indignatur, et irascitur diabolus, eo quod canerent juvenculæ, quia duritiæ filius paucos decepit, Christus totum mundum redemit. »

Vers. 28. 28. QUOD CUM AUDISSET ELIAB FRATER EJUS MAJOR, etc., IRATUS EST CONTRA DAVID, etc., — vel ex prudentia humana arguens Davidis juvenis curiositatem, superbiam et temeritatem, quasi qui monomachiam cum gigante ambiret; vel idipsum faciens ex quadam æmulatione vel invidiola, ait Theodoretus. Unde allegorice S. Augustinus, *sermone* 197 jam citato : « Frater iste senior, inquit, qui David typum Christi gerentem per malitiam increpavit, significavit populum Judæorum, qui per invidiam Christo Domino, qui pro salute humani generis venerat, detraxerunt, et multis frequenter injuriis affecerunt. Quare, inquit, dimisisti oves illas et venisti ad prælium? quasi non tibi videtur per os ejus saluti hominum invidens diabolus loqui : tanquam si diceret Christo : Quare dimisisti nonaginta et novem oves quæ non erraverant, et venisti ut unam requireres quæ perierat, et eam de manu spiritalis Goliæ, id est, de potestate diaboli per crucis baculum liberatam ad ovile proprium revocares. Quare, inquit, dimisisti oves paucas illas? »

Vers. 29. 29. NUMQUID NON VERBUM EST? — *q. d.* Non quæro bellare, uti me videris arguere quod ea de causa oves deseruerim, sed tantum sermocinor de communi rumore et loquela, quæ in omnium ore circa hunc gigantem versatur. Ita S. Chrysostomus, homil. 46 *in Gen.* : « Vide, ait, hujus prudentiam et mansuetudinem. Nihil temerarium vel asperum iis loquitur, sed reprimens eorum flammam et demulcens invidiam, inquit : Numquid, inquit, vidistis me arma arripere? Numquid vidistis me adordinari cæteris in acie? Tantum videre volui et interrogare : Unde tantum huic insaniæ? »

Vers. 31. 31. AUDITA SUNT AUTEM VERBA QUÆ LOCUTUS EST DAVID, — inquirens de præmio vincentis Goliam; unde illa audientes cognoscebant ejus animositatem et desiderium duellandi cum Goliath illi a Deo immissum; ideoque rem totam annuntiaverunt Sauli, qui Davidem videns et audiens tanto animo ad duellum cum gigante se offerentem, agnovit in eo aliquid esse cœleste et divinum. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. *De Davide et Saule,* David non ex superbia vel temeritate, sed accensus zelo et patriæ charitate ad barbarum cucurrit.

Vers. 36. 36. NAM ET LEONEM ET URSUM INTERFECI. — Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197 : « David, id est Christus, tunc leonem et ursum strangulavit, quando ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit. Denique audi Prophetam ex persona Domini supplicantem : Erue a framea animam meam, et de manu canis unicam meam; libera me ex ore leonis. Et quia ursus in manu fortitudinem habet, et leo in ore, in istis duabus bestiis idem diabolus figuratus est. Hoc ergo ex persona Christi dictum est, ut unica ejus Ecclesia de manu, id est, de potestate, vel de ore diaboli tolleretur. »

Tropologice, Abbas Pæmen rogatus a quodam tentato spiritu fornicationis, ut daret sibi remedium, respondit illud David, I *Reg.* XVII : « Quia leonem quidem percutiebam, nam et ursum frequens suffocabam. Hoc autem ita intelligitur, quia furorem ab animo meo abscindebam, fornicationem autem in laboribus affligebam. » Ita Ruffinus in *Vitis Patrum*, lib. III, num. 16.

Vers. 38. 38. ET INDUIT SAUL DAVID VESTIMENTIS SUIS. — Videbat enim tantos Davidis animos non posse esse nisi a Deo; illum ergo a Deo agi ad hoc duellum censebat. Hinc patet Davidem procero fuisse corpore; alioqui enim proceri Saulis vestes et arma illi aptari nequivissent. Minus enim congruum est quod ait Lyranus, Serarius et alii, vestes has dici Saulis, non quod essent ipsius, sed quod ex vestiario ejus essent depromptæ. Pejus Rabbini fingunt Deum vestes Saulis adaptasse corpori Davidis. Fecit hoc Saul, ut Davidem honoraret et animaret ad duellum.

David fuit procerus corpore.

Vers. 40. 40. ET TULIT BACULUM SUUM, etc., ET ELEGIT SIBI QUINQUE LIMPIDISSIMOS LAPIDES DE TORRENTE, ET MISIT EOS IN PERAM PASTORALEM, — quali uti solent pastores, ut in ea reculas suas recondant. Minus apte ergo S. Chrysostomus, S. Augustinus et Rupertus pro *peram* vertunt *situlam*, sive *mulctram lactis*, in qua pastores solent mulgere lac ex ovibus. Ad quid enim *mulctra* in hoc duello?

ET PROCESSIT ADVERSUM PHILISTÆUM. — « David hominibus videbatur inermis, sed gladio divinitatis erat armatus, » ait S. Ambrosius, *serm.* 88.

Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197 : « David, inquit, gessit typum Christi. Quis enim contra

Goliath, id est, diabolum pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manufortis. Quid eo fortius, fratres, qui universum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno? Stabant ergo filii Israel contra adversarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora et quatuor partes orbis terræ, vitam præsentem significat, in qua contra Goliath et exercitum ejus, id est, contra diabolum et angelos Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen vincere posset, nisi verus David, Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. » Et post nonnulla : « Venit ergo Christus et alligavit diabolum. Sed dicit aliquis : Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur : alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille quem canis in catena positus mordet. Tu, te illi per voluntates et cupiditates sæculi noli conjungere, et ille ad te non præsumet accedere : latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum, sed petit. » Et mox : « David tulit baculum, Christus portat crucem. »

Tropologice S. Bernardus, sermone *in Dominicam* IV *post Pentecosten*, per quinque lapides Davidis accipit quinque virtutes, quibus prosternimus Goliath, id est mentis elationem, nimirum comminationem pœnarum, promissionem præmiorum, dilectionem Dei, imitationem sanctorum, et orationem.

Hinc rursum S. Augustinus in *Psalm.* XXXIII, conc. 1 : « Quod David, ait, prostravit Goliam, Christus est, qui occidit diabolum. Quid est autem Christus, qui diabolum occidit? humilitas occidit superbiam. » Et mox : « Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad Deum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis : ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. »

Vers. 42. 42. DESPEXIT EUM : ERAT ENIM ADOLESCENS RUFUS ET PULCHER ASPECTU. — « Despexit » Goliath Davidem, quia ipse erat adolescens, ac pene inermis et pulcher. Despexit ergo ejus ætatem, arma et pulchritudinem. Æstimabat eum imbellem, eo quod esset tam pulcher. Bellicosi enim solent esse vultu martio et feroci, non eleganti et pulchro. Unde Isidorus Clarius : « Despexit, inquit, eum quod non esset vir bellicosus, et pugnis assuetus, nam cernebat eum juvenem rubicundum, et pulchro aspectu, quales Martiales homines esse non solent, quos radii solares et assidua defatigatio deformes reddunt. »

Hinc Tertullianus bellum Messiæ de quo dicitur *Psalm.* XLIV, vers. 4 : « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, » lib. IV *Contra Judæos*, cap. IX, probat fore spirituale, non corporale, eo quod præcessit vers. 3 : « Speciosus forma præ filiis hominum. » « Valde autem, ait Tertullianus, absurdum est, si quem ad bellum ense cingebat; ei de tempestivitate decoris et labiorum gratia blandiebatur. » Unde Seneca in *Hippolyto* : « Quam grata est, inquit, species torva viriliter. » Aristoteles in *Ethicis*, ait primam pulchritudinis partem esse, « ut corpus aptum sit ad ferendos labores; » additque requiri quamdam in « vultu ferociam, ut hostibus terribilis videatur, » qualem in Alexandro Magno fuisse docet Rhodiginus, lib. IX, cap. XXIV, qualem Cicero, lib. I *De Officiis*, vocat « dignitatem virilem, » ac talem in Davide fuisse; et cum ætate bellisque quæ assidue gessit crevisse non est dubium, ut patet ex hoc conflictu cum Goliath, et magis patebit ex sequentibus. « Præstantissima forma, ait Euripides, digna est imperio. » Sicut enim difformitas in Juliano Apostata, ut refert D. Gregorius Nazianzenus, *oratione* 4 contra illum, et in Caligula, Othone, Galba et similibus, ut refert Tranquillus, non obscure prodidit illos pessimos fore Imperatores, ita plane dignitas et liberalitas formæ eos optime imperaturos præmonstravit. Nam de Julio Cæsare : « Colore fuisse candido, teretibus membris, ore pleniore, vegetisque oculis; » de Augusto : « Forma fuisse eximia, et per omnes ætatis gradus venustissima; » de Tito Vespasiano : « Forma egregia, et cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ, » testatur Suetonius in eorum *Vitis*. Idem de Alexandro scribit Plutarchus. Polybius, lib. IV, laudat Philippum Macedoniæ regem, Alexandri parentem, ab specie atque egregio aspectu, addens non facile fuisse regem reperire pluribus naturæ dotibus ornatum. Et de Scipione Plutarchus in ejus Vita : « Erat, ait, Scipio animo aliisque virtutibus vehementer excellens, sed præstantiori etiam pulchritudine oris, totiusque corporis forma conspicuus, læta, atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam conciliandam. » Pacatus in *Panegyr. ad Theodosium* : « Augustissima, inquit, quæque species plurimum creditur habere e cœlo. » Et subdit : « Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium; illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret. »

Pulchritudo martia quæ?

Vers. 43. 43. NUMQUID CANIS EGO SUM? — quasi dicat, ait S. Chrysostomus, hom. 46 *in Genes.* : « Putasti te adhuc apud oves esse, et canes quosdam persequi; et ita contra me, quasi contra canem instru-

mentis illis instructus in pugnam venisti? statim experientia disces non tibi cum homine vulgari bellum esse. »

Goliath erat canis. Sed vere Goliath impudentia, infidelitate, spurcitia erat canis; ideoque ut canis lapide percussus est a Davide. Audi S. Paulinum, *Natali* 5:

> Ille gigas pueri funda pastoris obivit,
> Ut canis.

ET MALEDIXIT PHILISTÆUS DAVID IN DIIS SUIS, — dicendo, v. g. : Perdant te dii nostri, percutiat te noster Dagon. Porro David, ait Basilius Seleucianus, *orat.* 15, hinc animos et omen victoriæ capiebat, dicens : « Maledicam inimici linguam, victoriæ pignus teneo; » tum quia maledicos punire, tum quia deos Gentium humiliare solet Deus cum suis cultoribus.

Vers. 45. 45. DIXIT AUTEM DAVID AD PHILISTÆUM : TU VENIS AD ME CUM GLADIO ET HASTA ET CLYPEO, EGO AUTEM VENIO AD TE IN NOMINE DOMINI EXERCITUUM. — Hinc patet Davidem a Deo impulsum suscepisse hoc duellum; alioqui enim temere juvenis giganti, inermis armato, imbellis bellicoso se opposuisset. Ita Josephus, Theodoretus et alii. Deus ergo illi animos æque ac vires indidit, ac spem certam victoriæ. Unde subdit David :

Vers. 46. 46. ET DABIT TE DOMINUS IN MANU MEA, — *q. d.* Idcirco plane inermis tibi armato occurro, ut ostendam me uno Deo niti, et in eo omnem victoriæ spem reponere, quod scilicet ipse te adeo elatum mea manu percutiet et occidet. « Sic, sic, ait S. Augustinus, serm. 5 *De Verbis Apostoli*, aliter non, omnino aliter non prosternitur inimicus. Qui pugnat viribus suis, antequam pugnet ipse prosternitur. » Hæ voces Davidi inermi victoriam et regnum pepererunt. Unde Basilius Seleucianus, *orat.* 15, exclamat : « O plenas amoris divini voces, vel ante victoriam potitas victoria! O qui palam fecisti fidem ad pugnam armis non indigere! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! tales animas legere novit gratia : quare et cura gregis distentum vocavit ad regnum. »

Audi S. Chrysostomum, homil. *De Davide et Goliath* : « David dixit ad eum : Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo; tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace : tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exeretur; Dei est enim hæc pugna, Dei erit et ipsa victoria. »

Porro Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. X, Davidem Goliæ dixisse ait : « Tu me invadis hasta tua confisus, et thorace et gladio; mihi vero pro armatura Deus est, qui te ac tuum exercitum hodie nostris manibus deleturus est. » Nota τὸ *mihi vero pro armatura Deus est.* « Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? » *Rom.* cap. VIII.

Vers. 49. 49. PERCUSSIT PHILISTÆUM IN FRONTE : ET INFIXUS EST LAPIS IN FRONTE EJUS, ET CECIDIT IN FACIEM SUAM SUPER TERRAM. — Chaldæus, *percussit Philistæum super domum oculorum ejus, et infixus est lapis in domo oculorum ejus, et cecidit super nasum in terram.* Ergo Goliath galea sua texerat caput, sed non frontem, præsertim quia Davidem quasi inermem despiciebat; aut si eam texerat, tam valide David roboratus a Deo lapidem vibravit, ut galeam perfringeret.

David frontem Goliæ terebravit. Hinc patet *primo* Davidem fuisse insignem fundibularium : petiit autem frontem Goliæ, quia ea perfracta lædebat cerebrum Goliæ, a quo omnis spiritus, motus et sensus manat; itaque fecit eum quasi exanimem et stupidum in terram corruere. Patet *secundo* ictum hunc Davidis adeo fuisse validum, ut lapis frontem Goliæ terebraret et cerebrum feriret; inde enim quasi motu et sensu destitutus concidit. Ita Abulensis et Prudentius in *Psychomachia* :

> Trajectumque cavo terebravit vulnere frontem.

Tertio patet primo unius lapidis ictu Goliam corruisse. Minus ergo bene Glossa et Hugo censent Goliam ternis lapidibus et ictibus a Davide prostratum fuisse, ut trinam Christi a diabolo tentati repulsam et victoriam repræsentaret. Addit Chaldæus, Rabbini et Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiq. Biblicis,* Davidem lapidi quo percussit Goliath, inscripsisse nomen Dei et Patriarcharum. Verius Panthaleon Cartophylax Ecclesiæ Chonensis, hom. *De S. Michaele* (exstat apud Surium in festo S. Michaelis) asserit Archangelum Michaelem quasi præsidem Synagogæ et protectorem Israelis æque ac Davidis regis per eum percussisse Goliam.

Mystice S. Augustinus, serm. 197 *De Tempore* : « Videte, ait, fratres, ubi David Goliath percusserit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam et lapis ille de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Et inferius tropologiam afferens : « Quod vero, inquit, in fronte percussus est, hoc significat, quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando catechumenus in fronte signatur, spiritalis Goliath percutitur, et diabolus effugatur. »

Idem Augustinus, *homilia* 31 inter 50, in fine : « Golias, inquit, de viribus suis superbus, elatus, inflatus, primo totam victoriam universæ partis suæ in se uno constituit. Et quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente dejectus est. Evacuata est frons quæ habebat impudentiam superbiæ suæ : et vicit frons quæ habebat humilitatem crucis Christi. Propterea et nos signum ipsum crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus. » Ita S. Augustinus in ista homilia cujus titulus est : *De Monomachia Davidis et Goliæ.*

Tropologice duellum Davidis cum Golia repræ-

sentat luctam spiritus cum carne, qui scilicet carnem suam lapide austeritatis dejicit, et gladio mortificationis caput illi abscindit ne præsit, sed subsit. Unde S. Chrysostomus Goliath vocat « turrim carneam. » Rursum, subigit sibi frontem, quia in fronte animi indoles et passiones, ac præsertim superbia, impudentia et feritas cernitur. Unde Aristoteles lib. I *De Histor. anim.* cap. VIII : « Quibus, ait, frons magna est, sunt segnes, quibus parva, mobiles; quibus lata, mente moveri idonei; quibus rotunda, iracundi. » Eadem pene ad verbum habet Plinius, lib. XI, cap. LII, qui et cap. XXXVII, addit : « Frons et aliis (animalibus), sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. » Denique spiritus validus subigit sibi cerebrum sub fronte latens, quod est officina omnis pravæ cogitationis et concupiscentiæ.

Vers. 51. 51. ET TULIT GLADIUM EJUS, etc., PRÆCIDITQUE CAPUT EJUS. — David ergo Goliam suo ipsius gladio peremit. Eo gloriosior fuit ejus victoria; licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen illico mortuus occubuit, sed tunc demum, cum David illi caput amputavit. Porro Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiq. Biblicis*, narrat vel potius fingit Goliam, cum Davidem suum in se gladium stringentem videret, dixisse : « Festina, et interfice me, et exulta. Et dixit ei David : Antequam moriaris aperi oculos tuos, et vide interfectorem tuum qui te interfecit; et respiciens Allophylus vidit angelum, et dixit : Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, cujus species non est sicut species hominis. Et tunc David abstulit caput ejus ab eo. »

Allegorice D. Augustinus, serm. 197 *De Tempore* : « Quod, inquit, David non habens gladium ascendit super Goliath, et eum proprio interfecit gladio, designatum est quod in adventu Christi, suo gladio diabolus victus est, qui per nequitiam suam et injustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum. »

Denique unctio Samuelis hic operabatur, hoc enim duello et victoria David stravit sibi viam ad regnum, ad quod a Deo destinatus, et a Samuele unctus erat. Unde Salianus et alii censent duellum hoc paulo post unctionem contigisse, scilicet unctum fuisse Davidem anno ætatis 20, qui regni Saulis erat octavus, duellum vero hoc iniisse anno ætatis 22, qui fuit Saulis decimus.

Vers. 54. 54. ASSUMENS AUTEM DAVID CAPUT PHILISTÆI ATTULIT ILLUD IN JERUSALEM. — Prius illud in castra intulit; deinde per urbes circumtulit, ac tandem in Jerusalem velut regni Israelis caput detulit. Quare merito S. Chrysostomus, homil. *De Davide*, cum Goliam devicit, ei congratulans hoc epinicium cecinit : « Quibus ego te laudibus, quibusque gloriis præferam, sancte ac religiose puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito prævenisti; qui potuisti, desistentibus cunctis, immanem belluam vincere, hostem prosternere, inimicum populi detruncare? Tu enim, deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito exstitisti. In desistentibus fortiter in prælium prosiliisti. Tu, formidanti populo et Goliæ sævitiam molienti, dum fortissime geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti. »

ARMA VERO EJUS POSUIT IN TABERNACULO SUO, — sed in domo patris sui Jesse, quæ erat in Bethlehem, ac post Saulem rex factus, in regiam suam transtulit. Excipe gladium Goliæ; hunc enim David sacravit Deo et in ejus tabernaculo reposuit, ut esset perenne victoriæ hujus a Deo acceptæ monumentum; inde enim David fugiens Saulem, gladium hunc a Pontifice recepit in urbe Nobe, uti audiemus, cap. XXI, vers. 8. Basilius Seleucianus, *orat.* 15 : « Sectum caput, ait, cum sectore gladio, victoriæ parenti donatum offert, et cum quæ devicerat, Deo offert, et victoriam arrogat. O qui palam egisti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim (1)! »

Porro de gladio hoc ait David, *Psal.* CXLIII, 11 : « De gladio maligno eripe me. » Nam psalmus hic a Septuaginta inscribitur : *Psalmus contra Goliath;* unde et Chaldæus vertit, *A gladio Goliath eripe me.* Quare David ante duellum psalmum hunc composuisse, eoque Dei opem implorasse videtur : unde mox a Deo animatus, duellum iniit, vicit, triumphavit. Aut potius psalmum hunc, parta victoria, quasi epinicium Deo cecinit. Sic enim orditur : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Simile epinicium Davidi cecinit Ecclesiasticus cap. XLVII, vers. 6 et seq., ubi et causam victoriæ assignat dicens : « Nam invocavit Dominum omnipotentem. »

Vers. 55. 55. DE QUA STIRPE DESCENDIT HIC ADOLESCENS? — Videtur Saul non agnovisse Davidem qui paulo ante fuerat ei familiaris, imo ejus armiger et citharædus. Unde hoc? Respondet *primo* Pseudophilo paulo ante citatus : « Angelus, inquit, Domini erexit faciem David, et nemo agnoscebat eum. Et videns Saul David, interrogavit eum quis esset? et non erat qui cognosceret eum. » Sed hoc est fabulosum. Vers. 55. Davidem Saul non agnovit, cur? Resp. Primo.

Secundo, Cajetanus et Torniellus respondent inter duellum hoc et citharizationem Davidis multos intercessisse annos, quibus vultus Davidis crescentis ita fuerit immutatus, factusque virilis, ut nec a Saule nec ab Abner fuerit agnitus. Verum contrarium innuit hic series historiæ, in qua citharizationi illico duellum hoc subjungitur : unde Salianus asserit inter utrumque octodecim menses duntaxat intercessisse. Secundo.

Tertio, Theodoretus et ex eo Procopius respondent Saulem non agnovisse Davidem, vel quia furibundus citharam ludentem non sentiebat, vel quod invidia stimulante diligenter et accurate Tertio.

(1) Aliqui Interpretes censent Davidem tantummodo post Jerusalem jam captam caput Goliath attulisse.

cognoscere noluit cujas et quisnam esset. Verum necdum audierat Saul voces populi : « Percussit Saul mille, et David decem millia, » quæ fuit origo invidiæ, atque a Davide citharizante curatus cessantibus furiis non poterat non eum agnoscere et diligere, uti dictum est cap. præced. vers. 21.

Quarto. *Quarto,* Magister *Hist. Scholast.* respondet Saulem propter exagitationem spiritus maligni factum esse labilis memoriæ, ideoque Davidis fuisse oblitum. Idem videtur velle Lyranus. Verum etiamsi hoc non sit improbabile, non tamen omnino satisfacit.

Quinto genuine. Dico ergo varias hujus ignorationis in Saule fuisse causas : *prima,* quod David jam grandescens barba vestiebatur, quam prius non habuerat, ait S. Augustinus, adeoque vultu erat jam magis virili quam juvenili; solent enim juvenes, cum ad virilem ætatem accedunt, paucis mensibus valde in vultu mutari. *Secunda,* quod David jam vestiebatur habitu pastoritio; veniebat enim ab ovibus, cum in aula Saulis veste usus fuisset aulica. *Tertia,* quod reges tot habebant aulicos et famulos, totque regni negotia, ut multorum obliviscantur. Abner quoque militiæ præfectus sæpius ab aula aberat et in castris versabatur; unde Davidem vix videre et nosse poterat.

Addunt Lyranus, Dionysius et Vatablus Saulem hic non quærere quisnam sit David, sed ex qua stirpe et quo patre oriundus, ut sciat an dignus sit cui filiam suam det uxorem, in præmium victoriæ cæsori Goliæ a se promissum, vers. 25; ideoque Davidem respondere se esse filium Isai Bethlehemitæ, id est, se esse e tribu Juda, quæ erat regalis; Judæ enim Jacob promiserat regnum, sicut Levi sacerdotium, *Gen.* XLIX. Sed jam sciebat Saul Davidem esse filium Jesse Bethlehemitæ; ab eo enim eum sibi mitti poposcerat, cap. XVI, 22.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi ob Goliam cæsum populus acclamat : Percussit Saul mille, et David decem millia; *quare Saul illi invidens, dolensque eum sibi præferri, cogitat eum occidere. Primo vibrans in eum lanceam, vers.* 11; *secundo per Philistæos in bello cui eum præfecit, vers.* 17; *tertio, vers.* 25, *per filiam suam quam ipsi despondit, poscens ab eo pro illa centum præputia Philistinorum, sperans illum ab eis tandem aliquando occidendum.*

1. Et factum est, cum complesset loqui ad Saul, anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 2. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. 3. Inierunt autem David et Jonathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam. 4. Nam exspoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. 5. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat; posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. 6. Porro cum reverteretur percusso Philistæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. 7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia. 8. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque : Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt; quid ei superest, nisi solum regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, et deinceps. 10. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies; tenebatque Saul lanceam, 11. et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete; et declinavit David a facie ejus secundo. 12. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. 13. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros; et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi. 14. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. 16. Omnis autem Israel et Juda diligebat David;

ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. 17. Dixitque Saul ad David : Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem ; tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens : Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum. 18. Ait autem David ad Saul : Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis ? 19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor. 20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. 21. Dixitque Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum. Dixitque Saul ad David : In duabus rebus gener meus eris hodie. 22. Et mandavit Saul servis suis : Loquimini ad David clam me, dicentes : Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. 23. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David : Num parum videtur vobis generum esse regis ? ego autem sum vir pauper et tenuis, 24. et renuntiaverunt servi Saul, dicentes : Hujuscemodi verba locutus est David. 25. Dixit autem Saul : Sic loquimini ad David : Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philistinorum. 26. Cumque renuntiassent servi ejus David, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. 27. Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philistiim ducentos viros, et attulit eorum præputia, et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem. 28. Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David ; Michol autem filia Saul diligebat eum. 29. Et Saul magis cœpit timere David ; factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. 30. Et egressi sunt principes Philistinorum ; a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis.

Vers. 1. 1. ANIMA JONATHÆ CONGLUTINA EST ANIMÆ DAVID, — *q. d.* Jonathas intime et tenerrime Davidem dilexit, ita ut videretur anima ipsius glutino affixa, et quasi in unum compacta cum anima Davidis. Amantis enim anima magis est in amato quam in amante, adeoque amantes unam eamdemque videntur habere animam, mentem et voluntatem. Tales fuere S. Augustinus et amicus ille ejus, quem non nominat, sed ita describit, lib. IV *Confessionum*, cap. VI : « Mirabar enim cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat ; et me magis, quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere ; et ideo forte mori metuebam ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. »

Amantium anima una.

Tales quoque fuere S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus. Audi Nazianzenum, orat. 20 *in funere S. Basilii* : « Una utrique anima videbatur duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt : At nobis certe credendum est, quod uterque in altero, et apud alterum positi eramus. »

Causa amoris fuit similitudo morum et amorum. Jonathas enim, æque ac David, erat candidus, probus, bellicosus et triumphans de Philistæis, uti jam triumpharat David de Golia. Quare Jonathas cum Davide fœdus amicitiæ perpetuæ iniit et juramento (addit Abulensis immolatione quoque victimarum) firmavit. Idque bis renovavit cap. XX et XXIII.

Jonathas ergo valde dissimilis fuit patri suo Sauli ; huic enim Davidis virtus et victoria movit invidiam et odium internecinum, Jonathæ vero movit summum amorem.

Vers. 7. 7. PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA ; — quia David cæso Golia cecidit tota castra Philistinorum, in quibus erant plusquam decem millia ; hæc enim videndo cæsum esse Goliam, in quo omne suum robur omnemque victoriæ spem collocarant, illico fugerunt, ac fugiendo cæsa sunt ab Hebræis insequentibus cap. XVII, vers. 52. Porro canticum hoc in proverbium abiit, quo utimur cum duos ab insigni virtute laudamus, sed unum alteri præferimus.

Allegorice S. Augustinus, sermone 197 *De Tempore*, et ex eo Rupertus, lib. II *in lib. Regum*, cap. VI : « David, ait, id est Christus, maledicti hostis (peccati et diaboli) caput amputavit, id est, principatum abstulit, et exinde resurgens ex mortuis in Hierusalem cœlestem victor ascendit. Hoc au-

ditu excitatæ per fidem occurrunt animæ nostræ victori publice et privatim cantantes et ducentes choros lætitiæ. Quid canimus? quid confitemur? Percussit Saul mille, et David decem millia in millibus suis, id est, universitatem peccati destruxit in suis virtutibus : suis, inquam, quia non aliunde petitis. »

PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA. — Sic Aureliano Imperatore, qui suamet manu Sarmatas octo et quadraginta interfecerat, et diversis diebus ultra nongentos et quinquaginta, acclamatum est a pueris die festo saltitantibus militariter : « Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus; unus homo mille, mille, mille decollavimus, mille, mille, mille, vivat, qui mille, mille occidit : tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis. » Ita refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor apud Vopiscum in *Aureliano*. Addit Vopiscus : Idem (Aurelianus) apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ cum Francos per Galliam vagantes valde afflixisset, iterum de eo facta est cantilena : « Mille Francos, mille Sarmatas occidimus : Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus. » Similis est illa ad Sponsam acclamatio, *Cantic.* IV, 8 : « Veni de Libano, sponsa mea, veni : coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. »

Vers. 8. 8. IRATUS EST AUTEM SAUL NIMIS, — tum populo sic acclamanti, tum Davidi acclamato, in eumque invidiam et odium lethale concepit, præsertim quia videbat populum magis favere Davidi, quam sibi, ac Davidem se meliorem, fortiorem et feliciorem a Deo dirigi; unde conjiciebat in illum transferendum esse regnum, quod Samuel sibi abstulerat. Quare ut regnum sibi suisque posteris assecuraret, omnino statuit occidere Davidem quasi regni sui æmulum; unde ait :

QUID EI SUPEREST NISI SOLUM REGNUM? — *q. d.* Video Dei gratiam, populi favorem, virtutem et felicitatem bellicam a me transiisse in Davidem : quid superest, nisi ut regnum meum in illum transferatur? Cupido autem regni in regibus est ardentissima; regnum enim est omnis eorum dignitas, gloria, opulentia et felicitas. Qui ergo illud ambit vel aufert, tangit eorum pupillam, imo cor transfigit. Hæc fuit causa odii immanis et perpetui Saulis in Davidem : ideoque pœna culpæ socia mox eum secuta est. Nam rursum invasit eum spiritus malus, a quo David per citharam eum liberarat.

Cupido regni in regibus ardentissima.

Verum ab hoc odio retrahere Saulem debuisset, ait S. Chrysostomus, homilia *De Davide et Saule : Primo*, quod vera dicebat populus; vere enim David occidendo Goliam percusserat decem millia hostium, et amplius. *Secundo*, quod partem victoriæ daret Sauli dicendo : « Percussit Saul mille, » cum illa tota deberetur David. *Tertio*, quod David ab hac voce populi erat innocens; nec enim eam procurarat, aut sciverat futuram. *Quarto*, Davidis modestia, qua semper Sauli se obsequentem, subditum et fidelem in bellis præstitit.

9. NON RECTIS ERGO OCULIS (sed limis, acerbis, torvis, invidis) SAUL ASPICIEBAT DAVID A DIE ILLA ET DEINCEPS. Vers. 9.

10. POST DIEM AUTEM ALTERAM INVASIT SPIRITUS DEI MALUS SAUL, ET PROPHETABAT, — eo modo quo energumeni, epileptici, furiosi et abreptitii dicuntur prophetare et divinare; quia scilicet non loquuntur ex se, sed potius loquitur per eos mania et furia, scilicet diabolus qui eos corripit et exagitat; et quia tales subinde quædam occulta et abdita homini (sed dæmoni nota) pandunt et revelant. Ita Theodoretus, Procopius, Abulensis et Auctor *Quæst.* apud S. Hieronymum, qui, *prophetabat*, interpretatur, *aliena referebat;* Chaldæus, *insaniebat*; Vatablus, *desipiebat*, id est, insana et stulta loquebatur, uti faciunt insani et furiosi. Est catachresis : quia enim prophetæ sæpe videbantur populo insanire, ac delira et absurda agere vel loqui; hinc et insani ac energumeni, qui emotæ sunt mentis, ac furiis vel dæmonibus aguntur, cum insana et delira agunt dicuntque, prophetare dicuntur; imo Turcæ, epilepticos et lunaticos, ut veros prophetas habent et venerantur, eo quod Mahomet eorum propheta, laborans epilepsia, cum ea correptus fureret, ut morbum hunc apud suos tegeret, dicebat se corripi tunc a Spiritu divino, ab eoque revelationes accipere et prophetare. « Prophetabat » ergo Saul, id est, furebat, bacchabatur, insana agebat et dicebat. Quin et Plato in *Timæo*, et Plutarchus, libro *De Oraculis*, enthusiastas qui spiritu malo icti mira dicunt faciuntque, vocant *Prophetas* : ac Cicero, orat. *pro Sextio*, « vaticinari et insanire, » dixit. Ita Theodoretus. « Pseudoprophetæ, inquit, agitati a malo spiritu sunt similes furore percitis Corybantibus. Hoc passus est etiam Saul vexatus a dæmone. » Sic Seneca ait in *Medæa* : Vers. 10.

> Incerta qualis entheos (*id est, Dei spiritu instincta*) cursus tulit.
> Cum jam recepto Mænas insanit Deo.

Et Virgilius lib. VI *Æneid.* de Sibylla Æneæ :

> Bacchatur vates, *inquit*, magnum si pectore possit
> Excussisse deum, tanto magis ille fatigat,
> Os rabidum fera corda domans, fingitque premendo.

Porro Philo Biblicus Saulem hæc de se vere ex spiritu malo prophetasse narrat. « Mansit, inquit, Spiritus in Saul, et prophetavit, dicens : Quid seduceris, Saul? aut quem persequeris in vanum? Completum est tempus regni tui. Perge in locum tuum; tu enim morieris, et David regnabit. Nonne tu et filius tuus simul moriemini, et tunc apparebit David regnum. » Atque post hæc subjicit : « Et abiit Saul, et nescivit quæ prophetavit. »

Moraliter, disce hic diabolicum scelus esse invidiam, ac invidos possideri ac torqueri a dia- Invidia est sce-

Ius diabolicum.

bolo, uti contigit Saùli. Invidia enim propria est diabolo; unde « invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum, » *Sapient.* cap. II.

DAVID AUTEM PSALLEBAT MANU SUA, — psalterium aut citharam pulsando, ut malum spiritum a Saule abigeret; sed frustra, quia Saule persistente in sua invidia et odio Davidis, perstitit pariter in eo spiritus malus.

TENEBATQUE SAUL LANCEAM, — qua in bellis utebatur, quamque ut regni sui insigne ubique secum circumferebat, vel circumferri curabat, ut alibi regibus præfertur gladius.

Vers. 11.

11. ET MISIT EAM, PUTANS QUOD CONFIGERE POSSET DAVID CUM PARIETE. — Vide hic quam invidia Saulem fecit ingratum, ferum et barbarum in Davidem, cui vitam et regnum debebat ob cæsum Goliam et ob citharizationem. Audi S. Chrysostomum, homil. *De Davide et Saule*: « Per illum vicit rex ac principatum obtinuit, et quam reposuit gratiam! Nam si quis perpendat præclare gestorum magnitudinem, etiamsi rex a suo capite detractam coronam David capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam, sed ampliorem debuisset. Hic enim et vitam et regnum illi donavit; ille vero huic regnum tantum erat cessurus. »

Allegorice, sicut David lancea Saulis, sic Christus in cruce lancea militis fuit appetitus; sed David illæsus aufugit; Christus vero ea transfixus ad regnum perrexit. Ita Rupertus, libro II *in lib. Regum* cap. VII: « Nam iste quidem, inquit, in figura patiens, non confixus fugiendo evasit; ille autem cujus passiones præfigurantur, lancea clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit. »

Septem persecutiones Davidis.

Hæc est prima persecutio Saulis contra Davidem, quam multæ aliæ, sed præcipuæ sex consecutæ sunt, quas hoc ordine recenset hic Rupertus, lib. II, cap. VIII: « *Prima* est, inquit, ubi nunc mittente Saul lanceam, ut configeret eum cum pariete, declinavit et fugit. *Secunda,* ubi postquam percussit Philistæos, plaga magna itidem psallentem nisus est Saul configere; et eo declinante, lancea casso vulnere perlata est in parietem. *Tertia,* ubi cum fugisset David, et venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum sacerdotes Domini. *Quarta,* ubi nuntiaverunt Ziphei, dicentes: Ecce David latitat apud nos, et surrexit Saul, et persecutus est David in desertum Maon. Cumque desperaret David se posse evadere, nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philistæi super terram. *Quinta,* in deserto Engaddi, ubi cum ingressus speluncam fuisset Saul, ut purgaret ventrem, surrexit David, et præcidit oram chlamydis ejus silenter. *Sexta,* ubi iterum nuntiaverunt Ziphei, dicentes: Ecce David absconditus est in colle Achile, et surrexit David, et descendit in desertum Ziph, ubi cum dormiente illo dixisset Abisai: Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Dixit David: Ne interficias eum. Ac deinceps propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, etc. *Septima,* quæ est ultima, ubi ait David in corde suo: Aliquando incidam in una die in manus Saul. Nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philistinorum, et desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus ejus. Et surrexit David, et abiit ipse et sexcenti viri cum eo ad Achis filium Mahog regem Geth. »

Prima persecutio recensetur hic; *secunda,* cap. XIX, vers. 10; *tertia,* cap. XXI, vers. 1 et seq.; *quarta,* cap. XXIII, vers. 19; *quinta,* cap. XXIV, vers. 3; *sexta,* cap. XXVI, vers. 1; *septima,* cap. XXVII, vers. 1. Porro idem Rupertus, lib. II, cap. 10, ostendit Deum singulas persecutiones in Davidis bonum convertisse, ut ex singulis ipse fortior et gloriosior evaserit, ut patet hic ea quæ singulas persecutiones consecuta sunt legenti; passionis enim comes et assecla est gloria.

Passionis comes est gloria.

Allegorice vero Rupertus, cap. VIII jam dicto, ostendit has septem Davidis persecutiones repræsentasse septem persecutiones, quas Diabolus excitavit contra Christum. *Prima* fuit, cum Herodes eum cum cæteris infantibus in Bethlehem quæsivit ad necem, *Matth.* II. *Secunda,* cum David citharizans, id est, Christus prædicare incipiens in Nazareth cives offendit, qui eum ejecerunt extra civitatem in montem, ut præcipitarent, *Lucæ* cap. IV, 29. *Tertia,* cum Judæis commendans esum carnis suæ, ab eis audivit: « Durus est hic sermo, » ideoque ab eis desertus fuit, *Joan.* VI, 67. *Quarta,* cum Principes miserunt suos ministros, ut eum apprehenderent. At illi eo intacto revertentes dixerunt: « Nunquam locutus est homo sicut hic homo, » *Joan.* VII, 46. *Quinta,* cum Christo dicente: « Antequam Abraham fieret, ego sum, » Judæi tulerunt lapides ut jacerent in eum, *Joan.* VIII, 58. *Sexta,* cum Christo asserente: « Ego et pater unum sumus, » Judæi iterum voluerunt eum ut blasphemum lapidare, *Joann.* X, 30. *Septima,* cum eum ceperunt et crucifixerunt, *Matth.* XXVI et XXVII.

ET DECLINAVIT DAVID A FACIE EJUS — lanceæ, ait Rupertus, aut potius Saulis vibrantis lanceam, ait Lyranus, Abulensis, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii. Τὸ enim *ejus,* in Hebræo est masculinum, non femininum, ac proinde Sauli non lanceæ congruit.

Vers. 13.

13. AMOVIT ERGO EUM SAUL A SE, — tanquam æmulum sibi exosum, ne ejus aspectu doleret. Sauli enim invido David, quasi regni æmulus et successor, erat dolor oculorum; ac ne David in aula gratiam sibi aulicorum conciliaret, itaque sensim crescendo se exturbato regnum invaderet.

ET FECIT EUM TRIBUNUM SUPER MILLE VIROS, — creavit eum chiliarcham, quem vulgo jam *colonellum* vocant; fecit hoc Saul, tum ut onus bellandi a se jam fesso, ignavo et spiritu malo agitato in Davidem rejiceret; tum ut eum hostibus occidendum objiceret, ut patet vers. 17.

ET EGREDIEBATUR ET INTRABAT IN CONSPECTU POPULI, — *q. d.* David ubique populo aderat, quasi Dux eum præcedens ad prælium, illoque finito eum victorem domum reducens. Sapienter Velleius, lib. II *Histor.*: «Ipse (Dux), inquit, primus faciat; nam facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.»

Vers. 14. 14. IN OMNIBUS QUOQUE VIIS SUIS DAVID PRUDENTER AGEBAT, — cavens ne Saulem offenderet, et simul ne in manus hostium incideret, sed ab eis victoriam referret.

ET DOMINUS ERAT CUM EO, — omnes ejus actiones et conatus dirigens, prosperans, et ad felicem exitum perducens.

Vers. 17. 17. ECCE FILIA MEA MAJOR MEROB, IPSAM DABO TIBI UXOREM. — Promisit eam Saul Davidi; sed non præstitit; vel quia ficte promisit, vel quia eum pœnituit; timuit enim ne per filiam regiam uxorem David ad regnum evaderet.

Symbolicam causam dat S. Gregorius, lib. V *in lib.* I *Reg.* cap. 1: « Quid est, inquit, quod Jacob utramque sororem habere licuit; David autem ad majoris thalamum non pervenit? nisi quia David rex fuit, Jacob vero rex non fuit. Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura Ecclesiastica gregem deferre, et remotæ vitæ otiis vacare non sinit.» *Merob* enim Hebraice idem est quod *a magistro*, ait Pagninus, unde notat vitam contemplativam, cujus magister est Deus et Spiritus Sanctus. *Michol* idem est quod *rivus*, vel, *decursus aquarum;* unde notat vitam communem, qualis est activa: utramque egit David, unde contemplans edidit prophetias et psalmos tam divinos; sed ut significaretur reges altos et ordinarios debere potius activæ vitæ intendere quam contemplativæ, hinc Davidi Michol obtigit, non Merob.

SAUL AUTEM REPUTABAT DICENS: NON SIT MANUS MEA IN EUM (non occidam Davidem manu mea, ne infamiam et indignationem populi mihi conflem; populo enim David erat charissimus), SED SIT SUPER EUM MANUS PHILISTINORUM, — ut assidue cum eis præliando tandem aliquando ab eis occidatur, uti optimi Duces et milites pereunt pugnando in bello, sicut nautæ et natatores in aqua natando.

Saul proficit in pejus. Vide hic malignitatem et calliditatem invidiæ Saulis, qui semper in pejora dilabitur; per inobedientiam enim cecidit in tristitiam, per tristitiam in invidiam, per invidiam in odium implacabile Davidis, quo usque ad mortem vitæ ejus perpetuo insidiatus est, eumque miris modis afflixit. Per odium hoc incidit in Dei derelictionem et desperationem, inde in magiam, consulens diabolum per Pythonissam; inde in sui ipsius homicidium, ut eadem manu qua voluerat occidere Davidem, occideret seipsum.

Nimirum agebat eum suis furiis spiritus malus, sed ita ut post agitationis et furoris paroxysmos, Saulem sibi suæque invidiæ et libero arbitrio relinqueret; ad hoc ut liberius, ideoque gravius peccaret. Poetæ, ut idipsum pulchro claroque schemate hominibus repræsentent, fingunt Furias esse Deas infernales invidiæ et scelerum ultrices, quæ assidue sceleratos insectentur et crucient: unde aiunt eas esse filias Acherontis et noctis; utpote quæ secum omnia mala cum cæcitate adducant. Dicunt illas esse tres, scilicet Alecto, Megæram et Tisiphonem. Audi Claudinum, lib. I *in Ruffinum*:

> Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
> Alecto placidas late cum cerneret urbes:
> Protinus infernas ad limina tetra sorores,
> Concilium deforme vocat: glomerantur in unum
> Innumeræ pestes Erebi, livorque secundis
> Anxius, et scisso mœrens velamine luctus,
> Et timor, et cæco præceps Audacia vultu.

Vide hic ut David continua et implacabili Saulis invidia fuerit exagitatus, et assidue ad necem destinatus; idque duravit toto reliquo vitæ Saulis tempore, puta per integros octo annos; tot enim sunt a decimo Saulis anno, quo David Goliam superavit, usque ad annum Saulis 18, quo ipse in prælio misere occubuit.

Quæres, cur hoc permisit Deus? Respondeo, ut Davidis patientiam et virtutem exerceret, acueret, solidaret, perficeret, itaque eum ad regnum disponeret. Audi Basilium Seleucianum, *orat.* 15: «Ne tibi paradoxum videatur, si David, tantæ cum esset gratiæ Deoque in deliciis, invidiæ jaculis fuerit expositus. Nam cum invidiam perimere Deus potuisset, invidente perempto, sentiendum non est nullam justi rationem, nullam Davidis curam Deum habuisse. Sic enim et Nabal sustulit Deus, Davidi gratificaturus, dum ejus injurias morte vindicavit. Sic ab Absalone commotæ mentis in patrem pœnas exegit Deus; Davidem tamen Saulis moribus obluctari permittit Deus, ut athleta ope divina invidentiæ victor evadat. Ut infirmos Deus non permittit invidiæ, sic fortes et strenuos vocat in stadium, quo possint de invidia ipsa triumphare. Aufert infirmum ab invidorum rabie, at fortissimos eo deducit, ubi invidentiæ victores evadant. Hinc Jacob extollit præstantiam Josephi cap. XLIX. Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum; sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit arcus ejus,» etc.

Simili modo Deus exercuit, promovit et perfecit Jacobum per Esau, Moysen per Pharaonem, Isaiam per Manassem, Machabæos per Antiochum, S. Athanasium per Constantium, S. Chrysosto-

mum per Eudoxiam, S. Ambrosium per Justinam Imperatricem.

Vers. 18. 18. AIT AUTEM DAVID : QUIS EGO SUM, AUT QUÆ EST VITA MEA (quid in vita præclare gessi) etc., UT FIAM GENER REGIS? — Mira hic elucet humilitas Davidis, utpote qui jam rejecto Saule unctus in regem, Goliam prostraverat, cratque dux præliorum, assidue triumphans de Philistæis, ac tamen indignum se æstimat matrimonio filiæ Saulis, ut ejus fiat gener. Nimirum certat ipse sua humilitate cum fastu et invidia Saulis, ut illam frangat et superet, ac præsertim ut illi extundat istum aculeum populi acclamantis : « Percussit Saul mille, et David decem millia, » *q. d.* Sauli : Mi domine rex, non est quod te hæc vox moveat vulgi imprudentis, adeo enim me non movet nec extollit, ut ego me minimum servorum tuorum æstimem, et indignum qui fiam tuus gener. Audi S. Chrysostomum, *homil.* in hæc Davidis verba : *Quis ego sum?* « Quis sum ego, domine mi, quod talem gratiam invenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus fui in tribu mea, et elegisti me ex ovibus, et assumpsisti me. Videte quomodo subjunxit humilitati innocentiam, ut cum esset homo, diceret : elegisti me ex ovibus. Demonstravit quia hoc genus pecudis innocens est : significabat enim illum pastorem bonum, qui animam suam ponit pro ovibus suis; illum agnum Dei qui venturus erat, ut tolleret peccatum mundi. Electus ergo ex ovibus ut pastorem ostenderet, et innocentiam non negaret, dicit : Ego enim minimus fui in tribu mea. Quam suave est, quam dulce in auditione veræ confessionis, ut diceret se minimum in tribu sua; non erubuit quod erat, ut esset quod non erat. Confessio ejus adduxit ei non peccatum, sed gloriam et misericordiam. » Subdit deinde Davidem hic gessisse typum Christi : « Quod dixit : Minimus fui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mundum venientis, qui formam non ingenui, sed servi assumere voluit. Quid humilius servo? Tamen hoc Dominus esse dignatus est, ut ex servis liberos faceret, ut servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret. Hoc significabat quod dixit : Minimus fui in tribu mea. Eia, nunc erigite mentes genus electum, et nolite esse pigri, neque superbi. »

Davidis humilitas.

Vers. 21. 21. DIXITQUE SAUL AD DAVID : IN DUABUS REBUS GENER MEUS ERIS HODIE. — Hebræa et Septuaginta habent, *in duabus;* unde Hebræi subaudiunt, *uxoribus, q. d.* Duas filias meas tibi addixi, itaque duplici titulo eris meus gener. Nam Merob seniorem filiam meam tibi despondi (esto ob casum occurrentem illa postea tradita sit alteri), ac Michol juniorem nunc tibi despondeo et trado. Pagninus vero sic explicat, *in duabus*, id est in una duarum, scilicet in Michol eris meus gener. Sic et Hugo, Dionysius, Vatablus et alii.

Verum Noster aptius τὸ *in duabus* interpretatur, *rebus;* nam Hebræi genus femininum usurpant pro neutro quo carent. *In duabus,* hoc est *in duobus,* puta in duobus punctis, sive in duabus conditionibus et rebus. Duæ hæ res sunt : prior, cædes Goliæ; illum enim occidenti filiam suam promiserat Saul, cap. XVII, vers. 25; posterior, centum præputia Philistinorum, quæ nunc exegit Saul, ut patet vers. 25. Ita Angelomus, Sanchez et alii. Sic ait Psalles : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. » *Unam* hoc est unum, sive unam rem.

Aliter Auctor *Quæst.* apud S. Hieronymum, Rupertus, Hugo, Glossa, Abulensis, Dionysius et alii : « Duæ res, inquit, sunt ducenta præputia Philistinorum; » hæc enim numeravit David Sauli, vers. 27. Quare cum Saul pro Michol tantum exegerit centum præputia, videtur pariter pro Merob priore exegisse centum, quasi dicat Saul : Præstitisti mihi, o David, centum præputia pro Merob; præsta mihi alia centum, et dabo tibi Michol; sic Laban pro septem annis servitutis Jacobi substituens Liam, voluit ut alios septem annos sibi serviret pro Rachele, *Genes.* cap. XIX, 20 et 27.

Porro olim mariti coemebant uxores, dando pro eis pretium aut dotem vel dona sponsalia, uti ostendi *Exodi* cap. IV, 26. Sic Saul ait hic Davidi : Non est quod sollicitus sis de dote et pretio, quo Michol uxorem emas; ista enim, cum sit filia regis, magno pretio æstimanda foret. Nam ego, cum sim rex opulentus, a te paupere pretium non requiro.

Vers. 25. 25. NON HABET REX SPONSALIA NECESSE. — *Sponsalia* vocat dotem, sive pretium sponsæ jam dictum, ut patet ex Hebræo.

NISI TANTUM CENTUM PRÆPUTIA PHILISTINORUM. — Cur Saul potius petiit præputia, quam capita Philistinorum? Respondeo, ne David afferret capita Hebræorum, fingens illa esse capita Philistinorum; nam præputia Hebræi in circumcisione deposuerant : quare si David Sauli præputia afferret, certum erat illa non esse Hebræorum, utpote quibus illa resecta et circumcisa erant, sed Philistinorum. Ita Theodoretus et Procopius. Adde capita tot asportare fuisse valde difficile, ac regi ea offerre fuisset spectaculum horridum et crudele.

Porro insidiosæ fuere hæ nuptiæ, et hæc conditio. Ideo enim præputia hæc centum petiit Saul, ut David cum centum Philistæis confligens, ab aliquo eorum occideretur. Ita S. Chrysostomus homil. *De Davide et Saule;* S. Augustinus *in Psalmum* XXXIII; S. Ambrosius, serm. 18 *in Psal.* CXVIII. Rursum Saul dedit suam Michol Davidi, ut illa Davidem vel perderet, vel sibi proderet. Sed Deus Davidi favens utrumque discussit, et in Davidis bonum gloriamque convertit. Nam et David cecidit ducentos Philistæos magna fortitudine et gloria, ac Michol magis Davidem quam Saulem dilexit, eumque Saulis manibus eripuit, ut audiemus capite sequenti.

Vers. 27. 27. ET PERCUSSIT (occidit) EX PHILISTIIM DUCENTOS VIROS, — ut eorum ducenta præputia offerret

Sauli. Saul tantum petierat centum : David vero obtulit ducenta, ut liberalitatem et generositatem suam Sauli ostenderet.

Vers. 30. 30. ET EGRESSI SUNT PRINCIPES PHILISTINORUM, — ad prœliandum contra Hebræos. Sed cur egressi? Respondeo, ex antiquo et innato in Hebræos dissidio et odio : illud enim ad continua eos bella excitabat. Adde recentem odii bellique novi causam exstitisse, quod ignominiam in cæde Goliæ contractam, restauratis viribus et copiis delere voluerint. Recentior causa fuit, quod David ducentos eorum occidisset, et præputia eorum Sauli obtulisset : quod ingens æstimabant ipsi suum esse probrum et ludibrium. Aliam causam dant Rabbini, scilicet quod David, utpote novus sponsus, primo anno nuptiarum abstenturus esset bello, ac uxori et familiæ vacaturus : ac proinde putabant Philistæi jam tempus esse invadendi Hebræos, utpote quiescente Davide, quem solum timebant. Sic enim sancit Deus, *Deuteronom.* cap. XXIV, vers. 5 : « Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publice : sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua. » Verum hæc lex non vetat novum sponsum ire ad bellum, sed tantum jubet ne quis eum ad bellum, aliudve onus publicum cogat; hoc enim significat τὸ *injungetur*. Quare timere poterant Philistæi, si arma moverent, illico Davidem utpote chiliarcham generosum eis occursurum, uti de facto eis occurrit, ut hic dicitur : sed ipsi martem solitum cum Hebræis tentare voluerunt, sperantes se Davidem tandem aliquando superaturos.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Jonathas Davidem Sauli reconciliat. Secundo, vers. 8, *David cædit Philistæos; unde Saul invidia et spiritu malo agitatus lancea conatur eum configere, sed ictum declinans evasit David. Tertio, vers.* 11, *Saul mittit satellites qui Davidem domi capiant ad cædem; sed Michol uxor Davidem monet, et dimittit posito in lecto ejus simulacro. Quarto, vers.* 18, *David fugit ad Samuelem; mox mittit Saul satellites suos eodem, qui omnes cum Samuele prophetant, ac tandem ipse quoque Saul suos sequens, cum Samuele ejusque sociis prophetat; unde proverbium* : Num et Saul inter Prophetas?

1. Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. 2. Et indicavit Jonathas David, dicens : Quærit Saul pater meus occidere te; quapropter observa te, quæso, mane, et manebis clam, et absconderis. 3. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris; et ego loquar de te ad patrem meum; et quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4. Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum : Ne pecces, rex, in servum tuum David; quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. 5. Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli; vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? 6. Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocavit itaque Jonathas David, et indicavit ei omnia verba hæc, et introduxit Jonathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius. 8. Motum est autem rursum bellum; et egressus David, pugnavit adversum Philistiim, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie ejus. 9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam, porro David psallebat manu sua. 10. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul; lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa. 11. Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris; 12. deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. 13. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam

caprarum posuit ad caput ejus, et operuit eam vestimentis. 14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David, et responsum est quod ægrotaret. 15. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. 16. Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. 17. Dixitque Saul ad Michol : Quare sic illusisti mihi, et demisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul : Quia ipse locutus est mihi : Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. David autem fugiens salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul; et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Najoth. 19. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus : Ecce David in Najoth in Ramatha. 20. Misit ergo Saul lictores, ut raperent David; qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi. 21. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios : prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, 22. abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, et interrogavit, et dixit : In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei : Ecce in Najoth sunt in Ramatha. 23. Et abiit in Najoth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Najoth in Ramatha. 24. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium : « Num et Saul inter Prophetas? »

Vers. 1. 1. LOCUTUS EST AUTEM SAUL AD JONATHAM FILIUM SUUM, ET AD OMNES SERVOS SUOS, UT OCCIDERENT DAVID. — Crescente virtute et victoriis Davidis, crescit in eum invidia et odium Saulis. Virtutis enim comes invidia. Quare quem per se non potuit configere, eum per filium Jonatham et servos suos fidissimos, ait Josephus, occidi jubet. Sed omnia superavit Dei providentia protegens Davidem, ac invicta Davidis patientia et prudentia, quæ eum omnibus superiorem, indeque ubique gloriosiorem effecit. Nam Jonathas magis dilexit Davidem quam patris impium mandatum : imo Sauli mandanti restitit, eique sua efficaci eloquentia Davidis odium eximens, illud in amorem convertit.

Vers. 5. 5. ET POSUIT ANIMAM SUAM IN MANU SUA, — hoc est, exposuit se suamque vitam evidenti mortis periculo pro te tuoque regno, dum duellum tam impar et formidabile cum gigante Golia iniit. Tunc enim Hebræis videbatur David animam, id est, vitam suam in manu gestare, eamque offerre Goliæ ut eam auferret.

QUARE ERGO PECCAS IN SANGUINE INNOXIO? *q. d.* Cur peccare proponis? cur destinas et decernis effundere innoxium, imo adeo tibi beneficum sanguinem Davidis; τὸ ergo *peccas*, significat actum destinatum et inchoatum, sed necdum perfectum.

Vers. 6. 6. QUOD CUM AUDISSET SAUL, PLACATUS VOCE JONATHÆ JURAVIT : VIVIT DOMINUS, QUIA NON OCCIDETUR. — Vide hic quam efficax fuerit sermo Jonathæ, æque ac patientia, modestia, oratio et virtus Davidis, quæ tam immane odium Sauli excussit, illudque in amorem transtulit. Hæc est Christi et Sanctorum illustris victoria, qua vincendo in bono malum, adversarios vincunt, non eos occidendo, sed ex inimicis amicos efficiendo; quod longe difficilius, gloriosius et divinius est. Occiditur enim in homine vivo odium et inimicitia, fitque ut in eo vivat amicitia et charitas. Et hoc satagebat peragere David, scilicet non tam ut ipse cædem Saulis evaderet, quam ut Saulem suæ menti, rationi, amori pristino et gratiæ Dei restitueret. Quare David fuit hic typus et præcursor Christi : sicut enim David maleficia Saulis ultus est per beneficia, ideoque eadem sua tolerantia et beneficentia superavit, et in sui amorem convertit; sic et Christus cum Pharisæorum et Judæorum odiis certavit incensa sua charitate, ut cum crescerent odia, crescerent pariter ejus miracula, curationes et beneficia : quare odiis hisce eorum et persecutionibus se vinci non permisit; sed ipse illa divina sua patientia et charitate absorpsit, sustulit, et in se suique amorem convertit. Hic est apex virtutis et charitatis Christi : quem ipse sancto Stephano, sancto Paulo aliisque Sanctis illustribus inspiravit. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Davide et Saule*, adducens exemplum medici, qui pro ægroto contra ægritudinem pugnat, ideoque phrenetico etiam eum convicianti et verberanti non irascitur, sed condolens satagit ut ei phrenesim eximat, ita concludit : « Tu quoque igitur medicus esto ei, qui te læsit; unum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. Id quod fecit hic beatus, egestatem præ divitiis, solitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac securitate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit, ut Saulem ab illo

in ipsum odio malevolentiaque liberaret. At ne sic quidem melior factus est Saul, sed persequebatur, sed ubique circumibat quærens eum, qui non solum nihil læserat, sed cum esset læsus, tum maxima, tum innumerabilia pro injuriis bona rependerat. Ac Saul imprudens post incidit in retia Davidis. »

Vers. 8. 8. PERCUSSITQUE EOS PLAGA MAGNA. — Vide ut Deus Davidis patientiam nova de Philistæis victoria remuneret : sed hæc novam Sauli concitavit invidiam; unde sequitur :

Vers. 9. 9. ET FACTUS EST SPIRITUS DOMINI MALUS IN SAUL, — *q. d.* Deus immisit, vel permisit dæmonem invadere Saulem, ut ejus invidiam cruciando castigaret.

Vers. 10. 10. NISUSQUE EST SAUL CONFIGERE DAVID LANCEA. — Conatus est lancea transfigere Davidem. Vide quam varium et inconstans sit cor hominis, præsertim impii et invidi, qualis erat Saul; hoc enim cum felle rancoris et odii plane sit imbutum, esto ad tempus melle amoris oblinatur, illico eo evaporante ad felleas suas iras, invidias et noxas inolitas revertitur.

Vers. 11. 11. MISIT ERGO SAUL SATELLITES SUOS IN DOMUM DAVID, UT CUSTODIRENT EUM (nocte ne per tenebras elaberetur), ET INTERFICERETUR MANE; — ut scilicet mane Davidem domo sua egredientem comprehenderent, et ad Saulem adducerent, ac coram eo ipsum occiderent, ut Saul certo videns occisum Davidem, eum amplius non timeret, quod regnum sibi auferret. Addit Josephus, lib. V, cap. XIV, et eum secutus Abulensis, *Quæst.* XI et XII, Saulum constituisse judices, qui Davidem mane ad judicium evocatum capite damnarent : ut scilicet videretur non ex privato Saulis odio, sed justa judicum sententia damnatus et occisus : idque satis S. Scripturæ et rationi videtur consonum. Verum prior expositio planior et facilior est.

Vers. 12. 12. DEPOSUIT EUM PER FENESTRAM. — Quia satellites Saulis custodiebant ostia, ut Davidem comprehenderent et necarent : hinc Michol eum per fenestram dimisit. Sic S. Paulus Damasci ab Areta obsessus, per sportam e muro dimissus evasit, II *Corinth.* cap. XI. Nota hic fidelitatem, prudentiam et amorem Michol in Davidem maritum. Nam *primo*, insidias patris ei detexit; *secundo*, consilium prudens dedit ut noctu aufugeret ne mane occideretur; *tertio*, operam addidit demittens eum per fenestram; *quarto*, ejus simulacrum posuit in lecto, de quo mox.

Vers. 13. 13. TULIT AUTEM MICHOL STATUAM, ET POSUIT EAM SUPER LECTUM, ET PELLEM PILOSAM CAPRARUM POSUIT AD CAPUT EJUS, ET OPERUIT EAM VESTIMENTIS. — Fecit hoc Michol eo fine, ut David haberet spatium fugiendi et evadendi. Simulavit enim Davidem ægrotare et jacere in lecto, ideoque non fugisse. Si enim satellites scivissent eum fugisse, illico fugientem persecuti fuissent et comprehendissent. Dum autem putant eum domi in lecto jacere, tempus commodum ad eum honeste, modeste, sine strepitu et inopinate comprehendendum, cum scilicet David domo egrederetur, exspectant. Dixit ergo eis Michol Davidem jacere in lecto et ægrotare; hoc enim repræsentabat statua Davidis ab ea in lecto collocata, quam ipsi in cubiculo obscuro eminus intuentes, non statuam, sed Davidem ipsum esse putarunt. Interim Saul misit novos apparitores ad Davidem capiendum, quibus idipsum dixit Michol, scilicet Davidem ægrotare. Quare illi idipsum Sauli renuntiant : atque in hoc itu et reditu, item in deliberatione et consiliis multum temporis insumptum est, quo Davidi fugere licuit.

Pro *statuam*, Hebraice est תרפים *theraphim*, quod Abulensis vertit, *lignum informe rotundum;* alii vertunt, *idolum*, vel *oraculum;* alii, *astrolabium* ad cœli influxus recipiendum compositum; sed certum est *theraphim* significare *statuam*, ut vertit Noster, scilicet effigiem hominis, puta Davidis, ut censet Theodoretus, Procopius. Vide quæ de theraphim dixi *Osee* cap. III, 4, *Judic.* cap. XVIII, 4 et 17. Septuaginta vertunt κενοτάφια, id est *sepulcra inania*. « Quomodo enim, ut ait Theodoretus, inane sepulcrum videtur quidem habere mortuum, sed non habet; ita etiam quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse David agens animam, sed non erat. »

Pro Hebræo כביר *kebir*, id est *pellem pilosam*, Josephus, Procopius, Theodoretus et alii multi legentes כבר *caber*, vertunt, *hepar capræ*, quod occisa capra adhuc palpitare et se motitare solet, ait Theodoretus et Procopius, ut videretur non esse statua, sed verus vivusque homo, puta David respirans; quasi ille videretur ægrotare sub stragulis, ibique trahere et agere animam.

Noster cum Septuaginta et Chaldæo melius vertit, *pellem pilosam;* hanc enim posuit Michol, ut per hosce pilos rufos (in Galaadite enim, quæ vicina est Jerosolymæ, oves et capræ sunt rufi et fulvi coloris, ut dixi *Cantic.* cap. IV, vers. 1), Davidis capillos rufos repræsentaret. Ita Theodoretus et Abulensis. Aut certe ut molli hac pelle ægróti Davidis capitis confovere videretur : unde Vatablus vertit, *cervical*, vel *pulvinar ex pellibus caprarum*. Audi S. Hieronymum, epist. 103 *ad Marcel.* : « Venerunt nuntii, et ecce κενοτάφια, in lecto, pro cenotaphiis in Hebræo teraphim, id est μορφώματα (juxta Aquilæ interpretationem), posita sunt, et non jecur caprarum, ut nostri Codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus qui, intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur. »

Vers. 14. 14. MISIT AUTEM SAUL APPARITORES QUI RAPERENT DAVID. — Saul videtur jussisse custodibus, ut Davidem noctu domi suæ custodirent, mane vero domo egredientem comprehenderent et ad se deducerent occidendum. Verum videns custodes tardare, eo quod, ut ipse putabat, David domi se contineret, nec egrederetur, moræ impatiens

timensque ne David elaberetur, aut (ut suspicax est invidia) ne custodes muneribus vel promissis corrumperet, novos misit apparitores, qui domum Davidis invaderent, indeque Davidem violenta manu ad se abriperent; quod si resisteret, occiderent.

Porro David in hisce angustiis constitutus composuit recitavitque psalmum LVIII : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. » Id patet ex ejus inscriptione, quæ sic habet in versione S. Hieronymi : « Victori, ut non disperdat David humilem et simplicem, quando misit Saul ut custodirent domum, ut occiderent eum. » Orando ergo et psallendo Dei opem invocavit : qui proinde Saulis consilia discussit, et Davidem salvavit. Idem faciamus nos in periculis et ærumnis, atque simile Dei auxilium experiemur.

ET RESPONSUM EST (a Michol vel ejus ancillis et famulis) QUOD DAVID ÆGROTARET. — Ac simul Michol apparitoribus Saulis non credentibus vel dubitantibus, eminus simulacrum Davidis in obscuro angulo lectoque decumbens ostendit, quod illi ipsum Davidem esse rati, rem totam ad Saulem detulerunt. Mentitur hic Michol, sed putabat in tali casu ad salvandam Davidis mariti sui vitam, non tantum licitum, sed et honestum, imo necessarium esse mendacium, uti putarunt obstetrices Ægyptiæ, *Exodi* I, et Raab, *Josue* II, aliique permulti etiamnum putant : qua in re errant.

Audi Josephum, libro VI, cap. XIV : « Parato lecto tanquam ægrotanti, stragulis jecur capræ recens exemptum subjecit, diluculoque venientibus, quos pater ad Davidem miserat, ostendit lectum opertum, et quod palpitatione jecoris stragula moveri viderent, maritum ægrum anhelare persuasit, addens totam noctem inquietam eum egisse. » Sed hepar hoc capræ superius ex S. Hieronymo rejeci.

Vers. 18. 18. ECCE DAVID IN NAJOTH IN RAMATHA. — « Najoth, » ait Adrichomius, locus est in urbe (juxta urbem) Ramatha sive Rama, tribus Benjamin, sex milliaribus distans ab Jerusalem versus Bethel, ubi David et Samuel manserunt, ac Saul prophetavit. Chaldæus pro *Najoth* vertit, *domus doctrinæ*. Hic enim erat *ecclesia*, ut aiunt Septuaginta et Josephus, hoc est cœtus et collegium Prophetarum, id est, virorum religiosorum Deo vacantium.

Vers. 20. 20. QUI CUM VIDISSENT CUNEUM PROPHETARUM VATICINANTIUM, — id est, laudantium Deum solitis hymnis et psalmis. *Prophetare* enim subinde est quod laudare et psallere. Sic I *Paral.* cap. XXV, 1, David constituisse dicitur Asaph et Hemam, qui « prophetarent (id est psallerent) in citharis et psalteriis. » Simile habetur II *Paral.* XXXV, 15; vide quæ de his Prophetis dixi cap. X.

ET SAMUELEM STANTEM SUPER EOS, — *q. d.* Samuel præsidebat eis quasi eorum præcentor et chorágus. Dices : Quomodo ergo dictum est cap. XI, vers. ultim., quod Samuel ultra non viderit Saulem usque ad diem mortis suæ? Respondent Hebræi apud S. Hieronymum, Samuelem veniente Saule se abscondisse, aut certe Samuelem non vidisse Saulem in habitu regio, uti ante viderat. Saul enim hic prophetans eo se nudaverat. Sed planius dicimus Samuelem non vidisse, id est invisisse Saulem, uti dixi cap. XV.

FACTUS EST ETIAM SPIRITUS DOMINI IN ILLIS, ET PROPHETARE (psallere) COEPERUNT ETIAM IPSI. — Spiritus hic Dei dictavit eis hymnos quos canerent, puta eosdem quos canebat Samuel cum suis, et simul indidit eis affectum canendi, ac modulos vocis ad scite canendum. Fecit hoc Deus in gratiam Davidis, ut eis haberet tempus effugiendi.

Moraliter, disce hic quantum valeat bonorum societas, æque ac Sanctorum virtus et merita. Nam hi nebulones vel ministri impii Saulis inter prophetas facti sunt prophetæ, Deumque laudarunt quasi Samuel et David eis suum spiritum afflassent.

Vers. 24. 24. ET EXSPOLIAVIT ETIAM IPSE SE VESTIMENTIS SUIS, — ita ut esset omnino nudus, aiunt nonnulli. Honestius Angelomus, Lyranus et Abulensis censent Saulem nudasse se exterioribus duntaxat vestimentis regiis, non vero intimis, quia spiritus Dei non adimit pudorem, ait Vatablus, ut libere Dei laudes deprædicentur : imo spiritus Dei ita Saulem extra se rapuit, ut nesciret quid ageret, ait Aben-Ezra. Addit Lyranus : Saul, inquit, vestem regiam deposuit, et pro ea vestem religiosam seu divinis laudibus accommodatam, qualem habebat Samuel et Prophetæ, induit : uti faciunt subinde principes, qui S. Francisci habitum, pietatis ergo assumunt (1).

ET CECIDIT (ita lege cum Romana, Septuaginta; non *cecinit*, ut legunt nonnulli) NUDUS (eo modo quo jam dixi) TOTA DIE ILLA ET NOCTE, — ut David haberet tempus sufficiens ad fugiendum. Vide hic quam miram Deus Davidis sui habuerit providentiam, et quam miris modis eum servarit; hoc merebatur Davidis patientia, confidentia, sanctitas. « Cecidit » ergo Saul, quia viribus et sensibus destitutus erat, ait Abulensis, Aben-Ezra et Vatablus; vel potius, quia Deum, prosternens se in terram, cum cæteris prophetis adorabat, I *Cor.* XIV. Ita Serarius.

NUM ET SAUL INTER PROPHETAS? — Idem de Saule dictum audivimus, cap. X, sed ibi novitas; hic autem contrarietas fuit ratio et causa proverbii. Mirabantur enim omnes Saulem Davidi prophetæ tam infestum invidumque subito ita mutatum, ut inter socios ejus prophetaret et ipse, psalleretque.

Addit Auctor *Mirabilium S. Scripturæ* apud S. Augustinum, lib. II, cap. X, Saulem stricto arcu

(1) Hæc locutio *nudus* pro semper sumitur latiori sensu tam in sacris quam in profanis scriptoribus : sic Virgilius de aratore, *Georg.* I; sic Titus Livius de Quinto Cincinnato, lib. III, cap. XXVI.

famulos suos insecutum. Porro S. Augustinus in *Psal.* CIII, ex hoc loco docet etiam improbis (qualis erat Saul) in ipso subinde actu et æstu improbitatis dari spiritum prophetiæ : hic enim est gratia gratis data, non gratum faciens uti est charitas. « Saul, ait, non cum persecutus fuisset, sed cum actu persequeretur Davidem, prophetavit, etc. Impleti sunt spiritu prophetiæ qui missi sunt, et prophetaverunt. Sed forte bono illi animo venerant vel ob necessitatem officii sui, vel non facturi quod jussum est. Misit et alios ; hoc in eis factum est, et eorum hoc modo animum interpretemur. Cum illi tardarent, venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis sancti, qui etiam ingratus erat, et ipse impletus est spiritu prophetandi et prophetavit. Non ergo se jactent, qui forte sine charitate habuerint hoc munus Dei sanctum sicut sanctum baptismum; sed videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt : In nomine tuo prophetavimus; non illis dicetur : Mentimini, sed dicetur : Non novi vos; recedite a me qui operamini iniquitatem, quia si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Prophetavit autem et Saul, sed operabatur iniquitatem. »

Sic Balaam prophetavit in ipso actu impietatis, quo persequebatur Hebræos, *Numer.* cap. XXII et seq., æque ac Caiphas persequens adigensque Christum ad necem, prophetavit oportere eum mori pro populo, *Joan.* XI, 50.

Moraliter, vide et mirare hic Dei in impios etiam obstinatos potentiam, æque ac clementiam et beneficentiam ; utpote quæ eorum cor ita immutet et elevet, ut prophetent; itaque eos immutat, ut ad se per pœnitentiam redeant; sed illi in sua pervicacia se obdurantes, cum Dei clementia sua duritie pugnant et certant. Sic enim fecit hic in Saule. Simile et longe amplius fecit in Saulo; dum eum adhuc « spirantem minarum et cædis in discipulos Domini, » in ipso persecutionis itinere et fervore, cœlesti luce et voce siderans illico immutavit, ex Saulo Paulum, ex persecutore Apostolum, ex Pharisæo Doctorem Gentium effecit, *Act.* IX, ut de eo, æque ac Saule diceretur : « Num et Saulus inter Prophetas, » imo inter Apostolos? Hæc mutatio dexteræ Excelsi ; sed major in Saulo, quam in Saule. Nam in Saule mansit cor pravum, invidia et odio Davidis occæcatum cum prophetia ; in Saulo vero cor ferreum, odio Christi et Christianorum accensum, illo a Deo per miraculum exempto, factum est cor sanctum, cœleste et divinum, insatiabili Christi et Christianorum amore æstuans et flagrans.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David, cum Jonatha de iniquo patris in se odio expostulans, cum eo fœdus initum certis pactis renovat et confirmat ; quare Jonathas, vers. 18, *promittit ei se patris erga eum animum exploraturum, ac per sagittas ejus amorem vel odium significaturum. Ergo, vers.* 27, *Davidem apud patrem excusat ; sed pater in eum exardescens lanceam parat ; unde, vers.* 36, *Jonathas ex condicto odium implacabile patris per sagittas Davidi significat, ac mox eum lacrymis amplexans in pace dimittit.*

1. Fugit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Jonatha : Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? 2. Qui dixit ei : Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi ; hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo, nequaquam erit istud. 3. Et juravit rursum Davidi. Et ille ait : Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet : Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur. 4. Et ait Jonathas ad David : Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5. Dixit autem David ad Jonatham : Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum ; dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei : Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam ; quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis. 7. Si dixerit : Bene ; pax erit servo tuo : si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus. 8. Fac ergo misericordiam in servum tuum ; quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me

interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. 9. Et ait Jonathas : Absit hoc a te; neque enim fieri potest ut, si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. 10. Responditque David ad Jonatham : Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? 11. Et ait Jonathas ad David : Veni et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum, 12. ait Jonathas ad David : Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero; 13. hæc faciat Dominus Jonathæ, et hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te ut vadas in pace, et sit Dominus tecum sicut fuit cum patre meo. 14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini; si vero mortuus fuero, 15. non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra; auferat Jonatham de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David. 16. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David, et requisivit Dominus de manu inimicorum David. 17. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum; sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18. Dixitque ad eum Jonathas : Cras calendæ sunt, et requireris; 19. requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, et sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. 20. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum. 21. Mittam quoque et puerum, dicens ei : Vade, et affer mihi sagittas. 22. Si dixero puero : Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus : si autem sic locutus fuero puero : Ecce sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum. 24. Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendæ, et sedit rex ad comedendum panem. 25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David. 26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa : cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. 27. Cumque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David, dixitque Saul ad Jonatham filium suum : Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28. Responditque Jonathas Sauli : Rogavit me obnixe ut iret in Bethlehem, 29. et ait : Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me; nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. 30. Iratus autem Saul adversum Jonatham, dixit ei : Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam et in confusionem ignominiosæ matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, et adduc eum ad me, quia filius mortis est. 32. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait : Quare morietur? quid fecit? 33. Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David. 34. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus. 35. Cumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, et puer parvulus cum eo, 36. et ait ad puerum suum : Vade, et affer mihi sagittas quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum jaculi quod miserat Jonathas; et clamavit Jonathas post tergum pueri, et ait : Ecce ibi est sagitta porro ultra te. 38. Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens : Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad dominum suum; 39. et quid ageretur penitus

ignorabat; tantummodo enim Jonathas et David rem noverant. 40. Dedit ergo Jonathas arma sua puero, et dixit ei : Vade et defer in civitatem. 41. Cumque abiisset puer, surrexit David de loco qui vergebat ad Austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio, et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter. David autem amplius. 42. Dixit ergo Jonathas ad David : Vade in pace; quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes : Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum. 43. Et surrexit David, et abiit; sed et Jonathas ingressus est civitatem.

Vers. 3. 3. UNO TANTUM (UT ITA DICAM) GRADU EGO MORSQUE DIVIDIMUR, *q. d.* Vicinus sum morti, instat mihi mors parata a patre tuo; tantum deest illi occasio necis meæ patrandæ, illam quærit, illaque data certo me occidet. Sic ægris et senibus instat mors, ut ab ea uno tantum gradu vel passu distare videantur. Sic navigantes in mari uno tantum palmo, et ut poeta ait, « quatuor digitis, » distant a morte : palmo enim duntaxat limbus navis super mare eminet, quem si mare fluctuans transcendat, eam cum rectoribus submerget. Sic quilibet homo uno gradu distat a morte : si enim vel febri vel peste corripiatur, morietur; imo gutta una aquæ sive catharri nocte in fauces defluens eum suffocabit, uti multis accidere vidimus. Et hæc est vita tam caduca, tam incerta, tam brevis, cui mortales inhiant, et quasi semper duraturæ incumbunt, ut ei opes, honores, delicias sine fine comparent. O quam exigui sunt mortalium termini, o quam exigui sunt mortalium animi! « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Cur non vitam præsentem tam fallacem contemnitis, ac futuram beatam et æternam ambitis?

Caducitas vitæ humanæ.

Vers. 5. 5. ECCE CALENDÆ SUNT CRASTINO, ET EGO EX MORE SEDERE SOLEO JUXTA REGEM AD VESCENDUM : DIMITTE ERGO ME, UT ABSCONDAR IN AGRO USQUE AD VESPERAM DIEI TERTIÆ. — « Calendæ » erat primus dies mensis, qui apud Hebræos non quidem proprie erat festus, sed tamen sacrificiis celebris : vocabaturque Hebraice חדש *Chodes*, id est innovatio lunæ et mensis, Græce νεομηνία, Latine *novilunium*; Hebræi enim habebant menses lunares, adeoque novilunium, sive prima dies novæ lunæ et lunationis, erat primus dies mensis, ut dixi *Numer.* XXVIII, 11, ubi causas hujus rei dedi : quare illo die sacrificium, indeque convivium cum amicis agitabant. Hac de causa David, quasi gener regis, eo die solebat mensæ Saulis accumbere : sed quia eum sibi adeo infensum expertus erat, non fuit ausus ad eum accedere, ne rursus ab eo lancea feriretur. Ait ergo Jonathæ ut animum patris erga se exploret, se interim mutato habitu latitaturum in agro vicino, ut a Jonatha responsum exspectet usque ad diem tertium; ut si primo die Calendarum Jonathas non habeat occasionem agendi cum patre de Davide, aucupetur illam secundo, ac tertio die eamdem sibi significet, ut si videat patrem mitigatum et odium deposuisse, ad mensam ejus accedat; sin autem, fuga saluti suæ consulat.

Chaldæus ait fuisse calendas mensis secundi, puta aprilis, et embolismi diem, quo proinde celebrabatur pascha; ut David sic in eo a Saule quæsitus ad necem, fuerit typus Christi in Paschate a Judæis occisi, sed a morte die tertia gloriose resurgentis.

Sic et Romani celebres habebant mensium suorum calendas. « Calendæ enim, ait Macrobius, lib. I *Saturn.* cap. XVI, in fine, inde sunt dictæ quod in illis Pontifex calata, id est vocata, in Capitolium plebe, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem, dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas, repetito septies, prædicabat. » Græci quoque celebrabant festa ἑπτεμηνία, teste Turnebo, libro III, cap. IV. Calendæ unde dictæ?

Vers. 8. 8. QUIA FOEDUS DOMINI ME FAMULUM TUUM TECUM INIRE FECISTI. — « Fœdus Domini » vocat fœdus coram Domino, et interposito Domini in juramento fœderali nomine, initum. Item Dei respectu, veneratione et amore sancitum. Dicit hoc David, ut acrius pungat animum Jonathæ ad fœdus servandum, et juxta illud præstandum sibi opem apud patrem; utpote quam non tantum sibi, sed et Deo quasi promissam præstiturus sit.

SI AUTEM EST INIQUITAS ALIQUA IN ME, TU ME INTERFICE, ET AD PATREM TUUM NE INTRODUCAS ME, — ne ille odio suo inveterato ardens in me sæviat, neque crudeliter excruciet, *q. d.* Moriar potius manu amica, quam inimica. Sic Phædra apud Senecam ait Hippolyto suo : « Nimis opto amantis immori manibus. » Similiter ait hic David : Si mortem evadere nequeo, si moriendum mihi sit; malo amica tua manu amice occumbere, quam inimici hostili et crudeli vindicta discruciari. Sciebat David Jonatham, utpote amicum, id nequaquam facturum : sed utitur hac phrasi ad pathos, ut cor Jonathæ cruciet, ipsumque adigat ad suam causam apud patrem serio et efficaciter peragendam. Ita Abulensis. Sic enim solent amantes amorem amantium stimulando acuere. Similiter Japones suos cognatos vel amicos a rege ad mortem damnatos sua manu obtruncant, ne id fiat per inimicum vel carnificem : hoc enim ipsi infame et probrosum putant.

Vers. 9. 9. COMPLETAM ESSE PATRIS MEI MALITIAM CONTRA TE, — ut plene planeque decreverit te ad necem persequi et occidere.

Vers. 12. 12. DOMINE DEUS ISRAEL, — subaudi, castiga et vindica me, si fidem Davidi meo datam fefellero.

Jonathas enim ex æstu amoris perturbate, interrupte et incise loquitur, uti solent facere amantes. Nam invocat Deum, nec sensum explet, sed per enallagen personæ, mentem et os a Deo ad Davidem adeo a se amatum convertit, dicens :

ET NON STATIM MISERO AD TE (o David mi! Deinde sensum explet dicens) : HÆC FACIAT DOMINUS JONATHÆ, ET HÆC ADDAT, — *q. d.* Hisce et hisce pœnis me afficiat, et plures addat pœnasque pœnis accumulet.

Vers. 13. 13. REVELABO AUREM TUAM, — *q. d.* Secreto, sed certo tibi quasi in aurem ingeram et indicabo.

ET SIT DOMINUS TECUM, SICUT FUIT CUM PATRE MEO, — ut sicut illum ex humili vilique ad regnum evexit, et tot victoriis cumulavit ; ita faciat et tibi. Tacite enim Jonathas hic Davidi regnum vaticinatur. Audi S. Hieronymum hic in *Tradit.* : « Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo, id est sublime faciat regnum tuum, sicut sublime fecit patris mei regnum. Et si vixero, facias mihi misericordiam Domini ; ut scilicet sim secundus in regno tuo ; et si mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum. »

Sic et Angelomus, Lyranus, Abulensis et Vatablus, idque ita esse patet, ex eo quod Jonathas ait Davidi, cap. XXIII, vers. 17 : « Et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et pater meus Saul scit hoc. »

Vers. 14. 14. ET SI VIXERO, FACIES MIHI MISERICORDIAM DOMINI, — id est coram Domino, Dominique nomine interposito mihi a te in fœdere promissam, cap. XVIII, vers. 3 ; sic enim vocavit « fœdus Domini, » vers. 8. Alii, *Domini,* id est *Domino gratam et placitam,* ait Pagninus. Aut potius *Domini,* id est *magnam et insignem,* qualem scilicet solet Dominus suis fidelibus et amicis exhibere : quæ enim Domini sunt magna sunt. Sic dicuntur « Cedri Dei » et « montes Dei, » id est magni et excelsi. Ita Vatablus, Sanchez et alii.

Porro Hebræa hic implexa sunt et obscura, et a variis varie vertuntur : sed sic optime vertas, ut τὸ וְלֹא *velo,* id est *et non,* quod ter repetitur, legas non assertive, sed interrogative, hoc modo : *Et non,* id est *et nonne cum adhuc fuero, vivens, nonne, inquam, facies mecum misericordiam Domini? Et nonne, si moriar, non exscindes misericordiam a domo mea? q. d.* Omnino facies, et non exscindes, ut clare vertit Noster. Sic videntur interpretari Septuaginta, qui pro τὸ *et non,* vertunt, *et si,* hoc est *nonne?* si tamen assertive malis legere, post τὸ *et non,* subaudiendo *tantum* ; sic ad verbum verte cum Pagnino et Vatablo : *Et non tantum adhuc me vivente facies mecum misericordiam Domini, et non moriar ; sed etiam non abscindes misericordiam tuam a domo mea usque in sæculum, nec (tum quidem) cum abscideri Dominus inimicos David ;* qui sensus in re idem est cum priori ; et utrumque clare reddit vulgatus Interpres.

15. AUFERAT JONATHAM DE DOMO SUA. — Hæc verba Vers. 15. non sunt in Hebræo, sed in Septuaginta et Latinis Romanis. Sensus est, *q. d.* Si ego Jonathas tibi, o David, fuerim infidus et fœdifragus, precor ut Deus me puniat, et meam familiam posteritatemque auferat et subvertat, utque Deus requirat, ut judicet, vindicet et ulciscatur inimicos Davidis, et per consequens me meosque, si contra fœdus cum eo initum me ejus hostem ostendero. Ita Abulensis. Jurat enim Jonathas juramento execratorio se fidem Davidi datam servaturum.

16. ET REQUISIVIT DOMINUS DE MANU INIMICORUM Vers. 16. DAVID. — Interrumpit hic Auctor libri seriem historiæ et pacti, ut significet ita reipsa evenisse postea, sicut imprecatus fuerat Jonathas : scilicet Deum « requisivisse, » id est exegisse vindictam de Saule cæterisque inimicis Davidis, qui eum injuste persecuti fuerant et afflixerant. Ita Angelomus, qui et alium sensum affert, nimirum hunc : « Deus requisivit, » id est rationem exegit ab iis qui noluerunt cum Davide inire fœdus, sicut inierat Jonathas : utpote cum viderent Dominum stare et pugnare cum Davide.

Porro Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, ex Hebræo sic apposite vertunt, *et requirat Dominus de manu inimicorum David :* sicque exponunt, ut hæc verba sint quasi materia fœderis, quod Jonathas cum Davide iniit, *q. d. Pepigit Jonathas fœdus, cum domo David* dicendo : *requirat,* id est castiget et ulciscatur *Dominus* inimicos Davidis, qui eum inique vexant et insectantur, ac consequenter castiget quoque et puniat me meosque, si fidem fallam, eique ex amico fiam inimicus.

19. REQUIRETUR ENIM SESSIO TUA, — id est locus Vers. 19. sessionis tuæ in mensa, *q. d.* Quæret Saul cur vacuus sit locus sessionis tuæ, id est cur tu absis a mensa præter solitum. Solebat enim David sæpe, præsertim diebus festis vel celebribus ; quales erant Calendæ, quasi gener regis illi in mensa assidere tertio loco, aiunt Septuaginta et Josephus. Nam in mensa *primus* sedebat Saul, *secundus* a dextris sedebat Jonathas filius, *tertius* David gener : Abner vero patruelis Saulis et princeps militiæ sedebat *secundus* a sinistris ex adverso Jonathæ.

USQUE PERENDIE, — primo enim die Calendarum Saul faciebat solemne epulum ex victimis pacificis a se Deo immolatis : secundo vero die reliquias consumebat juxta legem, *Levit.* VII. Quare usque ad tertium diem locus Davidis in mensa Saulis futurus erat vacuus, et causam absentiæ Davidis ex Jonatha quæsiturus erat Saul.

DESCENDES ERGO FESTINUS, ET VENIES IN LOCUM UBI CELANDUS ES IN DIE QUA OPERARI LICET, — *q. d.* Primo die post Calendas venies *in Ezel,* ut ibi lateas ; nam ipso die Calendarum « operari, » et consequenter proficisci et magnum iter facere non licet. Licet enim Calendæ sive Neomenia non esset proprie festum a lege indictum, ut eo operari et proficisci vetaretur ; tamen populus ex devotione et

consuetudine Neomeniam ut festum colebat, illoque die ab opere cessabat, ac sacrificiis epulisque vacabat. Ita Abulensis, qui citat S. Augustinum dicentem : « Melius facerent Judææ mulieres si in Neomeniis nerent, quam in his impudice saltarent. » Forte etiam Jonathas non loquitur de Calendis, sed de Sabbato, quod tum occurrebat, quo operari non licebat.

ET SEDEBIS JUXTA LAPIDEM CUI NOMEN EST EZEL.— Hebraice *Hacyel*, hoc est sedebis juxta certum lapidem qui vocatur *Ezel*, id est *itinerarius*, ait Pagninus, eo quod itinerantibus in bivio demonstret utriusque viæ exitum, qualis fuit lapis Mercurii : hic enim erat deus et index viarum. Ita Lyranus et Vatablus. Aut dictus est *itinerarius*, eo quod viatoribus milliaria et distantiam locorum ostendat. Sic enim postea Romani, omnis politiæ æmuli, in celebrioribus viis statuerunt lapides milliarios. Unde illæ phrases : « Primo ab urbe lapide, secundo vel tertio ab urbe lapide; » hoc est primo, secundo vel tertio ab urbe milliario : lapides hi etiamnum Romæ nonnullis in locis exstant. Et talis fuisse videtur lapis hic *Ezel*. Audi Adrichomium : Lapis Ezel dicitur a viatoribus seu de ambulatione; distat a Jerusalem 150 stadiis, et ab Jordane stadiis sexaginta, teste Josepho, lib. V *Antiq.* cap. IV. Idem lapis vel locus a Septuaginta dicitur *Ergab* : causam dicam vers. 41.

Vers. 20. 20. ET JACIAM QUASI EXERCENS ME AD SIGNUM, — ut scopum sagitta configam. Ita Septuaginta, Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotion et alii.

Vers. 21. 21. DIMISIT TE DOMINUS, — liberum scilicet; liberavit te Deus de manu Saulis, fecitque ut cognito per me ejus in te odio liber aufugeres et abires.

Vers. 22. 22. DE VERBO AUTEM QUOD LOCUTI SUMUS EGO ET TU, SIT DOMINUS INTER ME ET TE; — testis scilicet, *q. d.* Soli nos duo hoc fœdus iniimus; quare nullus ejus est testis nisi Deus, qui unus pro omnibus sufficit, ut jugiter memores nos reddat hujus fœderis coram se initi, adigatque ad illud exacte servandum.

Vers 25. 25. CUMQUE SEDISSET REX SUPER CATHEDRAM SUAM. — Hinc videtur Saul sedisse ad mensam, non discubuisse : quare mos discumbendi apud Hebræos posterius introductus videtur.

SURREXIT JONATHAS, — id est, assurrexit venienti Abner honoris causa, ait Vatablus. Porro Chaldæus vertit, *stetit Jonathas*; Septuaginta, *prævenit eum Jonathas*; quia enim cathedra Saulis adhærebat parieti, hinc prius transire debebat Jonathas ad locum suum, quam Saul sessione sua locum illi ad transeundum occluderet. Aut « surrexit Jonathas, » scilicet ut ad locum suum in mensa pergeret, illumque sedendo occuparet.

Vers. 26. 26. NEC PURIFICATUS. — Hinc videtur quod convivium hoc regis Saulis in Calendis instructum fuerit ex victimis pacificis, hoc est pro pace, prosperitate et felicitate totius mensis Deo oblatis; ut scilicet Deus hunc mensem sibi suoque regno faceret faustum et salutarem. Nam immundi poterant vesci communibus cibis, et mensæ regiæ accumbere : nec enim arcebantur communicatione hominum, sed sacrorum, puta ingressu templi. Cogitabat ergo Saul Davidem ex cæde alicujus Philistæi, aliave simili re contraxisse immunditiem legalem, nec ab ea se adhuc purificasse, ideoque absentare a mensa regis, in qua carnes Deo oblatæ apponebantur, quibus immundi vesci non poterant.

Vers. 27. 27. CUR NON VENIT FILIUS ISAI? — Ecce hic fel Saulis se exerit : non enim Davidem nomine suo nuncupat, sed contemptim eum vocat *filium Isai*, hominis plebeii.

Vers. 28. 28. ROGAVIT ME OBNIXE UT IRET IN BETHLEHEM.— Mentitur Jonathas, sed officiose, putans id sibi licere ad excusandum Davidem amicum suum.

Vers. 30. 30. FILI MULIERIS VIRUM ULTRO RAPIENTIS, — id est fili meretricis : hæc enim viros ambit et ad scelus allicit. Sic et Septuaginta : *Fili*, inquiunt, *puellarum sponte venientium;* unde videntur legisse נערות *naaroth*, id est *puellarum* per ו : jam legunt per נעות *naavath*. Unde cum Pagnino vertunt, *Fili perversæ rebellionis;* hanc enim significat מרדות pro quo Noster cum Septuaginta aliis punctis legit *moredoth*, id est *descendentium ad viros, et ultro se iis ingerentium* : ירד *iarad* enim significat *descendere*. Aut Noster legit *mardot*, id est *dominantium*, quæ scilicet viris sua illecebra et forma dominantur, a radice *rada*, id est *dominari*. Sensus ergo est *q. d.* Saul : Videris mihi, o Jonatha, non esse filius meus, sed matris adulteræ, eo quod non pareas nec faveas mihi, sed Davidem magis ames quam me, quasi ille vel aliquis ejus cognatus sit pater tuus, non ego, et quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te conceperit et genuerit; ideoque non me, sed Davidis amorem tibi ingenerarit. Unde sequitur :

IN CONFUSIONEM MATRIS TUÆ, — *q. d.* Hoc ipso quod adeo amas Davidem, confundis te et matrem tuam; ostendis enim ipsam non ex me, sed ex amico aliquo Davidis concepisse.

Vers. 31. 31. FILIUS MORTIS EST, — id est reus mortis est, dignus est morte, ideoque a me morti destinatus.

Allegorice Angelomus : « David, inquit, absconditus in agro, est Christus celatus. In mundo (inquit Joannes) erat, et mundus eum non cognovit. Juxta lapidem sedebat, quia in tabulis legis scriptus erat. Eum Saul odio habens et inter epulas sedens, filium mortis judicabat : et Judaica plebs, in Paschæ epulis convivans, de nece Christi tractabat. »

Vers. 41. 41. DE LOCO (lapidis Ezel) QUI VERGEBAT AD AUSTRUM. — Hebraice נגב *negab*, id est *ad Meridiem*, sive *Austrum*. Porro Septuaginta retinuerunt nomen *negab*, quasi proprium, sed illud a descriptoribus depravatum est, ut pro *negab*, legatur, *Ergab* vel *Argag*, vel *Argaph*, vel *Annegab*. Audi S. Hieronymum in *Locis Hebr.* : « Ergab, ad quem

locum Jonathas filius Saul veru direxit, militaribus jaculis se exercens. Pro quo Aquila et Symmachus interpretati sunt lapidem, licet Symmachus in alio loco pro hoc περίμετρον, id est ambitum dixerit. »

Porro *veru* S. Hieronymus vocat telum vel jaculum, ad veru similitudinem factum, æque ac Virgilius, lib. VII *Æneid.*, dicens :

Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.

PRONUS IN TERRAM ADORAVIT TERTIO, — id est tertio se in terram prostravit, itaque reverentiam Jonathæ exhibuit.

42. QUÆCUMQUE JURAVIMUS, IN NOMINE DOMINI, — scilicet rata firmaque sint; vel eorum simus semper memores. Est ellipsis et reticentia mire congruens dolentibus : hi enim ex dolore multa subticent; dolor enim eis os faucesque occludit, ut verba frangant, et sententiam dimidient vel incidant. Tale est illud Christi deflentis excidium Jerusalem : « Si cognovisses et tu, » *Lucæ* cap. XIX, vers. 42. Vers. 42.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad Achimelech pontificem in Nobe, ab eoque petit et accipit panes propositionis et gladium Goliæ. Inde, vers. 10, videns in Judæa, utpote Sauli subjecta, se latere non posse, fugit ad Achis regem Geth, apud quem proditus et accusatus, simulat se stultum, itaque liber evadit.

1. Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem; et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei : Quare tu solus, et nullus est tecum? 2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem : Rex præcepit mihi sermonem, et dixit : Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim; nam et pueris condixi in illum et illum locum. 3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. 4. Et respondens sacerdos ad David, ait illi : Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? 5. Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudius tertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini; et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. 8. Dixit autem David ad Achimelech : Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgebat. 9. Et dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod; si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David : Non est huic alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul; et venit ad Achis regem Geth; 11. dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidissent David : Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia? 12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. 13. Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. 14. Et ait Achis ad servos suos : Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

Vers. 1. 1. VENIT AUTEM DAVID IN NOBE AD ACHIMELECH SACERDOTEM — summum, sive Pontificem. Erat enim *Achimelech* filius Achiæ, filii Achitob, filii Phinees, filii Heli Pontificis. S. Marcus, II, 26, ait Davidem venisse ad *Abiathar*, sive quia *Abiathar* filius Achimelechi, patre absente vel ægrotante,

vices ejus obibat; sive quia nomen utrumque tam filio quam patri erat commune, uti ibidem ostendi. David initio persecutionis Saulis fugiens, secundo et tertio ad eum rediit, sperans eum sibi reconciliare. At ubi a Jonatha cognovit implacabile ejus contra se odium, fugit, nec amplius ad Saulem rediit.

IN NOBE. — Civitas hæc cessit sacerdotibus occasione, ut videtur, tabernaculi fœderis eo translati. Nam *Josue*, cap. XXI, inter urbes sacerdotales non recensetur « Nobe. » Post Josue ergo data fuit sacerdotibus, cum tabernaculum in illam fuit delatum. Tabernaculo enim deservire debebant sacerdotes. Porro duæ erant urbes dictæ « Nobe, » una in confinio tribus Juda et Benjamin cis Jordanem, altera trans Jordanem in dimidia tribu Manasse, *Numer.* XXXII, 42, et *Judic.* cap. VIII, 11. Multi priorem « Nobe » hic accipiunt: Serarius vero posteriorem, eo quod prior illa vicina esset Gabaa Saulis, David vero hic, vers. 1, dicat se illinc egressum non eodem die, sed ab heri et nudiustertius : ergo intelligit « Nobe » trans Jordanem sitam : hæc enim longius distabat a Gabaa ubi habitabant Saul et David.

Nota : Tabernaculum fœderis continens arcam, quod Moses fabricavit, fuit in Silo, ibique mansit usque dum caperetur arca a Philistæis, a quibus post septem menses remissa, collocata fuit arca in Cariathiarim; inde translata fuit in domum Obededom; inde a Davide in Sion : inde a Salomone in templum ab eo erectum. Tabernaculum vero Mosaicum, capta arca, videtur delatum in Nobe; qua a Saule subversa, ut audiemus cap. sequenti, translatum fuit in Gabaon : inde a Salomone traductum in templum, III *Reg.* VIII.

Porro Sacerdotes et Pontifices sacrificia offerebant eo loci, ubi erat tabernaculum; quia in eo erat altare holocaustorum, in quo offerendæ erant victmæ, I *Paralip.* XXI, 29; subinde tamen Samuel aliique ob graves causas dispensante Deo aliis in locis sacrificarunt, donec Deus elegit sibi stabilem locum in templo Salomonis.

Dices : David dicitur tetendisse arcæ tabernaculum in Sion, II *Reg.* cap. VI, 17. Respondeo, hoc tabernaculum non fuisse illud priscum a Mose fabricatum, sed novum a Davide in Sion ad honorem arcæ erectum.

ET OBSTUPUIT ACHIMELECH, EO QUOD VENISSET DAVID, — quia videbat eum solum et inermem, velut vagum et profugum, ac causam, scilicet iram Saulis ignorabat.

QUARE TU SOLUS, ET NULLUS EST TECUM? — solus enim David fuerat cum Jonatha, ab eoque cognito decreto Saulis de se occidendo, illico solus famelicus et inermis profugerat ad Achimelech, quasi Pontificem. Aliter respondent Lyranus, Dionysius et Athanasius, homil. *De Semente*, scilicet Davidem dici solum venisse, quia non veniebat comitatus solita frequentia famulorum et militum, sed paucis duntaxat stipatus.

2. REX PRÆCEPIT MIHI SERMONEM. — Mentitur David officiose ad tutandam vitam suam : ne scilicet si diceret se fugere Saulem sibi infensum, Achimelech metuens iram Saulis, non auderet panes sibi dare; rursum ne ipsi Achimelech crearet periculum vitæ apud Saulem. Erat enim ibi Doeg, Sauli addictus, qui nihilominus Achimelech apud Saulem accusavit, ideoque causa fuit cur ab eo tot sacerdotes occiderentur, ut audiemus capite sequenti. Vers. 2.

ET PUERIS (famulis) CONDIXI IN ILLUM ET ILLUM LOCUM. — Hinc videtur quod David solus tecta facie, ne agnosceretur a Doeg, ingressus sit ad Achimelech, famulos vero suos jam ante cum a Jonatha discederet, vel per se adiens, vel per Jonatham, ait Abulensis, evocans jusserit se in loco condicto juxta Nobe exspectare : quare ab Achimelech accepisse panes, eosque ad famulos et socios in locum condictum exspectantes detulisse : omnes enim laborabant ex bidui itinere, inedia et fame : quare omnes ex panibus sanctificatis famem expleverunt, ut ait Christus *Matth.* XII, 3, quia aliunde panes communes ob metum Saulis habere non poterat. Necessitas enim non habet legem. Ita S. Hieronymus, Hilarius, S. Thomas, Maldonatus in *Matth.* XII, S. Ambrosius et Toletus in *Lucæ* cap. VI, Lyranus, Dionysius, Abulensis et alii hic. Allegorice Angelomus : « David, ait, ad Achimelech solus venit; et Christus in passione sua solus relictus est. Quod autem ait David, illo et illo in loco condixi pueris meis, hoc indicabat quod Dominus Apostolos suos ante passionem suam informans ait : Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. David ab Achimelech quinque panes quæsivit, sed unum accepit : quia in quinque libris Mosaicæ legis unitas retinetur. »

4. SI MUNDI SUNT PUERI, MAXIME A MULIERIBUS, — quanto magis in lege nova maritos ab usu uxorum abstinere decet eo die, quo panem non propositionis, sed divinum, puta Eucharistiam sumere volunt? ita Theologi. Vers. 4.

5. ET FUERUNT VASA PUERORUM SANCTA. — « Vasa, » id est corpora, fuerunt munda a mulieribus et impolluta. Sic Apostolus, I *Thessal.* IV, 4, jubet ut quisque « vas, » id est corpus, « suum possideat in honore et sanctitate, » id est puritate. Ita Abulensis. Aliter Vatablus, qui per « vasa » accipit vestes, *q. d.* Vestes habemus puras et mundas, quibus sanctum propositionis panem accipiamus. Vers. 5.

PORRO VIA HÆC POLLUTA EST, SED ET IPSA HODIE SANCTIFICABITUR IN VASIS. — Hebraice דֶּרֶךְ *derech*, id est *via*, sæpe sumitur pro more, usu et consuetudine : hac enim res teritur, perinde ac pedibus teritur via sæpius repetita. Est metaphora, *q. d.* « Via hæc, » id est mos hic laicus, immundus et pollutus est; quod scilicet laici vescantur panibus propositionis, quos non nisi sacerdotibus ex lege comedere licet : « sed sanctificabitur in vasis, » *q. d.* Panis hic sanctus non polluetur,

sed sancte, id est pure, recipietur in sanctis, id est puris corporibus nostris, in hac gravi necessitate famis, qua etiam laicis licet panibus sanctis vesci; quare panis hic mundus non polluetur nec profanabitur, sed a mundis famentibus munde comedetur. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Abulensis. *Secundo,* Vatablus, pro *via hæc,* mallet legi, *panis hic, q. d.* Panis hic pollutus est profanus, eo quod a conspectu Domini et Tabernaculo sit remotus; quare nobis laicis eum comedere licet. *Tertio,* alii, *q. d.* « Via hæc polluta est » aliis quibusdam inconvenientiis, sed excusabitur propter munditiam a mulieribus. *Quarto,* alii, *q. d.* Licet « via hæc polluta, » et laica sit, id est, laici negotii causa suscepta; propter tamen vestium corporumque sanctitatem sanctificabitur, id est, in necessitate illa instar sanctæ habebitur; panis iste quasi a mundis comedetur; *quinto,* Angelomus, *q. d.* Mentiendo via et iter polluitur, dum a rege missum me fingo, et hoc necessitate mortis, sed sanctificabitur in illis, quorum causa etiam fugio, quia illorum non solum mei periculi causa mentior : nam ipsi hujus rei causa salvabuntur; prima explicatio uti simplicior, sic et congruentior videtur.

Allegorice idem Angelomus : « David, ait, per viam pollutam se venisse ad Achimelech professus est, quia et Christus Dominus inter immundas Judæorum actiones, impollutus pertransivit. Quod autem ait : Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis, hoc indicabat quod sancti Apostoli, qui Domini vasa erant, a contagione Judæorum, fide purgante corda, sanctificabuntur. »

Porro Chaldæus in *Bibliis Regis* habet contrarie, *et ipse non in via polluta fuit ambulans. Ipse,* scilicet panis, *q. d.* Licet via, id est, consuetudo hæc comedendi, scilicet panem sanctum, a laicis sit polluta; tamen hic et nunc apud nos non erit polluta, ob causam jam dictam. Verum Codices Veneti et Basileenses delent τὸ *non,* et sic plane consentit Chaldæus cum Hebræo, Septuaginta et Latina vulgata.

Vers. 6. 6. NEQUE ENIM ERAT IBI PANIS, NISI TANTUM PANES PROPOSITIONIS. — Quomodo Achimelech Pontifex in domo sua non habuit panes communes? Respondet Abulensis causam fuisse quod ipse jam posuerat in mensa panum propositionis panes recentes, ideoque juxta legem veteres sustulerat ad victum suum et suorum; neque coxerat alios, eo quod illi sufficerent. Verum panes propositionis comedere poterant soli (uti dixi *Levit.* XXIV,) sacerdotes eorumque filii masculi, non vero feminæ et filiæ : quare pro iis Achimelech debebat habere panes communes, quos Davidi dare poterat et debebat. Quare planius dicas Davidem hic rem suam egisse cum Achimelech non in domo, sed in tabernaculo, ubi alii non erant panes quam propositionis. David enim simulabat festinationem et urgens negotium, ne fuga ipsius percrebresceret, itaque ipse caperetur vel occideretur a ministris Saulis. Symbolice S. Augustinus, in *Psal.* LI, docet Davidem hic non tantum regis, sed et sacerdotis personam figurare, dum panes sanctos sacerdotibus propositos comedit, itaque repræsentare Christum, qui fuit sacerdos æque ac rex.

David cum Achimelech egit, non in ejus domo, sed in

Tabernaculo.

Vers. 7. 7. ERAT AUTEM IBI VIR QUIDAM DE SERVIS SAUL IN DIE ILLA, INTUS IN TABERNACULO. — Pro *intus,* Serarius vult legendum *tentus,* hoc est detentus. Sic enim habent Hebræi, Septuaginta, Chaldæa, S. Hieronymus, Vatablus et alii : nimirum obligatus erat voto, quo voverat se per aliquot dies in Tabernaculo mansurum, ut orationi et legi Dei legendæ et audiendæ vacaret. Ita Rabanus et ex eo Glossa. Aut ut Theodoretus, tenebatur in Tabernaculo, quia torquebatur a quodam dæmone : aut tenebatur morbo, et ideo in tabernaculo orabat, ut eo liberaretur.

ET NOMEN EJUS DOEG IDUMÆUS, — quia in Idumæa habitarat; nam Josephus ait eum fuisse Syrum. Hebræi apud S. Hieronymum tradunt eum fuisse armigerum Saulis : qui, Saule se occidente, etiam ipse se occidit cap. XXXI; sed hoc incertum, et a Rabbinis confictum videtur. Prodidit hic Doeg Davidem et Achimelech Sauli, ut audiemus cap. seq., ideoque fuit typus Judæ proditoris prodentis Christum Judæis. Ita S. Augustinus in *Psal.* LI.

POTENTISSIMUS PASTORUM SAUL, — id est, ut Chaldæus, *præfectus Pastorum Saulis;* Septuaginta vertunt, *pascens mulas Saulis;* unde hoc ex Septuaginta traductum in nonnullis codicibus Latinis legitur, æque ac apud Josephum. Verum id recte sustulere Romani, ut ostendit hic Franciscus Lucas in *Notationibus.*

Vers. 9. 9. ECCE HIC GLADIUS GOLIATH, etc., EST INVOLUTUS PALLIO POST EPHOD, — nimirum David gladium hunc quo Goliam truncarat, obtulerat et consecraverat Deo, quasi victoriæ auctori in tabernaculo. Ita Abulensis, Serarius et alii; licet id neget Lyranus.

POST EPHOD, — id est, post locum sive post vestiarium, in quo Ephod et vestes sacerdotales asservabantur, ait Vatablus. Aliter Chaldæus : *Gladius Goliæ,* inquit, *opertus pallio, postquam quæsivit illi in Epod, q. d.* Gladius hic oblatus fuit Deo per oraculum, quo David consulens Deum per Pontificem indutum Ephod, in quo erant Urim et Tummim, ubi vellet reponi hunc gladium, ab eo audivit illum sibi dicandum in Tabernaculo. Sic et Serarius qui id colligit ex cap. XXII, vers. 10, 13, 15.

Anathemata in templis Dei dicanda.

Hinc colligit Abulensis recte in templis dicari Deo gladios, arma, vexilla similiaque anathemata in memoriam et gratitudinem sanitatum, victoriarum aliorumque beneficiorum a Deo et Sanctis receptorum.

ET AIT DAVID : NON EST HUIC ALTER SIMILIS, DA MIHI EUM. — Hinc patet Davidem procero vastoque fuisse corpore, utpote qui gladio Goliæ uteretur et pugnaret.

Allegorice Angelomus : « David, ait, Goliæ gladium sustulit, quia et Christus Dominus diaboli arma abstulit. Fortis enim ipse spolia diripuit. »

Vers. 10. 10. SURREXIT ITAQUE DAVID, ET FUGIT IN DIE ILLA A FACIE SAUL, ET VENIT AD ACHIS REGEM GETH. — David dimissis alio famulis solus fugit, et venit ad Achis, ut melius lateret incognitus ; ne si cognosceretur tot stragum auctor occideretur, ut patet ex sequenti. Nam Goliath occisus a Davide erat ex *Geth*, cujus rex erat *Achis*. Porro *Achis* hic in titulo psalmi XXXIII, vocatur *Abimelech*, aut potius *Achimelech*, id est, *Achis rex*, uti vertunt Theodotion, Symmachus, sicque explicat ibidem S. Augustinus.

Vers. 11. 11. NUMQUID NON ISTE EST DAVID REX TERRÆ, — qui ubique præliatur, vincit et dominatur? aut, ut Vatablus, *rex terræ*, id est, hujus regionis nostræ : ad eum enim regnum terræ nostræ pertinere videtur propter devictum Goliath : ea enim lege pugnatum erat, ut victor possideret regionem victi, *q. d.* Cum ad Davidem regnum tuum videatur pertinere, o Achis, cur eum in illud non admittis?

Vers. 12. 12. POSUIT AUTEM DAVID SERMONES ISTOS IN CORDE SUO, — cogitans modum et rationem accusationem hanc refellendi vel declinandi, et evadendi tam præsens vitæ periculum. Unde tunc oravit et composuit psalmum LV, in quo petit ab hostibus maledicis liberari, et paulo post dictavit psalmum XXXIII ; illius enim hic est titulus : « Davidi cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit, » I *Reg.* XXI. Unde videtur David psalmum hunc dictasse non initio accusationis et periculi, sed postquam ab Achis dimissus liber evasit. Nam Deo pro liberatione gratias agens cecinit : « Benedicam Dominum in omni tempore, » David enim Goliath Gethæum, multosque alios Gethæos et Philistinos occiderat, unde eis erat odio ac terrori : Geth enim erat una ex quinque Satrapiis Philistinorum cujus satrapa, sive rex, id est regulus, erat Achis. *Geth* hebraice idem est quod *torcular*, idque hic appositum est. David enim metu Saulis coactus fuit fugere ad Philistæos conjuratos Israelis et suos hostes ; unde ibi quasi in torculari pavoris et angoris pressus fuit. Geth tempore S. Hieronymi Diocæsarea dicebatur. Sita est juxta Gazam et Accaron. Ita Adrichomius.

David hoc tempore composuit Psalmus LV et XXXIII.

Vers. 13. 13. ET IMMUTAVIT OS SUUM CORAM EIS. — Pro *os suum*, Hebraice est טעמו *taamo*, id est, *gustum suum*, hoc est sensum suum, puta mentem suam, hoc est : David, qui prius erat sensatus, finxit se insanum. Ita Vatablus. *Secundo* Pagninus vertit, *sermonem suum*, quasi dicat : David immutabat sermonem, maxime quoad pronuntiationem et accentum ; ac ne Judæus videretur, alia dialecto et pronuntiatione utebatur. Ita Serarius. *Tertio* et plane, *gustum*, id est, habitum oris et faciei suæ : ore enim et facie ostenditur gustus tum corporis tum mentis ; quid scilicet homo gustet, quid ei placeat, quid eum oblectet, quidve ei displiceat, eumque contristet. David ergo *mutavit gustum*, id est, habitum oris et vultus sui, illum detorquendo, contrahendo, dilatando, et in varias formas gestusque os, oculos, nares et labia transformando, uti faciunt stulti, cum quid eis placet, vel displicet.

Allegorice Angelomus : « David, ait, id est Christus, mutavit os suum, dum aliam legem, aliud testamentum, alia præcepta et Sacramenta quam fuerant legis veteris, in lege nova instituit ; præsertim Eucharistiam : mutavit enim ipse sacrificia boum et taurorum in sacrificium Eucharisticum corporis et sanguinis sui. » Ita et S. Augustinus in titulo *Psal.* XXXIII, qui et addit : « Insanire Christus videbatur Judæis, dum diceret : Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Unde dicebant : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » *Joan.* VI.

ET COLLABEBATUR INTER MANUS EORUM. — Hebraice יתהולל *iitholel*, quod Pagninus vertit, *insaniebat* ; Vatablus, *simulabat se stultum* ; Chaldæus, *et stupidus factus est in manu eorum*, scilicet David jactando brachia, divaricando tibias, titubando, et cadendo in terram fingebat se insanum vel epilepticum.

Allegorice, Christus collapsus est in manibus Judæorum, quando ab eis crucifixus fuit. Ita Angelomus, Glossa, et ex ea S. Thoma, II II *Quæst.* CXI, art. 1, ad 2. Septuaginta vertunt, παρέφερετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, id est *delirabat*, id est *delira faciebat et delirum se fingebat in manibus suis* ; παραφορά enim est mentis error et deliratio, teste Galeno et Suida, qui παραφορά quoque appellat Dæmoniacum ; ut David hic repræsentet Christum, qui a Judæis habitus est ut delirus et dæmoniacus, ac ab Herode veste alba, quasi stultus, indutus est. Unde et S. Augustinus in *Psal.* XXXIII, qui est de hac re : « Psalmus, inquit, ostendit sanam et sobriam ebrietatem. » Idem tamen ibidem vertit : *Ferebatur in manibus suis*, idque aptat Christo, qui in ultima cœna instituens Eucharistiam, eam gestans manibus suis portabat ; τὸ enim παρεφέρετο proprie dicitur de ferculis, cum in triclinium mensamque inferuntur. « Ferebatur, ait S. Augustinus, Christus in manibus suis, quando comedens ipsum corpus suum ait : Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. »

ET IMPINGEBAT IN OSTIA PORTÆ. — Hebraice יתו *ietau*, quod Chaldæus vertit, *lineans super vacuas portæ*, quasi dicat : Recta linea in ostia ferebatur, et arietabat uti faciunt arietes ; aut lineas formabat in ostio. Pagninus, *designabat in ostiis portæ* ; Vatablus, *exaruit unguibus in valvis portarum*, vel *pingebat sive scribebat in ostiis portæ*, sicut fatui in ostiis solent digitis suis pingere, et varias lineas describere.

Porro S. Augustinus in titulo *Psal.* XXXIII, ex

Septuaginta legit, *affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis*, hoc est, tam crebro et fortiter in ostia impingebat, ut tympanum pulsare videretur, aut tympana et alia ludicra in ostio pingebat.

Allegorice vero S. Augustinus, idipsum de Christo crucifixo explicans : « Affectavit, inquit, id est, compassus et miseratus est nos e supremis ; et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur ; ut autem tympanum fiat, caro, id est, corium in ligno extenditur ; dictum est : Et tympanizabat, id est, crucifigebatur, in ligno extendebatur. Affectabat, id est, affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis. Tympanizabat : Quomodo ? ad ostium civitatis. Ostium nobis est, quod aperitur ut credamus in Deum. Clauseramus ostia contra Christum, et aperueramus diabolo, contra vitam æternam ; clausum cor habebamus, ille autem Dominus Deus noster, quia clausum cor habebamus homines adversus vitam æternam, nec poteramus videre verbum quod vident Angeli, cruce aperiebat corda mortalium, hoc est, tympanizabat ad ostium civitatis. »

Hinc hebraice *ietau*, verti potest, *delineabat litteram tau*, id est formabat figuram crucis ; hanc enim exhibet littera *tau*. Denique Septuaginta pro *ietau*, videntur legisse, *iatof*, id est *tympanizabat* ; תוף *toph* enim est *tympanum* : ita dictum a sono tympani per onomatopœiam.

DEFLUEBANTQUE SALIVÆ EJUS IN BARBAM, — uti fit in epilepticis, phreneticis, stupidis et stultis.

Allegorice id de Christo explicat S. Augustinus in titulo *Psal.* XXXIII, in fine : « Quid, inquit, sunt ? Salivæ enim currunt infantibus. Nonne erant tanquam infantilia verba, manducate carnem meam et bibite sanguinem meum ? sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam ejus, quid sunt, nisi verba infirma virtutem ejus tegentia ? » Sic quoque Beda, Eucherius, Angelomus et Rabanus, qui more suo S. Augustinum sequuntur.

An fictio Davidis fuerit peccatum.

Quæres, an David peccarit fingendo se stultum. Affirmant nonnulli : ratio est, quia ut docet S. Thomas, II II, *Quæst.* CXI, art. 1, ad 2, fictio est mendacium non verbi, sed facti ; mendacium autem est peccatum. Unde S. Thomas ibidem ad 2, Davidem non aliter excusat, quam quod fictio hæc fuerit figuralis ; fuit enim figura Christi, qui cum esset Deus alium se esse quasi simulavit, cum carnem nostram assumpsit, et in ea tot labores et dolores ipsamque crucem subiit.

Resp. negative.

Milius veriusque Abulensis et alii censent Davidem non peccasse, tum quia videtur ad hoc motus a Deo : unde et paulo post recedens ab Achis, Dei instinctu composuit elegantem psalmum XXXIII : « Benedicam Dominum in omni tempore ; » tum quia David impingens in ostia, aliasque actiones deliras faciens, ipso facto non dicebat se esse stultum, sed se id duntaxat simulare ob instans periculum ; hoc autem erat verum. Porro sic simulare non est mendacium, sed silentium duntaxat veritatis, sive dissimulatio qua quis aliam quasi personam, alios gestus moresque induit justa de causa, ut tegat veritatem ad evadendum periculum. Sic Samuel finxit se ire ad immolandum in Bethlehem, cum iret ad ungendum Davidem in regem cap. XVI, 2. Sic Josue, cap. VIII, 5, finxit se pavidum fugere cives Hai, ut eos ex urbe eliceret et mactaret. Sic Gedeon, *Judic.* VII, 20, cum trecentis, complosione lagenarum et effulguratione lampadarum, finxit se magnum habere militum numerum, ut Madianitas innumeros consternaret. Idem sensere et fecere Gentiles. Unde Horatius lib. IV *Carmin.*, Ode 12 : « Misce, ait, stultitiam consiliis brevem. Dulce est desipere in loco. » Et Cato :

> Insipiens esto, cum tempus postulat aut res ;
> Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Et Ausonius, lib. II *Distichorum*. Sic Solon, unus e septem Græcorum sapientibus et Atheniensium legislator, finxit se dilirum, ut Atheniensibus persuaderet recuperare Salaminam insulam. Capitale enim erat ea de re loqui. Ita Plutarchus in *Solone*. Denique S. Simeon cognomento *salus*, id est, stultus ; S. Franciscus (qui se nominabat fatuellum mundi), multique alii Sancti simularunt se stultos, tum ad insignem humilitatem ; tum ut docerent honoris mundique contemptum, ac mundi sapientiam meram esse stultitiam. Unde S. Paulus, I *Corinth.* cap. IV : « Nos, inquit, stulti propter Christum. » Et noster S. Ignatius : « Sis, ait, mundo demens, ut sapias Domino, » quia «quod stultum est Dei, sapientius est hominibus,» I *Cor.* I, 15. Vide ibi dicta.

Multi Sancti simularunt stultitiam.

Vers. 15.

15. AN DESUNT NOBIS FURIOSI ? — quia sicut nusquam desunt ægrotantes corpore, sic nec ægri mente : præsertim quia mentis ægritudo et delirium pendet ex ægritudine corporis et cerebri ; quod si minimum lædatur, minuatur, vel distorqueatur, creat epilepsias, phreneses, deliria, furores, etc. Fabulantur Rabbini uxorem et filiam regis Achis laborasse delirio.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in speluncam Odollam, inde, vers. 5, *monente Gad propheta redit in terram Juda. Audit id Saul suosque incitat ut eum prosequantur, sibique prædant et tradant. Mox, vers.* 9, *Doeg accusat Achimelech Pontificem, quod Davidi dederit panes et gladium Goliæ. Quare, vers.* 18, *eum cum* 85 *sociis Doeg jussu Saulis occidit.*

1. Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc. 2. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo : et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. 3. Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab ; et dixit ad regem Moab : Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab ; manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio. 5. Dixitque Gad propheta ad David : Noli manere in præsidio, proficiscere et vade in terram Juda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret. 6. Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem, cum maneret in Gabaa, et esset in nemore quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum, 7. ait ad servos suos qui assistebant ei : Audite nunc, filii Jemini, numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos, et centuriones? 8. quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus fœdus inierit cum filio Isai. Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi ; eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie. 9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul : Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. 10. Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei ; sed et gladium Goliath Philistæi dedit illi. 11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, et omnem domum patris ejus, sacerdotum qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem. 12. Et ait Saul ad Achimelech : Audi, fili Achitob. Qui respondit : Præsto sum, domine. 13. Dixitque ad eum Saul : Quare conjurastis adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens? 14. Respondensque Achimelech regi, ait : Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? 15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me ; ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei ; non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande. 16. Dixitque rex : Morte morieris, Achimelech, tu et omnis domus patris tui. 17. Et ait rex emissariis qui circumstabant eum : Convertimini et interficite sacerdotes Domini ; nam manus eorum cum David est ; scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. 18. Et ait rex ad Doeg : Convertere tu, et irrue in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. 19. Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres et parvulos, et lactentes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladii. 20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David. 21. Et annuntiavit ei quod occidisset

Saul sacerdotes Domini. 22. Et ait David ad Abiathar : Sciebam in die illa quod, cum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli : ego sum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane mecum, ne timeas; si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis.

Vers. 1. 1. ABIIT ERGO DAVID INDE, ET FUGIT IN SPELUNCAM ODOLLAM. — « Odollam » erat vicus in tribu Juda ad dexteram euntibus ex Jerusalem in Hebron. Audi ex S. Hieronymo, Guilielmo Tyrio et aliis Adrichomium in tribu Juda, num. 201 : « Spelunca Odollam, in ipsa petra, fuit locus natura tutus, communitus, in quam cum David fugisset a facie Saul, ibique multos angustia et ære alieno oppressos ad se confugientes susciperet, factus est princeps quadringentorum virorum. Habuit eumdem usum spelunca hæc tempore Christianorum : nam Turcæ, cum ad ea loca populabundi devenissent, fugerunt habitatores vicinorum locorum, et sese cum uxoribus, liberis, armentis et gregibus huc contulerunt. »

Descriptio speluncæ Odollam.

Unde apposite « Odollam, » vel ut Hebraice est *Adulain,* idem est quod congregatio, transitus vel præda eorum, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*

Symbolice Angelomus et Eucherius : Spelunca hæc, inquiunt, repræsentat carnem Christi in qua quasi in spelunca abscondita delituit divinitas Christi; aut sepulcrum Christi, quod testimonium (hoc enim Hebraice significat *Odollam,* ait Beda) fuit Christum esse Deum, cum ipse tertio die ex illo corpus suum redivivum et gloriosum suscitavit.

Vers. 2. 2. ET CONVENERUNT AD EUM OMNES QUI ERANT IN ANGUSTIA CONSTITUTI, ET OPPRESSI ÆRE ALIENO. — Dices : Quomodo illos admisit David in præjudicium creditorum, ne eos cogere possent ad solvendum sibi debita? Respondet Cajetanus illos cessisse bonis, vel impotentes fuisse ad solvendum : unde ipsa impotentia excusabantur a solvendo, usque dum ad pinguiorem fortunam evaderent, quod futurum erat per societatem et prudentiam Davidis, qui hostium spoliis omnes suos ditavit, ut patet II *Reg.* cap. II et XV.

David ad se confugientes optime instruxit.

Quod enim David omnes ad se confugientes optime ad omnem justitiam et honestatem instruxerit, patet ex *Psal.* XXXIII, quem tum composuit. Hic enim psalmus ad litteram continet doctrinam quam David ibidem dedit suis sociis et militibus; unde eos alloquens vers. 12, ait : « Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. » Item ex eo quod David secum habebat Gad prophetam et virum sanctum.

Allegorice, David fuit typus Christi, ad quem confugiebant omnes ægri, afflicti, pœnitentes; unde ipse eos advocans ait : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, *Matth.* cap. XI. Ita Angelomus.

Vers. 3. 3. ET PROFECTUS EST DAVID IN MASPHA, QUÆ EST MOAB, — id est quæ est urbs regionis Moabitidis ad Moabitas, non ad Judæos pertinens. Fugit enim David ex Judæa, utpote Sauli subdita, in terram Moab, in quam nil poterat Saul. Porro alia erat « Maspha » in Judæa, ubi Samuel conventum populi egit cap. VII, vers. 6.

MANEAT, ORO, PATER MEUS ET MATER MEA VOBISCUM. — Hinc collige Saulem non solum Davidem, sed et ejus parentes et cognatos persecutum fuisse, vel certe illos persecutionem Saulis metuentes extra Judæam in Moabitidem profugisse.

Vers. 4. 4. QUIBUS DAVID FUIT IN PRÆSIDIO, — id est in arce vel loco munito terræ Moab. Hunc enim significat Hebraice מצודה *metsuda.*

Vers. 5. 5. DIXITQUE GAD PROPHETA, etc. : VADE IN TERRA JUDA, — quia mansio Davidis in Juda multis fuit utilis, et plurimum Davidi attulit auctoritatis, ut ad regnum illico a tribu Juda promoveretur, uti reipsa evenisse audiemus in sequenti. Ita Cajetanus.

ET VENIT IN SALTUM HARET, — qui locus desertus erat, invius et incultus, non nisi sentibus et vepribus perhorrescens. « Nihilominus, inquit Rabbi Salomon, divina virtute factus est idem locus abundans fructibus, et animalibus, et irriguus fontibus, ut Davidem et viros ejus non solum sustentaret, sed etiam mirifice recrearet. » Quo alludens David : « Dominus, inquit, regit me, » seu ut est in Hebræo, *pascit me; in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquam refectionis educavit me, Psal.* XXII, vers. 1, ubi vides aridas et spinosas vias amantibus commutari in floridas et amœnas.

Vers. 7. 7. AUDITE NUNC, FILII JEMINI, — id est filii Benjamin, contribules, et cognati mei, agite, certate pro me æque ac pro vobis, ne regnum a me vestraque tribu ad tribum Juda et Davidem transferatur.

Vers. 10. 10. QUI CONSULUIT PRO EO DOMINUM, — per Ephod in quo erant Urim et Tummim, de quibus dixi *Exodi* cap. XXVIII, vers. 30. Hinc patet Achimelech pro Davide petiisse et accepisse a Deo oraculum, qua via pergere, et quid agere deberet David, et quis rerum suarum futurus esset exitus, prosper, an adversus; licet Hugo putet Doeg id fingere, et mentiri ut majorem iram Sauli contra Davidem et Achimelech concitet : nec enim eum pro Davide consuluisse Deum.

Achimelech pro Davide oraculum accepit a Deo.

Fugæ 15 Davidis.

Moraliter : Nota hic varias, continuas et acres persecutiones, errores, fugas, pericula quibus per decem annos assidue a Saule exagitatus fuit David : idque ob suam virtutem qua Goliath occiderat, et Israelem liberarat. Nam *primo,* Saul Davidem pulsantem citharam, itaque se liberantem a spiritu malo bis lancea vibrata configere voluit, cap. XVIII, vers. 11; cap. XIX, vers. 10;

secundo, eumdem contra Philistæos misit, ut ab eis occideretur, ibidem vers. 17 et 25; *tertio*, submisit satellites, qui Davidem domi caperent ad necem; sed Michol eum per fenestram dimisit, cap. XIX, vers. 11; *quarto*, David fugit ad Samuelem in Ramatha, ibidem versu 18; *quinto*, cap. XX, abiit ad Jonatham, qui eum Sauli reconciliare conatus est, sed frustra; *sexto*, fugit in Nobe ad Achimelech Pontificem, cap. XXI, vers. 2; *septimo*, ex Nobe fugit in Geth ad Achis regem, ibidem versu 10; *octavo*, latuit in spelunca Odollam, cap. XXII, vers. 1; *nono*, inde secessit in Maspha urbem Moab, ibidem vers. 3; *decimo*, inde transiit in saltum Haret, ibidem vers. 5; *undecimo*, perrexit in Ceilam, eamque a Philistæis liberavit, cap. XXIII, vers. 1; *duodecimo*, abscondit se in monte Ziph, colle Hachila, et deserto Maon, cap. XXIII, vers. 19 et 24; *decimo tertio*, delituit in deserto Engaddi, cap. XXIV, vers. 1, ubi oram chlamydis Saulis abscidit eo illæso; *decimo quarto*, abdidit se in desertum Ziph, ubi scyphum et hastam Sauli dormienti abstulit, eo intacto, cap. XXVI, vers. 2; *decimo quinto*, fugit ad Achis regem Geth, cap. XXVII, vers. 2. Hi sunt omnes errores et fugæ Davidis, quas ordine suo digessi.

Davidis patientia.

Verum has omnes invicta sua patientia et magnanimitate toleravit et superavit David; ideoque ex singulis fortior et gloriosior evasit; adeoque per has omnes, quasi per totidem gradus ad apicem gloriæ regnumque conscendit.

Allegorice ergo David repræsentavit Christum, qui prædicans, hominesque a morbis animæ et corporis liberans, assiduas persecutiones, contradictiones, convicia, blasphemias Scribarum, Pharisæorum, Pontificum, invicta constantia, æque ac benignitate sustinuit usque ad mortem Crucis; ideoque gloriam et regnum æternum in cœlis non tantum sibi, sed et omnibus fidelibus sanctisque suis peperit et acquisivit.

Tropologice, de utilitate persecutionis.

Tropologice, Christum et Davidem imitetur Christianus, ut sibi persuadeat eadem via, scilicet persecutionis et crucis sibi incedendum, si ad culmen sanctitatis, gloriæ et felicitatis æternæ pervenire velit. Æterna enim Dei lege sancitum est: « Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, » II *Timoth.* cap. III, vers. 12. Sic S. Athanasius per 46 annos persecutiones assiduas ab Arianis passus, vagus et erro totum quasi orbem fugiendo obivit; sed sua heroica virtute de omnibus victor triumphavit. Si ergo ob fidem, pietatem, virtutem, pateris; cogita te esse Davidem, et cum eo animos non demitte, sed attolle, sciens tuum Saulem, tuum persecutorem tibi fabricare coronam gloriæ et diadema regni æterni. Si innocentia es Abel, necesse est ut eam probet et exerceat invidus Cain. Si simplicitate es Jacob, oportet ut hirsutus Esau te stimulet. Si castitate es Joseph, oportet ut impudica hera te tentet. Si mansuetudine et generositate es Moses, convenit ut tuus te Pharao exagitet, attollat, perficiat. Audi S. Joannem, *Apoc.* cap. VII, vers. 14, Martyrum sub Antichristo agones et coronas describentem: « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni : ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitabit super illos, » etc.

De noxa invidiæ.

Denique vide hic quantum malum sit invidia, quæ Saulem assidue torsit, et in tot cædes et scelera adegit, ut tandem ipse sibi mortem consciscceret. Audi S. Cyprianum Saulis et cujuslibet invidi noxas et damna recensentem serm. *De Zelo et livore* : « Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente. Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutitur, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur. » Et paucis interjectis invidiam graphice depingens : « Qualis, inquit, est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent, non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus, suspiratur semper et ingemiscitur et doletur. »

Vers. 15.

15. NUM HODIE COEPI PRO EO CONSULERE DEUM? — quasi dicat : Jam ante sæpe pro eo, tuo consensu et jussu consului Dominum, cum scilicet David educturus esset tuas copias in prælium, an id futurum esset felici successu, an adverso? non ergo jam primum pro Davide nunc tibi suspecto et exoso, uti ex verbis tuis colligo, cœpi consulere Dominum, *q. d.* Nesciebam te iram et odium gerere contra Davidem paulo ante tibi adeo amicum et fidelem : quare noli ad culpam et pœnam mihi meæque domui imputare, quod panes et gladium ei dederim : non enim illa dedi ipsi, nisi ut iis ad tuum servitium (quod ipse se exsequi asserebat) uteretur. Nam de tua in eum offensa hucusque nil omnino scivi nec parvum, nec magnum.

Vers. 16.

16. DIXITQUE REX : MORTE MORIERIS, ACHIMELECH TU ET OMNIS DOMUS PATRIS TUI. — Vide hic summam crudelitatem, impietatem et barbariem Saulis in insontem pontificem et sacerdotes; imo in omnes cives Nobe, quos innoxios trucidari jussit cum omnibus parvulis, feminis et armentis, vers. 19. Hæc, inquit Theodoretus, *Quæst.* LIII, et Cedre-

Saulis summa crudelitas.

Major aliis ejus peccatis.

nus, Saulis cædes fuit omnibus aliis ejus peccatis magis impia. Unde et Josephus, lib. VI, cap. ult., inter Saulis mortis causas hanc etiam reponit, et copiose Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum, lib. II *Reg.* cap. I.

Saul typus Herodis.

Quare Saul fuit hic typus et præcursor Herodis, occidentis parvulos in Bethlehem propter Christum. Hic expletum fuit oraculum Dei contra Heli editum, cap. II, vers. 33. Omnes enim hi sacerdotes erant posteri vel cognati Heli.

Vers. 17.

17. ET AIT REX EMISSARIIS, — id est cursoribus, qui quasi satellites Saulis Achimelech et sacerdotes ex Nobe ad Saulem in Gabaa evocarant et adduxerant.

NAM MANUS EORUM CUM DAVID EST, — *q. d.* Fovent juvantque Davidem meum hostem et regni æmulum.

NOLUERUNT AUTEM SERVI. — Laudandi sunt hi servi, quod Sauli obedire, et manus suas sanguine sacerdotum fœdare noluerint. Ita Theodoretus. S. Chrysostomus tamen in *Psal.* CXXXIV, reprehendit eos quod positive et efficaciter non egerint causam sacerdotum apud Saulem, ut eorum cædem impedirent; sicut cap. XIV, intercesserant pro Jonatha, ejusque necem discusserant. Sed alia erat causa Jonathæ filii Saulis, alia sacerdotum, quos quasi David faventes certo mactare decreverat Saul.

Vers. 18.

18. CONVERSUSQUE DOEG (*Doeg* hebraice idem est quod *sollicitans* : scilicet Saulem ad necem Davidis et sacerdotum) IDUMÆUS, IRRUIT IN SACERDOTES, ET TRUCIDAVIT IN DIE ILLA OCTOGINTA QUINQUE (ita Hebræa, Chaldæa, Romana, Septuaginta, Complutensia. Minus recte ergo Septuaginta Vaticani numerant 305; Theodoretus vero pejus numerat 350) VIROS VESTITOS EPHOD LINEO, — id est Sacerdotes et Levitas; hi enim gestabant *Ephod lineum,* cum Pontifex gestaret Ephod gemmeum et polymitum.

Ecce Doeg accusator et calumniator Davidis et Achimelech in scelere profecit, fitque ejus et sacerdotum sacrilegus carnifex, ut crimen quod cœpit perficiat. Ita scelestus ex uno crimine in aliud, ex minori ad majus prolabitur. Porro Angelomus in lib. II, cap. XXI, tradit duos Saulis filios parvulos Armoni et Miphiboseth ex Respha concubina, cum Doego manus illis attulisse, ideoque etiam propterea a Gabaonitis crucifixos.

Quocirca Philo Biblicus asserit Doeg hoc triste a Deo accepisse oraculum : « Ad Doeg Syrum hæc dicit Dominus : Ecce dies veniunt cito, et ascendet vermis igneus in linguam ejus, et tabescere faciet eum, et erit habitatio ejus cum Cain in igne inexstinguibili semper. » Verius est Davidem tunc composuisse psalmum LI : « Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injustitiam cogitavit lingua tua, etc. Propterea Deus destruet te in finem. » Titulus enim illius psalmi est hic : *In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli : Venit David in domum Achimelech.* Hinc Doeg, ait Eucherius et Angelomus, fuit typus et præcursor tum Judæ proditoris, tum Antichristi, qui sacerdotes Christi maxime persequetur, eosque martyrio afficiet.

Hoc tempore compositus Psalmus cap. LI.

TRUCIDAVIT IN DIE ILLA OCTOGINTA QUINQUE VIROS. — Asserunt vel potius fabulantur Rabbini, et ex iis Philo Biblicus, hos Sacerdotes et Levitas posteros vel cognatos Heli Pontificis scelera filiorum Heli imitatos esse, ac sacrificia violasse, ideoque neci huic a Deo destinatos.

Verius est Heli ejusque filios sceleratos in hisce suis nepotibus innoxiis fuisse punitos, hicque impletum esse illud oraculum Dei contra eos, capite II, 33 : « Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. » Nam hi Sacerdotes et Levitæ, a Saule per Doeg interfecti, videntur evasisse martyres; quia occisi sunt pro virtute misericordiæ et charitatis, quam exhibuerant sancto, sed misero, profugo et famelico Davidi, dando ei panes. Sicut enim qui pro castitate occiditur fit martyr; sic et qui pro charitate aliaque virtute trucidatur, martyr est. Unde S. Bachiarius, tomo I *Biblioth. SS. Patrum,* sacerdotes hos pro innocenti Davide occisos in martyrum Catalogum refert, et Beda in Allegoriis non tantum sacerdotes, sed et omnes cives Nobe ob Davidem trucidatos inter martyres collocat : « Nobe civitas, inquit, propter susceptum Davidem cum suis omnibus martyrium passa est. »

Sacerdotes et alii cives Nobe fuerunt martyres.

Vers. 19.

19. NOBE AUTEM CIVITATEM SACERDOTUM PERCUSSIT (id est percuti et occidi jussit, scilicet impius Saul in odium Davidis) IN ORE (in acie) GLADII VIROS ET MULIERES, ET PARVULOS ET LACTENTES, BOVEMQUE ET ASINUM ET OVEM. — Statuit ergo eam in *cherem,* sive *anathema* quia eam plane exitio excidioque addixit : et rabie et furore in Davidem, quo eum exagitabat spiritus malus, sive diabolus a quo possidebatur et regebatur.

Vers. 20.

20. EVADENS AUTEM UNUS FILIUS ACHIMELECH, etc., CUJUS NOMEN ABIATHAR, FUGIT AD DAVID. — Hic « Abiathar » patri Achimelech successit in Pontificatu, quo functus est toto tempore Davidis; sed eo privatus a Salomone, eo quod contra ipsum favisset Adoniæ regnum invadenti : ideoque salomon Pontificatum ab Abiathar, qui erat de familia et posteris Heli et Ithamar, transtulit et reduxit ad Sadoc, qui erat ex posteris Eleazar, lib. III *Reg.* cap. II.

Vers. 22.

22. EGO SUM REUS OMNIUM ANIMARUM PATRIS TUI, — *q. d.* Ego non causa, sed occasio (ita Chaldæa, Hebræa et Septuaginta) fui mortis filiorum et cognatorum patris tui; cum scilicet anima, id est vita singulis a Saule sit adempta. Occasio, inquam, sed involuntaria et contra meam intentionem, ideoque sine mea culpa : nam cavi eis eorumque vitæ quantum potui, simulando coram eis me non profugum, sed a Saule missum : unde licet scirem Doeg id Sauli renuntiaturum, tamen probabiliter credebam vel sperabam Saulem sacerdotibus innoxiis non irasciturum, aut certe

tam crudele facinus cædis sacerdotum non attentaturum. Reus ergo fuit David non formaliter, sed materialiter : quia materiam et occasionem dedit Sauli occidendi eos, sed præter, imo contra mentem suam, necessitate famis adactus. Mortis enim eorum causa propria et directa fuit improbitas Saulis.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David liberat Ceilam a Philistæis. Saul id audiens destinat eum ibidem cingere et capere. Quare David, vers. 12, consulens Dominum, audit se a Ceilanis tradendum Sauli : quocirca fugit ipse in montem Ziph, ubi eum visitat et confortat Jonathas. Mox, vers. 19, Ziphæi indicant Sauli Davidem apud se latere; sequitur ergo eos Saul cum copiis, cingitque Davidem; cumque jam eum capturus esset, nuntius occurrit dicens, Philistæos invasisse Judæam; unde Saul ut eis resistat, Davidem persequi desinit.

1. Et annuntiaverunt David, dicentes : Ecce Philistiim oppugnant Ceilam et diripiunt areas. 2. Consuluit ergo David Dominum, dicens : Num vadam, et percutiam Philistæos istos? Et ait Dominus ad David : Vade, et percuties Philistæos, et Ceilam salvabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum : Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus; quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philistinorum? 4. Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei : Surge et vade in Ceilam; ego enim tradam Philistæos in manu tua. 5. Abiit ergo David, et viri ejus in Ceilam, et pugnavit adversum Philistæos, et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna; et salvavit David habitatores Ceilæ. 6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, Ephod secum habens descenderat. 7. Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceilam, et ait Saul : Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus urbem in qua portæ et seræ sunt. 8. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam; et obsideret David, et viros ejus. 9. Quod cum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem : Applica Ephod. 10. Et ait David : Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me. 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet. 12. Dixitque David : Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus : Tradent. 13. Surrexit ergo David et viri ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti; nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset; quam ob rem dissimulavit exire. 14. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco; quærebat eum tamen Saul cunctis diebus : et non tradidit eum Deus in manus ejus. 15. Et vidit David quod egressus esset Saul, ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva. 16. Et surrexit Jonathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus ejus in Deo; dixitque ei : 17. Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et Saul pater meus scit hoc. 18. Percussit ergo uterque fœdus coram Domino, mansitque David in silva; Jonathas autem reversus est in domum suam. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes : Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? 20. Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende; nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. 21. Dixitque Saul : Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, et diligentius præparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi; recogitat enim de me quod callide insidier ei. 23. Considerate et videte omnia latibula

ejus, in quibus absconditur; et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum : quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Juda. 24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul; David autem et viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Jesimon. 25. Ivit ergo Saul et socii ejus ad quærendum eum, et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon : quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte una; David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera : porro David desperabat se posse evadere a facie Saul; itaque Saul et viri ejus in modum coronæ cingebant David et viros ejus, ut caperent eos. 27. Et nuntius venit ad Saul, dicens : Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram. 28. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philistinorum; propter hoc vocaverunt locum illum Petram dividentem.

Vers. 1. 1. PHILISTHIM OPPUGNANT CEILAM. — « Ceilam, ait S. Hieronymus, Eusebius et Adrichomius in *Locis Hebr.*, civitas est in tribu Juda, quondam sedes David; et nunc villula Ceila ad Orientalem plagam Eleutheropolios pergentibus Hebron, quasi octavo milliario : in qua sepulcrum Habacuc prophetæ demonstratur. »

ET DIRIPIUNT AREAS. — Vatablus, *horrea*, id est diripiunt messem et frumenta in areis et horreis reposita.

Vers. 2. 2. CONSULUIT ERGO DAVID DOMINUM, — per Abiathar Pontificem ad se profugum, ut patet vers. 6.

Vers. 5. 5. ET SALVAVIT DAVID HABITATORES CEILÆ, — quasi contribules et cives suos; erant enim utrique ex tribu Juda. Meruit ergo hic David coronam civicam liberando cives suos a Philistæis, ideoque paulo post mortuo Saule David a tribu Juda evectus est ad regnum, II *Reg.* II.

Vers. 6. 6. EPHOD SECUM HABENS, — *q. d.* Abiathar fugiens Saulem venit ad Davidem portans vestem Pontificiam, in qua erat *Ephod* cum Urim et Tummim, ut patre Achimelech jam occiso a Saule, ejus loco in Pontificatum succederet, ac Deum pro Davide per Ephod consuleret.

Vers. 9. 9. DIXIT (David) AD ABIATHAR SACERDOTEM : APPLICA EPHOD, — id est explica et indue te Ephod, ut per ejus Urim et Tummim consulas Dominum quid in tanto periculo et tam arcta Saulis persecutione mihi facto sit opus. Hinc *Abiathar* hebraice idem est quod *pater explorationis vel contemplationis*, quia ipse orando consuluit Dominum, ejusque voluntatem et consilium exploravit pro Davidis salute. Vide hic pietatem Davidis erga Deum, utpote qui in arctis confugit ad Deum : item ergà cives suos Ceilanos, utpote eos liberans a Philistæis; adhuc erga Saulem, utpote fugiens ejus furorem quasi subditus, nec ei resistens, sed ei parcens, cum eum haberet in manibus, cap. XXIV, 5. Quocirca recte Davidi in virtutibus omnibus consummato hoc tribuas elogium, quod nuper Stephano Battoreo insigni Poloniæ regni assignavit Bonifacius Vannotius in *Miscellaneis epist.*

Pietas Davidis.

« In templo fuit plus quam Sacerdos.
In republica, plus quam Rex.
In sententia dicenda, plus quam Senator.
In judicio, plus quam Jurisconsultus.
In exercitu, plus quam Imperator.
In acie, plus quam miles.
In adversis perferendis injuriisque condonandis, plus quam vir.
In publica libertate tuenda, plus quam civis.
In amicitia colenda, plus quam amicus.
In convictu, plus quam familiaris.
In venatione ferisque domandis, plus quam leo.
In tota reliqua vita, plus quam Philosophus. »

Vers. 12. Scientia Dei conditionata.

12. SI TRADENT ME VIRI CEILÆ, etc., IN MANUS SAUL, ET DIXIT DOMINUS : TRADENT, — certo et infallibiliter. Talis enim est Dei scientia et præscientia, cum hominum sit incerta et fallibilis; ideoque reipsa sæpe fallat. Hinc colligunt Suarez, Vasquez, Molina, et alii insignes Theologi Deum cognoscere futura contingentia non tantum absoluta, sed etiam conditionata, v. g. quid ego facturus essem, si forem Jerosolymis, Alexandriæ, Antiochiæ, etc., positis talibus et talibus circumstantiis et conditionibus, etiamsi illæ nusquam ponendæ sint reipsa. Sic enim hic præscivit et prædixit Deus quod Ceilani tradituri essent Davidem, licet contribulem et liberatorem suum, Sauli, ex metu ne ab eo occiderentur, uti occisi fuerant cives Nobe : etsi de facto eum non tradiderint, quia David audiens a Deo se ab eis tradendum, traditionem prævenit et aufugit. Vide dicta *Jerem.* cap. XXXVIII, vers. 17, et *Matth.* XI, 12.

Vers. 15. Descriptio civitatis et deserti Ziph.

15. PORRO DAVID ERAT IN DESERTO ZIPH IN SILVA. — « Ziph » erat civitas in tribu Juda, sita in monte nemoroso et opaco, dumis et arboribus infructuosis consito; juxta urbem erat ergo « desertum Ziph » nemorosum, saltuosum, feris et ibicibus pervium, antris et speluncis plenum, et plurimum cavernosum, in quibus David vagabundus et fugitivus a facie Saul latitavit, seseque abscondit. Ita Brocardus, Bredenbachius et Adrichomius.

Vers. 16. 16. ET SURREXIT JONATHAS FILIUS SAUL, ET ABIIT AD DAVID IN SILVAM, ET CONFORTAVIT MANUS EJUS IN DEO. — Chaldæus, *in dicto Domini*, quia scilicet

Deus dixerat et prædixerat Davidem successurum Sauli in regno, cum eum per Samuelem unxit in regem, *q. d.* Jonathas jussit Davidem esse bono fortique animo, eo quod Deum haberet tutorem, contra quem Saul nihil poterat. « Manus » ergo hic significant robur et fortitudinem tum animi, tum corporis; hæc enim manibus exeritur et ostenditur.

Vers. 19. 19. ASCENDERUNT AUTEM ZIPHÆI AD SAUL, — nuntiantes ei Davidem apud se latere, seque illum in manus ejus tradituros. Vide hic ut omnes Judæi persequantur Davidem, æque ac persecuti sunt Christum ejus antitypum. Unde tunc David, ad Deum unicum desolatorum asylum confugiens, composuit psalmum LIII : « Deus, in nomine tuo salvum me fac, etc. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam. » Id ita esse patet ex titulo psalmi, qui sic habet: *In carminibus intelletus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?*

Hoc tempore compositus Psalmus LIII.

Vers. 23. 23. REVERTIMINI AD ME AD REM CERTAM, — re certo comperta, quam mihi nuntiare possitis, ubi scilicet lateat David, et quomodo a me capi possit; ne incertus vager, et copias frustra educam magno sumptuum impendio, et famæ meæ dispendio (1).

Vers. 25. 25. SAUL PERSECUTUS EST DAVID IN DESERTO MAON, — « Maon, » ut ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, et ex eo Adrichomius, erat civitas in tribu Juda, sita in campestribus ad dexteram Jesimon, contra solis ortum Daromæ : juxta urbem, desertum erat nemorosum et cavernis plenum, in quo delituit David : confine est deserto Carmeli, et deserto Pharan. Quare minus recte nonnulli putant Maon fuisse in Arabia, et Davidem relicta Judæa ob Saulis metum fugisse ad Arabes, idque significare, *Psalm.* CXIX, 3, cum ait : « Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, » id est cum Cedarenis sive Agarenis, hoc est Arabibus.

(1) In hoc versu 23 legitur in *cunctis millibus Juda* pro *in cunctis domibus familiisve*, quia tribus Juda sic dividebantur facientes in totum mille viros, cujus unus ex eis *dux millium* vocabatur.

Vers. 26. David desperavit de virtute sua, non de ope Dei.

26. DAVID DESPERABAT SE POSSE EVADERE A FACIE SAUL, — sua virtute et sapientia; sperabat tamen se Dei ope evasurum. Sciebat enim se a Deo unctum in regem, ut Sauli in regno succederet.

Vers. 27. Deus suos opportune juvat in arduis.

27. ET NUNTIUS VENIT AD SAUL DICENS : FESTINA ET VENI, QUONIAM INFUDERUNT SE PHILISTIIM SUPER TERRAM. — Vide hic quam opportune Deus in arctis, suis fidelibus opituletur et e periculis liberet, quod vulgo dicitur : « Deus ex machina. » Unde Philo missus a Judæis ad Caium Imperatorem ne Judæos cogeret se adorare ut deum, cum a Caio sperneretur, conversus ad suos dixit : « Confidite, socii; nam tunc vicinum est Dei auxilium, cum deest humanum, » itaque factum; nam paulo post Caius interiit, ita refert ipse in *Legat. ad Caium.* Ecce tibi hic David undique cinctus a Saule, et jamjam ab eo capiendus, a Deo liberatur miro modo, nimirum immittendo Sauli nuntium et cogitationem de Philistinis arcendis, itaque eum a Davide divertendo, et ad Philistinos persequendos convertendo. Fecit ergo Deus, perinde ac faciunt Hispani in agitatione tauri : dum enim taurus aliquem furibundus insequitur ut eum laniet, illico a tergo alius taurum stimulo pungit, cogitque taurum retrorsum converti. Ita fecit hic Deus Sauli, qui quasi taurus furebat in Davidem. Audi S. Chrysostomum, hom. 46 *in Genes.* : « Maxima securitas et inexpugnabilis murus est gratia Dei. Videamus quomodo David de loco in locum transiens, et quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit; Saul autem cum esset in mediis civitatibus, et tantum secum duceret exercitum; et satellites habens et armigeros, quotidie timebat et tremebat inimicorum insidias, I *Regum* cap. XVIII, vers. 12 et 29. Et ille quidem, qui solus erat, non indigebat humano præsidio; hic vero coronatus purpura indutus, illius auxilio indigebat; et regi opus erat pastoris opera; et diademate redimito, privati adjumentum. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in desertum Engaddi : insequitur eum Saul; cumque in spelunca purgaret ventrem, David in ea latens oram chlamydis ejus abscindit. Mox, vers. 9, *eam Sauli ostentans, cum illo expostulat quod se innoxium injuste persequatur : si enim ei nocere voluisset, in spelunca eum occidisset. Quare, vers.* 17, *Saul compunctus et flens :* Justior, *inquit,* tu es, quam ego; *asseritque ipsum post se regnaturum : quare ab eo juramentum exigit, quod non delebit suam stirpem, itaque eum liberum dimittit.*

1. Ascendit ergo David inde, et habitavit in locis tutissimis Engaddi. 2. Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philistæos, nuntiaverunt ei, dicentes : Ecce David in deserto est Engaddi. 3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel,

perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras quæ solis ibicibus perviæ sunt. 4. Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti; eratque ibi spelunca quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem; porro David et viri ejus in interiore parte speluncæ latebant. 5. Et dixerunt servi David ad eum : Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te : ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit oram chlamydis Saul silenter. 6. Post hæc percussit cor suum David,eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. 7. Dixitque ad viros suos : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est. 8. Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul; porro Saul exsurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. 9. Surrexit autem et David post eum; et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens : Domine mi rex. Et respexit Saul post se : et inclinans se David pronus in terram, adoravit, 10. dixitque ad Saul : Quare audis verba hominum loquentium : David quærit malum adversum te? 11. Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca : et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim : Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est. 12. Quin potius, pater mi, vide et cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea; quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te : animadverte, et vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te; tu autem insidiaris animæ meæ, ut auferas eam. 13. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te. 14. Sicut et in proverbio antiquo dicitur AB IMPIIS egredietur impietas; manus ergo mea non sit in te. 15. Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum. 16. Sit Dominus judex, et judicet inter me et te; et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua. 17. Cum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul : Numquid vox hæc tua est, fili David? Et levavit Saul vocem suam, et flevit; 18. dixitque ad David : Justior tu es quam ego; tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala. 19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me. 20. Quis enim, cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel; 22. jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. 23. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam; et David et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

Vers. 3. Maximilianus I ab Angelo in viam reducitur.

3. SUPER ABRUPTISSIMAS PETRAS, QUÆ SOLIS IBICIBUS PERVIÆ SUNT. — *Ibex* est species caprarum sylvestrium, quæ in rupes præruptas aufugit : unde tales venando insectans Maximilianus I imperator, in rupes invias deductus, cum descendere nequiret, ductu Angeli, ut creditur, descensum reperit : ideoque crucem eo loci in perenne monumentum erigi jussit. Exstat hæc crux juxta Œnipontum, ubi, cum Romam pergerem, illa mihi ostensa fuit. Audi Plinium, lib. VIII, cap. LIII : « Capræ in plurimas species transfigurantur. Sunt capræ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite, vastis cornibus, gladiorumque vaginis, in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati, in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exsultant. »

Vers. 4.

4. ET VENIT AD CAULAS OVIUM, QUÆ SE OFFERE-BANT VIANTI, — id est, viam facienti, itineranti, per viam eunti. Unde Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent, *quæ erant in via.*

PORRO DAVID ET VIRI EJUS IN INTERIORE PARTE SPELUNCÆ LATEBANT : — « Clamabo, inquit David, ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi, » *Psalm.* LVI, vers. 3. Chaldæus transfert, *ad Deum qui accersivit araneam, ut conficeret in ore speluncæ telam propter me;* quasi sic interpretatur, ut David, fugiens Saulem, in speluncam se abdiderit, cujus aditum subitis aranearum telis ita Deus pertexuerit, ut Saul nullum ibi latibulum suspicatus, irritus præterierit. Quemadmodum et aliquando in lege gratiæ martyrem Felicem in angusto loco

latitantem aranearum tela divinitus expansa ab insequentibus hostibus occultavit :

Et aerio cessit vis ferrea filo,

ait S. Paulinus, *Natali* 5 S. Felicis, qui et apposite concludit :

Sic ubi Christus adest nobis, et aranea muro est.
At cui Christus abest, et murus aranea fiet.

Verum hujus telæ araneæ speluncam Davidis obtegentis fides sit penes Chaldæum. Nam huic telæ Rabbini sua attexunt commenta de musca et insano, quæ refert, et ut fabulosa confutat Abulensis, *Quæst.* VI.

Vers. 5. 5. ECCE DIES DE QUA LOCUTUS EST DOMINUS AD TE : EGO TRADAM TIBI INIMICUM TUUM. — Ubi et quando ei locutus sit Deus, Scriptura nusquam exprimit. Nonnulli censent Deum id dixisse Davidi per Gad prophetam, alii per Nathan, alii per Samuelem, alii ipsimet Davidi id a Deo revelatum ob ejus patientiam arbitrantur, ut ipse animaretur ad majora certamina. Abulensis censet per Nathan id dictum ; Serarius per Gad, Sanchez per Samuelem.

SURREXIT ERGO DAVID ET PRÆCIDIT ORAM CHLAMYDIS SAUL SILENTER. — Abulensis putat a Deo levitatem inditam Davidi, et surditatem Sauli, ne audiret et Davidem incedentem et scindentem. Addit Abulensis Davidem surrexisse et ivisse ad Saulem eo animo, ut eum occideret, non autem ut oram chlamydis ejus duntaxat præcideret : sed in hac præcisione Deum illi cor immutasse, ut de voluntate hac, licet non plane deliberata, doleret et pœniteret, et hoc significari illis verbis : « Percussit cor suum David. » Verum Scriptura ibidem statim addit, « eo quod abscidisset oram chlamydis ejus. » De hac ergo abscissione pœnituit David, non autem de voluntate occidendi Saulem, quam absolute nunquam habuit. Nam semper eam detestatus est, imo capite vigesimo sexto, versu decimo et undecimo, jurat David se nunquam manum extensurum contra Saulem per omnem ejus vitam. Quare hic fuit ordo rei gestæ : Cum socii Davidem incitarent ut Saulem quem in manu habebat occideret, ille sensit quidem primos motus et inclinationem appetitus irascibilis ad eum occidendum ; sed appetitu rationali et voluntate deliberata in eos non consensit. Surrexit ergo et ivit ad Saulem, non ea mente determinata ut eum occideret, vel ut oram chlamydis abscinderet, sed anceps animi in itinere deliberaturus et capturus consilium quid facturus esset, cum ad Saulem venisset ; quo cum venit, videns oram chlamydis, eam quasi rem levem et primo obviam abscidit. Illico vero ejus conscientia ipsum remordet, quod oram hanc chlamydis regis sui abscidisset, quare mentis oculos Deo illustrante aperiens, videnque quam turpe foret regem occidere, firmiter proposuit nec eum occidere, nec in alio quopiam lædere ; unde sociis volentibus Saulem occidere fortiter restitit, eosque omnino a cæde et vulnere cohibuit. Hinc, versu 11, ait se cogitasse quidem eum occidere, non autem statuisse, vel decrevisse : τὸ enim *cogitavi* significat simplicem cogitationem et inclinationem appetitus sensitivi, qualem nobis suggerit tentatio iræ et vindictæ, ante ejus examen et deliberatum consensum.

David nunquam absolute voluit occidere Saulem.

Vers. 6. 6. POST HÆC PERCUSSIT COR SUUM DAVID, EO QUOD ABSCIDISSET ORAM CHLAMYDIS SAUL, — *q. d.* Conscientia Davidem remordit, quod ausus fuisset regis et domini sui Saulis vestem conscindere, itaque majestatem regiam temerare. « Cor » enim hic est idem quod conscientia. Unde « cor » est nominativi casus : « David » vero est accusativi, quasi dicat : « Cor suum, » id est cor ejus, scilicet Davidis « percussit » ipsum « Davidem ; » id est conscientia pupugit Davidem. Id ita esse patet ex Hebræo et Septuaginta. « Bonarum enim mentium, ait S. Bernardus, est agnoscere culpam, ubi culpa non est ; » absciderat enim David oram chlamydis, non ut Saulem occideret, sed ut benevolentiam suam erga eum demonstraret, qua eum habens in manu sua, ei pepercerat ; itaque frangeret pertinax odium Saulis, eumque sibi placatum devinciret, uti de facto fecit. Fabulantur ergo Rabbini, dum aiunt Davidem peccasse abscindendo oram chlamydis Saulis ; unde in pœnam ei datum fuisse, ut cum senuisset non posset vestibus calefieri. Mitius Abulensis censet Davidem hic pœnitere de voluntate occidendi Saulem, quæ illi obrepserat, ut audiemus vers. 11 : minus tamen recte ; causa enim percussionis subditur, dum dicitur : « Eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. »

Allegorice Eucherius : « David, inquit, abscindens oram chlamydis Saulis significat Christum Judæos non occidisse, sed eis gloriam regni abstulisse, chlamydis enim abscissio regni est amputatio. »

Tropologice S. Gregorius, III part. *Pastor.* Admon. 5 : « Quid, ait, per Saul, nisi mali rectores ; quid per David, nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur quasi oram chlamydis silenter incidunt : quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant, sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. » Sic et Eucherius et Angelomus.

7. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE FACIAM HANC Vers. 7.

Clementia Davidis et reverentia erga Saulem.

REM. — Vide hic et mirare clementiam et reverentiam Davidis erga Saulem regem, quem, licet infensissimum persecutorem habens in manibus, lædere non vult. Unde gloriosior fuit hæc Davidis de Saule victoria, illa quam retulit de Golia. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Davide et Saule* : « Saul egressus est e spelunca, egressus est autem post illum et David, liberis oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exsultans, quam cum Goliath dejecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa munificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. » Cujus rei rationem reddit quod illa victoria armis constiterit, hæc virtutibus, et concludit : « Itaque rediit non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam; neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa civitate; nunc haudquaquam in choris obviam veniebant feminæ, excipientes illum cum laudibus; sed angelicus populus e sublimi applaudebat, admirans ejus philosophiam et humanitatem. » Et paulo post : « Illustriorem tulit victoriam, servato Saule, quam si illum mactasset. Quod enim tanti pretii lucrifecisset præmium, occiso hoste, quantum nunc tulit illi parcendo? »

Porro τὸ *propitius sit mihi Dominus,* aliqui putant esse juramentum, et esse antiphrasin, quasi dicat : *propitius,* id est adversus mihi sit Deus omniaque mea disturbet, si manus in regem meum injecero. Planius alii explicant, *q. d.* Deus mihi sit propitius, ut sua gratia me coerceat et prohibeat, ne tantum facinus in meum regem committam. Patet ex Hebræo qui habet : *Prohibitio sit mihi a Domino,* id est, ut Chaldæus, *absit a me per Dominum;* Pagninus, *absit mihi a Domino;* Vatablus, *prohibeat Dominus, ne id faciam,* non permittat, ut id designem.

Vers. 8.

8. ET CONFREGIT DAVID VIROS SUOS SERMONIBUS, ET NON PERMISIT EOS UT CONSURGERENT IN SAUL. — Nota τὸ *confregit,* significat socios Davidis plane animatos et resolutos fuisse ad occidendum Saulem; ita ut David vim eis adhibere debuerit, ut hos eorum animos infringeret. Hebraice enim פָּצַץ *scasa,* significat rumpere, findere, frangere, discerpere; unde Vatablus vertit, *avulsit*. Hinc disce quam mitis fuerit David et pius in Saulem, ut pro ejus a quo assidue impugnabatur vita, tanta vi et virtute pugnaret; nimirum hoc signum erat animi placidi, excelsi et regii.

Regius Davidis animus.

Eleganter Seneca, lib. I *De Clementia,* cap. v : « Magni, ait, animi est proprium, placidum esse, tranquillum, et injurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira. Ferarum vero, nec generosarum quidem præmordere et urgere projectos. Elephantes, leonesque transeunt quem impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæva, nec inexorabilis ira; non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo adæquat. At si dat vitam meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum potienti licet; vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur; servare proprium excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse quod Deo, cujus beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali. »

An licuisset Davidi occidere Saulem? Aliqui negant.

Quæres, an David licite potuisset occidere Saulem? Respondet Abulensis, *Quæst.* XI, negative. Ratio ejus est *prima,* quia David ab hac cæde quasi turpi abhorruit; *secunda,* quia Saul erat rex, David subditus; cui non licet regem licet sævum occidere; *tertia,* quia David necdum erat rex, sed privata persona, nemini autem privato, licet privata auctoritate aliquem reum occidere; ad hoc enim requiritur auctoritas publica. Esto enim David a Samuele unctus esset in regem, id tamen erat ad hoc duntaxat, ut regnaret post mortem Saulis, non autem ipso vivo. Sic et Dionysius.

Alii affirmant.

Alii censent licuisse Davidi Saulem occidere ex eo quod S. Thomas, Franciscus Victoria, Covarruvias, S. Antoninus, Sylvester, Corduba, Navarrus, et ex iis Lessius, lib. II *De Justitia,* cap. IX, dub. 8, num. 45, docent invasum posse prævenire invadentem, etiamsi is nondum accedat, sed instructus sit ad invadendum, si aliter non possit mortem evadere, nisi eum præveniendo; talis autem erat hæc invasio quam assidue David sustinebat a Saule, ut naturaliter non posset mortem effugere, nisi eum præveniret. Ut ut est, dico non decuisse, tum quia non decebat Davidem privatum occidere regem Israelis; tum quia sciebat David se Deo esse curæ, ac Deum præstiturum promissum sibi regnum, ideoque se ab omnibus insidiis Saulis liberaturum; tum quia decebat eum perfectæ patientiæ et mansuetudinis dare exemplum, ut ea sibi conciliaret animos Hebræorum, itaque sibi pararet viam ad regnum; atque ut esset typus et præcursor Christi, qui noluit Pilato et Caiphæ resistere, sed ab eis permisit se occidi. Ex his patet responsio ad argumenta Abulensis.

Dicendum est, non decuisse.

Vers. 9.

9. ET INCLINANS SE DAVID PRONUS IN TERRAM ADORAVIT, — Saulem, *q. d.* David prosternendo se in terram, summam demissionem, honorem et reverentiam Sauli quasi regi exhibuit. Disce hic quomodo Prælatos et Superiores, licet impios et infensos, colere et revereri oporteat. Sic enim flectentur ad pietatem et æquitatem, uti hic flexus fuit Saul a Davide ut fleret, et odium in amorem converteret. Quocirca David tunc dictavit psal. LVI, in quo Deo gratias agit de sui liberatione, et hostium confusione. Unde ait vers. 4 : « Misit de cœlo, et liberavit me; dedit in opprobrium conculcantes me. » Et vers. 7 : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam. Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara. » Titulus enim hujus psalmi est : *In finem cum fugeret David a facie Saul in speluncam.*

Superiores etiam impios revereri oportet.

Vers. 11.

11. ECCE HODIE VIDERUNT OCULI TUI, QUOD TRADIDERIT TE DOMINUS IN MANU MEA IN SPELUNCA : ET

COGITAVI UT OCCIDEREM TE, — id est surrepsit, vel potius suggesta est mihi a sociis hæc cogitatio de te occidendo. Unde Chaldæus vertit, *et dixerunt alii ut occiderem te.* Nam David ipse voluntate deliberata constanter restitit huic cogitationi, et suggestioni sociorum, adeoque vim eis intulit, eosque confregit, ut dixi vers. 8.

DIXI ENIM : NON EXTENDAM MANUM MEAM IN DOMINUM MEUM, QUIA CHRISTUS DOMINI EST. — « Christus, » id est, unctus in regem a Deo per Samuelem. Duas causas affert David cur non læserit Saulem : prior, quod ipse sit « dominus » suus; posterior, quod sit « christus, » id est unctus Domini, *q. d.* Mihi religio fuit tangere eum, quem unctio Dei sibi sacravit. Recte S. Augustinus, lib. II *Contra Litteras Petiliani*, cap. XLVIII : « David Saulem, inquit, propter sacrosanctam unctionem et honoravit vivum, et vindicavit occisum. Et quia vel panniculum ex ejus veste præscidit, percusso corde trepidavit. »

Vers. 12. 12. TU AUTEM INSIDIARIS ANIMÆ MEÆ, UT AUFERAS EAM. — Singula verba Davidis magnam habent emphasin, ejusque clementiam et virtutem adaugent. Ostendit enim se sua beneficentia certare cum insidiis et maleficentia Saulis, tamque se in ipsum esse beneficum, quam ipse in se erat sævus et maleficus. S. Chrysostomus præter hom. *De Davide et Saule*, scripsit homiliam insignem, cujus titulus est : *Quod David magnificentius erexerit trophæum parcendo Sauli, quam occidendo Goliath;* ubi repetens illa quæ citavi vers. 7, addit Davidem hic insignem plagam diabolo, qui non nisi cædes sitit et suscitat, inflixisse : « Ascendit, inquit, hoste vulneribus innumeris sauciato; ut qui licet servasset Saulem, tamen illum revera hostem diabolum multis plagis confixit. Egressus est ergo David e spelunca dexteram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans corona justitiæ et mansuetudinis, » etc.

David martyr. Idem Chrysostomus, hom. proxime sequenti, docet Davidem hic martyrii lauream non simplicem, sed multiplicem meruisse : « Illud, inquit, considera, quod ex insidiis Saulis tripla quadruplaque martyrii corona redimitus est. Etenim qui servavit hostem, eum, qui semel, atque iterum, imo frequenter lanceam in caput illius vibrarat, cum esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit. Idque cum sciret post eam præstitam clementiam fore, ut denuo ab illo impeteretur : perspicuum est quod millies coronam meruit animi proposito, millies autem interfectus propter Deum, plurimas tulerit martyrii coronas; qui quemadmodum et Paulus ait : Quotidie mortuus est propter Deum. Cum enim posset hostem sibi insidiantem e medio tollere, propter Deum noluit; maluit quotidie periclitari, quam justa cæde a tot mortibus liberari. »

Vers. 13. David 13. JUDICET DOMINUS INTER ME ET TE. — Appellat David ad Dei judicium, quia humanum non habebat. Nam Saul, qui debebat esse judex, erat ejus hostis et persecutor. Facit hoc, ut acriter cum Saule expostulet, ostendens persecutionis summam injustitiam; utque eum terreat et a persequendo avertat, minando Dei judicium et vindictam. Sic S. Athanasius Constantino Imperatori ab Arianis seducto, jubentique ut iret in exilium, dixit : « Judicet Dominus inter me et te, o Imperator, quia calumniis inimicorum meorum credidisti. » Ita Socrates, lib. I *Histor.* cap. XXV, et Baronius, tom. III, pag. 426. appellat ad Dei judicium.

ET ULCISCATUR ME DOMINUS EX TE. — Videtur David commotior ex passione petere a Deo vindictam de Saule, sed ex primo animi impetu et actu indeliberato, ideoque leviter peccat, ait Abulensis. Nam deliberate noluit Dei vindictam de Saule; unde audita ejus morte, serio graviterque indoluit. Adde Davidem videri ultionem hanc petere ex recto justitiæ zelo, ut Deus tantum Saulis scelus castiget ad aliorum exemplum, ne pios persequi audeant, ut satisfiat scandalo quod Israeli dederat Saul. Sic enim Moyses, *Num.* cap. XVI, Jeremias, cap. XVII, et David in *Psalmis*, subinde recte sancteque petunt a Deo justam de impiis vindictam. Ex zelo justitiæ petit vindictam.

Vers. 14. 14. SICUT ET IN PROVERBIO ANTIQUO DICITUR : AB IMPIIS EGREDIETUR IMPIETAS. — Impietas hic accipi potest simpliciter : *primo*, proprie pro ipsa culpa; *secundo* metonymice pro ejus pœna : si pro culpa accipias, sensus erit, quasi dicat : Impietas occidendi non egreditur nisi ab impio homicida, qualis es tu, o Saul, non vero a me, qui me et hic et alibi semper pium et observantem erga te cæterosque omnes ostendi; ut hæc gnome pertineat ad illud vers. 12 : « Vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te; tu autem insidiaris animæ meæ. »

Si pro pœna, sensus est quasi dicat : Impios sequitur pœna impietatis suæ; culpam enim comitatur pœna, sicut reum carnifex. Non est ergo opus ut ego manum meam in te, o Saul, extendam, teque occidam; quia tua impietas, vindicante Deo, te occidet. Occideris enim ab impio, non a me qui pius sum. Nam impius Saul impia sua manu seipsum occidit, fuitque suæ impietatis ultor et carnifex, ut patebit cap. XXXI.

Proverbium hoc ex usu et ore vulgi petitum directe servit ad hæc tria, ait Cajetanus, manifestanda : *primo*, pietatem Davidis abstinentis a cæde Saulis omnique specie impietatis; *secundo*, impietatem adulatorum illorum, qui David detrahebant apud Saulem, eumque instigabant ad illius cædem; *tertio*, ad confutandum ipsum Saulem, qui impie Davidem pium persequebatur.

Vers. 15. 15. QUEM PERSEQUERIS, REX ISRAEL? CANEM MORTUUM PERSEQUERIS ET PULICEM UNUM, — *q. d.* Hominem vilissimum, abjectissimum, debilissimum, instar canis et pulicis qualis sum ego, persequeris. Ut quid ergo me persequeris? Indignum est

rege cum pulice pugnare, sicut indignum fuit Domitiano muscas venari.

Vers. 17. 17. DIXIT SAUL : NUMQUID VOX HÆC TUA EST, FILI MI DAVID? ET LEVAVIT SAUL VOCEM SUAM, ET FLEVIT. — Vide hic quam efficax fuerit vox Davidis; vide pariter quam potens fuerit ejus profunda humilitas, et incensa charitas, quæ adamantinum Saulis cor confregit, ac mite placidumque reddidit, ut in lacrymas amoris diffluueret. Unde S. Chrysostomus *hom.* jam citata : « Quanta, ait, subito facta est mutatio? qui nunquam sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Davide felicius, qui ex homicida fecit patrem, e lupo ovem? qui fornacem iracundiæ multo implevit rore, quique tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem iræ exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Davidis ingressa in animum istius efferati totam hanc perfecerunt immutationem. » Ecce hos carbones ignis juxta monitum S. Pauli, *Rom.* XII, 20, congessit David super caput Saulis, quibus eum ad se redamandum accendit. Subdit deinde Chrysostomus exempla quibus ostendat, quam potens sit vox piorum : « Vox Sanctorum frequenter, et elementa stare fecit, et potestates illorum immutavit. Locutus est tantum Jesu Nave, et constitit sol et luna. Sic et Moyses mare ingressus est, et cessit; sic tres illi pueri ignis vim exstinxerunt hymnis illis suis hac voce. Itidem et Saul ad eamdem vocem incaluit, dicens : Vox tua ista, fili David? Quid igitur David? Servus tuus, Domine, mi rex. Post hæc certamen oritur, et contentio uter alterum majore prosequatur honore. Saul quidem ad cognationem ascivit, filium appellans; David autem dominum eum appellat. Quod autem dicit tale est. Unum, inquit, unum illud quæro, salutem tuam, ac virtutis profectum; filium me appellasti, mihi vero satis est, si me pro famulo habeas, tantum ut iram ponas, tantum ut ne quid de me suspicere mali, neve me ducas hostem aut insidiatorem. »

Charitas Davidis fregit duritiam Saulis.

In nostra est potestate inimicum reconciliare.

Inde colligit Chrysostomus in nostra potestate esse inimicum nobis reconciliare, si cum Davide nos coram eo humiliemus, et charitatem in eum ostendamus, juxta illud *Prov.* XV, 1 : *Responsio mollis frangit iram.* « In nobis ergo, ait Chrysostomus, situm est, ut vel exstinguatur ira inimicorum, vel ad majus irritetur incendium, si verbis asperis eum invadamus. » Probat id exemplo ignis quod subjicit; si enim « infles in scintillam ignis, excitas incendium; contra si inspuas, exstinguis, et utrumque tibi in manu est; quoniam utrumque, inquit, ex ore tuo proficiscitur. Idem fit et in inimicitia proximi, si inflatos ac vecordes ingeras sermones; excitas ignem illius, accendis carbones; sin mites ac modoratos admoveas sermones priusquam exardescat, iram omnem exstinxeris.

18. JUSTIOR TU ES QUAM EGO. — Pergit S. Chrysostomus : « Vides ut suam ipsius damnat malitiam, ac justi virtutem prædicet, nulloque cogente sese purgat. Idem tu facito cum hostis inciderit in manus tuas : noli accusare illum, sed teipsum purga, ut illum perpellas ad sui ipsius condemnationem. Nam si nos accusamus, exasperatur; si nos excusaverimus, ille reveritus nostram humanitatem, mox seipsum condemnabit. » Et nonnullis interjectis : « Neque enim simpliciter dixit : fecisti mihi bona, sed retribuisti mihi bona. Hoc est pro insidiis, pro cæde, pro malis innumerabilibus, magna mihi rependisti beneficia. At ego ne sic quidem factus sum melior, sed post illa tua beneficia perseveravi in malitia : tu vero nec sic quidem es immutatus, sed constanter tuum obtinuisti morem, nos iterum atque iterum tibi insidiantes beneficiis prosequens. In hisce singulis verbis, quot coronis dignus apparuit David? » Vers. 18.

20. QUIS ENIM CUM INVENERIT INIMICUM SUUM, DIMITTET EUM IN VIA BONA? — sinet eum abire salvum et incolumem : « via » enim « bona » est quæ ducit ad vitam, mala vero, quæ ducit ad mortem. Loquitur Saul ex suo et similium hominum mundanorum ingenio, qui inimicos suos data occasione occidunt. Nam sancti contrarium faciunt, et vincunt in bono malum, uti fecit hic David. Quem præ aliis imitatus est S. Joannes Gualbertus, qui armatus occurrens inimico inermi, cum ille vitam sibi donari posceret per amorem Christi pro inimicis suis crucifixi, eidem pepercit. Unde ingrediens ecclesiam oransque ante imaginem Crucifixi, vidit Crucifixum ad se caput inclinare, ac quasi applaudere et gratias agere, quod hosti sui amore pepercisset. Quo viso commotus Joannes sæculo renuntiavit, et ordinem Vallis umbrosæ instituit sub annum Domini 1020. Vers. 20.

Mali inimicos suos occidunt : sancti parcunt.

SED DOMINUS REDDAT TIBI VICISSITUDINEM HANC, PRO EO QUOD HODIE OPERATUS ES IN ME, — *q. d.* Ego non possum tibi retribuere par; retribuat ergo illud tibi Deus. Causam dat S. Chrysostomus, *hom.* jam citata, dicens : « Quid enim poterat Saul reponere dignum meritis, etiamsi regnum dedisset cum omnibus oppidis? Neque enim oppida modo, et regnum, verum et vitam ipsam donarat illi David; ille vero non habebat alteram vitam, quam rependeret; eoque illum relegat ad Deum; et ab illo manaturis præmiis honorat, pariter et hunc laudans, et universos erudiens, quod tum majora nobis apud Deum præmia reposita sunt, cum pro innumeris beneficiis in hostem collatis diversa recipimus. »

Magnanimitas veræ est injuriæ condonatio.

Igitur David hic, subditus licet, major fuit Saule rege : nil enim ita magnum et magnanimum facit, ut amor inimicorum et injuriæ condonatio. Audi Martinum Dumensem Abbatem, et postea Braccarensem Episcopum anno Domini 572, lib. *De Quatuor Virtutibus,* cap. II : « Nil aliud magnum in rebus humanis nisi animus magna

despiciens, si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit; et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse; scito enim honestum et magnum vindictæ genus esse, ignoscere. »

Vers. 21. 21. ET NUNC QUIA SCIO QUOD CERTISSIME REGNATURUS SIS. — « Scio, » ex singulari illa Dei erga te cura et providentia, qua te tutatur, measque insidias eludit, ac te in omnibus prosperat facitque hostibus omnibus superiorem, æque ac Israelitis omnibus amabilem et admirabilem ob tuam divinam patientiam et mansuetudinem, qua etiam mihi hosti tuo infensissimo vitam condonasti. Ita Abulensis. Audi S. Chrysostomum, *homil.* jam citata: « Dic, obsecro, unde istud scis? Penes te sunt pecunia, arma, civitates, equi, milites, breviter universa vis apparatus regii: hic contra desertus ac nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habens. Unde igitur, te quæso, ista loqueris? Nimirum ex ipsis Davidis moribus. Neque enim nudus, et inermis ac desertus me armatum, tantaque circumvallatum potentia superasset, nisi Deum haberet adjutorem. Porro qui Deum habet faventem omnibus est potentior. Vides ad quantam philosophiam Saul post insidias deductus sit? Vides qui fieri possit ut inimicus omnem expuat malitiam; immutatusque ad meliora sese recipiat? Ne velimus itaque nostram ipsorum salutem per iracundiam devorare. »

Ex Dei erga Davidem cura colligit Saul eum regnaturum.

Vers. 22. 22. JURA MIHI IN DOMINO, NE DELEAS SEMEN MEUM. — Vide quam Saul rex hic se submittat Davidi, eique fiat supplex. Unica ergo ratio expugnandi inimicos, eosque amicandi, est humilis et incensa in eos charitas. Audi S. Chrysostomum *homilia* jam citata: « Rex privatum rogat; qui diademate cinctus est, supplicem agit, pro filiis suis obsecrat exulem. Et hoc ipsum arguit virtutem Davidis, quod hostis ausus sit hæc ab hoste petere. Nam quod jusjurandum exigit, non eo faciat, quod diffidat Davidis moribus, sed quod reputet quot malis illum affecisset. Jura mihi te non aboliturum semen meum post me. Hostem filiis suis relinquit tutorem, suasque proles in illius deponit manus, dum his verbis filiorum ac Davidis manus apprehendens, Deum sequestrum inducit. »

Saul submittit se Davidi.

Vers. 23. 23. ET JURAVIT DAVID SAULI, — nec tantum juravit, sed et plura quam juraverat præstitit. Ita S. Chrysostomus: « Quid igitur, inquit, David? Num vel leviter dissimulatione et ironia ad hæc usus est? Nequaquam, sed protinus annuit, quodque petebatur concessit; ac mortuo Saule non modo non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit quam erat pollicitus; siquidem filium ejus, cum esset claudus ac debilis cruribus, in suam ipsius domum induxit, suæque mensæ fecit participem, summo illum honore dignatus, nec erubuit, nec occultavit, nec arbitratus est regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari potius ac lautiorem fieri. Quotquot enim cum illo discumbebant, abibant magnam philosophiæ doctrinam consecuti. »

David plura Sauli præstitit quam juravit.

Moraliter, David docet hic subditos, quam modeste, humiliter, reverenter, amanter se gerere debeant erga suos principes et prælatos tam sæculares quam Ecclesiasticos, etiam rigidos et molestos, imo iniquos, sævos et tyrannos, ut eos quasi christos Domini, et in eis quasi vicariis suis Deum ipsum colant et venerentur. In eis enim quasi vivis imaginibus potestas et majestas divina relucet. Sic Moyses veneratus est Pharaonem, Isaias Manassen, Daniel Cyrum, Jeremias Nabuchodonosorem, Jaddo Alexandrum, S. Paulus Neronem, S. Joannes Domitianum, S. Ignatius Trajanum, SS. Cornelius et Cyprianus Valerianum, SS. Sixtus et Laurentius Decium, S. Sebastianus Diocletianum, adeoque omnes Romani Pontifices ac Sacerdotes et Christiani a S. Petro usque ad S. Sylvestrum per trecentos annos modeste, et patienter toleravere perpetuas persecutiones et martyria ab Imperatoribus Gentilibus, nec eis restiterunt unquam vel quidquam mali intulerunt; sed fugerunt et abdiderunt se in speluncis et cryptis, quas hodie Romæ cernimus, et veneramur. Hoc est, quod ait Apostolus, *Hebr.* cap. XI: « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et cavernis terræ. » Hoc est quod Christianos docet S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 17: « Deum, inquit, timete, regem (Neronem) honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste, etc. In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, etc., qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste. » Atque hac sua patientia Christiani meruerunt apud Deum, ut ipse Imperatores ad Christum converteret, sicut per S. Sylvestrum convertit Constantinum Imperatorem, adeoque Romam totumque orbem effecit Christianum.

Subditi patiantur superiorum asperitatem.

Idem faciunt Religiosi suis Superioribus et Rectoribus. Climachus, gradu 4 *De obedientia*, narrat Religiosum quemdam nomine Abba-Cyrum a Superioribus suis valde exercitum, adeo ut quotidie expelleretur ex mensa, et sæpe incœnatus dormire cogeretur: quæ omnia ille valde patienter tulit, ac roganti Climacho, quomodo illa toleraret, respondit: « Crede mihi, Pater, probant me Patres mei, utrum monachus esse cupiam, non autem vere id faciunt, quam ego Patris aliorumque intentionem non ignorans, levissime ac sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce decimum quintum jam annum ago, istud cogitans sicut et ipsi, quando monasterium intravi, dixerunt mihi

Exempla. Abba Cyri monachi patientia in mortificationibus.

quod usque ad trigesimum annum renuntiantes probare solerent. Et recte quidem pater Joannes. Sine probatione enim aurum non perficitur. Hic igitur egregius Abba-Cyrus secundo anno postquam adveneram, migravit ad Dominum in monasterio hoc, Patribus cum deficeret dicens: Gratias ago Domino et vobis, Patres, quod me ad salutem meam tentastis jugiter. Hac enim ex causa immunis a tentationibus dæmonum hactenus mansi. Quem etiam tanquam confessorem, et cum his, qui illic obierunt sanctis dignissime æquissimus pastor sepeliri jussit. »

Ibidem magis mirabilem patientiam et obedientiam recenset cujusdam Achatii, qui a suo sene directore non tantum aspere, sed et crudeliter tractabatur; quotidie enim non solum contumeliis, sed et verberibus afficiebatur: « Ego igitur, ait Climachus, obvians illi sæpissime dicebam: Quid est, frater Achati? quomodo tibi est hodie? Ille vero continuo nunc quidem liventem, tumidumque oculum, aliquando vero faciem fractam et cervicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, aiebam illi: Bone, sustine viriliter, et proderit tibi. Cum igitur egisset annos novem, sub immiti et acerbo sene, migravit ad Dominum, sepultusque est in Patrum cœmeterio. Post quinque autem dies abiit ad magnum quemdam illic senem Achatii magister, dixitque illi: Frater Achatius mortuus est. Quod cum audisset senior respondit: Vere, senex, non id mihi persuades. Qui ait: Veni et vide. Continuo surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium. Clamavit tanquam viveret ad eum qui vere in beata requie vivebat. Dicens, frater Achati: putasne mortuus est? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens magno illi ita de sepulcro respondit: Et fieri quomodo potest, Pater, ut moriatur homo obedientiæ deditus? »

In *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLIII, Pimenius Abbas, rogans Nesteronem quomodo tam leniter injurias in monasterio toleraret, ab eo audivit: « In principio, quando ingressus sum, dixi cogitationi meæ: Ecce tu et hic asinus estis pares; sicut enim hic asinus vapulat, et non loquitur; injuriatur, et nihil respondet; ita ergo esto et tu, nam sic dicit et psalmus: Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. »

Ibidem Abbas Agathon dixit: « Si vis vivere inter monachos, esto sicut statua lapidea, quæ, si injuria afficitur, non irascitur: si laudatur, non extollitur. » Ibidem lib. III, num. 84, ex Ruffino narratur hæc sancti vox: « Porta cœli est injuriarum perpessio. » Ibidem, lib. V, cap. VIII, num. 2: « Laudatus est, ait, quidam frater a monachis apud Abbatem Antonium; ille autem, cum venisset ad eum, tentavit si portaret injuriam, et cum cognovisset quia non posset ferre, dixit eis: Similis est domui quæ a facie quidem ornata est; de retro vero a latronibus despoliata. »

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Samuel. David a Nabal tondente oves petit annonam; ille in eum convicia et contumelias jacit. Quare David iratus jurat se eum cum omnibus suis occisurum. Audit hoc Abigail uxor Nabal, suaque blandiloquentia et munificentia Davidem placat. Post decem dies Deus occidit Nabal, vers. 38. David Deo gratias agit, ac duas uxores ducit, Abigail et Achinoam, pro Michol quam Saul ei abstulit, tradiditque Phalti.

1. Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan. 2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria millia et mille capræ; et accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat Nabal, et nomen uxoris ejus Abigail; eratque mulier illa prudentissima et speciosa: porro vir ejus durus, et pessimus, et malitiosus: erat autem de genere Caleb. 4. Cum ergo audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, 5. misit decem juvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice. 6. Et dicetis: Sit fratribus meis et tibi pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæcumque habes, sit pax. 7. Audivi quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit

quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. 8. Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis : in die enim bona venimus, quodcumque invenerit manus tua da servis tuis, et filio tuo David. 9. Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David, et siluerunt. 10. Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos. 11. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint? 12. Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat. 13. Tunc ait David pueris suis : Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo, et secuti sunt David quasi quadringenti viri : porro ducenti remanserunt ad sarcinas. 14. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens : Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro; et aversatus est eos. 15. Homines isti boni satis fuerunt nobis, et non molesti; nec quidquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conversati cum eis in deserto. 16. Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. 17. Quam ob rem considera, et recogita quid facias : quoniam completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam, et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui. 18. Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos. 19. Dixitque pueris suis : Præcedite me; ecce, ego post tergum sequar vos : viro autem suo Nabal non indicavit. 20. Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David et viri ejus descendebant in occursum ejus, quibus et illa occurrit. 21. Et ait David : Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant; et reddidit malum pro bono. 22. Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem. 23. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, 24. et cecidit ad pedes ejus, et dixit : In me sit, domine mi, hæc iniquitas; loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulæ tuæ. 25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo; ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. 26. Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi, et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum. 27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo; et da pueris qui sequuntur te dominum meum. 28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ : faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris; malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. 29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum : porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ. 30. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel : 31. non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris : et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, 33. et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. 34. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi : nisi cito

venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. 35. Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei, dixitque ei : Vade pacifice in domum tuam ; ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam. 36. Venit autem Abigail ad Nabal, et ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, et cor Nabal jucundum : erat enim ebrius nimis ; et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane. 37. Diliculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, et emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis. 38. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. 39. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait : Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo, et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. 40. Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, et locuti sunt ad eam, dicentes : David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem. 41. Quæ consurgens adoravit prona in terram, et ait : Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. 42. Et festinavit, et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor. 43. Sed et Achinoam accepit David de Jezrael ; et fuit utraque uxor ejus. 44. Saul autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

Vers. 1. Quando mortuus Samuel incertum.

1. MORTUUS EST AUTEM SAMUEL. — Quoto anno regni Saulis mortuus sit non satis liquet. Nam Samuel et Saul junctim præfuerunt Israeli 40 annis : nonnulli hos annos ita distribuunt, ut ex eis 20 dent Samueli et 20 Sauli ; alii duos duntaxat ex cap. XIII, vers. 1, dant Sauli, alii decem, alii octodecim, cæteros Samueli. Alii, verisimilius cum Saliano, Samueli dant annos 22, cæteros octodecim Sauli.

Rursum quot annis post creatum regem Saulem supervixerit Samuel non constat. Probabiliter Salianus opinatur eum supervixisse sedecim annis ; ac biennio ante Saulem obiisse anno ætatis suæ 77, cui favent Clemens Alexandrinus, Ruffinus, Beda, Abulensis et Josephus, quos ipse citat. Obiit enim Saul anno regni sui 18.

ET CONGREGATUS EST UNIVERSUS ISRAEL, ET PLANXERUNT EUM ET SEPELIERUNT EUM IN DOMO SUA IN RAMATHA. — Vide hic amorem et observantiam totius populi erga Samuelem quasi suum Judicem, Prophetam et omnis boni auctorem. Vide pariter luctus pompam, et mortui venerationem. Porro ossa Samuelis sub Arcadio Imperatore, anno Domini 406, ex Judæa, magna et Imperatoris et populi pompa et devotione, translata sunt Constantinopolim. Unde S. Hieronymus scribens *contra Vigilantium* (quem nostri hæretici sequuntur) docet ejus et cæterorum Sanctorum lipsana sive reliquias fidelibus esse venerandas. Audi S. Hieronymum : « Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et dissolutos cineres in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia sunt jucundati, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent atque suspicerent, ut de Palæstina usque ad Chalcedonem jungerentur populorum examina, et in Christi laude una voce resonarent? »

Translatio ossium Samuelis.

ET POSSESSIO EJUS IN CARMELO. — Duo erant montes in Israel dicti *Carmelus* Unus celebris in tribu Issachar juxta mare, distans a Ptolemaide stadiis 120, vineis, oleis aliisque arboribus odoriferis abundans, adeo ut in proverbium abierit, ut cum locum fertilem significare velint, dicant eum esse « Carmel » vel « Carmelum : » in hoc versati sunt Elias et Elisæus, ibique Carmelitarum fuit origo III *Reg.* cap. XVIII. Alter mons, et in monte urbs fuit in tribu Juda, fertilis in pascuis, fructibus et herbis, feraxque vini delicatissimi. In hoc Saul victoria potitus de Amalecitis, fornicem triumphalem erexit, I *Reg.* XV. In hoc pariter habitavit et suas possessiones habuit Nabal. Ita S. Hieronymus, Borchardus, Bredenbachius, Adrichomius in *Descriptione terræ sanctæ.*

Duo montes Carmeli in Israel.

2. ET HOMO ILLE MAGNUS NIMIS, — quasi dicat : Erat præpotens et ditissimus ; unde explicans subdit : « Erantque ei oves tria millia et mille capræ. » Olim enim opes sitæ erant in pecudibus et pecoribus : unde ab iis nomen accepit peculium et pecunia, quia « omnis pecuniæ pecus fuit fundamentum, » ait Columella, lib. VI.

Vers. 2.

6. OMNIBUS QUÆCUMQUE HABES SIT PAX. — Fuit illo ævo hæc usitata salutatio, qua dicendo : « Pax tibi et tuis, » omne bonum salutato apprecabantur ; pax enim vehit secum omnem prosperitatem, fertilitatem, rerum copiam, omneque bonum ; sicut his adversa omnia invehit bellum.

Vers. 6.

Pax omnia bona adducit, bellum omnia mala.

8. IN DIE BONA VENIMUS, — quasi dicat : Ad diem lætam venimus, qua tondis oves, ac liberalita-

Vers. 8.

tem erga tonsores exerces dando eis splendidum epulum : oramus ergo ut nos egenos et famelicos, quasi tuos vicinos, amicos et defensores, hujus tuæ lætitiæ et epuli facias esse participes. Hilaria celebras illarum, ergo particulam in nos deriva, nosque tecum exhilara.

Bonum enim sæpe sumitur pro læto, hilari, jucundo : sicut *malum* pro tristi et funesto. Unde illud : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, » *Psal.* CXXXII, vers. 1. Et illud : « Sufficit diei malitia sua, » id est miseria et tristitia sua, *Matth.* cap. VI.

QUODCUMQUE INVENERIT MANUS TUA, (id est quod habes in promptu, quod commode dare potes), DA NOBIS SERVIS TUIS.

Vers. 10. 10. HODIE INCREVERUNT SERVI QUI FUGIUNT DOMINOS SUOS, — quasi dicat : Hodie increvit David, qui est servus Saulis, ut audeat se regi suo opponere, et contra eum exercitum ducere ac regnum ejus ambire. Atrox fuit hæc calumnia et injuria quam Nabal jecit in Davidem.

Calumnia atrox Nabalis in Davidem.

Vers. 14. 14. UT BENEDICERENT, — ut salutarent, ut bene et fausta precarentur.

Vers. 16. 16. PRO MURO ERANT NOBIS, — id est nos defendebant ab incursu hostium. Jure ergo annonam ab eis poscebat David : cives enim alere debent milites præsidiarios, qui eos eorumque bona contra hostes tutantur et propugnant.

Vers. 17. 17. COMPLETA EST MALITIA, — id est malum et vindicta acris a Davide decreta, et plene certoque ab eo concepta imminet tuo viro et domui tuæ.

IPSE EST FILIUS BELIAL, — id est, avarus, ingratus, durus, malitiosus et pessimus, ut dictum est versu 3. *Belial* proprie idem est quod *sine jugo*, effrænis, indomitus, quasi dicat : Nabal cervicosus renuit audire bonas nostras suggestiones de cavenda Davidis vindicta illi parata. Quare idipsum tibi quæ mulier es sapiens et docilis suggerimus, ut illam a te tuaque domo avertas.

Vers. 18. 18. FESTINAVIT IGITUR ABIGAIL, — ut Davidem iratum adventantem et exitium minitantem sua beneficentia præveniret, et eloquentia leniret : itaque Nabal mariti sui inhumanitatem expiaret. Hinc apte dicta est *Abigail* id est *pater exsultationis*, ait Pagninus, quia ipsa exsiliens, exsultationem peperit tam Davidi, quam toti domui suæ; idque fecit virili prudentia et fortitudine quasi virago, ut non tam mater, quam pater esse videretur.

Etymon Abigail ipsi appropriatum.

QUINQUE SATA POLENTÆ.—*Satum* erat genus mensuræ, continens libras 26, hoc est uncias 320.

ET CENTUM LIGATURAS UVÆ PASSÆ, — id est, centum fasciculos uvarum siccatarum in furno vel in sole. Alii tamen per « ligaturas uvæ, » accipiunt certas uvarum massas certi ponderis vel mensuræ. Unde Septuaginta vertunt, *gomor unum uvæ passæ*. Aquila vertit, *ephi*. Quare Theodoretus hic asserit *gomor* idem esse quod *ephi* et *satum*, citatque Ezechielem, sed falso; nam *Ezechielis* XLV, 11, dicitur : « Ephi et satus æqualia sunt, » non autem *gomor*. Nam ex *Exodi* XVI, 16, constat *gomor* fuisse decimam partem *ephi* : *gomor* ergo continebat octo libras, hoc est uncias 96, *satum* autem continebat 26 libras, hoc est, uncias 320. *Ephi* vero continebat libras 80, hoc est uncias 960. Vide dicta de ponderibus et mensuris in fine Pentateuchi. Aliud ergo est *gomor*, aliud *homor*, sive corus; hic enim continebat libras 800, hoc est, uncias 9600. *Gomor* igitur *uvæ passæ* continebat 96 uncias uvæ passæ. Unde alii Hebræum צמוקים *tsimmukim*, id est *ligaturas*, vertunt, *botros*, quod in iis colliguntur grana; aut quod botri sicci colligentur in massam. Ita Pagninus, Arias, Marinus et alii. Centum enim botri facile ponderant 96 uncias : quisque enim botrus fere ponderat unciam. Huc facit quod I *Paral.* XXX, 17, Hebræi dederint illi Ægypto duo *tsimmukim*, id est, duos botros, ut videtur : nam *uvæ passæ* et botri sunt quasi bellaria, quæ in fine mensæ pauca apponuntur. Aut potius dicendum est *gomor* apud Septuaginta non significare determinatam mensuram, sed vas quodlibet commune, quale erat gomor. Sic enim Itali *barille* vocant omne vas minus. Hic sensus valde planus et appositus est. Nam *ligatura* significat colligationem plurium botrorum; ut in regno Neapolitano duos pluresve botros colligant simul ad siccandum. Nam pro sexcentis Davidis militibus, valde parum fuissent centum botri. *Unum* ergo *gomor* vocatur hic unum vas, una massa, una mensura communis uvarum passarum.

ET DUCENTAS MASSAS CARICARUM, — id est, ficuum aridarum vel siccatarum ad solem, ex quibus fiunt massæ ficuum, et formæ quasi caseorum.

Vers. 22. 22. HÆC FACIAT DEUS INIMICIS DAVID, — id est, ipsi Davidi, alioqui enim ridicula esset hæc imprecatio. Est euphemismus. David enim hic jurat juramento execratorio more vulgi : vulgus autem non audet jurando imprecari mala sibi ipsi, quia anxie timet quod si aliquod malum sibi imprecetur, illud revera sibi eveniet : jurat ergo imprecando malum aliis, sed per alios intelligit se ipsum. Sic ergo David imprecatur malum « inimicis suis, » id est sibi ipsi. Ita Abulensis. Simili euphemismo, ait Daniel, cap. IV, vers. 16, regi Nabuchodonosori : « Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit, » cum tamen sit de ipsomet rege.

Jurat David execratorio juramento contra seipsum.

SI RELIQUERO DE OMNIBUS QUÆ AD IPSUM PERTINENT USQUE MANE, MINGENTEM AD PARIETEM, — *q. d.* David : Juro quod omnes in domo Nabal occidam ante auroram; ita ut nec canem vivum in ea relinquam. Canes enim elevata tibia commingunt parietem, cum cætera animalia mingant in terram. Sic vulgo dicimus : adeo omnes occidit, ut nec felem nec canem vivum reliquerit. Ita Lyranus, Cajetanus, Vatablus. Alii per « mingentem ad parietem, » intelligunt hominem masculum sive magnum, sive parvum. Unde Chaldæus vertit, *cognoscentem cognitionem*, id est, hominem sive

Peccavit David hoc juramento.

virum cognitione et judicio præditum. Peccavit sine dubio David sic jurando, ut patet vers. 31, et magis peccasset, si juramentum reipsa explesset: nam in domo Nabal erant multi, imo omnes, excepto ipso, innocentes. Solus enim Nabal contumeliam fecerat Davidi : nam servis ejus ipsius responsum displicuerat. Unde illud Abigail retulerunt, ut ipsa illud corrigeret; Nabal tamen merebatur castigari. Unde Theodoretus, *Quæst.* LVII, ait Davidem juste voluisse Nabalum occidere propter indignissima convicia et contumelias, quibus Davidem actu impetebat. Verum poterat David aliter hæc refutare et compescere : quare non videtur potuisse licite Nabalum occidere; quia ipse necdum erat rex, ut publica auctoritate posset Nabalum damnare ad mortem. Juravit ergo ex impetu et fervore juvenili et militari, ab ira et cholera abreptus ob injuriæ atrocitatem, sed rediens ad se, sedataque ira pœnituit, manumque a cæde cohibuit, ut patet ex sequentibus.

Non poterat licite occidere Nabalum. ratoris

Aureliani Imperatoris mitigata.

Sic Aurelianus Imperator Tyanensibus sibi portas occludentibus, iratus dixit : « Canem in hoc oppido non relinquam. » Urbe capta, militibus ex promisso direptionem oppidi flagitantibus, respondit : « Agite, canem negavi me relicturum, canes omnes occidite. » Et sic suæ promissioni satisfecit, et clementer hostes suos tractavit, ait Flavius Vopiscus in *Aureliano*.

Vers. 24. 24. IN ME SIT, DOMINE MI, HÆC INIQUITAS, — *q. d.* Mihi imputa iniquitatem mariti mei Nabal, non ipsi : ipse enim stultus est, et nescit quid faciat; me ergo quæ uxor ejus sum, culpa, me puni, ego luam quod ipse peccavit. Hebraice enim est: *In me, ego* (subaudi peccavi), *domine mi, sit hæc iniquitas*. Aut, *q. d.* Esto peccarim, audi tamen benigne verba, quæ ad mei excusationem et ad tuum commodum eloquar. Ita Vatablus.

Vers. 25. 25. NE PONAT, ORO, DOMINUS MEUS REX (a Samuele unctus in regem, etsi necdum regni possessionem adieris) COR SUUM SUPER VIRUM ISTUM INIQUUM (*Belial* Hebraice, id est, indomitum, effrænem, improbum) NABAL, QUONIAM SECUNDUM NOMEN SUUM STULTUS EST. — *Nabal* enim Hebraice idem est quod *stultus*, seu malus et malignus, sive *nebulo*, *q. d.* Ne apprehendas, ne cures, ne te affligas, ne irascaris Nabal ob ejus inhumanitatem et convicia quæ in te jecit; quia ipse vere est *Nabal*, id est, stultus; nemo autem curat dicteria et probra stulti et amentis; quia stultus caret ratione instar bruti, et ignorat quid agat et loquatur. « Hebraice Nabal, ait S. Ambrosius, *epist.* 35, Latine insipiens, durus, inhospitalis, inhumanus, ingratus, qui officia nesciret referre. »

Stulti dicteria nemo curat.

Tropologice τὸ *rex* urget S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 14, *q. d.* Tu, o David, rex es; rege ergo tuas passiones, frena iram, doma vindictam. Nam, ut ait S. Ambrosius : « Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit; is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur : quod regere se noverit, arbiter sui juris sit; ne non captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Hujus anima non perit in æternum; nec quisquam rapit eam, de manu Patris omnipotentis aut Filii. Manus enim Dei quæ solidavit cœlum, quos tenuerit, non amittit. »

26. VIVIT DOMINUS ET VIVIT ANIMA TUA, — *q. d.* Juro per vitam Dei et per vitam tuam quod verum dicam, quodque res ita gesta sit ut dixi, scilicet, quod non viderim pueros tuos, nec conscia fuerim inhumanitatis a Nabal in te exercitæ. Vers. 26.

ET SALVAVIT MANUM TUAM TIBI, — *q. d.* Deus continuit manum tuam, ne tu per illam te ipsum fœdares cæde et sanguine innocentium filiorum et famulorum meorum.

ET NUNC FIANT SICUT NABAL INIMICI TUI, *q. d.* Sicut Nabal est in tua potestate et misericordia, sic omnes inimici tui tibi subdantur, tuamque gratiam et misericordiam implorare cogantur, uti ego eamdem pro Nabal imploro. Ita Cajetanus. Aut, *q. d.* Omnes inimici tui æstimentur ut Nabal, stulti et fatui de quibus quid dicant vel agant, nemo sapiens curat vel considerat. Ita Abulensis.

17. SUSCIPE BENEDICTIONEM, — id est, beneficium : sive donum annonæ, quod tibi tuisque attuli. Vers. 27.

28. AUFER INIQUITATEM FAMULÆ TUÆ, — *q. d.* Remitte et condona iniquitatem Nabal mariti mei, quam ego in me transferri cupio, ut illius culpæ pœnam exsolvam. Vers. 28.

DOMUM FIDELEM, — id est familiam, stirpem et posteritatem firmam et stabilem; ut scilicet filii et nepotes ex te progignendi continua serie regnent in Israel, exclusa Saulis posteritate ob ejus iniquitatem.

MALITIA ERGO NON INVENIATUR IN TE. — « Malitia, » id est, peccatum, et ultio quæ dedecet personam regiam, ad quam a Deo destinatus es, quæque te a regno impediet : omnes enim cupiunt regem clementem et injuriæ immemorem, non memorem et vindictæ cupidum. Vindicta reges dedecet.

29. SI ENIM SURREXERIT ALIQUANDO HOMO PERSEQUENS TE, ET QUÆRENS ANIMAM TUAM, ERIT ANIMA DOMINI MEI CUSTODITA QUASI IN FASCICULO VIVENTIUM APUD DOMINUM DEUM TUUM : PORRO INIMICORUM TUORUM ANIMA ROTABITUR QUASI IN IMPETU ET CIRCULO FUNDÆ, — *q. d.* Si vitam Nabalo hosti tuo condonas, cum ipse suis in te probris mortem mereatur; Deus congruam tibi mercedem rependet, ut vicissim vitam tuam contra omnes te persequentes, ac præsertim contra Saulem tueatur, illamque inter tot pericula securam et longævam diutissime conservet : nam res recondita « in fasciculo, » sive in ligamine « viventium, » quo scilicet ligantur vitæ seu vivi, ad hoc reconditur ut illæsa servetur inter vivos (1); res vero quæ ponitur in funda, Vers. 29.

(1) Hæc locutio *custodita quasi in fasciculo* devenit ab antiquo usu custodiendi abruptam pecuniam in fasciculis.

ad hoc in ea ponitur, ut funda illud ejiciat et ejaculetur : simili ergo modo Deus rotet quasi in funda vitam inimicorum tuorum, ut animam e corpore eorum expellat et evibret, eosque mori cogat. Ita Cajetanus. *Fasciculus* ergo *viventium apud Deum*, est Dei providentia et cura, in qua ipse eos, quorum vitam conservat, quasi colligatos habet, ne quis pereat.

Catalogus electorum est fasciculus viventium.

Allegorice et tropologice : *Fasciculus viventium* est catalogus, vel potius cœtus et concilium Sanctorum Dei amicorum, et electorum ad vitam æternam (vice versa, *fasciculus morientium* est catalogus damnatorum ad mortem æternam. Hi enim, ait Isaias cap. XXIV, vers. 22, « congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum »); lapis vero in funda rotatus, sunt impii et reprobi ejiciendi in gehennam et mortem æternam. Ita Eucherius, Angelomus, Glossa, idque propter quinque anologias. *Prima* est, quia, ut ait Eucherius, « fasciculus astringitur ut conservetur; sic enim electi pressuris tribulationum constriguntur, ut iis admoniti per manus redemptoris in perpetuum conserventur; quia vero reprobi, quo lautiores in vita sunt, eo longius a divinæ visionis gloria projiciuntur; idcirco lapidi fundæ comparantur : quo videtur allusisse regius vates, *Psal.* LXXXVII : Ipsi vero de manu tua repulsi sunt.

Prima.

Secunda. *Secunda*, quæ est ejusdem : Quia sicut fasciculus vinculo quodam et nexu colligatur, ita sanctorum cœtus eadem fide, eadem spe, eodem charitatis vinculo constringitur, et uno eodemque divino

Tertia. præsidio undique cingitur. *Tertia*, quia sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur; ita electos omnes Deus in manu sua gestat, et virtutum odore, qui ex illis afflatur, continuo delectatur, juxta illud *Sapient.* III : Justorum animæ in manu Dei sunt, quamvis sit ibi proprie sermo de protectione, qua Deus sanctos tuetur, unde subditur : Non tanget illos tormentum mor-

Quarta. tis. *Quarta*, quia sicut fasciculus non nisi ex certis iisque lectissimis floribus conficitur, ita prædestinatorum numerus ex certis, iisque charitatis, virtutumque cæterarum odore, ac suavitate re-

Quinto. dolentibus existit. » *Quinto*, fasciculus notat ordinem gradusque gloriæ Sanctorum : sicut enim in fasce flos uni alteri ordinate inseritur, et unus præ alio emicat; sic et in cœlo Sancti pro meritis suum tenent locum et ordinem, unusque præ alio dotibus gratiæ et gloriæ resplendet : « Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum, » I *Cor.* XV, 41. Hæc plura dixi Amos cap. IX, vers. 5, ad illa : « Fasciculum suum super terram fundavit. » *Fasciculus* ergo *viventium* idem est quod *liber vitæ*.

Porro Sebastianus Munsterus, licet hæreticus, hic quippiam notatu dignum affert pro suffragiis defunctorum, veterique ritu orandi pro mortuis :

Munsterus hæreticus

Per *fasciculum*, inquit, *viventium* intelligunt Hebræi solium majestatis, sub quo aiunt justorum animas in sæculo alio quiescere. Hinc etiam est, ut in tumbis suis passim insculpant hanc sententiam : « Anima ejus sit in fasciculo viventium; » sicuti « requiescat anima ejus, » etc. de quibus liber qui inscribitur : *Precationes Judæorum pro defunctis*, quem vertit Genebrardus.

suffragia pro defunctis probat ex hoc loco.

Moraliter : Nota hic modos quibus Abigail infregit iram accensam Davidis, eumque a cæde cohibuit, quos imitemur, ut furorem furentium quasi injecta aqua restinguamus et sopiamus : *primo* enim obtulit Davidi multa et ampla dona quæ negarat Nabal, ideoque Davidi bilem moverat : dona enim iram sopiunt et amorem conciliant; *secundo*, summe se humiliavit prosternendo se in terram coram Davide, qua humiliatione extersit superbum Nabal responsum, quo Davidem irritarat; *tertio*, rationes affert sapientes et blandas, quibus ostendit Davidi quam noxia ei futura sit ira et vindicta, quamque salutaris et commoda ejus oblivio et condonatio, scilicet *primo*, quod Nabal sit stultus, stulti autem dicta et probra sapienti non sunt curanda, sed contemnenda; *secundo*, quod ipsa se offerat pro Nabal ad luendam pœnam; *tertio*, quod ipsa non viderit servos a Davide ad Nabal missos, nec maledicta Nabal audierit : quare rogat ut sibi domuique suæ innocenti parcat; *quarto*, quod si vitam Nabalo condonarit, Deus vicissim vitam Davidis contra Saulem cæterosque hostes tutabitur; *quinto*, quod David prælietur prælia Domini, scilicet ad defendendum Israelem, qui erat populus Dei : quare hoc suum decus non inquinet malitia et ultione privata, nec maculet conscientiam suam puram cæde tot innocentium qui erant in domo Nabal; *sexto*, quod si iræ suæ indulgeat, populum a se avertet, ne eum in regem acceptet; *septimo*, quod hæc vindicta erit ei in singultum et cordolium per omnem vitam, quodque Dei iram provocabit, ut eum puniat pœna talionis, ac domum ejus exscindat : sin autem eam condonet et vitam tot innocentium servet, Deum pariter daturum ei domum fidelem ac posteros ejus in vita et in regno perpetuo servaturum.

Modi placandi iratos.

31. ET CUM BENEFECERIT DOMINUS DOMINO MEO, (scilicet tibi, ut te ad regnum evehat), RECORDABERIS ANCILLÆ TUÆ, — ut scilicet mihi benefacias; videtur præsagire et tacite petere Abigail, ut asciscatur in uxorem Davidis, eique regi fiat regina. Vers. 31.

37. INDICAVIT EI UXOR SUA VERBA HÆC, ET EMORTUUM EST COR EJUS, — quasi dicat : Timore Davidis attonitus fuit Nabal, et quasi emortuus; ipse enim male sibi conscius audiens justam Davidis contra se iram, metuit ne illam totam in se solum effunderet : putavit enim hac de causa eum pepercisse Abigail et familiæ suæ innocenti, ut caput nocens, id est Nabal, peteret. Simili modo ait Ovidius, lib. I *Tristium*, eleg. 3. Vers. 37.

Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus,
Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.

Vers. 38. 38. PERCUSSIT DOMINUS NABAL, — morbum lethalem ei immisit, qui subitaneam ei mortem afferret.

Vers. 39. 39. AD ABIGAIL, UT SUMERET EAM SIBI IN UXOREM. — David ducens Abigail, repræsentavit Christum, qui sibi Ecclesiam ex gentibus despondit. « Hæc enim, amisso viro cui ante juncta fuerat, transivit ad Christum, censu pio dives, humilitatis et fidei, misericordiæ quoque dotata patrimonio, etc., cui sponsus jucunditatem confert et gratiam, emundans eum ab omnibus pulchritudinis ejus impedimentis, » ait S. Ambrosius, epist. 35 *ad Iren.* Qui et subdit Achinoam alteram Davidis uxorem significasse Synagogam Judæorum. « Achinoam enim, inquit Ambrosius, Hebraice idem est quod fratris mei commotio : talis autem fuit Synagoga, quam nutantem inveniens diabolus, sicut leo diruit, et jucunditatem ejus abstulit : et arescere fecit fructus ejus juxta illud *Psalm.* XLV : Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis. » Aptius tamen Pagninus in *Nom. Hebr.* : « Achinoam, inquit, Hebraice idem est quod frater jucunditatis, sive pulchritudinis; aut, frater meus decor sive jucunditas; » quod Judæis ad Christum conversis apte congruit.

Vers. 41. 41. ECCE FAMULA TUA SIT IN ANCILLAM, UT LAVET PEDES SERVORUM DOMINI MEI. — Abigail absentem Davidem, quasi præsentem in legatis ab eo missis alloquitur, ejusque se vocat famulam et ancillam : atque hac sua humilitate meruit fieri ejus uxor et regina Israelis. Unde ipsa typus fuit B. Virginis, quæ electa a Deo in sponsam, et a Verbo in ea incarnando in matrem, dixit Gabrieli Archangelo : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Ideoque ipsa ancilla Dei facta est mater Dei. Vere Ecclesiasticus, cap. XXVI, vers. 1 : « Mulieris bonæ, inquit, beatus vir, numerus enim annorum illius duplex : mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit, pars bona, mulier bona, » etc., et vers. 16 : « Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. » Talis enim fuit Abigail.

Humanitas Abigail.

Fuit typus B. Virginis.

Vers. 44. 44. SAUL AUTEM DEDIT MICHOL FILIAM SUAM UXOREM DAVID, PHALTI FILIO LAIS. — Tradunt, vel potius more suo fabulantur Rabbini, Phalti non cognovisse Michol, eo quod gladius inter ipsum et Michol interjaceret, ideoque ipsum mansisse illiberem sine filiis. Alii asserunt id eum fecisse ex studio pietatis et castitatis. Alii alia comminiscuntur : sunt enim ipsi non vasorum, sed opinionum et somniorum figuli.

Fabula Rabbinica de castitate Phalti et Michol.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David dormienti Sauli parcens, tollensque ejus hastam et scyphum, illaque ostendens Sauli, ac suam innocentiam et clementiam allegans, ejus iram odiumque expugnat, ut dicat : Benedictus tu, fili mi David.

1. Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes : Ecce, David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis. 2. Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph. 3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex adverso solitudinis in via; David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum, 4. misit exploratores, et dedicit quod illuc venisset certissime. 5. Et surrexit David clam, et venit ad locum ubi erat Saul : cumque vidisset locum in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum ejus, 6. ait David ad Achimelech Hethæum, et Abisai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens : Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai : Ego descendam tecum. 7. Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem, et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput ejus : Abner autem et populum dormientes in circuitu ejus. 8. Dixitque Abisai ad David : Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas; nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. 9. Et dixit David ad Abisai : Ne interficias eum; quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit? 10. Et dixit David : Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit : 11. propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput ejus,

et scyphum aquæ, et abeamus. 12. Tulit igitur David hastam, et scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, et abierunt : et non erat quisquam qui videret, et intelligeret, et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. 13. Cumque transisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos, 14. clamavit David ad populum, et ad Abner filium Ner, dicens : Nonne respondebis, Abner? Et respondens Abner, ait : Quis es tu, qui clamas, et inquietas regem? 15. Et ait David ad Abner : Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem dominum tuum. 16. Non est bonum hoc quod fecisti : vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini. Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus. 17. Cognovit autem Saul vocem David et dixit : Numquid vox hæc tua, fili mi David? Et ait David : Vox mea, domine mi rex. 18. Et ait : Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea? 19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui : Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium ; si autem filii hominum maledicti sunt in conspectu Domini : qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis. 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino ; quia egressus est rex Israel, ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus. 21. Et ait Saul : Peccavi; revertere, fili mi David ; nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie : apparet enim quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. 22. Et respondens David, ait : Ecce hasta regis, transeat unus de pueris regis, et tollat eam. 23. Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem ; tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini. 24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia. 25. Ait ergo Saul ad David : Benedictus tu, fili mi David ; et quidem faciens facies, et potens poteris. Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum.

Vers. 9. 9. QUIS ENIM EXTENDIT MANUM SUAM IN CHRISTUM DOMINI (in Saulem, quia a Deo per Samuelem unctus erat in regem), ET INNOCENS ERIT? — David ab hac cæde abhorruit, eo quod indecens et indignum ei videretur occidere regem suum a Deo constitutum et unctum : religioni ergo sibi duxit Saulem lædere, ne Deum in eo lædere videretur : ita piæ mentes, et ut ait S. Bernardus, agnoscunt culpam, ubi non est culpa, ejusque umbram horrescunt.

Abhorruit David a cæde Saulis.

Moraliter, disce hic a Davide quam prælatos et principes etiam improbos et nobis adversantes, revereri debeamus, quasi *christos Domini*, nec eos verbo, multo minus verbere lædere. Rursum, quantopere Deus eos quos parat ad magna, ut alios regant, exerceat adversitatibus et persecutionibus. Sic enim per Saulem exercuit Davidem, ut ejus virtutem acueret, dignumque regno efficeret : quare hæ persecutiones Saulis non fuerunt aliud Davidi, quam exercitationes, præparationes et dispositiones ad regnum, idque Saul agnovit dicens vers. 15 : « Faciens facies, et potens poteris. » Simili modo solent Principes, Episcopi, Rectores, subditos quos ad regimen parant, variis gravibusque imperiis, oneribus, increpationibus, mortificationibus exercere, ut eorum virtutem probent, augeant, perficiant, utque ipsi discant in regimine subditis compati. Nemo enim recte imperat, nisi qui recte paret. Nemo sentit jugum obedientiæ quod aliis imponit, nisi qui prius illud subiit et expertus est; qui enim illud non subiit, imperiose regit et « dominatur in cleris, » ait S. Petrus. « Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, inquit Amos cap. VI, vers. 6, et nihil patiebantur super contritione Joseph. »

Prælati etiam improbi, honorandi.

Deus exercet eos quos ad magna destinat.

Vers. 11 11. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE EXTENDAM MANUM MEAM IN CHRISTUM DOMINI. — Quasi dicat : Precor Deum ut det mihi gratiam et constantiam, ne victus persecutionibus Saulis, eum aliquando velim occidere. Unde hebraice est, *prohibeat Dominus ne extendam*, etc.; Chaldæus, *nefas mihi ab ante Dominum*, etc. Oratio est, et ut nonnulli volunt, simul juramentum, quo David jurat se non occisurum Saulem, ut per illud se in bono hoc proposito confirmet, utque Abisai et alios volentes occidere Saulem prorsus ab ejus cæde avertat.

Scyphus aquæ Saulis quis? Resp. Primo.

ET SCYPHUM AQUÆ. — Perperam Castalion et Calvinistæ vertunt, *matulam*. Quæres, quis fuerit hic *aquæ scyphus? Primo,* Serarius putat fuisse clepsydram horariam, ad vigilias noctis Sauli indicandas. Nam Julius Cæsar et prisci Duces olim in castris ad illum finem clepsydris utebantur, teste Vegetio, lib. III. Veterum enim clepsydræ indicabant horas ex fluxu non arenæ (ut faciunt nostræ), sed aquæ, ut nomen ipsum indicat : clepsydra enim dicitur quasi κλέπτουσα ὕδωρ, id est sufurans aquam. Erat ergo clepsydra, horologium aquarum, horas aquæ fluxu dimetiens. *Secundo,* Auctor *Antiq. Convival.* lib. II. Verisimile est, inquit, Judæorum potum in militia fuisse aquam, non vinum. Unde lib. I *Samuel,* scyphus aquæ ad caput Saulis stetisse dicitur non vini, ut hodie sæpenumero magni viri noctu quoque ad lectum solent habere vini cantharos atque pocula ad potandum, et inexplebili illi suæ siti, quam sibi assidua, immoderataque vini ingurgitatione compararunt, satisfaciendum.

Clepsydræ etymon.

Secundo.

Tertio, planius Josephus : Hic aquæ scyphus, ait, erat ad lavandum; mane enim et subinde per diem aqua manus et faciem abluere solemus. Judæi vero etiam noctu non raro se lavabant, præsertim si quæ iis pollutio accidisset. Unde Clemens Alexandrinus, libro IV *Strom.* cap. VII : « Judæi, inquit, etiam in lecto purgantur. » Idem, *Exhort. ad Gentes :* « Semper, inquit, a cubili lavantur Hebræi. » Idem factitant etiamnum Judæi, adeoque ex eis religiosiores crebro totum corpus abluunt.

Vers. 12. Sopor a Deo immissus Sauli cum suis.

12. QUIA SOPOR DOMINI IRRUERAT SUPER EOS. — « Sopor Domini, » id est sopor magnus et gravis. Ita Chaldæi sic vocantur *montes Dei et cedri Dei,* id est magni et excelsi. Aut melius, « sopor Domini, » est sopor a Domino immissus. Naturaliter enim vix fieri poterat ut in castris tam numerosis omnes omnino etiam vigiles dormirent. Deus ergo fuit qui omnibus soporem immisit in gratiam Davidis. Similem soporem immisit Deus Adæ, cum ex ejus dormientis latere accepit costam, ex eaque formavit Evam, *Genes.* II. Vide hic, mirare et reverere providentiam Dei, qua Davidem et suos contra tot hostium millia tuetur, immittendo omnibus soporem, ut David Saulem omnesque ejus milites mactare posset, si voluisset; atque ejus insignis bonitas et clementia, parcendo Sauli, tam ipsi quam toti populo patefieret, itaque ab eo in regem eligeretur.

Vers. 13.

13. CUMQUE TRANSISSET DAVID EX ADVERSO ET STETISSET IN VERTICE MONTIS DE LONGE. — Prudenter id fecit David, ne, si in castris Saulis mansisset, ab aliquo militum ejus occideretur. Secessit ergo in montem, ut fugere posset, si quis eum insecutus fuisset, ut eminus e monte clamans per tota Saulis castra monti subjecta audiretur. Vide hic ut David in omnes formas se transformet, ad Saulem placandum, sanandum et salvandum. Vere Comicus : « Illud nimirum est sapere, si ubicumque opus sit, animum possis flectere. »

Allegorice Eucherius : « Venit, ait, David, id est, Christus ad Judæos hostes suos dormientes in sua infidelitate; non eos occidit, sed tulit ab eis scyphum aquæ, id est, gratiam legis, tulit et sceptrum regale, regni scilicet potestatem, quam pro magno habebant, et unde se protegebant temporaliter, et quam adversus Deum per incredulitatem gerebant. Deinde victor noster David de castris eorum regressus, transcendit in altitudinem montis cœlorum. »

Vers. 16.

16. FILII MORTIS ESTIS VOS, QUI NON CUSTODISTIS DOMINUM VESTRUM. — Erant custodes hi dormientes excusabiles et extra culpam, quia vigilare non erat in eorum potestate et libertate. Nam Deus sopore immisso cogebat eos dormire, ut dictum est vers. 12. David autem vocat eos *filios*, id est reos, *mortis*, quia actus hic dormiendi secundum se spectatus damnabilis erat, dignusque morte : unde vigiles qui in castris noctu excubant, si a capitaneo dormientes inveniantur, trucidantur, quia illorum somnus creat periculum evidens totis castris, ne ab hoste invadantur et evertantur.

Custodes non peccabant dormiendo.

Vers. 19.

19. SI DOMINUS INCITAT TE ADVERSUM ME, ODORETUR SACRIFICIUM, — hoc est, præsto sum ut occidar, et Deo immoler quasi victima, quæ ipsi placeat velut odor suavitatis sacrificii. Loquitur anthropopathōs. Deus enim cum non habeat corpus et nares, proprie non odoratur nidorem sacrificii; sed dicitur odorari metaphorice; quia sicut odor suavis delectat odoratum hominis, sic suavitas sacrificii oblectat Deum. Alii sic exponunt, *q. d. Odoretur sacrificium,* id est offeram sacrificium pro peccato, si aliquod contra Deum, vel contra te, o Saul, commisi.

SI AUTEM FILII HOMINUM (incitant te adversum me), MALEDICTI SUNT IN CONSPECTU DOMINI (utpote qui me innocentem et a Deo in regem unctum inique persequuntur), DICENTES : VADE, SERVI, DIIS ALIENIS. — « Dicentes, » non verbis sed factis, ait Theodoretus et Procopius; fugando enim Davidem ex Judæa, cogebant eum fugere ad Philistæos aliasque gentes a quibus David sollicitabatur ad colendum eorum deos et idola.

Vers. 20.

20. ET NUNC NON EFFUNDATUR SANGUIS MEUS, — *q. d.* Quia non habes justam causam me persequendi, sed solum te incitant filii hominum in me malevoli et maligni; idcirco tibi supplico ne meum sanguinem innocentem effundas.

SICUT PERSEQUITUR PERDIX. — « Persequitur, » passive, hoc est persecutionem patitur. Comparat enim David se pulici et perdici, quæ a venatore quæritur ad necem (1).

Vers. 21.

21. ET IGNORAVERIM MULTA NIMIS, — id est non cogitarim tuam innocentiam et benevolentiam erga me.

Vers. 24.

24. ET SICUT MAGNIFICATA EST ANIMA TUA HODIE IN

(1) Perplures Interpretes censent hanc locutionem *perdix* sumendam esse pro avi quadam Palestinæ proprio, v. g. gallina silvestri.

OCULIS MEIS (quasi dicat : Sicut vita tua magno æstimata fuit mihi, ut illam tangere et lædere noluerim, cum illam haberem in manu et potestate mea) : SIC MAGNIFICETUR ANIMA MEA IN OCULIS DOMINI (ut Deus hanc meæ clementiæ congruam mercedem et talionem rependat, ut vitam meam contra tuos tuorumque et hostium cæterorum insidias illæsam conservet; itaque ostendat se eam valde æstimare et magnifacere), ET LIBERET ME DE OMNI ANGUSTIA.

25. FACIENS FACIES, ET POTENS POTERIS, — *q. d.* Præclara facies opera et res præclaras geres, ac valde potens evades, præsertim cum mihi in regnum succedes. Unde Chaldæus vertit, *regnando regnabis, et prosperando prosperabis;* Tigurina, *facies, et omnino perficies;* Vatablus, *valendo valebis,* id est magnis viribus pollebis. Vers. 25.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad regem Geth, ab eoque obtinet urbem Siceleg, ex qua assidue prædatum excurrit in hostes Israelis, omnes occidendo, ne quis eum apud regem accuset.

1. Et ait David in corde suo : Aliquando incidam una die in manus Saul; nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philistinorum, ut desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus ejus. 2. Et surrexit David, et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch, regem Geth. 3. Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri ejus, vir et domus ejus, et David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, et Abigail uxor Nabal Carmeli. 4. Et nuntiatum est Sauli, quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quærere eum. 5. Dixit autem David ad Achis : Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi : cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum? 6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg : propter quam causam facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc. 7. Fuit autem numerus dierum quibus habitavit David in regione Philistinorum quatuor mensium. 8. Et ascendit David et viri ejus, et agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis : hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti. 9. Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem : tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis. 10. Dicebat autem ei Achis : In quem irruisti hodie? Respondebat David : Contra meridiem Judæ, et contra meridiem Jerameel, et contra meridiem Ceni. 11. Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens : Ne forte loquantur adversum nos : Hæc fecit David, et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philistinorum. 12. Credidit ergo Achis David, dicens : Multa mala operatus est contra populum suum Israel; erit igitur mihi servus sempiternus.

Vers. 1. David post unctionem non erat omnino certus de regno possidendo.

1. ALIQUANDO INCIDAM UNA DIE IN MANUS SAUL. — Licet enim ipse a Deo per Samuelem unctus esset in regem, tamen id erat eo casu duntaxat, quo ipse superviveret regi Sauli. Aut putabat David se hac unctione et promissione Dei posse excidere per peccata sua, ut permissu Dei in manus Saul incideret, regnoque et vita excideret, uti exciderat Saul. Ita Abulensis.

Vers. 2. Achis hic idem qui supra cap. XXI.

2. ET SURREXIT DAVID ET ABIIT IPSE, ET SEXCENTI VIRI CUM EO, AD ACHIS FILIUM MAOCH, REGEM GETH, — quæ erat una ex quinque urbibus et satrapiis Philistinorum. Hic est *Achis,* ad quem antea fugerat David, cap. XXI, ac accusationes Philistinorum metuens coram eo simulans se stultum liber evaserat. Jam vero idipsum non timuit, eo quod nunc ubique etiam in Philistæa constaret inveteratum et continuum odium Saulis in Davidem : quare a Davide licet jam cognito nihil sibi metuebat Achis, imo sperabat eo se duce fideli contra Saulem hostem suum usurum.

Vers. 3. Gethæi Davidis milites, sic dicti non a

3. ET HABITAVIT DAVID CUM ACHIS IN GETH, IPSE ET VIRI EJUS; VIR ET DOMUS EJUS, — id est quisque cum sua uxore et familia. A *Geth,* dicti sunt *Gethæi* fidissimi et fortissimi milites Davidis, quia scilicet eum fugientem in Geth secuti erant, ibique cum eo habitabant, indeque prædatum

loco nativitatis, sed ab habitatione.

excurrebant; nam expresse, vers. 2, dictum est sexcentos hosce viros ex Judæa cum Davide profugisse in Geth. Erant ergo ipsi origine Judæi, non Gethæi et Philistini, ut vult Abulensis. Quis enim credat Davidem regem fidelem et sanctum ad sui custodiam accivisse Gethæos Philistinos, qui erant infideles et jurati Israelis hostes? Hi ergo Judæi dicuntur *Gethæi*, quia ex Judæa fugientem Davidem secuti sunt in Geth, ibique cum eo habitarunt usque ad mortem Saulis, postquam cum Davide ex Geth redierunt in Judæam, eumque ad regnum promoverunt ac bella ejus gesserunt, uti satis indicatur II *Reg.* XV, 18.

Vers. 5. Cur David noluerit manere in Geth?

5. CUR ENIM MANET SERVUS TUUS IN CIVITATE REGIS TECUM? — Cupiebat David ab Achis ejusque aula separari multis de causis. *Prima* erat, ut liberius excurrere posset in Philistæos et Amalecitas, ex eisque agere prædas, quibus se et suos sexcentos milites cum uxoribus sustentaret: has enim agere non poterat in Geth; id enim rescivisset Achis, ideoque Davidem ut gentis suæ hostem expulisset vel occidisset; *secunda*, ut pudori uxorum suarum militumque suorum consuleret: illi enim insidiantur sæpe aulici infideles et luxuriosi, quales erant Philistini. *Tertia*, ne milites sui aulicorum fastu invidiaque, gula, luxuria cæterisque vitiis, ac præsertim infidelitate et idololatria inficerentur.

Verum has causas David non fuit ausus allegare Achis regi, aliam ergo prætexuit; scilicet quod non conveniret exterum et peregrinum, imo oriundum ex gente Judæorum, quæ Philistæis et Gethæis erat summe infensa et exosa, in regia Gethæorum urbe commorari; præsertim quia facile lites et pugnæ inter milites regis et Davidis exoriri potuissent, atque difficile fuisset Davidi sibi suisque victum comparare in Geth, ubi aula regis omnem annonam ad se trahebat. His rationibus motus Achis dedit Davidi Siceleg, quæ exinde tribui Judæ cessit in possessionem hæreditariam et perpetuam.

Vers. 6. Sicelech urbs est tribui Juda debita.

6. DEDIT EI ITAQUE ACHIS IN DIE ILLA SICELEG. — « Siceleg, » sive « Sicelech » urbs primo sorte obtigit tribui Judæ, *Josue* cap. XV, vers. 31; deinde ei adempta est, et data tribui Simeonis, *Josue* cap. XIX, vers. 5; postea cum in Philistinorum esset confinio, ab eis fuit occupata, puta a Gethæis et Achis eorum rege, qui proinde eam hic rursum Davidi cessit, et concessit. Porro *Siceleg* Hebraice idem est quod *angustia sextarii*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*, idque congrue ad hunc locum. In ea enim resedit David cum suis militibus, laborans angustia victus et potus.

Vers. 7.

7. FUIT AUTEM NUMERUS DIERUM, QUIBUS HABITAVIT DAVID IN REGIONE PHILISTINORUM, QUATUOR MENSIUM. — Hebraice dicitur mansisse *dies et quatuor menses*, hoc est, per annum et quatuor menses (1).

(1) Quæ opinio probabilissima est; attamen recentiores plurimi scriptores opinantur tantummodo pro sensu *quatuor mensium*. Ita Glaire Theologicus doctor Parisiis.

Hebraice enim *jamim*, id est *dies*, in plurali sæpe annum significat, inquit Lyranus, Pagninus, Cajetanus et Novatores. Verum alii passim dicunt Davidem tantum mansisse apud Achis quatuor mensibus et aliquot diebus. Hoc enim exigit versio Latina vulgata, itaque censent Abulensis, Serarius, Salianus, Adrichomius, Sanchez, Torniellus et alii; qua de re rursum dicam cap. XXIX, vers. 3. David in Geth fuit quatuor tantum mensibus et aliquot diebus.

Vers. 8.

8. ET AGEBAT PRÆDAS DE GESSURI ET DE GERZI ET DE AMALECITIS. — *Gessur* urbs erat in valle (*ge* enim est vallis) trans Jordanem, a qua tota vicina regio dicta est « Gessuri » vel « Jessuri : » quæ quidem regio Israeliticæ terræ quæ trans Jordanem est versus septentrionem terminus fuit; atque licet dimidiæ tribui filiorum Manasse in possessionem fuerit data, pristini tamen terræ habitatores nunquam inde expulsi fuisse videntur, *Josue* cap. XIII, vers. 13. Erant ergo incolæ « Gessuri, » æque ac « Gerzi » et « Amalecitæ » hostes Israelis, ac proinde David de iis juste agebat prædas. Porro noster Salianus aliam hanc esse censet « Gessuri » a « Gessuri » Manassensium : hæc enim, inquit, erat vicina Amalec, et extra terminos Israelitarum meridiem versus, cujus nulla in Scriptura, nisi hoc loco fit mentio, sicut nec de « Gerzi. »

Vers. 9.

9. NEC RELINQUEBAT VIVENTEM VIRUM ET MULIEREM. — Quæres, quo jure fecit id David? nam ipse non erat absolutus princeps nec rex, ac per consequens non habebat jus indicendi vel movendi belli. Respondeo, Davidem a Samuele unctum fuisse in regem, ac a Saule creatum belli contra hostes Israelis ducem; quare auctoritatem bellandi habuisse. Licet enim Saul jam Davidem ex odio privato persequeretur, gratum tamen et ratum habebat tum ipse, tum totus populus, quod David supprimeret et opprimeret Philistinos, aliosque hostes suos, quos ipse magno labore et periculo subjugare debuisset. Sed quo jure omnes omnino occidit? Respondeo, eum jus habuisse ex lege *Deut.* cap. XX, vers. 17 et 25, quæ jubet omnes incolas terræ Hebræis a Deo promissæ, etiam parvulos et feminas occidi, eorumque bona diripi : Gessuræi autem et Gerzæi (qui *Josue* cap. XIII, vers. 13, vocantur *Machati*, ait Abulensis, licet id neget Salianus) habitabant in terra Judæis promissa, ut patet *Josue* cap. XIII, vers. 13. Amalecitæ autem licet extra eam degerent, tamen eos omnes jusserat Deus occidi, ut audivimus cap. XV. David ergo quasi belli Israelis dux a Saule auctoratus, publicam auctoritatem habuit hæc omnia faciendi, Deique jussa exsequendi. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Legitima auctoritate David occidit Gessuritas, Gerzitas, et Amalecitas. Etiam parvulos et feminas.

Vers. 10.

10. IN QUEM IRRUISTI HODIE? RESPONDEBAT DAVID : CONTRA MERIDIEM JUDÆ, — hoc est contra Judæos meridionales, sive qui habitabant versus meridiem. Mentitur David se in Judæos hostes Achis regis irruisse, cum irruisset in Philistæos, Chananæos et Amalecitas socios Achis. Nisi sic exponas, quasi dicat David : Irrui contra Philistæos, qui Mendacium Davidis.

erant ad meridiem Judæ. Mendacium hoc officiosum erat, quod David necessarium putabat ad tuendam vitam.

JERAMEEL — urbs erat in tribu Juda, spectans meridiem.

Vers. 11. 11. VIRUM ET MULIEREM NON VIVIFICABAT DAVID, — id est in vita non conservabat, vivere non sinebat, sed omnes occidebat, ne quis superstes eum quasi hostem apud Achis et Gethæos accusaret.

Vers. 12. 12. CREDIDIT ERGO ACHIS DAVID. — Mirum fuit ex tot cladibus et cædibus Philistinorum a Davide editis, nullam permanasse ad aures Achis regis : humanitus vix fieri id poterat; sed Deus qui omnia Davidis opera dirigebat, ita hæc pariter direxit, ut nil resciret Achis. Sicut enim soporem immisit in tota castra Saulis ad salvandum Davidem, cap. XXVI, vers. 12; sic hic immisit quasi inadvertentiam et cæcitatem in Achis omnesque aulicos, ne scirent Davidem in socios sibi fœderatos irruisse.

Deus inadvertentiam immisit Achis, ne sciret quos David occideret.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul instante prælio de ejus eventu sciscitatur Deum; sed eo non respondente consulit Pythonissam, quæ ei suscitat Samuelem, qui, vers. 16, Sauli ejusque castris perniciem cædemque prædicit.

1. Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philistiim agmina sua, ut præpararentur ad bellum contra Israel; dixitque Achis ad David : Sciens nunc scito quoniam mecum egredieris in castris tu, et viri tui. 2. Dixitque David ad Achis : Nunc scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David : Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3. Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos et ariolos de terra. 4. Congregatique sunt Philistiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam : congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe. 5. Et vidit Saul castra Philistiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis. 6. Consuluitque Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. 7. Dixitque Saul servis suis : Quærite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum : Est mulier pythonem habens in Endor. 8. Mutavit ergo habitum suum; vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi : Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixero tibi. 9. Et ait mulier ad eum : Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, et quo modo eraserit magos et hariolos de terra; quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar? 10. Et juravit ei Saul in Domino, dicens : Vivit Dominus, quia non veniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11. Dixitque ei mulier : Quem suscitabo tibi? Qui ait : Samuelem mihi suscita. 12. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna et dixit ad Saul : Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul. 13. Dixitque ei rex : Noli timere; quid vidisti? Et ait mulier ad Saul : Deos vidi ascendentes de terra. 14. Dixitque ei : Qualis est forma ejus? Quæ ait : Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit. 15. Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul : Coarctor nimis; siquidem Philistiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia : vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. 16. Et ait Samuel : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum? 17. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David; 18. quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. 19. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philistiim : cras autem tu et filii tui mecum eritis; sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philistiim. 20. Statimque Saul cecidit porrectus

in terram; extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. 21. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde), dixitque ad eum : Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu mea, et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. 22. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter agere. 23. Qui renuit, et ait : Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et sedit super lectum. 24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum; tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma, 25. et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam.

Vers. 2. 2. NUNC SCIES QUÆ FACTURUS EST SERVUS TUUS, — David hic ambigue loquitur, ne Achis regem offendat, et se in vitæ periculum inducat. Nam non intendebat (licet id putet Lyranus) ipse vere pugnare cum Achis contra suos Israelitas; impium enim fuisset præliari contra patriam suam, Deique populum : neque se voluit ulcisci de Saule, ut patet ex præced. et seq.; unde eo cæso valde de ejus morte indoluit. Ita Abulensis.

David non intendit pro Achis pugnare contra Israelem.

Vers. 3. 3. ET SAUL ABSTULIT MAGOS, — quia id jusserat Deus, *Levit.* XIX et XX. Fecit id Saul initio regni sui, ait Abulensis, licet Serarius velit id eum fecisse post peccatum suum.

Vers. 6. 6. ET NON RESPONDIT EI NEQUE PER SOMNIA, NEQUE PER SACERDOTES. — Hebraice, *neque per Urim*, id est per pontificem indutum Rationali in quo erant *Urim*, id est *illuminationes*, quibus Deus ejus interrogationibus respondebat, et futura de quibus consulebatur prædicebat. Vide dicta *Exodi* XXVIII, 30. Licet enim Abiathar fugisset ad Davidem cum Ephod, quando Saul ejus patrem Achimelech ob datos Davidi panes occidit, cap. XXII, 20; tamen alius erat pontifex cum Ephod in tabernaculo apud Saulem, per quem ipse Deum consulebat; alioquin enim caruissent Hebræi pontifice et sacris; nam David cum Abiathar pontifice, ob metum Saulis, ex Judæa profugerat in Philistæam ad Achis regem Geth. Noluit Deus respondere Sauli ob ejus inobedientiam et impietatem, qua occiderat sacerdotes et Davidem persequebatur. Quare Saul, videns se a Deo sperni, confugit ad *Pythonem*, id est ad diabolum, juxta illud athei :

Fugiente Saulem Achimelech, alius fuit Pontifex constitutus.

Flectere si nequeam superos, Acheronta movebo.

Saulem imitatus est Œdipus apud Senecam; qui oraculis aliis frustra tentatis, tandem necromantiam tentavit.

Vers. 7. 7. DIXITQUE SAUL SERVIS : QUÆRITE MIHI MULIEREM HABENTEM PYTHONEM, — hoc est dæmonem familiarem, quem Septuaginta vocant ἐγγαστρίμυθον, id est *ventriloquum*, qui scilicet ex ventre mulieris quasi ex utre (hunc enim significat hebraice אוֹב *ob*; unde Latinum *obba*) loquebatur, dabatque oracula de futuris, cum de iis consuleretur. Hinc Apollo vocatus est *Pythius*, eo quod ederet oracula, ejusque ministri et ministræ vocati sunt *Pythiæ* et *Pythonissæ*. Hinc rursum omnes magi et divini vocati sunt *Pythii*, adeoque *Python* quodlibet divinationis genus significat, sive fiat per necromantiam et suscitationem mortuorum, uti hic fiebat per suscitationem Samuelis, sive per sortilegia, sive per incantationes, sive quo alio modo. Vide dicta *Isaiæ* VIII, 19, et *Actor.* XVI, 16.

MULIEREM. — Fabulantur R. Eliezer, R. Kimchi aliique Rabbini mulierem hanc fuisse matrem Abner, cui Saul ob cognationem pepercerit. Sed errant : nam mater Abner habitabat in sua tribu Benjamin, hæc vero in *Endor*, quæ erat in tribu Issachar. Rursum mater Abner erat matrona nobilis, hæc vero vilis operaria, ait Josephus.

Pythonissa vilis fuit, non nobilis mulier.

Dices : Saul Pythonissam, id est magam, consuluit; cur ergo vers. 3, tales interfecit? Justinus Martyr, Quæst. LVII *ad Orthodoxos* : « Sustulit, inquit, divinatrices, quod hoc facto Deum placaturum se esse ita speraret, ut sententiam suam, quæ eum regno privaret, abrogaret : non quod divinatricum scelus odisset, sed quod regnum amaret. » Quæ ratio vera est, et Saulis ambitioni consentanea. Sed illa est ad rem præsentem congruentior, quam Hebræi apud Lyranum tradiderunt. « Saul, inquiunt, ea causa sustulit hariolos, quod illi prædicerent ejus familiam evertendam et regnum transferendum ad Davidem. »

Vers. 11. Verus Samuel suscitatus.

11. SAMUELEM MIHI SUSCITA. — Quæres, an verus fuerit Samuel quem Pythonissa suscitavit? Multi negant, censentque fuisse dæmonem, sive phantasma, larvam et umbram Samuelis effictam a dæmone. Ita Procopius, Theodoretus, Rupertus, Tertullianus, Cyrillus, Beda et alii. Verius alii plures et potiores affirmant, quia sequentia clare id significant, et clarius Ecclesiasticus, cap. XLVI, vers. 23, ubi inter laudes Samuelis assignat hanc quod post mortem prophetarit : « Exaltavit, inquit, de terra vocem suam in prophetia, ad cessare faciendum peccata. » Pluribus idipsum probavi ibidem, et argumenta in contrarium dissolvi. Estque hæc sententia Abulensis, Lyrani, Cajetani, Dionysii, Serarii hic, et S. Augustini, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. XV, 5; Basilii, *epist.* 80; Nazianzeni, *orat.* 3; Josephi, lib. VI *Antiq.* cap. XV; Justini, dial. *Contra Tryphonem*; S. Ambrosii in cap. I *Lucæ*; S. Hieronymi in cap. VII *Isaiæ*; S. Thomæ,

I part. *Quæst.* LXXXIX, art. 8, ad 2. Suarez, III *part.* tom. II, disp. XLII, sect. II; Bellarmini, lib. II *De Purgat.* cap. VI.

Porro non per somnia, sacerdotes et prophetas, sed per Samuelem Deus respondit Sauli, ut tanto magis ille commoveretur et percelleretur, ait Cyrillus et Abulensis, dum eum cujus præcepta contempsisset, prædictiones de regno amittendo hactenus non maximi fecisset, sibi jam extrema minitantem audiret.

Vers. 12. Samuel a Deo suscitatus, non autem per incantationes Pythonissæ.

12. CUM AUTEM VIDISSET MULIER SAMUELEM. — Prævenit Deus incantationes Pythonissæ, quæ morosæ et longæ esse solent, ne vi earum suscitatus videretur Samuel : statim ergo roganti Sauli stitit Samuelem, qui eum puniret tum ob alia crimina, tum ob hoc magiæ, denuntiatione cladis secuturæ. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Hac de causa turbata mulier « exclamavit, » ut sequitur. Quæres, cur id fecerit? *Primo,* Rabbini : quia, inquiunt, cæteri mortui per magiam et necromantiam evocati, solebant erectis in cœlum pedibus ascendere : Samuel vero capite in cœlum erecto ascendit : sed hæc sunt eorum figmenta. Dico ergo eam turbatam exclamasse, eo quod videret Samuelem suas incantationes prævenisse, et necdum vocatum se sistere : sua enim veneranda et augusta specie perculit Pythonissam; Saul tamen putabat eam exclamare, eo quod agnosceret ipsum esse Saulem, ac ab eo sibi de vita ob magiam metueret : unde jussit eam metum hunc deponere.

TU ES ENIM SAUL. — Quo indicio id Pythonissa cognoverit incertum est. Abulensis putat Samuelem id ei indicasse.

Vers. 13.

13. DEOS VIDI ASCENDENTES DE TERRA. — « Deos, » id est « Deum (1). » Hebraice enim est *Elohim,* id est *Deum,* id est hominem quemdam divinum, puta Samuelem : hunc enim duntaxat vidit, ut patet ex seq. Fabulatur ergo R. Kimchi, dum ait illam duos vidisse (scilicet Mosen et Samuelem : sic et alii Rabbini docent cum Samuele ascendisse Mosen, qui in eodem carcere clausus morabatur; unde in libro *Jalcut* sic dicitur : « Deos vidi ascendentes de terra. Hinc habetur non fuisse solum Samuelem qui ascendit, sed duos fuisse, unum Samuelem, alterum Mosen, cui Samuel dixit : Forsitan ad judicium vocor; veni ergo mecum, ut testificeris nullum esse verbum in lege scriptum, quod non servaverim. » Verum hic est Judaismus. Jam enim in morte sua Samuel ut cæteri homines judicatus acceperat suam sententiam, certusque erat de sua felicitate, sicut et alii Patres qui cum eo in limbo versabantur. Rursum in libro *Midras Samuel* dicitur : « Multi justi ascenderunt cum illo. »

(1) Hebraice frequentissime venerandum hujus nominis plurale sumitur pro singulari.

Vers. 15. Samuel indignatus Sauli ob suscitationis modum.

15. QUARE INQUIETASTI ME UT SUSCITARER? — id est, cur fuisti non causa, sed occasio ut suscitarer? nam propria causa, eaque efficax suscitationis Samuelis erat Deus. Porro Samuel ait se inquietatum a Saule, quia commotus fuit et iratus indignitate modi, quo Saul per magiam eum suscitare conabatur.

Vers. 19. Mortem parem Samuel Sauli prædicit, non eumdem statum post morte.

19. CRAS AUTEM TU ET FILII TUI MECUM ERITIS, — in altero sæculo et vita, puta apud inferos, sed non in eadem inferni parte et loco, *q. d.* Tu et filii tui moriemini et apponemini ad mortuos, ac mecum eritis in loco statuque mortuorum, puta apud inferos, sed dispari sorte et receptaculo : ego enim in limbo sum, tu descendes ad gehennam : « Nec enim ibi Saul malus, ubi Jonathan bonus meruit recipi, » ait Beda. Et S. Augustinus, loco citato, ait Simplicius, τὸ *mecum eris,* ait, « non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat. »

Vers. 21. Saul cum Samuele locutus præsente nemine, ne Pythonissa quidem.

21. INGRESSA EST ITAQUE MULIER. — Hinc probabiliter opinatur Abulensis Pythonissam non fuisse præsentem eo loco et tempore, quo Saul cum Samuele loquebatur, eo quod nollet Saul ut quis se cum eo loquentem audiret : volebat enim secreto cum eo agere, et secreta sua cum eo solo communicare. Recedente ergo Samuele, et finito ejus cum Saule colloquio, ingressa est Pythonissa ad locum in quo erat Saul.

ET POSUI ANIMAM MEAM IN MANU MEA, — id est exposui me periculo mortis, quasi maga suscitando Samuelem : sciebam enim Saulem omnes magos occidisse.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achis ducit secum Davidem ad prælium contra Saulem; sed sociis ejus Philistinis de Davidis fide dubitantibus, ideoque contradicentibus, eum domum remittit.

1. Congregata sunt ergo Philistiim universa agmina in Aphec (1); sed et Israel castrametatus est super fontem qui erat in Jezrahel. 2. Et satrapæ quidem Philistiim incedebant in centuriis et millibus; David autem et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis. 3. Dixeruntque principes Philistiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philistiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, vel annis, et non inveni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc? 4. Irati sunt autem adversus eum principes Philistiim, et dixerunt ei: Revertatur vir iste, et sedeat in loco suo in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum prœliari cœperimus; quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? 5. Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis? 6. Vocavit ergo Achis David, et ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo; et exitus tuus, et intr̃tus tuus mecum est in castris; et non inveni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc; sed satrapis non places. 7. Revertere ergo et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philistiim. 8. Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, et quid invenisti in me servo tuo, a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis? 9. Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei; sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium. 10. Igitur consurge mane tu, et servi domini tui qui venerunt tecum; et cum de nocte surrexeritis, et cœperit dilucescere, pergite. 11. Surrexit itaque de nocte David ipse et viri ejus, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philistiim. Philistiim autem ascenderunt in Jezrahel.

Vers. 3

3. ET EST APUD ME MULTIS DIEBUS VEL ANNIS.— Hebraice, *jam diebus vel jam annis,* hoc est dies aliquot, imo vero annos aliquot. Unde Lyranus, Pagninus et Novatores putant Davidem pluribus annis mansisse apud Achis. Favent Septuaginta, qui vertunt, *mansit apud nos dies,* plurimos scilicet, hic quippe secundus annus est. *Secundo,* Vatablus et R. David sic exponunt: *Fuit apud me multis diebus, id est quatuor mensibus, quibus æque mihi notus est, ac si plures annos apud me mansisset. Tertio,* Sanchez censet Achis hic esse mentitum, ad fidem faciendam Philistæis: idque probabile censet Abulensis et Torniellus. *Quarto,* planius Salianus respondet Achis respexisse ad primam commorationem David, quæ ante annos sex apud ipsum inchoata fuerat, ut dictum est cap. XXVII, aut certe computasse finem anni elapsi quo ad se venerat David, et initium anni sequentis sive currentis, quo adhuc secum manebat. Id enim exigunt Septuaginta dum vertunt, *hic quippe secundus annus est;* nam Davidem quatuor tantum menses et aliquot dies mansisse apud Achis diserte dictum est, cap. XXVII, 7; idque affirmat Josephus, Abulensis, Serarius, Salianus, Tornellius et alii. Videtur ergo David sub finem anni fugisse ad Achis, v. g. in novembri vel decembri, ac deinde apud eum mansisse toto januario et februario.

Vers. 4. Providentia Dei erga Davidem.

4. REVERTATUR VIR ISTE. — Nota hic miram Dei erga suum Davidem providentiam. David enim hic erat in casu plane periculoso et implexo, ut cogeretur vel Achis regis esse proditor, si in prælio ad Saulem et Hebræos deficeret; vel patriæ et civium suorum esse hostis, si contra eos pugnaret. Sed Deus nodum hunc perplexum ense quasi abscidit. Immisit enim Philistæis diffiden-

(1) Aphec sita erat intra montes Thabor et Gelboe, in valle Jezrahel.

tiam de Davidis fide, et periculi metum quod subibant, si David in prælio ad suos Hebræos terga verteret, cum iisque arma in Philistæos converteret, uti ante fecerat. Quare jubent illum e prælio recedere, et domum remitti. Fecit id Achis magno cum honore et laude Davidis æque ac ejus utilitate et commodo. David enim e prælio recedens persecutus est Amalecitas, eisque spolia quæ ex sua Siceleg rapuerant, abstulit cum opima ipsorummet præda : quod si mansisset cum Achis, facere nequivisset.

Vers. 9. 9. SCIO QUIA BONUS ES TU IN OCULIS MEIS, SICUT ANGELUS DEI, — *q. d.* Summe mihi gratus es, summe mihi places, imo veneror te « quasi Angelum Dei (1). » Est comparatio et phrasis Hebræa, qua utuntur cum quempiam valde laudare et extollere volunt. Sic Jacob, ut Esau fratrem sibi ob primogenituram ereptam infensum leniat, ei blanditur dicens : « Vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei, » *Genes.* XXXIII, 10. Et mulier Thecuitis pro Absalone supplicans Davidi, ait : « Sicut Angelus Domini, sic est dominus meus rex, » II *Reg.* XIV, 1.

(1) Hæc vox *Angelus* sumitur pro *nuntius*, dicit D. Glaire scholæ Theologicæ Parisiensis professor.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amalecitæ succendunt Siceleg et prædas abigunt; eos David cum suis insequitur, et comessantes cædit spoliatque; mox spolia inter eos qui pugnarant, et eos qui ad sarcinas manserant, æqualiter dividit, vers. 21, ac eorum partem ad alias Judææ urbes transmittit.

1. Cumque venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni. 2. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum, et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo. 3. Cum ergo venissent David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos, et filias ductas esse captivas, 4. levaverunt David et populus qui erat cum eo voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. 5. Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezraelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli. 6. Et contristatus est David valde ; volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis et filiabus; confortatus est autem David in Domino Deo suo. 7. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech : Applica ad me ephod; et applicavit Abiathar ephod ad David, 8. et consuluit David Dominum, dicens : Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus : Persequere; absque dubio enim comprehendes eos et excuties prædam. 9. Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor, et lassi quidam substiterunt. 10. Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri; substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor. 11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David, dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam; 12. sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est; non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus et tribus noctibus. 13. Dixit itaque ei David : Cujus es tu? vel unde? et quo pergis? Qui ait : Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ; dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. 14. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Judam, et ad meridiem Caleb, et Siceleg succendimus igni. 15. Dixitque ei David : Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait : Jura mihi per Deum, quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum, et juravit ei David. 16. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes, et quasi festum cele-

brantes diem, pro cuncta præda et spoliis quæ ceperant de terra Philistiim, et de terra Juda. 17. Et percussit eos David a vespera usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant. 18. Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. 19. Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant, omnia reduxit David. 20. Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam, dixeruntque : Hæc est præda David. 21. Venit autem David ad ducentos viros qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat in torrente Besor ; qui egressi sunt obviam David, et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice. 22. Respondensque omnis vir pessimus et iniquus, de viris qui ierant cum David, dixit : Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda quam eruimus ; sed sufficiat unicuique uxor sua et filii, quos cum acceperint, recedant. 23. Dixit autem David : Non sic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et dedit latrunculos qui eruperant adversum nos in manus nostras, 24. nec audiet vos quisquam super sermone hoc ; æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. 25. Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel usque in diem hanc. 26. Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de præda Senioribus Juda proximis suis, dicens : Accipite benedictionem de præda hostium Domini. 27. His qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Jether, 28. et qui in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo, 29. et qui in Rachal, et qui in urbibus Jerameel, et qui in urbibus Ceni, 30. et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Atach, 31. et qui in Hebron, et reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse, et viri ejus.

Vers. 6. Roboratur David a Deo.

6. CONFORTATUS EST DAVID IN DOMINO DEO SUO,— id est resumpsit animum, fretus spe ac fiducia in Deum, ait Vatablus : injecit Deus hoc robur et hanc spem animo Davidis, ut, sperans se Amalecitas cæsurum, eos insequeretur, eisque prædam ex Siceleg abactam extorqueret. Quare David animum tam suum quam sociorum, ad eos insequendum erexit. Ubi ex hebræo vertas, *confortavit se ipsum David in Domino suo*, sperans scilicet in Dei ope se per illam hostes assecuturum et debellaturum. Ubi enim humana desunt præsidia, ad divina confugere oportet. Sapienter Seneca, *epist.* 88 : « Ego, inquit, annum faustum et felicem reddo bonis cogitationibus et animi magnitudine; qui nunquam major est quam ubi aliena seposuit; et fecit sibi pacem, nihil timendo; fecit sibi divitias, nihil concupiscendo. » Et inferius : « Quare ergo sapiens magnus est, quia magnum animum habet. »

Vers. 7.

7. APPLICA AD ME EPHOD, — Hebraice, *adduc ad me Ephod*, ut scilicet eo indutus, per illud ut Pontifex pro me consulas Deum, an Amalecitas persequi debeam, necne.

Vers. 13.

13. DERELIQUIT AUTEM ME DOMINUS MEUS, QUIA ÆGROTARE COEPI. — Tropologice, Eucherius : « Quid est, ait, quod Ægyptius Amalecita puer in itinere lassatus residet, nisi quod amator præsentis sæculi peccati sui nigredine opertus sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat? Hos ergo eligit Deus quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum ; is enim qui patrem reliquit, et partem substantiæ quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit : Quam multi mercenarii patris mei abundant panibus ! » Et pluribus interjectis : « Quem tamen David invenit, eique cibum et potum præbuit, quia manu fortis Dominus abjecta mundi non despicit, et plerumque eos qui mundum sequi minime valentes quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam convertit, eisque verbi sui cibum porrigit, et quasi duces sibi in via dirigit, dum suos etiam prædicatores facit; dum enim Christum peccatorum cordibus inserunt, quasi David super hostes ducunt, qui convivantes Amalecitas, velut David gladio feriunt, qui superbos quosque qui se in mundo despexerunt, Domini virtute prosternunt. »

Vers. 14. Cerethi erat regio Philistinorum.

14. ERUPIMUS AD AUSTRALEM PLAGAM CERETHI. — « Cerethi » erat certa Philistinorum regio sita ad meridiem, ex qua David collegit legiones fortissimas, inde dictas *Cerethim* et *Pheletim*, id est interfectores et liberatores, quas proinde deinceps secum semper habuit, quasi milites prætorianos et regii corporis custodes, ut patebit lib. II *Reg.* cap. XIV. Unde nonnulli censent ab hisce *Cerethim* ortos, dictosque esse *Cretes* sive *Cretenses*, ac *Cretam* eorum insulam. Vide dicta *Sophon.* cap. II, vers. 5.

Vers. 16. 16. COMEDENTES ET BIBENTES. — Nota stratagema Davidis, quo cum paucis ex inopinato aggressus plurimos Amalecitas convivantes, omnes cecidit. Simili modo Abraham cum trecentis servis insecutus quatuor reges, qui ceperant Lot, noctu eos aggressus, dormientes occidit, *Gen.* XIV, 14. Sic Tomyris regina Scytharum simulans fugam, cum in castris suis mensas opipare instructas reliquisset, sequentem Cyrum et Persas ac convivantes in mensis oppressit ad unum omnes, teste Justino.

Vers. 24. 24. ÆQUA ENIM PARS ERIT DESCENDENTIS AD PRÆLIUM, ET REMANENTIS AD SARCINAS, ET SIMILITER DIVIDENT, — quia æqualiter ad victoriam cooperati sunt; nisi enim ipsi sarcinas præliantium custodiissent, præliantes non vicissent; sed metu perdendi sarcinas timidius pugnassent, et terga hosti vertissent. Hinc patet ducentos qui lassi resederant ad torrentem Besor, vers. 10, etiam sarcinas sociorum cum Davide ad prælium pergentium custodivisse. Si enim lassi duntaxat substitissent, hæc ratio in eis locum non habuisset. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Simili modo narrat Polybius, lib. X, Romanos prædam bello acquisitam non iis solis qui prælio interfuerant, sed iis quoque qui castrorum præsidio relicti erant, qui ægroti, qui ministeria publica obibant, divisisse.

Vers. 25. 25. ET FACTUM EST HOC EX DIE ILLA, ET DEINCEPS CONSTITUTUM. — Pro *deinceps* hebraice est מעלה *mala*, id est *supra*. Unde Vatablus sic vertit, *fueratque ab eo die et supra, et posuit illud in statutum et consuetudinem*, idque sic explicat, *q. d.* Id observatum fuerat ab initio mundi usque in eum diem; et David constituit ab eo die eam legem, quæ consuetudo servatur et hodie quoque in Israel. Verum hanc legem a Davide, non ab Adamo cœpisse significat Noster, Septuaginta et Chaldæus, qui 70 *mala*, id est *supra*, interpretantur *deinceps*.

Lex dividendi spolia etiam custodientibus sarcinas, cœpit a Davide.

Vers. 26. 26. MISIT DONA DE PRÆDA SENIORIBUS JUDA. — Nota hic liberalitatem Davidis, quam illi injecit Deus, ut hac munificentia sibi devinciret animos contribulium suorum, ut ipsi eum in regem sibi mox deligerent. Nam eodem die quo David præliando vicit Amalecitas, et spolia distribuit, Saul prælium cum Philistæis iniit, in eoque cæsus occubuit, cui proinde mox in regno Judæ successit David Dei consilio, ne Philistæi victoriam prosecuti totam Judæam vastarent et everterent; eis enim Deus opposuit Davidem in Juda dominantem.

David muneribus devincit sibi animos contribulium.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philistini cædunt Hebræos: unde Saul, ne in eorum manus incidat, gladio incumbens seipsum occidit. Mox, vers. 9, Philistini caput Saulis præcisum in Philistæam mittunt, et arma in templo Astaroth, corpus vero in muro Betsan suspendunt; sed illud inde auferunt viri Jabes Galaad, ac combustum sepeliunt.

1. Philistiim autem pugnabant adversum Israel, et fugerunt viri Israel ante faciem Philistiim, et ceciderunt interfecti in monte Gelboe. 2. Irrueruntque Philistiim in Saul, et in filios ejus, et percusserunt Jonatham, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul, 3. totumque pondus prælii versum est in Saul; et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. 4. Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus; fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum. 5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. 6. Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius, et universi viri ejus in die illa pariter. 7. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, et trans Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul, et filii ejus, reliquerunt civitates suas, et fugerunt; veneruntque Philistiim, et habitaverunt ibi. 8. Facta autem die altera, venerunt Philistiim ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios ejus jacentes in monte Gelboe. 9. Et præciderunt caput Saul, et spoliaverunt eum armis, et miserunt in terram Philistinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, et in populis. 10. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan. 11. Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philistiim Saul, 12. surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et

tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan; veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea ibi, 13. et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes, et jejunaverunt septem diebus.

Vers. 2. Dei consilio filii Saul ceciderunt in prælio.

2. PERCUSSERUNT JONATHAM ET ABINADAB, ET MELCHISUA FILIOS SAUL. — Id Dei consilio factum, ut, omnibus filiis Saulis occisis, Davidi viam ad regnum complanaret et sterneret : nam Isboseth quartus Saulis filius, domi desidens minus videbatur bellicosus, et regno tot bellis implicito inidoneus.

Vers. 4. Saul seipsum occidit.

4. ET IRRUIT SUPER EUM. — Vatablus, *irruit in eum*, eum in pectus adigendo. Hinc patet Saulem seipsum occidisse. Negat hoc Josephus et R. Levi dicentes Saulem conatum quidem se occidere, sed non perfecisse, sive quod lorica armatus esset, sive quod gladium non satis firmasset; occisum ergo esse ab illo Amalecita qui nuntium mortis Saulis Davidi attulit, dixitque se Saulem occidisse, de quo lib. II, cap. I. Verum hæ sunt fabulæ in honorem Saulis, et gentis Judaicæ a Josepho Judæo confictæ. Clare enim Hebræa, Septuaginta, Chaldæa et Latina hoc vers. 4 et 5, aiunt Saulem irruendo in gladium mortuum fuisse, ac proinde armigerum id videntem, se quoque simili modo interemisse. Ita omnes Interpretes, quin et cæteri Rabbini; unde R. Radak, pag. 46 *in Psal.* VII, vers. 16, « Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit; » sic explicat : « Prophetat David, ait, moriturum Saulem in gladio suo. » Justum fuit hoc Dei judicium, ut Saul gladium quem injuste strinxerat in Davidem, converteret in seipsum, uti fecit Nero eodem anno, quo SS. Petrum et Paulum occiderat, imo eodem mense junio recurrente occidens seipsum. « Gladio, inquit Hugo, quo Amalecitis contra præceptum Domini pepercerat cap. XV, merito seipsum occidit; si qui potestate pro communi utilitate accepta, aut non utitur, aut abutitur suo se nimirum gladio confodit, quo ab hoste defendi debuerat, hostem potius juvat. » Unde et coram Amalecita cui perpercerat, occidit se, et Amalecites ipsi diadema abstulit, tulitque ad Davidem, ut dicetur cap. seq. vers. 13. Ita tropologice in hora mortis passiones et vitia, quæ in vita occidere et mortificare negligis, te affligent, tibique decus, pacem vitamque præsentem et æternam auferent; hi enim sunt nostri Amalecitæ.

Justo Dei judicio Saul injusto suo se interfecit gladio.

An Saul licite se occidit? Affirmant Rabbini.

Quæres, an Saul peccarit se occidendo? Negant, imo Saulem ab animi magnitudine, mortisque contemptu, laudant Josephus et Rabbini, quibus favet Lyranus. Hinc R. Isaac Saulem vocat justum : « Saul, inquit, David et Salomon justi regnarunt. » Sic Cato se occidit, ne victus in manus Julii Cæsaris veniret, eique fieri supplex cogeretur, quem idcirco laudat Seneca, lib. *De Divina Providentia* : « Licet, ait, omnia in unius conditionem concesserint, custodiantur legionibus terræ, classibus maria, et Cæsarianus portas miles obsideat, Cato qua exeat habet. Una manus latam nostram libertatem faciet. Ferrum istud etiam civili bello purum et innoxium bonas tandem ac nobiles edet operas. Libertatem quam patriæ non potuit dare, Catoni dabit. Aggredere animo diu meditatum opus, eripe te rebus humanis. » Vide eumdem, *epist.* 71, ubi inter cætera ait : « Ille vir magnus est, qui mortem sibi non tantum imperavit, sed invenit. » Quin et ipse Julius Cæsar, accepto nuntio de Catonis morte, fertur dixisse : « Invideo, Cato, gloriæ tuæ, nam et tu invidisti meæ, ne inter mea præclara facinora numeraretur et illud me Catonem servasse. » Sic Brutus et Cassius cæsores Julii Cæsaris victi ab Augusto Julii nepote, mucrone in viscera adacto morte spontanea redemerunt ignominiam, quam sibi a victore irrogandam prævidebant.

Respondeo negative.

Verum hanc sententiam damnat fides orthodoxa, quin et melioris notæ Philosophi, ut Plato in *Phædone*, Aristoteles, libro V *Ethicor.* cap. ult. Vide Lactantium, lib. III, cap. XVIII, et lib. VI, cap. XI. Ratio est, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed Deus; ergo illam sibi, imo Deo eripere nequit. *Secundo*, quia Deus animam et vitam nobis dedit in custodiam, ut ejus usura ad Dei obsequium et laudem utamur. *Tertio*, quia Deus cuique statuit diem et modum tam nascendi, quam moriendi; ergo illum accelerare vel præterire non licet. » Nam ipse solus vitæ et necis potestatem habet, » *Sapient.* cap. XVI. Ratio est, quia Deus solus nobis vitam donavit, quasi ingens et summum donum quod nulla industria comparare sibi potuit homo, nulloque modo ab ipsius consensu pendet. Quare noluit Deus ut ipsa esset in hominis potestate et arbitrio, uti sunt res inferiores, sed illius jus et dominium ipse sibi reservavit. *Quarto*, quia quinto Decalogi præcepto : « Non occides, » tam, imo magis vetatur ne quis occidat seipsum, quam alium. *Quinto*, quia occidens se facit injuriam Reipublicæ; nam illa invita, velut quoddam ipsius membrum abscindit. Peccat ergo contra justitiam, si non commutativam, certe legalem. Vide S. Augustinum, lib. I *De Civitate*, a capite XVII usque ad caput XXVIII. Audi eum, cap. XXVI : « Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus neminem spontaneam mortem sibi inferre debere velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ meliori, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. »

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Quin et Cicero, *Tuscul.* cap. I : « Vetat, ait, dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare. » Et Plato in *Phædone* : « Nefas esse, dicit, hominem sibimet manus afferre, nec aliter irasci Deum si id fiat, quam dominum si quod se mancipiorum occiderit. » Aliisque multis in locis ait « migrare ex hac vita nulli hominum licere injussu Dei. Sumus enim hic omnes velut in acie, loco unicuique suo ab Imperatore Deo assignato; majorique supplicio afficiendum desertorem vitæ, quam desertorem militiæ. »

Occidere se est pusillanimis.

Porro quod Saul, Cato et similes se occiderint ad vitandam servitutem vel infamiam, indicium fuit animi non fortis et magni, sed mollis, pusillanimis, non valentis sustinere illusiones Philistinorum. Id ipsum ex facto Catonis evincit S. Augustinus, lib. I *De Civitate*, cap. XXVIII : « Amici ejus, inquit, etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstraretur non honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non sustinens. Hoc et ipse Cato in suo charissimo filio judicavit. Nam si turpe erat sub victoria Cæsaris vivere, cur auctor hujus turpitudinis pater filio fuit, quem de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit? cur non et illum secum coegit ad mortem? »

Neque dici potest, inquit Serarius, id Saulem fecisse, ne dedecore Deus afficeretur. Nam ait : « Ne interficiant me illudentes mihi, » neque illum in Deum dedecus redundare poterat, si divinorum præceptorum contemptor a Deo puniretur, hostiumque ludibriis dederetur. Adde quod Saul tanta vi et celeritate mortem sibi consciverit, ut pœnitentiæ tempus habuisse non videatur. Denique ignominiam Philistinorum non evasit Saul; nam mortuo ejus cadaveri illuserunt, ut patet vers. 9 et 10; imo caput Saulis præcisum in templo Dagon, quasi anathema suspenderunt et obtulerunt, ut dicitur I *Paralip.* cap. X, vers. 10.

Saul non videtur habuisse tempus pœnitentiæ.

An Saul damnatus? Respondeo affirmative.

Quæres, an Saul sit damnatus? Hebræi et Lyranus negant, censentque eum pœnituisse et esse salvatum. Verum alii passim damnatum asserunt, ac nominatim Eucherius, Beda, Rupertus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus, Brugensis, Serarius, Salianus, Sanchez hic, et S. Bernardus, sermone 26 *in Cantica*; S. Brigitta, libro V *Revelationum*, interrog. 13, ad *Quæst.* I; S. Augustinus, lib. II, *ad Simpl.*, Quæst. II; Pineda, lib. VIII, *De Rebus Salomon.* cap. I, num. 8.

Ratio.

Ratio est, quia mortuus est in peccato magiæ, qua paulo ante conflictum Pythonissam consuluerat, imo in flagranti delicto quo seipsum occidit, ut pœnitendi nec animum, nec tempus habuerit. Quare cum Achitophel et Juda damnatus videtur. Secus est de Jonatha, qui per omnem vitam præclare se gessit, pugnando pro Israelitis, et Davidem contra Saulem tuendo, ac mortuus est in actu meritorio, præliando scilicet pro patria; unde spoliatus vita et regno terreno, videtur adeptus cœleste et æternum : quare ipse salvatus videtur, et ad limbum Patrum in sinum Abrahæ descendisse. Ita S. Augustinus, Beda, Rabanus, Lyranus, Salianus et alii.

Jonathas salvatus.

Hæc omnia confirmantur ex I *Paralip.* X, 13, ubi dicitur : « Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas » (Hebræa et Septuaginta, *in iniquitatibus suis*), eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, et non custodierit illud; sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai. »

Saul maxime occisus ob consultam Pythonissam.

Unde liquet Saulem maxime occisum fuisse, eo quod per Pythonissam dæmonem consuluisset, ideoque mortem ei accelerasse Deum, qui si id non fecisset, diutius victurus erat. Sic Deus mortem acceleravit Ochosiæ regi ægrotanti, eo quod de sanitate sua consuluisset Beelzebub deum Accaron, IV *Reg.* cap. I. Denique mortuus est Saul biennio post Samuelem, ait Clemens Alexandrinus, Beda, Josephus, Abulensis, Salianus et alii, ut dixi cap. XXV, 1. Pius et felix exstitit initio regni, sed impius et infelix in exitu; ut posteris esset in exemplum et speculum, quod omnes, sed præsertim reges et principes crebro intuerentur. Quare de Saule dicas quod cecinit Virgilius de Priamo, capta Troja, a Neoptolemo occiso :

> Hic finis Priami fatorum; hic exitus illum
> Sorte tulit, Trojam incensam et prolapsa videntem
> Pergama, tot quondam populis, terrisque superbum
> Regnatorem Asiæ; jacet ingens littore truncus,
> Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.

Vers. 5. 5. QUOD CUM VIDISSET ARMIGER EJUS. — Fabulantur Hebræi armigerum hunc Saulis fuisse Doeg Idumæum, de quo cap. XXII, 18.

Vers. 11. 11. QUOD CUM AUDISSENT HABITATORES JABES GALAAB, etc., TULERUNT CADAVER SAUL. — Hoc fecerunt Sauli gratitudinis ergo : Saul enim eos liberarat a Naas rege Ammon, cap. XI, vers. 1. Unde et juxta numerum dierum induciarum inter ipsos et Naas initarum, jejunarunt, puta septem diebus.

Hebræi cadavera regum comburebant.

ET COMBUSSERUNT EA. — Hebræi enim regum suorum cadavera comburebant, ne, dum pompa funeris regii multis diebus paratur, illa insepulta terra putrescerent, et a vermibus corroderentur; quod fœtidum et horridum videbatur. Hic ergo ea de causa cadaver Saulis ante triduum occisi, ideoque fœtentis, combusserunt, ac deinde ossa reliqua in nemore sepelierunt. Sic cadaver Asa regis cum aromatibus combusserunt, II *Paralip.* XVI, 4, hoc vero honore combustionis caruit Joram rex, II *Paralip.* cap. XXI, 19. Idem ante Saulem fecit Æneas in funere Miseni, de quo Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

Prisci comburebant cadavera.

> Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
> Intexunt latera, et ferales ante cupressos
> Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.

Et inferius :

> Aversi tenuere facem, congesta cremantur
> Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
> Postquam collapsi cineres et flamma quievit,
> Reliquias vino, et bibulam lavere favillam ;
> Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Idem fecere Græci. Unde Lucianus, dialog. *De Luctu* : « Græcus, inquit, exurit, Persa defodit. » Et Silius Italicus, lib. XIII :

> Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos,
> Decrevere simul communibus urere flammis.

Idem secuti sunt Romani. Audi Servium in lib. III *Æneid.* : « Romani contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam. » Respexit huc Ovidius lib. X *Trist.*, eleg. 4 :

> Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
> Ibit, et in tepido deseret ossa rogo :
> Quam subeant animo meritorum oblivia nostro, etc.

Et Silius Italicus, lib. X *in funere Pauli* :

> Hæc Lybys : Atque recens crepitantibus undique flammis,
> Æthereas anima exultans evasit in auras.

Causa. Causam dat Quintilianus, *Declamat.* X : « Veteres, inquit, senserunt corpus in morte resolvi ; animam vero flammei vigoris impetum perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, et quo sacri torquentur axes inde venire, unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec sivoi, nec ullo mortalitatis affici fato ; sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra. »

Rursum, Servius in libro XI *Æneid.* : « Heraclitus, ait, qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi ; Thales vero, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut possint humore resolvi. » Censebant ergo illi idcirco cadaver esse comburendum, ut anima hoc modo a corporis sordibus purgaretur, et ad igneam suam naturam rediret.

13. ET JEJUNAVERUNT SEPTEM DIEBUS,—non tantum ob dolorem et luctum, sed etiam ut Saulis animæ suffragarentur ; nesciebant enim ipsum se occidisse, et mortuum in peccato mortali, sed bene pieque de ejus salute sperabant. Ita Beda, qui et addit : « Hoc etiam modo pium Christianorum genus deflet eos qui, repugnantes dæmonibus, labuntur in sæculo, quod est lubricum ; Gelboe enim montes interpretantur lubrici montes. » Vide Bellarminum, lib. I *De Purgatorio*, cap. III. Vers. 13. Jejunarunt pro salute animæ Saulis.

Quoad Synchronismum historiæ profanæ, sub Samuele et Saule regnavit Athenis Codrus, qui ex oraculo audiens Athenienses in prælio fore victores, si ipse in eo occumberet, pro patria se morti cædique obtulit, itaque victoriam et imperium sua morte sancivit ; tunc quoque desiit regnum Sicionium et Mycæneum, cœpitque Corinthium. Ita Eusebius in *Chronic.*

COMMENTARIA

IN

LIBRUM SECUNDUM SAMUELIS

SIVE

REGUM.

Liber primus descripsit gesta Samuelis et Saulis regis; hic vero secundus describit gesta Davidis regis. Occasus enim Saulis fuit ortus Davidis. Eodem enim die, quo occidit Saul, exortus est David, quasi novus sol oriens Israeli, qui proinde mox Sauli in regno Judæ successit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Saulis mortem, occiso nuntio qui eum se occidisse dicebat, ulciscitur; mox, vers. 17, cum toto Israele solemni pompa et carmine funebri ejus mortem luget.

1. Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg duos dies. 2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, et pulvere conspersus caput; et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit. 3. Dixitque ad eum David : Unde venis? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi. 4. Et dixit ad eum David : Quod est verbum quod factum est, indica mihi. Qui ait : Fugit populus ex prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt; sed et Saul et Jonathas filius ejus interierunt. 5. Dixitque David ad adolescentem qui nuntiabat ei : Unde scis quia mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus? 6. Et ait adolescens qui nuntiabat ei : Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam; porro currus et equites appropinquabant ei, 7. et conversus post tergum suum, videnque me vocavit. Cui cum respondissem : Adsum, 8. dixit mihi : Quisnam es tu? Et aio ad eum : Amalecites ego sum. 9. Et locutus est mihi : Sta super me, et interfice me, quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima mea in me est. 10. Stansque super eum, occidi illum : sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam; et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc. 11. Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo; 12. et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonatham filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. 13. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei : Unde es tu? Qui respondit : Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. 14. Et ait ad eum David : Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? 15. Vocansque David unum de pueris suis, ait : Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est. 16. Et ait ad

eum David : Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locutum est adversum te, dicens : Ego interfeci christum Domini. 17. Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, et super Jonatham filium ejus (18. et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum). Et ait : Considera, Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. 19. Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt : quo modo ceciderunt fortes? 20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis; ne forte lætentur filiæ Philistiim, ne exultent filiæ incircumcisorum. 21. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum; quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. 22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. 23. Saul et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi; aquilis velociores, leonibus fortiores. 24. Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. 25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est? 26. Doleo super te, fratrer mi Jonatha decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. 27. Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica?

Vers. 2. 2. IN DIE AUTEM TERTIA APPARUIT HOMO VENIENS DE CASTRIS SAUL. — Fabulantur Rabbini hunc hominem nuntiantem Davidi mortem Saulis fuisse filium Doeg Idumæi, sicut fingunt Doeg fuisse armigerum Saulis, qui se cum eo occidit, ut dixi lib. I, cap. XXXI, vers. 4.

Vers. 8. 8. AMALECITES EGO SUM. — Philo, vel potius Pseudophilo, in *Antiquit. Biblicis*, ait Amalecitæ huic nomen fuisse Edab, eumque fuisse filium Agag regis Amalecitarum, quem Samuel interfecerat; et Saulem, audito istum esse Amelecitam filium Agag, dixisse : « Ecce nunc venerunt super me verba Samuelis, quando dixit : Qui natus erit ex Agag, erit tibi in scandalum; vade autem et dic David : Ego occidi inimicum tuum; et dices ei : Hæc dicit Saul, ne memor sis odii mei, et injustitiæ meæ. »

Vers. 9. 9. STA SUPER ME, ET INTERFICE ME, — *q. d.* Incumbe gladio super me, eumque mihi infige, itaque me interfice. Josephus, lib. VII, cap. I et II, censet adolescentem hunc dicere verum, quasi Saul præ pavore et debilitate non valens gladio suo se ipsum occidere, advocarit hunc juvenem, qui eum occiderit. Sic et R. Levi. Verum potius Sacræ Scripturæ, quam huic juveni, qui Davidi adulatur, credendum est, quæ lib. I, cap. XXXI, vers. 2 et 31, diserte asserit, quod Saul se ipsum occiderit. Mentitur ergo hic juvenis dicens se Saulem occidisse, ut gratiam Davidis per hostem ejus Saulem a se occisum aucupetur, inquiunt Theodoretus, Eucherius, Procopius, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Serarius, Torniellus, Salianus et alii. Vere tamen ipse diadema Saulis detulit ad Davidem, quia peracto prælio, et cæso Saule, sponte vel casu venit in montem Gelboe, ibique Sauli diadema detraxit, inquit Abulensis et Cajetanus.

QUONIAM TENENT ME ANGUSTIÆ. — Chaldæus, *tremor*, Septuaginta, *tenebræ;* Hebræus שבץ *scabats*, id est, conclusio, constrictio, angustia, tum cordis, tum hostium, qui me undique cingunt. Porro *scabats*, significat quoque vestem ocellatam, quasi ocellis inclusam et conclusam, qualis est lorica reticulata militum, et Ephod pontificis, sicque hic accipiunt Rabbini; sed varie. *Primo* enim R. Levi exponit de lorica reticulata Saulis, *q. d.* Saul : Occide me, quia ego me transfodere nequeo ob loricam reticulatam qua tegor. *Secundo*, alii exponunt de loricis hostium, *q. d.* Cingunt et constringunt me loricati hostium equites; unde et Tigurina vertit, *apprehendit me corona*, scilicet equitum. *Tertio*, alii in *Midras* explicant de Ephod pontificis, *q. d.* Tenent et terrent me sacerdotes, et pontifex Achimelech quos injuste cap. XXII, occidi : hi a me pœnas exigunt, quasi Saul ex sceleris conscientia cognoverit se adigi ad necem, ob cæsos sacerdotes. Addit Abulensis, *Quæst.* V, Saulem vidisse umbras et spectra sacerdotum vestibus sacerdotalibus indutorum, quæ ipsum terrebant; verum planius Noster *scabats* vertit, *angustiæ;* unde ei consentit Chaldæus et Septuaginta. Hinc et Vatablus vertit, *apprehendit me tremor*, vel *trepidatio*.

ET ADHUC TOTA ANIMA MEA IN ME EST, — *q. d.* Licet vehementer vulneratus sim a sagittariis, ut dictum est cap. XXXI, vers. 3, tamen adhuc totus vivo, metuoque ne vivus in manus hostium incidam, illique me probrose excrucient et necent; tu ergo cito transfode et occide me. Alludit ad morem mortuorum : hi enim sensim per partes emoriuntur. *Primo* enim anima recedit ab oculis, ut non videant; inde ab auribus, ut non audiant; et ita pedetentim recedit a cæteris partibus, donec ipsum cor deserat; quo facto homo plene moritur. Unde Aristoteles : « Cor, inquit, in homine est primum vivens, et ultimum moriens. » Ex adverso oculi sunt ultimum vivens, et primum moriens : in embryone enim, ultimo

formantur oculi. Hinc Seneca, *epist.* 30 : « Senilis, ait, anima in primis labris est, nec magna vi distrahitur a corpore. » Nam, ut ait S. Ambrosius : « Mors senibus præ foribus est, juventus in insidiis. »

Vers. 14. 14. UT OCCIDERES CHRISTUM DOMINI, — puta Saulem, qui a Domino per Samuelem chrismate, sive oleo, unctus erat in regem Israelis, ideoque quasi sacer erat et inviolabilis.

Vers. 16. 16. SANGUIS TUUS SUPER CAPUT TUUM, — *q. d.* Sanguinis tui effusionem tibi tuoque capiti imputa, quia fassus es te occidisse Saulem regem : par enim est ut sanguinem Saulis, quem fudisti, tuo sanguine et morte luas. Hæc enim est lex talionis a Deo sancita. Dices : Volenti non fit injuria ; Saul autem volebat et rogabat occidi. Respondeo *primo*, Saul non poterat hoc velle, nec poterat hic cedere jure suo ; *secundo*, esto hic Sauli volenti occidi proprie non fieret injuria ; fiebat tamen injuria Deo, qui erat dominus vitæ Saulis ; et reipublicæ cujus caput erat Saul. Ita S. Thomas, III part., *Quæst.* XLVII, art. 6, ad 3.

Quæres, an licite David Amalecitam hunc occidi jusserit, cum nondum esset rex, nec haberet auctoritatem regiam ? Respondeo affirmative. Habuit enim hanc potestatem, quia sciebat post mortem Saulis regnum ad se pertinere ex dispositione Dei. Ad hoc enim in regem unctus erat a Samuele, ut Sauli a Deo rejecto, vel adhuc vivo, ut volunt nonnulli, vel potius morienti, in regno succederet. Ita Abulensis, Cajetanus, Serarius et alii. Adde Davidem a Saule fuisse auctoratum belli ducem, ut contra hostes Israelis pugnaret, eosque occideret : hostis autem erat hic Amalecita, quia regem Israelis se occidisse fatebatur. Denique jusserat Deus omnes Amalecitas occidi, ut audivimus cap. XV ; ac reus ipse Davidem pro rege et judice agnoscebat, utpote ad quem diadema, regiæ dignitatis insigne, detulerat.

Vers. 18. 18. ET PRÆCEPIT UT DOCERENT FILIOS JUDA ARCUM. — Chaldæus, *ad jaciendum arcum*. Unde Beda, Lyranus, Abulensis, Vatablus, Salianus et alii sic exponunt : Præcepit ut docerent filios Juda artem militarem, sive artem sagittandi, quia multus erat tum sagittarum usus ; et tribum Juda hoc tempore præsidium esse oportebat totius populi contra victores Philistæos, *q. d.* Hortatus est ne desponderent animos in adversis rebus, sed ad futura se bella instruerent, ne, quemadmodum nunc contigerat vinci a Philistæis arte sagittandi, cum Saul ipse iis vulneratus fuerit, totusque exercitus fusus ac fugatus, ita in posterum eveniret (1).

Verum, aptius cum Serario, Sanchez et Mariana, per *arcum*, accipias ipsum *planctum*, sive threnum, et carmen funebre Davidis ; hujus enim titulus erat *arcus*, eo quod in eo laudaretur arcus et fortitudo bellica Saulis et Jonathæ. Simili modo Psalmi suos habent titulos a quibus denominantur. Sic apud Græcos Ode quædam dicta est *Harmodium*, quia heroica facta Harmodii celebrat. Aliæ Odæ dictæ sunt *Daphnis* et *Niobe*, quia eos dilaudant. Aliæ vocantur *fistula* et *scutum*, apud Theocritum ; sic psalmos et hymnos in Ecclesia cani solitos vulgo vocamus : *Te Deum laudamus*, *Magnificat*, *Benedictus*, *De profundis*, *Miserere*, ab eorum initio et titulo sive argumento. Id ita esse patet *primo*, quia alioqui nulla est hic connexio ; quid enim arcus faciet ad planctum Davidis ? *Secundo*, quia in Septuaginta habetur Davidem edidisse non simpliciter threnum, sed threnum hunc, seu, ut Noster, *hujusmodi* ; deinde in iisdem nullum aliud nomen quod arcui respondeat, præter threnum. Adhæc subjungitur David ideo dixisse, ut doceret filios Juda ; quam rem ? ipsum scilicet, quem solum nominarunt, threnum. *Tertio*, tradidit Josephus Judæos ita diligenter threnos istos didicisse, ut ad sua usque tempora hæserint. *Quarto*, quia simili modo Jeremias imminente excidio Hierosolymæ jubet ut filios doceant threnum, et modum plangendi : « Docete, inquit cap. IX, vers. 20, filias vestras lamentum, et unaquæque proximum suum planctum. » Tales sunt threni Jeremiæ. *Quinto*, quia moris fuit hujusmodi carmina docere et discere, ut patet *Deuteron.* cap. XVII, et II *Paral.* XXXV, 25, ubi dicitur Jeremias dictasse threnos de morte Josiæ regis : « Cujus, inquit, omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationem super Josiam replicant. »

Tropologice S. Hieronymus, et ex eo Rupertus : David, inquit, dixit ut Dominus « doceret filios Juda arcum, » id est reges Juda doceret fortitudinem, ut fortes et intenti essent in timore Domini, et in præceptis Dei, ne per inobedientiam reges Juda a fortitudine et timore Domini, sicut Saul, recederent, et eo modo quo ipse perierat perirent. Fortitudo enim deest omnibus qui tentationibus cedunt et in peccata corruunt ; si enim fortiter iis resisterent, non peccarent. Quare qui tentatur, maxime eget fortitudine, quam precibus impetrare debet a Deo. Tropologice.

SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO JUSTORUM. — « Liber Justorum, ait S. Hieronymus, est liber Samuelis, » ubi continentur Prophetæ justi, Samuel videlicet, Gad et Nathan ; in quo libro scriptum esse perhibetur, qualiter Saul recedens a timore per inobedientiam suam periit. Verum incongruum est ut idem liber et auctor citet seipsum ; quare alius hic liber esse videtur. Quis et qualis fuerit dixi, *Josue* X, 13. In hoc ergo libro totus hic Davidis threnus et epicedium Saulis conscriptus fuit, cujus pars duntaxat hic recensetur.

CONSIDERA, ISRAEL, PRO HIS QUI MORTUI SUNT SUPER EXCELSA (excelsum montem *Gelboe*) TUA VULNERATI.

19. INCLYTI, ISRAEL, SUPER MONTES TUOS INTER- Vers. 19.

(1) Hic liber *Justorum* de quo fit mentio in hoc versu, et jam citatus in libro Josue, nusquam invenitur nostris temporibus.

FECTI SUNT : QUOMODO CECIDERUNT FORTES? — Hic versus in re et sensu idem est cum priore. Unde pro his duobus versibus, unus duntaxat est in Hebræo, Septuaginta et Chaldæo. Quare duplex hic versus ortus est ex duplici versione textus hebraici. Prior ex versione Aquilæ (quam sequitur Procopius), ideoque eum nonnulli codices Vulgatæ editionis, ut Regii, omittunt ; posterior ex versione S. Hieronymi Hebræa ad verbum habent, *decus Israelis in excelsis tuis vulneratum est; quomodo corruerunt heroes?* Ita Vatablus. Alloquitur David terram Israel, *q. d.* O inclyta terra Israel, in tuo monte Gelboe vulneratus occubuit Saul cum Jonatha, qui erat decus, desiderium et gloria (hæc omnia enim significat צבי *tsebi*) tua; hi duo enim erant invicti tui heroes. Chaldæus vertit, *steterunt super Israel, super domum fortitudinum vestrarum elevati sunt occisores, quomodo ceciderunt fortes?* Septuaginta Romana habent, *sta, Israel, super mortuos tuos, in excelsis vulneratos; quomodo ceciderunt potentes?* Pro *sta*, Græce est στηκασον, *q. d.* insiste et incumbe fixe in hanc considerationem ; Aquila ἀκριβασον, id est diligenter expende. Est hoc carmen spiritu militari conscriptum, utpote a Davide milite de robustis militibus Saule et Jonatha.

Vers. 21. 21. MONTES GELBOE, NEC PLUVIA, NEC ROS VENIANT SUPER VOS, NEQUE (in vobis) SINT AGRI PRIMITIARUM, — ex quibus fructus nascantur, quorum primitiæ Deo ex lege offerantur. « Montes Gelboe » in longum porrecti ab Occidente in Orientem per undecim leucas, sunt in confinio dimidiæ tribus Manasse et tribus Issachar, quorum initium est ab urbe Jesrahel, et fere usque ad Jordanem pertingunt. Videtur David maledicere et sterilitatem imprecari montibus « Gelboe, » id est creaturæ irrationali, non quatenus creatura Dei est, sed quatenus illa fuit occasio et locus tantæ cladis Saulis et Hebræorum ; quod non est peccatum. Vide D. Thomam, II II, *Quæst.* LXXVI, art. 2. Audi S. Ambrosium, lib. II *De Cain*, cap. VIII : « Natura, inquit, ex innocentis soli damnatione, ostendit futura supplicia noxiorum ; propter igitur hominum peccata, et ipsa elementa damnantur. Denique David montibus Gelboe perpetuæ sterilitatis pœnam optavit. »

Montes Gelboe an maledicat David?

Simili modo Job, cap. III, maledixit diei nativitatis suæ, æque ac Jeremias, cap. XX, vers. 14, eo quod illa sibi tot malorum fuisset occasio et porta : vide ibi dicta. Addit S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. IV, per montium sterilitatem, homines, puta Judæos, puniri; hi enim sua iniquitate meruerunt ut rex eorum ibidem occideretur.

Respondeo negative.

Verius tamen est Davidem hic vere et serio montibus Gelboe non maledixisse, nec eis imprecatum fuisse sterilitatem; sed lusisse militariter, ut animi dolorem significaret, *q. d.* Æquum et dignum esset, ut vos, o montes Gelboe, in memoriam tantæ cladis privaremini semper rore et pluvia, ac frugibus et fructibus, eo quod in vobis hæc clades peracta sit. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

Porro Rabanus et Glossa dicunt hanc exsecrationem fuisse quasi vaticinium, quoad reipsa completum sit. Nam montes Gelboe fuisse antea valde fertiles, postea summe steriles ; idque sentire videtur S. Ambrosius, lib. III *Offic.* IX. Certum enim est montes Gelboe multis in locis esse petrosos, aridos et steriles, teste Bredenbachio, Adrichomio et aliis terræ sanctæ Chorographis. Verum alii asserunt montes hos tales fuisse ante Davidem : alii censent sterilitatem hanc eis obtigisse a tempore Eliæ, qui toti Israeli sterilitatem et siccitatem sua imprecatione induxit III *Reg.* XVII, 1. Ita Magister *Hist. Scholast.* Porro Abulensis asserit se nosse viros, super quos in monte Gelboe pluvia ceciderit.

Allegorice S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. IV : « Gelboe, inquit, interpretatur decursus; per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri mediatoris exprimitur : non immerito per Gelboe montes superba Judæorum corda signantur, quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi, id est uncti, se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. » Allegorice.

Porro Pagninus in *Nomin. Hebr.* : « Gelboe, inquit, hebraice idem est quod *acervus tumoris*, vel, *inflationis*; ibi enim cadunt et ruunt impii, uti superbus Lucifer e summo cœlorum, ideoque in Gelboe cæsus est Saul.

Mystice S. Bernardus, serm. 54 *in Cant.*, per « montes Gelboe, » accipit dæmones, item tepidos et irreligiosos; hi enim sunt aridi et steriles gratiæ et bonorum operum. Audi S. Bernardum : « Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet. Quam miser, cum suspicit cœlos, in quibus innumeros montes intuetur divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia! Quam miserior, cum respicit terram, montes nihilominus quamplurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cœli, tanquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem? » Mystice.

Pergit deinde S. Bernardus, idque exaggerat : « Cum quanto putamus dolore et rancore aspiciat ille cupidissimus gloriæ, istos in circuitu suo tam gloriosos montes, cum se et suos e regione incultos, tenebrosos, bonis omnibus infecundos despiciat, ita ut se sentiat esse opprobrium hominum, et Angelorum qui omnibus exprobrat, secundum illud in Psalmis : Draco iste quem formasti ad illudendum ei! »

NEQUE SINT AGRI PRIMITIARUM, — id est fructuum, e quibus Deo seligantur et offerantur primitiæ. Chaldæus vertit, *challeta* (pro quo Interpres Latinus in *Bibliis Regiis* perperam posuit

Halcha) id est *placenta* vel collyrida quæ offerebatur quasi fructuum primitiæ.

QUASI NON ESSET UNCTUS OLEO, — supple Saul, qui unctus fuit a Samuele in regem. Aliqui τὸ *unctus* referunt ad *clypeus* : unde R. Salomon et Vatablus censent in creatione regis, non solum regem, sed et clypeum ejus, solere ungi oleo, ut ex hac unctione fieret lubricus ad excutiendum tela hostium; sed sic omnium militum clypei debuissent ungi, uti recte id confutans argumentatur Abulensis, qui quoque clypeum regis ungi solitum asserit; sed alia de causa, scilicet ut ejus dignitas æque ac fortitudo bellandi hac unctione repræsentaretur, *q. d.* Clypeus Saul olim unctus oleo, jam adeo sanguine hostium perunctus est, ut prior illa Dei unctio in eo non appareat; atque perinde ac si « non esset unctus oleo. » Favet Isaias, cap. XXI, vers. 5, dicens : « Surgite, principes, arripite (Hebraice *ungite*) clypeos, » ut scilicet sint politi, tersi et fulgentes. Unde Chaldæus vertit, *tergite et lucida facite arma.* Vide ibi dicta.

Vers. 22. 22. A SANGUINE INTERFECTORUM, AB ADIPE FORTIUM, SAGITTA JONATHÆ NUNQUAM REDIIT RETRORSUM, — sed penetravit corpora hostium etiam fortissima et pinguissima, eosque sanguine suo cruentavit, transfixit et interemit, *q. d.* Jonathas et Saul suis sagittis et gladiis multum sanguinis elicuerunt et fuderunt, multosque vulnerarunt et occiderunt. Minus recte ergo nonnulli, τὸ *a sanguine interfectorum, ab adipe fortium*, referunt nectuntque cum versu præcedenti, quasi hæc verba dent causam cur pluvia et ros super montes Gelboe descendere non debeant, scilicet ob effusum sanguinem Saulis, Jonathæ et Hebræorum, qui in eis interfecti sunt. Porro Saul facile erat septuaginta annorum, Jonathas plus quam quadraginta; nam mox frater ejus junior, scilicet Isboseth, Sauli in regno succedens erat quadraginta annorum, ut audiemus cap. II, vers. 10.

Vers. 23. 23. IN MORTE QUOQUE NON SUNT DIVISI, — *q. d.* Saulem et Jonatham sicut sociavit vita, ita et mors. Amici enim gaudent simul vivere, et simul mori, quia anima amantis magis est in amico amato, quam in amante. Sic apud Gallos celebrantur *Soldurii*, quasi fortissimi milites, qui sibi mutuo fidem jurabant in prælio, ut vel vincerent, vel simul incumberent, teste Cæsare, lib. V *De Bello Gallico.*

Symbolice, Ecclesia in officio Ecclesiæ hæc verba adaptat SS. Apostolis Petro et Paulo, qui eodem die, mense et anno a Nerone martyrio laureati sunt : « Gloriosi, inquit, principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, sic et in morte non sunt separati. »

« Aquilis velociores, leonibus fortiores. » Est hyperbole, *q. d.* Saul et Jonathas erant velocissimi et fortissimi. Simile epitaphium suo Daphnidi, id est, Julio Cæsari viginti tribus vulneribus in curia confosso, vel Quintilio Varo, cum tribus legionibus in Germania cæso, dat Virgilius, *Eclogæ* V, ubi inter cætera ita de eo canit :

> Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
> Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.
> Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
> Instituit, etc.

Et inferius asserit eum in cœlum inter Deos translatum :

> Candidus insuetum miratur limen Olympi,
> Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis, etc.
> Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Vers. 26. 26. AMABILIS SUPER AMOREM MULIERUM. — « Amorem » accipe vel active, *q. d.* Quantum mulieres amare solent suos sponsos et filios, tantum ego amavi te, o Jonatha; vel passive, *q. d.* Quantum mulieres amari solent a sponsis et filiis, tantum et amplius tu mihi eras amabilis in deliciis et dilectus. Ita Theodoretus.

Moraliter, vide hic, mirare et imitare, quam David tot injuriarum Saulis fuerit immemor, quamque de ejus, licet sibi inimicissimi, morte non sit gavisus, sed eam tam serio luxerit, et tam eleganti epicedio honestarit, ideoque meruit ei in regnum succedere, ac favorem tribus Juda sibi conciliavit, quæ illico eum in regem suum unxit. Quocirca S. Chrysostomus, hom. *De Virtute et vitiis*, docet invidiam Saulis nocuisse ipsi Sauli, non Davidi; ipsa enim Sauli infamiam et necem, Davidi vero gloriam et regnum peperit : « Vulgus, inquit, nescit quanto cæteris miseriores habendi sunt, qui, dum aliis nocere existimant, seipsos gladiis transverberant : quod suprema prorsus amentia est, seipsum percutere, et hoc ipsum nescire; sed cum alium injuria credat afficere, tum vero seipsum omnino jugulare. » Id deinde demonstrat exemplo et antithesi Saulis et Davidis : « Nonne hic molestia et iniquo dæmone angebatur; ille autem vel sole clarior erat in trophæis; et qua Deum præcipue colebat, ingenti pietate super æthera notus? Nonne hic tabescebat invidia : ille vero, dum tacite omnia ferret, omnes sibi charitate vinciebat? » Causam subjicit : « Quia hic (Saul) milites tremendos armis, ille, scilicet David, vero justitiam innumeris legionibus validiorem, sociam sibi et auxiliarem asciverat. » Idem Chrysostomus, tom. II *De Saule et Davide* : « Si mille, inquit, habuissent vitas, an non prompte impendissent pro suo duce, tam ex reverentia quam hosti præstitit, reipsa perspectum habentes, quam benevolum animum gereret erga suos? Cæterum, qui mitis ac mansuetus est in eos a quibus molestia affectus est, multo magis erit erga benevolos eum affectum gesturus. Quæ profecto res fuit illi maximum securitatis pignus. » Et paulo post : « Davidi, inquit, non jam ut homini, sed ut Angelo parebant. » Denique S. Ambrosius in *Apolog. Davidis*, cap. VI : « Inimici, inquit, ultus est mortem, flebiliter satis deploravit interitum; et debitum sibi imperium

diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum, etiamsi debeatur, sed exspectandum, ut suo tempore deferatur.» Utinam hunc virum imitati essent posteri! non tantas bellorum pertulissemus acerbitates.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David in Hebron ungitur rex super tribum Juda, cæteris vero undecim tribubus Abner, vers. 8, regem creat Isboseth Saulis filium. Mox, vers. 14, Abner et Joab per duodecim utrimque milites duellum, indeque bellum ineunt, in quo vincunt Joabitæ; Asael, persequens Abner, vers. 19, ab eo hasta confoditur. Denique Joab, rogante Abner ne se suosque ad desperationem, quæ victori periculosa est, adigat, canit receptui.

1. Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens : Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum : Ascende. Dixitque David : Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. 2. Ascendit ergo David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezraelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli; 3. sed et viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua, et manserunt in oppidis Hebron. 4. Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad, sepelissent Saul. 5. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos : Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum. 6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem; sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 7. Confortentur manus vestræ, et estote filii fortitudinis; licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi. 8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra, 9. regemque constituit super Galaad, et super Gessuri, et super Jezrael, et super Ephraim, et super Benjamin, et super Israel universum. 10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit; sola autem domus Juda sequebatur David. 11. Et fuit numerus dierum quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda septem annorum et sex mensium. 12. Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboseth filii Saul, de castris in Gabaon. 13. Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David egressi sunt, et occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt, hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera. 14. Dixitque Abner ad Joab : Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Joab : Surgant. 15. Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filii Saul, et duodecim de pueris David. 16. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul : vocatumque est nomen loci illius, Ager Robustorum, in Gabaon. 17. Et ortum est bellum durum satis in die illa; fugatusque est Abner, et viri Israel, a pueris David. 18. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, et Abisai, et Asael; porro Asael cursor velocissimus fuit quasi unus de capreis quæ morantur in silvis. 19. Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner. 20. Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait : Tune es Asael? Qui respondit : Ego sum. 21. Dixitque ei Abner : Vade ad dextram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum. 22. Rursumque locutus est Abner ad Asael : Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum. 23. Qui audire contempsit, et noluit declinare; percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit,

et mortuus est in eodem loco; omnesque qui transibant per locum illum in quo ceciderat Asael, et mortuus erat, subsistebant. 24. Persequentibus autem Joab et Abisai fugientem Abner, sol occubuit, et venerunt usque ad Collem aquæductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon. 25. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner, et conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius. 26. Et exclamavit Abner ad Joab, et ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos? 27. Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. 28. Insonuit ergo Joab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen. 29. Abner autem et viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa, et transierunt Jordanem, et lustrata omni Beth-horon venerunt ad castra. 30. Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum; et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele. 31. Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui et mortui sunt. 32. Tuleruntque Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem; et ambulaverunt tota nocte Joab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

Vers. 1. 1. CONSULUIT DAVID DOMINUM, — per *Urim*, puta per Abiathar pontificem indutum Rationali, in quo erant *Urim* et *Tummim*, ut sæpius dixi.

IN HEBRON. — Jubet Deus Davidi ut eat in Hebron, quia ibi, ait Procopius, vixerant et sepulti erant Patriarchæ, eratque tum Hebron metropolis tribus Juda; ut scilicet in ea David consecraretur rex, in eaque consecratus a tota deinde tribu facile ut rex acceptaretur.

Vers. 3. 3. ET MANSERUNT IN OPPIDIS HEBRON, — puta in urbibus Hebroni vicinis, et ab Hebrone dependentibus, quæ alibi vocantur *filiæ*.

Vers. 4. 4. VENERUNTQUE VIRI JUDA, ET UNXERUNT IBI DAVID, — quasi contribulem suum; maluerunt enim Davidem utpote suæ tribus, regnare, quam Isboseth filium Saulis, qui erat ex tribu Benjamin. Sciebant enim Jacobum patriarcham tribui Juda regnum assignasse, *Genes.* cap. XLIX, vers. 10. Sciebant insuper Davidem jam pridem a Samuele unctum fuisse in regem, tot tantasque de hostibus retulisse victorias: qua de causa multi ex aliis tribubus, deserto Isboseth, ad Davidem transierunt, quorum numerus recensetur, I *Paralip.* cap. XII.

Vers. 6. 6. ET NUNC RETRIBUET VOBIS QUIDEM DOMINUS MISERICORDIAM ET VERITATEM. — Hebraice, *pietatem et fidelitatem*, ut scilicet sicut vos utramque exhibuistis Sauli regi vestro in auferendo et sepeliendo ejus corpore; sic et utramque vobis rependat Deus, ac vobis se pium et misericordem æque ac fidelem in remuneranda vestra virtute exhibeat. Nota: *Misericordia et veritas* significant omne opus virtutis, tam liberale (qualis est *misericordia*) quam debitum (qualis est *veritas*) id est æquitas et fidelitas et justitia.

Vers. 8. 8. ABNER AUTEM FILIUS NER PRINCEPS EXERCITUS SAUL (ejusque consobrinus; nam *Ner* pater *Abner* erat frater Cis, qui erat pater Saulis). TULIT ISBOSETH FILIUM SAUL, ET CIRCUMDUXIT EUM PER CASTRA. — Hebraice est מחנים *Machanaim*, id est *castra*, ut vertit Noster et Septuaginta. Verum Chaldæi, Serarius et Vatablus, *Machanaim* accipiunt ut nomen proprium loci, in quo Jacob vidit castra Angelorum se contra Esau defendentium, ideoque locum vocavit *Machanaim*, id est «castra,» *Gen.* cap. XXXII, vers. 2, quasi in eodem loco, utpote tam celebri et sancto, in regno unctus sit Isboseth ab Abner ad populi favorem illi conciliandum: unde et ibidem regiam sedem constituit, ait Josephus.

Vers. 9. 9. REGEMQUE CONSTITUIT SUPER GALAAD, ET SUPER GESSURI, etc., ET SUPER ISRAEL UNIVERSUM. — Pro *Gessuri* Hebræi, Septuaginta et Chaldæa legunt, *Assuri*. «Gessuri» erat regio trans Jordanem in Manassensium ditione, sed Manassenses Chananæis in Gessuri degentibus prævalere non potuerunt: unde ex Gessuri quasi Israelis hoste prædas egit David, ut audivimus libro I, cap. XXVII, vers. 8; indeque abduxit filiam regis, quam sibi in uxorem ascivit, et ex ea genuit Absalonem, qui proinde occiso Amnon fratre suo, Davidis patris iram fugiens, se contulit ad regem Gessuri quasi ad avum suum maternum, ut audiemus cap. III, vers. 3, et cap. XIII, 37. Quare Isboseth nomine tenus factus fuit *rex Gessuri*, non reipsa (1).

ET SUPER ISRAEL, — hoc est, super cæteras undecim tribus. Hic ergo facta est regni Israelis divisio et schisma. David enim creatus fuit rex tribus Juda, Isboseth vero cæterarum undecim; unde et postea schisma hoc renovatum fuit sub Roboam nepote Davidis; huic enim adhæsit sola tribus Juda, cæteræ vero tribus elegerunt sibi regem Jeroboam. Illud dictum est regnum Juda, hoc regnum Israel, nomine communi scilicet majori tribuum patri appropriato.

(1) Hoc nomen *Assuri*, vel *Gessuri* significare tribum Azer dicunt plurimi Interpretes.

Porro Abulensis, Serarius et alii excusant Isboseth a tyrannide et invasione regni, eo quod illud ipsi hæreditario jure deberetur : licet enim David unctus esset a Samuele in regem, tamen illa unctio occulta erat, nec publicata authentice, ita ut Isboseth teneretur ulli credere et Davidi regnum paternum cedere. Unde et David cap. IV, vers. 11, eum vocat « virum innoxium, » et ejus cædem ultus est. Similiter excusant Abner, cujus pariter necem vindicavit David morte Joab; alioqui enim Abner graviter peccasset procurando Isboseth regnum, si scivisset illud Davidi a Deo esse datum, imo si postea id rescivisset, licite non potuisset Isboseth regem fovere et defendere; sed debuisset eum monere ut Davidi cederet regnum. Porro fabula est R. Salomonis, quod, cum populus Davidem vellet regem, Abner probarit Isboseth deberi regnum ex *Genes.* XXXV, 18, ubi Jacob filium a Rachele in partu moriente vocatum « Benoni, » id est filium doloris, nuncupat « Benjamin, » id est filium dexteræ. Dextera enim symbolum est regis et regni; Isboseth enim et Saul erant prognati ex Benjamin, David vero ex Juda.

Vers. 10. 10. ET DUOBUS ANNIS REGNAVIT. — Hinc R. Salomon et Hebræi in *Seder Olam* cap. XIII, censent Isboseth duobus tantum annis regnasse, ita ut iis exactis illo occiso, undecim tribus caruerint rege per annos quinque cum dimidio, quibus finitis Davidem sibi in regem crearunt.

Sed verius est Isboseth totidem annis regnasse in Israel, quot annis David regnavit in Juda, scilicet annos septem cum dimidio; nam mortuo Isboseth, statim in regnum illi successit David, tamque in Juda quam in cæteris tribubus omnibus regnavit. Unde et Josephus asserit undecim tribus, statim post cædem Isboseth, sibi in regem elegisse Davidem. Quod ergo hic dicitur, Isboseth duobus annis regnasse, intellige, tranquille et pacifice, antequam Davidem bello lacesseret; hoc enim fecit post biennium, uti narratur vers. 12. Porro bellum hoc utrimque duravit quinque annos cum dimidio usque ad mortem Isboseth; unde cap. III, vers. 1, dicitur : « Facta est longa concertatio inter domum Saul et inter domum David, » puta inter Isboseth et David.

Vers. 14. 14. DIXITQUE ABNER AD JOAB : SURGANT PUERI (juvenes bellicosi), ET LUDANT CORAM NOBIS. — « Ludant » lusu militari et duello, hoc est duellent inter se. Duellum enim speciem lusus et ludicri spectaculi curiosis spectantibus exhibet : ideoque Romæ populo pugnæ gladiatorum duellantium in amphitheatro quasi ludi exhibebantur. Rursum, duellum vocatur « lusus, » quia in eo duellantes ostendunt quam sint periti artis gladiatoriæ, quam nobiles quasi lusum exercent, et exercendo addiscunt. Ita Vatablus. *Tertio*, quia Abner duellum hoc non tam ad victoriam, quam ad lusum militarem referebat, scilicet ut ostenderet suos milites esse fortiores militibus Davidis et Joab. Ita Josephus. *Quarto*, quia duellum hoc erat quasi velitatio et prolusio ad bellum et prælium generale, quod illico secutum est, ut patet ex seq.; ac forte, inquit, Serarius, et quasi divinatorium quoddam victoriæ indicium, quo Germani uti olim solebant, uti tradit Cornelius Tacitus; lib. *De Moribus Germanorum* : « Est, inquit, et alia observatio auspiciorum, quæ gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum quomodo interceptum, cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt, victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur. »

Porro peccavit Abner, tum quia volens fortitudinem suam ostentare, æque ac regni Isboseth, primus provocavit Joabum ad duellum et bellum, unde justo Dei judicio in eodem cæsus victusque est; peccavit et Joab, sed minus, quia consensit duello et bello, ac morti injustæ eorum, qui in eo occidendi erant; necdum enim præcesserat justa belli causa, verbi gratia, damna vel injuriæ ab Abner vel Isboseth illatæ. Bellum enim capessere non licet, nisi justa et gravi de causa. Ita Abulensis. Si tamen Abner prior invasisset Joabum, licite potuisset, imo debuisset Joab se ac regem suum Davidem defendere, ac vim vi repellere : sed id non fecit Abner.

16. APPREHENSOQUE UNUSQUISQUE CAPITE COMPARIS SUI. — Josephus, Rabanus et Angelomus, τὸ *unusquisque* restringunt ad eos qui erant ex parte Joab, hos enim singulos « apprehenso capite comparis sui, » id est sui antagonistæ ex parte Abner, eos transfodisse, ita ut salvi et victores fuerint Joabitæ, cæsi vero omnes et soli Abneritæ. Verum alii passim τὸ *unusquisque* generatim ut sonat accipiunt, tamque ad Abneritas, quam ad Joabitas referunt, ita ut omnes ad unum cæsi sint, et utrimque mutuis vulneribus conciderint. Talis fuit Cadmæa pugna. Fabulantur enim Poetæ Cadmum Agenoris filium et Thebarum conditorem, cum vidisset socios a dracone interfectos, draconis dentes secuisse, ex quibus orti se mutuis ictibus confoderent. Vers. 16.

17. ET ORTUM EST BELLUM. — Ecce hic duellum transit in acre bellum totale; unde ad illud fuit quasi ludus et prælusio, ut dixi. Vers. 17.

18. PORRO ASAEL CURSOR VELOCISSIMUS FUIT. — Josephus ait Asaelem adeo fuisse velocem, ut non tantum homines, sed et equos cursu superaret; quales etiamnum sunt in Hibernia et India. S. Bachiarius, epist. *De lapsis* : « Asael, inquit, velox sicut cervus a Scriptura esse perhibetur, ob hoc, credo, quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulserat; corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, » *Sap.* IX, 15; et colligit hanc Asaelis puritatem ex eo quod cum cervo, ut ipse legit, comparetur : « Velox, inquit, erat sicut cervus, id est, qui non solum perspicacia mentis, inimici laqueos evitabat, verum etiam serpentum, id est, adversariarum virtutum interfector existit. » Nam cervus et visus acumine excellit, Vers. 18.

et perpetuas cum serpentibus inimicitias exercet.

Tropologice, *Asaeles* sunt, qui procurrunt alacres ad quævis charitatis officia, qualis fuit Cardamas, quem S. Paulus, epist. 5 *ad Amandum*, Asaeli comparans, ei dat pedes cervorum. « Nam positus est, inquit, in tantæ ministerio charitatis, ut in libertate serviat, in senectute discurrat, et requiem vacationis emeritæ malit in peregrinationis labore quam in domestica sede consumere; quia pigrorum vias spinis stratas calcare declinat, ne convertatur in ærumnam, dum ei de inertiæ infructuoso otio miseræ sollicitudinis spina configitur. Exultat itaque impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti, pedissequa pigrorum inopia tanquam bonus cursor occurrat. »

Vers. 23. 23. PERCUSSIT ERGO EUM ABNER AVERSA HASTA IN INGUINE. — Hebraice, *in quinta*, scilicet costa, ubi resident jecur et fel. Tropologice, « Asael » repræsentat nimis ferventes, præcipitantes et furentes, qui non directe sed indirecte, et ex obliquo reprimendi sunt; nam ut ait S. Gregorius, III part. *Pastor.* Admonit. 17, et ex eo Angelomus et Eucherius: « Ex mucrone (directe) percutere, est impetu apertæ increpationis obviare; aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occubuit, quia commotæ mentes dum parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo, quod se erexerant, statim cadunt. » Unde *Abner* hebraice idem est quod *patris lucerna*, qualis est prudentia lenis et mansueta corripientis.

Vers. 26. 26. AN IGNORAS QUOD PERICULOSA SIT DESPERATIO? — Milites enim desperati acerrime pugnant ut vel vincant, vel, si vincantur, ne inulti moriantur, sed care vitam suam hosti vendant: quare ex desperatione nascitur spes victoriæ, imo desperatio sæpe est causa victoriæ. Quocirca præclari duces hoc habent principium: « Cum desperato ne pugna. Fugienti hosti aureum sterne pontem. » Ita Tryphon, occiso Jonatha, non fuit ausus aggredi paucos ejus socios desperatos. Nam « videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt, » I *Machab.* XII, 15. Nec Lysias cum multis Judam Machabæum cum paucis invadere sustinuit. Audi Scripturam ibidem, cap. IV, 35: « Videns autem Lysias fugam suorum, et Judæorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere aut mori fortiter, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Judæam. » Similia sæpe vidimus in bellis Belgicis. Causam dat Vegetius, lib. III *De Re milit.* cap. XXI: « Ex desperatione, inquit, crescit audacia; et cum spei nihil sit, sumit arma formido. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, esse muniendam. » Bene Curtius, lib. IV: « Effugit, inquit, mortem quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur. » Et rursus, libro V: « Ignaviam, inquit, necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est. » Adde Senecam philosophum, lib. II *Natural. Quæst.* cap. LIX: « Nullus, inquit, perniciosior hostis, quam quem audacem angustiæ faciunt; longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corripimur. » Narrat Justinus, lib. XX *Hist.*, quindecim millia Locrensium cecidisse centum millia Crotoniensium, causamque subjicit: « Quia, inquit, amissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirarunt; tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt. » Hinc est illud Maronis, libro II *Æneid.*:

Vis desperationis.

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et illud Sallustianum: « Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sex Davidis uxores, et totidem filii in Hebron geniti recensentur. Isboseth culpat Abner luxuriæ; ille deficit ad Davidem, cum eoque fœdus init, totumque Israelem illi subjicit. Mox, vers. 23, Joab Abnerum apud Davidem proditionis insimulat, eumque dolose occidit, sed David eum amare plangit.

1. Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul et inter domum David; David proficiscens, et semper seipso robustior; domus autem Saul decrescens quotidie. 2. Natique sunt filii David in Hebron; fuitque primogenitus ejus Amnon de Achinoam Jezraelitide. 3. Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli; porro tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur. 4. Quartus autem Adonias, filius Haggith; et quintus Saphatia, filius Abital. 5. Sextus quoque Jethraam, de Egla uxore David; hi nati sunt David in Hebron. 6. Cum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat

domum Saul. 7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner: 8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres et proximos ejus, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? 9. Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo, 10. ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel, et super Judam a Dan usque Bersabee. 11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. 12. Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: Cujus est terra? et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel. 13. Qui ait: Optime, ego faciam tecum amicitias; sed unam rem peto a te dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul; et sic venies, et videbis me. 14. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistiim. 15. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais. 16. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim; et dixit ad eum Abner: Vade, et revertere. Qui reversus est. 17. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis David, ut regnaret super vos. 18. Nunc ergo facite, quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. 19. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit, ut loqueretur ad David in Hebron omnia quæ placuerant Israeli et universo Benjamin. 20. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris; et fecit David Abner, et viris ejus qui venerant cum eo, convivium. 21. Et dixit Abner ad David: Surgam ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, et ineam tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace, 22. statim pueri David et Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis; Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace. 23. Et Joab, et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt; nuntiatum est itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. 24. Et ingressus est Joab ad regem, et ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te; quare dimisisti eum, et abiit, et recessit? 25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis? 26. Egressus itaque Joab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David. 27. Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo, et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. 28. Quod cum audisset David rem jam gestam, ait: Mundus ego sum, et regnum meum, apud Dominum, usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner, 29. et veniat super caput Joab, et super omnem domum patris ejus, nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane. 30. Igitur Joab et Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31. Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner; porro rex David sequebatur feretrum. 32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner; flevit autem et omnis populus. 33. Plangensque rex et lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. 34. Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati; sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit super eum. 35. Cumque venisset universa multitudo cibum

capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. 36. Omnisque populus audivit, et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi. 37. Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filius Ner. 38. Dixit quoque rex ad servos suos : Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel? 39. Ego autem adhuc delicatus, et unctus rex; porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.

Vers. 3. 3. PORRO TERTIUS ABSALON, FILIUS MAACHA FILIÆ THOLMAI REGIS GESSUR. — Vetuerat Deus Hebræis conjugium cum Chananæis, ne earum idololatriam sequerentur : David tamen duxit hic *Maacham filiam regis Gessur* Chananæi, quia ipsa facta est proselyta, et ad Judaismum se convertit, ut tradunt Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.* Sic Salmon duxit Rahab Chananæam, et Booz Ruth Moabitidem; *Matth.* I. Putant nonnulli Maacha a Davide in prædatione ex Gessuri fuisse abductam, ac deinde in uxorem acceptam, juxta ritum a Deo præscriptum *Deut.* cap. XXI, vers. 10; licet id neget Abulensis, qui cum Cajetano, Saliano et aliis aliter Davidem excusat, dicendo Deum non vetuisse Judæis connubia cum gentibus omnibus, sed tantum cum illis quæ incolebant terram promissam; extra eam autem fuisse Gessuri : quare hanc *Gessur* esse aliam a *Gessuri,* quam tribui Manasse attribuit Josue, cap. XIII, vers. 11 et 13.

Vers. 5. 5. SEXTUS QUOQUE JETHRAAM DE EGLA UXORE DAVID, — præcipua scilicet et prima ac præ cæteris dilecta. Nam et aliæ jam recensitæ erant uxores Davidis; unde Sanchez τὸ *uxore* per Zeugma refert ad omnes præcedentes Davidis uxores. Hinc Rabbini, Angelomus, Lyranus, Cajetanus, Dionysius putant *Eglam* esse *Michol,* quam David valde dilexit : ideoque dictam esse *Eglam,* id est *vitulam,* quod juvencula esset et pulchra : sed errant : *Egla* enim fuit fecunda; *Michol* vero sterilis, cap. VI, vers. 23, adeo ut etiam ab ea adoptati, occisi fuerint II *Reg.* XXI, ac de Michol reducta agitur inferius vers. 14. Ita Josephus, Abulensis, Vatablus, Serarius, Sanchez et alii.

Vers. 8. 8. QUARE INGRESSUS ES AD CONCUBINAM PATRIS MEI? — vel libidinis causa, vel ut eam in uxorem ducas, itaque ad regnum aspires, illudque mihi eripias? Calumniam hanc fuisse, et Abner ab ea fuisse innoxium tradit Josephus in Græco et Vatablus.

NUMQUID CAPUT CANIS SUM EGO ADVERSUM JUDAM HODIE? — Nonnulli, τὸ *caput canis* sic exponunt, ut Abner non se, sed Isboseth vocet canem, *q. d.* Numquid ego sum caput et dux hominis vilis et abjecti, qui instar canis est? puta Isbosethi, qui cum suis vilibus asseclis quasi canibus, allatrat Davidem, ejusque regnum Juda, ac impudenter quasi canis, objicit mihi insonti tam infamem libidinem.

Melius alii censent Abner de se loqui, seseque vocare « caput canis » (nec enim caput a cane separari potest), idque ob libidinem et impudentiam, quam canes capite maxime præ se ferunt, *q. d.* Numquid ego tam luxuriosus et impudens sum, ut regis et consobrini mei Saulis uxorem vitiarim, cum totis viribus ejus tuumque honorem et regnum propugnare satagam? Rursum, *q. d.* Numquid ego sum tam vilis et rixosus, ut sim quasi tuus canis, qui pro tuo regno tuendo jugiter pugnando allatrem Davidem et Judæos? Ita S. Hieronymus in *Tradit.,* Angelomus, Abulensis et Vatablus. Audi S. Hieronymum : « Propter te et propter domum patris tui, dicor caput canis esse contra Judam, eo quod non reducam domum Israel ad David quem scio unctum esse regem, et regnaturum super universum Israel. » « Caput canis » se dicit esse, id est vilem, eo quod a domo Juda sic haberetur, sicut latratus canis, eo quod princeps esset canum, id est stultorum hominum.

Vers. 14. 14. REDDE UXOREM MEAM MICHOL, QUAM DESPONDI MIHI CENTUM PRÆPUTIIS. — David repetiit Michol, tum quia illam diligebat, tum quia illa injuste a Saule ab eo erat ablata, tum quia ipsa erat filia regis Saulis, quam ipse ab eo emerat cæde centum hostium, ut hac ratione per ipsam quasi filiam regis a se care emptam ab Israelitis eveheretur ad regnum, ac libentius ut rex susciperetur; utpote qui regiæ stirpi jam esset insertus.

Vers. 18. 18. QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST AD DAVID (de Davide) DICENS : IN MANU (per manum) SERVI MEI DAVID SALVABO POPULUM MEUM ISRAEL. — Verisimile est id Deum dixisse per Samuelem; cum ipse jussu Dei ipsum unxit in regem, etsi hæc verba superius in ejus unctione non sint expressa. Scivit tamen Abner ea Deum dixisse, ex communi sermone et fama quam sensim ipse inaudivit, præsertim cum vidit Deum ubique Davidem prosperare, ac victoriis contra se et Isboseth ornare : quare occasione hujus contumeliæ ab Isboseth acceptæ, statuit Deo parere, ac regnum ab Isboseth ad Davidem transferre.

Vers. 27. 27. IN ULTIONEM SANGUINIS ASAEL FRATRIS EJUS. — Hæc fuit vera causa cur Joab occiderit Abner, quia scilicet Abner occiderat Asaelem fratrem Joab, cap. II, vers. 23. Aliam causam addunt Josephus, Theodoretus et Procopius, Dionysius, Lyranus, Serarius et Salianus, scilicet, quia metuebat Joab

ne David se amoto Abnerem sibi reconciliatum, utpote insignem belli ducem, castris suis præficeret, uti præfecerat Saul : ut hac ratione omnes milites et Israelitas, quibus charus erat Abner, magis sibi devinciret; sciebat enim fore, ait Theodoretus, ut ille præesset exercitui qui universum Israelem adducebat ad regem; hac enim de causa Joab occidit Amasam cap. XX.

Fabulantur Hebræi Joab jussisse Abner, ut se doceret modum, quo se excalceare solebat is qui nolebat ducere uxorem fratris sui sine liberis defuncti; cumque Abner ei obsequens caput ad calceum inclinaret, dolose a Joab fuisse obtruncatum.

Vers. 29. 29. NEC DEFICIAT DE DOMO JOAB FLUXUM SEMINIS PATIENS, ET LEPROSUS, ET TENENS FUSUM, ET CADENS GLADIO, ET INDIGENS PANE. — Videtur David, quasi propheta, prophetice maledicere Joabo, ejusque posteris, ac prædicere vindictam quam eis Deus ob cæsum Abner illaturus erat; nisi malis cum nonnullis, verba hæc non tam maledictionem sonare, quam meritum Joab, eum scilicet mereri ut his pœnis castigetur, scilicet eum mereri morbum seminis et lepram, item ignominiam, cædem et pauperiem. Porro « fluxum seminis patiens, » est is qui laborat gonorrhæa, qui morbus est fœdus, et apud Hebræos infamis, ac laborantem faciebat legaliter immundum et irregularem multipliciter, ut patet *Levit.* X. Adde, fluxu seminis laborans inutilis est ad generandum, quia semen profundit. Punitur ergo Joab hic sterilitate et ἀτεκνια, idque congrue et apposite, ut scilicet liberi ejus nullis filiis suis dent vitam, quam ipse Abneri ademerat.

ET LEPROSUS. — Lepra apud Judæos erat frequens, eratque morbus horridus, qui hominem faciebat immundum plane et irregularem. Vide dicta *Levit.* XIII.

ET TENENS FUSUM. — Septuaginta, σκυτάλην, id est scuticam, seu flagellum quale gestant bubulci et agasones, vel peram ex corio qualem ferunt mendici, vel virgam et baculum, quem tenent cæci et podagrici, qui morbo pedum laborant, ut in incessu non offendant ad lapides et muros : unde Aquila vertit, *cæcus*. Verum *Proverb.* XXXI, 19, Hebraice פלך *pelech*; Septuaginta, Noster, Pagninus, Vatablus, Marinus et alii passim vertunt, *fusum*, uti hic vertit Noster. Jam Hugo per *fusum* accipit tympanum, quod subinde pulsat leprosus, ut a sui contactu transeuntes arceat, utque eleemosynam postulet. Magister *Histor. Scholast.* per *fusum* accepit ventilabrum ad abigendas muscas, quæ leprosos infestant : muscæ enim ad carnes saniosas et putridas, quales sunt leprosorum, advolant, ut saniem sugant. Verum fusus est proprie instrumentum mulierum, quo nent et fila contorquent, *q. d.* Quia Joab non ut vir aperto marte, sed occulte et dolose, ut femina occidit Abner; hinc posteri ejus per ignominiam damnantur ad vilia feminarum ministeria, ut tractent fusum et colum, ac mulieribus in filando subserviant, uti fecit mulierosus Sardanapalus rex Assyriorum, teste Justino, lib. I, ac subinde faciunt eunuchi, quibus feminarum regiarum cura committitur : imo ut fecit Hercules, qui a filia regis Ætoliæ, quam deperibat, ita effeminatus est, ut ejus jussu fusum torqueret et filaret, uti tradunt vel fabulantur Poetæ. Porro David non occidit Joabum, uti merebatur, quia Joab in manu habebat exercitum, ac potuisset se defendere et rebellare Davidi, uti Abner rebellarat Isbosetho, eique regnum abstulerat. Distulit ergo vindictam, ac moriens Salomoni jussit ut Joabum occideret, III *Reg.* cap. II, vers. 35. Ita Theodoretus et Josephus, qui asserit Joab cum fratre suo plus potuisse in regno, quam poterat ipse David.

Vers. 33. 33. PLANGENSQUE REX ET LUGENS ABNER, — licet antea sibi adversarium et ducem hostium suorum. « Quo facto, ait S. Ambrosius in *Apolog. David*, cap. VII, docuit etiam adversariis fidem promissam esse servandam, honorandamque et in hoste virtutem. »

Vers. 35. 35. CUMQUE VENISSET UNIVERSA MULTITUDO CIBUM CAPERE CUM DAVID. — Hebraice, *ut cibaret Davidem pane*, id est, ut cogeret eum comedere. Ita Vatablus; sed melius vertit Noster, *cibum capere cum David*, quia tota civitas cum Davide luxit mortem Abner, ideoque funebre convivium instituit, quod Septuaginta vocant παραδειπνεῖν, de quo vide Pollucem, Suidam et Athenæum, lib. VII *De Dipnosophistis* : Judæos enim funebre epulum celebrasse patet, *Tobiæ* cap. IV, 18, et ex Josepho lib. II *De Bello*; et idem factitasse Gentiles, ex historiis notissimum est. De Christianis res est clarissima. Ita Hebræi, Serarius, Sanchez et alii. Idem liquet ex *Jeremiæ* cap. XVI, 15, et *Ezech.* cap. XXIV, 17. Vide hic in Davide hujus ritus, et convivii quo defunctis per alimoniam pauperum suffragabatur, antiquitatem. Huc faciunt Parentalia Romanorum, per quæ parentibus vita functis parentabant.

Vers. 39. 39. EGO AUTEM ADHUC DELICATUS, ET UNCTUS REX, — scilicet ego rex sum tenellus et noviter unctus, ideoque debilis et infirmus in regno et potestate regia, nec in ea firmatus, *q. d.* Tu, o Joab, occidendo Abner ducem belli Israelis, creasti mihi periculum, ne totus Israel me regem repudiaret, atque ob hanc cædem me quasi illius secreto conscium a regno in perpetuum excluderet. Alii cum Vatablo vertunt : *Ego facilis et clemens sum, licet unctus sim factusque rex; at Joab et Abisai, qui sunt nepotes mei, inclementiores me sunt.* Ego enim peperceram Abner, illi autem eum occiderunt; τὸ enim *clemens* directe opponitur τῷ *duri* quod sequitur.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baana et Rechab dolose occidunt Isboseth, caputque ejus deferunt ad Davidem, qui pro boni nuntii præmio illis mortem rependit.

1. Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron, et dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israel perturbatus est. 2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin; siquidem et Beroth reputata est in Benjamin; 3. et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. 4. Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus; quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Jonatha ex Jezrahel : tollens itaque eum nutrix sua, fugit; cumque festinaret ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est, habuitque vocabulum Miphiboseth. 5. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. 6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater ejus, et fugerunt. 7. Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum; sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte, 8. et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron; dixeruntque ad regem : Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam; et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, et de semine ejus. 9. Respondens autem David Rechab, et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 10. quoniam eum qui annuntiaverat mihi, et dixerat : Mortuus est Saul; qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11. Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra? 12. Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos; præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron : caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulcro Abner in Hebron.

Vers. 2. 2. DUO AUTEM VIRI PRINCIPES LATRONUM ERANT FILIO SAUL. — Septuaginta, *duo viri principes turmarum erant Isboseth filio Saul*; Chaldæi, *duo viri principes capita duorum exercituum, fuerunt cum filio Saulis;* Vatablus, *præfecti copiarum. Latrones* ergo hic vocantur milites, qui huc illuc prædatum excurrere solent (latrones enim proprie dictos non tolerasset rex Isboseth) : nam hi hebraice vocantur גדודים *gedudim* : sic olim Romani per *latrones* intelligebant milites mercenarios, eo quod ut latrones et ex insidiis ad prædandum excurrebant, ait Varro, Festus et Nonius Macellus. Sic Jephte vocatur, « princeps latronum, » id est, militum prædantium, *Judic.* XI, 3. Forte hi duo fuere duces, sive capitanei, custodiæ regiæ, puta militum prætorianorum, qui Isbosethum stipabant et custodiebant, ut modo faciunt Helvetii : sic enim facilis eis fuit in domum ingressus, et ad Isboseth secretus accessus. Ita Salianus.

Vers. 3. 3. ET FUGERUNT BEROTHITÆ, — puta « Baana » et « Rechab » jam dicti; fugerunt autem a facie Isboseth apud quem militarant, ob facinus aliquod commissum, quod Isboseth punire volebat. Ita Rabanus, Abulensis, Serarius et alii. Perperam ergo R. Salomon et Cajetanus, per *Berothitas* accipiunt omnes cives et incolas urbis *Beroth*. Cur enim omnes cives fugissent? Et quid fuga eorum facit ad historiam præsentem? Nam quod ait R. Salomon, et ex eo Lyranus, eos fugisse mortuo Saule metu Philistæorum, eo quod eis vicina esset *Beroth*, ex eo refellitur, quod hi duo duces erant militum Isboseth post mortem Saulis, uti dictum est vers. 2.

Vers. 4. 4. ERAT AUTEM JONATHÆ FILIO SAUL FILIUS DEBI-

LIS PEDIBUS, — nomine « Miphiboseth, » ut sequitur. Cur hic inducitur mentio Miphiboseth? Respondeo, ut significetur ex stirpe Saulis nullum superfuisse masculum regno idoneum : nam « Miphiboseth, » qui solus supererat, erat claudus et deformis, ineptusque ad bella Israelis gerenda; quare mortuo Isboseth (cujus cædes hic narratur) necessario a stirpe Saulis regnum fuit transferendum ad Davidem. Ita Abulensis. Aliter Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.*, Rabanus, Cajetanus, R. Salomon, et alii respondent, scilicet, Baana et Rechab militasse non sub Isboseth, sed sub Jonatha, quare favisse ejus filio Miphiboseth, et voluisse eum creare regem, ideoque conspirasse in necem Isboseth : sed Miphiboseth conspirationem eorum detulisse ad Isboseth, cujus vindictam illos metuentes fugisse, ac secreto redeuntes eum occidisse, ut Davidis gratiam inirent. Sed hæc mera est conjectura, nullum in Scriptura habens fundamentum.

Vers. 5 5. QUI DORMIEBAT SUPER STRATUM SUUM MERIDIE, — uti multi in Italia aliisque regionibus calidis meridiantur, et meridie levem somnum capiunt; nam alioqui sanctio medicorum est : « Somnum fuge meridianum. » Chaldæus hunc somnum vocat, *somnum regum*, dicens, *et ille* (Isboseth) *dormiens somnum regum;* reges enim vigilantes, qui noctu sæpe pro salute et negotiis regni excubare et noctes ducere insomnes coguntur, somnum captant a meridie. Sicut Epaminondas dux Thebanorum, iis festa et convivia celebrantibus, indeque dormitantibus, excubare solebat, dicens : « Ego contra hostes pervigilo, ut vos secure convivemini; » vere aurea principis sententia. Idem Epaminondas cum quemdam e vigilibus dormientem transfixisset, ideoque nimiæ severitatis argueretur : « Talem, inquit, eum reliqui, qualem inveni; nimirum vita viventium vigilia, ideoque vita dormientium mors potius est, quam vita; » unde Christus in Evangelio crebro vigilare nos jubet.

ET OSTIARIA DOMUS PURGANS TRITICUM (jam trituratum, eximendo lapillos, paleas, etc., ac singula quasi grana seligendo, ut plane sint pura ad delicias) OBDORMIVIT, — scilicet ex labore purgandi, æque ac ex æstu fessa in somnum incidit. Pulchram et perutilem hac de re tropologiam affert S. Gregorius, lib. I *Moral.* cap. XVIII : « Ostiaria, ait, triticum purgat, cum mentis custodia discernendo, virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii domini insidiatores admittit; quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt; quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt; quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis delectatione carnis perforare. » Damnum vero dormitantis hujus custodiæ subjicit, dicens : « Nequaquam vero Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque virilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene et Isboseth appellatus est, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur : Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est; quia, dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait : Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. »

Eadem ad verbum ex S. Gregorio transcripsit Angelomus, Rupertus et Eucherius; unde liquet Eucherium hunc non esse S. Eucherium Lugdunensem Episcopum, qui centum et amplius annis S. Gregorium antecessit; sed Bedam vel quem illius ævi.

Politice discant hic principes vel per se vel per fidos amicos excubare, præsertim iis temporibus queis cæteri dormiunt, ut meridie et noctu; hæc enim tempora captant hostes, ut incautos invadant et opprimant. Sic Philippus rex Macedonum, pater Alexandri Magni, cum in exercitu dormivisset, experrectus : « Tuto, ait, dormivi, vigilavit enim Antipater. » Ita Plutarchus in *Apopht.* Idem cum interdiu dormiret, Græcique ad fores convenientes criminarentur illum, Parmenio eum defendens : « Nolite, inquit, admirari si nunc Philippus dormiat; nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat. » Vera est enim Platonis sententia, quam recenset Laertius lib. III : « Nemo dormiens ulla re dignus est, quia similis est mortuo. Somnus enim est imago mortis, uti aiebat Alexander Magnus, dictitans ex somno se colligere quod esset homo mortalis, non Jovis filius, uti nonnulli adulantes dicebant, teste Plutarcho. Imo sæpe a somno itur in mortem. Unde Gorgias Leontinus sentiens soporem lethalem obrepere, amico percunctanti : « Quo pacto haberet? Somnus, inquit, jam incipit me fratri suo (morti) commendare. » Ita Ælianus, lib. II.

6. INGRESSI SUNT AUTEM DOMUM LATENTER, ASSUMENTES SPICAS TRITICI, — ut fraus et cædis Isboseth machinatio lateret, si cui vigili occurrerent; videbantur enim esse tritici messores, vel emptores et mercatores, ut vertit Chaldæus, R. Salomon et alii; unde ex Hebræo vertas, *ingressi sunt in medium domus accipientium frumenta*, licet Hebræi apud S. Hieronymum putent eos gestasse spicas tritici, quod fingerent se eas quasi primitias et munera regi Isboseth oblaturos. Alii, ut spicis faciem tegerent, ne agnoscerentur. Alii censent eos spicas virentes detulisse ostiariæ, ut illa solita purgare triticum, spicas exfollicularet et tereret; itaque faceret polentam quæ priscis erat Vers. 6.

in deliciis; hoc enim feminarum erat opus. Unde Abigail polentam obtulit Davidi, ut ejus iram leniret, lib. I, cap. XXV, 18. Ita Sanchez. Quæ conjectura est apposita et verosimilis.

ET PERCUSSERUNT EUM IN INGUINE. — Hebraice, *sub quinta*, scilicet costa, quæ est ultima sub qua nihil est osseum, sed venter mollis, ideoque ictui et perforationi lethali opportunus.

Vers. 11. 11. QUANTO MAGIS NUNC, CUM HOMINES IMPII INTERFECERUNT VIRUM INNOXIUM (1), etc. — Isboseth erat hostis et noxius Davidi, cum eoque de regno digladians; David tamen eum vocat « innoxium, » quia censebat eum bona fide existimare, ad se, quasi ad Saulis regis defuncti filium regnum pertinere; nec enim ei liquido constabat illud ex Dei dono ad Davidem esse translatum: licet enim forte audisset Davidem a Samuele unctum in regem, tamen jus Davidis ei non erat liquidum; nam excipere poterat ac dicere Davidem unctum quidem in regem, sed suæ tribus Judæ duntaxat, cæteras ergo tribus ad se spectare; aut, Davidem unctum quidem esse in regem, sed ut regnaret eo casu, quo stirps regia Saulis deficeret ut illi succederet: jam autem hanc stirpem necdum defecisse, sed in se perdurare, quare Davidem non posse, exclusa stirpe regia, regnum suum invadere.

Vers. 12. 12. INTERFECERUNT EOS. — Fecit id David, ut amoliretur a se suspicionem populi, quod ipse secreto auctor vel conscius fuisset cædis Isboseth. Rursum ut amorem suum erga Saulem et Isboseth, licet sibi inimicos ostenderet; itaque clementiæ et beneficentiæ famam sibi apud omnes tribus conciliaret, quæ magnam regi apud subditos benevolentiam et auctoritatem conciliat. *Tertio*, ut quasi rex et judex puniret tantum scelus, ac iniquam cædem regis ulcisceretur. Corpus enim regium omnibus inviolabile esse debet.

Porro Theodoretus et Abulensis censent Davidem hos regicidas crucifixisse. Josephus, lib. VII, cap. II, ait eos exquisitissimis tormentis fuisse affectos; sed nil tale habet Scriptura, quæ innuit eos illico fuisse occisos, ideoque gladio vel lancea confossos, ac mox manus quibus cædem patrarunt, et pedes, quibus ad eam contenderant, fuisse præcisos, et suspensos ad perpetuam sceleris memoriam et vindictam.

CAPUT AUTEM ISBOSETH TULERUNT ET SEPELIERUNT IN SEPULCRO ABNER IN HEBRON, — quia Hebron erat locus quasi sanctus, consecratus sepulturæ Abrahæ, Isaac et Jacob, et ut multi volunt, Adæ. Vide dicta *Josue* XIV, 15.

Porro pompam funeris David non exhibuit Isboseth, quam exhibuerat Abner, tum quia Abner in ditione sua erat occisus juxta Hebron, Isboseth vero extra limites regni sui; tum quia Isboseth perpetuo adversatus erat Davidi; Abner vero ab Isboseth transierat ad Davidem, ad eumque cæteras tribus traducere satagebat. Denique cum Abner occideretur, vehemens omnino erat multorum suspicio, Davidis jussu vel nutu, eum fuisse occisum; quare ut hanc suspicionem eis demeret, opus fuit illi summe honorare Abnerem in funere. Ita Abulensis, Salianus et alii.

(1) Vere erat innoxius, sui enim amici contendebant acriter ad illum pertinere Saulis regnum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Undecim tribus creant sibi unguntque Davidem regem in Hebron. Mox, vers. 6, *David Jebusæis cæsis extorquet arcem Sion, in qua Hiram curat ædificari domum Davidi; ubi David, vers.* 13, *multiplicat uxores et filios. Denique, vers.* 18, *cædit Philistæos primo, et secundo, vers.* 23, *dante Deo signum Davidi, sonitum gradientis in cacumine pyrorum.*

1. Et venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus. 2. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel; dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel. 3. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino; unxeruntque David in regem super Israel. 4. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit. 5. In Hebron regnavit super Judam septem annis et sex mensibus; in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam. 6. Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem ad Jebusæum habitatorem terræ, dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes: Non ingredietur David huc. 7. Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David. 8. Proposuerat enim David in

die illa præmium, qui percussisset Jebúsæum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David; idcirco dicitur in proverbio : Cæcus et claudus non intrabunt in templum. 9. Habitavit autem David in arce et vocavit eam, Civitatem David; et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus. 10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo. 11. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes, et ædificaverunt domum David. 12. Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel. 13. Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron, natique sunt David et alii filii et filiæ; 14. et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Jerusalem, Samua, et Sobab, et Nathan, et Salomon, 15. et Jebahar, et Elisua, et Nepheg, 16. et Japhia, et Elisama, et Elioda, et Eliphaleth. 17. Audierunt ergo Philistiim quod unxissent David in regem super Israel, et ascenderunt universi ut quærerent David; quod cum audisset David, descendit in præsidium. 18. Philistiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim. 19. Et consuluit David Dominum, dicens : Si ascendam ad Philistiim? et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David : Ascende, quia tradens dabo Philistiim in manu tua. 20. Venit ergo David in Baal Pharasim, et percussit eos ibi, et dixit : Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim. 21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quæ tulit David, et viri ejus. 22. Et addiderunt adhuc Philistiim ut ascenderent, et diffusi sunt in valle Raphaim. 23. Consuluit autem David Dominum : Si ascendam contra Philistæos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit : Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum. 24. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philistiim. 25. Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, et percussit Philistiim, de Gabaa usque dum venias Gezer.

Vers. 1. 1. ET VENERUNT UNIVERSÆ TRIBUS ISRAEL AD DAVID IN HEBRON, — ut eum sibi regem crearent communi omnium consensu. Vide I *Paral.* XII, 23 et seq., ubi fuse hic tribuum adventus et ordo describitur.

DICENTES : ECCE NOS, OS TUUM ET CARO TUA SUMUS, — hoc est, nos cognati tui sumus, ita Chaldæus : ne enim putaret quis David sanguine contingere tribum Juda duntaxat, ex qua oriundus erat, ideoque eum solius tribus Juda esse regem, hac de causa cæteræ undecim tribus hic asserunt Davidem quoque suum esse consanguineum; omnes enim tribus erant consanguineæ, eo quod ex duodecim fratribus Patriarchis filiis Jacob prognatæ essent. Hæc est ergo *prima* ratio, cur David sibi in regem eligant, quod ex eis sit ortus, eisque sanguine junctus : sequitur ratio *secunda*.

Vers. 2. 2. SED ET HERI ET NUDIUSTERTIUS, CUM ESSET SAUL REX SUPER NOS, TU ERAS EDUCENS ET REDUCENS ISRAEL, — *q. d.* Tu sub rege Saule magis rexisti populum, quam Saul, pro eoque feliciter semper pugnasti; par ergo est ut Saule mortuo quasi rex nos regere pergas. Sequitur *tertia* ratio petita ex Dei decreto et oraculo de Davidis regno per Samuelem edito.

DIXIT AUTEM DOMINUS AD TE : TU PASCES POPULUM MEUM ISRAEL. — « Pasces, » id est reges; hoc enim est Hebræum תִּרְעֶה *tire* et græcum ποιμανεῖς. Unde sciant reges se debere regere pascendo populum, eo modo quo pastor pascit oves; quocirca Homerus Agamemnonem regem ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum vocat.

Vers. 3. 3. PERCUSSIT CUM EIS REX DAVID FOEDUS IN HEBRON CORAM DOMINO, — id est, coram toto cœtu et synagoga populi fidelis, sive duodecim tribuum, cui præsidebat Deus; nam arca Dei non erat in Hebron; quare coram ea hoc fœdus sanciri non potuit. Hoc « fœdus » erat mutua promissio, qua David promittebat se fideliter regnum Israel administraturum juxta leges a Deo sancitas *Deuter.* XVII, 16 et seq. Israelitæ vero vicissim promittebant se illi obedientes et fideles fore.

UNXERUNTQUE DAVID IN REGEM SUPER ISRAEL. — David ter unctus est in regem Israel : *primo*, secreto in domo patris a Samuele; *secundo*, publice a sola et tota tribu Juda; *tertio*, hic ab omnibus tribubus. David fuit typus Christi, qui tripliciter quoque unctus est : *primo*, gratia unionis personalis, propter quam jus adeptus est in omnes Dei electos, ut eorum princeps et caput; *secundo*, gratia redemptionis in morte : propter quam « Deus exaltavit illum et donavit ei nomen, quod est super omne nomen, » et reipsa regnare cœpit super patres, quos e subterraneis locis eduxit, et

paucos Apostolos atque discipulos; *tertio*, gratia supremi triumphi: Cum « data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, » et Spiritu Sancto misso de cœlo, omnes gentes servierunt ei; et impletur illud indies juxta *Psalm.* II : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ. » Quin et rex triplici jure fuit: *primo*, ut Deus : « Rex regum et Dominus dominantium; » *secundo*, ut homo, filius et successor Davidis regis, unde Nathanael, *Joan.* cap. I, vers. 49 : « Rabbi, tu es rex Israel; » et turbæ venturæ erant *Joan.* cap. VI, vers. 15: « Ut raperent eum et facerent eum regem; » quæ divinitatem ejus non norant : eædemque ingredienti Hierosolymam succlamabant *Joan.* cap. XII, vers. 13 : « Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel; » *tertio*, ut Homo Deus, ex quo dicebat Matthæus, cap. XXVIII : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Ita Noster, Salianus in *Annalibus*, anno Salomonis 2, num. 98.

Vers. 4. 4. FILIUS TRIGINTA ANNORUM ERAT DAVID, CUM REGNARE COEPISSET. — « Filius triginta annorum, » id est, vir triginta annorum. Est Hebraismus, quem explicui lib. I, cap. XI, vers. 1. Hinc patet Davidem fuisse juniorem Jonatha, qui erat quadraginta annorum et amplius, uti ostendi cap. II, vers. 10. Mirum ergo nonnullos censere Davidem fuisse seniorem Jonatha, quibus favet S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXXII, dicens : « David, cum esset prudentior, Jonathæ tamen junioris consiliis acquiescebat. »

Allegorice, David hic uti et in aliis omnibus typus fuit Christi; audi Angelomum: « Quod David triginta annorum regnare cœpit, præfigurabat quod Dominus noster triginta annorum venit ad baptismum, et incipiebat Evangelium regni prædicare; cujus regnum sempiternum, et potestas ejus alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quaterdenis constat, plenitudinem temporum, et rerum perfectionem significat. » Hoc repræsentavit regnum Davidis, quod fuit quadraginta annorum.

ET QUADRAGINTA ANNIS REGNAVIT, — additis septem mensibus; nam septem annis et sex mensibus regnavit super Judam, deinde triginta tribus annis super totum Israel; nisi dicas hos triginta tres annos non fuisse integros, et defuisse eis sex menses; sic enim præcise regnavit quadraginta annis, mortuusque est anno ætatis septuagesimo. Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.* dicunt Davidem regnasse quadraginta annis et sex mensibus; sed hos menses non computari, eo quod David per sex menses Absalomum fugerit, vel morbo laborarit. Planius dicas Scripturam sæpe numeros integros consignare, et fractiones sive minutias numerorum omittere.

Vers. 6. 6. ET ABIIT REX ET OMNES VIRI QUI ERANT CUM EO IN JERUSALEM, — ut ex Hebron sedem regni transferret in Jerusalem, eamque faceret regni et synagogæ metropolim. Vide quæ de Jerusalem dixi *Judic.* cap. I et alibi.

NON INGREDIERIS HUC, NISI ABSTULERIS CÆCOS ET CLAUDOS DICENTES: NON INGREDIETUR DAVID HUC. — Quæres, quinam hi cæci et claudi? *Primo*, nonnulli putant fuisse imagines et statuas cæcorum et claudorum effictas in muris, ut per eas significarent Jebusæi, arcem Sion ita esse celsam et munitam, ut ipsis nihil agentibus, a statuis istis defendi posset. *Secundo*, Aben-Ezra, R. Salomon cæterique Rabbini censent fuisse duas imagines duorum Patriarcharum, unam Isaaci cæci, alteram Jacobi claudi, ut per eas admonerentur Israelitæ fœderis, quod cum Isaac et Jacob eorum, pepigerat Abimelech ipsorum avus, *Genes.* XXVI, ac proinde abstinerent a bello et invasione suæ arcis in Sion. *Tertio*, Burgensis censet fuisse idola, quæ Jebusæi quasi deos tutelares collocarint in muris. *Quarto*, Chaldæus cæcos et claudos accepit non corporales, sed spirituales: qui scilicet mente cæcutirent et claudicarent; unde vertit, *peccatores et culpatos*. *Quinto* et genuine, veri et proprie dicti hic intelliguntur cæci et claudi; tales enim milites, quibus in prælio effossi erant oculi, et tibiæ fractæ, Jebusæi collocarunt in muris et turribus altissimis arcis Sion, præfidentes loci munitioni, ad sarcasmum et hostilem irrisionem Davidis, *q. d.* Frustra tentas, o David, oppugnare nostram arcem quæ ita loci natura munita est, ut a solis cæcis et claudis quos in ea vides, defendi possit. Age ergo, si tibi cor est arcem oppugnare, vola in ejus muros, et ex eis tolle cæcos et claudos, itaque arcem ingredere et occupa; sed scito, post cæcos et claudos, nos oculatos pedibusque et manibus valentes tibi occursuros, et te tuosque e muris deturbaturos: ita Josephus, lib. VII *Antiquit.* cap. II. Procopius, Theodoretus, Angelomus, Abulensis, Serarius et alii. Sic Tyrii, ait Lyranus, in muris Tyri munitissimis constituerunt pygmæos, quasi illi soli eos propugnare sufficerent. *Ezech.* XXVII, 11. Vide ibi dicta.

Cæci et claudi Davidis qui? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto genuine.

Addunt Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.*, et Glossa, Jebusæos a Davide vocatos fuisse *cæcos et claudos*, id est debiles et inermes, ideoque ipsos hoc convicium in Davidem per sarcasmum retorsisse, eique suos cæcos et claudos objecisse, *q. d.* Posuimus in muris nostris defensores cæcos et claudos, quia tu nos cæcos et claudos vocitas; age ergo, experire an tales simus, et cum cæcis et claudis hisce dimica, ac videbis non nos, sed tuos milites fieri claudos et cæcos; est hoc scomma militare. Addunt alii Jebusæos vocasse Hebræos *cæcos et claudos*. Sic enim Manethon: Lysimachus et alii apud Josephum, lib. I *Contra Appion.*, conviciantur Moysen et Hebræos ob lepram, scabiem aliosque morbos a rege fuisse ejectos. Quare Moysen octoginta millia leprosorum, mancorum et mutilorum, v. g. cæcorum et claudorum ex Ægypto eduxisse. Scomma ergo hoc in Hebræos detorserunt Jebusæi, *q. d.*

Vos, Hebræi, cum Moyse vestro estis leprosi, mutili, cæci et claudi, ideoque ab Ægyptiis ejecti; vultis ergo occupare arcem nostram Sion? sane nos experiemini valentiores Ægyptiis, qui vos quasi cæcos et claudos facile hinc propulsabimus. Insultarunt ergo Davidi, *q. d.* Tu cum cæcis et claudis tuis Hebræis non ingredieris huc: facesse ergo hinc, et abi redique ad tuos Ægyptios.

Vers. 7. 7. CEPIT AUTEM DAVID ARCEM SION. — Nota: David conviciis Jebusæorum animum non demisit: sed extulit, ac propositis ingentibus præmiis milites incitavit ad arcem Sion invadendam, qui promissis illecti animose in arcem conscenderunt, eamque occuparunt, ac cæcos et claudos ibidem a Jebusæis positos deturbarunt. Porro David anno primo regni sui super totum Israel, qui fuit vitæ ejus trigesimus octavus, cepit Sion et Jerusalem, ac sedem regni ex Hebron in illam transtulit, in illaque regnavit triginta tribus annis, ut dictum est vers. 5.

Vers. 8. 8. PROPOSUERAT ENIM DAVID IN DIE ILLA PRÆMIUM, QUI PERCUSSISSET JEBUSÆUM, ET TETIGISSET DOMATUM FISTULAS, — id est, tectorum imbrices vel canales, per quos aqua e tectis in terram defluebat, *q. d.* Proposuit David præmium ei qui primus summitates murorum et canalium Sionis apprehendisset, ac eos transiliens in arcem intrasset. Præmium erat ut is fieret dux et princeps militiæ Davidis. Fecit hoc Joab, qui proinde licet ob cædem Abner mereretur hoc principatu privari, tamen ob superatam arcem Sion, quod scilicet primus in eam, non per cedrum ab Hebræis ad hoc excisam, ut nugantur Hebræi, sed per admotas arci scalas conscendisset, meruit a Davide in principatu hoc suo confirmari, ut patet I *Paral.* cap. XI, vers. 6. Cum enim undique scalæ ab Hebræis arci admoverentur, multique per eas in muros evadere contenderent, Joab omnes superavit, primusque in muros ascendit, ut notam sceleris occisi a se Abner hac generositate et victoria deleret, atque Jebusæos arcis custodes occidit ad unum omnes, excepto unico Areuna, qui Judæis erat amicissimus, ait Josephus. Hic enim Davidi vendidit aream in monte Sion, ad fabricandum in ea templum, de quo cap. XXIV.

ET ABSTULISSET CÆCOS ET CLAUDOS ODIENTES ANIMAM DAVID. — Hinc patet veros cæcos et claudos, milites Jebusæos positos fuisse in muris Sionis, quos David per Joab abstulit, et, ut aiunt Septuaginta Romana, *pugione occidit*. Objiciebat Marcion Christum non esse filium Davidis, vel certe ab eo esse degenerem, eo quod David occidisset cæcos et claudos quos Christus sanabat. Respondet Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* XXXVI, Davidem occidisse Jebusæos cæcos et claudos « odientes animam David; » at cæci et claudi curati a Christo non odiebant, sed amabant Christum, ab eoque visum poscebant. Quare *cæci* illi et *claudi* Jebusæi resistentes Davidi repræsentabant, ait Angelomus, Scribas et Pharisæos, qui spiritualiter erant *cæci*, quia non agnoscebant Christum, et *claudi*, quia ad bona opera erant tardi et inepti, quos proinde Christus redarguit et morte æterna punivit, de quibus ipse ait: « Cæci sunt et duces cæcorum, » *Matth.* cap. XV, vers. 14, et cap. XXIII, vers. 13: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. »

Mystice ergo, *cæci et claudi* sunt infideles, hæretici et fideles prave viventes, qui factis negant, quæ se credere profitentur, quique in via Dei claudicant, nunc Deo, nunc mundo servire et placere conantes. Hi non ingrediuntur templum cœleste. Quocirca S. Paulus, *Hebr.* cap. XII, 13, dixit: « Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. » Oremus ergo cum Psalte Deum, « ut non infirmentur vestigia nostra, » *Psalm.* XVII, 37; « et ut ponat pedes nostros quasi cervorum, » ibidem vers. 34; « ut viam mandatorum Dei curramus, » *Psalm.* CXVIII, 32. Sapienter S. Ambrosius, *serm.* 68: « Petrus, ait, petra est super quam ædificatur Ecclesia, ideoque sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmat, uti claudo gressum restituit, *Act.* III, 7; et ut Christianus non jam trepidus et imbecillis possit super petram Ecclesiæ, sed robustus et fortis incedere. »

IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO: CÆCUS ET CLAUDUS NON INTRABUNT IN TEMPLUM. — Hebraice, *in domum*; quod Salianus et alii accipiunt de domo, sive palatio Davidis; Vatablus de arce Sion, *q. d.* Quia cæci et claudi Jebusæi restiterunt Davidi in arce Sion, eumque irriserunt; hinc sanxit David, eisque hanc pœnam statuit, ut nemo eorum deinceps arcem Sion, et domum suam in arce sitam ingrederetur. Verum Noster et Septuaginta domum Dei intelligunt, scilicet *templum*. Porro poterant Hebræi cæci et claudi ingredi templum vetus; nam eos in illo curavit Christus, *Matth.* cap. XXI, vers. 14. David ergo templi ingressu arcuit et prohibuit non Hebræos, sed Jebusæos cæcos et claudos, qui ipsum irriserunt, *q. d.* Vos Jebusæi cæci et claudi superbe insultastis Davidi, quod ipse nequiret occupare arcem Sionis: idcirco ipse ea occupata vobis in congruam pœnam hoc scomma in vos retorquet, statuitque ne quis vestrum in arcem Sion, et multo minus in tabernaculum, vel templum in monte Sion ædificatum ingrediatur; quare vestrum dicterium in proverbium abiit, ut, cum quem stultæ suæ ostentationis meritas dare pœnas, illamque in caput ostentantis retorqueri homines vident, dicant: « Cæcus et claudus non intrabunt in templum, » *q. d.* Hic jactabundus donum suum, quod superbe ostentabat, perdidit, eoque in pœnam jactantiæ suæ spoliatus est. Idipsum tamen ad litteram dicitur a sacerdotibus, qui, si cæci essent vel claudi, arce-

bantur ministerio templi, *Levit.* cap. XXI, vers. 18. Alii putant hoc proverbium dici de re impossibili, ut, cum quid impossibile quis tentat, dicatur ei : « Cæcus et claudus non intrabunt in templum, » *q. d.* Rem impossibilem tentas eamque possibilem efficere satagis, sed frustra. Hic fuit primus actus regni Davidis super totum Israel, scilicet occupatio Sionis, ac regii throni translatio ex Hebron in Sion et Jerusalem. Volebat enim Deus in ea statuere caput regni et synagogæ, eo quod Christus Davidis antitypus in eadem erat prædicaturus et erecturus Ecclesiam, ibique regnum suum spirituale inchoaturus, juxta illud *Isaiæ* cap. II, vers. 3 : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Ecclesia enim est *Sion*, id est *specula*, quia per fidem speculatur Deum in terris, et per visionem eumdem speculabitur in cœlis. Et cap. LXII, vers. 1 : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. »

Vers. 9. 9. ET ÆDIFICAVIT PER GYRUM A MELLO. — De *Mello* et totius Hierosolymæ situ et structura, vide Adrichomium, Ariam et Vilalpandum, lib. II *De Templo*, cap. II, in Apparatu : præfectus hujus ædificationis fuit Joab, I *Paral.* XI.

Porro Chaldæus, *Cant.* cap. VII, vers. 4, vertit : *Ædificavit arcem Sion, quæ vocatur Migdala de Libnan, id est turris Libani, quia omnis qui steterit in ea potest numerare omnes turres quæ sunt in Damasco.* Melius idem cap. IV, vers. 15, ait ipsam Jerusalem vocari *Libanum*.

MELLO. — Hebraice idem est quod plenitudo; unde Hebræi per « Mello » accipiunt locum comitiorum, quia illic congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alii intelligunt aggerem qui cingebat arcem. Alii putant fuisse fossam circa arcem, quæ dicta sit *Mello* quod aqua impleretur. Alii antumant « Mello » fuisse summitatem sive verticem montis Sion. Verum dico cum Josepho, Vilalpando, Saliano, Sanchez, Richardo, Adrichomio et aliis Chorographis : « Mello » erat vorago ac vallis profunda et lata valde, quæ montem Sion a civitate inferiori discernebat, atque a porta aquarum, Occidentem versus, usque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine David montem Sion per gyrum ædificavit ac munivit. Hujus concavitatem Salomon, ut commoda esset platea coæquavit (unde etiam *platea portæ aquarum vocatur*), eamque ædificiis ornavit; quæ collapsa ab Ezechia restaurata sunt. Hic Joas rex Juda a suis servis in descensu Sela occisus est; Josephi autem ætate hæc vallis *Tyropœon* appellabatur, in quam, ut scribit, domus creberrimæ desinebant, eratque latissima, et habitationibus hominum frequentissima; verum nunc vorago ipsa tota repleta est, relictis tamen prioris concavitatis vestigiis, indeque dicta est *Mello*, id est plenitudo, eo quod ruderibus, saxis et domibus impleta esset. Hic enim liber scriptus est post fabricam Sionis et templi, cum jam « Mello » esset « Mello, » id est plena.

13. ET CONCUBINAS. — *Concubinæ* non erant meretrices et pellices, sed secundariæ uxores, utpote inferioris sortis et status, uti jam sæpius monui. Quocirca harum filii non numerantur I *Paral.* cap. III, vers. 9. Vers. 13.

Porro I *Paralip.* III, 6 et 8, repetitur et bis ponitur *Elisama* unus Davidis filius, quia scilicet David duos habebat filios, quibus idem nomen *Elisamæ* indidit, vel quia, priore mortuo, posteriori idem nomen imposuit, ait Vatablus.

17. AUDIERUNT AUTEM PHILISTIIM QUOD UNXISSENT DAVID IN REGEM SUPER ISRAEL, ET ASCENDERUNT UNIVERSI, UT QUÆRERENT DAVID, — ut eum initio regni adhuc invalidum et quasi inermem opprimerent, ne viribus auctis et regno confirmato ab eo opprimerentur, uti ab eo oppressi fuerant occiso Goliath, I *Regum* XVII et seq. Unde David videns se hostibus cinctum, ad Deum confugit, dictavitque psalmum II : « Quare fremuerunt gentes, » etc., ubi ad litteram Philistæorum contra se conspirationem, allegorice Judæorum et Gentium contra Christum et Apostolos conjurationem, suamque et Christi de iis victoriam describit. Vers. 17.

QUOD CUM AUDISSET DAVID DESCENDIT IN PRÆSIDIUM, — id est, locum munitum. Ita Septuaginta, puta *in arcem*, ut vertit Chaldæus et Vatablus, nimirum in arcem Sionis; hæc enim erat munitissima sedes Davidis, juxta quam castrametabantur ejus hostes Philistæi in valle vicina dicta *Raphaim*. Sic Noster, « præsidium » passim sumit pro arce vel loco munito. Aut potius « præsidium » hoc erat arx munita juxta speluncam Odollam, in quam se recipere solebat David, persequente Saule. Ita Vatablus et Salianus.

18. PHILISTIIM AUTEM VENIENTES DIFFUSI SUNT IN VALLE RAPHAIM. — Vallis, quæ adjacet Hierosolymæ, dicta est « Raphaim, » id est Gigantum, a cæsis ibidem a Josue vel quo alio Gigantibus : Septuaginta vertunt, *in valle Titanum*, id est, Gigantum. Alludunt enim ad fabulam Titanum, quam poetæ mutuati sunt a Gigantibus, *Genes.* VI. Fingunt enim ipsi Gigantes fuisse homines vastissimos et superbissimos, qui cum Jove bellarint, ideoque ab eo fulmine percussi sint. Vers. 18.

20. DIVISIT DOMINUS INIMICOS MEOS SICUT DIVIDUNTUR (disperguntur) AQUÆ (vase rupto, vel rivis ex torrente in varias fossas deductis). PROPTEREA VOCATUM EST NOMEN LOCI ILLIUS, BAAL PHARASIM, — id est habens rupturam vel fracturam, *q. d.* Vallis fracturarum, vel planities divisionum. Ita Chaldæus et alii, ubi scilicet Deus divisit et dispersit Philistæos per arma et milites Davidis. Hujus vallis divisionis meminit Isaias cap. XXVIII, vers. 21. Vers. 20.

21. ET RELIQUERUNT IBI SCULPTILIA SUA (idola, sive lares, et deos Penates sive tutelares suos), QUÆ TULIT DAVID, — *et combussit*, ut addit Chaldæus, idque diserte dicitur I *Paralip.* XIV, 12. Lex Vers. 21.

enim *Deut.* VII, 25, idola jubebat comburi. Reppendit David vicem Philistæis : hi enim I *Reg.* V, 2, ceperant arcam fœderis, eamque dicarant deo suo Dagon.

Vers. 23. 23. GYRA POST TERGUM EORUM, ET VENIES AD EOS EX ADVERSO PYRORUM. — Hebraice *bechaim*, quod Aquila et Noster vertit, « pyrorum; » Pagninus et Vatablus vertunt, *mororum*, quæ cum stillant humorem quo turgent, flere videntur; Chaldæus, *arborum;* Septuaginta, κλαυθμῶνος, id est fletus et plorationis, a radice בכה *bacha*, id est flevit, vagiit; unde Josephus, lib. VII *Antiq.* IV, locum hunc vocat, « sylvam fletus; » quod Hebræi apud S. Hieronymum sic explicant, ut locus hic dictus sit *plorationis*, eo quod in eo Philistæi deplorarint tam suam, quam suorum idolorum stragem; idola ergo suis cultoribus sunt omnis miseriæ et fletus causa, ait Angelomus. Adduntque Davidem irrupsisse in castra Philistæorum eo loci, ubi erant idola, in quibus Philistæi maxime confidebant : quare iis illico disturbatis facile reliqua castra disturbasse. Alii censent Philistæorum idola dici fletus, quod iis non nisi lacrymis sacrificari oporteret; alii, quod arbores istæ cum oculis et lacrymis habeant sympathiam; liquorem enim quasi lacrymas distillant, unde et lacrymari dicuntur.

Porro *Clauthmon* nomen erat loci dicti a fletu, ut docent S. Hieronymus, Eusebius, Adrichomius in *Locis Hebr.*, et alii passim : locus hic erat juxta Hierosolymam in valle Raphaim ad occidentem, vel, ut S. Hieronymus, ad septentrionem. Unde hic videtur esse « locus Flentium, » de quo *Judic.* II, 1; ibi enim Septuaginta vertunt κλαυθμῶνα; vide ibi dicta.

Vers. 24. 24. ET CUM AUDIERIS SONITUM GRADIENTIS IN CACUMINE PYRORUM, TUNC INIBIS PRÆLIUM : QUIA TUNC EGREDIETUR DOMINUS ANTE FACIEM TUAM. — Per hunc gressum, *primo* Josephus et Theodoretus intelligunt ipsarum arborum in cacuminibus agitationem, cum nullus flaret ventus. *Secundo*, Hebræi apud S. Hieronymum compactionem et deletionem idolorum per Angelos. *Tertio* et genuine : Angeli quasi Dei legati, et duces belli, excitabant fragorem quemdam in verticibus arborum, perinde ac per eos incessissent et processissent ad prælium, pugnaturi cum Davide contra Philistæos, ut ipsi percellerentur cum a fronte tot et tantos hostes sibi imminere audirent, et a tergo instantem Davidem adverterent; unde Chaldæus vertit : *Cum audieris vocem clamoris in capitibus arborum, tunc confortaberis; quia tunc exibit Angelus Domini ad prosperandum ante te, ut occidat castra Philistæorum.*

Cur in pyris apparuit Angelus ? Vide hic mirum Dei a Davide invocati in prælio auxilium et præsidium : voluit enim Deus pro suo Davide pugnans, ut Philistæi concluderentur hinc pyretis, inde exercitu Davidis, ut ipse strepitu Angelorum, quem ipsi quasi armati progredientes ex adverso Philistæorum edebant, in pyrorum arboribus, quasi valida hostium manu eos invadente perculsi diffugerent, et in Davidis manus inciderent, ibique partim ab eo, partim ab Angelis Davidis tutelaribus cæderentur. Ita Abulensis et alii. Sed cur Deus signum hoc dedit in sonitu pyrorum, potius quam amigdalorum, cerasorum, ficuum, etc. Respondeo *primo*, quia Resp. Primo. juxta Jerusalem in valle Raphaim erat copia pyrorum, adeo ut pyretum hoc dictum sit *vallis pyri*, teste Adrichomio in *Descriptione Jerusalem*, num. 238. Ita Lyranus. *Secundo*, quia pyri celsio- Secundo. res sunt ficubus, cerasis, amygdalis, etc., unde magis conveniebant Angelis, qui ex celsis cœlis in pyros descendebant, ut excelsum et cœlestem strepitum in pyris excitarent, quo Philistæi percellerentur, cogitantes Angelos e cœlis contra se pugnare. *Tertio*, quia pyrus est mascula, et mas- Tertio. culi saporis, ita ut pomus femina esse videatur; unde repræsentat eos qui masculo sunt animo et virtute, quales sunt Angeli et Apostoli. *Quarto*, Quarto. quia *pyrus* dicta est quasi *pyra*, eo quod flammæ similitudinem reddit e lato in acutum tendens, ait Sipontinus. Sic flammei sunt Angeli et Apostoli, juxta illud : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Psal.* CIII, vers. 4, *Hebr.* I. *Quinto*, in pyris est proprietas vini, Quinto. ait Plinius, lib. XIV, cap. XIV, præsertim in falernis ita dictis a potu, quoniam tanta vis succi abundat. Sic Apostoli recepto Spiritu Sancto videbantur musto pleni, *Actor.* II, æque ac Angeli. *Sexto*, Sexto. pyra sunt densa, ideoque ponderosa, adeo ut nonnulla dicantur libralia. Adhæc pyrorum multæ sunt species. Denique « serotina ad hiemem usque ad martem pendent gelu maturescentia, graca, ampullacea, laurea, » ait Plinius; sic graves, varii et perdurantes, imo æterni sunt Angeli.

Simili modo Angeli ex alto pugnarunt contra Pharaonem pro Moyse, *Exodi* XIV, 24, et contra Chananæos pro Josue, cap. X, vers. 14, et pro Barac contra Sisaram, *Judic.* V, 20, et pro Juda Machabæo contra Lysiam, II *Machab.* XI, 8.

Tropologice Angelomus : « Per sonitum gradientis in cacumine pyrorum, inquit, adventum Domini significat super celsitudinem Prophetarum et Apostolorum, virtute divinitatis suæ supergradientem sicut in Canticis Canticorum scriptum est cap. II : Ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles. Pyrorum autem cacumina arborum significant summitates. Quid per arbores nisi sublimes Patres intelliguntur? in quorum cacuminibus dum sonitus auditur, id est, dum in sublimitate vitæ sonus, flante Spiritu Sancto, prædicationis intonuit, David noster virtute suæ divinitatis, qua celsitudinem Sanctorum transcendit, Philistæos, id est, immundos spiritus superavit. »

25. PERCUSSIT EOS DE GABAA, — quæ alibi vo- Vers. 25 catur *Gabaon* vel certe Gabaa vicina erat Gabaon.

USQUE DUM VENIAS GEZER, — quæ erat urbs Philistinorum, ait Josephus, et patet III *Reg.* IX.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam fœderis religiose solemni pompa ex domo Abinadab transfert in domum Obededom; inde, vers. 14, *in Sion ludens et saltans coram ea: unde ipsum irridet uxor Michol, vers.* 20, *sed eam arguendo compescit David.*

1. Congregavit autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia. 2. Surrexitque David, et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam. 3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum, tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem et Ahio filii Abinadab minabant plaustrum novum. 4. Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam. 5. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis. 6. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. 7. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. 8. Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, et vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc. 9. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? 10. Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David; sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. 11. Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus; et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus. 12. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio; et erant cum David septem chori, et victima vituli. 13. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem et arietem. 14. Et David saltabat totis viribus ante Dominum; porro David erat accinctus ephod lineo. 15. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in jubilo et in clangore buccinæ. 16. Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino, et despexit eum in corde suo. 17. Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi quod tetenderat ei David; et obtulit David holocausta, et pacifica coram Domino. 18. Cumque complesset offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19. Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo; et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. 20. Reversusque est David, ut benediceret domui suæ; et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. 21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum ejus, et præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel; 22. et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum; et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

Vers. 2. 2. UT ADDUCERENT ARCAM DEI — ex Gabaa in Sion, tum ut David haberet arcam apud se, et coram ea Deum religiose coleret et invocaret; tum ut magis honoraretur arca et Deus in ea, utpote in urbe regia; tum ut evaderet maximas calamitates, quas Deus Israeli immiserat ob neglecte habitam arcam in Gabaa, ait Josephus, licet id neget Abulensis.

SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN DOMINI EXERCITUUM. — Est Hebraismus, *q. d.* Quæ vocatur arca Domini, qui dicebatur sedere super alas Cherubim, sive super propitiatorium, ita ut haberet arcam pro scabello pedum suorum; quia inde Angelus in assumpto corpore de nube pro Deo dabat oracula et responsa. Ita Abulensis, Vatablus et alii.

Vers. 3. 3. ET IMPOSUERUNT ARCAM DEI SUPER PLAUSTRUM NOVUM. — Fuit error Davidis ex ignorantia, vel potius Levitarum peccatum; quia arca non debebat vehi plaustro, sed portari humeris sacerdotum vel Levitarum, ut patet *Numer.* IV, 15 et seq.

TULERUNTQUE EAM DE DOMO ABINADAB, QUI ERAT IN GABAA. — «Gabaa» erat locus vel collis in urbe Cariathiarim : ibi enim erat domus Abinadab et arca, ut patet I *Reg.* cap. VII, vers. 1.

MINADANT (agebant, ducebant) PLAUSTRUM, — Oza et Ahio fratres, quod Abinadab pater eorum jam erat mortuus, ut ex hoc loco colligitur.

Vers. 6. 6. VENERUNT AD AREAM NACHON. — Ita Hebræi, Aquila, Angelomus et alii, licet Septuaginta Romæ correcti habeant *Machor*, pro quo I *Paral.* cap. XVIII, vers. 9, legitur *Chidon,* quia ibidem scutum suum, quo hostes profligavit, Josue cap. VIII, 18 posuit, ait S. Hieronymus in *Tradit.;* sive quia Nachon erat nomen viri et heri areæ, qui alio nomine vocabatur *Chidon.*

EXTENDIT OZA MANUM AD ARCAM DEI, ET TENUIT EAM, QUONIAM CALCITRABANT BOVES. — Oza non erat sacerdos, ut vult Angelomus et Glossa, sed Levita, ut docet S. Hieronymus, epist. *ad Sabinianum;* S. Gregorius, lib. V *Moral,* cap. X; Auctor *Mirabilium S. Scripturæ,* lib. II, cap. XII; Josephus, Serarius et alii, idque satis liquet ex I *Paral.* cap. XXVI, vers. 15. Quare mirum est D. Soto in IV dist. XIII, *Quæst.* III, cui favet Sanchez, asserere Ozam non fuisse Levitam, sed laicum.

CALCITRABANT BOVES, — id est calcitrando videbantur dejecturi arcam in terram; Septuaginta, *circumflectebat eam vitulus;* Chaldæus, *propulerant eam boves;* Vatablus, *declinabant eam.* R. Kimchi ex R. Jona censet boves ob sanctimoniam arcæ viribus destitutos cœpisse deficere et fatiscere, ut membra et junctura eorum viderentur luxari, dissolvi et dividi, eo quod non boves, sed Levitæ deberent humeris suis gestare arcam. Verum lib. I *Paral.* cap. III, vers. 9, alia causa datur, cum dicitur : « Bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam. »

Vers. 7. 7. IRATUSQUE EST INDIGNATIONE (id est vehementer iratus et indignatus est) DOMINUS, ET PERCUSSIT EUM SUPER TEMERITATE. — Quæres, quare a Deo occisus sit Oza, cum arcam labantem sustentaret, quod erat officium religiosum? R. Salomon respondet eum percussum ob peccatum Davidis, qui arcam plaustro imposuerat. Sed hoc est improbabile. Rursum Theodoretus ait eum occisum ob prævium aliquod peccatum nobis ignotum et occultum, præsertim quod in eo existens ausus sit tangere arcam, ait Auctor *Mirabil. S. Scripturæ,* lib. II, cap. XII (1). Cur occisus Oza?

Verum alii certum peccatum assignant; sed varii varium. *Primo,* S. Hieronymus, *epist.* 48, hoc dat, quod Oza arcam humeris non portarit, sed plaustro vexerit. Addunt alii quod id fecerit prava Philistæorum imitatione, de quo lib. I, cap. VI et VII. Ita Theodoretus, Procopius, Lyranus. *Secundo,* alii apud Abulensem, quod ipse arcam tangeret illo die, quo nocte præcedente cum uxore rem habuerat, ideoque immundus esset et irregularis; nam et Gentilium sacerdotes, dum sacrificabant, debebant esse casti, teste Macrobio, lib. I *Satur.* cap. XXIII. *Tertio,* quod eam tangeret non examinata et expurgata prius conscientia, ait Paianus in *Paræsi. Quarto,* alii cum Abulensi censent eum percussum ob irreverentiam, quod irreverenter tetigerit arcam, idque sine necessitate; levis enim erat boum calcitratio, nam ut dicitur I *Paral.* XIII : « Bos, etc., paululum inclinaverat arcam. » Addunt, vel potius fingunt Rabbini, quod arca potius portaret quam portaretur. *Quinto,* alii, quod arcam tetigerit, cum non esset indutus Ephod et vestibus sacris. *Sexto* et verius, quod Oza non erat sacerdos, sed Levita; solis autem sacerdotibus licebat tangere arcam, ut diserte asserit Josephus, qui erat sacerdos, ideoque legis apprime peritus, lib. VII *Antiq.* cap. IV; ideoque clare exprimitur *Num.* cap. IV, vers. 15, et cap. XVIII, 3, ubi jubentur sacerdotes arcam velo obvolvere, et vectes per angulos arcæ immittere, ne videlicet Levitæ arcam humeris portantes, eam contingerent, idque sub pœna mortis. Et hoc est quod dicitur : « Percussit eum super temeritate. » Ita Josephus et Ribera, lib. III *De Templo,* cap. III. Addit Serarius Ozam tetigisse arcam nudam : licet enim ipsa obducta esset velis, tamen vela hæc non erant colligata, sed ita superposita, ut huc illuc vento aut plaustri agitatione agitarentur et ventilarentur. Cum ergo boves calcitrarent, inclinarunt in unam partem velamina, sicque accurrens Oza per imprudentiam et incautum zelum nudam arcæ partem tetigit. Ad hoc enim debuissent evocari et adhiberi sacerdotes, qui videntur non affuisse, quia nulli hic nominantur; idque satis insinuat David, I *Paralip.* cap. XV, vers. 13 : unde Angelomus et Glossa aiunt eum præsumptuose et incaute tetigisse arcam. Salvianus, lib. VI

Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto verius.

(1) Quidam censent Oza Levitam esse, utpote filium Aminadab; soli vero familiæ Caath fœderis arcam tribus velis tectam tollere licitum erat.

De Providentia : « Oza, inquit, ille Levites Dei, ipso in officio inofficiosus fuit, qui injussa præsumpsit. »

Porro Angelomus, Abulensis, Dionysius et alii censent Ozam illa temporali morte castigatum, æternam evasisse. Denique locus iste vocatus est « Percussio Ozæ » ut sequitur, vel « Divisio Ozæ » ut dicitur I *Paral.* cap. XIII, vers. 11. « Divisio, » qua scilicet Deus divisit animam Ozæ a corpore, ac Ozam ab hominibus et hujus sæculi vita; non autem quod ejus brachium aruerit, et ab humeris, quibus arcam ferre debuerat, sit divisum, ut aiunt Rabbini nonnulli; Auctor *Mirabil. S. Script.* eum suffocatum asserit.

Allegorice, hinc disce quanta puritate et reverentia accedendum sit ad S. Eucharistiam, in qua non est manna terrestre, quod erat in arca, sed cœleste et divinum, imo ipse Christus Deus et homo. Audi S. Pacianum in *Parænes.* : « Vos appello qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis, qui ad manus sacerdotis in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis, etc., tanta infuit cura divinæ providentiæ, ut audaces manus, nec ob auxilium sustineret. » Sic et Angelomus.

Morales conclusiones. Prima. Secunda.

Tropologice, varia hinc documenta eliciunt Patres : *primo*, S. Dionysius Areopagita, *epist.* 8, laicos non debere se miscere rebus sacris; *secundo*, non esse tangendas virgines, quæ sunt arca spiritalis Christi. Audi S. Hieronymum epist. 22 *ad Eustochium de custodia virgin.* : « Obtestor te coram Deo et Christo Jesu, et electis Angelis ejus, ne vasa templi Domini, quæ solis sacerdotibus videre concessum est, facile in publicum proferas; ne sacrarium Dei quisquam profanus aspiciat. Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est; neque enim vas aureum et argenteum tam carum Deo fuit, quam templum corporis virginalis. Præcessit umbra, nunc veritas est. » Idem, epist. 48 *ad Sabinianum sollicitatorem virginis* : « Oza Levites, ait, arcam Domini quam portare ipse debuerat quasi ruentem sustentare voluit, et percussus est; quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es? » *Tertio*, sacra vasa temere non esse tangenda. Ita S. Ephrem, tract. *De Sacerdotio*, tom. I. *Quarto*, superiorum et sanctorum facta, licet nonnihil a recto declinare videantur, non esse a subditis aliisque judicanda. Audi S. Gregorium, lib. V *Moral.* cap. X : « Quid est, inquit, mens justi, nisi arca testamenti? Quæ gestata a bobus calcitrantibus inclinatur : quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit; quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur. » Deinde sanctis idipsum applicans : « Quid est, inquit, justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de incognita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis, errorum lapsum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumide sublevat; quia nequaquam, qui sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde recte et Levites idem Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur; quia præsumptores, quique nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent. »

Tertia.

Quarta.

Symbolice, arca testamenti est S. Scriptura, quam reverenter tangere, id est legere et audire tenemur; et consequenter arca est anima viri in ea eruditi et sancti. Unde S. Antonius de Padua, ob insignem citationem et explicationem S. Scripturæ in prædicando, a Pontifice vocatus fuit « arca testamenti. » Sic et Gennadius, in Catalogo Honorati Episcopi Massiliensis, os vocat « armarium Scripturarum. » Et Cassianus, *Collat.* XIV, cap. X : « Continua, inquit, meditatio Scripturarum mentem facit arcam testamenti. » Et S. Hieronymus, in fine cap. II *ad Ephes.* : « Condatur, ait, in nobis arca testamenti, custos legis Domini, et Cherubim scientiæ multitudo, et interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant, dicamurque *debir*, id est oraculum, sive λαλητήριον, id est locutorium. »

Symbolice, arca est S. Scriptura.

Denique arca testamenti est B. Virgo, quæ Christum novi fœderis et testamenti auctorem utero suo complexa mundo peperit : qui hanc irreverenter tangit, utique percutietur a Deo. Sic Nestorius negans illam esse Deiparam percussus fuit, cum lingua ejus blasphema a vermibus erosa computruit. Sic Constantinus Copronymus illam comparans bursæ, quæ exempto auro non nisi vilis est bursa, carbunculo ictus vociferabatur vivum se inexstinguibili igni traditum esse propter Mariam Deiparam, jubens exinde eam honorari ac celebrari ut Deiparam, ait Glycas ex Cedreno. Vide Paulum Diaconum, lib. XXI, et Zonaram, lib. III. Sic Cajanus mimus blasphemans B. Virginem, ab eadem in somnis correptus, cum se non corrigeret, manibus et pedibus mane se truncatum reperit, uti refert Joannes Moschus in *Prato Spirit.* cap. IV.

Et B. Virgo.

10. DIVERTIT EAM IN DOMUM OBEDEDOM GETHÆI. — Erat hæc domus vel in ipsa urbe Jerusalem, vel in loco urbi vicino, ut ait Josephus, qui et addit Obededom initio fuisse pauperem, sed justum; ac Levitam, idque liquet ex lib. I *Paral.* cap. XVI,

Vers. 10.

vers. 3, et cap. XVI, vers. 15. Dices : Quomodo ergo vocatur hic *Gethæus*, id est Philistæus, hoc est, ut Theodoretus et Procopius, *Allophylus*, id est alienigena? Respondeo, gente erat Judæus, sed domo fuit Gethæus, quod in Geth natus sit vel habitarit, sicut Elimelec Judæus habitavit in Moab, *Ruth* cap. I. Ita Serarius. Porro *Obededom* hebraice idem est quod *serviens, colens* vel *operans rubrum*, ait Pagninus in *Nominibus Hebr.*, idque apposite, ut rubea et ardens ejus devotio, pietas et charitas denotetur.

Mystice, *Geth* hebraice idem est quod *torcular*, quod significat crucem, in qua Christus vitis vera, ait Eucherius, calcari et exprimi dignata est, a qua cunctus gentium populus merito Gethæus appellari potest, cum dicit : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; » arca Dei ergo, ipseque Deus requiescit in anima Gethæi, id est fidelis qui amat crucem et mortificationem.

Vers. 11. 11. ET BENEDIXIT DOMINUS OBEDEDOM, ET OMNEM DOMUM EJUS, — id est prosperavit, et magnis opibus rerumque copia subito eum cumulavit. Ita Josephus. Tradunt Hebræi apud S. Hieronymum omnes ejus uxores, ancillas et nurus peperisse masculos, animalia vero gemellos.

Vers. 12. 12. ADDUXIT (illectus benedictione et felicitate, quam ab arca perceperat Obededom) ARCAM DEI DE DOMO OBEDEDOM IN CIVITATEM DAVID, — in Sion, hæc enim a Davide in urbem exstructa, dicta est civitas David, sicut a Romulo condita dictaque est Roma, a Nino Ninive, ab Alexandro Magno Alexandria, ab Antiocho Antiochia, a Seleuco Seleucia, a Ptolemæo Ptolemais, a Constantino, Constantinopolis.

ET ERANT CUM DAVID SEPTEM CHORI, — musicorum, qui describuntur lib. I *Paral.* cap. XV, scilicet primus, vers. 17; secundus, vers 18; tertius, vers. 19; quartus, vers. 20; quintus, vers. 21; sextus, vers. 22; septimus, vers. 24; ubi « janitores » vocantur Levitæ illi qui arcam antecedebant et sequebantur, ut turbam submoverent, et Levitis arcæ bajulis iter panderent; item ii qui postea in Sion ostiis tabernaculi et templi in quo erat arca, præficiendi erant.

ET VICTIMA VITULI. — Addunt Septuaginta, *et agni*. Hæc verba desunt in Hebræo et Chaldæo. Est enallage numeri : « victima vituli, » id est victimæ vitulorum; erant enim plures, ut patet ex sequenti.

Vers. 13. 13. CUMQUE TRANSCENDISSENT QUI PORTABANT ARCAM SEX PASSUS, IMMOLABAT BOVEM ET ARIETEM. — Ecce hic monitu sacerdotum, qui jam erant præsentes, arca non fuit vecta plaustro, ut factum erat per errorem vers. 3, sed portata humeris Levitarum, puta Caathitarum, uti Deus jusserat *Numer.* IV, 15.

IMMOLABAT, — in gratiarum actionem sospitatis omnium, quod nemo a Deo percuteretur, uti percussus fuerat Oza, atque in supplicem precem, ut Deus continuaret istam suam erga arcam, presbyteros et comites protectionem et clementiam. Unde I *Paral.* XV, 26, dicitur : « Cumque adjuvisset eum Deus ad ambulandum, immolarunt septem tauros et septem arietes, » videlicet per singulos Levitarum psallentium choros unum taurum et unum arietem. Erant enim septem chori. Quatuordecim ergo victimas obtulerunt, ideoque plura altaria erexerunt, in quibus simul omnes immolarentur, cremato duntaxat adipe, quod ex lege fiebat in hostiis pacificis, quales hæ erant; alioqui enim in tot victimis mactandis, excoriandis, secandis, cremandis nimis longa fuisset tantæ processionis mora. Ita Abulensis. Denique Serarius censet ad singulos sex passus has victimas fuisse iteratas. Verum nil tale habet Scriptura, ac sic processio hæc per totum diem, imo per plures dies durare debuisset; magna enim erat distantia a domo Obededom usque ad arcem Sion.

Porro loco citato *Paral.* fusius describitur pompa et jubilus hujus processionis et translationis arcæ. Lege illum : hic tantum obscura quædam, quæ ibi dicuntur, explicabo. Ibidem ergo vers. 20, dicitur de Levitis : « In nablis arcana cantabant; » quod Abulensis et alii accipiunt sic, *q. d.* Cantabant arcana mysteria, ideoque voce submissa, ac verbis involutis et obscuris. Germanius noster Sanchez per *arcana* accipit Psalmos, quorum titulus est עלמות *alamoth*, id est arcana et occulta, quales sunt IX et XLV, qui ita apte solemni huic arcæ translationi congruunt, ut tunc a Davide compositi videantur; unde pro *arcana* in lib. *Paral.* Hebraice pariter est *alamoth*.

Rursum vers. 21, dicitur : « In citharis pro octava canebant epinicium, » id est carmen triumphale pro victoriis de Philistæis a Davide adeptis. Tale carmen sunt Psalmi, qui inscribuntur *Victori*, scilicet Deo et Davidi dicatum, quales sunt psalmi VI et XI. Horum enim tituli ex Septuaginta sunt, *In finem pro octava*, ubi Hebraice est למנצח *lamnatseach*, id est *victori*, vel *vincenti*, ut vertit S. Hieronymus et alii; sed de his plura in Psalmis. Videntur ergo tunc psalmos jam dictos quasi epinicium cecinisse Deo pro Davidis victoriis. Mox versu 22, dicitur : « Chononias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat; prophetiæ, » id est melodiæ; unde explicans subdit : « Ad præcinendum melodiam; » nam prophetare sæpe idem est quod laudare et jubilare Deo. Sic enim Samuel et Saul dicuntur prophetasse, libro I, cap. XIX, vers. 24. Cogita quantus fuerat hic tot instrumentorum et cantorum concentus et harmonia. Inde vers. 26, dicitur : « Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri et arietes. » Hebræi τὸ *adjuvisset*, sic explicant, *q. d.* Deus elevavit arcam super humeros Levitarum, ut illi nullum ejus sentirent onus, sed arca seipsam portare et movere videretur. Verum dico Deum adjuvisse Levitas in gestatione arcæ, quia arca tabulis Decalogi lapideis in se inclusis, æque ac auro quo tegebatur,

erat gravis et ponderosa, ac ascensus in montem Sion erat arduus et difficilis: Deus ergo animavit et roboravit Levitas, ut hilariter et fortiter arcam in ipsam Sionis arcem sursum deferrent. Ita Abulensis, Salianus, Sanchez et alii. Redeamus jam ad nostrum textum et versum.

ET ARIETEM. — Hebraice est מריא *meri*, quod æque ac בריא *bari* significat animal pingue et saginatum, sive bos, sive ovis sit; hic nequit esse bos, quia is præcessit: igitur est ovis; unde Septuaginta hic et alibi sæpe vertunt, *agnum*, qui est aries junior.

Vers. 14. 14. ET DAVID SALTABAT TOTIS VIRIBUS. — Nonnulli codices addunt: « Et David percutiebat in organis armigatis, » id est ad armos sive humeros ligatis, *q. d.* In organis portatilibus: quia enim David simul saltabat et simul organa pulsabat, debebant illa, utpote gravia, ex humero suspendi, ne saltum vel pulsum impedirent. Verum hæc verba delenda sunt cum Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, Romano, Rabano, manuscriptis et aliis passim. Videtur τὸ *armigatis* irrepsisse ex Septuaginta, qui habent in organis ἡρμοσμένοις, id est concinnis et concinne modulantibus.

SALTABAT (Vatablus, *tripudiabat*) TOTIS VIRIBUS (Hebræus et Chaldæus, *in omni fortitudine*) ANTE DOMINUM, — id est, ante arcam Domini. Quid fecisset David, si veram Dei arcam, puta S. Eucharistiam, ipsumque in ea Christum Dominum conspexisset? Et quid facere convenit Christianos, cum eamdem in templis consecrari, et per plateas solemniter circumduci conspiciunt? Si David tanta pompa concrepantibus tot musicis instrumentis, concinentibus tot Levitarum choris cum tot victimis totiusque populi concursu et plausu circumtulit arcam, quid nos facere convenit, cum ipse Christus in Eucharistia circumfertur?

Nota et imitare hic insignem Davidis humilitatem, æque ac devotionis fervorem quo meruit fieri pater Christi; quia in arca typica mentis oculis prospiciebat et honorabat Christum antitypum ex se nasciturum. Ita Eucherius: « Hic, inquit, humilitas approbata, superbia damnata et temeritas vindicata monstratur; quia et ipse David coram arca Domini humiliter saltando non erubuit, mox promissionem Filii Dei ex sua stirpe nasciturі suscipere promeruit, et conjux quæ eamdem illius humilitatem despexit, ejus semine fecundari non merita, perpetuæ sterilitatis pœnam luit. »

Porro S. Ambrosius, lib. I *Apolog. Davidis*, VI: « Docuit, ait, David contuitum regalis potentiæ non habendum, ubi religione exhibetur officium. Honestum est enim pro religione facere, etsi incongruum sit potestati. » Idem, lib. IV, epist. 30 *ad Sabinum*, causam litteralem hujus saltus dat, dicens: « Ludebat enim Domino puer suus, et ideo amplius placuit, quia ita se humiliavit Deo, ut regale post haberet fastigium, et ultimum exhiberet Deo quasi servulus ministerium. » Idem S. Ambrosius, serm. 25 *De Sanctis*, causam hujus saltus sublimem, sed mysticam assignat: « Elatus gaudio, inquit, in saltationem prorupit. Prævidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Unde ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ideo ipse præ cæteris prophetiarum auctoribus plus cantavit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat; et ad propria vota solito dulcius invitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cum ille ante nuptias tanta exultatione saltaverit ante arcam. Ergo saltavit propheta David ante arcam. Arcam autem quid nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra semet legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat, sed et sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. » Audi S. Gregorium, lib. XXVII *Moral.* cap. XXVII (cujus dicta ad verbum more suo transcripserunt. Angelomus et Eucherius): « Intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, a rege proposita exstinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere. Et tamen cum arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. » Et non ita multis interjectis subjicit: « Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. »

Porro saltus hic Davidis fuit militaris, quasi militis pro arca Dei pugnantis, exultantis et triumphantis. Davidem imitati sunt Salii Romani, qui erant sacerdotes Martis, sic dicti, quod in portandis ancilibus saltare solerent; saltus enim militem denotat vegetum, expeditum et animosum. Unde Ovidius, lib. III *Fastorum*:

Jam dederint Saliis a saltu nomina dicta.

Hinc et a Virgilio, lib. VIII *Æneid.*, « exultantes Salii » appellantur. Audi Livium, lib. I: « Numa item Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, et super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiaque arma (quæ ancilia nuncupantur) ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit. »

Denique noster Serarius hic: Qui hodie, ait,

ad nos veniunt ex Syria, testantur Christianos, qui degunt in illis regionibus, die Resurrectionis Domini, nec non aliis celebribus festis, venire in templum cum lyris et citharis, et psalmos inter se cantare, ac una saltare, sobrie tamen et modeste; saltare illos aiunt seorsim viros, et seorsim mulieres. Sic in Hispania et India pueri ante Vener. Sacramentum saltando choros et choreas sacras agunt.

Anagogice S. Ambrosius, pigri desidia torpent, fervidi exiliunt ad multa et magna virtutum opera, ut per ea in cœlum transiliant. « Hæc gloriosa, ait S. Ambrosius, lib. IV, epist. 30 *ad Sabinum*, sapientis saltatio quam saltavit David, et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritualis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo : Sede a dextris meis. » Idem S. Ambrosius, lib. II *De Pœnitentia*, cap. VI, (tomo III) : « Totum decet, inquit, quidquid defertur religioni, ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum et observantiam Christi erubescamus. Non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ prædicatur saltatio; sed qua unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritualiter Paulus, cum se pro nobis extenderet, et posteriora obliviscens, priora appetens, contenderet ad bravium Christi. Tu quoque, cum ad Baptismum venis, manus elevare; pedes quibus ad æterna conscendas, velociores habere moneris. Hæc saltatio fidei socia, gratiæ comes. Hoc est ergo mysterium : Cantavimus vobis, novi utique canticum Testamenti, et non saltastis, hoc est, non elevastis animum ad spiritalem gratiam,» *Lucæ* cap. VII. Idem Ambrosius, lib. VI *in Lucam*, cap. VII, docet hanc Davidis saltationem non fuisse lascivam, scenicam vel histrionicam, sed honestam, modestam et piam. « Est honesta, ait, saltatio qua tripudiat animus, et bonis corpus operibus elevatur. »

PORRO DAVID ERAT ACCINCTUS EPHOD LINEO, — sive « byssino, » ut dicitur I *Paralip.* XV, 27; byssus enim fit ex lino candidissimo et subtilissimo. Nam ephod polymitum vestis erat solius Pontificis, *Exodi* XXVIII, 30. Sacerdotes vero et Levitæ vestiebantur ephod lineo, a quo hoc Davidis, utpote laici, ephod erat diversum.

Vers. 15. 15. DUCEBANT ARCAM TESTAMENTI DOMINI IN JUBILO, ET IN CLANGORE BUCCINÆ. — Addit Josephus, lib. VIII, cap. II, aitque : « Ascenduntque illo cum victimis, tam rex quam universus populus ac Levitæ, libaminibus et multo hostiarum sanguine viam perfundentes, et infinitam vim odoramentorum adolentes, ut circumquaque totus aer suavitate repletus etiam longe remotis sentiretur. » Additque, « divino auxilio ita roboratos omnes in hac supplicatione, ut nemo lassesceret, ex quo constans esset omnium opinio, adventare Deum ad inhabitandum recens exstructum ac dicatum sibi locum; nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lassitudo est oborta, dum ad templum pervenirent. »

Allegorice, arca significabat Ecclesiam novi Testamenti militantem, quam Christus in Sione instituit, ad eamque gentes omnes per Apostolos adduxit, et Judæos in fine mundi adducet. Audi Eucherium : « David arcam in civitatem David inducit; quia Dominus, Henoch et Elia prædicantibus, convertet corda patrum in filios, boves et arietes immolans, hoc est, eos qui arcam Domini triturant, et ovium ejus ducatum gerunt, martyrii sanguine coronans, et ipse quoque suæ incarnationis et passionis exemplum eatenus Judæis non creditum palam manifestans. Hoc enim significat, quod et ipse David accinctus erat ephod lineo, quod de terra procreatum multiplici labore, ad candorem vestis pervenit, sicque veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit. »

Anagogice, arca significabat Ecclesiam Beatorum triumphantem, quam Christus in Sionem cœlestem cum triumpho deduxit, præsertim cum ipse in illud gloriose cum omnibus sanctis Patriarchis et Prophetis quadragesimo die post resurrectionem ascendit. Imo arca Testamenti repræsentabat Christi humanitatem gloriosam, in qua quasi arca continebatur et abscondebatur ejus divinitas. Rursum, arca significabat B. Virginem, quam verus David, id est Christus, cum jubilo Angelorum omnium et Sanctorum in cœlum deduxit et assumpsit.

Vers. 17. 17. ET IMPOSUERUNT EAM IN LOCO SUO IN MEDIO TABERNACULI, QUOD TETENDERAT EI DAVID. — Hoc tabernaculum Davidis novum erat, et diversum ab eo quod fabricarat Moyses, *Exodi* XXV. Hoc enim Mosaicum erat in Gabaon. Fuit ergo a Davide erectum in Sion, ut in eo arcam honorifice collocaret, simulque ante illud erexit altare holocaustorum, in quo victimas immolaret; nam altare a Moyse fabricatum cum tabernaculo mansit in Gabaon, indeque postea a Salomone translatum est in templum a se erectum, ut patet lib. I *Paralip.* cap. XVI, vers. 36 et 40.

ET OBTULIT DAVID HOLOCAUSTA ET PACIFICA CORAM DOMINO, — puta coram arca Domini. Porro David tunc dictavit et cani curavit psalmum XXVIII : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum, » ut patet ex titulo psalmi qui est : *In consummatione tabernaculi*. Tunc pariter constituit Levitas, qui coram arca canerent psalmum : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, » qui recensetur I *Paralip.* XVI, 8, ac conflatus est ex psalmis CIV et XCV, ac insuper alios psalmos.

Vers. 18. 18. BENEDIXIT POPULO, — puta, bene precatus est populo. Verisimile est Abiathar pontificem in tanta solemnitate pariter benedixisse populo, dicendo : « Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem, » uti præscripserat Deus, *Num.* VI, 23.

Vers. 19. 19. ET PARTITUS EST, etc., SINGULIS COLLYRIDAM

PANIS UNAM. — *Collyrida* erat torta panis vel placentæ, cui dulcearia erant mixta ad gustus delicias. Audi Rhodiginum, lib. IX *Antiq.* cap. XVI: «Collyra dicta minuti panes, qui dari pueris consuevere. Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia; unde et κολλυρίζειν verbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur.»

ET ASSATURAM BUBULÆ (id est bovinæ; male ergo in Regiis legitur *bubalæ;* non enim de bubalis, sed de bobus hic est sermo) CARNIS UNAM. — Sic et Septuaginta hic æque ac I *Paralip.* X, 3. Hebraice est אשפר *espar,* quod compositum ex אש *es,* id est igne (*q. d.* Assum igne) et פר *par,* id est juvencus; vel, ut Marinus in *Lexico,* conflatum ex אחד *echad,* id est una, ששה *scissa,* id est sex, et פר *par,* id est juvencus, *q. d.* Una ex sex partibus juvenci; Pagninus vertit, *frustum carnis pulchrum.*

ET SIMILAM FRIXAM OLEO. — Hebraice אשישה *asisa,* quod Vatablus, Pagninus, Arias et alii Hebraizantes vertunt, *lagenam vini.* Hanc enim David pro potu eis dedit cum cibo. Verum Noster hic æque ac Septuaginta, tam hic, quam I *Paralip.* cap. XVI, vers. 3, constanter vertunt, *similam frixam oleo,* quibus utpote priscis et Hebraicæ linguæ peritissimis, magis credendum est, quam recentioribus conjectantibus. Vide dicta *Cantic.* cap. II, vers. 5, et *Osee* cap. III, vers. 1. Potum eis ergo non dedit David, sed sivit ut quisque eum domi ad libitum sumeret, vel si dedit, is hic non exprimitur.

Vers. 20. 20. REVERSUSQUE EST DAVID UT BENEDICERET DOMUI SUÆ, — ut sicut populo bene precatus fuerat, ita bene precaretur suis quoque domesticis qui custodiæ causa in arce remanserant. Rursum, «ut benediceret,» id est benefaceret largiendo ipsis eadem vel plura munera quæ largitus fuerat singulis e populo ob celebritatem et lætitiam translatæ arcæ. Ita Serarius, Cajetanus, Abulensis et alii.

ET NUDATUS EST QUASI SI NUDETUR UNUS DE SCURRIS. — «Nudatus,» non quod David omnino esset nudus; hoc enim indecens et turpe fuisset, sed quod deposuisset extimam vestem regalem ut indueret ephod; perinde ac si hodie rex deposito paludamento vestitus thorace, et caligis duntaxat desuper indueret superhumeralem amictum lineum, itaque in processione vel sacrificio Missæ appareret, ac cum cantoribus superpelliceo vestitis caneret. Ita Cajetanus. Michol erat filia regis Saulis, et uxor regis Davidis; unde indignum putabat regia sua et Davidis majestate, quod ipse saltaret ante arcam. «Nesciebat ipsa, ait Theodoretus et Procopius, divini amoris stimulos, qui magnos etiam ad parva excitant.»

Allegorice Angelomus : David transferens arcam, a Michol irrisus est. «Sic Dominus Jesus Christus, inquit, cum testamentum Dei in Ecclesiam suam transferre voluit, hoc est, ex veteri Testamento Evangelica præcepta; velut qui nova conderet, a plebe Judaica comprehensus, atque in cruce suspensus, ludibrium eis fuit. In qua cruce velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit.»

22. ET LUDAM ET VILIOR FIAM (S. Ambrosius, lib. I *Apolog. Davidis,* cap. VI, legit: «Ero nugax ante oculos tuos») PLUS QUAM FACTUS SUM; ET ERO HUMILIS IN OCULIS MEIS ET CUM ANCILLIS DE QUIBUS LOCUTA ES, GLORIOSIOR APPAREBO; — vera enim gloria est humilitas, quæ Davidem et sanctos gloriosos effecit, dum per heroicam demissionis virtutem se inferioribus associant et quasi æquant, cum eisque abjecta et in speciem vilia obeunt ministeria ad Dei honorem et cultum. Audi S. Gregorium (cujus verba transcribunt Eucherius et Angelomus) lib. XXVII *Moral.* cap. ult., ubi Davidis sensa sic explicat : «Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi nil se esse nisi pulverem favillamque perpendunt; sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, et contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, dejectos se exhibendo, contemnunt; sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito, ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella, magna David circumspectione deprehendit, mira virtute superavit.» Probat idipsum dum subjicit : «Quia enim de semetipso intus humilia sentiens honorem exterius non quærit, insinuat dicens : Ludam et vilior fiam. Et quia per hoc quod vilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adjungit : Eroque humilis in oculis meis; ac si dicat : Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me et interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat, et tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens : Eroque humilis in oculis meis.» Vers. 22.

Tropologice S. Bernardus, epist. 87 *ad Ogerium :* «Ludam, inquit, ut illudar. Bonus ludus quo Michol irascitur et Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus quo efficimur opprobrium abundantibus et despectio superbis. Nam revera quid aliud sæcularibus, quam ludere videmur, cum quod ipsi appetant in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus; et quod ipsi fugiunt, nos appetimus.» Et nonnullis interjectis : «Non est hic ludus puerilis; non est de theatro, qui femineis fœdisque anfractibus provocet libidinem, actus sordidos repræsentet. Sed est ludus jucundus, Ludus sanctorum est mundo illudere.

honestus, gravis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus Angelis et hominibus. Hoc ludo et nos interim ludamus ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit et exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet. »

Vers. 23. 23. IGITUR MICHOL FILIÆ SAUL NON EST NATUS FILIUS USQUE IN DIEM MORTIS SUÆ. — Michol, ait S. Ambrosius, lib. IV, epist. 30 *ad Sabinum;* « sterilitatis damnata non edidit sobolem regiam ne superbos crearet » sibi similes, utpote superba. Communiter docent interpretes Michol nec ex Davide, nec ex Phalti, nec ex alio viro ullos procreasse liberos. Videtur Michol naturæ fuisse sterilis; nam per undecim annos nupta Davidi hucusque nullos ei dedit filios, quod sterilitatis vitium Deus illi hic in pœnam irrisionis Davidis confirmavit. Addit Pineda, lib. VII *De Rebus Salomonis,* cap. IV, Davidem deinceps ejus usu et copula maritali abstinuisse; sed hoc incertum est.

Dices : Cap. XXI, vers. 8, numerantur quinque filii Michol. Nugantur Rabbini, dicentes Michol tantum fuisse sterilem eo tempore quo irrisit Davidem. Verius Hebræi prisci apud S. Hieronymum et Abulensem respondent illos filios fuisse ex ipsius sorore Merob, sed ab ipsa adoptatos; Josephus vero non ex Davide, sed ex altero viro susceptos vult. Si enim, aiunt Theodoretus et Procopius, ex Davide et ipsa nati filii fuissent, facilius in reges postea fuissent ascripti, quia et patrem regem et matrem regis filiam habuissent. Sed prior Hebraica responsio est verior, ut patebit cap. XXI, vers. 8.

Symbolice, Michol repræsentat Paganos, Judæos, Hæreticos cæterosque impios qui Ecclesiæ fidem, cæremonias, piorumque hominum facta irrident et calumniantur. Ita Eucherius, Angelomus et S. Ambrosius, lib. I *Apolog. Davidis,* cap. VI. Unde *Michol* hebraice idem est quod *omnis aqua,* ait Eucherius; aqua autem symbolum est persecutionis et persequentium, qui ut aqua in vitia carnalia diffluunt, ideoque veros, pios et spirituales quasi sibi ex diametro adversos persequuntur.

Denique, sensus Michol fuit sensus Gentilium, qui indignum regum æque ac deorum majestate censebant canere, psallere, choros agere. Tritum est illud : « Jupiter non cantat, nec citharam pulsat. » Philippus rex filium suum Alexandrum Magnum reprehendit, eo quod cantasset. Nero quoque ob cantum male audivit, teste Suetonio. At contrarius fuit in divinis fidelium etiam magnatum zelus et usus. Ut alios taceam, ante centum annos Thomas Morus Angliæ Cancellarius et martyr Davidem imitatus est. Audi quid de eo scribat Thomas Stapletonius in ejus Vita, cap. VI, pag. 87: « Sed et in ipsa sua ecclesia sacerdoti canenti indutus superpelliceum concinebat. Quod cum etiam regni Cancellarius faceret, monitus a Duce Northfolciæ, qui aliquando superveniens eum sic cum superpelliceo in choro canentem deprehenderat, hunc ejus agendi morem regi haud dubie displiciturum, ut nimis humilem, ac dignitati qua fungeretur minus congruum, respondit: Domino meo regi displicere non potest, quod ipsius regis Domino obsequium impendo. Jam vero sacerdoti sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat; et interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochiæ suæ, crucem sacerdoti præferebat, vulgaris clerici vel æditui officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imo vehementer gaudens; quasique cum David tripudians ante arcam Domini et dicens : Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. » Hucusque Stapleton. Thomæ Mori pietas.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David destinat fabricare templum, idque probat Nathan propheta; sed admonitus a Deo id revocat, asseritque non Davidem, sed filium ejus Salomonem templum ædificaturum. Secundo, Deus Davidi, vers. 16, *promittit posteritatem continuam et regnum perpetuum.*

1. Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, 2. dixit ad Nathan prophetam : Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? 3. Dixitque Nathan ad regem : Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est. 4. Factum est autem in illa nocte; et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: 5. Vade, et loquere ad servum meum David : Hæc dicit Dominus : Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc; sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio. 7. Per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis

Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens : Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc dices servo meo David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel; 9. et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua; fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius; nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, 11. ex die qua constitui judices super populum meum Israel; et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis; prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. 13. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. 15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. 17. Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David; 18. Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 19. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum; ista est enim lex Adam, Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum, Domine Deus. 21. Propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo. 22. Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris. 23. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia et horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et Deum ejus. 24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum, et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo, Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum ejus, suscita in sempiternum, et fac sicut locutus es, 26. ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur : Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino, 27. quia tu, Domine exercituum Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens : Domum ædificabo tibi; propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac. 28. Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera; locutus es enim ad servum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te, quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

Idem narratur et repetitur I *Paralip.* cap. XVII, quod proinde totum huc pertinet.

Vers. 2. 2. ET ARCA DEI POSITA SIT IN MEDIO PELLIUM?— Tabernaculum enim in quo erat tegebatur pellibus arietum rubricatis et ianthinis instar papilionis, *Exodi* XXVI, 14, *q. d.* Hoc indignum videtur, volo ergo ædificare templum magnificum, ut in eo honorifice collocem arcam Dei. Porro David fabricam templi non tantum voluit, sed et vovit, ut patet *Psalm.* CXXXI, 2 et seq. Josephus asserit Davidem voluisse ex Dei præcepto; sed errat : nusquam enim Deus præcepit ei ut templum fabricaret, imo volentem inhibuit, ut patet vers. 5. Voluit ergo vovitque David hanc fabricam ex mero ardentique devotionis Deique cultus zelo, qui eum adegerat ut ante arcam coram toto populo totis viribus saltaret, indeque in dies crevit in eo hic zelus, præsertim quia præsente arca ipse majora Dei in se indies experiebatur beneficia. Quare indignum judicabat ut ipse habitaret in domo cedrina, Deus vero Deique arca degeret in tabernaculo pelliceo et papilione.

Historiam hanc ita narrat Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *Præpar. Evang.*, sub finem : « Cum vellet David templum ædificare Deo, rogavit Deum ut locum ei altaris ostenderet. Ibi ei Angelus apparuit stans super locum ubi altare statuerat Hierosolymis, jussitque ei templum non statuere, quod humano sanguine pollutus esset, multaque bella gessisset. Nomen vero illi fuit Dianathan, eique imperavit ut filio ædificationem permitteret, ipse vero, quæ ad apparatum pertinerent, adornaret. »

Vers. 3. 3. DIXITQUE NATHAN AD REGEM : OMNE QUOD EST IN CORDE TUO, VADE, FAC. — Nathan erat propheta Davidi familiaris, et a consiliis, teste S. Epiphanio, Isidoro et Dorotheo in *Vitis Prophetarum;* sed quia hic Deum non consuluit, hinc nec a Deo fuit illustratus, sed erravit; errorem tamen illico admonitus a Deo correxit. Sic Prophetæ subinde loquuntur ex instinctu non Dei, sed judicii et spiritus proprii, imo propter usum prophetiæ putant se loqui ex spiritu Dei, cum loquantur ex suo; tumque errare possunt, et quandoque errant, uti docet Theodoretus hic, et S. Gregorius, homilia 1 *in Ezechielem,* ac D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXI, art. 5. Causam dat Angelomus dicens : « Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate; ut accipientes spiritum, inveniant quid de Deo sint, et rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint. »

Vers. 5. 5. NUMQUID TU ÆDIFICABIS MIHI DOMUM? — Volitum votumque Davidis de fabricando templo quoad rem probavit laudavitque Deus, ut religiosum et pium sanctumque, sed non quoad personam. Noluit enim illud a Davide fabricari, sed a Salomone. Causa assignatur I *Paralip.* cap. XXII, vers. 8, scilicet quod David continuus in bellis multum effuderat sanguinis : quare indecens erat ut David tanto hominum sanguine cruentatis manibus fabricaret Deo purissimo, mansuetissimo, sanctissimo et clementissimo domum, sive templum. Idipsum ergo voluit fieri a Salomone, qui pace fruens fuit rex pacificus, ideoque typus Christi, qui venit in mundum totus mitis et benignus, ut Ecclesiam fidelium Deo exstrueret, eamque in pace gubernaret, juxta illud : « Factus est in pace locus ejus. » Ita Eucherius, Rupertus et Prosper, *De Promis.* part. II, cap. XXVII.

Tropologice significatur, ait ex S. Gregorio, lib. VII *Moral.* cap. XVI, Angelomus, quod « qui vir sanguinum est, hoc est, qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per prædicationis officium construere non debet; seu etiam moraliter innuitur, quod mundus in se esse a vitiis debet, qui aliena curat corrigere; terrena non cogitet ut desideriis infimis non succumbat, quatenus tanto perspicacius aliis fugienda prævideat, quanto hæc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat; et superjectas sordes tergere non valent manus quæ lutum tenent. »

Simili modo Deus Geizæ duci Hungariæ, qui fuit pater S. Stephani primi Hungarorum regis, volenti ædificare templum idipsum per visionem inhibuit : « Habes enim, inquit, manus sanguine pollutas, sed filius tuus Stephanus id faciet, idemque in præmium primus Hungarorum rex coronabitur. » Idem confirmavit S. Stephanus Protomartyr apparens Geizæ, jubensque ut filio nomen suum imponeret, eumque ex se Stephanum vocaret. Hic fuit rex sanctus, qui Hungaros ad Christum convertit. Unde Pontifex Romanus coronam ei regiam mittens : « Ego, inquit, sum Apostolicus; Stephanus vero est Hungariæ Apostolus. » Ita habet Vita S. Stephani apud Surium ad diem 20 augusti. S. Stephanus rex Hungariæ Apostolus.

Anagogice, significatur Ecclesia triumphans in cœlo gloriose ædificandà a Christo pacifico, in summa omnium Beatorum pace et securitate, unione et concordia, æque ac puritate, innocentia et sanctitate.

7. NUMQUID LOQUENS LOCUTUS SUM, etc., QUARE NON ÆDIFICASTIS MIHI DOMUM CEDRINAM? — Deus noluit ædificari templum a Josue, Gedeone, vel aliquo alio Judice, quia omnes versati in bellis multum sanguinis fuderunt, fuereque viri sanguinum. Ita Angelomus. Vers. 7.

10. ET PONAM LOCUM POPULO MEO ISRAEL, — « locum, » scilicet stabilem et felicem; ut scilicet Israelitæ amplius non vagentur, non abducantur captivi, non miseram vitam agant, uti fecere hactenus vexati a Philistæis aliisque gentibus. Unde explicans subdit : Vers. 10.

ET PLANTABO EUM, — *q. d.* Instar plantæ et arboris radicatæ firmabo Israelem in Judæa, ut in ea firmiter et feliciter conquiescat, ac opulenter et hilariter vivat.

ET HABITABIS SUB EO, — id est in eo, scilicet loco suo, quasi umbraculo, ut eo undequaque tectus, stabilis et securus permaneat.

11. PRÆDICITQUE TIBI DOMINUS, QUOD DOMUM FACIAT TIBI DOMINUS, — « domum, » id est prolem et familiam regiam; illa enim vocatur *domus* antonomastice. Cajetanus per « domum » accipit Messiam, sive Christum, quasi hic Deus promittat Davidi Christum ex se nasciturum. Hoc verum est, at in sensu non litterali, ut vult Abulensis, sed allegorico, quem tamen Deus hic una cum litterali videtur revelasse et patefecisse Davidi, ut patebit ex sequentibus. Vers. 11.

12. CUMQUE COMPLETI FUERINT DIES TUI, etc., SUSCITABO SEMEN TUUM POST TE, — id est suscitabo Salomonem ad regnum ut regnet post te; licet enim Salomon jussu Davidis viventis unctus sit in regem, non tamen plene regnavit Davide vivo, sed unctus est ad hoc ut post eum regnaret, eique mortuo in regno succederet. Vers. 12.

Vers. 13. 13. IPSE ÆDIFICABIT DOMUM NOMINI MEO, — Salomon scilicet, ut patet II *Paralip.* cap. XXVIII, 6. David tamen Salomoni dedit ideam perfectissimam a Deo acceptam totius templi, item maximam auri argentique copiam ad fabricandum templum, ut patet III *Reg.* cap. VIII, vers. 16 et seq., et I *Paral.* cap. XXII, vers. 8 et seq., ac II *Paralip.* cap. XXXIII, vers. 7.

Allegorice Salomon, id est Christus, ædificavit Ecclesiam, quasi regnum et thronum Dei sempiternum, illique Deus verus et proprius est pater, ut sequitur. Unde Angelomus, Eucherius, Rupertus censent hæc per hyperbolen dici de Salomone, proprie vero et integre de Christo. Hujus enim thronus absolute est sempiternus, cum Salomonis thronus respective tantum fuerit sempiternus, nimirum respectu suæ gentis duntaxat, quia scilicet semper duravit, quandiu duravit Israelis respublica et regnum.

Vers. 14. 14. EGO ERO EI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIUM. — Quæres, de quo ad litteram hic Deus loquatur, an de Salomone, an de Christo? *Primo,* aliqui putant quædam ex hisce quæ hic dicuntur, ad litteram competere Christo, quædam Salomoni. Ita Theodoretus et Procopius. *Secundo,* alii omnia ad litteram attribuunt Christo; ille enim est solus verus Dei Filius, et regnum ejus æternum. Ita Angelomus et Glossa. *Tertio,* Lyranus et Abulensis hæc ad litteram accipiunt tam de Christo quam de Salomone.

Quarto, Hebræi et multi ex Latinis ad litteram interpretantur de Salomone, allegorice de Christo. Hæc sententia verior est, ut patet ex lib. I *Paralip.* cap. XXVIII, vers. 6, ubi hæc omnia Salomoni expresse attribuuntur : « Salomon, inquit, filius tuus ædificabit domum meam; ipsum enim elegi in filium, et ego ero ei in patrem, et firmabo regnum ejus usque in æternum. » Et patet, quia Deus loquitur de eo qui post Davidem erat fabricaturus templum, quod ædificare volebat David, sed prohibitus fuit a Deo. Hic autem non alius fuit, quam Salomon. Verum, quia Salomon erat typus Christi, qui ædificaturus erat Ecclesiam novam Dei, quæ longe erat potior templo, idque in spiritu prævidebat Propheta, eoque aciem mentis et spiritus sui intendebat; hinc allegorico, sed potiore sensu hæc dicuntur de Christo : unde nonnulla, quæ hic dicuntur, tenuiter et inchoate duntaxat competunt Salomoni; plene vero et perfecte Christo, ut τὸ *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium;* et : *Firmabo thronum regni ejus usque in sempiternum.* De fide ergo est hunc locum intelligi de Christo. Nam de eo explicat illum S. Paulus, *Hebr.* cap. I, vers. 5, ubi fuse eumdem explicui. Unde S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate,* cap. VIII et IX, asserit hic quædam dici de Salomone uti erat privata persona; quædam vero uti erat typus Christi. Vide hic quam tenere et ardenter dilexerit Deus Salomonem, ut illum præ omnibus sibi asciscat in filium, velitque ejus esse pater, ac paterna in eum officia exercere.

QUI SI INIQUE ALIQUID GESSERIT, ARGUAM EUM IN VIRGA VIRORUM, ET IN PLAGIS FILIORUM HOMINUM, — quibus scilicet homines solent castigare suos filios, ut eos non occidant, sed emendent, *q. d.* Castigabo Salomonem, si peccet, paterne ut pater, non severe et rigide ut judex. Rursum, castigabo eum sicut castigare soleo homines, scilicet humano more, pœna humana, temporaria et clementi, puta morbo, fame, bello; non autem sicut castigavi angelos, quos cœlesti regno privavi, et gehennæ in æternum addixi; nec sicut castigavi Saulem, quem abjeci et regno spoliavi irremissibiliter et in æternum. Hinc Burgensis et alii colligunt Salomonem non esse damnatum, sed salvatum; verum hic proprie non agitur de salute, sed de regno Salomonis perpetuando in posteros, quandiu duratura erat Hebræorum respublica et regnum; unde explicans subdit :

Vers. 15. 15. MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON AUFERAM AB EO, SICUT ABSTULI A SAULE, QUEM AMOVI A FACIE MEA.

Vers. 16. 16. ET FIDELIS ERIT DOMUS TUA ET REGNUM TUUM USQUE IN ÆTERNUM. — *Fidelis* hebraice נאמן *neeman,* id est firma, stabilis, perennans, æterna, juxta sensum quem dedi vers. 13. Et hoc significat Græcum πιστωθήσεται.

Allegorice, de Christi persona hæc dici nequeunt; fuit enim ipsa impeccabilis, sed de ejus membris, puta fidelibus, quos peccantes Deus clementer castigat quasi pater, ut eos emendet.

Vers. 18. 18. INGRESSUS EST AUTEM DAVID ET SEDIT CORAM DOMINO, ET DIXIT : QUIS EGO SUM, DOMINE? — nimirum sedit in tabernaculo coram arca Dei, non ob desidiam, vel mollitiem, sed ut quietius, secretius, attentius et intentius oraret, totumque cor suum coram Deo effunderet. Ad hæc enim juvat sessio. Ita S. Augustinus loco mox citando, et ex eo Eucherius : « Sedit, inquit, sive propter secretum semotis arbitris, sive propter intimum cordis, ubi erat orantis affectus. » Sic S. Bernardus sedendo solebat meditari, tum quia corpore erat infirmo, lasso et debili; tum ut silentius, quietius, devotius et diutius meditaretur. Corpore enim quiescente, quiescit et spiritus, ut libere totus Deo attendat et intendat. Addunt Sanchez et alii Davidem sedisse non in solio aut sede, sed humi in terra et pulvere, idque studio humilitatis æque ac reverentiæ Dei, uti fecit *Job* cap. II, vers. 8 et 13. Et Jerusalem vastata a Chaldæis, ideoque lugens et pœnitens juxta illud *Thren.* cap. I, 1 : « Quomodo sedet sola civitas. » Quocirca Josephus ait Davidem in faciem suam procidisse, et statum humi more supplicantis orasse Deum.

David sedendo orarit, cur?

Aliam sessionis Davidis causam dat Vatablus, dicens : « Nemini sedenti licebat orare Deum, nisi regi. » Sed hoc falsum est. Nam et Elias qui non erat rex, sedens sub junipero oravit Deum, III *Reg.* cap. XIX, 4, et *Psal.* CXXXVI, 1, Hebræi in Babylone captivi plangentes et orantes dicunt : « Illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion. »

Et Moyses, *Exodi* cap. XVII, vers. 12, sedens orabat, vincebatque Amalec : sedit ergo David animo magis quam corpore, tacite et tranquille Dei in se beneficia meditando, et gratias agendo, juxta illud *Thren.* cap. III, vers. 28 : « Sedebit solitarius, et tacebit; quia levavit super se... » Unde Angelomus : « Sedere coram Domino, inquit, est beneficia ejus in humilitate cordis confiteri. »

S. Simplicianus, qui S. Ambrosio in Episcopatu Mediolanensi successit, proposuit hanc quæstionem S. Augustino, cur David tam pius sedendo oraverit, cum fideles genuflexi orare soleant, uti oravit Christus in horto, *Matth.* cap. XXVI, et Stephanus in martyrio, *Actor.* cap. VII, et S. Paulus in ergastulo, *Ephes,* cap. III, vers. 14? Cui respondet S. Augustinus, lib. II *ad Simplicianum,* Quæst. IV, nullum gestum oranti in Lege fuisse præscriptum, sed liberum fuisse quodlibet, uti qui cujusque conditioni et devotioni foret accommodus : « Nam et stantes, inquit, oramus, sicut scriptum est : Publicanus autem de longinquo stabat, et flexis genibus sicut in Actibus Apostolorum legimus : Et sedentes, sicut ecce David et Elias. Nisi autem jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad movendum animum. » Idem fecere Gentiles : unde rex Ninive pœnitens, prædicante Jona, cap. III, vers. 5, sedit in cinere. Plutarchus in *Vita Numæ Pompilii,* qui Romulo Romæ in regno successit, pag. 23, scribit Numam sanxisse eos qui Deum adorant in orbem se vertere oportere, deinde vero sedere : quo ritu, inquit, et ratas preces, et in bonis perseverantiam fore significant, vel non esse Deum interpellandum obiter, et cum aliis occupamur, sed cum adest tempus opportunum, quo quiescimus, et ab aliis negotiis curisque feriamur. Denique Philosophus : « Anima, inquit, sedendo fit sapiens. » Subsidentibus enim sessione humoribus, sedantur animæ affectiones, quæ rationem turbant, quibus sedatis clarius mens videt id quod verum sanctumque est. De vario orantium situ rituque fuse disserit Hieronymus Mer. lib. III *De Gymnastica,* cap. III. Denique rerum spiritualium magistri hanc dant orandi regulam : « In orando et meditando ille corporis habitus tenendus est, qui aptus videtur ad excitandam in nobis internam devotionem. »

Anima sedendo fit sapiens.

Vers. 18. 18. QUIS EGO SUM, DOMINE DEUS, ET QUÆ DOMUS MEA, QUIA ADDUXISTI ME HUCUSQUE? — ut ex pastore ovium faceres regem populorum, ex paupere divitem, ex vili nobilem, ex incognito celebrem et famosum. Dicant hoc illi, quos Deus ex humili imoque loco ad fastigium dignitatis, v. g. ad Episcopatum, Principatum, Apostolatum, extollit non ipsorum merito, sed gratuito Dei dono. Scripsit in hanc Davidis sententiam homiliam S. Chrysostomus (vel quisquis est auctor; stylus enim indicat fuisse Latinum, non Græcum, ac citat S. Cyprianum, quod insolens est apud S. Chrysostomum), quæ exstat tom. I, ubi inter cætera ait : « Agnoverat iste sanctus, quod *Genes.* XVIII, dixit Abraham Deo : Ego sum terra et cinis. Et singuli ita Deo dixerunt, ut forma esset perfectæ humilitatis. Ergo quis sum ego, Domine mi? Ecce se nihil esse dixit, et servum se esse non negavit : quia omnis qui confitetur servitutem, meretur gratiæ libertatem. Ergo dicit : Quis sum ego, Domine mi? Videtis ubique regnare gratiam, ubique pia viscera possidere, cor humile illustrare, benignos sibi redigere, confessores suos ditare. » Et paucis interjectis : « Noverat se pastorem esse ovium, et non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnovit se ex nihilo fuisse sublevatum; et quia non est oblitus quis natus erat, perseveravit in culmine regali. » Vide quæ dixi *Joan.* cap. I, vers. 19, ad illa : *Tu quis es?*

Vers. 19. 19. ISTA ENIM EST LEX ADAM, DOMINE DEUS. — *Primo,* Angelomus sic explicat, *q. d.* « Ista est lex hominis, Domine Deus, ut tibi in simplicitate cordis et puritate serviat; et tu facias ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere servo tuo. » *Secundo,* Vatablus, *q. d.* Ista conditio et sors regalis est hominis præclari et excellentis, non vilis et abjecti, qualis ego sum. Unde Vatablus, Hebraice תורת *thorat,* id est lex, vertit, *directio;* Chaldæus vero vertit, *visio,* a radice ראה *raa,* id est vidit. *Tertio,* alii, *q. d.* « Lex Adæ, » id est hominis, est ut sit mortalis et moriatur. Quid est ergo, o Domine, quod me meumque regnum velis esse æternum? « Lex Adæ » est ut sit miser, pauper et abjectus; quid est ergo quod me tantis opibus et honoribus cumulas? « Quid est homo quia ita magnificas eum? »

Vers. 19. Lex Adam *quæ?* Resp. Primo. Secundo. Tertio.

Quarto et genuine, *q. d.* Tu, Domine, votis meis obsecundasti; imo ea prævenisti. « Lex » enim, id est inclinatio, homini a natura insita ista est, iste communis hominum est mos et usus, ut non putent sibi omnino satisfactum, esto opulenti sint, honorati et felices, nisi etiam de posteris, eorumque felicitate et gloria prospectum sit, quod tu, Domine, mihi facere dignatus es, promittens posteros meos semper fore reges, et continua serie perpetim mihi in regno successuros. Ita Abulensis, Hugo, Cajetanus, Dionysius et alii. Ratio est, quod homo naturaliter amet suos filios et posteros perpetim gloriosos, ut in iis semper superstes sit, et æternitatem quamdam memoriæ, famæ et gloriæ assequatur. Filii enim sunt quasi pars et membra parentum, qui proinde filios amant ut seipsos, imo magis quam seipsos.

Quarto verius.

Vers. 20. 20. QUID ERGO ADDERE POTERIT ADHUC DAVID, UT LOQUATUR AD TE? TU ENIM SCIS SERVUM TUUM, DOMINE. — « Scis, » id est, cognoscis, curas, amas, dirigis, exaltas, glorificas. Sic enim explicatur lib. I *Paral.* XVII, vers. 18, cum dicitur : « Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris ser-

vum tuum et cognoveris eum? » Hæc enim Dei cognitio et scientia non est speculativa et arida, sed practica et fecunda, ac proinde Dei amorem et beneficentiam involvit. Sic Apostolus de prædestinatis et electis ad gloriam ait : « Cognovit Dominus, qui sunt ejus, » II *Timoth.* II, 19; reprobis vero dicet Christus in die judicii : « Nescio vos, » *Matth.* XXV, 12.

Vers. 21. 21. PROPTER VERBUM TUUM; *q. d.* Hæc magnalia mihi præstitisti non propter merita mea, sed ut impleres promissiones tuas, quibus promisisti mihi benefacere, cum per Samuelem me instituisti et unxisti regem.

ITA UT NOTUM FACERES SERVO TUO, — ut scilicet mihi exhiberes hæc magnalia promissa, ut ego illa cognoscerem, imo oculis cernerem et manibus palparem.

ET PONERET SIBI NOMEN, — ut Israel esset et vocaretur populus Dei, quæ est dignitas eximia, ac titulus summi honoris, æque ac utilitatis. Ita Vatablus. Aut, « ut nomen, » id est, famam et gloriam sibi pararet; ita Abulensis.

Vers. 23. 23. QUEM REDEMISTI TIBI EX ÆGYPTO GENTEM, ET DEUM EJUS,—ut scilicet Israel sit tua gens et populus, ac ut vicissim sis Deus ejus. Unde explicans subdit : « Et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. » *Secundo,* alii referunt ad τὸ *faceretque eis magnalia et horribilia,* scilicet percutiendo Ægypti hostis eorum « gentem et Deum, » hoc est deos, *q. d.* Tu, o Domine, pro tuis Hebræis pugnans percussisti Ægypti gentem, et deos qui Hebræis adversabantur. Unde recentiores passim cum Chaldæo ex Hebræo vertunt in ablativo, *gente et Deo ejus, q. d.* Redemisti Israel ex Ægypto, ac consequenter ab Ægyptia gente et Deo, id est, diis ejusdem gentis. Aut planius referas ad τὸ *faceretque eis magnalia et horribilia super terram, q. d.* Deus pro Hebræis magna et horribilia patravit miracula tum super terram Ægypti et Chanaan, tum super « gentem et Deum, » id est, deos ejusdem. Deus enim multis plagis per Moyen et Josue afflixit tum ipsam terram Ægypti et Chanaan, tum ipsam gentem Ægyptiorum et Chananæorum, tum deos et idola eorum, ea evertendo et confringendo. Ita Sanchez. Hic sensus præ cæteris planior videtur, et magis congruere Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, qui pro *gentem,* habent *gentes* in plurali, quod magis septem gentibus Chananæorum et Ægyptiorum, quam uni Hebræorum genti congruunt.

Tò gentem et Deum ejus, *quid?* Resp. Primo. Secundo.

Tertio. *Tertio,* alii per *Deum,* Hebraice *Elohim* intelligunt Moysen, qui a Deo constitutus est Deus Pharaonis æque ac Israelis, utpote ejus legislator et dux vice Dei, *Exodi* cap. IV, 16, et cap. VII, 1. Vide ibi dicta, *q. d.* Redemisti ex Ægypto gentem Hebræam, et « Deum ejus, » id est Moysen qui ejus erat princeps, dux et ductor loco Dei.

Quarto. *Quarto,* nonnulli per *Deum* sive *Elohim* intelligunt S. Michaelem, qui vice Dei erat dux, custos et præses Israelis. Hic enim, dum Israelitæ captivi in Ægypto ex ea liberarentur et liberi exirent, cum eis egrediens ex Ægypto quasi liberari videbatur.

Quinto. *Quinto,* Septuaginta pro אלהיו *Elohau,* id est *Deum ejus,* per metathesin legentes *aholau,* id est, *tabernacula ejus,* vertunt, *redemisti tibi ex Ægypto gentes et tabernacula ejus.* Hebræi enim ex Ægypto exierunt cum supellectile non tantum sua, sed et Ægyptiorum, quam commodato, jussu Dei acceperant, ut spoliarent Ægyptum, *Exodi* XII.

Vers. 25. 25. SUSCITA.—Hebraice הקם *hakem,* id est statue, stabili, confirma.

Vers. 27. 27. REVELASTI AUREM SERVI TUI (hoc est, secreto et quasi in aurem ei dixisti) : INVENIT SERVUS TUUS COR SUUM (scilicet paratum, gratum et alacre), UT ORARET TE ORATIONE HAC, — et orando, pro tot magnalibus sibi præstitis gratias ageret non condignas, sed sibi possibiles. Alii, « invenit cor suum, » id est, invenit consilium, inquiunt, sibi deinceps usui futurum. Idem argumentum gratiarum actionis ob beneficia sibi præstita, præsertim ob promissa de domo et regno suo perpetuando, ac consequenter de Christo ex se nasciturо, tractat David *Psalm.* LXXXVIII : « Misericordias Domini in æternum cantabo, » atque hac gratitudine meruit hæc promissa a Deo sibi confirmari et augeri.

Vers. 29. 29. BENEDICETUR DOMUS SERVI TUI IN SEMPITERNUM, — ut semper ex domo et familia mea in regno succedant, ac super Israelem regnent posteri mei, quamdiu durabit Israelis regnum.

Abulensis hic, *Quæst.* ult., tractat quæstionem, an Salomon sit damnatus? et respondet affirmative, idque maxime probat ex eo quod ipse idola a se erecta moriens non destruxerit, quod utique facere debuisset, et reipsa fecisset, si vere pœnituisset; nam idola hæc trecentis fere post eum annis destruxit Josias rex, IV *Reg.* XXIII. Si dicas, etiam Asa, Josaphat et Ezechiam pios reges hæc non destruxisse : respondet id eos facere non potuisse, eo quod idololatria inducta per Salomonem, roborata et aucta fuerit per Jeroboam, qui schisma fecit erectis aureis vitulis quasi idolis in Dan et Bethel. Salomon vero ea destruere poterat et debebat, tum quia erat potentissimus, tum quia nullum habebat æmulum, sed in plena pace omnibus sibi obedientibus regnabat. Idem censent Angelomus et Eucherius, IV *Regum* XXIII, Beda in *Allegoriis* lib. *Regum,* sub finem, ac Prosper, lib. *Prædic.* parte II, cap. XXVII : « Salomon, inquit, elatus in senio, fornicatus mente et corpore, Domino ipsum deserente, male obiit, metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate hujus vitæ turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas. » Verum moderni Interpretes in Salomonem mitiores sunt, meliusque de ejus salute sperant. Vide dicta *Eccl.* cap. XLVII, vers. 22.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David a Deo exclusus a fabrica templi, convertit se ad bella, quibus pacem et spolia paret Salomoni ad illud fabricandum. Quare hoc capite quinque ejus bella recensentur, quibus totidem gentes vicinas subjugavit et tributarias fecit; scilicet primo, Philistæos, vers. 1; secundo, Moabitas, vers. 2; tertio, Adarezer regem Soba, vers. 3; quarto, Syriam Damasci, vers. 5; quinto, Idumæos, vers. 14, eorumque spolia fecit anathemata, Deoque consecravit.

1. Factum est autem post hæc, percussit David Philistiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philistiim. 2. Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum : factusque est Moab David serviens sub tributo. 3. Et percussit David Adarezer filium Rohob, regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. 4. Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum; dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer, regi Soba; et percussit David de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et posuit David præsidium in Syria Damasci, factaque est Syria David sreviens sub tributo; servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 7. Et tulit David arma aurea quæ habebant servi Adarezer, et detulit ea in Jerusalem. 8. Et de Bete et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David æs multum nimis. 9. Audivit autem Thou, rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer; 10. et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret, eo quod expugnasset Adarezer, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, et in manu ejus erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea; 11. quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat. 12. De Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philistiim et Amalec, et de manubiis Adarezer filii Rohob, regis Soba. 13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus; 14. et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium : et facta est universa Idumæa serviens David; et servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 15. Et regnavit David super omnem Israel; faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo. 16. Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum : porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis; 17. et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes, et Saraias, scriba; 18. Banaias autem filius Joiadæ, super Cerethi et Phelethi; filii autem David sacerdotes erant.

Vers. 1. Frenum tributi quid? Resp. Primo. Secundo.

1. ET TULIT DAVID FRENUM TRIBUTI DE MANU PHILISTIIM.— Hebraice est מתגהאמה *meteghaamma*, quod Vatablus, Pagninus et alii accipiunt ut nomen proprium urbis, quæ fuit quasi *meteghaamma*, id est *frenum* cæterarum urbium vicinarum in Philistæa. *Secundo*, alii accipiunt ut nomen appellativum significans *frenum cubiti* (*meteg* enim est frenum, *amma* est cubitus, *ha* est articulus *amma*), indeque «frenum tributi,» quod pretium tributi limitatum et definitum sit instar cubiti; *amma* ergo certam pensionem tributi significat. Aquila vertit, *frenum aquæductus*, quod per illam urbem aqua per canales et rivos deduceretur in totam Philistæam, ad eam irrigandam et fecundandam; canali enim aquam ducimus quo volumus, ceu freno equum. Unde et Chaldæus vertit, *instauratio*, vel, *dispositio et commoditas rivi*.

Tertio.

Tertio, R. Eliezer in *Midras* proprie accipit *frenum*, scilicet Isaac Patriarchæ : Isaac enim, inquit, feriens juransque pactum cum Abimelech rege Palæstinorum de non invadenda Philistæa, *Genes.* XXVI, 28, «incidit cubitum unum freni,» sive «chami,» id est, capistri asini super quo equitabat, et dedit illis ut esset in manu illorum signum pacti

juramenti. Cæterum cum rex David vellet ingredi terram Philistiim, non poterat propter vim pacti juramenti Isaac. Sed cum ab illis capistrum hoc abstulit (quia scriptum est, et « tulit David frenum, » vel, « chamum cubiti, ») tunc accepit terram Philistinorum. Verum nemo non videt hanc fabellam esse et cerebri Rabbinici commentum.

Quarto genuine. *Quarto* et genuine, « frenum tributi » vocatur urbs Geth, quæ erat in confinio Judææ et Philistææ, ideoque per eam Philistæi frenabant Judæam : David vero illam occupans per eam frenavit Philistæam. Abstulit ergo hoc frenum a Philistæis, eodemque frenavit Philistæos, imponens illi militare præsidium, quod ipsos sub jugo et tributo contineret. Id ita esse liquet ex eo quod sic hic locus explicatur I *Paral.* XVIII, 1, ubi dicitur : « Factum est autem post hæc ut percuteret David Philistiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et filias ejus (oppida subjecta) de manu Philistiim. » Ita S. Hieronymus in *Tradit.*, Sanchez, Serarius et alii. Geth ergo a Davide et Hebræis vocata est *metegamma,* id est, *frenum tributi,* nomine non proprio, sed appropriato, quia ipsa fuit frenum Philistinorum, cogens illos ad pendendum Davidi tributum.

Denique nonnulli *metegamma* proprie vertunt, *frenum cubiti,* et per illud accipiunt dominium et gubernationem; quia sicut nobis subjicimus id quod cubito imposito metimur et premimus; sic frenamus eos quibus dominamur. Simili catachresi *aurigari* significat regere et imperare; sicut enim auriga freno et flagello regit equos, sic rex imperio suo gubernat populos. Sic Elias ab Elisæo vocatur « auriga Israelis. » « Pater mi, inquit, currus Israel, et auriga ejus, » IV *Regum* II, 12.

Vers. 2. 2. ET PERCUSSIT MOAB, — scilicet Moabitas, qui Judææ erant ad orientem, sicut Philistæi ad occidentem, Syri vers. 4 et 5, ad septentrionem, Idumæi vers. 14, ad meridiem. Per omnes ergo mundi plagas, vicinas gentes subjugando David victricia arma circumtulit. Ubi nota Davidem hisce omnibus præliis interfuisse, imo præfuisse, ideoque feliciter ea confecisse. Multum enim ad celerem dubiorum occurrentium resolutionem, ad facilem rerum decretarum executionem, ad milites animandos, et ad difficultates omnes superandas facit ipsa præsentia et præstantia principis; nam, ut ait Virgilius, « urget præsentia Turni. » Sane Carolus Quintus tot victoriis fuit illustris, quia ipse præliis pene omnibus interfuit et præfuit. Exstat Synesii ad Arcadium Imperatorem insignis exhortatio, ut ipse bellis intersit, ubi inter alias rationes hanc affert Onosander Strategetæus, cap. XLII : « Si quid, ait, subito confici optet imperator, primus ipse manu operi admota conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeo potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda omnium principem, festinandum esse animadverterit, cessare erubescit, imperatisque non parere veretur : nec jam ut servus aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque provocatus accedit. »

ET MENSUS EST EOS FUNICULO COÆQUANS TERRÆ. — Funiculus coæquans terræ, quis? Resp. *Primo,* Theodoretus, *Quæst.* XXIII, ad litteram verba, ut sonant, accipit. « Tanta, inquit, erat vis victoriæ, et tanta erat multitudo eorum qui capti erant vivi, ut eos numerare non permitteret. Quare jussit eos pronos dejici in terram divisos trifariam, et duas quidem partes occidit, unam vero vivam reservavit. » *Secundo,* Lyranus et Cajetanus hæc accipit de turribus et arcibus Moabitarum, quas David plane dejecit, itaque prostravit, ut eas plane terræ coæquaret. *Tertio,* alii accipiunt de agris, *q. d.* David agros, pagos omniaque loca Moab quasi victor occupavit, et ad libitum suis distribuit, perinde ac agros terræ coæquatos facile funiculo metimur et distribuimus. Aut, *q. d.* David omnino subjugavit Moabitas sibi, adeo ut posset terram et regionem eorum tanquam suam libere funiculis dimetiri, distribuere, vertere et invertere ad libitum. Ita Angelomus : « Significat, inquit, quod tam libera dispositione David regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, divisit, quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum ducto huc atque inde funiculo dirimit. »

Primo. Secundo. Tertio.

Quarto et genuine, *q. d.* David plane Moabitas subegit, humiliavit et prostravit, ita ut ipsi ab eo viderentur dejecti in terram, terræque coæquati, adeo ut ipse eos in terra quasi stratos funiculo dimetiri, distribuere, occidere, vel vivificare posset, ut sequitur. Ita Beda, Serarius, Sanchez et alii. Est metalepsis et metaphora petita ab agricolis, et mensoribus sive geometris, qui terram æquam funiculo demetiuntur, ut tot jugera sementi, tot pascuis, tot vineis, etc., destinent, idque ad libitum; terra enim nulli resistit, et cum sit æqua, facile se mensurari distribuique patitur. Simili enim modo Davidi, quasi victori, omnes Moabitæ subjecti fuere, ut de eis facere posset, quod liberet : unde ipse eos quasi funiculis dimensus est, hoc est, eos in duas sortes distribuit, una sors fuit eorum, quos morti addixit, altera eorum quos in vita servavit. Hinc sequitur :

Quarto optime.

MENSUS AUTEM EST DUOS FUNICULOS, UNUM AD OCCIDENDUM, ET UNUM AD VIVIFICANDUM. — « Mensus est, » id est, mensuram adhibuit duorum funiculorum, sive mensus est Moabitas duobus funiculis : unus fuit funiculus mortis, ut eo quasi mensi, hoc est a Davide designati et damnati, occiderentur; alter vero funiculus fuit vitæ, ut eo mensi, id est, a Davide designati, vivificarentur, id est, in vita servarentur. Est catachresis vel metalepsis : per « duos funiculos » enim intelligit duas sortes Moabitarum, unam occidendorum, alteram servandorum in vita; fecit, inquam, pro libito suo quasi victor, sed cum mensura justitiæ et æquitatis, quæ principem victorem decet, ut scilicet magis noxios sibique resistentes occideret; minus

vero noxios, et sese subdentes, in vita servaret. Ita Cajetanus. *Funiculus* enim significat hæreditatem et sortem, quia hæc olim non virgis et perticis, uti nunc fit, sed funibus mensurabatur et dividebatur, illisque mensores cuique hæredi suam sortem et portionem admetiebantur.

Tropologice Angelomus, David, id est Christus, in die judicii, *Matth.* XXV, faciet duas sortes, unam salvandorum et beandorum, alteram damnandorum. Nam, ut ait Psaltes *Psal.* XXX, 16 : « In manibus tuis sortes meæ. »

Porro Hebræa hic obscura sunt. Sic enim ad verbum habent : *Mensus est duos funiculos ad occidendum, et plenitudinis funiculum ad vivificandum.* Quæ verba bifariam dispungi exponique possunt. Uno modo, ut ponatur comma post *occidendum*, fiantque tres sortes, *q. d.* David Moabitas in tres funiculos, sive sortes partesque distribuit, duas addixit morti, tertiam vitæ. Ita Chaldæus, Septuaginta, Theodoretus, Procopius, Josephus et Græci. Altero, ut comma ponatur post *duos funiculos*, et subaudiatur τὸ *unum*, *q. d.* David *mensus est duos funiculos*, unum *ad occidendum*, alterum *ad vivificandum*. Hunc sensum ut aptiorem secutus est Noster et Latini, eumque exigit τὸ *plenitudinis*, *q. d.* David paucos Moabitas morti addixit, longe plures vero in vita servavit. Hoc enim sibi honorificum erat ac utile, ut a vivis tributa exigeret, quæ occisi et mortui præstare non potuissent; funiculus ergo occidendorum fuit imminutus et exiguus; vivificandorum vero plenus, magnus et integer, et hoc significat τὸ *plenitudinis*; hoc enim decebat clementem victorem et principem, qualis erat David. Porro hac de causa « Moab » a Davide plane subacta, ab eo *Psalm.* LIX, 10 (tunc enim eum dictavit, ut patet ex ejus titulo) vocatur, « olla spei meæ, » id est, mancipium meum vilissimum, quasi ad res tantum culinarias et ollares aptum. Unde S. Hieronymus et Aquila vertunt, *Moab olla lotionis meæ*, in qua scilicet quasi in olla laver; et Chaldæus, *dum conculcarentur Moabitæ, fœdati sunt pedes mei sanguine procerum ejus, sicut in olla lotionis.*

Vers. 3. 3. ET PERCUSSIT DAVID ADAREZER FILIUM ROHOB, REGEM SOBA, — additur I *Paral.* XVIII, 3, « regionis Hemath, » id est Syriæ. A Josepho, libro VII, capit. V, vocatur, « rex Sophonorum, » quæ est Syria cis Euphratem, ait Strabo, libro XVI. *Soba* sive « Suba » et « Subal » est pars Syriæ, quæ inter Libanum et Antilibanum ac Hermon interjacet, et Græce Cœlesyria, id est cava Syria dicitur ob demissam a declivitate montium planitiem, ait noster Christophorus a Castro in *Amos* IX, 17. Κοιλή enim est cavum, idemque Hebræum innuit « Soba, » quod Pagninus interpretatur *abscondens*, eo quod planities inter montes se abscondat. Potius *Soba* Hebraice idem est quod *tumida*, eo quod « Soba » montibus vicinis elevetur et intumescat, cum ipsa regio interjecta sit campestris, humilis, depressa et concava, utpote altissimis montibus quaquaversum vallata. Verum « Soba » non est tota Cœlesyria, sed pars ejus duntaxat. Nam Cœlesyria late sumpta multas regiones, imo omnes quæ inter Libanum et Hermon montes interjacent complectitur, ait Ptolemæus. « Soba » ergo erat trans Jordanem, confinis dimidiæ tribui Manasse, pergendo ad Euphratem fluvium. Vide Adrichomium in *Tabula cosmographica tribus Manasse*, num. 87, ubi « Soba » collocat juxta Palmiram, ac Amana et Hermon montes ac Trachonitidem regionem, non longe a Damasco. Unde et Salomon, cum ad Palmiram condendam pergeret, huc ducens exercitum, urbem et regionem hanc sibi ascivit. Sed cum in senio a Deo ad idola deflexit, Deus suscitavit Razon fugitivum servum regis « Soba, » qui Israelem infestavit, III *Regum* XI. Postremo Holophernes, *Judith* V, populabundus per Syriam « Sobal » exercitum traduxit. Ex « Sobal » ortus est Igaal unus ex fortissimis militibus et heroibus Davidis, III *Regum* XXIII, 36.

QUANDO PROFECTUS EST UT DOMINARETUR SUPER FLUMEN EUPHRATEM. — Hinc patet « Soba » fuisse mediam inter Jordanem et Euphratem, ideoque comprehensam fuisse inter limites terræ promissæ Judæis a Deo assignatæ; hujus enim limites erant mare Mediterraneum ad Occidentem, et Euphrates ad Orientem, ut patet *Deut.* I, 7, et XI, 24. Quare quidquid inter mare hoc et Euphratem interjacebat, jure divino ad Judæos pertinebat. Hæc ergo justa belli causa fuit Davidi invadendi « Soba, » tanquam ad se et Judæos pertinentem.

Porro τὸ *profectus est*, ambiguum est; potest enim referri ad Adarezer, uti referunt Dionysius et Hugo; potest quoque referri ad Davidem, uti referunt Abulensis, Vatablus et Mariana.

Vers. 4. 4. ET CAPTIS (a Davide) EX PATRE EJUS MILLE SEPTINGENTIS EQUITIBUS. — Tot fuere primarii et præcipui equites; nam alioqui universim a Davide captæ fuere mille quadrigæ, et septem millia equitum, ut dicitur I *Paralip.* XVIII, 4. Ita Abulensis. Aut certe cum Serario per *equites* intellige equitum decurias; multiplica enim septingentas decurias equitum per decem, habebis septem millia.

SUBNERVAVIT OMNES JUGALES CURRUUM, — hoc est, ut explicatur I *Paral.* cap. XVIII, 4 : « Subnervavit omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi. » Porro *subnervare*, est nervos vel suffragines equorum incidere ut progredi nequeant, et inutiles fiant tam ad bellandum, quam ad currus trahendum, quod alii *subpernare* vocant. Idem fecit Josue cap. XI.

Vers. 5. 5. VENIT QUOQUE SYRIÆ DAMASCI, — id est, venerunt Syri qui Damascum inhabitabant, quorum rex erat Adad, ait Josephus.

Vers. 9. 9. AUDIVIT AUTEM THOU (a Josepho vocatur « Thonus ») REX EMATH. — « Emath » dicta est a conditore Amatho, *Genes.* X. Eratque duplex, scilicet major, quæ est Antiochia, et minor, quæ est Epiphania. Ita Josephus, S. Hieronymus in *Locis*, Procopius et alii.

Vers. 10. 10. ET MISIT THOU JORAM FILIUM SUUM (qui I *Paral.* XVIII, 10, vocatur « Adoram, »), ET IN MANU EJUS ERANT VASA AUREA, — *q. d.* Joram ferebat secum vasa aurea, ut ea quasi munera offerret Davidi; quæ David destinavit templo a Salomone ædificando, ut patet III *Reg.* XV, 15; I *Paral.* XXVI, 27 et seq.

Vers. 13. 13. FECIT QUOQUE DAVID SIBI NOMEN, — id est, arcum triumphalem erexit, ait Abulensis et Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum. Aut, ut Serarius, Sanchez et alii, *q. d.* David hac victoria magnum sibi nomen et famam comparavit apud omnes gentes.

IN VALLE SALINARUM. — Audi Adrichomium in tribu Juda, num. 211 : « Vallis Salinarum, seu Salis, hebraice Gemela, alias Mela dicta, in qua David percussit octodecim millia Idumæorum, et rediens erexit sibi fornicem triumphalem. Ibidem et Joab duodecim millia delevit, et Amasias decem et viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia præcipitavit de rupe et petra Jectehel, » II *Paral.* XXV, IV *Reg.* XIV. Mystice S. Gregorius, lib. III *Moral.* XIV : « David, inquit, valles Salinarum percussit; quia videlicet Redemptor noster suæ districtionis examine, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis exstinguit, » juxta illud *Roman.* XII : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. » Vallis ergo Salinarum repræsentat « calorem immoderatæ sapientiæ. » Verba S. Gregorii more suo transcripsere Eucherius et Angelomus.

Vers. 14. 14. FACTA EST UNIVERSA IDUMÆA SERVIENS DAVID. — Hic impletum est oraculum et benedictio Isaaci dicta Jacobo, *Gen.* XXVII, 29 : « Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. » Idumæi enim, ex Esau fratre Jacobi prognati hic, servierunt Davidi ex Jacob descendenti. Ita Procopius et Theodoretus. Unde tunc David composuit psal. LIX, ubi inter cætera ait : « In Idumæam extendam calceamentum meum, » id est Idumæam quasi victor possidebo, subjiciam et calcabo. Adibant enim possessionem impositione calcei, sive calceo calcando rem possessam : unde Chaldæus vertit, *super Edom projeci calceum meum;* R. Emmanuel vertit, *in Edom projeci chirothecam meam;* quia, inquit, mos erat regum, cum urbem aliquam munitam obsidebant, ut chirothecam in urbem projicerent, quo significabant se ab urbe non recessuros, nisi ea capta, et chirotheca recepta. Et hoc est, quod dixit Cicero in *Philip.* : « Solet enim ipse cito accipere manicas (chirothecas), nec diutius obsidionis metum sustinere. » Hæc ille. Verum Hebræum נעל *naal,* calceum, non chirothecam significat.

Tropologice, David, id est Christus, regnat in Idumæa, id est rubeis et carnalibus gentium cordibus, dum per gratiam ea efficit spiritualia et cœlestia. Ita S. Augustinus, S. Hieronymus et alii in *Psalm.* LIX.

Vers. 16. 16. JOSAPHAT FILIUS AHILUD ERAT A COMMENTARIIS, — id est res gestas Davidis quotidie per diaria scribebat, erat commentator, vel commemorator factorum memorabilium Davidis; hoc enim significat Hebraice מזכיר *maskir.*

Vers. 17. 17. ET SADOC FILIUS ACHITOB, ET ACHIMELECH FILIUS ABIATHAR, ERANT SACERDOTES, — scilicet summi, id est pontifices. Erant ergo tum ex dispensatione vel conniventia Dei, simul duo Israelis pontifices, scilicet Sadoc et Abiathar. Cum enim Abiathar abnepos Heli, descendens ex Ithamar, metuens iram Saulis, I *Reg.* XXII, 20, fugisset ad Davidem, Saul cum suis pontificem constituit Sadoc, qui descendebat ex Eleazar seniore filio Aaronis : Sadoc hic postea sub Salomone solus obtinuit pontificatum excluso Abiathar, eo quod ipse cum Adonia novo rege contra Salomonem conspirasset. Sub Davide ergo erant duo pontifices connivente Deo; nam ex lege et prima institutione unus tantum debebat esse pontifex. Ita Abulensis et alii. Ministrabant autem in tabernaculo et munia pontificia obibant successive sive alternis vicibus.

SADOC FILIUS ACHITOB. — Alius est hic « Achitob » ab « Achitob » filio Phinees, filii Heli; hic enim ex Ithamar descendit : « Sadoc » vero ex Eleazar, ideoque Sadoc præcipuus et primarius erat pontifex, ut Abiathar videretur ejus concessu pontificatu fungi, esseque quasi ejus vicarius, ut colligitur ex I *Paral.* XVI, 39. Hinc et Sadoc hic et alibi Abiatharo præponitur, licet eo ætate esset minor, ut patet I *Paral.* XII, 28, ubi « Sadoc » vocatur « puer egregiæ indolis. »

« Achimelech filius Abiathar. » Ipse « Abiathar » erat pontifex, ut patet II *Reg.* XV, 35. Sed « Achimelech filius » patris sui vices obibat; sive ob patris senium vel infirmitatem, sive ob alias graves ejus occupationes, eratque ei proxime in pontificatu successurus. Ita Abulensis. Addunt Beda, Theodoretus et Euthymius in cap. II *Marci,* « Abiathar » fuisse nomen commune familiæ, proprium vero nomen hujus pontificis fuisse « Achimelech. » Idem ergo pontifex ex familia vocabatur « Abiathar, » ex nomine proprio autem « Achimelech, » ut sensus sit, *q. d.* Achimelech, qui etiam dicitur Abiathar filius Achimelech, qui etiam a familia communi nomine Abiathar dicebatur, erat sacerdos.

Vers. 18. 18. BANAIAS AUTEM FILIUS JOIADÆ, SUPER CERETHI ET PHELETHI. — Erant hi fortissimi, fidissimi et prætoriani milites Davidis. Unde *Cerethi* Hebraice idem est quod *excindentes; Phelethi,* idem quod *liberantes.* Quocirca Josephus eos vocat σωματοφύλακες, id est corporis regii custodes. Hinc forte a *Cerethis* dicti sunt *Cardaces,* qui erant fortissimi milites apud Persas, teste Strabone, lib. XV. Vide dicta *Ezechiel.* cap. XXV, vers. 16, et Sophonias, cap. II, vers. 5.

FILII AUTEM DAVID SACERDOTES ERANT. — « Sacerdotes, » id est principes et aulæ primarii. Vide I *Paral.* XVIII, 17. Vocantur « primi ad manum regis, » id est primi ad latus regis, quia illud stipabant erantque proximi Davidi, quasi filii ab eo

educandi et instruendi. Nam primogenitus erat circiter 15 annorum. Ita Salianus. Quocirca sacerdotes hi a Septuaginta vocantur ἀυλάρχαι, id est *aulæ principes,* Palatini; a Chaldæo, *magnates*. Filii enim Davidis, cum non ex Levi, cui addictum erat sacerdotium, sed ex Juda descenderent, non poterant esse sacerdotes proprie dicti. *Sacerdos* ergo hic, per catachresin, idem est quod princeps. Causam sive analogiam affert Forerius in cap. LXII *Isaiæ,* vers. 6, quod sacerdos sit minister et familiaris Dei; rex autem est quasi quidam Deus in terra: ejus ergo familiares vocantur sacerdotes. Sic et Pineda, *Job* XII, 19, num. 1: Rex, inquit, est quidam Deus; qui ergo regi familiares, ii quidam sacerdotes ejus sunt. Simile est III *Reg.* IV, 5: « Zabud, inquit, filius Nathan sacerdos (id est Palatinus) amicus regis. » Addit Glossa, leg. *Sacra Loca,* ff. *de dist.* leg. 1 et 8, regem David fuisse sacerdotem, quia scilicet erat propheta pius, qui Psalmos dictavit, et officia canendi inter Levitas distribuit. Sic Christiani omnes sunt sacerdotes, sed mystici, juxta illud : « Vos genus electum, regale sacerdotium, » I *Petr.* II, et illud : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, » *Apocal.* V, 10. Unde S. Hieronymus, dialogo *Contra Lucifer.*: « Sacerdotium laici, inquit, baptisma est. » Quia et apud Romanos laici, qui aliquid sacri curabant, vocabantur sacerdotes, esto non sacrificarent. Erant enim apud eos varia sacerdotum genera, nimirum Flamines, Diales, Martiales, Salii, Quirinales, Pontifices, Reges sacrorum, Sacrificuli, Galli. Unde Musarum sacerdos vocatur « poeta » ab Horatio, lib. III *Carm.* Hinc et Ovidius, lib. III *Am.* : « Purus musarum, inquit, Phœbique sacerdos. » Hinc quoque vates, augures, aruspices a Plutarcho et Homero Iliade α vocantur ἱερεῖς, id est sacerdotes. Denique quia olim idem erat sacerdos et princeps uti fuit Job, Abraham, Moyses, etc., hinc Hebræum כוהן *cohen,* id est *sacerdos,* significat quoque principem.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Miphiboseth filium Jonathæ mensæ suæ convivam facit, eique omnia prædia patris Jonathæ et avi Saulis restituit.

1. Et dixit David : Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham? 2. Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba, quem cum vocasset rex ad se, dixit ei : Tune es Siba? et ille respondit : Ego sum servus tuus. 3. Et ait rex : Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi : Superest filius Jonathæ debilis pedibus. 4. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem : Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel in Lodabar. 5. Misit ergo David, et tulit eum de domo Machir filii Ammiel de Lodabar. 6. Cum autem venisset Miphiboseth, filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David : Miphiboseth? Qui respondit : Adsum servus tuus. 7. Et ait ei David : Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonatham patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper. 8. Qui adorans eum, dixit : Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9. Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, et dixit ei : Omnia quæcumque fuerunt Saul, et universam domum ejus, dedi filio domini tui. 10. Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui; et inferes filio domini tui cibos ut alatur; Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filii, et viginti servi. 11. Dixitque Siba ad regem : Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus; et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha; omnis vero cognatio domus Siba serviebat Miphiboseth. 13. Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem, quia de mensa regis jugiter vescebatur; et erat claudus utroque pede.

Vers. 1. 1. PROPTER JONATHAM? — Ecce quam fidus et constans in amicitia Jonathæ fuit David, utpote qui non tantum vivo, sed et mortuo benefaciat, ditando ejus filium. Nam, ut ait Theodoretus : « Qui

in hostes benignus erat, amicorum nunquam oblivisceba-tur; » et, ut inquit Josephus, « eorum qui bene unquam ipsi fecissent, memor erat maxime.»

Vers. 7. 7. RESTITUAM TIBI OMNES AGROS SAUL PATRIS TUI. — quos, antequam fieret rex, habebat ex paterna hæreditate, vel sibi acquisierat; nam quos rex factus comparavit, quasi bona regia ad successorem regem, puta Davidem, jure communi devoluta sunt.

Vers. 8. 8. RESPEXISTI SUPER CANEM MORTUUM SIMILEM MEI? — *q. d.* Respexisti super canem mortuum, qualis ego sum: ita Vatablus; se enim assimilat, vocatque canem mortuum, ut se humiliet suamque vilitatem indicet, utpote qui avo et patre mortuis orphanus, imo parvulus, claudus, miser et egens relictus, ac ab omnibus neglectus, spernebatur quasi canis mortuus. Sic nuper adolescens derelictus et miser, rogatus quis esset, respondit se esse filium consiliarii mortui. Chaldæus vertit, *respexisti ad virum idiotam, qualis ego sum.* Videtur Miphiboseth hoc tempore fuisse circiter viginti annorum; nam moriente Saule et Jonatha, erat quinquennis; adde 15 circiter annos regni Davidis, quibus exactis David ad se Miphiboseth accivit, habebis annos viginti.

Vers. 9. 9. DEDI FILIO DOMINI TUI, — id est dedi Miphiboseth, qui est filius Jonathæ olim domini tui.

Vers. 10. 10. ET INFERES FILIO DOMINI TUI. — Hic alius intelligitur dominus, scilicet præsens et vivus, puta Miphiboseth, cum prior, puta Jonathas, de quo versu 9, jam esset mortuus. Sensus ergo est, *q. d.* Colliges agrorum Saulis fruges « filio domini tui, » hoc est Michæ filio Miphiboseth : hic enim jam erat dominus Sibæ, « ut alatur, » scilicet Micha cum suis famulis. Nam Miphiboseth pater Michæ alebatur in mensa Davidis, non a Siba, ut sequitur. Ita Sanchez.

Vers. 11. 11. DIXITQUE SIBA AD REGEM : SICUT JUSSISTI, DOMINE MI REX, SERVO TUO (mihi), SIC FACIET SERVUS TUUS; ET MIPHIBOSETH COMEDET PANEM SUPER MENSAM MEAM QUASI UNUS DE FILIIS REGIS. — Est hic antilogia; quomodo enim Siba hic dicit Miphiboseth comesturum super mensam suam, cum eum paulo ante mensæ suæ assignavit David? Varii varie hæc conciliant : *Primo,* Abulensis et Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum, pro *mensam meam,* legunt *mensam tuam.* Sed Hebræa et Romana habent, *mensam meam. Secundo,* Vatablus, Cajetanus, Lyranus et alii interjiciunt et repetunt ex vers. 9. « Dixit David, » sic ergo legunt : « Et dixit David : Miphiboseth comedet panem super mensam meam. » Verum τὸ *dixit David,* hic non est in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. *Tertio,* alii accipiunt ut verba Sibæ, sed ita conciliant, *q. d.* Siba : Miphiboseth cibos ex mensa regis allatos comedet super mensam meam. Verum hoc repugnat vers. 13, ubi dicitur Miphiboseth habitasse in Jerusalem, « quia de mensa regis jugiter vescebatur. » *Quarto,* Septuaginta et Chaldæus vertunt, *et Miphiboseth comedebat super mensam regis, sicut unus de filiis regis.* Hoc verum est, sed non respondet textui Hebræo et Latino. *Quinto,* Valablus τὸ *et* explicans per *quamvis,* sic vertit, *sicut jussisti, sic faciet servus tuus* (ut scilicet alam Micham et Miphiboseth, quem hactenus alui, mittam ad mensam tuam), quamvis ego ipsum Miphiboseth hucusque in mensa mea aluerim tam splendide, ac si esset unus ex filiis regis; verum hoc dissonat a Vulgata, quæ vertit, « et Miphiboseth comedet panem super mensam meam. »

Ubi comedit Miphiboseth? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Dico ergo τὸ *et,* hic capi pro *imo,* uti et alibi per auxesim accipitur, *q. d.* Siba : Sicut jussisti, rex, sic faciet servus tuus, ut alat Micham filium Miphiboseth; quin imo si voles, « Miphiboseth comedet super mensam meam, » *q. d.* Si voles, ego pergam alere Miphiboseth ipsum tam magnifice, ac si esset filius regis. Ita Sanchez. Sexto germane.

Allegorice, David, extollens abjectum et claudum Miphiboseth, repræsentat Christum, qui infirma et contemptibilia mundi eligit, ut confundat fortia, I *Corinth.* I, cum scilicet ipse, ut ait Angelomus, « eum quem ad sæculi ministeria et mundana negotia exercenda, sermone et actione debilem conspicit ad divinum ministerium eligit; quia quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deus propter devotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboseth, decor ignominiæ. Is ergo, cujus loquelam et præsentiam superbia mundi despicit, Dei dono utilis ad spiritale ministerium in Ecclesia apparebit. » Et pluribus interjectis : « Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et gloriæ solium teneat. Contemptibiles personas de mundo auferens, possessores virtutum efficit, et scientia spirituali super mensam Scripturarum sanctarum quotidie secum reficit. Unde evenit ut tales sobolem gignant, qui vocetur Micha. Micha enim, quis est, Latine resonat; quia frequenter et in admirationem populi tales veniunt : qui nuper e despectu mundi ablati, gloriosi in Ecclesia Dei dono apparebunt. »

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon legatos Davidis vestibus et barba mutilat; David hanc injuriam bello ulciscitur, ac per Joab, regem cum Syris profligat: rex, vers. 15, advocato Adarezer, bellum reparat; sed a Davide rursum, magis quam ante, cæditur.

1. Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon filius ejus pro eo. 2. Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum : Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? 4. Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos. 5. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum; erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David : Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini. 6. Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt mercede Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum. 7. Quod cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum. 8. Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ; Syrus autem Soba, et Rohob, et Istob, et Maacha, seorsum erant in campo. 9. Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum; 10. reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon. 11. Et ait Joab : Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium; si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. 12. Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri; Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13. Iniit itaque Joab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim fugerunt a facie ejus. 14. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem; reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem. 15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. 16. Misitque Adarezer, et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum; Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. 17. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transivit Jordanem, venitque in Helam; et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum, et Sobach principem militiæ percussit, qui statim mortuus est. 19. Videntes autem universi reges qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt et fugerunt quinquaginta et octo millia, coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

Vers. 2. 2. SICUT FECIT PATER EJUS (Naas) MECUM MISERICORDIAM, — cum me fugientem Saulem benigne suscepit; et tutatus est. Res gesta in Scriptura non narratur, sed ex traditione eam recenset S. Hieronymus, in *Tradit.* (quem sequitur Angelomus, Abulensis, Glossa, Lyranus, Sanchez et alii). « Quando fugit David a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit

cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas itaque venit in speluncam Odollam, ubi venerunt ad eum pater ejus et mater, et omnis domus ejus. Inde venit ad Moab, et dimisit apud eum patrem et matrem, et omnem domum suam.» Alias Rabbinorum præsertim R. Salomonis solutiones affert Lyranus; sed ab eis confictas, uti ostendit Abulensis.

Vers. 4. 4. RASITQUE DIMIDIAM PARTEM BARBÆ. — I *Paral.* cap. IX, 4, additur : « Decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum. » Triplex ergo fuit hæc ignominia, quam Hanon contra jus gentium legatis Davidis ad se consolandum missis irrogavit. *Prima*, fuit capitis decalvatio; *secunda*, barbæ non totius, sed dimidiæ ad ludibrium rasio. *Tertia*, vestium longarum et ad pedes (more Orientalium) promissarum usque ad nates præcisio, ideoque natium denudatio. Hebræi enim laici non utebantur femoralibus, nisi sacerdotes : quæ omnia tunc temporis erant valde fœda, ignominiosa et infamia, præsertim apud Hebræos; quia eis jusserat Deus « non radere caput nec barbam, » *Levit.* XXI, 5; idque sciebant Ammonitæ, utpote Hebræis vicini, ideoque ad majus dedecus apud suos hanc eis insolentiam irrogarunt, imo apud omnes nationes probrosum est barbam vellere. Unde illud : « Leoni mortuo barbam vellis, » id est, mortuo insultas.

Allegorice, Hanon repræsentat Judæos, qui Christo in passione genas vulserunt, *Isaiæ* L, 6.

Tropologice, Hanon est diabolus, qui subinde benefacere volentibus, barbam abradit, id est, fortitudinem adimit; barba enim virilitatis et fortitudinis est symbolum. Audi Eucherium : « Sicut Hanon, ita et diabolus princeps hujus mundi, plerosque religiosos et prædicantes per subrepentia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala, in aperta et flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumenta usque ad nates abscissa, nudos a dignitate castitatis derelinquit; et in oculis hominum turpia facta, quæ ipse persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator noster, clementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentia non excludit, quos et in Jericho, hoc est sub anathemate pœnitentiæ, et opprobrio meliorum residere jubet; donec sacramenta spiritualia, et fortitudinem mentis, quam peccato perdiderant, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu ejus stare valeant. » Hæc omnia ad verbum ex Eucherio (verius Beda) transcripsit Angelomus, qui et addit : « Sed Christus vindicat suorum injuriam, cum non solum adversarios suos, nunc per sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo judicio per justam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet. »

Vers. 9 et 10. 9 et 10. INSTRUXIT ACIEM CONTRA SYRUM : RELIQUAM AUTEM PARTEM POPULI TRADIDIT ABISAI FRATRI SUO, QUI DIREXIT ACIEM ADVERSUS FILIOS AMMON. — Ostendit Joab in hac divisione exercitus insignem belli peritiam. Duces enim belli, cum vident se cingi a fronte et a tergo, dividunt copias, unamque partem hostibus a fronte, aliam vero iis qui a tergo imminent, opponunt. Nec enim iidem milites a fronte et a tergo pugnare possunt; si enim cædant hostes a fronte, cædentur ab hostibus, qui tergo instant. Rursum quod selegerit fortissimos milites, quibus invasit, illicoque stravit Syros; illis enim prostratis, fugit altera acies Ammonitarum quibus instabat Abisai, frater Joab. Idem fecit Judas Machabæus, quin et Gentiles, ut Scipio, Annibal, Alexander, etc.; ac præ cæteris Claudius Nero, consul Romanus, qui Annibali oppositus, cum audiret Asdrubalem cum novo exercitu 56 millium adventare, ut se cum copiis fratris Annibalis conjungeret, secreto et celerrime Annibale inscio profectus cum selecta suorum manu, se cum castris Livii Salinatoris socii Consulis conjunxit, itaque inopinato invadens Asdrubalem, cum 56 millibus cecidit, ac victor rediens caput occisi ante Annibalis fratris stationes projecit, itaque eum obstupefecit et perculit, ut de fortuna Carthaginis actum esse diceret, seque in extremum Italiæ angulum ad Brutios contraheret, uti narrat Livius, decade 3, in fine lib. VII.

Vers. 18. 18. ET OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, ET QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM. — Dices : I *Paral.* cap. XIX, 18, plures numerantur, sic enim habet : « Et interfecit David de Syris septem millia curruum et quadraginta millia peditum. » Respondeo, liber Paralipomenon, ut patet ex nomine, supplet ea quæ in libris Regum omissa sunt, illa vero quæ et ibi dicta sunt obscurius, explicat clarius. Ergo, quod dicuntur hic occisi 700 currus, intellige milites pugnantes e curribus : milites enim occiduntur, non currus; unde id confirmat liber *Paralipom.* dicens : « Interfecit septem millia curruum, » id est septem millia militum pugnantium e curribus. Erant igitur currus septingenti, sed militum septem millia erant; quilibet enim currus continebat decem milites. Porro præter quadraginta « millia equitum, » quæ habet liber Regum, liber Paralipomenon addit quadraginta « millia peditum; » ita ut universim tam peditum, quam equitum cæsa sint 80 millia, præter septem millia pugnantium e curribus. Ita Abulensis, Sanchez, Serarius et alii. Denique Josephus asserit bellum hoc Ammoniticum finitum esse, ineunte hieme.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Lapsus Davidis in adulterium cum Bethsabee, et homicidium Uriæ.

1. Factum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba; David autem remansit in Jerusalem. 2. Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ; viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum; erat autem mulier pulchra valde. 3. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi. 4. Missis itaque David nuntiis, tulit eam; quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea : statimque sanctificata est ab immunditia sua, 5. et reversa est in domum suam concepto fœtu. Mittensque nuntiavit David, et ait : Concepi. 6. Misit autem David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David. 7. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab et populus, et quomodo administraretur bellum, 8.et dixit David ad Uriam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. 9. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. 10. Nuntiatumque est David a dicentibus : Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam : Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? 11. Et ait Urias ad David : Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent; et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. 12. Ait ergo David ad Uriam : Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera; 13. et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum : qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. 14. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ, 15. scribens in epistola : Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, et derelinquite eum, ut percussus intereat. 16. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. 17. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus. 18. Misit itaque Joab, et nuntiavit David omnia verba prælii, 19. præcepitque nuntio, dicens : Cum compleveris universos sermones belli ad regem, 20. si eum videris indignari, et dixerit : Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur? 21. Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes? quare juxta murum accessistis? Dices : Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit. 22. Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia quæ ei præceperat Joab. 23. Et dixit nuntius ad David : Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum; nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis. 24. Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. 25. Et dixit David ad nuntium : Hæc dices Joab : Non te frangat ista res; varius enim eventus est belli : nunc hunc, et nunc illum consumit gladius; conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas

eam, et exhortare eos. 26. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum. 27. Transacto autem luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium; et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM, VERTENTE ANNO EO TEMPORE, QUO SOLENT REGES AD BELLA PROCEDERE, — scilicet exacta hieme, in vere sequentis anni, puta in martio, quo Mars dominari solet, et reges ad bella procedere.

MISIT DAVID JOAB, etc., — David vero domi remansit, ideoque incidit in adulterium et homicidium; unde Theodoretus, *Quæst.* XXV : « David, ait, cum esset in acie, mentemque exerceret in belli cura, ex legibus divinis vitam suam administrabat; parvas autem assecutus inducias, passus est lapsum. » Vide hic quam bellum, aut negotium præstet otio : negotium Davidem fecit castum, otium adulterum.

OBSEDERUNT RABBA. — Erat hæc urbs potens, regia et metropolis Ammonitarum, ita dicta a magnitudine : « Rabba » enim, vel « Rabbath, » hebraice idem est quod *multa*, id est magna, per enallagen quantitatis discretæ pro continua : quanquam vere erat quoque *multa* in numero incolarum et civium. Eadem dicta quoque est « Ammon » vel « Amman, » et « urbs aquarum, » cap. XII, vers. 27, eo quod Jaboc torrens eam circumfluat. Denique a Ptolemæo Philadelpho, secundo Ægypti rege, qui Biblia ex Hebræo in Græcum per septuaginta Interpretes transferri curavit, subjugata, dicta est *Philadelphia*, quod nomen hucusque retinet.

Vers. 2. 2. ACCIDIT UT SURGERET DAVID DE STRATO SUO POST MERIDIEM (1), — somno et cibo pastus distentusque, ideoque in venerem proclivis : hujus enim stimuli sunt deliciæ regales, desidia et somnus : in somno enim fit cibi concoctio, cujus ultima pars est semen; quod enim corpori alendo superfluit, vertitur in semen. Quapropter somnus matutinus castis periculosus est : tunc enim peracta concoctione reliquum alimenti in semen transit, quod venereas cogitationes motusque efficit. Qui ergo student castitati non stertant in multam lucem, sed mane surgant, imo auroram cum philomelis Deum laudando præveniant : ac ituri cubitum se B. Virgini et Angelo Custodi serio commendent, ut nocturnas carnis tentationes et diaboli illusiones impediant : denique cum primum evigilant, illico mentem ad Deum et Christum orando convertant, ut a carnalibus cogitationibus eam avertant; has enim et caro somno adhuc semisopita, et dæmon tentator suscitare solent.

VIDITQUE MULIEREM SE LAVANTEM EX ADVERSO (domus enim Uriæ erat vicina, et ex adverso palatii Davidis, ut notat Adrichomius in *Tabulis Geographicis*) SUPER SOLARIUM SUUM, — refer hoc ad *vidit*, non ad *mulierem*; nec enim mulier erat super solarium Davidis, sed David ambulans super solarium, vidit ex adverso palatii mulierem se lavantem, ut patet ex Hebræo. Minus recte ergo Abulensis censet Davidem vidisse Bethsabee lavantem se super solarium domus Uriæ mariti sui; hoc enim indecorum et incommodum fuisset. Lavabat ergo se vel in domo, ut vult Vatablus, vel in horto ad fontem, qui etiamnum ostenditur, ait Adrichomius, et ex eo Serarius et Pineda. Unde Septuaginta habent : *Vidit David a solario mulierem lavantem se*, Hebraice, *e tecto vidit lavantem*. Hæc fuit nova causa lapsus Davidis, nimirum visio mulieris seminudæ : oculi enim sunt in amore duces; ac proinde impossibile est lascivam cogitationem arcere a mente, nisi ab oculis arceatur lascivus mulieris aspectus. Unde *Job* cap. XXXI, 1 : « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. »

Oculi custodiendi gnomæ.

Audi Clementem Alexandrinum, lib. III *Pædag.* cap. XI, sub medium : « Lascivi autem aspectus, et versatilibus, et tanquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia. » Quin et Cyrus apud Xenophontem, lib. V *Pædiæ* : « Ignis, ait, tangentes urit, pulchri vero etiam eos qui procul aspiciunt, incendunt, ut amore ardeant. » Sigillatim vero de Davide S. Chrysostomus in *Psal.* L : « Aperuit, ait, in vano oculos, et suscepit ictum sagittæ; audiant curiosi, qui pulchritudines alienas considerant, » etc. Et S. Augustinus, *homil.* 21, inter. 50 : « Sit, inquit, casus majorum, tremor minorum, » etc. « Boni viri, Ecclesiæ filii, et in Christi amore perfecti, audientes tam sancti viri ruinam, abstinent oculos, non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, etc. de longe vidit illam David, de qua captus : mulier longe, libido prope; numquid tu fortior Davide, Salomone sapientior? Si illos tam sanctos viros incauta familiaritas mulierum, et perniciosa blandimenta vicerunt; quid de se cogitant illi qui cum extraneis mulieribus, non solum conversari, sed in eadem domo manere nec metuunt, nec erubescunt, » etc. Addit S. Augustinus nimiam prosperitatem et abundantiam fuisse Davidi ruinæ causam : « Idcirco, inquit, adversus felicitatem acrius vigilandum est. »

Denique Torniellus censet Davidem peccasse cum Bethsabee anno regni sui 15; Salianus vero et Pineda anno regni 19, ætatis vero 49; et hoc verius videtur, uti ostendam cap. XII, vers. 24. Hic enim annus est septimus climactericus, qui

(1) Regionum ad meridiem usum nunc adhuc habent incolæ dormiendi per diei æstus.

magnam inducit naturæ indeque affectuum morumque mutationem, sicut nonus climactericus est annus 63, qui multis magnam alterationem, ac non paucis mortem affert.

BETHSABEE FILIA ELIAM. — Tradunt Hebræi apud S. Hieronymum hunc Eliam fuisse filium Achitophel, ideoque Achitophel postea conjurasse cum Absalomo contra Davidem, ut vitium nepti suæ a Davide illatum ulcisceretur. Id probabile esse censet ex Hugone Salianus. Poterat enim Achitophel avus 60 esse annorum, Eliam pater 40, Bethsabee filia 18. Idem censent Abulensis, Dionysius et alii. Porro « Eliam, » transpositis litteris, « Ammiel » vocatur I *Paral.* III, 5 : « Ammiel » enim Hebraice idem est quod *populus meus Deus* : « Eliam » vero idem quod *Deus meus populus*. Denique « Eliam filius Achitophel » fuit unus ex triginta fortibus Davidis, æque ac Urias Hethæus, ut patet II *Reg.* XXIII, 34 et 39, fierique potest ut inde coaluerit affinitas Uriæ cum Eliam, ducta ejus filia in uxorem, quod uterque esset in cohorte et domo fortium Davidis, ejusque pater Achitophel esset vir sapiens, celebris et consiliarius regis. Tandem Bethsabee (quæ corrupte a Græcis et multis Latinis nominatur *Bersabee*) Hebraice dicitur *Bath Sceba*, id est filia saturitatis, vel *Bat Scua*, id est filia divitiarum vel salutis, ait Pagninus, ac talis evasit, postquam pœnitens Davidis uxor facta, sanctam cum eo egit vitam, imo evasit prophetissa, et Salomonem filium ad omnem pietatem erudivit, uti ostendi *Prov.* XXXI, 1 et seq.

UXOR URIÆ HETHÆI, — hoc est Gethæi, inquiunt nonnulli, qui scilicet erat ex fortissimis et antiquissimis militibus Davidis, qui eum in Geth fugientem secuti fuerant, ideoque dicebantur « Gethæi » vel « Hethæi. » *Geth* Hebraice significat *torcular*, idque hic est appositum : nam ibi cum Davide torculari persecutionis Saulis pressus fuit Urias, ac simili, imo majori torculari hic oppressus a Davide. Verius Adrichomius in *Descriptione tribus Juda*, num. 128. *Eth*, inquit, sive *Heth* locus est in regione Hebronis, quem *Ethæi* sive *Hethæi* populi, ab *Ethæo* sive *Hethæo* filio Chanaan orti, incoluerunt : a quibus Abraham speluncam duplicem emit. Ex hoc etiam loco Urias, vir Bethsabee, fuit oriundus, qui Ethæus sive Hethæus, teste Hieronymo, vocitatus est. Hoc, ut dixi, videtur verius. Nam *Geth* et *Gethæus* Hebraice scribitur per *ghimel*, *Heth* vero et *Hethæus* per *chet* ; *Heth* autem Hebraice idem est quod *pavor, terror, contritio* : unde *Hethæus* idem est quod *pavorem incutiens, terribilis, conterens*, qualis fuit Urias vir fortissimus. Ita sentiunt S. Hieronymus, Adrichomius, Salianus et alii. Minus recte ergo Procopius et Theodoretus censent Uriam dici Hethæum, quod oriundus esset ex Hethæis, qui erant una ex septem gentibus Chananæorum, quos Hebræi duce Josue expulerunt, sed Uriam ad Judaismum fuisse conversum factumque proselytum : et Abulensis qui putat Uriam dici Hethæum, non quod esset Hethæus, sed quod in terra Hethæorum habitasset. Serarius vero putat Uriam dici Hethæum, quod ipse aut ipsius pater contra Hethæos præclari quippiam gessisset, quemadmodum Archias dictus est Samius apud Herodotum, lib. III, cum esset alioqui Lacedæmonius. Denique Josephus : « Urias, inquit, erat civis Hierosolymitanus magna, ob fortitudinem tam apud regem, quam contribules, gloria. » « Hierosolymitanus, » intellige habitatione, aut nativitate, quod ibi natus esset, licet oriundus ex *Heth*, uti dixi.

4. DORMIVIT CUM EA. — Adulterium cum ea commisit. Mirus et profundus fuit hic sancti regis, Psaltis et Prophetæ Davidis lapsus, qui docet nos in timore et tremore operari salutem nostram. Nam S. Basilius, hom. 22 *De Humilitate*, et in *Regulis brevior.* resp. 81, docet causam lapsus et negationis S. Petri fuisse præsumptionem qua dicebat : « Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » Sic et causam lapsus Davidis in homicidium et adulterium fuisse eamdem præsumptionem, quod scilicet semel gratia singulari visitatus dixerit illud *Psal.* XXIX, vers. 7 : « Ego dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum. » Unde mox pœnam subdit : « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. » Idem *Psalm.* CXVIII, 67 : « Priusquam, inquit, humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi. » Hinc S. Franciscus suis dabat hoc documentum : « Cum gratiam acceperis a Deo, dic : Domine, custodi in me thesaurum tuum, quia ego illius latro sum. » Ita S. Bonaventura in ejus Vita, cap. *De studio orationis*. Quocirca S. Columbano adolescenti (ut habetur in ejus Vita cap. II), pia femina hoc dedit salutis et castitatis monitum : « Reminisceris suasu Evæ Adam dilapsum, Samsonem a Dalila seductum, David a pristina justitia pulchritudine Bethsabeæ corruptum, sapientissimum Salomonem, etc. Perge, o juvenis, perge, evade ruinam, per quam multos comperis corruisse; declina viam quæ inferi ducit ad valvas. » Nugantur hic Rabbini in Talmud, qui, ut Davidem excusent a peccato, dicunt Uriam æque ac cæteros milites ad bellum euntes, uxori dedisse libellum repudii; quare illam jam repudiatam et lege solutam potuisse nubere Davidi; verum hoc falsum esse liquet, ex eo quod David Uriam e bello accitum jusserit domum ad uxorem suam redire, idque se facturum neget Urias vers. 11.

Vers. 4. — Præsumptio causæ lapsus Davidis. — Contra eam munita.

Porro S. Epiphanius in *Vita Nathan Prophetæ*, et ex eo Abulensis asserit Nathan absentem in spiritu prævidisse concupiscentiam Davidis, quare ut ejus peccatum impediret, festinanter perrexisse Hierosolymam; sed Beliar, vel potius Belial, id est diabolum ei objecisse remoram, nimirum mortuum quemdam nudum, quem dum sepelit Nathan, David adulterium commisit. Cujus rei fides sit penes S. Epiphanium.

Mystice (quod novum et mirum est), Patres ple- — Patres

mystice adulterium Davidis explicant de Christo desponsante sibi Gentiles.

rique adulterium Davidis interpretantur de Christo Ecclesiam gentium sibi desponsante. Unde S. Ambrosius libro III *in Lucam* : « Mysterium, ait, in figura, peccatum in historia; culpa per hominem, Sacramentum per Verbum. » Quasi totum mysterium in eo fuerit, ut Verbum alienam naturam ad suam hypostasin, sicut David alienam uxorem ad suum thalamum conjugarit : deinde idem typum gesserit Christi Domini Ecclesiam sibi ex Gentibus in sponsam cooptantis. Ita quoque S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum,* cap. LXXXVII : « Iste, inquit, David graviter sceleratequeque peccavit; verumtamen ille desiderabilis omnibus gentibus, adamavit Ecclesiam super tectum se lavantem, id est, mundantem se a sordibus sæculi, et domum luteam spiritali contemplatione transcendentem atque calcantem. » Ac si diceret : Quamvis David alienam sibi uxorem assumendo graviter deliquerit, tamen Christum Dominum sibi Ecclesiam pro Synagoga desponsantem significavit. Addit S. Augustinus et ex eo Beda, David occidisse Uriam, id est Christum occidisse diabolum, eique extorsisse sponsam, scilicet Ecclesiam gentium. *Tertio,* S. Gregorius, lib. III *Moral.* cap. XXI : « David, ait, est Christus, Bethsabee est lex vetus, quam Christus ab Uria, id est, a Judæis abstulit sibique conjunxit, quia per se illam prædicari declaravit. » Idem ex S. Gregorio descripserunt Eucherius, Angelomus, Rupertus et alii; ac similia habet S. Ambrosius, *Apolog.* 1 *Davidis,* cap. III. Pergit S. Gregorius : « Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur; quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens, implere renititur, ipse defert judicium, unde damnetur. » Unde concludit : « Quid per factum istud Davide scelestius? quid Uria mundius dici potest? Sed rursum per mysterium, quid Davide sanctius, quid Uria infidelius invenitur? Quando et ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam, et iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam. »

Hæc allegoria est impropria.

Verum hæ allegoriæ non sunt propriæ et primæ classis, sed secundæ et impropriæ, quia laxiores sunt, nec ex æquo respondent litteræ et historiæ. Est enim in eis aliqua quidem proportio et analogia, at non per omnia similis, sed in multis dissimilis. Quod enim David fecit cum peccato, hoc Christus fecit ex sanctitate et misericordia. Quare in his allegoriis David non tam spectandus est, ut initio adulterans cum Bethsabee, quam ut postea eam sibi copulans matrimonio. Sic enim repræsentavit Christum despondentem sibi Ecclesiam ex Gentibus.

Rursum Urias vir fortis, fidelis et pius, non apte repræsentat diabolum, nisi quatenus ipse fuit Hethæus. Si enim per Hethæum accipias Gethæum, oriundum ex Geth, urbe Philistinorum; vel Hethæum, id est oriundum ex Hethæis, qui erant una ex septem gentibus Chananæorum, quas Deus deleri jusserat, uti nonnulli accipiunt; sic recte Urias repræsentat diabolum, utpote patrem impiorum et infidelium, quales erant Hethæi et Chananæi. Vide nostrum Salmeronem, *Prolegomeno* 9, capite X et XI. Simili modo Osee jussu Dei cap. I, meretricem duxit in uxorem, ut repræsentaret Deum et Christum, qui in Ecclesia sibi copulavit idololatras, qui antea cum idolis mystice fornicabantur.

STATIMQUE SANCTIFICATA EST AB IMMUNDITIA SUA, — *q. d.* Abluit corpus aqua lustrali, ritu legis veteris « sanctificata, » id est benedicta, itaque emundavit se ab irregularitate legali, contracta ex congressu cum David, juxta legem *Levit.* cap. XV, vers. 18, verum peccatum, sive culpam adulterii non abluit; hæc enim non aqua, sed pœnitentia et lacrymis abluenda est.

5. MITTENSQUE NUNTIAVIT DAVID, ET AIT : CONCEPI, — *q. d.* Ait S. Chrysostomus in *Psal.* L : « O rex, perii. Et ille ait : Quid habes? Prægnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsecus habeo, in ventre profero proditorem. Si venerit et viderit vir meus, quid dicam, quid loquar? quam excusationem prætendam? Inveniet me gravidam, et occidet me. » Unde moraliter infert Chrysostomus : « Videte et admiramini, Fratres, quantum mali sit delictis et peccatis obnoxium fieri. Rex militem timet, et formidat subditum, Imperator coronam capite gestabat, et confusionis opprobria metuebat. » Vers. 5.

6. MITTE AD ME URIAM HETHÆUM. — Causa fuit, ait Abulensis, ut David liberaret se infamia adulterii, et Bethsabee a morte, ob idem adulterium ab ea perpetratum : vocavit ergo Uriam, ut is putaretur rem habuisse cum Bethsabee uxore sua, itaque infans quem ex Davide secreto conceperat Bethsabee, putaretur esse filius Uriæ mariti, non Davidis adulteri. Si enim Urias post longiorem temporis moram rediisset uxore gravida vel pariente, omnibus notum fuisset hunc filium non esse Uriæ, sed alicujus adulteri, ac tandem inquisitione facta deprehensus fuisset David adulter esse hujus fœtus parens. Ita Chrysostomus in *Psalm.* L. Vers. 6.

11. ET AIT URIAS (vir robustior spiritu quam corpore) AD DAVID : ARCA DEI ET ISRAEL (milites et decem tribus obsidentes Rabba) ET JUDA HABITANT IN PAPILIONIBUS. — Hinc patet arcam per Abiathar pontificem ductam fuisse ad castra et obsidionem Rabba, ut Dei ductu et ope eam expugnarent. Vers. 11.

ET EGO INGREDIAR DOMUM MEAM, UT COMEDAM ET BIBAM, etc., PER SALUTEM TUAM ET PER SALUTEM ANIMÆ TUÆ (juro quod) NON FACIAM REM HANC. — O militem fortem et sanctum, qui tamen indignam sua fide et robore mercedem retulit a Davide, utpote ab eo morti destinatus. Ita pii hic opprimuntur, ut in futuro Christi judicio exaltentur, beentur et glorificentur coram omnibus Angelis et hominibus. Idem quod Urias, dicat faciatque Christianus generose pro Deo et animarum salute

laborans, ac labori succumbens et occumbens, sed oriens quieti et gloriæ beatæ æternitatis. Unde *Urias* Hebraice idem est quod, *lux mea Deus*, vel *ignis meus Deus*; *Hethæus* idem est quod, *abscissus*, ait S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXXVII.

Vers. 13. 13. ET INEBRIAVIT EUM, — ut ebrius domum rediret, et cum uxore dormiret, itaque ipsa ex eo, non ex Davide fœtum concepisse putaretur. Vide hic ut unum peccatum trahat aliud. En David ut adulterium tegat, procurat fœtum suum supponere Uriæ; quod erat crimen injustitiæ. Sic hodie adulteræ filios ex adulterio susceptos supponunt et arrogant suis maritis; itaque fraudem et injustitiam committunt, dum hac suppositione efficiunt ut maritus eos quasi suos alat, et hæredes instituat cum damno verorum filiorum; ad cujus damni restitutionem tenentur adulteræ, quia ejus causam dederunt. Rursum David, ut hanc fœtus sui suppositionem adornet, Uriam inebriat, quod tertium fuit ejus peccatum. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 231 *De Temp.*: « Qui alterum cogit, ut se plus quam opus est, bibendo inebriet; minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret, quam ejus animæ per ebrietatem noceret. » Et inferius ait eum sacrificare diabolo. Et S. Ambrosius, *Apolog.* 2 *David* cap. III : « Oculis, ait, excitatur libido, sed ebrietate succenditur; Noe ebriatus est, et qui non inebriatus est diluvio, inebriatus est vino. »

Vers. 14. 14. SCRIPSIT DAVID EPISTOLAM AD JOAB, MISITQUE PER MANUM URIÆ, — quia scribebat Joab, ut curaret Uriam ab Ammonitis occidi. Unde *litteræ Uriæ* æque ac *Bellerophontis* apud Lucianum, abierunt in proverbium, ac de iis dicuntur, qui litteras sui damni necisve causas perferunt. Opinatur noster Sanchez ex hisce litteris Uriæ Gentiles finxisse fabulam Bellerophontis, quod scilicet ipse acceptis commendatitiis a Præto rege litteris ad Jobathan (quod nomen alludit ad Joab hic) in mortem præcipitatus sit. Sic ex Moyse cum Deo loquente acceperunt fabulam Minois cum Jove colloquentis; ex Samsone, fabulam Herculis, aliaque plura similia, teste Clemente Alexandrino, lib. II *Strom.* Fuit hoc quartum et gravissimum Davidis peccatum, quo ut celaret adulterium ac adultera secure et jugiter frueretur, curavit occidi Uriam militem fortissimum, sibique fidissimum, ne scilicet ipse post bellum domum rediens, videnque uxorem gravidam vel parientem, sciens se cum ea rem non habuisse, eam ut adulteram traduceret, imo occideret, neve ipsa ad sui tutelam Davidem auctorem prolis conceptæ Uriæ assignaret et proderet. Porro homicidium Davidis valde aggravavit modus hic, quo eum occidit, qui fuit fraudulentus et proditorius : « Sic ex vitio vitium gignitur, ait Isidorus, sicut David non evitavit adulterium, perpetravit et homicidium. » Vide hic rursum quam libido, sibi blanda, aliis sit sæva et crudelis; ut enim suæ voluptati sola indulgeat, alios ea excludens, ablegat vel occidit. Mystice Rupertus, libro XI *De Divin. Officiis*, cap. I : « Tulit David uxorem, inquit, Uriæ Ethæi, ipsumque Uriam fecit occidi ferentem in manu sua scriptam mortis suæ sententiam; grave quidem committens piaculum secundum rem gestam, sed grande præsignans mysterium per Christum regem vitæ; manu fortem atque desiderabilem, suo tempore peragendum, » etc. Rursum D. Thomas, *Præf. in epist. Canon.* : « Litteras mortis suæ, ait, portant viri litterati qui sciunt et docent, et non faciunt. Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est scientia sine vita, et ideo non creditur ei. »

Vers. 16. 16. POSUIT URIAM IN LOCO; UBI SCIEBAT VIROS ESSE FORTISSIMOS. — Addit Josephus, Joab Uriæ commendasse fidem et strenuitatem, ut usque ad mortem pro Davide et Israele pugnaret, ac socios Uriæ secreto monuisse ut eum in pugna desererent, atque ab hostibus cingi cædique permitterent. Quid hac re magis proditorium aut scelestum dici fingique potest? Porro S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, asserit Davidem propter homicidium Uriæ a Deo prohibitum ædificatione templi, sed graviores ejus pœnas audiemus cap. sequenti.

Vers. 17. 17. ET MORTUUS EST ETIAM URIAS. — Ecce hic consummatum Davidis ingrati homicidium, cujus indignitatem graphice depingit et exaggerat Abulensis hic, *Quæst.* V in cap. XII. Porro permisit Deus tam graviter labi Davidem : *Primo*, ut eum humiliaret, ut scilicet ipse sciret se, licet per gratiam esset sanctus Propheta, et Psalmographus, tamen per naturam esse hominem fragilem et proclivem in peccata, uti sunt cæteri. Unde ipse idipsum jam lapsus confitetur in *Psal.* L : « Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. » *Secundo*, ut in ejus lapsu et erectione Deus suam justitiam æque ac misericordiam ostenderet; justitiam in peccati castigatione, misericordiam in culpæ condonatione : sicut quo major est morbus vel vulnus, eo major medici curantis peritia et efficacia ostenditur, ait S. Chrysostomus in *Psalm.* L. *Tertio*, ad aliorum exemplum, ut omnes a Davide lapso discant cavere lapsus occasiones, ac præsertim incautos feminarum aspectus. Audi S. Ambrosium *Apolog.* 2 *Davidis*, cap. III : « Non te vincat concupiscentia formæ, si non vis vinci; non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur : neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier videtur ad pretium, sed fortis ad vitium : quæ virorum pretiosas animas capit. » Probat id ex *Proverb.* cap. VI : « Ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? vel ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Cave ergo et tu ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis et amorem accendas. » Et inferius : « Si David infirmus, tu fortis? si Salomon lapsus est, tu immobilis? si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum? »

Causa prima ob quam Deus permisit labi Davidem.

Secunda.

Tertia.

Quarta. *Quarto*, ut, si nos labi contingat, non desperemus, sed cum Davide pœnitendo resurgamus, ac lapsus sit nobis stimulus ad majorem rigorem et virtutem. Unde S. Augustinus, *homil.* 21 inter 50: «Multi, ait, cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David, etc. Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant : audiant qui ceciderunt, ut surgant. Peccatum cum desperatione certa mors,» etc. Et S. Prosper, lib. II *De Prædict.* cap. XXVI : «David, ait, positus est in exemplum fidelibus, ut discant magis timere prospera, quam formidare adversa. Periculosum enim est animæ dimitti in voluptatibus suis, dicente Domino : Ecce quem diligo castigo,» *Proverb.* cap. III, vers. 10; *Apoc.* cap. III, vers. 19.

Vide S. Ambrosium in duabus *Apologiis* quas pro Davide conscripsit, ubi priore libro cap. II, sic ait : «Sancti sicubi forte, ut homines, corruerunt naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine; acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina; ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.» Et nonnullis interjectis : «Propositi enim ad imitandum nobis sunt, et ideo curatum est ut et ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum a vitiis inter tot lubrica hujus sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cujusdam superioris naturæ ac divinæ fuisse, ut delictum recipere, et culpæ consortium habere non possent.» Unde post pauca concludit : «Præteriit igitur paulipser illos Dei gratia, ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, et sicut innocentiæ, ita et pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo, dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco : dum credo consortes, imitandos esse præsumo.»

Vers. 26. 26. PLANXIT EUM, — Uriam maritum suum. Planctus hic apud Hebræos erat septem dierum, ut ait Ecclesiasticus, cap. XXII, vers. 13. Romani tamen, et postea Christiani Imperatores, ut Gratianus et Theodosius, statuerunt uxori annum ad lugendum mortem mariti, ita ut non nisi exacto anno luctus, posset alteri nubere. Causam dedi *Eccli.* cap. XXII. Verum nec David nec Hebræi exspectabant annum, unde mox a morte Uriæ duxit Bethsabee, sicut mox a morte Nabal duxit Abigail, lib. I *Reg.* XXV, vers. 39.

Vers. 27. 27. FACTA EST EI UXOR, PEPERITQUE EI FILIUM. — Filius ergo hic conceptus fuit in adulterio, sed natus in matrimonio, cum scilicet David Bethsabee, mortuo Uria, duxisset in uxorem. Qua in re peccavit David, quod scilicet eam, cum qua adulterium commiserat, occiso marito, illico duxerit in uxorem, tacite approbando prius adulterium et homicidium. Unde sequitur :

ET DISPLICUIT VERBUM HOC, QUOD FECERAT DAVID, CORAM DOMINO. — Fuit ergo hoc quintum Davidis peccatum : Judæis enim vetitum erat ducere illam, quam adulterio polluissent; non tamen erat irritum cum ea matrimonium, uti jam est apud Christianos; ut patet Extr. *de eo, qui uxorem duxit, quam polluit per adulterium.* Unde cap. sequenti, Nathan arguit Davidem, non tantum quod occiderit Uriam, sed etiam quod occisi uxorem a se adulterio maculatam duxerit : sic enim ait vers. 9: «Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi.» Et versu 10 : «Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Hethæi, ut esset uxor tua.» Videtur enim David pulchritudine Bethsabee illectus, eam concupisse in uxorem, ideoque occidisse Uriam. Nonnulli tamen cum Saliano Davidem excusant, quod illam duxerit, ut ejus famæ, pudori et vitæ consuleret, ne ut adultera lapidaretur; atque ut injuriam Uriæ illatam repararet, uxorem ejus honorando, et sibi in reginam asciscendo, ejusque liberos, si quos reliquerat, sibi arrogando. Verum hos fines postea intendisse, sibique præfixisse videtur David, cum cap. seq. a Nathan hac de re reprehensus, pœnituit : animumque adulterinis Bethsabee amoribus imbutum in castum conjugii ejus usum commutavit. Nam hucusque concupiscentiæ suæ obsecutus videtur : nec enim ullum dedit pœnitentiæ signum, nisi postquam correptus fuit a Nathan, ut audiemus cap. seq.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David a Nathan correptus pœnitet; Deus percutit ejus filiolum, vers. 15, *cui vitam flendo et jejunando flagitat David, sed frustra; quare David ex Bethsabee generat Salomonem Deo dilectum. Denique, vers,* 27, *David expugnat Rabbath, ejusque cives atrociter trucidat.*

1. Misit ergo Dominus Nathan ad David; qui cum venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. 2. Dives habebat oves, et boves plurimos valde. 3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat

et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens; eratque illi sicut filia. 4. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se. 5. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. 6. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit. 7. Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir; hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, 8. et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda; et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. 9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. 11. Itaque hæc dicit Dominus : Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. 12. Tu enim fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. 13. Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris. 14. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. 15. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. 16. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo; et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. 17. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra; qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18. Accidit autem die septima ut moreretur infans; timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus; dixerunt enim : Ecce, cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram, quanto magis si dixerimus : Mortuus est puer, se affliget? 19. Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus; dixitque ad servos suos : Num mortuus est puer? Qui responderunt ei : Mortuus est. 20. Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est; cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, et adoravit, et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. 21. Dixerunt autem ei servi sui : Quis est sermo quem fecisti? Propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti et flebas; mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem. 22. Qui ait : Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi et flevi; dicebam enim : Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans? 23. Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum; ille vero non revertetur ad me? 24. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea; quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon, et Dominus dilexit eum. 25. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. 26. Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam. 27. Misitque Joab nuntios ad David, dicens : Dimicavi adversum Rabbath, et capienda est urbs Aquarum. 28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria. 29. Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath; cumque dimicasset, cepit eam. 30. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde; 31. populum quoque ejus

adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris et traduxit in typo laterum ; sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David, et omnis exercitus in Jerusalem.

Vers. 1. 1. MISIT ERGO DOMINUS NATHAN AD DAVID. — Vide quam cæcus per peccatum evaserit David. Nam per novem menses quibus Bethsabee ex eo conceptum fœtum utero gestavit et peperit, quasi Dei et sui oblitus, non cogitavit quanta scelera adulterii et homicidii commisisset, sed securus voluptatibus cum Bethsabee indulgebat. Idcirco Deus ejus miserens misit ad eum Nathan, qui scelerum gravitatem ei ostenderet, ac pœnas a Deo decretas denuntiaret.

« Nathan » hic alius fuit a Nathan filio Davidis et fratre Salomonis, utpote parvulo, et forte necdum genito. Hic enim Nathan fuit propheta familiaris Davidi, cum quo negotia sua tractare ejusque consilia sequi solebat David : ideoque meruit hic ab eo corripi, et a via gehennæ in semitam salutis reduci. David enim ita diligebat Nathan, ut ab eo unum filiorum suorum vocarit Nathan, ut ait Genebrardus.

DUO VIRI ERANT IN CIVITATE. — Nathan sapienter non aperte, sed per ambages orditur correptionem, ut regis animum amoribus sopitum et superbum a somno peccatorum excitet. Festivam ergo ei proponit parabolam, per quam gratiose ei sceleris sui enormitatem ostendit, ne, si clare idipsum faceret, rex excandesceret, et correptionem sperneret, diceretque, ait S. Augustinus, *homil.* 21 inter. 50 : « Tu cum sis pauper et humilis, quomodo ausus es mihi loqui regi? » Quare sermonem inducit, quasi de alio aliquo, non de Davide ageret : ut David alium videretur damnare, non seipsum; unde Græci codices nonnulli hic præfigunt : *Renuntia,* vel *responde mihi judicium.* Usus est ergo parabola, ut suo seipsum judicio rex damnaret, neque ipsum irritaret : « Ad secandum et sanandum vulnus cordis ejus, ferramentum fecit Deus de lingua ejus, « inquit Augustinus, *homil.* 21. « Sed velut prudens medicus ferrum tegebat, » parabolico scilicet velamento.

Porro hic est sensus, et hæc applicatio Parabolæ : « Duo viri, » sunt David et Urias; ille dives, hic pauper ; David multas habebat oves, id est, uxores ; Urias unicam, scilicet Bethsabee : hanc ei ademit David per adulterium, itaque gravem ei intulit injuriam, ac seipsum reum fecit mortis præsentis et æternæ. Ita Abulensis et alii.

Vers. 5. 5. FILIUS MORTIS EST VIR QUI HOC FECIT, — *q. d.* Reus est mortis. Vox enim « filius, » Hebræis cum jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod *reus,* vel *dignus.* Sic filius mortis, iræ, gehennæ, est reus mortis, iræ, gehennæ : filius vitæ, gloriæ, resurrectionis, idem est quod dignus vita, gloria, resurrectione.

Vers. 6. 6. OVEM REDDET IN QUADRUPLUM. — Hæc enim restitutio furi ovis indicitur, *Exodi* XXII, 1. Vide ibi dicta.

Vers. 8. 8. ET DEDI TIBI DOMUM DOMINI TUI, ET UXORES DOMINI TUI IN SINU TUO. — Pro *uxores* Hebraice est נשים *nascim,* quod non tantum uxores, sed et feminas quaslibet significat. *Feminæ* autem, id est *filiæ* Saulis fuere Merob et Michol quas Deus Davidi dedit uxores : Merob enim a Saule fuit desponsata Davidi, licet postea per fraudem Saul illi eamdem abstulerit. Rursus Hebræi tradunt Eglam, uxorem Davidis, fuisse prius uxorem Saulis, æque ac Respham : sed hoc refutat Abulensis hic, *Quæst.* III. Denique hic non tam significatur actus, quam jus et potestas, quod scilicet David succedens Sauli in regno, habuerit jus in ancillas et uxores Saulis, ut posset eas, si vellet, sibi matrimonio copulare. Ita Lyranus, Abulensis et alii.

Vers. 10. 10. QUAMOBREM NON RECEDET GLADIUS DE DOMO TUA USQUE IN SEMPITERNUM, — non absolute, sed respective, scilicet respectu domus Davidis et Israelis, *q. d.* Quamdiu durabit tua regia stirps, et quamdiu durabit regnum Israelis, faciam ut gladius semper incumbat tibi, domuique tuæ, nec ab ea recedat, *q. d.* Tu gladio Ammonitarum Uriam occidisti, idcirco in pœnam non unus, sed multi e filiis et posteris tuis gladio occidentur. Ita factum : nam ex filiis Davidis occisi quatuor, scilicet hic parvulus vers. 15, Ammon, Absalom, et Adonias, et forte plures alii. Deinde posteri Davidis excepto Salomone continua cum hostibus gessere bella, in quibus multi Israelitæ, et prognati ex Davide et fratribus ejus occisi sunt. Ita Abulensis, Salianus et alii.

Vers. 11. 11. ECCE EGO SUSCITABO SUPER TE MALUM DE DOMO TUA, — ut scilicet Absalom filius tuus persequatur te. Nam, ut ait S. Chrysostomus in *Psalm.* III : « Unde est fons peccati, illinc est plaga supplicii ; quia ergo a præcepto Domini exul fugitivusque fuerat, propterea filium fugiebat. » Et mox : « Nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret. » Morale deinde documentum subdit, eos, qui in juventute cum mulieribus peccarunt, postea incidere in uxores molestas et rixosas, a quibus præterita libido per Deum castigatur, juxta illud *Ecclesiast.* VII, 27 : « Qui autem peccator est, capietur ab illa, » quasi ab amorum antidoto, quod peccatorum malos humores consumat. Audi Chrysostomum : « Uxor tecum bellum gerit, ingresso tanquam fera occurrit, linguam tanquam gladium acuit. Res quidem valde molesta ac difficilis, quod auxiliatrix adversaria facta est : teipsum tamen examina, numquid in juventute in mulierem novi quid attentaris, et quod mulieri a te vulnus inflictum

Juvenes fornicantes incidunt in uxores molestas.

est, curetur per mulierem, et alienum ulcus propria uxor chirurgi officio fungens medicetur; et quamvis quæ secet ignores, novit tamen Deus medicus. Ipse enim ea tanquam ferro adversus te usus est; et quemadmodum ferrum nescit quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit medicus; ita etiam licet ignoret uxor quæ ferit, et maritus qui feritur, causam ictus, Deus tamen ut medicus novit quid conferat. »

Vers. 12. 12. EGO AUTEM FACIAM, etc., IN CONSPECTU SOLIS.— Absalom enim publice in solario coram toto Israel violavit uxores patris sui, cap. XVI, 22, nimirum sic congrua talione solarium supplicii correspondit solario adulterii, unde David prospexit et concupivit Bethsabee. Atque parum hoc est: Insuper respondit sol solario, vel potius meridianus sol vespertino jam tempori, cum post meridiem David deambulavit in solario. Dictum enim est illi: « Tu fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu Israel, et in conspectu solis. » Ergo adulterio nullum est operimentum, sed Deus illud licet occultum in lucem educit et propalat, sicut propalavit hic omnibus non tantum Israelitis, sed et gentibus, adeoque sæculis futuris mœchiam et cædem Davidis. Quanta ergo erit confusio adulteris et sceleratis in die judicii, ubi coram omnibus Angelis et hominibus Christus cujusque crimina patefaciet, arguet et damnabit?

Vers. 13. 13. ET DIXIT DAVID AD NATHAN: PECCAVI DOMINO, — in Dominum, contra Dominum, idque coram Domino, eo vidente et intuente, esto coram hominibus idipsum celarim et absconderim. Hoc verbum, « peccavi, » breve est; sed ex intimo cordis sinu profectum, ac profundo humilitatis, compunctionis, pœnitentiæ, religionis et charitatis sensu refertum, uti liquet ex *Psalm.* L, quem tum dictavit: « Miserere mei, Deus, » ubi inter cætera ait: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. »

Quanta pœnitentia Davidis ex S. Ambrosio. Quocirca hanc Davidis vocem, « peccavi, » Patres examinantes, mirifice exaggerant et celebrant. *Primo*, S. Ambrosius, *Apolog. 1 David.* cap. II: « Ille, inquit, rex tantus et potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui, si arguatur alicujus culpæ reus, non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, cum a privato homine corriperetur; quod graviter deliquisset: non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit. » Idem S. Ambrosius, ibidem cap. IV: « Peccavit David, inquit, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccavit, conditionis est; quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est; diluisse, virtutis. » Idem rursus cap. IX, sic ait: « Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit; quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu, se oculis, signari putat: si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur, ante oculos ejus semper est error proprius: et momentis omnibus culpa pulsat conscientiam; nec quiescere, nec oblivisci sinit: velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. » Causam subdit Ambrosius: « Bonæ mentis est vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem: quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Ubi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ. » Denique S. Ambrosius, *Exhortat. ad pœnitent.*: « Peccavi in tribus syllabis, ait, flamma sacrificii ad cœlum ascendit. »

Ex S. Augustino. *Secundo*, S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXVI: « Hic est, inquit, pœnitentiæ sacrificium, » et cap. LXVII: « Cordis ejus, inquit, profunda cernebat spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit: Peccavi, continuoque ad hoc verbum audire meruit, quod acceperit veniam: ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem? neque enim prætermissa est in illo secundum comminationem, flagelli paterni disciplina; ut et confessus in æternum liberaretur, et afflictus temporaliter probaretur. » Si dicas etiam Saulem et Judam proditorem dixisse, « peccavi, » nec tamen ita pœnituisse, ut veniam sint adepti. Respondet S. Augustinus: « In simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod divinus oculus discernebat. » Idem Augustinus, *homil.* 21 inter 50: « Audi, inquit, Davidem clamantem, et simul clama; audi gementem, et congemisce; audi flentem, et collacrymare. » Unde liquet Davidem ex vehementia doloris interni prorupisse in profusas lacrymas, gemitus et singultus, qui vocem illi interciperent, ut non aliud effari posset, quam τὸ *peccavi Domino*. Id ita esse liquet ex *Psal.* VI, 7, ubi ait: « Lavabo per singulas noctes lectum meum (in quo scelus commisi) et lacrymis meis stratum meum rigabo, » ubi pro *lavabo*, Hebraice est אשחה *asche*, id est, *natare faciam, q. d.* Tot fundam lacrymas non tantum nunc, sed per omnem deinceps vitam, ut iis lectus sceleris conscius obruatur, imo innatet.

Ex S. Chrysostomo. Unde *tertio*, S. Chrysostomus in *Psalm.* VI, et homil. 77 *ad Populum*: « Ne consideres, ait, quod cecidit ut torpeas; sed quantum postea

lacrymarum fuderit, quantum pœnitentiæ noctes jungens diebus, fontes emittens lacrymarum, lectum lacrymis abluens, saccum indutus, » etc.

Ex Salviano. *Quarto*, S. Salvianus, lib. III *De Gubernat. Dei* : « Agnoscit, inquit, David reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, corde et cultu mutatur, totum regem cum ornatibus suis abjicit, jejunio exugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur. »

Ex S. Hilario. *Quinto*, S. Hilarius in *Ps.* CXVIII, littera *P*, vers. ult. : *Exitus aquarum* : « David, inquit, tunc cum Nathan propheta arguente crimen suum recognovit et flevit; nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens : Exitus aquarum transierunt oculi mei : fontes scilicet lacrymarum suarum fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pœnitentiæ vox est lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, et per hanc confidentiam dicere : Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est fonte fletuum flere, et largo lacrymarum imbre madefieri. »

DIXITQUE NATHAN AD DAVID : DOMINUS QUOQUE TRANSTULIT PECCATUM TUUM. — Pro *transtulit* Hebraice est העביר *heibir*, id est, transire fecit, id est, amovit, *abstulit*, ut vertunt Septuaginta hic, ac Noster et alii passim, *Zachar.* cap. II, vers. 4, et *Psalm.* CXVIII, vers. 39. Hinc patet quanta fuerit in Davide doloris vehementia, utpote cui dicenti : « Peccavi, » Deus statim peccatum remiserit. Ita S. Ambrosius, *Apolog. 1 David.* cap. II : « Maturitas veniæ, inquit, profundam fuisse regis pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. » Idem docet S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, capite LXVII, imo ipse David *Psal.* L, dicens : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Unde liquet contritionem perfectam, quæ scilicet ex amore Dei super omnia procedit, delere peccata omnia quamvis gravissima, uti fuere adulterium et homicidium Davidis : ita nimirum ut Deus contrito illico omnem culpam et pœnam æternam condonet, eamque in pœnam temporariam commutet : hanc enim ad disciplinam et satisfactionem pœnitenti luendam esse, uti luit hic David, docent S. Ambrosius et Augustinus, jam citati, ac S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. XXVII : « Delinquenti, ait, Dominus nequaquam parcet, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc loco in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. » Vide Bellarminum, lib. IV *De Pœnit.* cap. II, III et IV.

Quocirca S. Ambrosius Theodosium Imperatorem arguens, quod ex ira tot millia Thessalonicensium ob dejectam uxoris suæ statuam occidisset, cum ille diceret Davidem quoque peccasse cæde Uriæ, subjecit : « Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. » Et revera secutus est. Nam injunctam sibi ab Ambrosio pœnitentiam humiliter suscepit et explevit. Vide S. Ambrosium in orat. *De funere Theodosii*, ac Bellarminum, lib. *De principe Christiano* in Vita Theodosii, sub finem.

NON MORIERIS. — Hinc videtur quod Deus, per Nathan intentans Davidis domui pœnam gladii usque in sempiternum, etiam in ipsum Davidem tulerit sententiam mortis, decreveritque ut ipse quoque gladio Ammonitarum vel Absalonis, etc., occideretur, sicut eodem occiderat Uriam : hæc enim est lex talionis, ut qui alium occidit; occidatur, *Exodi* XXI, vers. 23; sed ob eximiam ejus pœnitentiam, pœnam hanc mitigarit, condonando scilicet ei vitam, dicendo : « Non morieris; » ac simul temperando et minuendo alias cædes, quas domui ejus per gladium se immissurum comminatus fuerat. Ita Serarius, Abulensis, Lyranus, Cajetanus.

14. VERUMTAMEN, QUONIAM BLASPHEMARE FECISTI INIMICOS DOMINI, — ut dicerent : Ecce quam scelesti sunt Israelitæ Dei cultores, ac imprimis eorum rex et propheta David. Hæccine est sanctitas populi Dei? Hæccine pietas regum et prophetarum? Certe nostri dii tales non sunt, nec nos tales esse patiuntur. Vers. 14.

Disce hic quam grave sit peccatum scandali, præsertim quo fideles infidelibus dant occasionem blasphemandi Deum. Audi Salvianum, lib. IV *De Gubernatione Dei*, sub finem, explicantem τὸ *quia blasphemare fecisti* : « Deposito diademate, projectis gemmis, exutis purpuris, remota omni splendoris regii dignitate, cum pro his omnibus solitarius, gemens, clausus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam parvuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, et piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret : sic rogans et obsecrans obtinere non potuit, cum tamen, quod fortissimum petentibus adjumentum est, impetraturum se, quod sic a Deo peteret credidisset. Ex quo intelligi potest, quod nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare. Quicumque enim sine blasphemia aliorum graviter erraverit, sibi tantum affert damnationem; qui autem alios blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem; et necesse erit ut si pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum. » Et nonnullis interjectis : « Qui vero blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum hujus supra criminis humani esse mensuram; quia per convicia plurimorum, inæstimabilem Deo facit injuriam. Hoc autem, ut dixi, malum peculiariter tantum Christianorum est, quia per eos tantum blasphematur Deus, qui bona dicunt, et mala faciunt : qui, ut scriptum est, Deum verbis confitentur, et factis negant. » Addunt S. Hieronymus et Procopius, Davidem dedisse occasionem Ammonitis, Philistæis, etc., invadendi se suumque regnum,

utpote qui jam se divina gratia et favore per tantum scelus privasset.

FILIUS, QUI NATUS EST TIBI, MORTE MORIETUR, — id est, certo et irremissibiliter morietur, ut sicut ipse sceleris tui fuit objectum, sic et ejusdem sit piaculum. Fuit hæc pœna temperata clementia. Nam cessit in bonum infantis, utpote qui in innocentia mortuus, salvus evasit; alioqui forte instar patris peccaturus et damnandus; atque ipsius Davidis, utpote adulterium ejus, morte infantis quasi obliterans et sepeliens, uti docet Theodoretus : sic enim consultum fuit famæ et honori Davidis; filium enim ex adulterio genitum, quasi dedecus ipsius Deus sustulit, ac pro eo alium legitimum et longe præstantiorem dedit, scilicet Salomonem. Addunt nonnulli Davidem ipsum tunc gravi morbo ad castigandam ejus libidinem fuisse percussum a Deo; id enim ipse significat *Psal.* IV, qui est primus pœnitentialis, quem proinde mox a peccati pœnitentia composuisse videtur, dum ait : « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. » Et *Psal.* XXXVII : « Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis. » Ita Salianus.

Vers. 23. 23. NUNC AUTEM QUIA MORTUUS EST, QUARE JEJUNEM? — Nec enim eum a morte revocare potero, nec a pœnis Purgatorii liberare, utpote qui in innocentia mortuus nullas sustinet; secus est de Absalomo, cujus mortem planxit David inconsolabiliter, quia in peccato parricidii erat mortuus, ideoque damnatus ad gehennam. Ita S. Hieronymus, *epist.* 24.

Vers. 24. 24. ET CONSOLATUS EST DAVID BETHSABEE. — Tradunt Hebræi Bethsabee, metuentem ne et aliæ proles similiter morerentur, statuisse abstinere consortio Davidis, sed Davidem hunc metum ei exemisse, promittendo ex Deo primum ejus fœtum fore vitalem et felicissimum. Ita Pineda et Salianus.

QUÆ GENUIT FILIUM, ET VOCAVIT (non mater Bethsabee, ut vult Abulensis, sed ipse pater David, ait Serarius, Cajetanus et alii, ut patet ex masculino וַיִּקְרָא *vaicra*, idque jussu Dei, et oraculo Dei edito per Nathan prophetam, I *Paral.* cap. XXII, 9) NOMEN EJUS SALOMON, — id est *pacificus*, quia scilicet jam David Deo per pœnitentiam reconciliatus, pacem et veniam sui peccati acceperat; unde in signum pacis Deus dederat ei hunc filium, qui toto tempore regni sui futurus erat pacificus, ideoque typus Christi, qui est « pax nostra. » Rursum *pacificus*, id est, dives, felix omniumque rerum copia (hanc enim Hebraice significat pax) abundans, ait Abulensis, Pineda et alii. Audi Deum, lib. I *Paralip.* cap. XXII, 9 : « Filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus; faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum : et ob hanc causam (Salomon, id est) pacificus vocabitur, et pacem, et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. » Notat S. Hieronymus in *Tradit. in Genes.* cap. XVII, in veteri Testamento quatuor, antequam nascerentur, a Deo nomen accepisse, scilicet Ismael, Isaac, Salomonem et Josiam.

Salomonis etymon.

ET DOMINUS DILEXIT EUM, — prævenit eum Deus sua gratia et donis, quia destinabat eum successorem Davidis, fabricatorem templi et typum Christi. Unde pergit Deus loco *Paralip.* jam citato : « Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem, firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum. » Vide dicta cap. VII.

Vers. 25. 25. MISITQUE IN MANU NATHAN (id est per Nathan : *manus* enim significat medium, vel instrumentum) PROPHETÆ, ET VOCAVIT NOMEN EJUS, AMABILIS DOMINO. — Hebraice יְדִידְיָה *Iedidia*, quod Aquila, teste Theodoreto et Procopio, vertit, *in Domino*. Symmachus vero, *segregatus ad regnum;* sed clarum est hebraice peritis significare, *amabilis Domino*, ut vertit Noster, Septuaginta, Vatablus, Chaldæus, Pagninus et alii. Abulensis censet hoc nomen esse appellativum, Pineda vero proprium, ita ut puer hic propria nomina habuerit duo, scilicet Salomon et Iedidia. Utrumque concilia dicendo, Iedidia esse nomen commune quidem, sed a Deo appropriatum Salomoni.

Apposite *Iedidia*, puta *Salomon*, fuit filius David, quasi dilectus dilecti; *David* enim *dilectum* significat, sed *Iedidia* amplius, scilicet *dilectum Dei* vel *a Deo*.

Nota *primo* : Ex hoc loco vers. 24, liquet quod Salomon paulo post mortem infantis ex adulterio concepti genitus sit, adeoque ei successerit, ut luctum matris leniret et aboleret. Unde sequitur Salomonem fuisse primogenitum Davidis ex Bethsabee. Ita Pineda, Salianus, Serarius et alii.

Dices : Salomon ultimo loco ponitur inter filios Bethsabee, lib. I *Paralip.* cap. III, 6, ubi dicitur : « Nati sunt ei (Davidi) filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon; quatuor de Bethsabee. » Respondent aliqui tres priores, scilicet Simmaa, Sobab et Nathan, non fuisse filios Davidis, sed Uriæ prioris mariti, quos ipse ex Bethsabee uxore sua genuerit. Ita Abulensis, Lyranus, Vatablus, Torniellus, Hugo et alii. Sed hoc repugnat textui, qui habet : *nati sunt ei*, scilicet Davidi, qui præcessit. Item quod Lucas genealogiam Christi cap. III, deducat ex Davide per Nathan; quod falsum esset, si Nathan foret filius Uriæ, non Davidis. Quare dicendum ibi non servari ordinem temporis, et nativitatis, uti nec alibi subinde. Sic enim *Genes.* XLIX, alio ordine recensentur et benedicuntur filii Jacob a patre, quam ab eo geniti sint *Genes.* XXIX et XXX. Sic etiam in filiis Thare ordo generationis non servatur, ut dixi *Genes.* XI, 26. Ita Theodoretus, Procopius, Cajetanus, Pineda, Salianus et alii.

Nota *secundo* : Ex hoc loco patet illico post

mortem infantis conceptum fuisse Salomonem. Hoc enim exigit vers. 24, ubi dicitur : « Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam (lugentem infantis sui mortem), ingressusque ad eam, dormivit cum ea; quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon. » Quare perperam nonnulli inter mortem infantis et nativitatem Salomonis quadriennium interponunt.

Nota *tertio* : Hinc probabiliter colligitur Salomonem conceptum fuisse anno 50 ætatis Davidis, qui fuit regni ejus vigesimus, natum vero anno 51 ætatis Davidis, qui fuit regni ejus 21. Nam David mortuus est anno 40 regni sui. Tuncque successit ei Salomon, qui erat circiter viginti annorum, ut liquet ex eo quod jam tum genuerat Roboam filium, qui ei in regno successit : quia mortuus est Salomon anno regni sui 40, tumque succedens ei Roboam erat 41 annorum, ut dicitur III *Reg.* IV, 12. Quare necesse est ut Roboam uno anno ante regnum Salomonis ab eo genitus sit. Ita fere Pineda, Salianus et alii, licet alii aliter sentiant, et varii varie. Hæc magis patebunt lib. III *Reg.* cap. I.

Quocirca accipe verisimilem hanc de Davide chronotaxin Saliani et aliorum.

Chronotaxis gestorum Davidis.

David anno ætatis 49, qui fuit regni 19, in æstate peccavit cum Bethsabee, ex qua anno sequenti in vere natus est filius : quo, post paucos dies, mortuo, mox Bethsabee de Davide concepit Salomonem, quem post novem menses peperit anno Davidis 51, qui fuit regni ejus 21.

Eodem anno quo natus est Salomon, paulo post ejus natalem, Deus in pœnam adulterii Davidis permisit ejus filiam Thamar violari a fratre Ammon, ut audiemus cap. seq.

Post biennium ab hac violatione, scilicet anno Davidis 53, qui fuit regni 23, Ammon ab Absalomo fratre germano, et uterino Thamar, occisus est, ut patet cap. XIII, vers. 23.

Absalom ob fratrem Ammonem a se occisum fugit ad avum suum maternum regem Gessur, et apud eum mansit exul tribus annis, puta usque ad annum Davidis 56, qui fuit regni ejus 26, ut patet cap. XIII, vers. 38.

Finiente hoc anno Davidis 56, Joab Absalomum Davidi reconciliavit per mulierem Thecuitem, sed ita ut Absalom non sit permissus videre faciem patris per biennium, ut patet cap. XIV, 28.

Post hoc biennium, nimirum anno Davidis 58, qui fuit regni 28, Absalom per Joab inductus est ad Davidem, qui osculando eum sibi reconciliavit.

Absalom cœpit, anno sequente, qui fuit Davidis 59, ambire regnum, et patri machinari mortem; quare captavit, sibique devinxit animos plurium Hebræorum per omnes tribus : quo facto, anno proximo, qui fuit Davidis 60, regni 30, Absalom publicum bellum in patrem movit, in quo ipse cæsus est et suspensus, ac tribus lanceis a Joab confossus occubuit, ut patebit cap. XVIII, 14

David deinde vixit adhuc et regnavit annis decem; mortuus est enim anno ætatis 70, regni 40; cui successit Salomon annum agens vigesimum, qui regnavit annis 40, mortuusque est agens annum sexagesimum; junior cæteris illius ævi, quia libido ejus corpus exhauserat, ut cito senesceret et deficeret.

26. EXPUGNABAT (id est expugnare satagebat, acriter oppugnabat : nam postea a Davide expugnata est vers. 29; significatur ergo hic actus non perfectus, sed inchoatus) URBEM REGIAM. — *Rabbath*, sive Philadelphia. Sic dicitur *Psal.* CXXVIII, vers. 1, « sæpe expugnaverunt, » id est oppugnarunt, « me, » unde sequitur : « Etenim non potuerunt, » id est non prævaluerunt, « mihi. » Vers. 26.

27. ET CAPIENDA EST URBS AQUARUM. — Septuaginta et Chaldæus, *et cepi urbem aquarum*. Unde Cajetanus et Serarius opinantur urbis Rabbath duas fuisse partes, unam interiorem, alteram exteriorem, quæ dicta sit « urbs Aquarum, » quam ceperit Joab; sed interiorem capiendam reservarit Davidi. Verum versio Vulgata, quæ habet, *capienda est* (et hoc exigit *vau* conversivum in Hebræo, quod est in וְגַם *vegam;* hoc enim vertit præteritum in futurum), contrarium indicat, scilicet Joab non cepisse quidquam, sed totam urbem capiendam reservasse Davidi; quare « urbs Aquarum » non est alia quam « Rabbath. » Ita Josephus, Lyranus, Hugo, Abulensis, Dionysius et alii. Vers. 27.

Dices, I *Paral.* XX, 1, dicitur : « Percussit Joab Rabba. » Respondeo : « Percussit, » quia, ut paulo ante ibidem præcessit, Joab vastavit totam regionem circumcirca et multos civium Rabba occidit, ac tandem advocato Davide eam cepit. Tota enim virtus et laus expugnatæ et vastatæ urbis Rabba debebatur Joab, licet ipse ex modestia laudem hanc dederit Davidi; sed cur « Rabbath » vocatur « urbs aquarum? » Respondet Abulensis, eo quod alluatur Tigri et Euphrate, sicut iisdem alluitur Haran sive Charræ in Mesopotamia, et Babylon in Chaldæa. Verum Tigris et Euphrates longe absunt a Philadelphia. Aliter respondent nonnulli cum Lyrano, scilicet, quod urbs hæc sita esset in locis palustribus, ideoque aquis abundaret. Verum dico cum Serario, Saliano, Adrichomio et aliis, causam esse quod Philadelphiam circumfluat torrens Jacob, qui ortus ex Arabiæ montibus regionem Ammonitarum terminat, et in Jordanem influit, uti docet S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*. Porro Ammonitæ his aquis præfidentes putabant urbem esse inexpugnabilem, ideoque Joab et Hebræos obsidentes contempserunt, eorumque obsidionem per annum sustinuerunt.

28. NUNC IGITUR, etc., CAPE EAM, NE, CUM A ME VASTATA FUERIT URBS, NOMINI MEO ASCRIBATUR VICTORIA. — Mirare hic fidelitatem et modestiam ducis Joab, qui refutans gloriam urbis mox capiendæ sibi debitam, quam belli duces adeo ambire solent, eam in solidum transcribit in regem suum Davidem. Vers. 28

Unde tropologice discant Christiani gloriam suorum operum, licet heroicorum, totam resignare in Davidem verum, id est in Christum et Deum, quia ipse eorum est causa totalis; licet enim homo per naturam et liberum arbitrium ea libere operetur, tamen tota dignitas eorumdem est a gratia Christi. Opus enim charitatis v. g. libertatem habet ab homine, quod scilicet sit opus liberum non coactum vel necessarium, sed a Christi gratia habet quod sit supernaturale, Deo gratum et meritorium gloriæ æternæ. Soli Christo ergo debetur ejus decus, laus et gloria. Hoc est quod ipse ait : « Gloriam meam alteri non dabo, » *Isaiæ* XLVIII, 11. Ipse enim totam utilitatem, meritum et præmium operis boni liberaliter donat homini operanti; omnem vero ejus gloriam sibi reservat. Unde viginti et quatuor seniores « mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, » *Apocal.* cap. IV, 10, ac consequenter creasti ipsum liberum arbitrium nostrum, eique vim cooperandi gratiæ tribuisti, ac gratia tua præveniente illud et excitasti ad bene operandum, ac operanti per gratiam cooperantem cooperatus es. Dicamus ergo cum Psalte, cum quid boni agimus : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, » *Psal.* CXIII. Unde allegorice Angelomus : « Dux David, inquit, contra hostes bellum agit, cum ordo sanctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum fidei opponit. Sed finis certaminis et triumphus belli ad regem Christum solummodo defertur; quia ipsi omnis potestas et potentia regni ascribitur. Deus est enim (secundum Apostolum) qui operatur in nobis et velle et perficere, et ipse triumphat non semper in Christo Jesu. »

Vers. 30. 30. ET TULIT DIADEMA REGIS EORUM (Hebraice *Melchom*, id est *idoli*, sive dei eorum qui habebat formam מלך *melech*, id est *regis*) PONDO (habens in pondere, sive ponderans) AURI TALENTUM. — Audi I *Paralip.* XX, 2 : « Tulit David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema, » puta ex parte ejus; totum enim auri pondus, puta talentum David capite suo gestare non potuisset. Talentum enim Hebræorum continebat libras 125 (1), uti ostendi tractatu *De Mensuris*, in fine Pentateuchi. Quis rex ferret in capite coronam 125 librarum? partem ergo talenti David impendit coronæ suæ, reliquum vero in alia templi vel palatii sui ornamenta distribuit. Nisi quis dicat Davidem hoc diadema non gestasse in capite, sed supra caput alligari vel affigi jussisse in throno et conopeo regio, ut capiti sedentis Davidis in throno jugiter immineret, quod sat est verisimile.

(1) Alii dicunt octoginta libras, et forte quidem duo et triginta libras. Ita Jahn et Glaire Parisiis Scholæ Theologicæ Professor.

Allegorice Angelomus : « Coronam, inquit, regis populi hostilis David de capite tulit, et diadema inde sibi formavit, cum Redemptor noster ex contraria potestate regnum auferens sibimet insigne decorum paravit. Quæ autem melius corona David intelligitur, quam conventus populi Catholici? quæ caput nostrum regem, videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit, et digne conversans decenter coronat? Omnis enim sanctorum labor, et certamen atque victoria, ad honorem cœlestis regis refertur; quia ipse est, cui omne genu flectitur cœlestium, et terrestrium atque infernorum; et omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Hucusque Angelomus.

Vers. 31. 31. POPULUM QUOQUE EJUS ADDUCENS SERVAVIT, ET CIRCUMEGIT SUPER EOS FERRATA CARPENTA, — quæ scilicet rotis ferreis et dentatis ad frumentum e spicis excutiendum instructa erant, ait S. Hieronymus in *Amos* cap. I. Unde I *Paralip.* XX, 3, dicitur : « Et fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur, » juxta illud Virgilii, *Georg.* I :

Tribulæque trahæque, et iniquo pondere rastri.

Sic Damasceni « trituraverunt in plaustris ferreis Galaad, » *Amos* I, 3.

ET TRADUXIT IN TYPO LATERUM. — Vatablus, *conjecit eos in fornacem lateritiam*, vel *calcariam*, in qua scilicet coquuntur lateres vel calx, ut in ea ustularentur. Sic et Serarius, Sanchez et alii. Hebraice enim מלבן *malben* (pro quo perperam Cajetanus legit מלכן *malchen*) significat *laterificinam*, hoc est locum ubi fiunt lateres. Verum quia duplex est hic locus : nam *primo* lateres formantur ex luto in area, deinde coquuntur in fornace; hinc incertum est, ait Marinus in *Lexico*, an *malben* priorem locum, an posteriorem significet : plures censent priorem significare, *q. d.* Sicut in loco ubi ex argilla formantur lateres, massa limosa cum paleis identidem a figulis finditur, ut fiat debita commixtio, et diversæ materiæ unio, ex qua formantur lateres; ita David Ammonitas instar massæ limosæ dissecuit, et crebris gladiorum ictibus discidit et laceravit. Hoc exigit Vulgata, vertens, *in typo laterum*; *typus* enim vel significat similitudinem (*q. d.* instar laterum), vel potius officinam, formam et formationem laterum, *q. d.* Sicut in officina lateritia formantur lateres, crebro massam limosam traducendo, id est volvendo, subigendo, calcando, adæquando, miscendo, findendo, scindendo; sic pariter David Ammonitas in area, et forte officina lateritia « traduxit, » id est volutavit, subegit, calcavit, discidit et dissecuit. Ita S. Hieronymus in *Tradit.* : « Divisit, inquit, eos cultris sicut lateres dividi solent, qui ex paleis et luto conficiuntur. » Sic et Angelomus, Lyranus et alii. Explicat enim τὸ *divisitque eos cultris*, et omnia præcedentia laterationem significant, non ustionem. Accedit Chaldæus, qui vertit, teste Pagnino

in *Lexico* : *Serravit*, vel *raptavit*, vel *laceravit eos in plateis*, id est laterificinis; has enim Chaldæus vocat *plateas*, eo quod in eis ordinate ponantur strata laterum, uti ponuntur et ordinantur lapides in pavimento platearum; unde figuli suos lateres in quadrum dispositos ita ordinant ut plateas facere videantur. Accedunt Septuaginta, qui vertant, *transire fecit*, vel *traduxit eos*, διὰ τοῦ πλίνθίου (perperam Complutensia et alii legunt πλινθίον, quod Græce nihil significat, licet ipsi vertunt, *aciem*), id est per laterificinam. Addit Theodoretus in cap. XXI, πλιθίον significare quoque aciem quadratam, sicut quadrantur lateres : quasi David coegerit Ammonitas transire per hanc Hebræorum aciem, ut ab ea hastis et gladiis confoderentur, quod Galli dicunt : *Passer par les piques*.

Porro noster Sanchez censet Davidem hæc fecisse ante peccati sui pœnitentiam, quo tempore David in fermento erat, et in medio peccatorum æstu alius a seipso, quique libentius suis affectibus, quantumcumque immoderate profusis, quam Dei voluntati serviebat. Quare putat Davidem in hac suppliciorum acerbitate gravissimum commisisse peccatum. Verum alii censent Davidem hæc fecisse eo ordine, quo hic narratur, scilicet post pœnitentiam (in ejus enim mercedem et præmium hanc Davidi victoriam dedisse videtur Deus), ideoque eum a peccato sævitiæ excusant, eo quod atrocibus hisce suppliciis castigare debuerit atroces injurias et opprobria, legatis suis ex amicitia missis contra omne jus gentium irrogata, item alia, quæ Naas pater Hanon Galaaditis erat comminatus, scilicet effossionem oculorum, lib. I, cap. XI, quodque Ammonitæ crebro invasissent Judæam, ac Hebræis sæpe bellum movissent, ac vicinas gentes et reges ad inferendum Davidi bellum concitassent. Ita Theodoretus, Cajetanus et Salianus, qui et addit : Dicamus quoque cum Lyrano et Dionysio hæc supplicia non toti populo, sed aliquibus de singulis civitatibus illata fuisse; iis videlicet qui auctores fautoresve fuerant injuriæ et contumeliæ Davidis legatis illatæ; quorum quia vestes medias ignominiose dissecuerant, medii serris dissecari meruerunt; et quia cultris et novaculis eorum capita abraserant, jure cultris et gladiis capita aut aliis etiam membris truncati. Quod si curribus, ut fieri solet, vel trahis impositos legatos circumduxerant, et aulicis totique populo deridendos exhibuerant, ferratis curribus et carpentis merito substerni et conteri potuerunt. Et cum Ammonitæ in suis sacrificiis deo Moloch, sive Melchom, offerendis crudelissimi fuissent, ut qui suos infantes per ignem traducere, vel inter brachia candentis idoli concremare soliti essent, ut ait David Kimchius, merito et ipsi per incensam fornacem traducti, aut in eam etiam conjecti fuerunt.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amnon vim infert Thamar : quare ab Absalomo fratre Thamar invitatus ad convivium, vers. 23, in eodem occiditur. Mox, vers. 34, Absalom fugit ad avum suum maternum regem Gessur.

1. Factum est autem, post hæc, ut Absalom filii David sororem speciosissimam vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, 2. et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret; quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea. 3. Erat autem Amnon amicus, nomine Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. 4. Qui dixit ad eum : Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon : Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5. Cui respondit Jonadab : Cuba super lectum tuum, et languorem simula; cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei : Veniat oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat pulmentum ut comedam de manu ejus. 6. Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit; cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem : Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu ejus. 7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens : Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui; ille autem jacebat : quæ tollens farinam commiscuit, et liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas. 9. Tollensque quod coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit comedere; dixitque Amnon : Ejicite universos a me.

Cumque ejecissent omnes, 10. dixit Amnon ad Thamar : Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave. 11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, et ait : Veni, cuba mecum, soror mea. 12. Quæ respondit ei : Noli, frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel ; noli facere stultitiam hanc. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel ; quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi. 14. Noluit autem acquiescere precibus ejus ; sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea. 15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis ; ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon : Surge, et vade. 16. Quæ respondit ei : Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire eam ; 17. sed vocato puero qui ministrabat ei, dixit : Ejice hanc a me foras, et claude ostium post eam. 18. Quæ induta erat talari tunica ; hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras, clausitque fores post eam. 19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans. 20. Dixit autem ei Absalom frater suus : Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum ? sed nunc, soror, tace : frater tuus est ; neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. 21. Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde, et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. 22. Porro non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum ; oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. 23. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim, et vocavit Absalom omnes filios regis ; 24. venitque ad regem, et ait ad eum : Ecce tondentur oves servi tui ; veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. 25. Dixitque rex ad Absalom : Noli, fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei. 26. Et ait Absalom : Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon fratrer meus. Dixitque ad eum rex : Non est necesse ut vadat tecum. 27. Coegit itaque Absalom eum, et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis. 28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens : Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis : Percutite eum, et interficite ; nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis, roboramini, et estote viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, et fugerunt. 30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens : Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. 31. Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram ; et omnes servi illius qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. 32. Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit : Ne æstimet dominus meus rex quod omnes pueri filii regis occisi sint ; Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die qua oppressit Thamar sororem ejus. 33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens : Omnes filii regis occisi sunt, quoniam Amnon solus mortuus est. 34. Fugit autem Absalom, et elevavit puer speculator oculos suos, et aspexit ; et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. 35. Dixit autem Jonadab ad regem : Ecce filii regis adsunt ; juxta verbum servi tui sic factum est. 36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis : et intrantes levaverunt vocem suam, et fleverunt ; sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis. 37. Porro Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. 38. Absalom autem cum fugisset, et venisset in Gessur, fuit ibi tri-

bus annis. 39. Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM, POST HÆC, UT ABSALOM FILII DAVID SOROREM SPECIOSISSIMAM, VOCABULO THAMAR, ADAMARET AMNON FILIUS DAVID. — Ergo erat « Thamar » soror Amnon agnata, puta ex eodem patre Davide, sed ex alia matre; Amnon enim natus erat ex Achinoam Jezraelitide. Eadem Thamar soror erat germana Absalomi ex eodem patre Davide, et eadem matre, scilicet Tholmai filia regis Gessur, ut dictum est cap. III, vers. 2, ideoque Absalom sororis suæ germanæ stuprum ultus est cæde Amnon fratris sui. Porro *Thamar* Hebraice idem est quod *palma* : *Absalom* (quem concise et corrupte multi nominant Absalon) *patris pax; Amnon fidelis et stabilis* : quare hæc nomina non nisi per antiphrasin dictis personis competunt, sicut bellum dicitur, quasi minime bellum et pulchrum. Amnon enim fuit infidelis et instabilis : Absalom turbavit regnum Davidis, Thamar vitium passa est, quod palma invicta non patitur.

Vers. 2. 2. ITA UT PROPTER AMOREM EJUS ÆGROTARET. — Hic morbus amoris a medicis vocatur ἔρως, id est amor, quo homo totus languescit, macrescit, marcescit, contabescit ex amoris vehementia. Hoc morbo laborabat sponsa Canticorum, cap. II, vers. 5, dicens : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Vide ibi dicta. Simili morbo, sed carnali laborabat Antiochus Seleuci regis filius ex amore Stratonices novercæ suæ contabescens, idque præ pudore exprimere non audens. Causam hanc morbi deprehendit Erasistratus medicus, cum ad introitum Stratonices videret Antiochum languentem rubore perfundi, et spiritu increbrescere, eaque egrediente pallere, et excitatiorem anhelitum reciprocare, protinusque rem Seleuco patri exposuit, qui Stratonicem concessit filio, ut eum in vita servaret, teste Appiano in *Syriacis*, et Valerio Maximo, lib. VI, cap. VII. Eumdem morbum diabolus immisit sanctimoniali cuidam, ut se morituram clamaret, nisi ad eam veniret Benedictus Monachus, id est, dæmon quidam, qui speciem monachi assumpserat, seque vocabat Benedictum; quam S. Equitius suis precibus et meritis sanitati, menti et castitati restituit, uti narrat S. Gregorius, lib. I *Dialog.* cap. IV.

CUM ESSET VIRGO, — quæ domi a patre Davide in Gynecæo, vel potius Parthenone inter cæteras virgines filiasque regis magna cura et custodia servabatur.

Vers. 13. 13. LOQUERE AD REGEM, ET NON NEGABIT ME TIBI. — Existimabat puella simplex et ignara legis id posse fieri; licitum enim esse conjugium inter fratrem et sororem, si illa duntaxat esset agnata ex alia scilicet matre, uti erat Thamar; hoc enim licitum esse censuit R. Salomon apud Lyranum; sed erravit. Lex enim *Levit.* XVIII, 17, expresse omne conjugium inter fratres et sorores, etiam ex altero duntaxat parente, vetat sub pœna mortis. Certe, si Thamar idipsum scivit, hanc excusationem suæ violationi prætexit, ut tempus redimeret, et ex periculo tam evidenti elaberetur, ac manus Amnon amore furentis evaderet, ut innuit Josephus et asserit Serarius.

Vers. 14. 14. OPPRESSIT EAM. — Ecce stuprum Amnonis vim inferentis sorori suæ. Permisit hoc Deus ad castigandum adulterium Davidis patris. Amnon enim fuit filius Davidis primogenitus, eique dilectissimus, qui patris libidinem secutus vitiavit suam sororem. Hinc discant parentes esse casti, ut filios exemplo magis quam verbo doceant castitatem. Si enim sint incesti, filii eorum incestus imitabuntur.

Vers. 15. 15. ET EXOSAM EAM HABUIT AMNON ODIO MAGNO NIMIS. — Naturalis ratio hujus odii, ait Cajetanus, a philosophis redditur, quod in tanto amore multa fiat seminis effusio, quæ valde alterat et immutat dispositionem et temperiem interiorum humorum; et consequenter affectus mutat in contrarium, puta amorem in odium, quia sentiunt damna ingentia sui amoris et libidinis effusæ. Audi Aristotelem, lib. IV, *Problem.* 11 : « Cur adolescentuli, cum primo concumbere incipiunt quibuscum fuerint congressi, eas re peracta odio habent? An quod mutatio summa exstiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tanquam sontem, ad quam sese applicuerunt? » Idem ibidem, *Prob.* 6 : « Cur, inquit, omnium maxime animantium homo, postquam concubuit, dissolvitur et languescit? An quod semen proportione sui corporis plurimum emittit? »

Addit Abulensis ex peculiari Dei providentia et castigatione id factum esse, et fieri solitum, ut scilicet ad illum amorem, qui excessive irrationabilis est, excessivum odium consequatur; ut hac ratione peccanti pœna congrua detur per opposita. Dei enim statutum est, ut illi qui valde inique agunt, sibi ipsis nullo etiam puniente pœna sint. Unde S. Augustinus in *Confession.* : « Jussisti, Domine, et sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus. » Idem, serm. 14 *De Verbis Domini secundum Matth.* : « Unicuique sua cupiditas, ait, tempestas est. »

Similes amantium conversiones in odia extrema necesque mutuas recensentur passim in *Tragicis*, uti apud Senecam in *Medea*, quæ amasium suum Jasonem postea ita odit, ut in ejus vindictam communes filios ipso cernente, nec tamen impedire valente, jugularit. Atque has pœnas Poetæ vocant « Furias, » quia ex furentibus cogitationibus promanant. Sic Semiramis amasios suos, et inter eos filium suum atrociter occidit. Vide Abulensem in fine cap. fuse disserentem de vi et proprietatibus amoris. Aliam odii causam com-

miniscuntur Rabbini, scilicet quod Thamar stupro Amnon resistens, cum eo luctando ejus genitalia ita læserit, ut ea debuerint abscindi; sed hæc cerebri Rabbinici crassæ sunt imaginationes et figmenta.

Vers. 16. 16. QUÆ RESPONDIT EI : MAJUS EST HOC MALUM QUOD NUNC AGIS ADVERSUM ME, QUAM QUOD ANTE FECISTI, EXPELLENS ME, — tum quia expulsio hæc erat publica et infamjs, cum violatio fuisset secreta et occulta; tum quia probrosa expulsio augebat dolorem ex violatione conceptum; cum enim Amnon debuisset eam a se violatam solari, eique blandiri, hostiliter et ignominiose expulit eam; tum quia Thamar sperabat quod Amnon vitium sibi illatum tegeret, vel illud celando, vel se in uxorem ducendo : jam autem expulsa videbat et vitium publicari, et conjugium suum ab Amnone refutari; tum denique quia per hanc expulsionem cernebat se ab omnibus contemnendam et repudiandam, ut nullus eam sibi postularet uxorem. Putabant enim plerique Amnon vitium aliquod in ea deprehendisse, ob quod eam ita inhumaniter expulisset. Quare quisque, hoc vitium fugiens, eam spernebat; unde ipsa domi mœsta et desolata contabuit, ut dicitur vers. 20.

Vers. 19. 19. IMPOSITISQUE MANIBUS SUPER CAPUT SUUM, — ut præ pudore manibus velaret faciem, in qua est sedes verecundiæ.

Vers. 20. 20. SED NUNC, SOROR, TACE : FRATER TUUS EST, — *q. d.* Gravior esset injuria, si ab extraneo, vel homine vili oppressa fuisses : jam autem violata es a filio regis primogenito, fratreque tuo, a quo cavere non debebas. Quare facile scient omnes te non consensisse, sed vi oppressam a filio regis, cui omnia licent. Hac ergo cogitatione solare et mitiga dolorem tuum. Ita Abulensis.

Vers. 21. 21. NOLUIT CONTRISTARE SPIRITUM AMNON FILII SUI. — Hæc verba non sunt in Hebræo, Chaldeo et Septuaginta. Peccavit David non corrigendo, nec castigando Amnon filium suum de hoc tam infami stupro, præsertim cum lex, *Levitici* XX, 17, id jubeat. Quare justo Dei judicio inde secuta sunt tot tantaque mala, damnaque tam Davidi quam Amnoni : nam hic occisus vitam perdidit, ille pene regnum cum vita amisit, ulciscente sororis suæ violationem Absalomo. Ita Abulensis, qui censet Davidem debuisse Amnonem ob stuprum morte punire, uti sancit lex; licet Cajetanus eum excuset a tam gravi punitione, eo quod crimen esset occultum, nec ullo teste probari posset. Adde quod Amnon esset primogenitus, hæres et successor in regnum, ideoque in vita ob publicum reipublicæ bonum servandus, et mitiori pœna castigandus.

Vers. 23. 23. FACTUM EST AUTEM POST TEMPUS BIENNII. — Hinc patet cædem Amnon contigisse biennio post stuprum ab eo illatum Thamar : tam cito Dei vindicta persecuta est scelestum et incestum, eumque vita et regno privavit. Erat enim primogenitus, et Davidi in deliciis, ideoque in ejus regnum successurus.

Vers. 24. 24. ECCE TONDENTUR OVES SERVI TUI. — Absalom ergo filius regis erat pecorarius, curamque habebat ovium et pecorum, uti et cæteri principes illius ævi candidi et simplicis.

Vers. 25. 25. BENEDIXIT EI, — *q. d.* David Absalomo bene precatus est, itaque eum dimisit, dicendo, v. g. Vade in pace. Unde Vatablus vertit, *valedixit ei.*

Vers. 29. 29. FUGERUNT, — timentes ne occiderentur, uti Amnon; quasi Absalom solus cuperet esse superstes, ut patri in regnum succederet, ne quis alius fratrum præferretur. Sicut Turca, cum habet prolem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum invadant.

Vers. 32. 32. QUONIAM IN ORE ABSALOM ERAT, — *q. d.* Amnon erat in Absalomi oculis et ore, ut frequenter de ultione stupri ab eo sorori suæ illati loqueretur. Quod enim est in corde, hoc ebullit in os.

Vers. 37. 37. ABSALOM FUGIENS ABIIT AD THOLOMAI FILIUM AMMIUD REGEM GESSUR. — Fugit ergo ad avum suum maternum; ipse enim erat filius filiæ Tholomai regis Gessur, uti dictum est capite III, vers. 3. Hic enim nepotem suum recepit, et tutatus est, eo quod ipse Thamar neptis pariter suæ stuprum ultus fuisset cæde Amnon stupratoris.

Vers. 38. 38. FUIT IBI TRIBUS ANNIS. — Hinc patet chronotaxis rerum tunc gestarum, quam assignavi cap. XII, vers. 25.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joab per Thecuitis blandiloquentiam Absalomum reconciliat Davidi, sed ita ut ipse eum ad conspectum non admittat. Deinde, vers. 25, describitur Absalomi pulchritudo, cæsaries, proles ac succensio segetum Joab; qua re excitus Joab eum ad Davidis osculum admitti procurat.

1. Intelligens autem Joab, filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalom, 2. misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eam : Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum,

3. et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus. 4. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit : Serva me, rex. 5. Et ait ad eam rex : Quid causæ habes? Quæ respondit : Heu ! mulier vidua ego sum ; mortuus est enim vir meus. 6. Et ancillæ tuæ erant duo filii qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset ; et percussit alter alterum, et interfecit eum. 7. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit : Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus hæredem ; et quærunt exstinguere scintillam meam quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram. 8. Et ait rex ad mulierem : Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te. 9. Dixitque mulier Thecuitis ad regem : In me, domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei ; rex autem et thronus ejus sit innocens. 10. Et ait rex : Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. 11. Quæ ait : Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait : Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. 12. Dixit ergo mulier : Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait : Loquere. 13. Dixitque mulier : Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectum suum? 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur ; nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. 15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua : Loquar ad regem si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. 16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium qui volebant de hæreditate Dei delere me, et filium meum simul. 17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur ; unde et Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens rex, dixit ad mulierem : Ne abscondas a me verbum quod te interrogo. Dixitque ei mulier : Loquere, domine mi rex. 19. Et ait rex : Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait : Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex ; servus enim tuus Joab ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud ; tu autem, domine mi rex, sapiens es sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. 21. Et ait rex ad Joab : Ecce placatus feci verbum tuum ; vade ergo, et revoca puerum Absalom. 22. Cadensque Joab super faciem suam in terram adoravit et benedixit regi, et dixit Joab : Hodie intellexit servus tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex ; fecisti enim sermonem servi tui. 23. Surrexit ergo Joab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Jerusalem. 24. Dixit autem rex : Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit. 25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis ; a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries), ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filii tres, et filia una nomine Thamar, elegantis formæ. 28. Mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. 29. Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem, qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum, 30. dixit servis suis : Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei : ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt : Succenderunt servi Absalom

partem agri igni. 31. Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Joab : Misi ad te obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei : Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse; obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 33. Ingressus itaque Joab ad regem nuntiavit ei omnia; vocatusque est Absalom et intravit ad regem, et adoravit super faciem terræ coram eo; osculatusque est rex Absalom.

Vers. 1. 1. COR REGIS VERSUM ESSET AD ABSALOM, — tum quia ipse erat tertius ab eo genitus filius, ideoque proximus fere ut succederet ei in regnum; tum quia ipse erat pulcher et specie regia, uti dicitur vers. 25; tum quia justam habuerat ex parte cædis occasionem, scilicet stuprum sorori suæ illatum, cujus pudicitiæ vindex exstiterat. Hoc enim apud omnes magnæ ducebatur laudi, censebaturque opus heroicum. Unde Gentiles celebrant Lucretiam, quæ a Sexto Tarquinio Tarquinii Superbi regis filio per vim violata, ob dolorem et amorem pudicitiæ sese confodit. Qua de causa Tarquinius cum suis urbe pulsus est, et pro regibus consules surrogati sunt Junius Brutus et L. Collatinus, Lucretiæ maritus. Vide Valerianum Maximum, lib. VI, cap. I, ubi inter alia hoc memorabile recenset: « Virginius, inquit, plebeii generis, sed patricii vir spurius, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum Appius Claudius decemvir filiæ ejus virgini stuprum, potestatis viribus fretus pertinacius expeteret, deductam in foro puellam occidit : pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit. »

Virginius occidit filiam ne violaretur.

Vers. 2. 2. MISIT THECUAM, ET TULIT INDE MULIEREM SAPIENTEM. — *Thecua* erat urbs in monte sita, uberrimis abundans pascuis, distans a Bethlehem sex millibus passuum, a Jerusalem vero novem. Ita S. Hieronymus, Adrichomius et alii. Hinc fabulantur R. Salomon et R. David mulieres et viros Thecuæ fuisse cæteris sapientiores; eo quod Thecua sit fertilis olearum et olivarum : regiones enim oleis fertiles gignere sapientes; uti eadem Thecua genuit Amos et Habacuc Prophetas : imo Rabbini asserunt Thecuitem hanc fuisse aviam Amos prophetæ, sed nullo id argumento, nisi hoc quod uterque ortus sit ex Thecua, probant.

Vers. 6. 6. ANCILLÆ TUÆ ERANT DUO FILII QUI RIXATI SUNT, etc., ET PERCUSSIT ALTER ALTERUM. — Hebræi, et ex eis Rabanus et Angelomus, censent hanc non esse fabulam, sed veram historiam, quæ mulieri huic, ejusque duobus filiis contigerit, quam ipsa ex pari applicarit Absalomo et Amnoni. Verum cæteri passim censent esse fabulam ad rem apposite confictam, idque satis indicat ipsa narratio.

Porro prudenter utitur parabola hac, qua rex contra seipsum sententiam proferret, ut, postquam indicasset servandum esse filium mulieris qui occiderat fratrem, ex hac lata a se sententia animadverteret, servandum quoque sibi esse Absalomum qui fratrem Amnonem occiderat. Simili parabola usus est Nathan, cap. XII, qua Davidi persuasit adulterii sui pœnitentiam. Disce hic, cum magnates, divites, potentes, superbos sibique præfidentes de quopiam vitio corripere cupis, illis non loqui in secunda, sed in tertia persona; quasi non ipsos, sed tertium aliquem hujus vitii reum arguere velis. Sic enim ipsi eam æquanimiter ferent, ac sagaciter conjicient id de se dici, sed corripientem ex modestia et verecundia non audere se nominare, quod vulgo dicitur: « Vapulet canis, ut leo metuat et sapiat. »

Vers. 7. 7. ET QUÆRUNT EXSTINGUERE SCINTILLAM MEAM, QUÆ RELICTA EST, — id est, filium unicum, qui mihi relictus est, ut sit scintilla, qua meam virique mei familiam pene exstinctam reaccendam, redintegrem et propagem. Sicut enim consumpto igne relinquuntur favillæ et scintillæ sub cinere, ex quibus ignis per sulphurata reaccendi et resuscitari possit; sic exstinctis filiis cæteris ultimus relinquitur, quasi scintilla, ex qua familiæ propago suscitetur, ac nomen et memoria conservetur. Sic Cicero, « scintillas belli, » vocat belli reliquias. Nota appositam metaphoram. Anima enim et vita comparatur igni, quia ipsa in calore, qui igni est proprius, consistit. Rursus sicut ignis ignem inflammando, sic homo hominem gignendo propagat; *tertio*, quia sicut ignis lucet et splendet, sic et vita; *quarto*, sicut una lucerna deficiens accendit aliam, in qua quasi superstes lucet et fulget, sic et homo moriens, in filio quasi superstes manet et vivit : in filio enim videtur parens, sicut in imagine videtur exemplar; unde illud *Psal.* CXXXI, 17 : « Illud producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.» Eadem metaphora usi sunt Gentiles, ut per lucernam vel lampadem quam in cursu alter alteri succedenti tradebat, significarent propaginem generationis et vitæ. Unde Lucretius :

Anima similis igni. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Sic Plato, lib. VI *De Legibus*, ait, « oportere cives operam dare generandæ proli, ut vitam quam ipsi a majoribus accepere posteris tradant, quasi lampada ardentem, in qua ipsi luceant. »

Vers. 8. 8. VADE IN DOMUM TUAM, ET EGO JUBEBO PRO TE, — *q. d.* Curabo filium tuum servari, tibique reddi incolumem. Quæres, an justum sit hoc Davidis judicium, quia lex Dei jubebat homicidam occidi, multo magis fratricidam, qualis erat hic? Respon-

deo : Lex jubebat occidi homicidam publicum, cujus scilicet homicidium publice in judicio per testes probari poterat. Nam lex *Deuter.* XVII, 6, jubet ne quis occidatur, nisi duobus testibus convictus. Hic autem erat fratricidium secretum, cui nullus interfuerat testis, ut dictum est vers. 6. Quare hic juridice damnari occidique non poterat. Ita Vatablus. Rursum lex jubebat occidi homicidam voluntarium, non vero repentinum et casualem, qui scilicet absque ullo præcedente odio, casu aliquem occiderat (uti erat hic); unde ad eum salvandum, *Numer.* XXXV, 11, Deus constituerat urbes refugii, ut ad illas confugiendo maneret illæsus et supplicii expers. Ita Cajetanus et alii.

Vers. 9. 9. IN ME, DOMINE MI REX, SIT INIQUITAS, ET IN DOMUM PATRIS MEI : REX AUTEM ET THRONUS EJUS SIT INNOCENS. — Dicit hoc Thecuitis amice blandiendo Davidi, ut illi omnem eximat scrupulum condonationis homicidii, ipsumque in ea plane confirmet ac reconciliet Absalomo fratricidæ; *q. d.* Si quid in hac condonatione peccatum est, opto ut peccati hujus pœna non in te, o rex, sed in me meamque domum tota devolvatur. Nolim enim in te propter me quidquam mali recidere; sed oro Deum ut illud omne in meum caput reflectat. Sic Rebecca filio suo Jacob timenti patris maledictionem, si se ipsi pro Esau fratre substitueret, respondit : « In me sit ista maledictio, fili mi, » *Gen.* XXVII, 13. Et Pilato trepidanti ad Christi condemnationem, Judæi, ut eum ad illam animarent, succlamarunt : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, » *Matth.* XXVII.

Vers. 13. 13. ET LOCUTUS EST REX VERBUM ISTUD UT PECCET, — scilicet « contra populum Dei, » ut præcessit. Thecuitis hæc post parabolam descendit ad ejus scopum, ut scilicet rex eam applicet Absalomo fratricidæ, eique cædem condonet : quare novas hic rationes affert et multiplicat, quibus Davidem ad ei parcendum impellat. *Prima* est hæc, *q. d.* Absalom post Amnonem quasi proximus est ut tibi in regnum succedat, eumque populus amat, et optat ut succedat : consule ergo posteritati tuæ, consule regno tuo, consule populo tuo, ut scilicet ei idoneum hæredem tuum et successorem conserves, qualis est Absalom : alioqui peccabis et in te et in populum tuum, quod eum tanto principe, quantus est Absalom, privaris. Alii τὸ *ut peccet*, sic explicant, *q. d.* Nisi Absalomum illico revoces, idololatriæ et aliorum peccatorum eris ei occasio. Ipse enim exsul degit apud avum suum maternum regem Gessur, qui est idololatra, æque ac ejus aulici, qui Absalomum ad suam idololatriam cæteraque sua vitia pellicere satagunt.

Vers. 14. 14. OMNES MORIMUR, ET QUASI AQUÆ DILABIMUR IN TERRAM, QUÆ NON REVERTUNTUR. — Est hæc secunda Thecuitis ratio, ut David Absalomo det veniam, *q. d.* Vita hominum fluxa est et evanida : Amnon, etiamsi non esset occisus, æque tamen debuisset brevi mori, uti omnes morimur; Absalom quoque brevi morietur : non ergo quærenda est a te cædis vindicta, et mors Absalomi, quam ipsa natura eidem brevi irrogabit, *q. d.* Quam, o rex, de Absalomo ultionem quæris? mortemne? at jam moritur. « Omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur. » Hebræa habent : *Omnes morimur, et instar aquæ in terram effusæ, quæ rursum colligi et congregari nequit*, subaudi dilabimur et diffluimus in mortem, et terram ex qua plasmati sumus, *q. d.* Omnes quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis et sepulcri, quæ est « domus æternitatis » nostræ, *Eccli.* XII, 5. Rursum anima nostra brevi in morte exibit e corpore, nec in illud revertetur ante generalem resurrectionem, ait Vatablus, aut potius *aquas* hic intellige non fluminis, sed pluviæ; hæ enim in terram dilapsæ colligi nequeunt, *q. d.* Sicut terra absorbet pluviam, ut nil ex ea remaneat, quod rursum congregari et colligi possit : ita quoque vita nostra et corpus in mortem et terram, ex qua formatum est, redit, ut reverti et rursum colligi, animæque vitaliter uniri nequeat, nisi super naturam per Dei omnipotentiam, quam ipse ostendet in communi omnium resurrectione. Comparat ergo vitam nostram aquæ non fluminis pertranseunti, sed pluviæ delabenti in terram, ibique absorptæ et evanescenti, *q. d.* Amnon jam mortuus est, nec potest revocari ad vitam, sicut nec aqua effusa rursum colligi potest, ait Procopius : utquid ergo Absalomum persequeris, nisi ut mortem morti, et dolorem dolori tuo addas? brevi enim Absalom quoque morietur, et instar aquæ dilabetur in terram, nec ad vitam revocari poterit.

NEC VULT DEUS PERIRE ANIMAM. — Est hæc tertia ratio petita ab imitatione clementiæ Dei, quæ sæpe ad preces vel peccatorum, vel sanctorum pro peccatoribus orantium mitigat, vel revocat sententiam mortis contra eos latam.

Vers. 17. 17. UT FIAT VERBUM DOMINI MEI REGIS, SICUT SACRIFICIUM, — quod in odorem suavitatis Deo offertur, *q. d.* Sicut sacrificium pro peccato oblatum, Deo est gratissimum; si hoc votum meum pro Absalomi peccato condonando, tibi, o rex, oblatum sit, quæso, pariter gratissimum. Tu enim es quasi Deus Noster terrestris, et quasi numen quoddam Israelis. noster legit cum Septuaginta למנחה *lemincha*, id est *in sacrificium;* jam cum Chaldæo aliis punctis legunt *limnucha*, id est in requiem; unde vertunt, *q. d.* Jubeat rex Absalomum esse in quiete et salvum.

SICUT ENIM ANGELUS DEI, SIC EST DOMINUS MEUS REX, UT NEC BENEDICTIONE, NEC MALEDICTIONE MOVEATUR. — Thecuitis adulando captat Davidis benevolentiam, *q. d.* Libere loquar, quia humanitas tua, o rex, instar Angeli omnia tranquille audit, tam mala quam bona, nec laudibus vel vituperiis minisque flectitur, sed sincere de omnibus judicat, uti spero quod hic pro me judi-

cabit, scilicet decere clementiam tuam, ut Absalomo filio parcat.

Vers. 19. 19. NUMQUID MANUS JOAB TECUM EST? — *q. d.* Numquid opera et directione Joab hæc omnia agis et dicis?

NEC AD SINISTRAM, NEC AD DEXTERAM EST, — *q. d.* Non est aliud quam quod sagacissime es odoratus, scilicet me hæc omnia agere instinctu Joab.

Vers. 21. 21. ECCE PLACATUS FECI VERBUM TUUM, — ut parcam Absalomo, eumque ab exilio ad me revocem. Quæres, an peccarit David parcendo Absalomo homicidæ, cum lex jubeat homicidas occidi? Respondet Cajetanus leges generatim decernere quod communiter et regulariter agendum est, singulares autem casus prudentiæ Principis relinqui. Talis erat hic : erat enim fratricidium a filio regis commissum, qui fugerat ad avum suum regem Gessur Gentilem. Quare periculum erat ne avus juvaret Absalomum quasi nepotem suum, itaque post mortem Davidis bella orirentur de successione in regnum inter filios Davidis, quæ ut vitaret David, sapienter pepercit Absalomo.

Vers. 25. 25. PORRO SICUT ABSALOM, VIR NON ERAT PULCHER IN OMNI ISRAEL, — *q. d.* Erat pulcherrimus omnium Israelitarum. Meminit hic Scriptura pulchritudinis Absalomi incidenter, ut innuat quam ob causam ipse omnibus fuerit acceptus et gratiosus, utque tropologice indicet quam vana sint omnia bona hujus vitæ, et quam malis permixta. Absalom enim pulcherrimus corpore erat, aterrimus mente, ideoque in mortem funestissimam incidit, nimirum, sicut ait S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, ut ostendatur hujus vitæ dulcedinem amaritudinibus et ærumnis respersam esse, ut alia vita quæratur, quæ nulla amaritudine perturbatur. Vide Abulensem hic, *Quæst.* XX, aliis exemplis id illustrantem.

Porro eximia hæc corporis pulchritudo arguebat animæ deformitatem. Natura enim omnem suam vim exeruerat in exornando corpore; unde animam inornatam reliquerat, ut patet ex ejus ambitione. Et solet Deus sua bona partiri. Unde mulieribus dat pulchritudinem, viris judicium, juvenibus robur, senibus prudentiam. Audi S. Chrysostomum, homil. in illud, *Utinam tolerassetis*, II *Corinth.* cap. XI : « Quid enim, inquit, ape utilius, quid pavone pulchrius? quid formica sapientius? Et apis dulcedinem in se habet, pavo vero solummodo in pennis est, non in fructu decorus; formica vero contemptibilis hominibus, sed magistra virtutum est. » Idem præclare, homil. 37 *in Genes*,, sub finem : « Hoc, inquit, studium in ornando corpore internam indicat deformitatem : et hujus deliciæ, illius manifestam faciunt famem; et hujus vestium sumptus, illius indicat nuditatem. Impossibile enim est aliquam agere curam animæ, et tanti facere corporis pulchritudinem et ornatum. » Et S. Hieronymus, epist. *ad Furiam*, loquens de Magdalena : « Meretrix, inquit, illa in Evangelio baptizata lacrymis suis, non habuit crispantes mitras, etc. Quanto fœdior, tanto pulchrior. » Et paulo post : « Ornatus, inquit, iste non Domini est; velamen istud Antichristi est. Quæ fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit. »

Vers. 26. 26. SEMEL AUTEM IN ANNO TONDEBATUR, QUIA GRAVABAT EUM CÆSARIES. — Hebraice, *a fine dierum in dies tondebatur*, id est quotannis, sive anno recurrente, tondebatur. Ita Cajetanus, Arias, Pagninus, Vatablus et alii. Perperam ergo Hebræi apud S. Hieronymum vertunt, *tondebatur de triginta in triginta diebus*, id est singulis mensibus. Perperam quoque Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. VIII, ait : « Cujus capitis tanta erat cæsaries, ut ex octo diebus tonderi potuisset. » Ut hanc absurditatem tegeret Galenius Josephi ex Græco in Latinum interpres, ex se hæc substituit : *Tanta fuit ejus cæsaries, ut intra octavum quemque mensem ad ducentos siclos, hoc est ad quinque pondo accresceret;* quod pariter falsum est, et Scripturæ hoc loco repugnat. Porro Absalom gestabat comam per annum, non quod Nazareus esset, ut volunt Rabbini, sed quod pulchritudinis et comæ esset studiosus. Unde et in pœnam ex ea suspensus occubuit cap. XVIII.

PONDERABAT CAPILLOS CAPITIS SUI DUCENTIS SICLIS. — Narratur hic capillorum multitudo, ad designandam Absalomi pulchritudinem; ad hanc enim non parum facit pulchra coma, et cæsaries densa. Porro siclus erat moneta ponderans quatuor drachmas, hoc est dimidiam unciam : quare siclus, si erat argenteus, erat ejusdem pretii et ponderis, cujus nunc sunt Romæ 4 julii, et in Hispania 4 regales Hispanici : sin aureus esset, pendebat et valebat 4 coronatos Francicos quorum quisque valet duodecim julios, sive regales. Ducenti ergo sicli ponderabant centum uncias, quæ faciunt octo libras cum quatuor unciis, si libram accipias communem duodecim unciarum. Unde nonnulli apud Abulensem et Lyranum quos sequitur noster Sanchez et Salianus, censentes hoc pondus comæ esse nimium, pro pondere substituunt pretium, quasi coma Absalomi fuerit flava, densa et rutilans, ideoque a feminis ad capillaturam sibi ex ea faciendam expetita, ac tanti æstimata, ut venderetur ducentis siclis argenti, qui faciunt octoginta aureos Romanos, quorum quisque continet decem julios. Verum hoc refutant Lyranus et Abulensis quasi pretium injustum, improbabile, et rem ineptam muliebribus ornamentis, nec Scriptura comam Absalomi commendat a colore, quod fuerit flava et rutila, sed a pondere. Et sane illa sententia videtur vim facere et torquere verba Scripturæ, nam Hebræum שקל *sakal* non significat *appretiabatur*, vel *vendebatur*, sed *ponderabat*, uti vertit Noster, Septuaginta, Chaldæus, Josephus, Vatablus, Pagninus, Cajetanus et alii passim.

Neque hoc pondus comæ mirum videri debet, tum quia illud, ut rem raram et novam hic recenset Scriptura, tum quia erat pondus comæ

totius anni; coma autem Absalomi erat densa, gravis, crebra et promissa, quæ toto anno succrescens facile in fine anni ponderabat octo libras, quod pondus Absalom sentiebat quidem, ideoque gravabatur, et ut se onere levaret, tondebatur : minus tamen sentiebat, quam si pondus aliquod extrinsecum octo librarum capiti suo imposuisset; quia hæc coma erat capiti ei connaturalis, unde facile ab anima capitis sustentabatur. Sic enim non sentimus pondus corporis, quod est plus quam 50 librarum, quia anima illud informans, idipsum quasi suum, sibique intime unitum sustentat : unde cum anima separata est a corpore, sentitur ipsum pondus corporis sive cadaveris, ut vix ab homine robusto portari possit.

Vers. 27. 27. NATI SUNT AUTEM ABSALOM FILII TRES. — Hi omnes statim ante patrem mortui sunt. Unde Absalom, cap. XVIII, vers. 18, sine liberis fuisse dicitur. Ita Theodoretus.

ET FILIA UNA NOMINE THAMAR ELEGANTIS FORMÆ. — Verisimile est nomen hoc ei inditum a Thamar amita et sorore Absalomi : imo Sanchez opinatur filiam hanc aliud nomen proprium habuisse, scilicet *Maacha*, cognominatam vero fuisse *Thamar*, id est palmam, ab elegantia et pulchritudine. Tradunt enim Hebræi et Josephus, lib. VII, cap. VIII, quos sequitur Sanchez hic et Abulensis cap. XIV, vers. 20, hanc *Thamar* esse *Maacha*, quæ fuit uxor Roboam et mater Abiæ. Hæc enim, II *Paralip.* cap. XI, vers. 20, vocatur filia Absalom. Videtur ergo Absalom natus ex Maacha filia regis Gessur, ut dictum est cap. III, vers. 3, nomen matris suæ Maacha indidisse filiæ suæ, quæ ob speciem cognominata sit *Thamar*. Josephus tamen inferius agens de Roboam et Abia, lib. VIII, cap. III, asserit hanc Thamar filiam Absalomi fuisse non Maacha, sed matrem Maacha, quæ fuit uxor Roboam et mater Abiæ. Alii tamen censent quod Absalom, qui II *Paral.* cap. XI, vers. 20, vocatur pater Maacha uxoris Roboam, alius et diversus sit ab hoc Absalomo filio Davidis : nam idem, II *Paral.* cap. XIII, vers. 2, vocatur « Uriel de Gabaa. Nomen matris ejus (Abiæ) inquit; Michaia (sive *Maacha*, vel, ut Josephus vocat *Micha*), filia Uriel de Gabaa. » Atqui Gabaa erat tribus Benjamin. Ergo Absalom hic pater Maacha, qui alio nomine dictus est *Uriel*, fuit ex tribu Benjamin. Hic autem Absalom pater Thamar, filius Davidis, fuit ex tribu Juda. Ergo diversus est ab Absalomo, qui fuit pater Maacha, et alio nomine dictus est Uriel. Ita sentit Salianus et Abulensis, qui sententiam suam revocat II *Paral.* cap. XI, *Quæst.* XX, et in cap. XIII, *Quæst.* VI. Si quis, Josephum, lib. VIII, cap. III, sequens, diceret Maacha non esse Thamar, sed filiam Thamar, ad hoc argumentum respondere posset, Thamar hanc fuisse filiam Absalomi filii Davidis, ac nupsisse Uriel Benjamitæ, ex eoque genuisse Maacha, quæ fuit uxor Roboam et mater Abiæ : quare Maacha hanc, II *Paral.* cap. XI, vers. 20, dici *filiam*, id est *neptem* Absalomi. Et hoc omnia adæquat, ideoque valde est verosimile, uti dicam lib. III, cap. XV, vers. 2 et 10.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Absalom sollicitat populum, cum eoque conjurat contra Davidem in Hebron; quare David cum suis, vers. 14, *fugit, ac, vers.* 24, *sacerdotes se sequentes cum arca remittit in urbem. Denique, vers.* 30, *ascendens montem Oliveti, nudis pedibus, flens et operto capite, Chusai remittit in urbem, ut dissipet consilium Achitophel.*

1. Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum. 2. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat : De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat : Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermones tui boni et justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege, dicebatque Absalom : 4. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem? 5. Sed et cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. 8. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Do-

mino. 9. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnavit Absalom in Hebron. 11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. 12. Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom. 14. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem : Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium a facie Absalom : festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. 15. Dixeruntque servi regis ad eum : Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exsequemur servi tui. 16. Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis; et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo; 18. et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi, et omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum : Cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum; revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. 21. Et respondit Ethai regi, dicens : Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex; quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 22. Et ait David Ethai : Veni, et transi; et transivit Ethai Gethæus et omnes viri qui cum eo erant, et reliqua multitudo. 23. Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat; rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam quæ respicit ad desertum. 24. Venit autem et Sadoc sacerdos et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt arcam Dei; et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de civitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem; si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam et tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi : Non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. 27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem : O Videns, revertere in civitatem in pace; et Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. 29. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem, et manserunt ibi. 30. Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite, sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatum est autem David, quod et Achitophel esset in conjuratione cum Absalom, dixitque David : Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. 32. Cumque ascenderet David summitatem montis in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. 33. Et dixit ei David : Si veneris mecum, eris mihi oneri; 34. si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom : Servus tuus sum, rex; sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus, dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes; et omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar; et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem:

Vers. 1. 1. IGITUR POST HÆC FECIT SIBI ABSALOM CURRUS, — quasi ambiens regnum, præsertim quia mortuo Amnone primogenito, secundo etiam Cheliab vel mortuo, vel minus apto ad regnum, ipse tertio loco genitus cap. III, vers. 2, videbatur proximum habere jus ad regnum. Adde Absalomum fuisse superbum : nam ambivit regnum, vivente adhuc patre, illudque ipsi armis et vi extorquere conatus est : quæ fuit insignis ejus tum arrogantia, tum injustitia, tum impietas. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Absalomo*, tom. I : « Perdidit, ait, consilium Absalom, dum parricidio cupit mercari imperium. » Et inferius ostendit eum fratricidio addidisse parricidium, saltem mente destinatum, atque hoc fuisse pœnam illius : « Dum, inquit, in Absalom fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur. » Nimirum hæc inter alias fuit pœna a Deo inflicta Davidi, ad puniendum ejus adulterium et homicidium. *Prima* enim pœna fuit mors infantis ex adulterio nati; *secunda*, Amnonis incestus, et stuprum Thamar; *tertia*, Amnonis cædes per Absalomum; *quarta*, fuit Absalomi rebellio. Ambitio enim hominem excæcat, illique rationem eripit, uti eripuit Lucifero, de quo S. Bernardus, serm. 2 *De Verbis Isaiæ* : « Miser, inquit, ipse qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo. » Idem fit iis, qui ambiunt prælaturas. Unde S. Bernardus, *epist.* 42 : « Curritur, inquit, in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas Curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad Curas pervenerit. »

Vers. 7. 7. POST QUADRAGINTA AUTEM ANNOS DIXIT ABSALOM AD REGEM. — Nonnulli ex Josepho pro *quadraginta* legunt, *quatuor*, Sic enim habet Josephus, lib. VII *Antiq.* cap. VIII : « Absalom quarto post reconciliationem anno oravit patrem, ut Hebronem adiret. » Josephum sequitur Theodoretus, Hugo, Abulensis, Adrichomius et alii, qui putant hanc rebellionem Absalomi contigisse quarto anno post ejus reconciliationem, qui fuit regni Davidis 32, ut patet ex dictis cap. XII, vers. 24. Verum Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, constanter habent *quadraginta*, non *quatuor*, itaque legunt S. Hieronymus, Glossa, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, cæterique Interpretes prisci et moderni. Sed dissentiunt unde hi 40 anni computandi sint. Nam Vatablus numerat eos ab eo tempore, quo Hebræi a Samuele petierunt regem, quod ipse factum putat anno decimo principatus Samuelis. Sed errat in calculo : plures enim exinde fluxere anni; secundo, S. Hieronymus in *Tradit.* computat ab eo tempore, quo Saul occidit sacerdotes in Nobe, turbamque evertit. Alii numerant a morte Saulis, alii a cæde Goliath, alii a navitate Absalomi. Verum numerus annorum non respondet.

Dico ergo hos 40 annos computandos esse a prima unctione Davidis in regem, facta a Samuele I *Reg.* XVI, 13. Hæc enim facta est, cum David ageret annum vigesimum; inde computa annos hos 40, pervenies ad annum ætatis Davidis sexagesimum, quo facta est Absalomi conjuratio, cum David in regno ageret annum trigesimum (regnum enim adiit agens annum trigesimum), post quem adhuc decem annis regnavit, mortuusque est anno ætatis 70. Ita Torniellus, Salianus, Emmanuel Sa, Paulus Burgensis, Abulensis et alii.

Unde opinantur nonnulli Absalomum hoc prætextu suam tyrannidem et rebellionem excusasse, quod sicut pater suus David Sauli socero suo Deo inobedienti, ideoque impie et tyrannice imperanti a Deo surrogatus esset, unctusque a Samuele in regem anno ætatis suæ 20, sic pariter jam ipse patri impie et tyrannice imperanti, ac præsertim cum Bethsabee adulteranti, et Uriam occidenti, pari jure et modo succederet. Unde et Semei Davidi Absalomum fugienti idem improperavit.

Ex dictis sequitur Absalomum, cum bellum movit Davidi, fuisse fere triginta annorum. Nam rebellavit, cum David in regno ageret annum trigesimum. Ipse autem sub initium regni Davidis ab eo genitus est, ut patet cap. III, vers. 3.

Vers. 10. 10. REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON, — quia in Hebron natus erat Absalom, cap. III, vers. 3, ubi pariter pater David regnare cœperat, et sacrificia obtulerat. Hebron enim ob sepultos in ea Patriarchas habebatur locus sanctissimus, et ab Israelitis frequentabatur : hic ergo Absalomi fuit prætextus, et hæc commoditas sceleris et conjurationis conflandæ. Ita Abulensis. Vide Absalomi scelus, tyrannidem et parricidium exaggerantem S. Chrysostomum, hom. *De Absalomo*, tom. I, vel quisquis ejus est auctor; nam styli latini elegantia, et vocum allusiones indicat auctorem fuisse Latinum, non Græcum.

Vers. 13. 13. TOTO CORDE UNIVERSUS ISRAEL SEQUITUR ABSALOM. — Causam dat Abulensis, *Quæst.* XIX, *primam*, quod Absalom apud populum erat gratiosus, ejusque corda sollicitaret, suaque humanitate sibi devinxerat, ut patet ex dictis initio capitis. *Secundam* causam assignat, punitionem Dei : Deus enim hac ratione volebat implere pœnam Davidi intentatam cap. XII, 11. Quare objecit menti populi dotes, et gratiam Absalomi, vitia vero Davidis, cæteraque quæ in eo displicebant vulgo : quo factum ut vulgus, novitatis appetens, Davidem fastidiret, et novum regem Absalomum ambiret. Objecit hæc ei Deus ob bonos fines a se intentos, sed prævidebat populum iis abusurum ad rebellandum Davidi, idque permittere decrevit ad punienda Davidis peccata. Vide dicta *Exod.* cap. VII, vers. 3.

Vers. 14. 14. ET AIT DAVID, etc. : SURGITE, FUGIAMUS. — Causam fugæ dat S. Chrysostomus in *Psalm.* III, quem tunc David dictavit invocans Deum in tanta persecutione, ut patet ex ejus titulo : « Fugiebat, ait, David filium suum, quoniam castitatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat. Fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit : Non occides, Non adultera-

bis, fugerat. Quoniam enim alienam agnam in domum suam introduxerat, et ejus pastorem interfecerat, qui erat e domo sua agnus, pastorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, sed ex domo sua in ipsum bellum incitatur, » etc.

Moraliter, disce hic quam vanum sit quod parentes glorientur in filiis suis, quamque verum illud : « Heroum filii noxæ. » Nam sæpe filii sunt degeneres, et parentum hostes. En tibi David tres genuit filios, quorum *primus* Amnon incestu sororem violavit; *secundus* Absalom fuit fratricida et parricida; *tertius* Salomon fuit idololatra et plane mulierosus. Quod mystice Judæis applicat S. Ambrosius, lib. I *Apolog. David.* cap. III : « Genuit David, inquit, duos filios, unum incestum, alium parricidam, eo quod incestus et parricidalis populus (Judæorum) affixo patibulo crucis, carnem proprii jugulaturus esset auctoris. »

Vers. 17. 17. ET LEGIONES CERETHI ET PHELETHI. — Quænam istæ fuerint dixi cap. VIII, vers. 28.

ET OMNES GETHÆI. — Erant hi milites, non Philistini, sed Judæi, qui in omni persecutione Saulis Davidi adhæserant. Dicti sunt « Gethæi, » quod Davidem ex Judæa in Geth urbem Philistinorum fugientem secuti fuerant, ibique multo tempore cum eo habitarant. Ita Abulensis.

Vers. 20. 20. HERI VENISTI, ET HODIE COMPELLERIS NOBISCUM EGREDI? — Hinc videtur quod Ethai fuerit Philistæus, scilicet Gethæus, atque paulo ante ex Geth migrarit Hierosolymam, factusque sit proselytus, ut Davidi se sociaret. Plura de eo disputat Abulensis, sed conjectando.

DOMINUS FACIET TECUM MISERICORDIAM ET VERITATEM (id est æquitatem, fidelitatem), QUIA OSTENDISTI GRATIAM ET FIDEM, — *q. d.* Opto oroque ut Deus tibi rependat gratiam et fidem quam mihi exhibuisti, ut scilicet sit in te misericors, et constans in benefaciendo, sicut tu mihi fuisti.

Vers. 23. 23. REX QUOQUE TRANSGREDIEBATUR TORRENTEM CEDRON. — David hic fugiens Absalomum transivit torrentem Cedron, ut per montem Oliveti fugeret in desertum, ibique se absconderet. Unde fuit typus Christi, qui fugiens Judam proditorem et Judæos, eumdem torrentem transivit. Absalom enim, ait Eucherius, fuit typus Judæ proditoris. Hinc et *Absalom* hebraice idem est quod *patris pax*, scilicet simulata et ficta; quia pater Christus pacem habuit, quam Judas non habuit, sed simulavit, cum scilicet eum osculando ab eo proditus est Judæis.

Vers. 25. 25. REPORTA ARCAM DEI IN URBEM, — scilicet in locum suum honorificum, a me illi erectum et ornatum, ne cum me exule exulare cogatur.

Vers. 26. 26. SI AUTEM DIXERIT MIHI : NON PLACES, PRÆSTO SUM — ad ei obsequendum ut regno ejiciar, et exul vagusque per orbem oberrem, ac fiam pauper et inops, ut etiam victum mendicare cogar. Vide hic miram Davidis humilitatem, obedientiam et resignationem, qua meruit in regnum restitui, magisque quam antea exaltari. Davidem imitatus Ferdinandus II, modernus Imperator, cum nuper undique ab hostibus cingeretur, et quasi ad manticam redigeretur, totum se Deo resignavit, et paratum ad imperium relinquendum, imo ad fortunam tenuissimam et paupertatem subeundam ultro se obtulit, ideoque sereno ac tranquillo semper animo æque ac vultu omnes hostium incursus sustinuit et superavit; quare a Deo tot victoriis ornari, ac tot beneficiis donis et gratiis, quales cernimus et miramur, cumulari meruit.

27. O VIDENS, REVERTERE, — *q. d.* O sacerdos, o pontifex, revertere in urbem, ut ei æque ac mihi prosis. Pontifex enim vocatur « Videns, » id est, Propheta, quia indutus rationali, in quo erat Urim et Tummim, Deum consulens excipiebat ejus oracula, eaque edicebat et prophetabat. Vers. 27.

30. PORRO DAVID ASCENDEBAT CLIVUM OLIVARUM, — scilicet montem Oliveti, cujus pars erat hic clivus, sive collis. Eo ascendit, tum ut per eum fugiens Absalomum, iret in desertum ibique lateret. Absalom enim veniebat in Jerusalem ex Hebron, quæ erat ad meridiem, mons vero Oliveti erat ad orientem; tum ut in monte Olivarum, id est oleis et olivis abundante, Deum adoraret, ut dicitur vers. 31, Deique opem et misericordiam (cujus symbolum est oliva et oleum) in tanto discrimine imploraret. Solebant enim prisci ad Orientem versi adorare ob causas quas recensui *Ezech.* VIII, 16. Mons Olivarum autem erat ad orientem Hierosolymæ; tum denique ut esset typus Christi, qui in eodem monte Oliveti Patrem orans cum lacrymis et sudans sanguinem, inchoavit passionem et redemptionem nostram, ideoque ex eodem monte post 40 dies a resurrectione gloriosus in cœlum ascendit. Audi S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 2 *De pœnitentia* : « Cum, inquit, Absalom adversus illum, in est Davidem, arma cepit; quamvis multæ illi ad fugam viæ paterent, per montem tamen Olivarum fugere maluit, firma invocans mente liberatorem illum qui istinc cœlos ascensurus erat. » Vers. 30.

SCANDENS ET FLENS, NUDIS PEDIBUS INCEDENS ET OPERTO CAPITE. — Hebræi enim æque ac postea Romani nudo capite incedebant quasi liberi et expediti; in luctu vero caput operiebant et tegebant, ut patet cap. XIX, vers. 4, et *Jerem.* cap. XXIV et seq. : « Luxit, ait, Judæa, etc., et afflicti operuerunt capita sua. » Vide hic miram Davidis humilitatem, pœnitentiam, patientiam, qua flens, nudipes et tecto capite lugens fugam capessit, itaque populum se sequentem ad idem faciendum suo exemplo compellit; quia

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Nimirum sciebat David sibi non tam cum Absalomo, quam cum Deo rem esse : eum itaque prius hisce pœnitentiæ armis expugnare decrevit; Deo enim expugnato exarmatus erat Absalom. Audi Salvianum; lib. II *De Providentia* : « Jam si addenda est et ipsius fugæ facies, quale illud fuit,

cum tantus rex et tanti nominis cunctis regibus altior, mundo major, omnes admodum suos, cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore; cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, et nudis pedibus incedens, super istis prioris status a seipso exulans, pene jam post se vivens, dejectus usque in servorum suorum, vel, quod grave est, contumeliam, vel quod gravius misericordiam : ut vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publice non timeret. Ita Dei judicio a se aliter effectus, ut ei, quem timuerat totus orbis, unus in faciem insultaret inimicus. »

Addit S. Chrysostomus, homil. 3 *in Matth.*, Davidem non tantum in tantis ærumnis patientem fuisse, sed et Deo gratias egisse : « Cum illum tyrannum, inquit, fratricidam et parricidam pro se regnantem videret, nec sic quidem scandalum mente concepit. Sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem errare semper et exulare, illum vero regnare, amplector atque suscipio, et habeo pro innumeris, quæ mihi a Deo inferuntur, tribulationibus gratiam. Longe aliter, quam plurimi impudentes pariter et arrogantes : qui, cum ne minimam quidem partem de illius virtute possideant, si quos videant prospere agentes, se vero parvam sufferre mœstitiam, animas suas non metuunt mille vulnerare blasphemiis. »

Vers. 31. 31. QUOD ACHITOPHEL ESSET IN CONJURATIONE. — Causam dant Hebræi, quod Achitophel ulcisci voluerit vitium nepti suæ a Davide illatum : Bethsabee enim erat filia Eliam filii Achitophel. Vide dicta cap. XI, vers. 3.

INFATUA, QUÆSO, DOMINE, CONSILIUM ACHITOPHEL. — Erat enim ipse vir valde prudens et magni consilii. Porro Deus varios habet modos infatuandi prudentum consilia, idque sine peccato; v. g. objiciendo alia consilia, alias cogitationes, alias rationes et modos, qui prima fronte videantur magis commodi et speciosi, ac tegendo eorumdem incommoda, difficultates et pericula. Ex adverso vero objiciendo alterius boni consilii, quod a prudentibus suggeritur, difficultates et incommoda, ac tegendo ejus utilitatem et commoda. Sic fecit hic Deus. Effecit enim ut Chusai, amicus secretus Davidis, opponeret se consilio prudenti Achitophelis, illudque suis rationibus everteret. Effecit enim ut Absalomo ejusque asseclis magis probaretur noxium consilium Chusai, quam utile Achitophelis, ut patebit cap. seq. Τὸ *infatua* alludit ad nomen *Achitophel*; hoc enim hebraice idem est quod *frater meus res insulsa*, ait Pagninus, vel *frater meus ruina*, ait Angelomus et Pagninus.

Sic experimur in nobis, nos una re et ratione aliquando moveri, alias eadem non moveri, quia ejus vis et efficacia aliquando nobis speciosa videtur, alias non videtur; vel ex alia et alia corporis mentisque dispositione, vel ex instinctu Angeli, dæmonis, vel alicujus socii et amici.

Plura tunc dixit David, si non ore, certe corde, quæ postea in *Psalmo* LIV conjecta sunt. Huc enim spectant illa in eo : « Elongavi fugiens et mansi in solitudine. » Et : « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero (o Achitopel mihi domesticus et a consiliis) homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, » pro quo S. Hieronymus vertit : « qui simul habuimus dulce secretum. » Deus ergo perfidiæ Achitophel fidem Chusai, quæ illam superavit, opposuit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Siba occurrit Davidi fugienti cibos offerens. Mox, vers. 5, Semei maledicit Davidi; unde Abisai eum ad necem deposcit, sed vetat David. Inde, vers. 15, Absalom Jerusalem ingreditur, ac concubinas patris publice violat.

1. Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et centum massis palatharum, et utre vini. 2. Et dixit rex Sibæ : Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba : Asini, domesticis regis ut sedeant; panes et palathæ, ad vescendum pueris tuis; vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto. 3. Et ait rex : Ubi est filius domini tui? Responditque Siba regi : Remansit in Jerusalem, dicens : Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. 4. Et ait rex Sibæ : Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba : Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex. 5. Venit ergo rex David usque Bahurim; et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et maledicebat. 6. Mittebatque

lapides contra David, et contra universos servos regis David; omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. 7. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi : Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial. 8. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul; quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui; et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9. Dixit autem Abisai filius Sarviæ regi : Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, et amputabo caput ejus. 10. Et ait rex : Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David : et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit? 11. Et ait rex Abisai, et universis servis suis : Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini; 12. si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat itaque David et socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. 14. Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi. 15. Absalom autem et omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed et Achitophel cum eo. 16. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum : Salve, rex; salve, rex. 17. Ad quem Absalom : Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo? 18. Responditque Chusai ad Absalom : Nequaquam; quia illius ero quem elegit Dominus, et omnis hic populus et universus Israel, et cum eo manebo. 19. Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi. 20. Dixit autem Absalom ad Achitophel : Inite consilium quid agere debeamus. 21. Et ait Achitophel ad Absalom : Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum; ut cum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 22. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

Vers. 1. 1. APPARUIT SIBA PUER MIPHIBOSETH. — « Puer, » id est servus et curator, qui omnia bona Miphiboseth curabat et administrabat. Improbus hic servus inhians heri sui claudi et miseri prædiis, ut ea a Davide obtineret, e Jerusalem egressus, imo antegressus Davidem fugientem, ex villa quapiam heri sui, occurrit Davidi cum annona copiosa, crimen falsum perduellionis hero suo imponens, ut patet cap. XIX, vers. 26.

PALATHARUM, — id est carycarum, sive ficuum aridarum. Hebraice, *fructuum æstivorum*.

Vers. 3. 3. DICENS : HODIE RESTITUET MIHI DOMUS ISRAEL REGNUM PATRIS MEI, — Jonathæ et avi Saulis. Impudens et inepta fuit hæc Sibæ in herum suum Miphiboseth calumnia, tum quia ipse, utpote claudus et elumbis, ineptus erat ad regnum; tum quia de eo in regem evehendo nemo cogitabat : nam omnes Absalomum sequebantur ut eum regem crearent : quare jure servum hunc ut iniquum et mendacem apud Davidem accusat herus Miphiboseth cap. XIX, vers. 26.

Vers. 4. 4. TUA SINT OMNIA, QUÆ FUERUNT MIPHIBOSETH. — Nimis cito David credidit Sibæ criminanti suum herum Miphiboseth : ideoque eum ut ingratum suis prædiis privavit, eaque dedit avaro Sibæ, qui illa ambiebat. Quare peccavit David, cum temere Miphiboseth innocentem et inauditum ac miserabilem, atque amantissimi Jonathæ sui filium bonis omnibus spoliavit, eaque in Sibam ejus servum maledicum transtulit; ideoque permisit Deus ut hanc injustitiam gravissima ab alio servo injuria compensaret, nimirum ut Semei servus malediceret Davidi suo principi. Postulabat enim divina justitia, ut qui unum servum injuste locupletarat, per alterum gravissime castigaretur. Discant hic principes non temere credere suis servis, dum alios criminantur, ut in eorum opes vel officium succedant. Credula est principum suspicio et ambitio, ubi de eorum honore agitur, uti hic agebatur de regno Davidis, cui nisi prudenter et fortiter ipsi principes resistant, facile se in falsitatem et injustitiam adduci sinent. Unde S. Bernardus, lib. I *De Considerat.*, in fine : « Cujus, inquit, callidissimæ vulpeculæ (nimis facilis credu-

litatis, quæ datur calumniæ) magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, indeque innocentium frequens addictio, inde præjudicia in absentes. » Pressius et magis ad rem præsentem Auctor Imperfecti apud S. Chrysostomum, *homil.* 2 : « Rex, inquit, quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum æstimat. Animus ejus semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facile credit, quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir, si zelet uxorem, aut uxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna et idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. »

Vers. 5. 5. NOMINE SEMEI. — S. Hieronymus in *Tradit.* ait hunc Semei esse Nabath patrem Jeroboam, qui schisma fecit a Roboam nepote Davidis : eique decem tribus abstulit, seque earum regem effecit, III *Reg.* cap. XI et seq. Verum id falsum esse liquet, ex eo quod Semei fuerit filius Jemini, ideoque de tribu Benjamin, ac cognatus Saulis, ut hic dicitur. Jeroboam vero ejusque pater Nabath fuere ex tribu Ephraim, ut patet III *Reg.* cap. XI, vers. 26. Ita Abulensis et alii.

Dices : Semei, cap. XIX, vers. 20, ait se esse ex domo Joseph; Josephi autem filius erat Ephraim: ergo Semei erat ex tribu Ephraim. Respondeo, Joseph ibi significare omnes decem tribus quarum una erat Benjamin, ex qua prognatus erat Semei, de quo plura ibidem.

ET MALEDICEBAT MITTEBATQUE LAPIDES CONTRA DAVID. — Hebræi tradunt Semei quinque atrocia maledicta et convicia in Davidem conjecisse : vocitasse enim eum *primo* adulterum, *secundo* Moabitam, *tertio* homicidam, *quarto* leprosum, *quinto* abominabilem; idque colligunt ex III *Reg.* cap. I, vers. 8, uti ibidem ostendam. Fuit magna hæc Semei protervia, impietas, impudentia, calumnia, audacia, maledicentia æque ac imprudentia et stultitia : poterat enim et debebat cogitare Davidem, vel quem ex ejus asseclis tantam improbitatem cæde ejus ulturum, uti eamdem ultus est Salomon : sed ira et furor eum excæcavit, ut malum hoc sibi obventurum non prospiceret, nec metueret, ideoque non caveret.

Vers. 10. 10. ET AIT REX : QUID MIHI ET VOBIS EST, FILII SARVIÆ? — *q. d.* Quid mihi cum vestra indignatione et contentione contra Semei? nolo illam mihi adscribi, nolo illius esse particeps.

Mira patientia Davidis ad maledicta Semei. DIMITTITE EUM, UT MALEDICAT. — Mira hic Davidis tantæ injuriæ tolerantia elucet. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Davide*, cap. VI : « Quam moraliter, inquit, docuit quod injuriarum tempora, examina probationum sint. Exercetur bonus athleta conviciis, exercetur laboribus et periculis, ut dignus sit cui deferatur corona justitiæ. » Unde mox citans hæc Davidis verba : « Quid mihi et vobis, » etc., exclamat : « O altitudo prudentiæ! O altitudo patientiæ! O devorandæ contumeliæ grande inventum! Ecce verborum contumelia parricidii levavit ærumnam. Quis secum talem non compenset injuriam, ut quem homo læsit, eum Deus meliorum retributione soletur? »

Aurea est sententia S. Basilii, serm. *Contra irascentes*, in editione Basileensi : « Neque, inquit, in solitudinibus echo sic integra ad eum, qui vocem emisit, refracta est, velut contumeliæ ad conviciatorem revertuntur. » Similis est Tertulliani, lib. *De Patientia*, cap. VIII. « Si parum, inquit, æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. At qui hujusmodi dictis aures obstruxerit ab utroque incommodo eripietur, neque loquens maledicet, neque tacens affligetur. » Ita David suas aures obstruebat : « Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, » *Psal.* XXXVII, vers. 14 et 15.

DOMINUS ENIM PRÆCEPIT EI, UT MALEDICERET DAVID. — David, sui adulterii et homicidii conscius, ex humilitate et pœnitentia cogitabat Deum misisse Semei (etiamsi res se aliter haberet) eique jussisse ut hæc scelera sibi exprobraret, itaque eum pro meritis castigaret : Semei ergo fuisse quasi lictorem Dei; sed quod Deus volebat ex justa vindicta, hoc Semei fecit ex injusto odio et malevolentia, ac plura quam Deus jusserat in eum scelera congessit per calumniam, quorum reus non erat David. Sic τὸ *præcepit* active et proprie accipitur.

Præcepit, id est, decrevit permittere. *Secundo*, τὸ *præcepit* improprie et permissive accipi potest pro *permisit*, vel potius pro *decrevit permittere* hanc maledictionem, *eamque positive ordinavit* ad meam pœnam et supplicium. Deus enim videns Semei infensum Davidi, quod a Saule cognato suo regnum ad se transtulisset, ideoque propensum ad ei expulso et fugitivo maledicendum, ex proposito voluit permittere, ut hæc ejus malevolentia in opus maledicentiæ exiret, idque directe et positive ordinavit ad hunc finem, ut scilicet Davidis peccata per eam castigarentur et punirentur. Unde pro *præcepit*, Hebræi et Septuaginta habent, *dixit*, id est decrevit, statuit, ordinavit, scilicet permittere hanc malignitatem, ut per eam me pro peccatis affligat, *q. d.* Ego peccatis meis hæc et plura commerui; maledictio hæc est justa scelerum meorum vindicta mihi a Deo decreta et irrogata : quare me eamdem patienter tolerare, et de manu Dei suscipere oportet, ut filius peccans patienter et amanter suscipit flagellationem patris : Deus enim utitur impiorum impietate, quasi tortore ad piorum errata puniendum. Sic *præcipere* vel *mandare* accipitur pro *ordinare* sive *jubendo* sive *permittendo*, *Matth.* cap. XIX, vers. 7 : « Moyses mandavit dare libellum repudii; » « mandavit, » id est permisit repudiare uxorem, sed id permittens, mandavit ut non repudietur nisi per libellum publica auctoritate ju-

dicis conscriptum. Sic I *Regum* cap. XIII, vers. 14, dicitur Deus « præcepisse, » id est ordinasse Davidi ut regeret Israel; et corvis « mandasse, » id est ordinasse ut pascerent Eliam, III *Reg.* cap. XVII, vers. 4; alioqui enim corvi, cum careant ratione, præcepti proprii sunt incapaces. Sic III *Reg.* XXII, 22, Deus dæmoni volenti decipere regem Achab ait : « Egrêdere, et fac ita, » id est permitto ut ita facias. Impii enim ita pendent et reguntur a Dei providentia, ut non possint quidquam agere nisi habeant ejus *placet*, hoc est permissionem non negativam, sed positivam. Sicut in Republica non possunt degere usurarii et meretrices, nisi habeant *placet*, et permissionem positivam principis et aulæ terrestris. Et hoc significat, τὸ *præcepit*, id est ordinavit. Ita S. Ambrosius, *Apolog. David.* cap. VI : « Non accusat Dominum, inquit, quasi auctorem injuriæ, sed magis laudat, quod patiatur nos minora perpeti, ut majorem veniam peccatorum adipiscamur. » Et S. Bernardus, *serm.* 34 : « Prorsus, ait, vir secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore blasphemi Deus? Absit; sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Et ideo dicit : Bonum mihi quia humiliasti me. »

In injuria memento peccatorum tuorum.

Tropologice imitemur Davidem qui, cum malediceretur a Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritus erat, ideoque patienter idipsum tulit. Ita S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. XVII : « Tunc, ait, illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, et majora nos meritos videmus. » Dicat ergo patiens et pœnitens sibi : Ego Deum lethaliter offendi; ego meritus sum in æternum ardere in gehenna, subsannari et cruciari a dæmonibus. Non feram ergo verbulum hoc maledicum et mordax? Imo vero patiar verba quælibet et quantalibet, potius quam verbera. Verba enim aurem feriunt, verbera pulsant dorsum. Audi S. Chrysostomum in *Psal.* XXXV, vers. 2 : « Cum maledictis me incesseret Semei, peccatum a me commissum revocavi in memoriam, considerans quod propter ipsum maledictis appetor et punior, et regia expulsus, fuga cogor meæ saluti consulere. » Et Theodoretus : « Conviciis, inquit, affectus, peccati memini, et stimulis e peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, et tyrannide opprimar, et a regiis domibus exactus fugere cogar. » Accedit S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. XVII : « David, inquit, exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et æquanimiter pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse judicavit. Leve quippe videtur quod injuria percutimur, dum in actione nostra perspicimus, quia pejus est quod meremur; sicque fit ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur. » Hæc ad verbum ex S. Gregorio transcripserunt Eucherius (verius Beda) et Angelomus. Audi denique S. Ambrosium, lib. I *Offic.* cap. VI : « Ibat, inquit, tanquam mutus et humiliatus, ibat tacens : nec movebatur, cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergo movebatur conviciis, qui abundabat bonorum operum conscientia. Itaque is qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit injuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit : qui autem dolet, quasi senserit, torquetur. »

Dices : S. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arb.* cap. XX, ait : « Deus voluntatem Semei vitio suo malam in hoc peccatum maledicendi Davidi inclinavit. » Ergo positive fuit auctor maledictionis et peccati, quod absit. Respondeo, « inclinavit, » id est inclinatam ad maledicendum tenuit, direxit, frenavit, et impedivit ne in alium quam Davidem sese exsereret, ac permisit ut in eum omne rancoris virus sui effunderet. Sicut qui leonem ligatum catena manu tenet, cum objectis variis canibus non permittit eum in illos insilire, sed tantum in certum aliquem molossum, tuncque funem laxat, eumque dimittit ut eum invadat, cum eoque duellet, hic dicitur leonem immisisse in molossum, etiamsi active et positive non immiserit, sed tantum laxato fune dimiserit et permiserit ut molossum aggrederetur : simili modo Deus hic egit cum Semei, agitque cum ejus similibus. Unde subdit S. Augustinus : « Dixit Deus Semei, ut malediceret Davidi, id est cor ejus malum misit vel dimisit. » Tantum enim vult S. Augustinus docere corda hominum etiam impiorum et malevolorum esse in manu Dei, eaque ita concludi et coerceri, ut non nisi ad id quod ipse voluerit, convertantur, nec alio quam quo ei libuerit ferri et erumpere nequeant; Deum enim eis uti ad puniendos illos, quos ille punire voluerit. Hinc cap. XXIII, S. Augustinus τὸ *Deus obdurat*, exponit, *obdurari permittit* Pharaonem et similes reprobos, additque non Deum, sed liberum eorum arbitrium proprie et positive seipsum obdurare. Denique addit cap. XX, Deum hæc operari in cordibus impiorum per Angelos bonos vel malos. Boni hæc mala operantur indirecte et objective, mali, directe et impulsive.

11. ECCE FILIUS MEUS QUI EGRESSUS EST DE UTERO MEO, QUÆRIT ANIMAM MEAM. — Vers. 11 Tunc psalmum. III, composuit David, eoque Dei opem invocavit dicens : « Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? » Ubi S. Chrysostomus : « Qui ex me genitus est, inquit, contra me est, sed tu es pro me. Mea mecum viscera bellum gerunt, meus populus. Post Absalomum meus contra me armatur exer-

citus. Oves meæ lupi facti sunt, et leones agni, et canes rabie perciti, agnelli, et cornu petentes tauri, arietes; non propter meipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium. »

Vers. 12. 12. SI FORTE RESPICIAT DOMINUS. — S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. XLVIII, notat hic tres rationes, quibus David probat sibi tolerandam esse hanc Semei maledicentiam. « Vide, inquit, quomodo et humilitatem et justitiam et prudentiam emerendæ a Domino gratiæ reservaverit. Primo dicit: Ideo maledicit mihi, quia Dominus dixit illi ut maledicat; habes humilitatem, quia ea quæ divinitus imperabantur, æquanimiter quasi servulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit : Ecce filius meus, qui exivit de ventre meo, quærit animam meam. Habes justitiam; si enim a nostris graviora patimur, cur indigne ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertio ait : Dimitte illum ut maledicat, quoniam dixit illi Dominus; ut videat humiliationem meam et retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc. Nec jam solum conviciantem pertulit, sed etiam lapidantem, et sequentem illæsum reliquit, quin etiam post victoriam petenti veniam, libenter ignovit. Quod eo inserui, ut Evangelico Spiritu sanctum David non solum inoffensum, sed etiam gratum fuisse convicianti docerem, et delectatum potius quam exasperatum injuriis; pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. »

Vers. 21. 21. INGREDERE AD CONCUBINAS PATRIS TUI. — Quinta est hæc pœna Davidis, illaque congrua culpæ. Sicut enim ipse violaverat secreto Bethsabee; sic Absalom violavit ejus concubinas, id est secundarias uxores, non secreto, sed publice in conspectu totius populi; quæ magna fuit impudentia, impietas et libido. Dedit Absalomo hoc consilium vafer, sed impius Achitophel, ejusque causam subjecit dicens :

UT, CUM AUDIERIT OMNIS ISRAEL QUOD FOEDAVERIS PATREM TUUM, ROBORENTUR TECUM MANUS EORUM, — ut scilicet sciant te implacabile contra patrem odium concepisse, itaque excludatur omnis spes et timor reconciliationis cum eo, atque hac ratione confirmentur et roborentur in conspiratione tua contra ipsum promovenda et perficienda. Multi enim prudentes metuebant se jungere Absalomo, eo quod cogitarent : Absalom quasi filius facile reconciliabitur patri, idque curabit pater; sed ipse tunc suam iram et vindictam in nos convertet et evomet. At jam videntes eum violasse uxores patris, judicabant eum esse irreconciliabilem patri, ideoque roborabantur in sua cum eo contra patrem conjuratione. Ita Theodoretus : « Timens, inquit, Achitophel ne natura eos (Davidem et Absalomum) rursus conjungeret, deinde si fieret conciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam suggerebat iniquitatem, ut reconciliationi nullus pateret aditus. Statim autem dedit pœnas illius impiæ et nefariæ suasionis : et quoniam in patrem armavit filium, ipse rursus in se armavit manus, et iis laqueum collo injiciens miserrimum sustinuit finem. Nam cum ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admissa ejus suasione Davidis futuram credidit victoriam; et timens proditionem sua manu de se sumpsit supplicium. »

Vers. 22. 22. TETENDERUNT ERGO ABSALOM (in dativo) TABERNACULUM IN SOLARIO, — hoc est in tabulato sive tecto (tecta enim in Judæa erant plana quasi tabulata), ut a toto populo conspici posset; populus enim videbat concubinas ingredientes tabernaculum, et post eas sequentem Absalomum, uti faciunt fornicatores sequentes suas pellices in fornicibus; actum vero ipsum turpem non videbat, quia tabernaculum velabatur cortinis : alioqui enim res hæc fuisset nimis impudens et populo execrabilis, uti idcirco fuit Cynicorum secta, quorum parens fuit Diogenes, qui ob caninam hanc inverecundiam dictus est Cynicus, id est caninus.

INGRESSUSQUE EST AD CONCUBINAS PATRIS SUI CORAM UNIVERSO ISRAEL. — Audi Salvianum, lib. II *De Providentia* : « Impurior nescias, an cruentior filius; quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu, et quidem incestu præter incesti nefas, per industriam accumulandi sceleris elato; cum utique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publice perpetraret : scilicet ut feralissimo crimine non pater tantum absconsus deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu. »

Vers. 23. 23. CONSILIUM AUTEM ACHITOPHEL, etc., QUASI SI QUIS CONSULERET DEUM, — id est, habebatur ab omnibus prudentissimum et divinum, *q. d.* Consilium Achitophel æstimabatur quasi oraculum. Nimirum homo versipellis et impius accommodabat se tempori et personis, ac Davidi pio pia dabat consilia, Absalomo autem impio, impia : quæ prudentia erant secundum diabolum, at non secundum Deum. Erant enim apposita ad fovendam ejus ambitionem et tyrannidem, sed opposita virtuti, pietati et obedientiæ, quam filius debet patri. Sic et hodie in aulis Principum non desunt consiliarii; qui ad omnem ventum auramque Principis se suaque consilia inflectant, ut cum probo sint probi, cum improbo improbi. Notus fuit nuper in Anglia Consiliarius magni nominis, qui cum Maria regina Catholica erat Catholicus, fingebatque se mire devotum et pium; ac succedente Elisabetha in fide heterodoxa larvam detraxit, gessitque se ut hæreticum, et Catholicos persecutus est : idem tamen volebat haberi a Catholicis Catholicus. Cupiebat enim audire politicus, et omnibus placere, omniumque gratiam inire. Unde cum quidam e Patribus Societatis nostræ (qui mihi hæc in Belgio olim narravit) in Anglia captus ab eo secreto rogaretur, quid Transmarini et principes Catholici de se sentirent, argute, sed apposite vereque respondit : Domine, ipsi asserunt te imitari orbes inferiores cœlorum qui sequuntur

motum primi mobilis; sic enim te sequi nutum motumque Reginæ. Talis quoque fuit Volsæus ille, qui Henrico VIII, ut ejus libidini assentaretur, repudii Catharinæ uxoris, indeque omnium Angliæ malorum fuit causa. Unde justo Dei judicio in Henrici VIII indignationem incidit, miserequeperiit dicens : « Quia magis placere studui regi quam Deo, hinc juste Dei iram incurri, et regis gratiam amisi,» uti refert Sanderus in *Schismate Anglicano*. Utinam nostri Achitopheles, ejus exitum intuentes, ejusdem mores et consilia politica detestarentur, ac ejus suspendio saperent, ne similem mortem præsentem et æternam sibi consciscerent!

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achitophel vafrum utileque consilium dat Absalomo; sed illud dissipat Chusai, qui illud, vers. 15, *curat renuntiari Davidi, ut sibi fuga consulat, transeatque Jordanem. Quare, vers,* 22, *transit eum David, sequitur Absalom. Mox, vers.* 27, *Sobi, Machir et Berzellai annonam castris Davidis inferunt.*

1. Dixit ergo Achitophel ad Absalom : Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percutiam eum; cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum. 3. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet; unum enim virum tu quæris, et omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo ejus Absalom, et cunctis majoribus natu Israel. 5. Ait autem Absalom : Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum : Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel : Facere debemus, an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom : Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursum intulit Chusai : Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat, sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco; et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, et dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. 10. Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur; scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium : congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Barsabee, quasi arena maris innumerabilis, et tu eris in medio eorum. 12. Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit, et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram : et non relinquemus de viris qui cum eo sunt, ne unum quidem. 13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, et omnes viri Israel : Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel; Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus : Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, et senioribus Israel; et ego tale et tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David dicentes : Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere; ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est. 17. Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fontem Rogel; abiit ancilla et nuntiavit eis; et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium; non enim poterant videri, aut introire civitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom; illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, et expandit

velamen super os putei, quasi siccans ptisanas; et sic latuit res. 20. Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt : Ubi est Achimaas et Jonathas? Et respondit eis mulier : Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nuntiaverunt regi David, et dixerunt : Surgite, et transite cito fluvium, quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo David et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Jordanem, donec dilucesceret; et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium. 23. Porro Achitophel, videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam et in civitatem suam; et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. 24. David autem venit in castra, et Absalom transivit Jordanem, ipse et omnes viri Israel cum eo. 25. Amasam vero constituit Absalom pro Joab super exercitum; Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jesraeli; qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab. 26. Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad. 27. Cumque venisset David in castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, 28. obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, 29. et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos, dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum; suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.

Vers. 1. 1. PERSEQUAR DAVID.—Erat hoc utile consilium. Si enim Achitophel fugientem Davidem e vestigio, cum lecto milite fuisset insecutus, utique eum inermem, desertum et imparatum oppressisset : at cum, suadente Chusai, interjecta fuit mora, David undique subditos ad se convocavit, armavit, in aciem disposuit, itaque confligens cum rudi populo Absalomi eum prostravit. Celeritas enim in bellis plurimum valet. Unde illud Julii Cæsaris : « Veni, vidi, vici. » Et illud Caroli V : « Veni, vidi, sed vicit Christus. » Audi ipsum Cæsarem contra Pompeium dimicantem, apud Lucanum, lib. I :

Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras : semper nocuit differre paratis.

Cum enim, ut narrat Plutarchus in *Apophteg. Rom.*, Pompeius instructam aciem apud Pharsalum inibi consistere, et hostem operiri jussisset, Cæsar dixit illum errasse, qui vim, impetum ac divinum afflatum animorum ad incursionem paratorum mora relaxasset.

Vers. 9. 9. FORSITAN NUNC LATITAT IN FOVEIS, — *q. d.* Etiamsi invadamus castra Davidis, ut suadet Achitophel, forte non inveniemus eum, quia ipse sese in antris absconderit; scit enim se a te quæri, nec tibi posse resistere. Differamus ergo donec totum Israelem congregemus, qui eum distributis aciebus per omnes montes, valles, sylvas, antra et speluncas perscrutentur, obsideant et capiant.

Vers 11. 11. CONGREGETUR AD TE UNIVERSUS ISRAEL. — Non hoc volebat Chusai, sed id suæ sententiæ prætexuit, ut daretur mora Davidi ad fugiendum et comparandum prælium. Politice discant hic principes rebellionem et seditionem omni ratione et modo esse præcavendam, curandumque ne oriatur; si autem jam orta sit et conflata, injiciendas ei esse moras et remoras; tum quia furor populi et animorum ardor tempore languescit et subsidit; tum quia princeps contra illam interim se munire et armare potest, ac consilia multa captare ad eam discutiendam. Multis id exemplis demonstrare possem. Unum tantum afferam Fabii Maximi, qui a mora quam tumultuantibus, ac præsertim Annibali ad prælia ferventi et ardenti injiciebat, cognominatus est *Cunctator*, de quo illud :

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Ipse enim, ut ait Plutarchus in ejus Vita, « cum hostes intelligeret difficultate laborare stipendii, cunctandum censuit Romanis, nec pugnandum cum homine qui exercitum haberet multis ad id ipsum duratum prœliis; cæterum submittenda sociis auxilia, oppidaque in potestate tenenda, dum vigor ille per se Annibalis, sicut flamma exigua et levi excitata vi marcesceret. » Audi rursum quid de eo scribat Julius Frontinus, lib. VI *Stratag.* cap. I : « Fabius Maximus non ignarus Gallos et Samnites primo impetu prævalere, suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperavit militibus ut contenti essent primo congressu sustinere, ut hostem mora fatigarent; quod ubi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie universis viribus oppressum fudit hostem. » Sic Chusai hic injiciens moras rebellioni Absalomi, eam dissipavit.

13. CIRCUMDABIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FU- Vers. 13.

NES. — Est hyperbole significans magnitudinem virium et exercitus, *q. d.* Tantum populi numerum, tantas copias colligemus, ut possimus funibus civitatem circumdare (ut ita loquar) et trahere in ruinam (1).

Vers. 14. 14. DOMINI AUTEM NUTU DISSIPATUM EST CONSILIUM ACHITOPHEL UTILE. — Qua ratione id fecerit Deus, dixi cap. XIV, vers. 31.

Vers. 15. 15. ET AIT CHUSAI SADOC ET ABIATHAR SACERDOTIBUS,—scilicet summis, hoc est Pontificibus; erant ergo tunc duo Pontifices, scilicet Sadoc descendens ex Eleazar primogenito Aaronis filio, et Abiathar descendens ex Heli et Ithamar juniore Aaronis filio : quare potior et dignior erat Sadoc, unde priore loco semper ponitur ante Abiathar. Causam dedi superius.

Vers. 17. 17. NON ENIM POTERANT VIDERI, AUT INTROIRE CIVITATEM, — *q. d.* Achimaas et Jonathas, exploratores Davidis, non audebant palam ingredi urbem, seque ostentare Jerosolymæ, quia portæ ejus arcte a vigilibus custodiebantur, a quibus fuissent agniti captique : idcirco missa est ad eos ancilla, quæ ad eos dicta factaque Chusai deferret, ut ipsi eadem renuntiarent Davidi.

Vers. 18. 18. VIDIT AUTEM EOS QUIDAM PUER. — Hebræi apud S. Hieronymum tradunt hunc puerum fuisse filium ancillæ, quæ nuntium a Pontificibus perferebat ad eorum filios Jonathan et Achimaas, ut ipsi idipsum referrent Davidi : verum incertum est quis fuerit hic puer; grandior enim fuit, utpote qui idipsum retulit Absalomo, ut ejus gratiam iniret, nec verisimile est eum voluisse accusare matrem suam, eamque in periculum vitæ conjicere.

Vers. 19. 19. QUASI SICCANS PTISANAS. — *Ptisana* vox Græca est, significans hordeum vel triticum decorticatum; πτίσσω enim est purgo, decortico, tundo. Fit enim ptisana ex aliis frugibus, ait Dioscorus lib. II. Apud Columellam, *ptisana* est pultis genus ex farina hordeacea, cui maxima restaurandarum virium vis inest et nutriendi; ejus cremor sive succus datur febricitantibus. Vulgo medici *ptisanam* vocant hordeum a gluma separatum, in aqua decoctum, qui potus est saluberrimus, cujus laudes Hippocrates integro volumine conscripsit. Causas dat Plinius, lib. XXII, cap. XXV : « Quoniam ptisana, inquit, lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in alvo non intumesceret, quoniam facile redderetur, et assuetis hic solus cibus in febri bis die posset dari. »

Vers. 21. 21. SURGITE ET TRANSITE CITO FLUVIUM, — Jordanem. Hoc consilium Davidi dat Chusai, quia licet ipse evertisset consilium Achitophelis suadentis Absalomo, ut illico persequeretur Davidem, tamen verebatur ne Absalom urgente Achitophele et sociis mutaret mentem, et illico milites post Davidem submitteret ad eum capiendum.

(1) Veteres sæpissime utebantur funibus connexis unguibus ferreis ad diruenda urbium mœnia.

Vers. 23. 23. PORRO ACHITOPHEL VIDENS QUOD NON FUISSET FACTUM CONSILIUM SUUM, etc., SUSPENDIO INTERIIT,— ne scilicet a Davide caperetur, et quasi proditor suspenderetur; prævenit ergo et redemit suspendium infame et violentum suspendio spontaneo et voluntario. Ipse enim, ut erat prudens et sagax, prævidebat Davidem bellicosum ex mora sibi data collecturum validas copias ac rebellem Absalomum debellaturum. Ita Procopius, Theodoretus et alii. Vide hic quam verum istud : « Malum consilium consultori pessimum. »

Symbolice Achitophel, proditor Davidis, fuit typus Judæ proditoris, qui pariter laqueo se suspendit, ait Angelomus et Rupertus.

Porro Elias in Thisbi Hebraice יחנק *iechanec* vertit, *suffocatus est;* unde putat catarrho fuisse suffocatum. Verum Septuaginta, Josephus, Noster et alii constanter vertunt, asseruntque eum se suspendisse; huc enim eum adegit mala conscientia, desperatio et justa numinis vindicta, ut ipse sibi fauces strangularet, quibus impium consilium dederat, et dominum suum Davidem prodiderat. Unde videntur ipsi legisse in Cal active יחנק *iechanac,* id est, *strangulavit se,* licet jam legant passive in niphal *iechanec,* id est *strangulatus est.* Verum Chaldæus, Vatablus, Pagninus, Lyranus, Abulensis et alii legentes licet *iechanec,* vertunt tamen active, *strangulavit se,* sive *strangulatus est a seipso;* significatur enim actio reciproca sive passio, quam agens sibi ipsi infert. Audi Josephum, lib. VII *Antiq.* cap. IX : « Convocatis omnibus domesticis, exposuit eis quæ Absalomo consuluerat, addens, quia non persuasisset, certo se brevi fore periturum. Davidem enim omnino superiorem hoc bello fore, et amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur, inquit, magno animo, ut virum ingenuum decet, e vita exire, quam Davidi ob filio navatam contra eum operam excarnificandum se præbere. »

Vers. 24. 24. DAVID AUTEM VENIT IN CASTRA. — Hebræa et Septuaginta, *venit in Mahanaim,* id est in urbem quæ dicta est *Mahanaim*, id est *castra*, eo quod Jacob fugiens fratrem Esau ibidem vidisset duas acies, et quasi duo castra Angelorum pro se contra fratrem dimicantium, *Genes.* XXXII, 1. Ideoque David fugiens Absalomum filium in eamdem urbem secessit, sperans Deum ibidem sibi affore, sicut affuerat avo suo Jacobo, uti reipsa affuisse audiemus cap. sequenti. Adde : *Mahanaim* erat urbs munitissima æque ac pulcherrima, ut docet Adrichomius, in tribu Gad, sita in Galaadite.

Tropologice, discant a Davide hic Duces in periculis et præliis niti Angelorum tutelarium et præsidum ope, eamque invocare; ipsi enim victoriam conciliant, uti hic conciliarunt David; qua de re plura dixi *Daniel* cap. X; *Josue* cap. I et X, et *Judic.* cap. V.

ET ABSALOM TRANSIVIT JORDANEM, — non statim, sed post aliquot dies, ut suaserat Chusai, quibus David paravit copias ad ei resistendum; unde

tres validas acies instruxit, quibus debellavit Absalomum, ut audiemus cap. XVIII, vers. 1 et seq.

Vers. 25. 25. AMASA AUTEM ERAT FILIUS VIRI, QUI VOCABATUR JETRA (vel *Jether*) DE JESRAELI. — I *Paral.* II, 17, vocatur hic « Jether Ismaelites. » Unde noster Sanchez suspicatur in Hebræo hic pro ישראלי *Iisraeli*, id est Israelites, legendum ישמעלי *Iismaeli*, id est Ismaelites : facile enim litteræ ר altera vicina מ supponi potuit. Verum omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini constanter hoc loco habent *Israelites*, vel *Jesraelitis*, non *Ismaelites*. Quocirca aliter respondet Vatablus et alii, scilicet Jether fuisse Ismaelitem origine, Israelitem vero fide et religione, quod ab Ismaelitis transierit ad Israelitas, factusque sit proselytus per circumcisionem et professionem legis Mosaicæ; aut Jether origine fuisse Israelitem, sed vocari Ismaelitem habitatione, quod in Arabia habitarit. Rursum Hebræi apud S. Hieronymum censent Jether dici Ismaelitem, eo quod ejus filius Amasa, opera Ismaelis imitatus, David fugientem nequaquam est comitatus; quod ejus peccatum a Joab Amasam occidente deletum est, ideoque Jether hoc loco vocatur Israelites. Verum hæc symbolica sunt figmenta.

Dico ergo Jether origine et genere fuisse Ismaelitem, sed migrasse in Judæam, nimirum in Jesrael, ibique factum proselytum et circumcisum. Id patet ex versione Vulgata, quæ hoc loco eum vocat *Jetra de Jesraeli*. Ergo domus ejus erat in Jesrael vel Jesraeli. Nam quod nonnulli cum Vatablo censent eum hic vocari *Israelitem*, id nimis commune et generale est, nec eum a cæteris discriminat. Omnes enim qui hic nominantur, erant Israelitæ. Pro *Israel* ergo aliis punctis cum Nostro legendum *Jesrael* vel *Jesraeli;* ubinam hic locus vel urbs fuerit, non constat. Probabiliter Adrichomius in *Descript. tribus Juda*, num. 169, eam ponit in tribu Juda : « Jezrael, inquit, sive Jesraeli, de qua *Josue* cap. XV, XVII et XIX, nomen accepit a Jezrael filio Ephrata aut Ethan. Ex hoc fuit Achinoam uxor Davidis, mater Amnon, quem ob stuprum cum Thamar occidit Absalom. Fuit etiam hæc patria fortissimi viri Amasæ principis militiæ Absalom. » Hæc Adrichomius. Tantum obstat quod *Jezrael* hæc scribatur per *Zain* et *Ain*, hic vero *Jesraeli* scribatur per *Schin* et *Aleph*. Verum hæ litteræ affines sunt, et inter se commutabiles. Alia est ergo hæc *Jezrael* a *Jezrael*, urbe regali et metropoli decem tribuum, quæ erat terminus tribus Manasse et Issachar, sita in pede montis Gelboe ad Occidentem, in qua Jezabel uxor Achab curavit lapidari Naboth, ut ejus vineam occuparet, ideoque ibidem ipsa a Jehu occisa projecta est canibus devoranda, IV *Reg.* IV, 8, 9 et seq.

QUI (*Jetra* vel *Jether*) INGRESSUS EST (quasi maritus vel concubinus) AD ABIGAIL FILIAM NAAS (ex eaque genuit Amasam) SOROREM SARVIÆ, QUÆ FUIT MATER JOAB. — *Sarvia* et *Abigail* erant sorores Davidis, Sarvia fuit mater Joab, Abigail mater Amasæ : quare David erat avunculus tam Joab quam Amasæ : ipsi vero inter se erant consobrini, ut patet I *Paral.* II, 13. Atque idcirco eorum matres hic nominantur, non patres, ut significetur eos per matres fuisse nepotes Davidis. *Abigail* ergo vocatur hic filia *Naas*, id est *Jesse* sive *Isai*, qui fuit pater Davidis : hic enim alio nomine vocatus est *Naas*, cujus nominis causam symbolicam dant Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.* : hic Jesse, inquiunt, vocatus est *Naas*, Hebraice נחש *nachas*, id est *coluber*, eo quod nullum admisisse mortiferum perhibetur peccatum, nisi id quod originaliter de serpente antiquo contraxit. Talis ergo meruit esse pater Davidis regis, indeque Christi.

Vers. 27. 27. CUMQUE VENISSET DAVID IN CASTRA (Hebræi et Septuaginta, *in Mahanaim*) SOBI FILIUS MAAS DE RABBATH FILIORUM AMMON. — Audi S. Hieronymum in *Tradit.* : « Iste Sobi fuit filius Naas regis, cum quo pugnavit Saul. Ipse etiam Naas fecit misericordiam cum David, quando fugit a facie Saul; quo mortuo dixit David : Faciam misericordiam cum Hanon sicut fecit pater ejus Naas mecum. Interempto vero a David Hanon, qui ei in decalvandis servis suis injuriam fecerat, constitutus est ab eodem David in loco fratris, iste Sobi, qui ad David legitur cum cæteris venisse, et stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, et cætera, quæ dicuntur, ei obtulisse. » Atque hinc factum est ut David suo filio Salomoni uxorem dederit Naaman Ammonitidem, III *Reg.* XIV, 21, quæ videtur soror aut filia fuisse hujus Sobi, ex qua Salomon genuit Roboam anno Davidis ultimo, nimirum cum Naama prius facta esset proselyta, atque ad Judaismum vel sincere vel ficte et simulate conversa, de quo III *Reg.* cap. XIV.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David tres instruit acies, ac tres earum duces, quibus confligit cum copiis Absalomi, easque prosternit. Fugit Absalom, vers 9, sed condensæ quercui capillis implicitus adhæsit, ibique suspensus a Joab tribus lanceis confoditur. Inde, vers. 17, in fossam cadaver projicitur, et lapidibus obruitur. Mox, vers. 21, Joab victoriæ nuntium mittit ad Davidem; ille audiens occisum Absalomon, inconsolabiliter lamentatur, et victoriam funestat.

1. Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos, et centuriones, 2. et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Joab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum. 3. Et respondit populus : Non exibis; sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt; quia tu unus pro decem millibus computaris; melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio. 4. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam; egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, et milleni. 5. Et præcepit rex Joab, et Abisai, et Ethai, dicens : Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim. 7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa. 9. Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui; et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus, cui insederat, pertransivit. 10. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens : Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei : Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum? 12. Qui dixit ad Joab : Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis : audientibus enim nobis præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens : Custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed et si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso. 14. Et ait Joab : Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, 15. cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Absalom et projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis : omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. 18. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in valle Regis : dixerat enim. Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait : Curram, et nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus. 20. Ad quem Joab dixit : Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia : hodie nolo te nuntiare; filius enim regis est mortuus. 21. Et ait Joab Chusi : Vade, et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, et cucurrit. 22. Rursus autem Achimaas

filius Sadoc dixit ad Joab : Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Joab : Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus. 23. Qui respondit : Quid enim si cucurrero? Et ait ei : Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi. 24. David autem sedebat inter duas portas ; speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. 25. Et exclamans indicavit regi, dixitque rex : Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus. Properante autem illo, et accedente propius, 26. vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait : Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex : Et iste bonus est nuntius. 27. Speculator autem : Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex : Vir bonus est, et nuntium portans bonum venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem : Salve, rex, et adorans regem coram eo pronus in terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex : Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum ; nescio aliud. 30. Ad quem rex : Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret, 31. apparuit Chusi : et veniens ait : Bonum apporto nuntium, domine mi rex : judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chusi : Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi : Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum. 33. Contristatus itaque rex ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur vadens : Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

Vers. 5. 5. SERVATE MIHI PUERUM ABSALOM. — Certat hic Davidis pietas paterna cum impietate hostili Absalomi, in flagranti parricidali ejus scelere et prælio. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Absalom.* tom. I : « Inde dementia contra genitorem exsurgit, hinc clementia, ut parricidæ parcatur, exposcit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde insania, hinc misericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non læsus insanit. David læditur et mitescit. Debellatur ab impietate pietas, nec movetur pietas patris, nec gladio vincitur, nec terrore mutatur. Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterretur. »

Vers. 6. 6. ET FACTUM EST PRÆLIUM IN SALTU EPHRAIM. — Saltus hic non erat in tribu Ephraim, hæc enim habitabat cis Jordanem ; exercitus autem uterque transierat Jordanem in Galaaditen, uti dictum est cap. præced. vers. 2, 4. Erat ergo hic saltus trans Jordanem, in tribu Gad juxta urbem Mahanaim, in quam se receperat David, non longe a mari Galilææ : vide Adrichomii tabulas geographicas. Dictus est « Ephraim » ab aliquo eventu, sive quod esset oppositus tribu Ephraim, sive quod tribus hæc eo pabulatum mitteret sua pecora, sive quod prælium aliquod in eo commisisset. Ita Abulensis, Vatablus et alii.

Vers. 8. 8. ET MULTO PLURES ERANT, QUOS SALTUS CONSUMPSERAT. — « Saltus, » id est feræ saltus : puta leones, lupi, tigrides in saltu latitantes, quod arguit divinam hanc fuisse vindictam, ait S. Hieronymus, Cajetanus, Angelomus. Rursum « saltus, » id est præcipitia et fossæ saltus occultæ, in quas corruerunt fugientes. Ita Abulensis, Vatablus et alii.

Vers. 9. 9. ADHÆSIT CAPUT EJUS QUERCUI. — Septuaginta, *implicatum est caput ejus in arbore ;* Chaldæus, *et apprehensum est caput ejus in quercu ;* Vatablus, *detentum est caput ejus a quercu ;* Hebræus, *adhæsit cæsaries ejus in ramis perplexis quercus.* Densi ergo et promissi capilli Absalomi, densis et implexis ramis quercus impliciti adhæserunt. Per crines ergo, in quibus gloriatus erat Absalom, punitur et suspenditur. Ita Abulensis et Josephus. Addit Cajetanus caput ejus detentum fuisse inter duos ramos, nimirum capite plectitur, qui illud superbe contra patrem efferre voluerat. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Absalom.* tom. I : « Inseritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus. Pendens jam mortuus ab hominibus invenitur, quem jam nec cœlum potuit conspicere vivum, nec terra ulterius sustinere. O nefandum meritum parricidæ! Injuriam patris, non pugnantis gladius, non hostilis manus, non jaculantis ictus defendit, sed vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami defendunt. »

ET ILLO SUSPENSO INTER COELUM ET TERRAM, MULUS, CUI INSEDERAT, PERTRANSIVIT. — Septuaginta, *et suspensus est in arbore inter cœlum et terram,* etc. Sic et Chaldæus. Adverte hic supplicium justa Dei vindicta sceleri Absalomi per omnia commensum ; patris solium affectavit ; thronus ei datur patibulum. Diademate coronari ambivit, en corona ejus fuit coma capitis arbori implexa. Sceptrum opta-

vit, en sibi lanceæ tres pro triplici sceptro quibus confoditur. Satellitium regium concupivit, idipsum ei præstant armigeri Joab. Supplicium ergo ei versum est in sepulcrum et criminis epitaphium. Audi Chrysostomum, hom. *in Psalm.*: « Absalom Davidem aggressus est, occisus a Joab, et in alto ligno suspensus est, qui adversus patrem erigebatur; et ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat; et vinctus erat a ramo ramus, qui erat a paterna affectione abruptus; et capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat; et tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere; et in corde jaculo confossus est, illic occisus, ubi cædem parabat. Et tunc videri poterat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans ex pilorum coma, a coma arboris tenebatur, et coma tenebat coma Tyrannum, illic eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat. » Causam deinde cur suspensus sit Absalom, subjicit : « Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio cœli et terræ. Cœlum eum non admittebat. Si enim primum insurrectorem ejecit diabolum, quomodo ipsum insurrectorem secundum admisisset? Terra eum adversabatur, non ferens pollui passibus parricidæ. Si enim Dathan devoravit, qui contra Mosen erat locutus, et os suum aperuit adversus eum qui os improbe aperuerat; quomodo potuisset ferre pedes currentes adversus genitorem? »

Absalomi pœna congrua culpæ.

Vers. 11. 11. QUARE NON CONFODISTI EUM CUM TERRA, — ut in terram decideret, ibique confossus exspiraret; patet ex Hebræo.

Vers. 14. 14. TULIT ERGO TRES LANCEAS (breviores, unde Septuaginta vertunt, *tria jacula;* Chaldæus, *tria tela;* Vatablus, *tria spicula;* hæc enim significat Hebræum שִׁבְטֵי *scebatim*), ET INFIXIT EAS IN CORDE ABSALOM, — ut cor fictum et duplex imo triplex, quo coram patre exterius simularat obedientiam, interius vero foverat regni ambitionem et rebellionem; cor, inquam, proditorium triplici telo confoderet. Causam hanc dat S. Chrysostomus, loco jam citato, dicens : « In cor excordis tres sagittas infixit, illic eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis, et cum in arbore sublimis penderet, pulchrum epitaphium ei David cecinit : Vidi impium superexaltatum et elatum tanquam cedros Libani; et transivi, et ecce non erat. » Idem Chrysostomus in *Psal.* VII, tom. I : « Et ut scias quod factum est, non fuisse humanæ industriæ, sed totum fuisse divini judicii, capilli et lignum eum alligarunt, et brutum eum animal tradidit, et pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor exstitit. Pro milite autem eum adduxit mulus. Considera autem (id quod est admirabile), cum hæc passus est, nemo suorum ad eum accedere ausus est, cum tantum fuisset spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur, nec vinctus ad patrem afferretur, quoniam paterna viscera ei parci velle ultra modum indicaverant; et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator : sed is quidem eum occidit, Deus autem tulit sententiam. » Probat id ex Psalmis Davidis : « Quod enim e superis lata sit sententia, audi quomodo id ipse ostenderit. Cum enim dixisset : Et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet, dicit (Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi) : Gratias agam, inquit, non aliorum gaudens cædibus, sed Dei sententiam suscipiens. »

Mystice Glossa : « Arbor Absalomi, ait, significat patibulum gehennæ; tres lanceæ triplicem damnatorum pœnam, scilicet ignis, vermis, et carentia visionis beatificæ. » Porro peccavit Joab occidendo Absalom, quia eum occidit contra præceptum regis jubentis eum servari; quare non habebat auctoritatem et jus eum occidendi, ait Abulensis, qui opinatur hac de causa Davidem ei abstulisse ducatum et regimen exercitus, cap. XIX, vers. 13. Excusat tamen Joab Cajetanus, quod ipse dictum Davidis de servando Absalomo acceperit, non ut præceptum, sed ut monitum et desiderium aut pietatis paternæ indicium. Rursum, quod eum occiderit ardore prælii ex zelo vindictæ tanti sceleris et parricidii. Denique quod metueret, si ei parceretur, eum redintegraturum bellum, vel alias patri suo insidias moliturum : timebat etiam Joab sibi, ne ab Absalomo occideretur.

Absalom damnatus.

Quæres, an Absalom sit damnatus? Nonnulli negant; nam lanceis confossus non statim exspiravit; habuit ergo tempus pœnitendi. Verum in flagranti delicto confossus, nec animum, nec consilium, nec rationem de Deo et sua salute cogitandi videtur habuisse; sed vulneribus oppressus sopita sepultaque mente videtur infelicem animam exhalasse, esseque damnatus. Ita censent S. Augustinus, lib. III *De Doctrin. Christ.* cap. XXI, et lib. XXII *Contra Faustum,* cap. LXVI; Silvianus, lib. II *De Provid.;* S. Chrysostomus, hom. 69 et 70 *ad Popul.;* S. Bernardus, serm. 26 *in Cant.;* Theodoretus, Procopius et alii hic. Nam, ut ait S. Augustinus : « Justum est hoc Dei judicium, ut peccator qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur et sui. » Simile prorsus scelus fuit Chramni filii Clotharii regis Franciæ, qui patri rebellans simili vindicta occubuit; de quo audi Gregorium Turonensem, lib. IV *Histor. Franc.* cap. XX : « Ibat Clotharius tanquam novus David contra Absalomum filium pugnaturus, plangens atque dicens : Respice, Domine, de cœlo, et judica causam meam, quia injuste a filio injurias patior; respice et judica juste; illudque impone judicium quod quondam inter Absalomum et patrem ejus David posuisti. Confligentibus igitur pariter; Britannorum comes terga vertit, ibique et cecidit : denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens; sed dum uxorem et filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Clothario regi nuntiatum

fuisset, jussit eam cum uxore et filiabus igni consumi, inclusisque in tugurio cujusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est, et sic postea super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interiit. »

Vers. 16. 16. RETINUIT POPULUM NE PERSEQUERETUR FUGIENTEM ISRAEL. — Politicum enim præceptum est, ut in rebellione universali capita plectantur; parcatur vero multitudini, ne princeps suis subditis destituatur, ac rex sit sine regno. Ita Moyses principes, qui populo fuerant duces ad cultum Beelphegor, suspendit, populo vero pepercit, *Numer.* XXV, 4. Idem fecit Joab in seditione Seba, ut audiemus cap. XX. Sic et Elias occidit sacerdotes Baal, qui populum fovebant in idololatria, III *Reg.* XVIII, 40.

Idem fecere Gentiles (unde lex Lycurgi fuit: « Hostem fugientem noli trucidare; » testis est Polyanus, lib. I), præsertim Romani. Ut alios taceam, illustre est quod refert Livius, *Decade* I De Tarquinio ultimo Romanorum rege, a quo cum Sextus Tarquinius ejus filius ad Gabinos transfugisset, misit filius ad patrem nuntium sciscitatum quid a se fieri vellet. At pater non verbo, sed facto respondit: nam inambulans per hortum summa papaverum capita discussit. Id a nuntio audiens filius, intellexit patrem velle ut primores Gabinorum e medio tolleret; quod cum reipsa fecisset, filius cæteram plebem facile sibi patrique subjecit. Ovidius, lib. II *Fastor.*, eamdem referens historiam pro papaveribus ponit lilia :

Et virga, *inquit*, lilia summa metit.

Vers. 17. 17. PROJECERUNT EUM IN FOVEAM GRANDEM, ET COMPORTAVERUNT SUPER EUM ACERVUM LAPIDUM; — ut hoc acervo eum ejusque scelus, nomen et memoriam obruerent, et æterna oblivione æque ac infamiæ nota sepelirent: quippe qui, ut ait S. Hieronymus, sceleratissimus erat et geminæ neci obnoxius; scilicet qui et patrem contra legis præceptum valde dehonorarit, et turpitudinem ejus revelarit, violando publice ejus concubinas.

Vers. 18. 18. DIXERAT ENIM : NON HABEO FILIUM, ET HOC ERIT MONIMENTUM NOMINIS MEI. — Audivimus cap. XIV, vers. 27, Absalomum tres habuisse filios, et unam filiam. Ergo hi filii jam mortui erant, vel certe Absalom hoc monumentum erexit antequam eos genuisset. Ita Abulensis, Cajetanus, Dionysius. Unde Chaldæus vertit, *non habebat filium superstitem.* Aliter Rabbini et Lyranus, qui censent Absalomum reliquisse filios post se, sed ineptos ad regnandum, vel mox morituros ob patris rebellionem. Audi eorum historiam, vel potius fabellam, quam refert S. Hieronymus in *Tradit.* : « Tradunt Hebræi, quod depositus de quercu, petierit sibi inducias, antequam perimeretur, ut faceret sibi titulum ob memoriam sui, eo quod non haberet filium talem, qui regno dignus esset; putabat enim filios suos non solum regno indignos, verum etiam ob peccatum suum, quod in patrem gesserat, præsenti vita indignos, in quo titulo manum dicitur defixisse, et figuram manus suæ expressisse, et ob hoc, titulum hoc modo vocari. »

ET HOC ERIT MONIMENTUM NOMINIS MEI. — Exstat etiamnum hic Absalomi titulus, sive monumentum, « in valle Regis, » vers. 18, id est in valle Josaphat, cum nomine sepulcri ejusdem, quod floribus in summo sculptis exornatur, uti scribit testis oculatus Zuallardus, lib. III, peregrinationis suæ die secunda. Audi Adrichomium in *Descript. Hierusalem,* num. 227. Monumentum sive manus Absalom, columna erat et statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Hierosolyma stadiis distans, quam Absalom vivus sibi in monumentum in valle regia erexerat. Ubi etiamnum turris et magnus lapidum exstat acervus qui quotidie magis ac magis augetur. Nam pagani et peregrini illac transeuntes pro more habent, ut quisque lapidem in eum projiciat, et quasi juxta legem vindicantes ipsius adversus David patrem suum rebellionem, hujusmodi maledictione illum exsecrentur : « Maledictus sit parricida Absalom; et quicumque injuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum. » Hinc patet titulum sive monumentum Absalomi fuisse columnam marmoream, cui insistebat statua ejusdem; unde Josephus ait fuisse statuam. Alii vocant ædificium. Vatablus nuncupat arcum triumphalem vel pyramidem, ex eaque colligit Absalomum fuisse superbum et ambitiosum, nimisque avidum laudis et gloriæ, ideoque pro monumento hoc superbo repensum ei fuisse vilem rudemque acervum lapidum.

ET APPELLATUR MANUS ABSALOM. — « Manus, » id est monumentum manu operaque Absalomi excitatum. Est metonymia. Tropologice ambitiosi, uti erat Absalom, erigunt sibi titulos et pyramides, ut nomen suum æternent, illosque vocant « manus » suas, dicentes : « Manus nostra excelsa fecit hoc. » Ita Dionysius.

Simile sepulcrum habuit Ruffinus, celebris ille Imperatoris tutor, qui proinde ipsum, et per ipsum orbem totum regebat: sed postea ambiens imperium, a militibus periit; de quo Claudianus, lib. II *Contra Ruffinum,* ita canit :

Triviis calcandus spargitur ecce
Qui sibi pyramidas, qui non cadentia templis
Ornatura suos exstruxit culmina Manes.
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves; jacet en, qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops, et pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totusque sepultus.

Vers. 25. 25. SI SOLUS EST, BONUS EST NUNTIUS. — Signum enim est meos esse victores, ac victos hostes persequi; si enim mei cæsi victique essent, utique iste non solus veniret, sed multi cum eo fugientes se reciperent in urbem, ut vitam salvarent.

Vers. 33. 33. FILI MI ABSALOM. — Flebat David mortem non tam præsentem, quam æternam Absalomi, quod in flagranti delicto parricidii occisus foret;

unde metuebat, imo credebat eum esse damnatum. Porro S. Chrysostomus, hom. *De Absalom*, Davidi respondet ejusque lamenta inhibet dicendo : « Quid plangis, gloriose pater, quid lamentaris, quasi Absalom quod ausus est, comprobares? Quid fles scelestum, quasi eum parricidium perpetrare volueris : plangis gloriam victoris exercitus, si fletur hostis interitus, nec lætitia esse poterit in victoria, si parricidæ plangitur pœna. Ille tuus non fuit filius, qui sic violavit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui jus patris sanctissimi violavit. Te non contempserunt exercitus, non duces, quibus parci scelesto mandasti, sed illa arbor, illa te primum ulta est ; illa defendit, illa læsi patris injuriam, quæ te non audierat, vindicavit. » Et paulo post, causam subjicit dicens : « Novo enim supplicio debuit interire, qui sæculo novum scelus per patris exitium voluit inferre. »

Denique paternus affectus in filium licet sceleratum urgebat Davidem. Nam, ut ait Quintilianus, *Declam.* 322 : « Pater erat; nunquam hi affectus in tantum vincuntur, ut non ad naturam suam tandem revertantur. »

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David luget mortem Absalomi ; mox, vers. 9, *Israel et tribus Juda Davidem in regnum reducit; occurrit ei Semei, vers.* 16, *veniam maledicentiæ petens, eique parcit David; et Miphiboseth, vers.* 24, *excusans suam tarditatem, et Siba servum suum accusans. Denique, vers.* 31, *Berzellai invitatus a Davide se per servum excusat, et loco sui Chamaam filium substituit.*

1. Nuntiatum est autem Joab quod rex fleret et lugeret filium suum, 2. et versa est victoria in luctum in die illa omni populo ; audivit enim populus in die illa dici : Dolet rex super filio suo. 3. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. 4. Porro rex operuit caput suum et clamabat voce magna : Fili mi Absalom ; Absalom fili mi, fili mi. 5. Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit : Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. 6. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te, et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis ; et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis ; juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac, et pejus erit hoc tibi, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. 8. Surrexit ergo rex et sedit in porta, et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta ; venitque universa multitudo coram rege ; Israel autem fugit in tabernacula sua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens : Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philistinorum, et nunc fugit de terra propter Absalom. 10. Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello ; usquequo siletis, et non reducitis regem? 11. Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens : Loquimini ad majores natu Juda, dicentes : Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo ejus.) 12. Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? 13. Et Amasæ dicite : Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius, miseruntque ad regem, dicentes : Revertere tu, et omnes servi tui. 15. Et reversus est rex ; et venit usque ad Jordanem, et omnis Juda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, et traduceret eum Jordanem. 16. Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occur-

sum regis David, 17. cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul; et quindecim filii ejus, ac viginti servi erant cum eo; et irrumpentes Jordanem, ante regem, 18. transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus : Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem, 19. dixit ad eum : Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es, Domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum; et idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis. 21. Respondens vero Abisai filius Sarviæ dixit : Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini? 22. Et ait David : Quid mihi, et vobis filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in Satan? Ergone hodie interficietur vir in Israel? An ignoro hodie me factum regem super Israel? 23. Et ait rex Semei : Non morieris. Juravitque ei. 24. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, et intonsa barba, vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace. 25. Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex : Quare non venisti mecum, Miphiboseth? 26. Et respondens ait : Domine mi rex, servus meus contempsit me; dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege; claudus enim sum servus tuus. 27. Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem; tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi; tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ; quid ergo habeo justæ quærelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex : Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum; tu et Siba dividite possessiones. 30. Responditque Miphiboseth regi : Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in Castris, fuit quippe vir dives nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 34. Et ait Berzellai ad regem : Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? 35. Octogenarius sum hodie; numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum : non indigeo hac vicissitudine, 37. sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulcrum patris mei et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, Domine mi rex, et fac ei quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei rex : Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit, et omne quod petieris a me impetrabis. 39. Cumque transisset universus populus et rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei : et ille reversus est in locum suum. 40. Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo; omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars affuerat de populo Israel. 41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo? 42. Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel : Quia mihi propior est rex, cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israel ad viros Juda, et ait : Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te; cur fecisti mihi injuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viris Israel.

Vers. 3. 3. ET DECLINAVIT POPULUS, etc. — Hebræa et Chaldæa habent : *Et furatus est sese populus in die illa ut intraret in urbem, sicut se furantur populi, qui pudefacti sunt, dum fugiunt in prælio,* et terga vertunt hosti. *Furatus est,* hoc est furtim se subduxit, furtim ingressus est urbem; non cum triumpho, ut victores solent, sed ut illi qui fuga elapsi sunt et victi.

Vers. 5. 5. CONFUDISTI (Vatablus, *pudefecisti*) HODIE VULTUS OMNIUM SERVORUM TUORUM QUI SALVAM FECERUNT ANIMAM TUAM, — qui scilicet pugnando pro te salvarunt vitam tuam, quam tibi eripere satagebat hostis et proditor Absalom, cujus tu mortem hodie luges, quasi malles nos omnes victos occubuisse, ut ille foret superstes et victor.

Vers. 11. 11. SERMO AUTEM OMNIS ISRAEL (qui præcessit de reconciliatione et reductione regis) PERVENERAT AD REGEM IN DOMO EJUS, — *q. d.* Ideo liberius David accersivit et per modum amicæ querelæ accusavit suos contribules et tribum Juda, quod tarde venirent ad se reducendum in regnum, essentque hac in re novissimi, eo quod sciret cæteras tribus Israel communi consensu decrevisse se reducere. Quare hæc verba cum Romanis parenthesi includenda sunt. Subdunt Complutensia, *quia dixerat rex : Sic dicitis ad populum;* sed hæc verba delenda sunt cum Hebræis, Chaldæis et Romanis.

Vers. 12. 12. QUARE NOVISSIMI REDUCITIS REGEM? — Tribus Juda, ac præsertim cives Hierosolymæ Davide fugiente Absalomum cum exercitu magno venientem acceptarant, eique urbem et arcem Sion tradiderant, quam ille firmo militum præsidio munierat; quare male sibi conscii, quod scilicet Davidem offendissent, ac metuentes præsidium Absalomi arcem Sionis occupans, non audebant Davidem revocare. David ergo omnes benigne ad se invitat, vocans eos suos consanguineos, et impunitatem pollicens, ut se in urbem et regnum reciperent.

Vers. 13. 13. ET AMASÆ DICITE : NONNE OS MEUM ET CARO MEA ES? — Erat enim Amasa filius Abigail, quæ erat soror Davidis, uti dictum est cap. XVII, 25.

HÆC FACIAT MIHI DEUS, ET HÆC ADDAT, SI NON MAGISTER MILITIÆ FUERIS CORAM ME OMNI TEMPORE PRO JOAB, — id est, loco et vice Joab, inquit Abulensis, Dionysius et alii. Perperam Lyranus, τὸ *pro Joab* interpretatur *sub Joab,* quasi Amasa Joabo fuerit subditus. Erat Amasa dux exercitus Absalomi : quare eum ad se revocare satagit David, promittens ei ducatum exercitus sui, loco Joab; sciebat enim ab Amasa pendere exercitum Absalomi, et præsertim milites qui erant in arce Sion, indeque urbem Hierosolymam omnesque ejus cives; quare eum sibi promisso honoris amplissimo præmio devincire sategit David, ut ipse ad se omnem Absalomi exercitum, Hierosolymam totamque tribum Juda reduceret; quod et reipsa Amasa præstitit. Amasa ergo finem rebellioni imposuit, omnesque Israelitas Davidi reconciliavit, quod sine eo David tarde et difficile, nec nisi periculoso bello confecisset. Addunt Rabbini Davidem ducatu exercitus spoliasse Joab, eo quod ipse Absalomum contra jussum suum occidisset, uti dixi cap. XVIII, 14. Addit Theodoretus aitque : « David audaciam Joab perpetuo odio habuit; tolerabat autem propter ejus ingenium et prudentiam, et suspectum eum habens ne quid novi in eum moliretur. »

Vers. 14. 14. ET INCLINAVIT (scilicet Amasa, vel, ut alii, Sadoc pontifex) COR OMNIUM VIRORUM JUDA, QUASI VIRI UNIUS, — ut unanimiter et communi omnium consensu revocarent regem suum Davidem.

Vers. 17. 17. ET SIBA PUER DE DOMO SAUL, — id est, « Siba, » servus Miphiboseth, qui ex Jonatha erat nepos Saulis. Prævenit Siba suum herum Miphiboseth, ut Davidis gratiam conservaret, ac ut David eum sibi fideliorem quam Miphiboseth existimaret, itaque donationem bonorum Miphiboseth sibi ab eo factam confirmaret.

Vers. 20. 20. IDCIRCO HODIE PRIMUS VENI DE DOMO JOSEPH, — id est, de decem tribubus Israelis, quarum caput erat tribus Ephraim, qui erat filius Joseph : nam alioqui Semei oriundus erat ex tribu Benjamin, non ex Ephraim vel Joseph, uti dixi cap. XVI, vers. 5. Opponit ergo domum Joseph domui Juda, hoc est Israel, sive decem tribus opponit tribui Juda. Rursum *domus Joseph* potest accipi domus Ephraim, Benjamin et Manasse : hæc enim unum habebant vexillum, unamque aciem in castris duodecim tribuum, ut patet *Num.* VII, 18 et 22.

Vers. 22. 22. CUR EFFICIMINI MIHI HODIE IN SATAN? — *q. d.* Cur mihi meæque clementiæ, commodis et gloriæ adversamini? *Satan* enim Hebraice idem est quod *adversarius.* Unde Christus Petro ait *Matthæi* cap. XVI, vers. 23 : « Vade post me, Satana, » id est, noli mihi adversari, sed sequere me euntem ad mortem et crucem. Inde diabolus vocatus est *Satanas,* quia summus et juratus est fidelium hostis.

Vers. 23. 23. ET AIT REX SEMEI : NON MORIERIS, — id est, non occideris a me hodie, nec quamdiu ego vivam, ne lætum hunc reditus mei diem tua cæde funestem; utque hac clementiæ specie omnes Israelitas perduellionis reos, ideoque sibi pariter necem a me metuentes, ad me revocem. Respicit enim David ad Abisai, qui illico volebat occidere maledicum Semei : unde illum retundens ait : « Ergone hodie interficietur vir in Israel? » quare fidem Semei datam non fefellit David, cum moriens jussit Salomoni ut eum commodo aliquo prætextu occideret, III *Reg.* II. Potuit enim David, gratiam veniamque dans Semei, illam limitare ad libitum suum : nam gratiam magnam ei præstitit, quod non illico, ut urgebat Abisai, eum occiderit, imo per omnem vitam eum intactum reliquerit. Ergo quod in vita pepercerit Semei, opus fuit magnæ clementiæ : quod vero in morte jusserit eum occidi, opus fuit justitiæ et justæ castigationis. Rex scelestos punire debet : nec enim tam effrons ejus maledicentia, tamque atrox in regiam majestatem injuria relinqui debuit impunita ad aliorum exem-

plum; ne scilicet quis auderet deinceps tale quid in Salomonem et alios reges perpetrare. Ita Abulensis, *Quæst.* XXVI, ubi fuse aliorum sententias refutat, ac præsertim illam Cajetani dicentis, Semei a Salomone occisum esse non ob maledicentiam in Davidem, sed ob novum peccatum, quo Jordanem contra præceptum Salomonis transierat. Hoc enim falsum est : nam vera causa necis Semei fuit maledicentia; prætextus vero fuit transitus Jordanis a Salomone vetitus : hoc enim est quod David recensens maledicentiam Semei mandat Salomoni, dicens : « Juravi per Dominum, dicens : Non te interficiam gladio; tu noli pati eum esse innoxium, » III *Reg.* II, 9. Ecce hic clare explicat David quid juraverit et promiserit Semei, nimirum quod ipse non interficeret eum gladio, non autem quod Salomon sibi succedens eum non interficeret; imo voluit, intendit et jussit ut ipse eum morte puniret.

Vers. 24. 24. MIPHIBOSETH QUOQUE FILIUS SAUL DESCENDIT IN OCCURSUM REGIS, ILLOTIS PEDIBUS. — Sic et Chaldæus; Septuaginta vero, *non curavit pedes suos;* Hebraice est, *non fecit pedes suos;* Pagninus, *non aptaverat pedes suos.* Solebant enim Judæi, quia ex complexione olent æque ac Arabes instar hircorum (unde Judæi a Poetis et vulgo *fœtentes* vocabantur), corpus et præsertim pedes utpote pejus olentes crebro lavare, maxime quia multi in Judæa, quasi regione calida, incedebant nudis pedibus, aut non nisi solea tectis, uti incessit Christus et Apostoli; pedes ergo, incedendo per lutum et pulverem, sordidabant, quare eos sæpe abluere oportebat.

Minus recte ergo Hebræi apud S. Hieronymum et Angelomum pro *illotis,* vertentes, *infectis pedibus,* per eos intelligunt, *ligneos pedes,* quos sibi fecerit Miphiboseth pro veris quibus carebat, vel quibus ægre uti poterat, utpote debilibus et claudis. Septuaginta addunt, *neque fecerat ungues,* id est, non præsecuerat ungues in signum luctus ob exilium Davidis, ut squalidus et hirtus appareret.

VESTESQUE SUAS NON LAVERAT; — interiores intellige, puta lineas, quæ carni adhærent, uti sunt camisiæ : hæ enim lavari solent, non vero extimæ et laneæ.

Vers. 27. 27. TU AUTEM DOMINE MI REX, SICUT ANGELUS DEI ES, — *q. d.* Tu sapientissimus es, et prudentissime judicas et statuis; quare fac de me quod « placitum est tibi : » quidquid enim statueris, accipiam quasi de manu angeli ut sapientissime et optime factum.

Vers. 29. 29. TU ET SIBA DIVIDITE POSSESSIONES. — Nonnulli censent Davidem, ob speciosas rationes Sibæ, dubitasse an illi, an Miphiboseth credere deberet, ideoque sententiam dimidiasse; sed videtur David cognovisse innocentiam Miphiboseth, tum ex ejus sordibus et illuvie, quæ nullam habebant speciem affectati regni, quod ipsi impegerat servus Siba; tum quia Siba accusator qui erat præsens, ut patet versu 17, nil ad objecta sibi a Miphiboseth respondit. Unde multi putant Davidem hic peccasse injustitia, quod innocenti Miphiboseth abstulerit dimidium bonorum, illudque dederit Sibæ ejus criminatori : nimis enim facile et temere ei suum herum accusanti crediderat, ejusque donis illectus bona heri sui tradiderat cap. XVI, vers. 4. Quare ex verecundia, ne videretur errasse, noluit in totum revocare primam sententiam a se latam; sed eam æque ac bona dimidiavit, dimidium scilicet relinquendo Miphiboseth, dimidium vero dando Sibæ. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Qua in re amicitiam et fidem datam Jonathæ patri Miphiboseth videtur violasse. Probabile tamen est, quod suspicatur Abulensis, *Quæst.* XXX, damnum hoc Miphiboseth Davidem alia donatione vel beneficio compensasse.

Porro Hebræi apud S. Hieronymum et ex eis Angelomus et Glossa censent in pœnam hujus injustitiæ Davidis,Deum regnum ipsius paulo post divisisse in Roboam et Jeroboam, ei dando decem tribus, Roboam vero relinquendo solam tribum Judæ; adeoque tradunt quod, cum David dixit : « Tu et Siba, dividite possessiones, » audita sit vox e cœlo : « Roboam et Jeroboam regnum dividet. » Verum alia hujus divisionis et schismatis fuit causa, nimirum idololatria Salomonis, ut audiemus lib. III, cap. XI. Imo ob merita Davidis Deus reliquit Roboamo tribum Juda, alioqui eam cum cæteris illi ablaturus, ut patet III *Reg.* XI, 32.

ETIAM CUNCTA ACCIPIAT. — Dixit hoc Miphiboseth suboffenso in Davidem animo; unde S. Hieronymus et Angelomus : Dixit hoc, inquiunt, non gratulanti animo, sed insultanti, et quasi contra Dominum murmuranti, quod Dominus Davidem in pace reduxisset; ideoque Miphiboseth, I *Paral.* IX, 40, vocatur « Meribbaal, » id est litigans cum Domino : verum non videtur Miphiboseth voluisse insultare Davidi, et murmurare contra Deum, sed amariori corde hæc dixisse.

Vers. 35. 35. OCTOGENARIUS SUM HODIE, NUMQUID VIGENT SENSUS MEI? — In senio enim, ut ait Ecclesiastes, cap. XII, vers. 3 : « Tenebrescent videntes per foramina, » puta oculi, « et obsurdescent omnes filiæ carminis, » scilicet aures, « et dissipabitur capparis, » nimirum appetitus, in cujus locum succedit ciborum, voluptatum et rerum omnium fastidium; unde Solon « senectutem » aiebat esse « vitæ hiemem, » sicut ejusdem ver est juventus. Diogenes rogatus : « Quid est senectus? Est, inquit, vita brumalis, tempestatibus obnoxia. » Alexis poeta senex, rogatus quid ageret? respondit : « Pedetentim morior, » significans senes non tam vivere, quam lente mori. Vide dicta *Eccles.* XII.

Vers. 37. 37. EST AUTEM SERVUS TUUS CHAMAAM, — scilicet filius meus, *q. d.* Meus filius Chamaam pro me senio confecto comitabitur te, et quæ mihi beneficia rependere cogitabas, in illum confer. Quod

illi feceris, mihi feceris. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Mystice S. Hieronymus, et ex eo Angelomus : « Chamaam, inquit, interpretatur *suspirans* : quamdiu enim cum patre permansit, suspirans vocatus est; postquam vero in doctrinam David regis transiit, non Chamaam sed Chamaan, quod interpretatur *fidelis*, appelatus est. »

Vers. 43. 43. DECEM PARTIBUS EGO MAJOR SUM, — quia in Israele erant decem tribus; in Juda vero una duntaxat, dando Judæ tribum Benjamin, ait Theodoretus et S. Hieronymus. Ecce ex hoc jurgio cœpit dissensio inter Juda et Israel, quæ sub Roboam in apertum schisma erupit, imo capite sequenti seditionem Sebæ concitavit. Unde hæc narratio sternit viam ad bellum, quod per Israel Seba movit contra Judam et Davidem. Moraliter, disce in hac superba Judæ cum Israel rixa, quam verum sit istud *Proverb.* cap. XV, vers. 1 : « Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. »

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Seba seditionem movet contra Davidem, qui ei opponit Amasam, quem Joab dolo occidit. Seba, vers. 14, Abelam occupat, obsidet eam Joab, cives caput Sebæ præscindunt, traduntque Joab : quare ille per cædem Sebæ sopita seditione victor ad Davidem redit.

1. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus, et cecinit buccina, et ait : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai : revertere in tabernacula tua, Israel. 2. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri; viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem. 3. Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens : et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. 4. Dixit autem rex Amasæ : Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens. 5. Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. 6. Ait autem David ad Abisai : Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom; tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. 7. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi, et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad illia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. 9. Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum. 10. Porro Amasa non observavit gladium quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est : Joab autem, et Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt : Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. 12. Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. 14. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, et Bethmaacha; omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela, et in Bethmaacha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs; omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros. 16. Et exclamavit mulier sapiens de civitate : Audite, audite, dicite Joab : Appropinqua huc, et loquar tecum. 17. Qui cum accessisset ad eam,

ait illi : Tu es Joab ? Et ille respondit : Ego. Ad quem sic locuta est : Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit : Audio. 18. Rursumque illa : Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio : Qui interrogant, interrogent in Abela, et sic perficiebant. 19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel ? Quare præcipitas hæreditatem Domini? 20. Respondensque Joab, ait : Absit, absit hoc a me, non præcipito, neque demolior. 21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David; tradite illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab : Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. 22. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab, et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe unusquisque in tabernacula sua, Joab autem reversus est Jerusalem ad regem. 23. Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel, Banaias autem filius Joiadæ super Cerethæos et Phelethæos. 24. Aduram vero super tributa; porro Josaphat filius Ahilud a commentariis. 25. Siva autem, scriba ; Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. 26. Ira autem Jairites erat sacerdos David.

Vers. 1. 1. SEBA FILIUS BOCHRI, VIR JEMINEUS,—scilicet de tribu Benjamin, qui ægre ferebat regnum a Saule et tribu sua Benjamin translatum ad Davidem et tribum Juda; unde videtur hic Seba fuisse unus e ducibus Absalomi contra Davidem, ac forte primus post Amasam (1).

NON EST NOBIS PARS IN DAVID, — *q. d.* Tribus Juda, in fine capitis præcedentis, et dictis et factis luculenter ostendit Davidem, quasi contribulem, ad se, non ad nos qui sumus Israel, sive decem tribus, pertinere, nullaque parte esse nostrum, sed totum esse suum. Abeamus ergo singuli in nostra tabernacula et domos, ac Davidem tanquam alienum, ad nos non pertinentem, abjiciamus. Sexta fuit hæc pœna Davidis, scilicet rebellio decem tribuum, concitata per Sebam, cujus initium et occasio fuit tum rebellio Absalomi, cum quo paulo ante conspirarant decem tribus, necdum plane exstincta; tum jurgium decem tribuum cum tribu Juda, eo quod ipsa sola cæteris non vocatis Davidem Hierosolymam in regnum reduxisset. Contendebant enim de primatu, quia Juda prætendebat se esse principem tribuum omnium, præsertim quia David rex oriundus erat ex Juda; cæteræ vero tribus decem sese Judæ præferebant, eo quod numero essent potiores, et decuplo plures. Ac pupugit illas quod David cap. præced. vers. 11, Sadoc et Abiathar misisset ad solam tribum Juda, ut se in regnum reduceret, non vero ad cæteras tribus; unde ipse eis videbatur in tribum Judæ esse plus æquo propensior, illamque cæteris omnibus anteferre.

Politice hinc discant principes et reges cavere et sopire æmulationem nationum diversarum quas regunt, ut omnibus similem affectum, curam et providentiam demonstrent, nec unam alteri præferant, sed eas pari benevolentia prosequantur, itaque eas et sibi et invicem uniant. Aristoteles in *Politicis,* hæc duo principia rectæ gubernationis tradit : *primum,* ut princeps omnium sibi subditorum diligentem habeat curam, omnibusque provideat, et neminem negligat; *secundum,* ut sit omnibus par et æquabilis, nec unam gentem alteri, aut principem unum alteri anteponat; sed se singulis indifferentem et æquum exhibeat. Si enim majorem affectum uni quam alteri ostendat, alteri iram et invidiam movebit, imo schismata, seditiones et rebelliones concitabit. Exemplum quod imitetur, est Deus, de quo Plutarchus in *Moral.* : « Ut Deus, inquit, in cœlo pulcherrimum ac jucundissimum sui simulacrum constituit solem; sic in republica principem qui prudentia, justitia, benignitate se erga omnes repræsentet. » Sicut igitur sol non est alius pauperi, alius diviti, sed omnibus communis, ita princeps personam spectare non debet, sed omnibus se communem exhibere.

Princeps subditis omnibus se æqualem exhibeat.

Instar Dei et solis.

Cyrus apud Xenophontem ait similia esse boni pastoris et boni regis officia : sicut ergo pastor æqualem omnium ovium habet curam, sic et rex eamdem habeat omnium subditorum.

Exempla.

Alexander Magnus, ut Persas devictos sibi devinciret, eorum vestitum assumpsit, cum eisque matrimonia suorum instituit, ut scirent se sibi esse curæ et cordi æque ac Macedones.

Themistocli, teste Plutarcho, hoc vir sapiens dedit monitum : « Bene principatum geres Athenis, si cunctis communis esse velis et mansuetus.»

Singularis hac in re fuit Carolus V qui, cum tam diversis nationibus imperaret, singulis tamen se parem, imo patrem exhibebat, ut Hispanis videretur esse Hispanus, Italis Italus, Germanis Germanus, Gallis Gallus, Belgis Belga. Sane viri prudentes censent hujus moniti neglectum, originem et occasionem dedisse bellis Belgicis, quæ jam 70 annis durant, imo flagrant magis quam unquam.

(1) Quidam Interpretes censent distinguendum esse *filium Jeminei* de *viro Jemini,* eo quod prima vox indicat hominem de tribu Benjamin, ultima autem hominem urbis Jemini. Ita D. Glaire, Scholæ Theologicæ Parisiensis Professor.

Vers. 5. 5. ABIIT ERGO AMASA, UT CONVOCARET JUDAM, — ut scilicet ipse quasi dux exercitus pro Joab a Davide constitutus, per milites e tribu Juda Davidi et sibi adhærentes rebellionem Sebæ in suo ortu comprimeret et suffocaret, ne, si ei daretur tempus, adeo cresceret, ut superari non posset. Vidi ego in Belgio viginti duas militum regiorum rebelliones ob tardatam stipendii solutionem, quarum nonnullæ statim suppressæ sunt misso contra paucos rebellantes exercitu, et capitibus earum plexis, cæteræ vero pleræque data temporis mora ita crevere, ut urbem aliquam occupantes et munientes, factæ sint inexpugnabiles, et hostibus ipsis nocentiores et formidabiliores; adeo ut princeps integrum stipendium illico eis exhibere, et omnia eorum postulata concedere coactus fuerit, cum magno Belgii damno.

Simili modo crevere hæreses : nam, ut ait S. Hieronymus, Arius Alexandriæ scintilla fuit, quæ quia non statim exstincta est, in flammam erupit, quæ totum orbem populata est. Unde « ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est,» ait idem contra Luciferum.

Vers. 6. 6. AIT AUTEM DAVID AD ABISAI, — quia Amasa, qui abierat convocaturus ex Juda exercitum, ultra triduum sibi a Davide præscriptum morabatur, nec redibat, timens David ne Seba se roboraret contra eum, illico præmisit Abisai fratrem Joab cum parte copiarum, quæ ad manum erat, ut illum persequeretur.

Vers. 8. 8. QUI FABRICATUS LEVI MOTU EGREDI POTERAT ET PERCUTERE. — Hebræus, *qui egrediebatur et cadebat*, hoc est, qui ita fabricatus erat, ut levi motu e vagina educi posset, et quasi ex ea excidebat, ut scilicet Joab dextra apprehendens mentum Amasæ, quasi eum osculaturus, sinistra gladium breviorem sive pugionem levi motu e vagina educeret, eoque Amasam inscium dolose confoderet. Hebræi varie hæc vertunt et explicant; sed sensum elare reddidit Noster. Causa cædis fuit, quod Joab indigne ferret Amasam sibi a Davide prælatum, ac se amoto, creatum exercitus ducem : quam ipse magnam æstimabat ignominiam, æque ac injuriam; ideoque Amasam licet consobrinum suum occidit. Discant hic principes caute duces suos loco movere, nec nisi specie honoris, quasi altius eos evecturi. Peccavit graviter Joab occidendo Amasam, ideoque David moriens jussit Salomoni, ut eum occideret. Amasa tamen justas quoque perfidiæ suæ pœnas dedit, quod in Davidem avunculum suum rebellasset, et rebellantium dux exstitisset.

Vers. 9. 9. ET TENUIT MANU DEXTERA MENTUM AMASÆ, QUASI OSCULANS EUM. — Hic enim priscus erat mos salutandi. Audi Plinium, lib. XI, cap. v : « Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat. » Hinc de Thebi quæ supplicabat Jovi, ait Homerus, *Iliade* 1 : « Dextra apprehendit mentum, et supplex allocuta est Jovem. » Mentum enim mentis indicium, hinc mentum ab eminendo dicitur, quod gulæ colloque emineat : hinc et mentum soli homini datum, nulli alteri animali, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXVII.

Vers. 11. 11. ECCE QUI ESSE VOLUIT PRO JOAB COMES DAVID, — scilicet Davidis in bello vicarius et Capitaneus generalis. Aliter ex Hebræo vertit Vatablus et alii, nimirum : *qui favet ipsi Joab, quique Davidi, sequatur ipsum Joab,* et cum eo persequatur rebellem Seba.

Vers. 15. 15. OPPUGNABANT EUM IN ABELA, ET IN BETHMAACHA. — *Et,* significat, *id est;* nam *Abela* alio nomine vocabatur *Beth,* id est domus, *Maacha* : nec enim Seba erat in duabus urbibus, sed in una quam obsedit Joab. Audi Adrichomium, pag. 101, num. 2, *Abela,* quæ et *Abel Bethmaacha,* sive, Abel Domus Maacha, Josepho *Abelmachea,* Hieronymo *Bethmacha*; aliis vero *Abelmaacha* et *Machanedam* vocatur : insignis ac munita, superioris Galilææ urbs est, ac Israelitarum metropolis, sita in tribu Nephtalim, in planitie regionis Berim, non procul a Cæsarea Philippi, a Jordane autem sexaginta stadiis distans. Ad quam usque Davidici exercitus dux Joab persecutus est perduellem Sebam.

Vers. 18. 18. SERMO, INQUIT, DICEBATUR IN VETERI PROVERBIO : QUI INTERROGANT, INTERROGENT IN ABELA, ET SIC PERFICIEBANT. — Ita Romana, licet Regia legant, *proficiebant.* Hebræa hic concisa sunt et obscura, ideoque varie a variis vertuntur.

Primo, Vatablus et Hebræi apud S. Hieronymum vertunt, *interrogando interrogabant, et finiebant, q. d.* Olim oppugnantes aliquam urbem, interrogabant eam juxta legem *Deuter.* XX, 10, an conditiones pacis accipere vellet, seseque dedere : si tu, o Joab, nunc idem hic fecisses, jam bellum finivisses; urbs enim hæc parata est conditiones pacis accipere : semper enim Davidi fuit fidelis et subdita. Alii aliter.

Verum Noster clare et germane vertit, *q. d.* Nostra urbs « Abela » ab olitanis temporibus habita fuit domicilium virorum sapientum, gymnasium et quasi oraculum sapientiæ, ut, si quid in religione, in moribus, in rebus agendis esset ambiguum et difficile, id ad Abelanos sapientes resolvendum deferrent, et quidquid ipsi resolvissent, id exsequebantur, et « perficiebant, » idque felici et optimo successu : hoc enim innuit et involvit τὸ *perficiebant, q. d.* Cur ergo tu, o Joab, audes oppugnare hanc urbem quæ est oraculum fidei et sapientiæ? patet ex seq. Ita Angelomus, Abulensis, Cajetanus et alii.

Vers. 19. 19. NONNE EGO SUM QUÆ RESPONDEO VERITATEM IN ISRAEL? — Septuaginta, Hebræa, *ego pacificans fideles Israel,* vel, ut vertunt Septuaginta, *ego sum pacifica de firmamentis Israel.* Loquitur mulier in persona suæ urbis et patriæ, scilicet *Abelæ, q. d.* Ego *Abela* sum quæ Israelitarum dubia et lites omnes decido, itaque litigantes pacifico, dum eis veritatem veramque dubii resolutionem *respondeo, q. d.* Ego *Abela* abundo viris sapientibus

et prudentibus, sumque doctorum Academia, ideoque quasi mater et universitas, a qua omnis Israel documenta et consilia petat. Pete ergo tu quoque, o Joab, ab ea consilia, et illico bellum finies. Porro Vatablus et Pagninus vertunt, *ego sum ex pacificis et fidelibus Israel, q. d.* Ego semper in fide Davidis perstiti, cum eoque fui pacifica : cur ergo me evertere conaris? Sic Sylla, cognomento Felix, hæc duo maxima fortunæ munera existimavit : *primum*, amicitiam Metelli pii ; *secundum*, quod non delevisset Athenas quas occuparat, sed urbi pepercisset, utpote Academiæ sapientiæ. Ita Plutarchus in *Apoph. Roman.*

Sic Attila postulante S. Leone pepercit Romæ, quasi gymnasio veræ fidei et religionis. Sic et Gensericus, rex Gothorum, ad preces ejusdem S. Leonis Romam occupans licet, ab incendio tamen, ignominiis et cædibus abstinuit, ut habet Vita S. Leonis.

ET TU QUÆRIS, etc., EVERTERE MATREM IN ISRAEL, — matrem scilicet et altricem sapientiæ, religionis et virtutis. Tales enim sunt Academiæ orthodoxæ, qualis erat *Abela*, et qualis ante Davidem tempore Josue fuit urbs *Dabir*, id est oraculum, et *Cariath Sepher*, id est, urbs litterarum, *Josue* cap. XV, vers. 15.

Quare fabella est R. Salomonis et Rabbinorum priscorum apud S. Hieronymum, qui aiunt, vel potius fingunt, mulierem hanc fuisse *Saram* filiam Aser, de qua *Gen.* cap. XLVI, 17, quæ fuerit prophetissa, et Jacob revelarit Joseph filium vivere et regnare in Ægypto, quæque ostenderit Moysi locum in quo condita erant ossa Joseph in Ægypto, ut ea inde transferret in Chanaan, idque non aliunde probant quam ex his ejus verbis : « Ego sum quæ respondeo veritatem in Israel; » quæ sane inanis et frivola est probatio, præsertim quia *Sara* jam dicta debuisset esse septingentorum annorum : tot enim fluxere ab Aser filio Jacob usque ad Davidem.

22. ET LOCUTA EST EIS SAPIENTER — dicendo, ut ait Josephus : « Vultis, mali, male perire cum liberis ac conjugibus propter hominem malum et ignotum, eumque pro Davide, cujus tanta in vos exstant beneficia, regnare? Speratis unam urbem tam valido exercitui resistere posse? » Vers. 22.

26. IRA AUTEM JAIRITES ERAT SACERDOS DAVID. — « Sacerdos, » scilicet proprie dictus, per quem David sua sacrificia Deo offerebat. Sicut hodie reges suos habent sacellanos, qui pro eis et coram eis Missas celebrent. Ita Theodoretus et Abulensis, *q. d.* Sacellanorum Davidis primus et præcipuus erat « Ira; » aut « sacerdos, » id est, intimus cubicularius, et primus consiliarius Davidis, quomodo filii Davidis dicuntur fuisse « sacerdotes, » lib. II *Reg.* VIII, 17. Ita Vatablus et Lyranus. Unde Chaldæus pro *sacerdos* vertit, *princeps*, scilicet familiaris et peculiaris amicus Davidis. Vers. 26.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Saulis, ob occisos ab eo contra datam fidem Gabaonitas, jussu Dei crucifiguntur. Mox, vers. 15, *quatuor Davidis contra Philistæos bella recensentur.*

1. Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter, et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus : Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum; filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda). 3. Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonitæ : Non est nobis super argento et auro quæstio, sed contra Saul, et contra domum ejus; neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait : Quid ergo vultis ut faciam vobis? 5. Qui dixerunt regi : Virum qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. 6. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex : Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Jonathan filium Saul. 8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth, et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9. et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, et ceciderunt hi septem, simul

occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 10. Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cœlo, et non dimisit aves lacerare eos per diem neque bestias per noctem. 11. Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul. 12. Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philistiim cum interfecissent Saul in Gelboe, 13. et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus : et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, 14. sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulcro Cis patris ejus, feceruntque omnia quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc. 15. Factum est autem rursum prælium Philistinorum adversum Israel, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philistiim. Deficiente autem David, 16. Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. 17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philistæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. 18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philistæos; tunc percussit Sobocai de Husati, Saph de stirpe Arapha de genere gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philistæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium. 20. Quartum bellum fuit in Geth, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha. 21. Et blasphemavit Israel; percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David. 22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum ejus.

Vers. 1. 1. FACTA EST QUOQUE FAMES IN DIEBUS DAVID TRIBUS ANNIS. — Immisit Deus hanc famen toti Israeli, quia rex ejus Saul Gabaonitas inique occiderat. Rex autem est publica persona, et rempublicam repræsentat. Quod ergo rex peccat, hoc respublica peccat; ideoque publicum regis peccatum publica fame castigavit Deus.

ET CONSULUIT DAVID ORACULUM DOMINI, — per Sadoc, vel Abiathar Pontificem, indutum Rationali in quo erant Urim et Tummim quasi oraculum, ut dixi *Exodi* XXVIII, 30.

DIXITQUE DOMINUS : PROPTER SAUL ET DOMUM EJUS SANGUINUM; QUIA OCCIDIT GABAONITAS, — *q. d.* Fames hæc immissa est in pœnam peccati, eo quod Saul ejusque familia multum sanguinem injuste effuderit. Hinc peccatum hoc sanguine expiandum erit, ac familia occidens erit occidenda.

FILII QUIPPE ISRAEL (Josue et principes Hebræorum, ut dictum est *Josue* IX) JURAVERANT EIS — se eos, licet Amorrhæos, non occisuros; sed in suam rempublicam admissuros, ut aquatores et lignatores.

Vers. 2. 2. ET VOLUIT SAUL EOS PERCUTERE ZELO, QUASI PRO FILIIS ISRAEL ET JUDA. — Zelus hic Saul fuit, quod vellet Gabaonitarum domos, vicos et prædia adjicere tribui Judæ cæterisque tribubus, quibus a Deo assignata erant, quasi Josue contra legem et jussum Dei Gabaonitis pepercisset, itaque Judæ et Judæis hæreditatem eis a Deo datam ademisset. Sed insipiens et stultus fuit hic zelus, tum quia erat contra fidem Gabaonitis a Josue et Hebræis datam; tum quia Gabaonitæ in coloniam æque ac religionem et fidem Hebræorum sponte transibant, quibus proinde Deus volebat parci; tum quia Gabaonitæ oppida et prædia sua cesserant Hebræis, eorumque erant servi, atque hac servitute vitam ab eis redemerant, ut dixi *Josue* cap. IX. Quare in hoc zelo Saulis verum fuit istud : « Summum jus, summa injuria. » Porro cum Saul occideret Gabaonitas, David eum fugiens latebat in sylvis et antris, et si forte id postea rescivit, sibi persuasit injuriæ huic morte Saulis et filiorum fuisse satisfactum; unde de ulteriore satisfactione non cogitavit, donec Deus pacato jam ejus regno illam ab eo hoc loco exegit. Quare minus recte Lyranus et Abulensis censent hanc famem in diebus Davidis contigisse, eo quod ipse injustitiam hanc Saulis non castigasset.

Vers. 3. 3. UT BENEDICATIS HÆREDITATI DOMINI, — ut scilicet bene precemini Israeli; itaque Deus ab eo avertat famem triennalem, quam eidem propter vos induxit (1).

Vers. 5. 5. VIRUM (Saulem) QUI ATTRIVIT NOS ET OPPRESSIT INIQUE, ITA DELERE DEBEMUS, UT NE UNUS QUIDEM RESIDUUS SIT DE STIRPE EJUS. — Novem supererant e stirpe Saulis, scilicet Miphiboseth ejusque filius, quinque filii Michol ex Hadriele, et duo filii Saul

(1) Probabilissimum videtur hoc factum esse a Saule tempore quo tabernaculi translatio Gabaon facta est.

ex Respha concubina. Hos omnes sibi ad necem dedi initio postularunt Gabaonitæ; sed videntes Davidem intercedere pro Miphiboseth ejusque filio, utpote prognato ex Jonatha, cui David amicitiam et fidem juraverat, idcirco utrique pepercerunt, et reliquos septem ad crucem postularunt.

Quæres, an æqua et justa fuerit hæc eorum postulatio? Respondeo partim fuisse justam, eo quod nonnulli ex posteris Saulis cooperati fuissent ei in cæde Gabaonitarum; hoc enim significatur vers. 1, ubi familia Saulis vocatur « domus sanguinum: » partim iniquam, quia verisimile est aliquos ex posteris Saulis fuisse a cæde Gabaonitarum immunes et innocentes, qui proinde pro peccato patris vel cognatorum jure humano non poterant occidi. Nam, ut ait Ezechiel, cap. XVIII: « Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur. » Nullus enim princeps vel rex potest filium condemnare ad mortem propter peccatum patris solius; unde in nullo *fidelium* tribunali filius pro patre occiditur. Dico fidelium; nam apud infideles et barbaros, uti apud Japones, patre peccante non solum ipse, sed et filii ejus plectuntur. Quare postulatio hæc Gabaonitarum aliquid habet rancoris, vindictæ et furoris insolentis, barbari et Turcici: nisi dicas ipsos non ex se, sed ex Dei instinctu, id postulasse, idque innuitur versu 9, cum dicitur: « Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, » et vers. 6, ubi ipsi aiunt: « Ut crucifigamus eos Domino, » Septuaginta, *et placabimus in illis Dominum;* Chaldæus, *et suspendemus illos ante Dominum,* quasi anathemata, catharmata et piacula Israelis. Nam ex parte Dei justa et sancta fuit hæc postulatio. Deus enim idcirco famem hanc immiserat Israeli, ut pro peccati Saulis piaculo occiderentur ejusdem posteri; cum ipse Saul jam utpote mortuus plecti et occidi non posset. Deus enim omnium tam nocentum quam innocentum vitæ et mortis est Dominus; quare potest patres nocentes punire in filiis innocentibus, juxta illud *Deut.* v, 9: « Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator (Septuaginta, *zelotes*) reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem. » Vide ibi dicta.

Cur Deus jussit occidi Saulis posteros? Resp. primo.

Deus ergo volebat hic plectere Saulem in filiis, multis de causis. *Prima* est, ut ostenderet quantum sibi displiceret oppressio pauperum Gabaonitarum facta a Saule, et violatio juramenti eis a Josue præstiti; ostenderet, inquam, per publicum et infame supplicium posterorum Saulis, nimirum eos crucifigendo. *Secunda,* ut indicaret quam profundum in Saulem odium concepisset, utpote cujus stirpem funditus vellet exscindi, ut jure dixerit Miphiboseth: « Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino Deo. » *Tertia,* ut daret exemplum futuris sæculis, quo patres a sui offensa et sceleribus cohiberet; *q. d.* Quod feci Sauli hosti meo, ejus familiam exscindendo, hoc faciam cuilibet regi, principi et privato, ut, si ipse me offendat, non solum ipsum, sed ejus filios posterosque omnes affligam et disperdam, uti hoc sæculo sæpe factum vidimus; Deum scilicet ob peccata parentum antiquissimas et nobilissimas familias plane evertisse et succidisse. *Quarta,* ut consuleret quieti publicæ, ne inter Saulis et Davidis posteros bella civilia suscitarentur, qualia fuerant inter Davidem et Isboseth filium Saulis. Denique filiis innocentibus non fiebat injuria, tum quia Deus vitæ eorum erat dominus; tum quia ob peccatum originale omnes sumus rei mortis; tum quia ipsi alia propria habebant peccata, ob quæ juste morte et cruce puniri a Deo poterant: hanc enim apud ipsum merebantur.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

8. TULIT ITAQUE REX DUOS FILIOS RESPHA. — Non peccavit David tradendo filios Saulis, etiam innocentes, Gabaonitis ad crucem, quia videbat hanc esse Dei voluntatem, qui idcirco famem Israeli immiserat. Conformabat igitur se voluntati divinæ, quæ justissima et sanctissima erat ob causas datas vers. 5. Fecit ergo hoc David monitu Dei, et, ut videtur, habito oraculo per pontificem et Urim, de quo vers. 1; fecit, inquam, tanquam executor justitiæ Dei, qui peccata punit in tertiam et quartam generationem. Saul enim mortuus non poterat puniri nisi in filiis; ac proinde hic justitiæ Dei satisfieri non poterat, nisi occidendo ejus filios. Sed hæc principibus, magistratibus, et justitiæ humanæ imitari non licet, quia ipsum caput nocens plectere debent, non vero ejus filios et posteros. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Vers. 8.

ET QUINQUE FILIOS MICHOL FILIÆ SAUL, QUOS GENUERAT HADRIELI. — Erant hi filii non Michol, sed Merob sororis Michol, quos Michol, utpote carens prolibus, in filios adoptarat; Merob enim fuit uxor Hadrielis, Michol vero Davidis. Quare cum dicitur: « Quos genuerat Hadrieli, » intellige ejus soror Merob, in cujus locum Michol eos adoptans successerat. Alii censent *Merob* alio nomine vocatam fuisse *Michol.* Cajetanus vero putat esse mendum, et pro *Michol* substituendum, *Merob.* Verum omnes codices Hebræi, Græci, Latini, habent *Michol,* non *Merob.* Chaldæus tamen habet, *et quinque filios Merob, quos educaverat Michol filia Saul;* quia eos adoptarat, ut dixi.

9. QUI CRUCIFIXERUNT EOS IN MONTE CORAM DOMINO, — nimirum ad placandum Dominum, vel in honorem Domini, ut ejus justitiæ vindicativæ, et offensæ a Saule et familia ejus factæ per hanc familiæ ejus crucifixionem, quasi per publicum piaculum, et hostiam pro peccato satisfieret. Ubi nota honorari et glorificari Deum executione justitiæ. Dum enim sontes plectuntur, elucet Dei plectentis justitia et sanctitas, utpote qui peccata et peccatores odit, et impunitos esse non sinit. Hinc *Deut.* cap. XIII, vers. 16, jubet Deus idololatras sibi comburi cum tota urbe. « Consumes, inquit, omnia Domino Deo tuo. » Vers. 9.

IN MONTE, — scilicet in colle Gabaa, quæ fuerat

patria et sedes Saulis, ut eo loco puniretur peccatum, ubi a Saule fuerat commissum, omnesque idipsum ex loco supplicii colligerent.

INCIPIENTE MESSIONE HORDEI, — id est sub initium veris in Paschate, ut indicetur eos in cruce quasi piaculum mansisse per plures menses, ut patebit ex sequenti.

Vers. 10. 10. TOLLENS AUTEM RESPHA (duorum crucifixorum mater, et cæterorum cognata) CILICIUM, SUBSTRAVIT SIBI SUPRA PETRAM, AB INITIO MESSIS, DONEC STILLARET AQUA SUPER EOS DE COELO, — ut scilicet ipsa manens cubansque in cilicio, jugiter custodiret filiorum cadavera, ne ab avibus, canibus et feris laniarentur. Intellige ipsam non solam mansisse, sed cum famulis et famulabus, ait Cajetanus.

DONEC STILLARET. — Jusserat David corpora hæc famis et peccati expiatoria manere in cruce, donec Deus ostenderet se placatum per pluviam, quam hactenus negando, sterilitatem et famem Israeli immiserat, itaque se iratum ostenderat. Unde non comprehenditur hic casus lege *Deuter.* cap. XXI, vers. 23, præcipiente ut crucifixi eadem die sepeliantur. Ibi enim agitur de eo qui ob proprium scelus crucifigitur in pœnam; hic vero de iis qui ob alienam et publicam culpam, ideoque totius populi fiunt piaculum ad reducendam pluviam et fertilitatem. Ita Abulensis et alii. Unde Josephus ait : « Confestimque, pluente Deo, terra posito squalore ad pristinam fertilitatem rediit. » Porro tradunt Hebræi corpora hæc mansisse in cruce per sex menses, scilicet a martio ad septembrem : tunc enim in Palæstina pluviæ incipiunt, quæ per æstatem cessarunt. Vide hic ergo et mirare pietatem et patientiam Resphæ, qui tamdiu sub dio immota perstitit perdia et pernox, ut filiorum corpora intacta servaret. Hæc sunt viscera pietatis maternæ.

Mystice, Respha est pia sollicitudo sanctorum Pastorum et Patrum spiritualium, qui filios quos Christo genuerunt, mundo crucifixos custodiunt, eisque succurrunt rigore jejunii et instantia precum, donec misericordiam Dei impetrent super eos de cœlo, compescendo pravos homines, nec non malignos spiritus, ne pravis suggestionibus eos de cruce rapiant, lacerent et devorent. Ita Angelomus. Hinc *Respha* Hebraice idem est quod *pruna*, vel *carbo ignitus*, qui ardentis amoris est symbolum; aut *pavimentum* in quo ipsa se affligens pro filiis cilicio incubabat.

Vers. 12. 12. ET ABIIT DAVID, ET TULIT OSSA SAUL. — David excitatus exemplo pietatis Resphæ, quæ tam sedulo corpora filiorum suorum custodivit, curavit eorum æque ac Saulis et Jonathæ ossa colligi, et honorifice sepeliri in sepulcro Cis patris ejus; ut ostenderet se injuriarum sibi a Saule illatarum esse immemorem, ac illi pro tantis maleficiis eximia beneficia rependere; qui est actus heroicæ charitatis.

Vers. 15. 15. FACTUM EST AUTEM RURSUM PRÆLIUM. — Deinceps recensentur quatuor Davidis contra Philistæos prælia, quæ eo ordine, quo hic narrantur, contigisse videntur. Hoc enim exigit simplex historiæ narratio, licet alii putent hic non servari ordinem temporis, sed quædam anterius, quædam posterius accidisse; sed quod dixi verius est, itaque censent Josephus, Severus Sulpitius, Sigonius, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Serarius, Vatablus, Dionysius, Adrichomius, Salianus.

DEFICIENTE AUTEM DAVID, — cum scilicet David jam senescens, pugnans in prælio, labore, æstu, fame et siti fatigatus deficeret viribus, nec posset vim hostium ingruentium sustinere amplius; tunc irruit in eum Jesbibenob gigas de stirpe Rapha, sive Raphaim, id est gigantum, prognatorum ex primo gigante Rapha (*Arapha* enim idem est quod *Rapha*). Hebraice enim הרפה *Harapha*, ubi prima littera ה *he* non est radicalis, sed servilis, gerens vicem articuli sive pronominis demonstrativi, sed Davidi succurrit Abisai, et gigantem occidit. Audi Theodoretum in *manuscripto* : « Qui factum est ut David deficeret in acie? Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus. Cum autem in conflictu multum sustinuisset laborem, erat enim primus in acie pugnans, defessus est, ac defecit non ferens laborem. Cum autem in periculum venisset, ne occideretur ab eo qui primus pugnabat inter alienigenas, præter opinionem servatus est, cum eum protexisset Abisai, et maximum illum hostem interemisset. »

17. NE EXSTINGUAS LUCERNAM ISRAEL, — hoc est, splendorem et gloriam Israelis, qualis erat rex David : Chaldæus, *ne pereat tecum regnum Israel.* Vers. 17.

19. IN QUO PERCUSSIT ADEODATUS FILIUS SALTUS POLYMITARIUS BETHLEHEMITES GOLIATH GETHÆUM. — Per *Adeodatum* multi cum Chaldæo intelligunt Davidem, qui a Deo est datus Israeli ad ejus salutem (Sic S. Augustinus filium suum vocavit *Adeodatum*). David enim fuit Bethlehemites, et occidit Goliath. Ita Hebræi apud S. Hieronymum, Angelomus, Lyranus, Glossa, Rabanus, Rupertus, Hugo, Dionysius et alii. Audi S. Hieronymum : « Adeodatus ipse est David. Idcirco dicitur Adeodatus, quia a Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de saltu, ubi oves pascebat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beseleel mater ejus fuit. Bethlehemites, quia Noemi et Ruth tempore ubertatis reversæ sunt in Bethlehem. » Vers. 19. Adeodatus an David?

Verum melius Vatablus, Abulensis, Pagninus, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Salianus et alii censent *Adeodatum*, Hebr. *Elchanan*, fuisse alium a Davide. Hic enim bella recensentur, quæ David post initum regnum, imo jam senex gessit : illa autem Davidis cum Goliath pugna, non bellum fuit, sed duellum ante regnum a Davide juvene susceptum. *Adeodatus* hic fuit *filius Saltus;* Hebraice, *filius Iare*, ubi *Iare* est nomen proprium patris Adeodati, ut vertunt Septuaginta, Vatablus, Chaldæus et alii. *Iare* autem Hebraice significat *saltum*, vel sylvam; unde Noster vertit *filius Saltus*. Pater enim Adeo- Resp. negative.

dati dictus est *Iare*, id est sylva, vel saltus, eo quod natus sit in sylva, vel quod in sylva versari et venari consueverit. Τὸ igitur *Saltus* est nomen proprium patris Adeodati, ideoque majuscula littera scribendum, uti habent Romana. *Adeodatus* vocatur *polymitarius*. Hebraice, *gregim*, id est *textorum*, quia scilicet oriundus erat ex textoribus, aut potius quia ipse unus erat ex textoribus, qui *polymita*, id est licia variegata contexunt, indeque faciunt pannos et vestes *polymitas*, hoc est, variorum colorum et liciorum.

Idem occidit « Goliath Gethæum, » hoc est, fratrem Goliath gigantis quem occidit David, ut expresse dicitur I *Paralip.* cap. XX, vers. 5. Frater ergo Goliath pariter vocatus est « Goliath; » aut potius vocatur « Goliath, » eo quod proceritate, robore et viribus similis esset Goliæ quem stravit David. Sic vulgo de viro eximie forti dicimus: Iste est alter Hercules, vel alter Samson. Unde Josephus eum vocat Palæstinorum robustissimum.

Vers. 21. 21. PERCUSSIT AUTEM EUM JONATHAN FILIUS SAMAA FRATRIS DAVID. — Hebræi apud S. Hieronymum censent hunc « Jonathan » esse Nathan prophetam. « Jonathan, inquit S. Hieronymus, ipse est Nathan propheta, qui habuit duos fratres Joel et Jonadab. Idcirco ei hic nomen patris ponitur, quia inter præliatores describitur. Ubi vero de prophetia ejus scribitur, non ei annotatur pater, eo quod pater ejus propheta non fuerit. » Verum, longe verius, imo mihi certum est « Jonathan » non fuisse Nathan prophetam, nec Adeodatum, de quo vers. 19, ut volunt alii, sed ab utroque diversum. Addit Josephus : « Hoc prælium cum gente (Philistæa) fuit ultimum, non ausa postea se contra Israelitas movere. »

Vers. 22. 22. HI QUATUOR NATI SUNT DE ARAPHA IN GETH. — Multi censent *Arapham* esse *Orpham*, socrum Noemi et cognatam Ruth, ideoque Goliath quem occidit David, fuisse filium Orphæ. Ita Hebræi, Philo Biblicus et Prudentius in *Hamartigenia;* verum id refutavi, *Ruth* cap. I, vers. 4, quibus adde « Arapha » non esse feminam, ut innuit Serarius et Sanchez, sed virum, nimirum « Rapha, » a quo orti dictique sunt « Raphaim » gigantes, *q. d.* Hi quatuor gigantes jam dicti nati sunt ex primo illo potenteque gigante *Rapha*, qui proinde per antonomasiam præposito articulo *He* dictus est *Harapha, q. d.* Ille gigas, ille Titan. Id ita esse patet, *primo* ex aliis Scripturæ locis ubi « Raphaim » dicuntur nati ex Rapha gigante, ut *Genes.* cap. XIV, vers. 5; *Josue* cap. XII, vers. 4, et cap. XIII, vers. 12. *Secundo*, quia Scriptura in assignanda stirpe et familia filiorum assignat eorum patres, non matres; et hoc significat τὸ *de genere Arapha*. *Tertio*, quia Septuaginta Romana vertunt, *qui erat de posteris* τοῦ Ῥάφαι, id est *viri Raphæ :* τοῦ enim est masculinum, et virum significat. Regia habent τῶν γίγαντων, id est *gigantum*, et Τιτάνων, id est *Titanum*. Ita quoque Josephus, Chaldæus et alii. Denique, qui hic vocatur « Arapha, » I *Paralip.* cap. XX, vers. 4, 6 et 7, vocatur « Rapha, » a quo « Raphaim » sunt prognati.

HI QUATUOR, etc., CECIDERUNT IN MANU (per manum, robur et pugnam) DAVID ET SERVORUM EJUS; — licet enim David neminem horum per se occiderit, occidit tamen omnes per suos servos et milites jam dictos. Quod enim miles facit, hoc dux facit. Adde Davidem hos milites erudivisse, eisque exemplo præivisse occidendo Goliath gigantem. Ita Eucherius et alii. Hoc enim Davidis factum secuti ejus milites, alios gigantes occiderunt.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet Hymnum, sive Psalmum Eucharisticum, quo David post bella, parta plena pace de tot victoriis Deo gratias agit. Porro hic Psalmus inter Psalmos ponitur, estque in ordine XVII. *Quare ibidem commodius loco suo, quasi Psalmus inter Psalmos explicabitur.*

1. Locutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, 2. et ait :

† Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.

3. Deus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, et cornu salutis meæ; elevator meus, et refugium meum, salvator meus, de iniquitate liberabis me.

4. Laudabilem invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis; torrentes Belial terruerunt me.

6. Funes inferni circumdederunt me; prævenerunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo; et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus.

8. Commota est et contremuit terra; fundamenta montium concussa sunt, et conquassata, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit; carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cœlos, et descendit; et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super cherubim, et volavit; et lapsus est super pennas venti.

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum; cribrans aquas de nubibus cœlorum.

13. Præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis.

14. Tonabit de cœlo Dominus; et excelsus dabit vocem suam.

15. Misit sagittas, et dissipavit eos; fulgur, et consumpsit eos.

16. Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus.

17. Misit de excelso, et assumpsit me; et extraxit me de aquis multis.

18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me; quoniam robustiores me erant.

19. Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum.

20. Et eduxit me in latitudinem; liberavit me, quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie, a Deo meo.

23. Omnia enim judicia ejus in conspectu meo; et præcepta ejus non amovi a me.

24. Et ero perfectus cum eo; et custodiam me ab iniquitate mea.

25. Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26. Cum sancto sanctus eris; et cum robusto perfectus.

27. Cum electo electus eris; et cum perverso perverteris.

28. Et populum pauperem salvum facies; oculisque tuis excelsos humiliabis.

29. Quia tu lucerna mea Domine; et tu Domine illuminabis tenebras meas.

30. In te enim curram accinctus; in Deo meo transiliam murum.

31. Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum; scutum est omnium sperantium in se.

32. Quis est Deus præter Dominum; et quis fortis præter Deum nostrum?

33. Deus qui accinxit me fortitudine; et complanavit perfectam viam meam.

34. Coæquans pedes meos servis, et super excelsa mea statuens me.

35. Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.

36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ; et mansuetudo tua multiplicavit me.

37. Dilatabis gressus meos subtus me; et non deficient tali mei.

38. Persequar inimicos meos, et conteram; et non convertar donec consumam eos.

39. Consumam eos et confringam, ut non consurgant; cadent sub pedibus meis.

40. Accinxisti me fortitudine ad prælium; incurvasti resistentes mihi subtus me.

41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum; odientes me, et disperdam eos.

42. Clamabunt, et non erit qui salvet; ad Dominum, et non exaudiet eos.

43. Delebo eos ut pulverem terræ; quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.

44. Salvabis me a contradictionibus populi mei; custodies me in caput gentium; populus, quem ignoro, serviet mihi.

45. Filii alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.

46. Filii alieni defluxerunt, et contrahentur in angustiis suis.

47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus; et exaltabitur Deus fortis salutis meæ.

48. Deus qui das vindictas mihi, et dejicis populos sub me.

49. Qui educis me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me; a viro iniquo liberabis me.

50. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus; et nomini tuo cantabo.

51. Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus in sempiternum.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ultima Davidis dicta ac, vers. 8, ejus heroes, nimirum tres ejus fortissimi milites, eorumque heroica facinora, ac vers. 24, cæteri ejus triginta Fortes numerantur. Confer hoc caput cum I Paral. XI, *ubi alio ordine et methodo idem catalogus Fortium Davidis texitur.*

1. Hæc autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai : Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : 2. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. 3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel, dominator hominum, justus dominator in timore Dei. 4. Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra. 5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas; nec est quidquam ex ea quod non germinet. 6. Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. 7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum. 8. Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. 9. Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philistiim, et congregati sunt illuc in prælium. 10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit et percussit Philistæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio; fecitque Dominus salutem magnam in die illa ; et populus qui fugerat, reversus est ad cæsorum spolia detrahenda. 11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari, et congregati sunt Philistiim in statione ; erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philistiim, 12. stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philistæos, et fecit Dominus salutem magnam. 13. Nec non et ante descenderant tres qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam, castra autem Philistinorum erant posita in Valle gigantum. 14. Et David erat in præsidio ; porro statio Philistinorum tunc erat in Bethlehem. 15. Desideravit ergo David, et ait : O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam! 16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, et hauserunt aquam de citerna Bethlehem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David ; at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, 17. dicens : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc ; num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere; hæc fecerunt tres robustissimi. 18. Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus; ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit nominatus in tribus, 19. et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat. 20. Et Banaias filius Joiadæ viri fortissimi,

magnorum operum, de Cabseel; ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis. 21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam; itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua : 22. hæc fecit Banaias filius Joiadæ. 23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores; verumtamen usque ad tres non pervenerat; fecitque eum sibi David auricularium a secreto. 24. Asael frater Joab inter triginta, Elehanan filius patrui ejus de Bethlehem, 25. Semma de Harodi, Elica de Harodi, 26. Eles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua. 27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati, 28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites, 29. Heled filius Baana, et ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, 30. Banaia Pharathonites, Heddai de torrente Gaas, 31. Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi, 32. Eliaba de Salaboni, filii Jassen, Jonathan, 33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites, 34. Eliphelet filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites, 35. Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi, 36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, 37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ, 38. Ira Jethrites, Gareb et ipse Jethrites, 39. Urias Hethæus. Omnes triginta septem.

Vers. 1. 1. HÆC AUTEM SUNT VERBA DAVID NOVISSIMA,—quia, ut ait S. Hieronymus in *Tradit.*, « post psalterium et cætera metra hoc metrum composuisse dicitur. » Addit Chaldæus dici *novissima*, quia prophetiam continent de Christo in novissima et ultima mundi ætate nascituro, juxta illud S. Joannis, *epist.* I, cap. II, vers. 18 : « Filioli, novissima hora est; » et illud Pauli : « Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, » *Hebr.* I, 2. Addit tertio Lyranus dici *novissima*, quia memoriæ maxime commendanda, uti sunt apud filios novissima parentum monita.

DIXIT VIR, CUI CONSTITUTUM EST DE CHRISTO DEI JACOB. —*Primo*, plane sic de Christo exponas, *q. d.* Dixit David, cui facta est promissio de Messia, sivo « Christo » ex se nascituro, qui est « Christus Dei » veri quem coluit « Jacob » Patriarcha, quia unctus est a Deo in summum mundi regem et pontificem. *Secundo*, de ipso Davide, *q. d.* Dixit David qui constitutus est, ut esset « christus Dei, » id est rex a Deo unctus, qui regeret posteros « Jacob, » sive populum Israel. Unde Septuaginta vertunt, *dixit vir, quem suscitavit Dominus in christum Dei;* sic et Chaldæus, Vatablus et alii. *Tertio*, Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.* vertunt : *Dixit vir, cui constituta est scala christo Dei Jacob*, idque sic explicant, *q. d.* « Scala eidem christo Dei Jacob, id est Davidi, constituta est, per quam conscenderet ad Deum, eo quod idem scilicet confessus sit se peccasse Domino. » Unde additur τὸ *Jacob*, *q. d.* Scala Davidis similis est scalæ Jacob, *Genes.* cap. XXVIII, per quam nimirum ipse vidit ascendentes Angelos ad Deum scalæ innixum, ut per eam repræsentaretur Filii Dei descensus in terram et carnem, per Jacob et Davidem, qui futuri erant ejus parentes, ut eos cæterosque homines peccato Adæ aliisque propriis perditos redimeret, et per pœnitentiam salvaret. **Scala ergo peccatoris est pœnitentia et confessio;** per hanc enim ad Deum in cœlum conscendit.

Primus sensus planissimus est, eumque exigit τὸ *de Christo*, vel ut Hebræum est *super Christum*, et τὸ *dixit*, pro quo Hebraice est נְאֻם *neum*, id est dictum, effatum, sermo certus et irrefragabilis, oraculum.

EGREGIUS PSALTES ISRAEL. — *Egregius* Hebraice נְעִים *naim*, id est pulcher, speciosus, suavis, jucundus. Tales enim sunt Psalmi quos David composuit, et cani jussit a Levitis in Israel; unde iidem canuntur in Ecclesia Christiana per omnia sæcula, loca et templa, ipsique sunt exsultatio Ecclesiæ et fidelium.

Vers. 2. 2. SPIRITUS DOMINI LOCUTUS EST PER ME, ET SERMO EJUS PER LINGUAM MEAM, — supple, insonuit, *q. d.* Deus locutus est per me, ac per meam linguam, quasi organum et instrumentum, Psalmos dictavit, juxta illud : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, » *Psalm.* XLIV, *q. d.* Ego non ex me meoque ingenio et sensu, sed afflatu numinis, Deo psallere, Deumque hymnis et psalmis laudare didici et docui.

Vers. 3. 3. DIXIT DEUS, etc., JUSTUS DOMINATOR IN TIMORE DEI. — Pagninus, *dominator timoris Dei*, *q. d.* Deus est « dominator » eorum qui timent Deum, sive eorum quos invenit fundatos « in timore Dei; » hos enim ita provide, benigne et amanter regit ac gubernat, ut cæterorum quasi immemor videatur.

Quæres, quid dixit Davidi Deus? Respondeo : ea quæ dicta sunt vers. 1 et 2, ac quæ dicentur vers. 4 et seq., ac præsertim oraculum de Christo ex eo nascituro. Unde Chaldæus vertit : *Dixit quod constitueret mihi regem; ipse est Messias, qui futurus est ut surgat, et dominetur in timore Dei.* Aliter vertit Vatablus, nimirum : *Dixit Deus : Dominator super homines justus sit, dominator habeat timorem Dei, q. d.* Deus prædixit me Davidem fore dominatorem, id est regem, justum et timentem Deum.

Vers. 4. 4. SICUT LUX AURORÆ, ORIENTE SOLE, MANE ABSQUE NUBIBUS RUTILAT. — *Primo*, Lyranus, *q. d.* Sicut lux auroræ resplendet, sic Deus clare mihi Davidi locutus est et revelavit futura. *Secundo* et melius, Chaldæus, Abulensis et alii, *q. d.* Sicut lux auroræ rutilat, subaudi, sic rutilabit regnum meum (Davidis) et, ut vers. 5, sequitur, domus mea et aliorum justorum, eritque splendida, fecunda et gloriosa instar solis.

ET SICUT PLUVIIS (irrigata) GERMINAT HERBA DE TERRA, — subaudi, sic germinabit et fecunda erit domus et posteritas mea, uti explicat versus sequens. Ex quo liquet ad litteram, Davidem hic de se suaque stirpe loqui; allegorice vero et præcipue de Christo ex stirpe sua nascituro; Christi enim ortus fuit ex cœlesti gratia Spiritus Sancti, eoque irrorante B. Virgo concepit et peperit Christum, juxta illud : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Et : « Visitavit nos Oriens ex alto, » *Lucæ* I.

Mystice Angelomus : « Aurora, inquit, est Ecclesia, quæ oriente sole, hoc est, Christo resurgente a mortuis, absque nubibus rutilat, id est, absque peccato infidelitatis resplendet in miraculis. Pluvia est Evangelica prædicatio : herba credentem significat populum, terra vero Ecclesiam. »

Tropologice idem Angelomus : « Qui, inquit, in timore Domini dominationem in subditis exercet, lucis opera per solem justitiæ illuminata profert; nec in eis aliquid remanebit obscurum, sed imbre cœlestis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne vivens fructificat. »

Vers. 5. 5. NEC TANTA EST DOMUS MEA APUD DEUM, UT PACTUM ÆTERNUM INIRET MECUM, — *q. d.* Ego et domus mea non sumus tam magni, tantique meriti, ut ob illud Deus mecum iniret pactum, mihique promitteret *domum*, id est posteritatem et stirpem regiam perpetuandam usque ad Christum, indeque in æternum; Christus enim omnium hominum dignitatem et merita longe transcendit. Hoc ergo pactum iniit mecum Deus ex mera sua misericordia, gratia et liberalitate, qua me unum e toto mundo eligere voluit, ut Christi generationi subservirem.

CUNCTA ENIM SALUS MEA, ET OMNIS VOLUNTAS, — repete, in omnibus firma est et munita, aut uti præcessit, aut, impletur et germinat, ut sequitur, *q. d.* Cuncta mihi ad salutem proficiunt, omniaque mihi ad votum et voluntatem Deo prosperante succedunt.

NEC EST QUIDQUAM EX EA (ita lege cum Romanis, non *eo*) QUOD NON GERMINET, — *q. d.* Quidquid ego volo, hoc Deus secundat, omnesque actiones, desideria et intentiones meæ prospere proficiunt et succrescunt instar germinis e terra pluviis irrigata frondose erumpentis; persistit enim in metaphora germinis, unde Chaldæus vertit, *omnes indigentiæ meæ, et omnes petitiones meæ ante ipsum factæ sunt.* Sic S. Dominicus dictabat se a Deo impetrare quidquid peteret. Idem dixere alii sancti eximii; Deus enim « voluntatem timentium se faciet, » *Psalm.* CXLIV, 17.

Vers. 6. 6. PRÆVARICATORES AUTEM QUASI SPINÆ EVELLENTUR UNIVERSI. — a Deo, vel in hac vita, vel in die judicii, ubi eos e terra ejiciet in abyssum gehennæ.

Vers. 7. 7. QUÆ NON TOLLUNTUR MANIBUS. ET SI QUIS TOLLERE VOLUERIT EAS, ARMABITUR FERRO ET LIGNO LANCEATO, IGNEQUE SUCCENSÆ COMBURENTUR. — Significat impios quasi spinas, mollis correctionis esse incapaces, et contactum eorum esse aculeatum; ac proinde non blande, sed rigide, cum eis agendum ut ferro succidantur, vel igne comburantur : sicut qui spinas vult tollere, non manibus eas evellit, ne iis pungatur; sed manus armat *ferro* quo eas succidat, vel *ligno lanceato;* Vatablus, *hastili lancea*, quo eas abigat et amoveat, ne ab iis lædatur : denique non tollet eas, sed igne comburet. Sic Deus succidet domos impiorum, easque igne gehennæ succendet; me autem meamque et cæterorum justorum domum prosperabit et perpetuabit.

USQUE AD NIHILUM. — Hebræus, *in habitaculo suo*, id est in stirpe sua exurentur, et quasi ad nihilum redigentur, *q. d.* Omnino peribunt, si non in hac vita, saltem in futura. Paraphrastice et eleganter hæc omnia a vers. 4 hucusque vertit Chaldæus, justisque et sanctis, qualis erat David adaptat : « Beati, inquit, eritis vos, justi; fecistis vobis facta bona, quia vos futuri estis, ut luceatis in luce gloriæ vestræ sicut splendor auroræ, qui ambulat et constat; et sicut sol qui splendet absque nubibus in splendore gloriæ suæ. Ecce sicut ager qui exspectat in annis siccitatis, ut descendat pluvia super terram. » Deinde antithesin impiorum sanctis opponit : « Improbi, ait, factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, et omnis filius hominis parcit super eis, et sinit eas; procedunt et invalescunt usquequo non sit possibile appropinquare ad eas manu; et sic omnis homo qui incipit appropinquare ad peccata progredientia et se roborantia super se usquequo operiant eum tanquam vestis ferrea; non (quia Chaldæus putat negationem præcedentem hic esse repetendam) prævalent illi in lignis hastarum et lancearum : ideo non est necesse ultio eorum in manu hominis, sed in igne incendendo incendetur, cum apparuerit domus judicii magni, ut sedeat super solium judicii ad judicandum sæculum. »

Vers. 8. 8. HÆC NOMINA FORTIUM DAVID. — Additur I *Paralip.* XI, 10 : « Qui adjuverunt eum, ut rex fieret super omnem Israel. » Porro hi fortes habitabant in domo una quæ, *Nehem.* III, 16, vocatur « domus fortium, » ubi etiam quasi in palæstra athletæ et pugiles, exercitii causa, digladiationibus certabant, ait ex Lyrano Adrichomius, qui eam sitam ait in monte Sion juxta palatium Davidis, ibique eamdem graphice depingit. Texitur hic catalogus fortium militum sive heroum Davidis, *primo*, ad historiæ integritatem, ut scilicet constet

qui fuerint milites et duces, per quos David prælia tanta confecit, et tot victorias obtinuit; *secundo*, ut virtuti eorum hæc laus detur, quæ omnes ad fortitudinem eorum imitandam excitet. Allegorice, ut hi fortes Davidis repræsentent Christi Apostolos et viros Apostolicos per quorum heroica facta ipse suæ fidei subegit totum orbem. Tropologice, ut eorum exemplo animentur fideles ad fortiter certandum contra carnem, mundum et dæmones. « Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth.* XI. Cœlum enim sublime est et forte, quare a fidelibus mente sublimioribus et fortioribus expugnandum est. Igitur cœlum est civitas fortium, in qua nemo imbellis et imbecillis admittitur, juxta illud *Isaiæ* XXVI, 1 : « Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, in ea ponetur murus, et antemurale. » In Vita S. Astionis et Epicteti Martyrum, qui acerba pro Christo tormenta fortissime tolerarunt, nil aliud ingeminantes, quam « Christianismus, » refertur, quod Vigilantius Astionis mortem parentibus adhuc infidelibus nuntiarit parabolice, dicens eum in remotam regionem migrasse, in qua felicissime viveret. Rogavit mater, dixitque : « Quæ est regio illa, quo perrexit dulcissimus meus et unicus Astion? » Vigilantius respondit : « Regio robustorum, » seu « fortium virorum, » quam deinde ex *Apocal.* XXI, graphice depingit, ac tandem explicans illam esse cœlum, ad quod per martyrium transierit fortis Astion, parentes ejus ad Christi fidem convertit. Abbas Athanasius in *Prato Spiritali* apud Joannem Moschum, cap. CXXX, narrat se in exstasi ab Angelo ductum ad cœlum, cumque pulsans illud ingredi vellet, audiisse ab ostiario : « Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens; sed, si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi. » Hinc in cœlo canunt Beati : « Transivimus per ignem et aquam, et duxisti nos in refrigerium. »

> Ite nunc, fortes, ubi celsa magni
> Duxit exempli via; quid inertes
> Terga nutatis? superata tellus
> Sidera donat,

ait Boetius, lib. IV *De Consolat.* metro 7. Vide dicta *Apocal.* III, 21.

Vers. 8. 8. SEDENS IN CATHEDRA SAPIENTISSIMUS PRINCEPS INTER TRES. — Quis hic? David rex, inquiunt Hebræi apud S. Hieronymum, Chaldæus, Eucherius, Lyranus, Rupertus, Dionysius, Vatablus. Alii putant esse Joab ducem exercitus. Verum dico : Hic sedens non est David, sed *Jesbaam*, primus fortium Davidis. Id ita esse clare liquet tam ex Septuaginta qui hic vertunt, *Jesbaab filius Techmani, primus trium hic*; tum ex I *Paral.* XI, 11, ubi clare dicitur : « Iste numerus robustorum David; Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta; » tum ex Josepho qui eum vocat *Issemum*, vel ut mendose legit Abulensis *Eusebium* filium Achimac. Recensentur enim hic fortes Davidis, quorum princeps fuit *Jesbaam*. Ita Beda, Angelomus, Abulensis, *Quæst.* X, Hugo, Glossa, Cajetanus, Arias, Serarius, Sanchez, Salianus. Ubi nota *primo* : *Jesbaam* hebraice significat *sedens in populo*, quod hic dicitur, *sedens in cathedra*, quasi cæteris dignior, et fortium princeps : τὸ ergo יֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת *Josceb bassebeth*, id est *sedens in cathedra*, est nomen tam proprium, idemque quod *Jesbaam*, quam appellativum; quia vere Jesbaam erat sedens in cathedra, quasi dux et princeps militum. *Secundo*, *Jesbaam* qui hic dicitur *sapientissimus*, I *Paral.* XI, 11, vocatur *filius Hachamoni*, id est *sapientis*, tum quia pater ejus vocabatur *Hachamoni*, id est *sapiens* per excellentiam; tum quia ipse Jesbaam erat sapientissimus, ut vere filius sapientis et sapientiæ vocari posset, ideoque apposite pater ejus vocatus fuit *Hachamoni*, id est *sapiens*; quare τὸ *filius sapientis*, hic tam ut nomen proprium, quam ut appellativum accipiendum est, æque ac τὸ *sedens in cathedra*.

Jesbaam primus heroum Davidis.

Tertio, *Jesbaam*, qui hic dicitur *princeps inter tres*, nimirum primos et omnium fortissimos, libro I *Paralip.* cap. XI, dicitur *princeps inter triginta*; quia ipse erat primus fortium omnium Davidis, qui erant triginta.

IPSE (Jesbaam sive sedens in cathedra) EST QUASI TENERRIMUS LIGNI VERMICULUS. — Hebræus, *ipse Adino Haetsni*, quod Septuaginta, Pagninus et Vatablus retinent ut nomen proprium, vertuntque *Adino Hesnita*, vel *Adino Hasoneus*, ut *Jesbaam* nomine proprio vocatus sit *Adino*, ex patria vero *Hesnita*, ex virtute et dignitate denique cognominatus sit *Jesbaam*, id est *sedens in cathedra*. *Secundo*, Noster τὸ *Adino Haetsni*, æque ac τὸ *sedens in cathedra*, accipit vertitque ut appellativum significans ad verbum, *delicatus lignaceus*, hoc est, *tenerrimus ligni vermiculus*. Laudatur enim *Jesbaam* hic a tribus egregiis animi corporisque dotibus, scilicet *primo* a sapientia; *secundo*, ab humilitate et mansuetudine, qua se æstimabat et gerebat ut ligni vermiculum, id est ut teredinem, qui, licet tener et vilis, tamen rodendo sensim durum terit exeditque lignum, indeque dictus est *teredo*, ait Angelomus; *tertio*, a robore, quod 800 occiderit, *q. d. Jesbaam* amicis erat facilis, mitis et benignus, quasi vermiculus, sed idem hostibus erat terribilis ut leo. Ita Eucherius, Lyranus, Abulensis et Beda in *Allegoriis*.

Tropologice, Sancti qui in sapientia et virtute eminent, apud se et alios sunt humillimi et mansuetissimi, quasi vermiculi; iidem tamen contra vitia et dæmones sunt fortissimi instar leonum.

QUI OCTINGENTOS INTERFECIT IMPETU UNO. — Ergo errat Josephus, qui pro octingentis ponit nongentos. Dices *primo* : I *Paral.* XI, numerantur tantum trecenti. Respondeo, Jesbaam una vice occidisse 800, alia 300; sic ut universim occiderit 1100. Allegorice, Jesbaam fuit typus Christi, « qui uno impetu, » id est sermonis imperio, legionem expulit dæmonum, *Lucæ* VIII, 30, ait Angelomus, imo in

cruce superavit omnes dæmones, omnia peccata, mortem et infernum. Audi Rupertum, libro II, cap. XXXVIII : « In Christo fuit spiritus humilitatis quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce quasi vermem, et non hominem, se conteri perpessus est : in hoc Verbum Dei est in unam eamdemque personam unitum homini, quod et fortitudo ejus est, in qua percussit octingentos impetu uno; mortuus enim semel spoliavit inferos, et nunc sedens in cathedra omnes judicaturus est, vivos et mortuos. Quis omnium fortium angelorum aut hominum hucusque pervenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores Trinitatis, quorum fortitudinem, et nominibus propriis tres illi primi ordinis fortes pulchre exprimunt. » Hi tres Apostoli sunt, SS. Petrus, Jacobus et Joannes.

Vers. 9. 9. POST HUNC, ELEAZAR, FILIUS PATRUI EJUS.—Hebraice, *filius Dodo*, quod Vatablus, Pagninus et alii accipiunt ut nomen proprium, quasi *Dodo* fuerit pater Eleazari. Noster vero cum Septuaginta accipit ut appellativum, vertitque *patrui ejus*, scilicet Jesbaam jam dicti, *q. d.* Jesbaam et Eleazar erant filii duorum fratrum, ideoque inter se consobrini. *Primus* ergo fortium fuit Jesbaam, *secundus* Eleazar, *tertius* Semma, de quo vers. 11. Et hic fuit primus fortium ternio, de quo, cum de aliis minus fortibus est sermo, dicitur : « Verumtamen usque ad tres non pervenerat; » ut patet vers. 23. Fuit deinde secundus fortium ternio, de quo vers. 18. Post hos duos fortium terniones vers. 24 numerantur alii triginta fortes.

ET CONGREGATI SUNT ILLUC, — ubi erat David, scilicet in *Phesdomin*, ut dicitur lib. I *Paral.* cap. XI, vers. 13.

Vers. 10. 10. CUMQUE ASCENDISSENT (id est, fugissent, ut patet ex I *Paral.* XI, nimirum cæteri milites), TUNC IPSE (Eleazar) STETIT,—una cum Jesbaam, et fugavit totum exercitum Philistinorum. Unde sequitur :

PERCUSSIT PHILISTÆOS, DONEC DEFICERET MANUS EJUS, ET OBRIGESCERET CUM GLADIO.—« Obrigesceret, » stupore et spasmo, ait Vatablus. Experimur enim nimio labore et fatigatione manus contrahi ac stupere, ut explicari nequeant : stupor ergo manum Eleazar astrinxit gladio, ut ab eo amoveri non posset. Minus recte Josephus, lib. VII, cap. X, ait manus ejus adhæsisse capulo ob sanguinem ab eo confusum in gladio concrescentem, manumque Eleazari sibi astringentem. Nec enim cruor ita concrescit, ut manum gladio astringat.

Vers. 11. 11. ET POST HUNC SEMMA. — Tertius hic est in primo ternione fortium.

ERAT QUIPPE IBI AGER LENTE PLENUS, — quem scilicet Philistini succendere vel deprædari volebant, sed fugientibus cæteris, tutatus est eum Semma. Ita Abulensis.

Vers. 13. 13. NECNON ET ANTE DESCENDERANT TRES, QUI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA. — Putant nonnulli hos tres non esse tres fortes primi ternionis jam recensitos, sed tres proxime sequentes, qui secundum ternionem fortium constituebant, nimirum Abisai (hic enim ad Davidem venit in speluncam Odollam, I *Regum* XXII), Banaiam et Jonathan; ut sensus sit, *q. d.* Antequam tres primi fortes, scilicet Jesbaam, Eleazar et Semma, Philistæos in agro sternerent; alii tres fortes, scilicet Abisai, Banaias et Jonathan Davidi sitienti aquam e cisterna Bethlehem per media hostium castra attulerunt. Ita Hebræi apud S. Hieronymum. Verum melius Josephus, lib. VII, cap. X, Serarius, Salianus et alii hoc factum referunt ad tres primos, sive primi ordinis fortes, *q. d.* Præter particularia horum trium heroum facta, quæ quisque eorum sigillatim gessit, uti jam recensui, hi tres heroes simul juncti jam ante penetrarant castra Philistinorum, et hauserant aquam de cisterna Bethlehem, eamque sitienti Davidi attulerant.

14. ET DAVID ERAT IN PRÆSIDIO, — hoc est in loco munito, puta in arca et spelunca *Odollam*, de qua sermo præcessit, licet Josephus et Abulensis per *præsidium* intelligant Jerusalem, et arcem Sion, cui vicina est Bethlehem. Vers. 14.

15. O SI QUIS MIHI DARET POTUM AQUÆ, DE CISTERNA QUÆ EST IN BETHLEHEM. — Audi Josephum : « Dixit ad suos David : O quam bonam aquam habemus in patria mea, maxime in cisterna portæ vicina! O si quis eam mihi afferret! id certe mallem quam multum argenti accipere. » Omnes enim amant fontes et bona patriæ suæ : patria autem Davidis erat Bethlehem. Verum Davidis, utpote cordati regis desiderium, magis ferebatur in ipsam Bethlehem, quam in aquam ejus; nimirum optabat ipse patriam suam e manibus Philistinorum extorqueri, et sibi ac Israeli reddi. Porro tres fortes audito hoc Davidis desiderio, ut suam in eum fidem et promptitudinem ostenderent, ipso inscio, et, ut mox patuit, invito, per medios hostes hanc aquam ei attulerunt. Vers. 15.

AT ILLE NOLUIT BIBERE : SED LIBAVIT EAM DOMINO, — ne aquam bibens videretur sudorem et sanguinem suorum heroum, quo comparata erat, bibere et haurire, ac ne militi sitienti eamdem aquam appetendi desiderium injiceret, sed ut sitiens doceret illos secum tolerare sitim. Idem fecit Julius Cæsar et Alexander Magnus, teste Curtio, lib. VII, qui in aquæ penuria, et communi militum siti, oblatam sibi aquam noluit bibere. « Tunc, ait Curtius, poculo pleno, sicut oblatum est, reddito. Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dividere possum omnibus. » Sic et Cato ad suos milites ait apud *Lucan.* lib. IX: David sitiens recusat aquam.

Fatoque pericula vestra
Prætentate meo, sitiat quicumque bibentem
Viderit.

Et paulo ante :

O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.

Quare David hic heroicum actum elicuit non unius, sed multarum virtutum. *Primo*, mortificationis : nam, ut ait Angelomus, « in sacrificium Domini effusa aqua conversa est, quia culpam concupiscentiæ mactavit per pœnam reprehensionis suæ. » *Secundo*, satisfactionis pro peccatis. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. IX *Registri*, epist. 39 : « Licebat ei bibere, si voluisset; sed quia illicita se fecisse meminerat laudabiliter et a licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse judicavit, dicens : Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? » *Tertio*, bonæ ædificationis et exempli. Nam, ut ait Eucherius : « Vicit naturam, ut sitiens non biberet, et exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus disceret sitim tolerare. » Addit S. Ambrosius, *Apol. 1 Davidis*, cap. VII : « Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, ut etiam per pericula regali imperio voluntarii milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declaravit probandorum militum se imperasse gratia, non sitis victum necessitate; prospexisse etiam ne cui regum bibendi usus alienis periculis quæreretur. Postremo, piæ vulnus conscientiæ deprecatum, eo quod aqua tot virorum quæsita sanguine, suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret. »

Multos jam virtutum ac usus elicuit.

Allegoricam causam S. Ambrosius ibidem assignat : « Sitiebat David, inquit, non aquam de lacu qui est in Bethlehem, sed oriundum ex virgine Christum spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis : hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino libavit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum : illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum; illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis; sed pericula aliena depelleret. » Eadem ex Ambrosio habet et transcripsit Eucherius, Beda et Angelomus. Quocirca Methodus, orat. *in Hypapantem*, Deiparam ita alloquitur : « Tu Bethlehemitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem David desideravit, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanavit! »

Allegoriacausa.

Vers. 18. 18. ABISAI QUOQUE FRATER JOAB, FILIUS SARVIÆ, PRINCEPS ERAT E TRIBUS FORTIBUS,—secundi gradus et ordinis. Nam in primo ordine et ternione, primique tres fortissimi erant Jesbaam, Eleazar et Semma. Ad quos nemo alius pervenit, ut sequitur. Hic ergo describuntur tres fortes secundi ordinis, et primis jam dictis proximi; secundum ergo hunc fortium ternionem constituebant Abisai, Banaias et Jonathan : de Abisai constat hoc loco : de Banaia vero vers. 20 et 23, et clare I *Paralip.* XI, 24. Banaias enim pollebat robore, æque ac consilio, unde præerat legionibus Cerethi et Phelethi, eratque secretarius Davidis, ut patet vers. 23. De tertio Jonathan, est dubium. Nam Abulensis, *Quæst.* XXVI, censet tertium esse Asaelem fratrem Joab, de quo vers. 24, hic enim ibidem ponitur primus inter triginta, id est, fortior et præstantior cæteris triginta fortibus. Serarius vero censet tertium esse Joiadam patrem Banaiæ : Joiada enim vers. 20, vocatur « vir fortissimus. » Alii censent esse Sobochai de quo cap. XXI, 18. Alii esse Joab ex vers. 24. Melius noster Salianus et Sanchez censent tertium esse Jonathan filium Samaa fratris Davidis. Hic enim unum gigantem, imo duos interfecit, uti dictum est cap. XXI, 19 et 21, si credimus Hebræis, qui dicunt Jonathan eumdem esse cum Adeodato; sed verius est esse diversum. Nam *Elehanan*, id est *Adeodatus*, ponitur non inter tres, sed inter triginta fortes, I *Paralip.* XI, 26, æque ac Sobochai vers. 29; quare superest solus Jonathan ex cap. XXI, vers. 19, qui cum Abisai et Banaia constituat secundum ternionem fortium, ideoque diversus est a Jonathan filio Sage Ararithæ, qui pariter I *Paralip.* XI, 34, inter triginta fortes numeratur. Porro Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.*, Rupertus, lib. II, cap. XXXVII, et Lyranus censent tres hosce fortes secundi ordinis esse tres illos, qui tres, imo quatuor gigantes interfecerunt, cap. XXI, nimirum Abisai, Sobochai et Adeodatum sive Jonathan; putant enim ipsi hos duos ultimos non fuisse duos, sed unum eumdemque. *Jonathan* enim Hebraice idem est quod Latine *Adeodatus*, quæ sententia est probabilis, sed prior probabilior; nam *Adeodatus* Hebraice vocatur *Elehanan*, non *Jonathan*, fuitque filius *Jaare*, id est *Saltus*, ut dicitur cap. XXI, 19. Jonathan vero fuit filius Samaa, ut ibidem dicitur vers. 21.

SED USQUE AD TRES PRIMOS NON PERVENERAT. — *q. d.* Abisai non erat ex primo ternione fortium, sed ex secundo, in eoque erat primus.

Mystice, tres fortes Davidis sunt tres ejus eximiæ virtutes, scilicet sapientia, humilitas et fortitudo, quas celebratas audivimus vers. 8. Ita Angelomus. Unde Rupertus, lib. II, cap. XXXVII, τὸ *usque ad tres primos non pervenerat*, sic exponit, *q. d.* « Quamvis Abisai inter tres fortes Davidis nobilior, et eorum princeps fuerit, tamen nec fortitudo ejus fortitudini Davidis, nec sapientia ejus sapientiæ Davidis, nec humilitas ejus humilitati Davidis coæquari potuit : » multo minus Sanctorum sanctitas sanctitati Christi, a quo dimanat, comparari potest.

Porro David hic non numeratur, quia rex; nec Joab, quia militum et fortium dux, licet Rupertus, lib. II, cap. XXXVII, censeat Joab, etsi fortissimum, non nominari, eo quod ipse inique occiderit Abner et Amasam. Ita et Abulensis.

Vers. 20. 20. IPSE (Banaias) PERCUSSIT DUOS LEONES MOAB, — leones enim Moabitici fortiores et ferociores sunt Indicis, æque ac sunt Punici, uti ex Alberto et Avicenna docet Gesnerus, tract. *De leone*, lib. I. Unde in Hebræo hi leones vocantur *Ariel*, id est

leones Dei, id est magni, vasti et sævi; quæ enim Dei sunt, magna sunt. Nonnulli per *duos leones* accipiunt duos duces fortissimos, qui idcirco *leones Moab* vocentur, quod Moabitis opem tulerint, cum a Davide oppugnarentur, II *Reg.* VIII, 2. Ita Hebræi apud S. Hieronymum, Josephus, Glossa, Lyranus, Cajetanus.

ET PERCUSSIT LEONEM IN MEDIA CISTERNA IN DIEBUS NIVIS. — Rem gestam ita narrat Josephus : « Cum ningeret, leo in quemdam puteum illapsus est, cujus os quod angustum esset, videbat brevi fore, ut id nivibus oppleretur. Atque ideo deplorato exitu et salute, rugire cœpit. Banaias autem forte fortuna iter faciens accurrit ad rugitum bestiæ, et cum descendisset in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat, exanimavit. »

IN DIEBUS NIVIS. — Addit hoc ad commendandam Banaiæ fortitudinem, quod tempore nivis, quo maxime ob famem et prædæ defectum sævire etiam in homines solent leones, leonem occiderit. Leo enim cum sit calidissimus et igneus tempore nivis et frigoris robustissimus est; homo vero frigore contrahitur et obtorpescit.

Porro Hebræus apud S. Hieronymum et ex iis Rupertus, lib. II, cap. XXXVII, per « leonem » intelligunt Joab, quem jussu Salomonis occidit Banaias, III *Reg.* II, 29, idque, inquit, « in media cisterna, id est in domo Domini, ubi cornu altaris tenebat. Cisterna ideo dicitur, quia, sicut aqua cisternæ immunditiam aufert, ita etiam nihilominus hæc cisterna, id est, sanctuarium Domini peccata expiabat : in diebus nivis, quia per mortem peccatum expiavit. » Verum hoc symbolicum est.

Vers. 23. 23. QUI ERANT INTER TRIGINTA (de quibus vers. 24) NOBILIORES, — *q. d.* Banaias « inter triginta » fortes erat « primus, » ut dicitur I *Paral.* XI, 24.

Vers. 24. 24. ASAEL FRATER JOAB INTER TRIGINTA. — Præter duos terniones fortium jam recensitos, hic subjungit tertium, sed decuplo majorem, continentem scilicet cæteros triginta fortes, qui tamen cum sex jam dictis non erant coæquandi, quorum primus erat Asael. « Triginta » præcise sunt triginta duo, ut patet numeranti; sed Scriptura numeros integros assignat, quales sunt denarii vel simplices, vel duplicati, aut triplicati, uti sunt triginta.

ELEHANAN — hic videtur esse *Adeodatus* de quo cap. XXI, vers. 19, ille enim ibidem in Hebræo vocatur *Elehanan*, fuitque Bethlehemites.

FILIUS PATRUI EJUS, — scilicet Asaelis, *q. d.* Asael et Elehanan erant filii duorum fratrum, ideoque consobrini. Hebræum est *Dodo*, quod ut nomen proprium retinent Septuaginta, lib. I *Paral.* XI.

Mystice Rupertus, lib. II, cap. XXXVIII, per primum ternionem fortium Davidis accipit Apostolos, qui fuerunt fortissimi; nam totum orbem subegerunt Christo : per secundum ternionem fortium accipit Martyres. Causam subdit : « Post Apostolos quippe, martyres incedunt pugnatores ejusdem Trinitatis : fortes quidem et ipsi, ut merito totum in illis glorietur regnum David, id est omnis Ecclesia Christi, verumtamen inferiores Apostolis. Post illos ordinantur et alii triginta fortes, omnes videlicet gloriosi ejusdem sanctæ et individuæ Trinitatis confessores, fideliter credendo, et præcepta Decalogi fortiter adimplendo, facti insignes, ac proinde nos infirmiores ac plebeios, magni David milites, meritis præcipuis protegere valentes. »

32. FILII IASSEN, JONATHAN. — « Filii, » id est ex filiis, ait Serarius; vel « filii, » id est « filius. » Est enallage numeri. Sic *Genes.* XLVI, 23, dicitur, « filii Dan Husim, » quia Dan unicum tantum habebat filium, scilicet « Chusim. » Ita Cajetanus. Verius Emmanuel, et ex eo Serarius, censent τὸ בני ישן *Bene Iassen*, id est *filii Iassen*, ut vertit Noster, esse nomen proprium hujus viri et herois, unde illud nomen proprium ei non datur, sed tantum a patria cognominatur « Gezonites, » I *Paral.* XI, 33. Nam *Jonathan* qui sequitur, diversus est *a Bene Iassen*. Ibidem enim mox vocatur Jonathan, filius Sage, *Ararites*, non *Gezonites*. Vers. 32.

34. ELIAM FILIUS ACHITOPHEL. — Hic « Eliam » fuit pater Bethsabee uxoris Uriæ, et postea Davidis, uti tradunt Hebræi. Vers. 34.

39. URIAS HETHÆUS. — Audi Rupertum, lib. II, cap. XXXIX : « Triginta fortium ultimus positus erat Urias Ethæus, videlicet propter id quod sequitur : et addidit furor Domini irasci contra Israel. Jam enim ultio facta fuit in David, et in domo ejus : in populo vero, qui noluit resistere David in perimendo Uria Ethæo, necdum ultio divina facta fuerat. » Ex S. Hieronymo hausit id Rupertus, æque ac Angelomus, Hugo ac Abulensis. Verum aliam pestis causam afferam cap. seq. Vers. 39.

OMNES TRIGINTA SEPTEM. — Sunt enim triginta duo fortes, deinde quinque (nam sextus non nominatur) fortissimi, in primis duobus ternionibus jam recensitis, quibus additis fiunt universim triginta septem. Josephus numerat 38, quia insuper addit Joab. Porro I *Paral.* XI, plures numerantur : nam post 37 hic recensitos, et ultimum Uriam, alios sedecim adjungit, quia liber *Paral.* supplet ea quæ in libris Regum subticentur. Præcipui ergo fortes Davidis fuere 37 qui hic recensentur; sed præter illos fuere alii fortitudine quoque præstantes, qui in *Paral.* adduntur. Hi enim socii fuere Davidis fidelissimi, ac venerunt ad eum a Saule profugum, eumque « adjuverunt, » ut fieret rex super totum Israel, ut ibi dicitur cap. XI, vers. 10, unde expleto horum 37 fortium numero dicitur ibidem, vers. 42 : « Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, et cum eo triginta, » *q. d.* « Adina » princeps erat Rubenitarum, non omnium, sed illorum triginta quos secum ducebat, esto illi non essent e numero triginta fortium.

Allegorice, hi fortes Davidis repræsentant heroes Christi, qui non tantum pro se, sed et pro aliis tuendis salvandisque fortiter decertant. Ita Eucherius. « Domus fortium » ergo est Ecclesia Christi tum militans, tum triumphans, ut dixi vers. 8.

Romæ etymon. Hinc ejus caput est Roma, quæ Hebraice idem est quod *excelsa;* Græce vero idem quod ῥώμη, id est *robur* et fortitudo (unde et Roma primitus vocabatur *Valentia*), quia Romana Ecclesia fortiter semper cum suo Pontifice contra errores et hæreses omnes decertavit, easque profligavit, juxta promissum Christi, *Matth.* XVI : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, » etc. Via ergo ad cœlum et felicitatem æternam est fides, doctrina et virtus Ecclesiæ Romanæ; per hanc enim pergimus ad Jerusalem et Romam cœlestem. Unde in Vita S. Dunstani Cantuariensis Episcopi leigmus, eum a Cherubinis et Seraphinis invitatum in cœlum ipso die Ascensionis Christi, cum ipsi dicerent : « Eia paratus esto, præsto sis hinc nobiscum Romam venire et coram summo Pontifice (Christo) sanctus, sanctus, sanctus, in æternum cantare. » Quare moriens sursum cum lecto e terra in altum elevatus est, ac ad circumstantes ait : « Vos videtis quo vocor, si vultis mecum ire, ite via qua incessi; » via scilicet fortitudinis, generose certando contra cupiditates et tentationes universas.

Symbolice, ab hisce Davidis fortibus Gentiles mutuati sunt suos heroes, quibus Poeta : « Salvete, inquit, Heroes Deum genus. » Qualis fuit Hercules, qui in Gadibus suis statuit columnas, cum hoc lemmate : « Nihil ultra. » De quo Propertius, lib. IV :

Heroes unde ?

> Auditisne aliquem, tergo qui sustulit orbem
> Ille ego sum, Alciden terra recepta vocat.

Hinc finxerunt Argonautas, et heroica eorum facinora : scilicet quod Jason cum 54 heroibus in navi dicta Argo navigarit Colchos ad auferendum vellus aureum; quorum præcipui fuere Castor, Pollux, Typhis, Hercules, etc., de quibus Virgilius, *Ecloga* 4 :

> Alter erit tum Typhis, et altera quæ vehat Argo
> Delectos Heroas.

Vide Diodorum, lib. IV, et Hyginum, *Fabul.* 14.

Porro tales futuros Christi discipulos prædixit Sibylla Cumana, cujus versus Virgilii loco citato ad Pollionem exercitus ducem adulando transtulit; sed revera illi non nisi Christo congruunt; sic enim de eo inter cætera canit :

> Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
> Irrita perpetua solvent formidine terras.
> Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
> Permixtos heroas, et ipse videbitur illis.

Et inferius :

> Cara deum soboles, magnum Jovis incrementum.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus ob numeratum a Davide populum iratus, trium pœnarum optionem Davidi offert, scilicet famis, belli et pestis. David pestem elegit; quare illa ingruens 70 *millia occidit. Mox, vers.* 17, *David orat ut a populo in se pœna transferatur, ac in area Areuna sacrificat; itaque Deum sibi populoque reconciliat.*

1. Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem : Vade, numera Israel et Judam. 2. Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui : Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum ejus. 3. Dixitque Joab regi : Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis; sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi? 4. Obtinuit autem sermo regis verba Joab, et principum exercitus; egressusque est Joab, et principes militum, a facie regis, ut numerarent populum Israel. 5. Cumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis quæ est in valle Gad; 6. et per Jaser transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem, 7. transierunt prope mœnia Tyri, et omnem terram Hevæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee; 8. et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Jerusalem. 9. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium, et de Juda quingenta millia pugnatorum. 10. Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. 11. Sur-

rexit itaque David mane, et sermo Domini factus est autem ad Gad prophetam, et Videntem David, dicens : 12. Vade, et loquere ad David : Hæc dicit Dominus : Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. 13. Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua ; aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur ; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide quem respondeam ei qui me misit, sermonem. 14. Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis ; sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, a Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : Sufficit ; nunc contine manum tuam : erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi. 17. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, ego inique egi ; isti qui oves sunt, quid fecerunt ? vertatur, obsecro, manus tua contra me et contra domum patris mei. 18. Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei : Ascende, et constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi. 19. Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. 20. Conspiciensque Areuna, animadvertit regem et servos ejus transire ad se ; 21. et egressus adoravit regem prono vultu in terram, et ait : Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum ? Cui David ait : Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino et cesset interfectio quæ grassatur in populo. 22. Et ait Areuna ad David : Accipiat et offerat dominus meus rex, sicut placet ei ; habes boves in holocaustum, et plaustrum, et juga boum in usum lignorum. 23. Omnia dedit Areuna rex regi, dixitque Areuna ad regem : Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. 24. Cui respondens rex, ait : Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream et boves, argenti siclis quinquaginta ; 25. et ædificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica ; et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.

Vers. 1. 1. ET ADDIDIT FUROR DOMINI IRASCI CONTRA ISRAEL (1). — Quæres cur, et ob quod peccatum Israelis ? Respondet Theodoretus, eo quod Israel cum Absalomo contra Davidem regem suum rebellasset. Sed ob hoc peccatum cæsa sunt viginti millia et amplius, cap. XVIII, licet forte hæc pœna tantæ culpæ non suffecerit, nec satisfecerit. *Secundo*, Lyranus et Cajetanus respondent fuisse peccatum, quo Israel cum Seba conspiravit contra Davidem : in hac enim conspiratione solus Seba punitus est ; populo ergo a Deo castigatio hæc fuit reservata. *Tertio*, Abulensis censet insuper alia fuisse populi peccata, qualia sæpe grassari solent in Republica.

COMMOVITQUE DAVID IN EIS DICENTEM (ut diceret et juberet Joabo) : VADE, NUMERA FILIOS ISRAEL ET JUDA. — « Commovit » Deus Davidem, non per se suggerendo ei, et dicendo : « Vade et numera populum » (sic enim incitasset eum ad peccatum, quod facere nequit), sed permittendo diabolo ad id parato, et anhelanti, ut Davidem ad superbam hanc populi numerationem incitaret. Deus ergo indirecte, diabolus vero directe excitavit Davidem ad hanc numerationem, uti expresse dicitur I *Paral.* XXI, 1 : « Consurrexit, inquit, Satan contra Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel. » Tribuitur tamen hic idipsum Deo, ut ostendatur justo Dei judicio contigisse, ut permitteretur peccare David in numerando populum, hoc fine ut puniretur populus. Deus enim ita manu sua continet diabolos et malos homines, ut, licet ardeant ad malefaciendum, tamen nusquam erumpere possint, nisi quo ipsos, ut eant, miserit, vel positive ipse permiserit ad peccatorum castigationem. Atque hæc positiva Dei permissio vocatur actio et commotio, ut dixi cap. XVI, vers. 10, ubi dicitur « Deus præcepisse Semei, ut malediceret Davidi. »

Hinc sapienter advertit S. Gregorius, lib. XXIX *Moral.* cap. IV, subditos non debere irasci principibus, cum in aliquem errorem vel vitium labuntur, sed lapsus causam sibi suisque peccatis ascribere. « Ille, inquit, Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, David pro-

(1) Interpres Houbigant nomine censet per lapsum Scriptorum hic omissionem factam fuisse, et legendum esse : *Et addidit furor Domini irasci contra Israel*, consurrexitque Satan contra Israel, *et concitavit David in eis, dicentem.*

pheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit; et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. » Unde concludit subjiciens : « Certum vero est quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex plebium merito mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est; non temere vitam judicare regentium. » Eadem ad verbum ex S. Gregorio transcripsit Angelomus et Eucherius, vel potius Beda. Nam S. Eucherius ætate antecessit S. Gregorium, Beda vero secutus est.

NUMERATE POPULUM, UT SCIAM NUMERUM EJUS. — Scriptura, præcedenti cap. XXIII, recensuerat fortes et heroes Davidis; nunc ipse David cæterum populum sibi subditum numerari jubet, ut sciat quot et quantos ipse habeat subditos, quotque ex iis apti sint ut in milites conscribantur, indeque sciat suum robur, quot scilicet milites in aciem educere possit. Peccavit tamen, quia id fecit ex vanitate et superbia. Audi S. Augustinum, lib. XXII *Contra Faust.*, cap. LXVI : « Ibi in gregem sibi commissum tanta dilectio pastoralis, ut pro eis ipse vellet mori, quando populo numerato, peccatum elationis ejus, sic punire placuit Deo, ut eumdem numerum minueret morte multorum, cujus multitudine cor regis fuerat superbia pertentatum. In quo occulto judicio Deus, apud quem non est iniquitas, et quos noverat indignos hac vita, subtraxit huic vitæ; et in illo qui de hominum copia se extulerat, tumorem animi humani, ejusdem copiæ diminutione sanavit. » Peccatum ergo Davidis fuit superbia. Aliud peccatum assignant Josephus, Cajetanus et Abulensis, scilicet quod in hac numeratione et censu neglecta fuit lex *Exod.* cap. XXX, vers. 13, quæ jubet ut in censu quisque solvat dimidium siclum. Verum nulla hujus neglectus fit hic mentio. Adde, licet David solvi jussisset dimidium siclum lege præscriptum, populusque eum solvisset, peccasset tamen David, cogens sua numeratione populum ad solvendum dimidium siclum hunc sine causa; secus fuisset si David justam habuisset populi numerandi causam : v. gr. si volens proficisci ad bellum, et scire numerum eorum qui militare vel arma ferre possent, censuisset populum : vel si tributum fuisset toti populo imponendum ob causam publicam, tunc enim non peccasset.

Simili modo Romani faciebant lustrum, et censum omnium provinciarum, singulaque hominum capita numerabant et describebant, tum ut scirent quam numerosæ essent provinciæ, quotque milites dare possent; tum ut censum ab eis exigerent, uti fecit Augustus, in plena orbis pace jubens describi totum orbem sibi subditum, eique censum indicens, in qua descriptione et censu natus est Christus, qui, ut ait S. Gregorius, suos fideles numerat et describit in beata æternitate, *Lucæ* cap. II, vers. 1.

3. ET INVENTA SUNT DE ISRAEL OCTINGENTA (perperam Josephus habet « nongenta ») MILLIA VIRORUM FORTIUM. — Igitur pueri et feminæ non fuerunt numerati. Dices : I *Paralip.* cap. XXI, vers. 5, dicitur : « Omnis numerus Israel mille millia et centum millia virorum. » Ergo fuere trecenta millia amplius. Respondent Hebræi apud S. Hieronymum hic tantum recenseri vivos : in *Paralip.* vero tam vivos quam mortuos, nimirum qui peste a Deo percussi mortui sunt, unde colligunt ipsi peste mortuorum numerum fuisse trecenta millia; sed repugnat Scriptura, quæ hic vers. 15, numerat duntaxat 70 millia. Vers. 3.

Secundo, alii respondent hic non numerari tribum Benjamin et Levi; in *Paral.* vero numerari; ideoque trecenta millia amplius recenseri. Verum in lib. *Paralip.* post numerum undecim centenorum millium, illico subditur Levitas et Benjaminitas non fuisse numeratos. Ergo illi nec hic, nec in *Paral.* numerantur.

Dico igitur duplicem hic fuisse descriptionem, sive censum Israelis : prior fuit, qua principes exercitus per singula oppida et vicos in privatis libris singulorum nomina describebant, et juxta hanc descriptionem fuere undecim centena millia populi numerata, ut habet liber *Paralip.*; posterior fuit qua ex privatis hisce catalogis sive libris singulorum nomina transcribebantur in librum majorem, quem habebat Joab, ut eum traderet regi, itaque in fastos et annales publicos referrentur, et horum numerus fuit tantum octingentorum millium, ut hic dicitur. Causa fuit, partim quod Joab invitus hanc descriptionem perageret, ideoque in ea regi transcribenda moras necteret, ut sedaret fastum regis : partim, quod sæviente peste a Deo immissa inhibita et incisa fuerit hæc transcriptio, quare omittuntur in ea trecenta millia jam dicta. Id liquet ex I *Paralip.* cap. XXVII, vers. 24 : « Joab, inquit, cœperat numerare, nec complevit (unde nec Benjamin nec Levi numeravit), quia super hoc ira (pestis) irruerat in Israel, et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David. » Scriptor vero *Paral.* ex privatis catalogis illa trecenta millia addidit et supplevit.

ET DE JUDA QUINGENTA MILLIA PUGNATORUM, — qui scilicet apti erant ad ferenda arma et pugnandum, ut præcessit, esto actu non essent milites et pugnatores. Dices : I *Paralip.* cap. XXI, vers. 5, numerantur duntaxat 470 millia ex Juda. Respondet Abulensis, ibi non numerari eos qui ex Juda

familiæ et militiæ Davidis erant ascripti, eo quod illos David apud se jam haberet in numerato : hos autem fuisse triginta millia, quæ juncta cum 470 millibus faciunt quingenta millia. Ita Abulensis et Lyranus. Aliter alii respondent, nimirum, primo Hebræi apud S. Hieronymum, et ex eis Angelomus, aiunt noluisse Joab summam integram, quæ erat 500 millium, tradere Davidi, ne ipse ex sua tribu Juda tam numerosa superbiret; unde decerpsisse ex eis triginta millia.

Secundo, alii asserunt triginta hæc millia fuisse proselytorum, id est Gentilium ad Judaismum conversorum, qui se tribui Judæ aggregarunt, ideoque illa hic non numerari.

Tertio, Serarius respondet hic selectiores tantum numerari eosque fuisse 470 millia : in *Paral.* vero omnes omnino, et eos fuisse 500 millia.

Quarto, Salianus : Tribus Juda, inquit, secundum antiquos suos terminos hic æstimatur; intra quos tribus Dan et Simeon, quasi in sinum Judæ receptæ sunt; idque confirmatur ex eo quod Joab cum suis dicitur venisse ad meridiem Juda, in Bersabee, cum tamen constet id oppidum fuisse in tribu Simeonis, non Judæ.

Vers. 10. 10. PERCUSSIT AUTEM COR DAVID EUM, — *q. d.* Conscientia Davidis momordit, dictavitque ei quod male egisset numerando populum ex superbia et præsumptione. Josephus addit « Gad » prophetam aliosque Davidi ostendisse quod in hac numeratione peccasset, ac hunc conscientiæ scrupulum ei movisse.

UT TRANSFERAS INIQUITATEM, — ut scilicet eam auferas, remittas et condones.

Vers. 12. 12. TRIUM TIBI DATUR OPTIO. — « Trium, » scilicet cladium et calamitatum, nimirum pestis, famis et belli; quodcumque enim ex his tribus elegeris, demet et demetet numerum hunc ingentem Israelis, in quo tu quasi rex superbis et gloriaris, itaque sternet tuam superbiam. Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum,* cap. LXVI.

Vers. 13. 13. AUT SEPTEM ANNIS VENIET TIBI FAMES. — Pro « septem, » I *Paralip.* cap. XXI, vers. 12, dicitur « tribus, » quia prior propositio Dei et Gad prophetæ continebat « septem : » sed hanc deinde Deus petente Gad aut Davide mitigavit et redegit ad tres annos, sicut numerum 50 justorum in Sodoma ob preces Abrahæ diminuit et redegit ad decem, *Gen.* cap. XVIII. Unde Josephus, Origenes, Ambrosius, Theodoretus et alii tres tantum annos famis Davidi propositos asserunt.

Vers. 14. 14. MELIUS EST UT INCIDAM IN MANUS DOMINI (MULTÆ ENIM MISERICORDIÆ EJUS SUNT) QUAM IN MANUS HOMINUM. — Bellum ergo hominum, puta Philistinorum, Syrorum et Ammonitarum deprecatur; de cætero David resignat se Deo, ut vel famem, vel pestem infligat. Sed urgente Gad propheta, ut alterum horum definite eligeret, elegit pestem, nam Septuaginta addunt, *et elegit sibi David mortem,* id est pestem quam vulgo *mortem,* sive mortalitatem, appellamus. Idem tradit Josephus, qui et aliam causam hujus electionis Davidis assignat, quem audi : « Rex cogitans quod si famem peteret, sui magis quam aliorum rationem habuisse videri posset, quandoquidem ipsi nihil periculi esset; multum frumenti in horreis habenti, illis non item. Quod si per tres menses ab hoste vinci elegisset, sic quoque sibi consuluisse, qui arces et fortissimam circa se cohortem haberet : optavit malum regnantibus æque ac regnatis commune, in quo omnibus par metus immineret, præfatus, melius esse incidere in manus Dei, quam in manus hominum. » Sic et Theodoretus, Abulensis et Cajetanus. David ergo eligens *incidere in manus Dei,* videtur elegisse pestem : hæc enim est plaga, qua homines percutit manus Dei, ait Lyranus et Vatablus; nam fames sæpe non proxime a Deo, sed ab hostium deprædatione, vel terræ siccitate, vel aeris intemperie oritur.

Dices : *Daniel.* cap. XIII, vers. 23, contrarium David elegit Susanna dicens : « Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » Responsio est facilis : Susanna enim loquitur de eo qui incidit in manus hominum per pœnam, ut ab eis occidatur; hoc enim satius est quam incidere in manus Dei per culpam, puta per fornicationem, ad quam ipsa a senibus urgebatur, *q. d.* Satius est occidi ab hominibus, quam peccare in Deum : cædes enim hominum temporalis est; offensa vero et vindicta Dei est æterna : quare præstat offendere homines, quam Deum. At vero David loquitur de pœna, non de culpa, *q. d.* Satius est puniri a Deo, quam ab homine, puta ab hoste : hic enim sæpe sævus est et implacabilis; Deus autem misericors, et pœnitentia placatur. Hinc S. Chrysostomus, hom. 29 *in epist. ad Rom.,* ostendit Davidem fuisse bonum pastorem, quia juxta Christi Domini sententiam, *Joan.* cap. X, vers. 11, animam suam dabat pro ovibus suis : « Propterea, inquit, in optione suppliciorum illorum non famem elegit, non hostilem persecutionem; sed immissam a Domino mortem, per quam sperabat alios quidem fore securos; se vero ante reliquos omnes e medio tollendum. » Unde ait : « Ego sum qui peccavi : ego inique egi : isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me. » Nam, ut bene D. Chrysostomus addit, « vellicabantur viscera ipsius cadentibus illis, tanquam si genuini necarentur filii. » Unde S. Ambrosius, *Apolog.* I *David.* cap. VII : « Quo facto, inquit (id est oratione pro subditis), statim dignus sacrificio judicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. » Et inferius : « Nec mirum, inquit, si tali oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam; cum Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleverit. »

Vers. 15. 15. IMMISITQUE DOMINUS PESTILENTIAM IN ISRAEL, DE MANE USQUE AD TEMPUS CONSTITUTUM. — Septuaginta, *a mane usque in horam prandii;* Chaldæi, *a tempore quo mactatur juge* (sacrificium) *usquequo*

adoleatur, id est usquequo adolendo plene comburatur, quod erat sub tempus prandii. Sic et Josephus. Hinc multi putant pestem hanc durasse tantum per sex horas : tot enim sunt a mane ad prandium. Ita Theodoretus : « Trium dierum, inquit, mortem Deus minabatur, sex autem horis solum mortem intulit. Si dies numerentur cum noctibus, invenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus et clemens majoribus quidem usus est minis peccatores terrens, minis autem longe minora infert supplicia. » Idem Ambrosius in *Psal.* XXXVII : « Qui proposuerat, inquit, mortem triduo exercere in terra, ne unum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandii libenter indulsit, et, ut verbo Scripturæ utar, habuit pœnitentiam super malitiam. » Et aliquanto post : « Vide, inquit, Domini gratiam, quod et ipse a proposita conditione deflexit. Numquid aliquod miserationis est crimen, quia plus minatur, et minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet. » Alii, ut Lyranus, Rupertus, Vatablus, Sanchez per « tempus constitutum » accipiunt tempus statum sacrificii vespertini, quo scilicet vespere alter agnus Deo offerebatur in juge sacrificium, quasi vi istius sacrificii cessarit pestis : Hebraice enim מועד *moed*, significat *tempus statum*, quale est festorum et sacrificiorum. Verum simplicius et aptius, per « tempus constitutum » accipias triduum a Deo constitutum plagæ pestis, vers. 13. Ita Abulensis, qui in idipsum ratione confirmat : Quia, inquit, si nulla prius facta fuisset mentio temporis, quo durare deberet pestilentia, esset divinationi locus, et nominato mane quo cœpit pestis, posset intelligi durasse ad tempus vespertini sacrificii a lege definiti; præsertim cum eo tempore David sacrificasse videatur. At cum paulo ante dictum fuerit, triduo duraturam, moxque dicatur durasse ad tempus constitutum, vis utique affertur Scripturæ, si tempus constitutum, alio quam ad prædictum triduum referatur : ita quoque Cajetanus, Dionysius, Salianus et alii, qui censent pestem hanc durasse per duos integros dies, et per partem diei tertiæ, donec Deus dixit Angelo percutienti : « Sufficit, » versu 16.

ET MORTUI SUNT EX POPULO, etc., SEPTUAGINTA MILLIA VIRORUM. — Perperam ergo Rabbini numerant trecenta millia, ut dixi versu 9.

Vers. 16. 16. CUMQUE EXTENDISSET MANUM SUAM ANGELUS DOMINI (hinc patet Angelum hunc infligentem pestem fuisse bonum, non malum. Sic bonus Angelus cremavit Sodomam, *Genes.* cap. XIX; idem magis patet versu 17, ubi David ab Angelo veniam precatur) SUPER JERUSALEM; UT DISPERDERET EAM, MISERTUS EST DOMINUS. — Hinc patet Angelum prius peste percussisse cæteras tribus, ex eisque occidisse 70 millia, ac tandem tertio die percussisse quoque Hierosolymam multosque in ea necasse : nam et Hierosolymitæ peccarant in Deum, conspirando cum Absalomo contra Davidem suum regem; aliisque pluribus peccatis.

ET AIT ANGELO PERCUTIENTI POPULUM : SUFFICIT. — Hinc colligitur Deum, antequam oraret David, ex spontanea misericordia jussisse Angelo, ut plagam pestemque sisteret. Porro Angelus hic infligebat Israelitis pestem, « applicando eorum corpori et cordi aliquid valde pestiferum, ait Abulensis, quod subito corrumperet viscera, idque sine sensu, sicut non sentitur aer infectus cum attrahitur; et quia illud quod applicabat Angelus, erat magis corruptum quam aer qui in tempore pestilentiæ attrahitur, velocius et insensibilius homines cadebant, tanquam nullum habuissent languorem. » Hinc vocatur pestis hæc « gladius, » tum quia qui percutiebantur peste ab Angelo, sentiebant quasi ictum gladii; tum quia in Scriptura omne quod pungit, cruciat, affligit; per catachresin vocatur gladius. Simile contigit in peste Romana, quæ Pelagium Pontificem sustulit, ad quam sedandam S. Gregorius publicas Litanias ad basilicam S. Petri instituit, ipseque gestabat imaginem B. Mariæ a S. Luca depictam, de qua audi Baronium anno Christi 590 : « Tunc vero et mirandum istud accidisse tradunt, ut cum pervenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adjacentem, in signum reconciliati Numinis, visus fuit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse, significare voluisse, » quemadmodum (ut superius ex eodem Gregorio, *Dialog.* lib. IV, cap. XXXVI, dictum est) per sagittas visas cœlitus lapsas idem fuerat divinitus præmonstratus.

Pestis cœlitus missa.

Exempla.

Simile factum in peste illa universali per Orientem, imo per totum orbem, quæ contigit anno Christi 594, qui fuit 18 Justiniani Imperatoris, de qua ita scribit Procopius, lib. II *De Bello Persico*, et ex eo Baronius : « Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt : quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat. Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis (ut poterant) supplicationibus eum avertere frustra quærebant : ac tanquam lymphati seu spiritu maligno agitati, amicos vocantes minime audiebant : in locis quoque angustis coercebantur. Nonnullis vero in somnis hæc eadem accidebant. » Et inferius : « Tribus igitur mensibus hujuscemodi lues Constantinopoli prævaluit, et ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque sæpius etiam decem millia efferebantur : adeo ut plures etiam divites, ministris jam omnibus exstinctis curatorum penuria magis, quam morbo perirent, et insepulti manerent. » Remedium fuit imploratum B. Virginis auxilium, quo lues exstincta est, unde in memoriam tanti beneficii Græci instituerunt festum Ὑπαπαντης, id est Occursus Domini, quod nos festum Purificationis B. Virginis nuncupamus, die 2 februarii. Vide Baronium in *Martyr.* et in *Annalibus*, anno Christi 544, in fine. Similis pestis con-

tigit anno Domini 605, de qua ita Regino in *Chronico* : « Tunc, ait, visibiliter multis apparuit quod bonus et malus Angelus noctu per civitatem pergerent, et ex jussu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium domus cujuscumque percussisset, tot de eadem domo sequenti die homines interirent. » Idem prorsus Romæ contigisse sub Agathone Pontifice, anno Domini 689, iisdem verbis, quibus utitur Regino (unde suspicio est unum idemque ab utroque narrari, sed alio anno consignari), scribit Paulus Diaconus, lib. VI, cap. v, et Anastasius Bibliotheca in *Agathone*, atque ex iis Baronius anno Christi jam dicto, qui et addunt : « Tunc per revelationem cuidam dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret, quam in basilica quæ B. Petri ad Vincula dicitur, S. Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumque est, et delatis ad urbem Romam beati Sebastiani martyris reliquiis, mox ut in jam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quievit. » Hucusque Paulus : « Exstat adhuc integrum ipsum altare, nec non ejusdem sancti martyris imago inciso opere expressa. Sed ex hoc propagata ad posteros religio est, ut pestis tempore voti causa imago ejusdem sancti Sebastiani diversis in locis pingi soleret, sed et in ejus memoriam altaria erigi, imo etiam et ecclesias fabricari. Eadem de tempore et peste habet Anastasius in *Agathone Pontifice*. » Hæc Baronius.

Vers. 17. 17. DIXITQUE DAVID AD DOMINUM, CUM VIDISSET ANGELUM CÆDENTEM POPULUM : EGO SUM QUI PECCAVI. — Angelus jam jussu Dei stiterat plagam ; quo facto, ostendit tamen se Davidi vultu truci et igneo, cum stricto gladio, quasi minans adhuc populum ferire : quare territus David cum suis supplex in terram procidit, petiitque populo veniam et impetravit. Ita Abulensis, Salianus et alii. Hebræi tradunt Davidem ex hac visione et dolore populi percussi perculsum incurrisse morbum incurabilem. Quare ipsum ad Deum ingemuisse : « Miserere mei, quoniam infirmus sum, » *Psalm.* VI, 3. « Infirmum se appellat, inquit Lyranus, juxta sententiam veterum Rabbinorum, qui ex visione Angeli percutientis populum pro numeratione prædicta fuit ita perterritus, ut de cætero languidus remaneret : adeo ut nullis vestibus calefieret, ut III *Reg.* I, vers. 1, dicitur. » « Aiunt Hebræi, inquit Hieronymus, Sadoc sacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuisse et imitatum fuisse patrem suum Aaron, et illius preces et devotionem Dominum vidisse et misertum fuisse. »

EGO SUM QUI PECCAVI, — scilicet numerando populum, a quo peccato immunis erat populus, qui tamen reus ob alia scelera ab eo commissa, quæ hic castigare volebat Deus. Considerent hic, admirentur et imitentur Principes et Prælati profundam humilitatem, pœnitentiam et charitatem Davidis pro populo supplicantis, et pœnam ab eo in se transferri postulantis. Audiant S. Ambrosium in *Apol. Davidis*, cap. VII : « Quam illud admirabile quod Angelo ferienti plebem se obtulit. Hoc facto statim dignus sacrificio judicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cum et Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleverit. » Eadem pene Theodoretus, *Quæst.* XXXVII : « Digna, ait, sunt admiratione ipsa verba regis, ignorans causam, suum peccatum vocavit, quod fuerat factum ; et ut in suum genus justa ferretur sententia, supplicavit, utens verbis boni pastoris, imitans Filium suum et Dominum, qui animam suam posuit pro ovibus. » Additur I *Paralip.* XXI, 16 : « Et ceciderunt tam ipse (David) quam majores natu vestiti ciliciis, proni in terram. » Sic S. Carolus Borromæus ad avertendam pestem, aliasque clades in publica supplicatione nudis pedibus, fune in collum injecto, bajulans crucem processit.

18. ASCENDE (in montem Moria, qui est pars montis Sion) ET CONSTITUE ALTARE DOMINO IN AREA AREUNA JEBUSÆI, — quia ob Angelum gladio minantem adhuc erat pestis metus, imo reliquiæ. Licet enim Deus dixisset Angelo : « Sufficit, » ut neminem ulterius peste inficeret ; tamen qui jam ab eo peste infecti fuerant, non erant sanati. Jubet ergo Gad propheta Davidi Dei instinctu, ut altare erigat, ut libertatem a se concessam confirmet. Alii tamen ex hoc loco censent necdum cessasse Angelum a percussione et inflictione pestis, ideoque pestem necdum cessasse, nec Deum adhuc dixisse Angelo : « Sufficit, » sed id dixisse post preces et sacrificium Davidis. Quamvis enim jam ante id narrarit Scriptura, versu 16, tamen id fecisse videtur per anticipationem, qua voluit prius complere narrationem gestorum et dictorum inter Deum et Angelum ; deinde subdere media prævia ad id a Deo ordinata, scilicet supplicationem et victimam Davidis, quibus placatus Deus dixit Angelo : « Sufficit, » stitit que pestem. Hæc expositio est probabilis, eique favet quod ait David versu 21 : « Et cesset interfectio quæ grassatur in populo ; » et versu 25 : « Et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel. » Ita Cajetanus. Vers. 18.

IN AREA AREUNA JEBUSÆI. — Fuit « Areuna » princeps Jebusæorum, unde versu 23, in Hebræo vocatur *rex*, fuitque amicus et familiaris Davidis, quare videtur factus proselytus, et ad Judaismum Deumque verum conversus. Ita Abulensis, Dionysius, Salianus. Porro, qui ab Hebræis vocabatur *Areuna*, id est *collectio*, vel *arca*, a Jebusæis paulum inflexo nomine dictus est *Ornan*, ut patet I *Paral.* XXI, 18. Hinc Vatablus putat eum fuisse regem Jebusæorum, antequam Jerusalem a Davide caperetur, qua capta factum Davidi tributarium. Idem docet S. Augustinus, serm. 198 *De Tempore*, Serarius et alii.

Area Ornan, cur electa?

Quæres, cur aream hanc Areunæ præ aliis elegit Deus ad sacrificium ? Respondeo *primo*, quia hæc

area erat in monte Moria, ubi olim ante 850 annos Abraham jussus fuit a Deo immolare filium suum, *Genes.* XXII. *Secundo,* quia in eodem loco decreverat Deus a Salomone ædificari templum, cujus hic quasi specimen et præludium a Davide jaci darique voluit. Id patet II *Paral.* III, 1, ubi dicitur : « Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat Davidi patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi. » Symbolice, significare voluit Deus in « area Jebusæi, » id est, in regione Gentilium a vero Davide et Salomone, id est Christo, templum, id est Ecclesiam Catholicam verorum Israelitarum et Abrahæ filiorum per fidem, ex vivis fidelium lapidibus ædificandam fore. Ita Angelomus, et S. Augustinus, serm. 198 *De Temp.*

Tropologice, idem Angelomus : « Areuna, inquit, interpretatur arca, et Ornan Latine resonat lumen nobis. Bene ergo cum Deum pro offenso, quo peccavit, placare vellet, altare jubetur in area Areuna vel Ornan construere, ut inde unusquisque conjiciat, quia aliter Divinitas ab homine placari non potest, nisi in arca cordis, per lumen rectæ fidei et veræ dilectionis, altare illi devotæ humilitatis constituat, in quo sacrificium piæ confessionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod recte per eumdem Prophetam in Psalmis manifestatur, ubi dicitur ex persona Domini : Sacrificium laudis honorificavit me. Et iterum : Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit. »

Allegorice, David hic sacrificans in area Areunæ iramque Dei placans, et pestem sedans, typus erat Christi, qui eodem in loco (Calvariæ enim mons vicinus est monti Moriæ ejusque quasi pars et jugum) seipsum in hostiam pro peccato Patri immolaturus, iram ejus erat placaturus, mortemque præsentem et æternam a nobis ablaturus.

Vers. 21. 21. ET CESSIT INTERFECTIO. — Nesciebat David Deum dixisse Angelo percutienti : « Sufficit : » imo post hoc dictum Angelus apparuit Davidi stricto gladio quasi minans percutere, unde David putabat eum revera adhuc percutere ; imo nonnulli putant eum revera adhuc percussisse, uti dixi versu 18, idque satis innuit Scriptura, dicens ad preces et sacrificium Davidis Deum placatum sustulisse pestem hic vers. ult., et I *Paral.* cap. XXI, ubi post sacrificium Davidis subditur versu 27 : « Præcepitque Dominus Angelo, et convertit gladium in vaginam. » Ut ut est, certum est ante preces et sacrificium Davidis, necdum Deum fuisse reconciliatum, sed per Angelum stricto gladio adhuc minitatum populo ; verum per preces et hostias Davidis plene fuisse placatum, ac jussisse Angelo ut gladium fulminantem in vaginam reconderet.

Vers. 24. 24. EMIT ERGO DAVID AREAM ET BOVES ARGENTI SICLIS QUINQUAGINTA. — Dices : I *Paral.* XXI, 25, dicitur : « Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos. » Facilis et plana est communis responsio, Davidem pro area altaris et bobus dedisse siclos argenteos 50, ut hic dicitur : at vero postea pro tota area Areunæ, ut in ea a Salomone fabricaretur templum illud orbis miraculum, dedisse siclos aureos sexcentos. Ita S. Hieronymus, Glossa, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, Salianus, Serarius et alii.

Aliter respondent Andreas Masius in *Josue,* cap. VII, versu 24 ; Aleazar, *De Ponderibus et mensuris,* propos. 22, pag. 60 ; Vilalpando, tom. III, pag. 414, scilicet hos 50 siclos vocari « argenti, » id est pecuniæ (Hebræi enim æque ac Franci pecuniam vocant *argentum*), revera tamen fuisse aureos. Jam 50 sicli aurei valent 600 siclos argenti ; una enim libra, drachma vel uncia auri valet duodecim argenteos, teste Platone in *Hipparcho.* Quare siclos sexcentos, quorum fit mentio in *Paralip.,* fuisse argenteos, eos tamen vocari auri, quia in auro persoluti sunt ; nam, ut dixi, 50 sicli aurei dati a Davide valent sexcentos siclos argenteos. Hic sensus subtilis est et profundus, eique favent Hebræi, Septuaginta et Chaldæi, quæ hoc loco habent, *emit boves,* etc., *in argento* (id est pecunia) *siclis quinquaginta,* scilicet aureis, qui valent 600 argenteos, uti fusius in fine Pentateuchi dixi, tract. *De Ponderibus.* Verum hic sensus dure et difficulter applicatur versioni Vulgatæ, quæ habet hoc loco : *Emit,* etc., *argenti siclis quinquaginta.* Quare prior sensus uti communior, ita simplicior et clarior est.

Vers. 25. 25. ET PROPITIATUS EST DOMINUS TERRÆ. — Signum hujus propitiationis fuit ignis a Deo e cœlo missus, qui hostias Davidis consumpsit et quasi ad Deum, cui offerebantur, assumpsit. Id patet ex lib. I *Paral.* XXI, 26, ubi dicitur : « Et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti. » Sic Deus ostendit sibi placere sacrificia Abelis, non Caini ; Aaronis, non Nadab ; Eliæ, non sacerdotum Baal, per ignem e cœlo in eorum victimas missum, *Gen.* IV, 4 ; *Levit.* IX, 24 ; III *Reg.* cap. XVI, vers. 29.

Simul hoc ignis signo ostendit Deus velle se eodem loco erigi a Salomone templum, in quo hostiæ sibi offerrentur, et igne cœlesti cremarentur, idque David populo nuntiavit, cum, ut dicitur I *Paral.* XXII, 1, ait : « Hæc est domus Dei, et hoc est altare in holocaustum Israel. » Unde mox latomos, ferrum, ligna cæteramque materiam ad fabricam templi necessariam comparavit, ut ibidem subditur. Audi Josephum, lib. VII, cap. XX : « David autem cum animadvertisset se exauditum et gratum fuisse sacrificium, decrevit totum illum locum, altare universi populi appellare, et Deo templum ibi exædificari. Quam ejus vocem Deus in futurum ratam esse voluit. Mox enim Propheta ad eum misso, illic templum exstruendum prædixit a filio, quem regni successorem esset relicturus. » Jam autem idipsum Deus revelaverat Davidi volenti ædificare templum, ut

dictum est cap. VII, scilicet se velle in monte Moria et Sion ædificari templum, sed hoc ipsum David hic populo annuntiavit, et locum ab Areuna emit 600 siclis, ut patet ex loco *Paral.* jam citato. Ita Pineda lib. *De Salomone*, cap. V, num. 31, et ex eo Salianus.

Hic terminantur acta politica Davidis, quæ scilicet spectant bella et regimen populi. Acta enim Ecclesiastica, et spiritualia hic omittuntur, uti sunt compositio Psalmorum; distributio Levitarum et sacerdotum, ad sacrificandum et psallendum; præparatio auri, argenti, æris, ferri, operarum ad fabricam templi, quæ proinde supplentur et fuse enarrantur I *Paral.* cap. XXIII, usque ad finem libri. Insuper in eodem libro, cap. XXVII, recensentur nomina præfectorum tum exercitus, tum tribuum, ac cæterorum officialium Davidis.

Hic ergo finitur liber secundus Regum, qui totus continet acta et gesta politica Davidis, ab inito regno usque ad finem vitæ. Ea per singulos ipsius annos apposite et probabiliter (nil enim certi hic definiri potest) distribuunt noster Salianus, Torniellus, Gordonus cæterique Chronologi, ex quibus hæc pauca sed præcipua accipe.

ANNI DAVIDIS.	ANNI SAMUELIS.	ANNI SAULIS.
Primus: nascitur David	undecimo anno Samuelis Judicis	Saul agros colit et pascit asinos.
Anno ætatis 13, David pacit oves,	qui fuit vigesimus tertius annus Samuelis Judicis,	quo Hebræi petunt regem. Saul creatur rex, et varia bella feliciter conficit.
Anno 20, a Samuele in regem privatim ungitur.	Samuel Saulem regno privat.	Saul a dæmone vexatur.
Anno 22, duellat cum Goliat eique caput amputat.	Samuel pergit judicare.	Saul Davidi invidet.
Anno 23, fit tribunus et gener Saulis.		
Anno 24, fugit ad Samuelem in Najoth.	Samuel prophetat.	Saul prophetat.
Anno 25, fugit in Ceilam : latet in deserto Engaddi.	Samuel luget lapsum Saulis.	Saul occidit sacerdotes in Nobe.
Anno 28, parcit Nabalo, et ducit Abigail.	Samuel moritur.	Saul persequitur Davidem.
Anno 30, vindicat cladem Siceleg : audit mortem Saulis.		Saul se occidit in Gelboe.
Anno 31, David creatur ungiturque rex Juda in Hebron.		Decem tribuum regem Abner constituit Isboseth Saulis filium.
Anno 38, ab omnibus tribubus rex creatur.		Isboseth dolose occiditur.
Anno 39, arcem Sionis expugnat, in eaque regni sedem locat.		
Anno 42, transfert Arcam in Sion, ante eam saltat, accipit oraculum de nascituro Salomone.		

Anno 43 et seq. bello superat Philistæos, Ammonitas, Syros, Idumæos.
Anno 48, Hanon regem Ammon ob violatos legatos castigat et subjugat.
Anno 50, Bethsabee violat, et Uriam occidit.
Anno 51, a Nathan correptus pœnitet.
Anno 52, nascitur Salomon. Amnon violat sororem suam Thamar.
Anno 54, Absalom occidit Amnon, fugitque in Gessur.
Anno 59, Absalom post quatuor annos exilii a regno, et duos ab aula patris, plane plenoque reconciliatur Davidi.
Anno 61 ætatis, qui fuit regni 31, Absalom regnum invadit, fugit David, prælium parat, cum Absalomo confligit et vincit; Absalom fugiens, capillis arbori implectitur, et tribus lanceis a Joab configitur.
Anno 63 ætatis, qui fuit regni 33, ob famen a Deo immissam David Gabaonitis tradit septem Saulis filios crucifigendos.

Anno 64 ætatis, qui fuit regni 34, quatuor bella cum Philistæis, cæsis totidem eorum gigantibus feliciter conficit. Narrantur cap. XXI, vers. 15 et sequentibus.

Anno 67 ætatis, qui fuit regni 37, lustrum agit totius populi : quare Deus immissa peste 70 millia occidit ; sed David supplicans et sacrificans in area Areuna Dei iram et pestem sedat.

Anno 69 ætatis, qui fuit regni 39, David Salomoni agenti annum ætatis 19, uxorem dat Naamam Ammonitidem, ex qua ipse eodem anno generat Roboam, qui ei post 40 annos in regno successit.

Anno 70 ætatis, qui fuit regni 40, David Salomonem regem constituit, ac paulo post moritur, qui fuit a mundo condito annus 2929, ante Romam conditam 270, ante Christi ortum 1021, juxta tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho. Hanc annorum Davidicorum seriem digessimus ex Annalibus Saliani, Gordoni et Tornielli, qui omnes eum anno ætatis 70 mortuum docent. Synchroni autem reges ei fuerunt : Codrus quidam apud Athenienses annis aliquot, inde Medon annis 20, postque eum Acastus : apud Assyrios, Dercilus, ac post eum Eupales ; apud Latinos Sylvius : Ixion apud Corinthios, ut ex Eusebio colligere est ; atque in his liber secundus Regum terminatur.

COMMENTARIA

IN

LIBRUM TERTIUM REGUM.

ARGUMENTUM.

Libro primo Regum audivimus acta duorum ultimorum Judicum, scilicet Heli pontificis et Samuelis prophetæ, ac gesta Saulis primi regis Israelis. Continet ergo primus liber chronologiam octoginta annorum : nam Heli præfuit Israeli annis 40, totidem Samuel et Saul simul. Hisce actis intexuntur gesta Davidis in adolescentia, antequam crearetur rex, nimirum unctio ejus in regem facta a Samuele, duellum cum Goliath, bellum cum Philistæis, fugæ et latebræ cum eum persequeretur Saul.

Libro secundo Regum audivimus acta Davidis ab inito regno usque ad ejus finem et mortem, quod fuit spatium 40 annorum; tot annis enim regnavit David.

Sequuntur jam duo libri ultimi, scilicet tertius et quartus Regum, qui gesta Salomonis cæterorumque Davidis posterorum Regum omnium enarrant, usque ad captivitatem Babylonicam, in qua a Nabuchodonosor et Chaldæis eversa est Jerusalem, Judæique traducti sunt in Babylonem, quod fuit spatium 430 annorum. Tot ergo annorum historia regum Israelis his duobus libris pertexitur, ideoque hi duo libri ab Hebræis proprie Regum, a Græcis, Regnorum vocantur, cum priores duo libri Samuelis appellentur (1).

(1) Liber iste tertius ultimus est librorum quos vocant Hebræi נביאים ראשנים *Prophetas priores*, qui ab ipsis dicitur מלכים א *Regum primus*; a Latinis *Regum tertius*, et a LXX βασιλειῶν V *Regnorum tertius*. Quod vero duos tantum posteriores regum appellant, priores Samuelis nomine insigniunt, hæc esse potuit ratio, quod et historiam duorum regum a Samuele unctorum duo primi libri contineant, et quæ tam in hoc de Saule quam in altero de Davide referuntur, Samuelis vera esse vaticinia comprobent.

ACCIPE HORUM REGUM ORDINEM, ÆQUE AC TEMPORIS QUO REGNARUNT SERIEM.

1. Salomon regnavit	40 annis,	III Reg. cap. XI, vers. 42.
2. Roboam ejus filius	17 annis,	III Reg. cap. XIV, vers. 21.
3. Abia	3 annis,	III Reg. cap. XV, vers. 2.
4. Asa	41 annis,	III Reg. cap. XV, vers. 10.
5. Josaphat	25 annis,	III Reg. cap. XXII, vers. 42.
6. Joram	8 annis, sed tribus cum patre, ac post eum solus quinque annis,	IV Reg. cap. VIII, vers. 17.
7. Ochozias	uno anno partim cum patre, partim solus,	IV Reg. cap. VIII, vers. 26.
8. Athalia	6 annis,	IV Reg. cap. XI, vers. 4.
9. Joas	40 annis,	IV Reg. cap. XII, vers. 1.
10. Amasias	29 annis,	IV Reg. cap. XIV, vers. 2.
11. Azarias, sive Ozias	52 annis,	IV Reg. cap. XV, vers. 2.
12. Joatham	16 annis,	IV Reg. cap. XV, vers. 33.
13. Achaz	16 annis,	IV Reg. cap. XVI, vers. 2.
14. Ezechias	29 annis,	IV Reg. cap. XVIII, vers. 2.
15. Manasses	55 annis,	IV Reg. cap. XXI, vers. 1.
16. Amon	2 annis,	IV Reg. cap. XXI, vers. 19.
17. Josias	31 annis,	IV Reg. cap. XXII, vers. 1.
18. Joachaz	tribus mensibus,	IV Reg. cap. XXIII, vers. 31.
19. Joakim	11 annis,	IV Reg. cap. XXIII, vers. 36.
20. Joachin	tribus mensibus,	IV Reg. cap. XXIV, vers. 8.
21. Sedecias	11 annis,	IV Reg. cap. XXIV, vers. 18.

Collige hos omnes annos et invenies 430, quos dixi hisce duobus libris pertractari.

Porro plerique horum regum fuere impii, pauci tamen pii, scilicet Josaphat, Joatham, Ezechias, Josias.

Rursum duodecim præcessere Romulum et Romam; hæc enim condi cœpit sub annum undecimum Joatham. Unde sequitur primos undecim reges præcessisse initium Olympiadum. Olympiades enim celebrari et computari cœperunt sub annum 40 Azariæ sive Oziæ: quare Olympiades 23 annis præcedunt conditionem Romæ, uti omnes Chronologi fatentur. Vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho. Favet S. Hieronymus, qui in cap. I *Isaiæ*, vers. 1, asserit Ezechiam regnare cœpisse anno 12 Romuli: ergo Romulus Romæ regnare cœpit anno 4 Achaz, qui fuit pater Ezechiæ. Illo igitur anno jam condita Roma; nimirum sub annum undecimum Joatham illa condi cœpit, duravitque ejus fabrica per septem vel octo annos, ita ut finita sit sub annum quartum Achaz, ac tum in ea regnare cœpit Romulus. Eusebius tamen paulo posterius hæc consignat, nimirum initium Olympiadum collocat anno 49 Azariæ, conditionem Romæ anno 5 Achaz. Alii aliter, sed exiguo paucorum annorum discrimine.

Auctorem libri tertii et quarti Regum fuisse Jeremiam, qui eos ex antiquis annalibus et diariis collegerit, censent Procopius, Isidorus, Abulensis et Rabbinus Moyses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis, libro I, unde et caput ultimum Jeremiæ idem est cum cap. ultimo libri IV *Regum*. Verum hac de re dixi in proœmio, lib. I (1).

Denique quia sub Roboam regnum Israelis, sive duodecim tribuum, scissum et divisum est in duo, nam decem tribus constituerunt sibi regem Jeroboam; sola vero tribus Juda cum Benjamin adhæsit regi Roboam: unde hoc regnum ejusque reges vocantur Juda, cæteri vero vocantur reges Israel sive duodecim tribuum, quorum pariter gesta his duobus ultimis Regum libris recensentur; hinc eorum pariter ordinem et tempus quo regnarunt subjiciam. Præfuerunt ipsi decem tribubus per annos 256. Nam cœperunt anno 1 Roboam, et destiterunt anno 6 Ezechiæ, quo, ut dicitur IV *Reg.* XVIII, 10, Samaria et regnum Israel eversum est a Salmanazar rege Assyriorum, ac decem tribus abductæ sunt in Assyriam. Quare hæc decem tribuum captivitas Assyriaca præcessit captivitatem Babylonicam, in qua Juda et Benjamin abductæ sunt in Babylonem anno ultimo Sedeciæ, annis 134.

(1) Pro certo a plurimis habetur auctorem istorum librorum non vixisse eo tempore quo evenere facta quæ ab ipso referuntur, et sat probabile illis videtur ab Esdra scriptos fuisse.

PRIMUS IGITUR REX ISRAEL SIVE DECEM TRIBUUM FUIT :

1. Jeroboam, qui regnavit	22 annis,	III Reg. cap. XIV, vers. 20.
2. Nadab	2 annis,	III Reg. cap. XV, vers. 25.
3. Baasa	24 annis,	III Reg. cap. XV, vers. 33.
4. Ela	2 annis,	III Reg. cap. XVI, vers. 8.
5. Zambri	septem diebus,	III Reg. cap. XVI, vers. 15.
6. Amri	12 annis,	III Reg. cap. XVI, vers. 23.
7. Achab	22 annis,	III Reg. cap. XVI, vers. 29.
8. Ochozias	2 annis,	III Reg. cap. XXII, vers. 52.
9. Joram	12 annis,	IV Reg. cap. III, vers. 1.
10. Jehu	28 annis,	IV Reg. cap. X, vers. 36.
11. Joachaz	17 annis,	IV Reg. cap. XIII, vers. 1.
12. Joas	16 annis,	IV Reg. cap. XIII, vers. 10.
13. Jeroboam	41 annis,	IV Reg. cap. XIV, vers. 23.
14. Zacharias	sex mensibus,	IV Reg. cap. XV, vers. 8.
15. Sellum	uno mense,	IV Reg. cap. XV, vers. 13.
16. Manahem	10 annis,	IV Reg. cap. XV, vers. 17.
17. Phaceia	2 annis,	IV Reg. cap. XV, vers. 23.
18. Phacee	20 annis,	IV Reg. cap. XV, vers. 27.
19. Osee	9 annis,	IV Reg. cap. XVII, vers. 1.

Addendum est interregnum undecim annorum quod inter Zachariam et Jeroboam intercessit, uti ostendam lib. IV *Reg.* XV, 8.

Denique hi reges Israel ad unum omnes impii fuere, utpote schismatici et idololatræ.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi seni frigido quæritur uxor puella. Mox, vers. 5, Adonias ambit invaditque regnum adjutus ab Abiathar Pontifice et Joab militum duce. Verum David ad preces Bethsabee, vers. 30, jubet per Sadoc Pontificem, Nathan Prophetam et Banaiam Ducem ungi et coronari regem Salomonem. Quare Adonias fugit ad altare; sed eum Salomon domum suam remittit.

1. Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies; cumque operiretur vestibus, non calefiebat. 2. Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sino suo, et calefaciat dominum nostrum regem. 3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem. 4. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei; rex vero non cognovit eam. 5. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. 7. Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. 8. Sadoc vero sacerdos, et Banaias filius Joiadæ, et Nathan propheta, et Semei et Rei, et robur exercitus David, non erat cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis, et universis pinguibus, juxta Lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis. 10. Nathan autem prophetam, et Banaiam, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum, non vocavit. 11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat? 12. Nunc ergo veni, accipe consilium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. 13. Vade, et ingredere ad regem David, et dic ei: Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos. 15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum; rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei. 16. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex: Quid tibi, inquit, vis? 17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo. 18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, Domine mi rex, ignorante. 19. Mactavit boves, et pinguia quæque et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ; Salomonem autem servum tuum non vocavit. 20. Verumtamen, domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. 21. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores. 22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. 23. Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, et adorasset eum pronus in terram, 24. dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum? 25. Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pinguia, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis, et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, et bibentibus coram eo, et dicentibus:

Vivat rex Adonias? 26. Me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaiam filium Joiadæ, et Salomonem famulum tuum, non vocavit. 27. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? 28. Et respondit rex David, dicens : Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, 29. juravit rex, et ait : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 30. quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me, sic faciam hodie. 31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens : Vivat dominus meus David in æternum ! 32. Dixit quoque rex David : Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, 33. dixit ad eos : Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gihon. 34. Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, in regem super Israel; et canetis buccina, atque dicetis : Vivat rex Salomon ! 35. Et ascendetis post eum, et veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me, illique præcipiam ut sit dux super Israel et super Judam. 36. Et respondit Banaias, filius Joiadæ, regi, dicens : Amen : sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. 38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banaias filius Joiadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem ; et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus : Vivat rex Salomon ! 40. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum. 41. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat; sed et Joab, audita voce tubæ, ait : Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit; cui dixit Adonias : Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. 43. Responditque Jonathas Adoniæ : Nequaquam ; dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem, 44. misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis. 45. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gihon, et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas; hæc est vox quam audistis. 46. Sed et Salomon sedet super solium regni. 47. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo; 48. et locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, et ivit unusquisque in viam suam. 50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes : Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens : Juret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio. 52. Dixitque Salomon : Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram ; sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 53. Misit ergo rex Salomon, et eduxit eum ab altari, et ingressus adoravit regem Salomonem; dixitque ei Salomon : Vade in domum tuam.

Vers. 1. 1. ET REX DAVID SENUERAT. — Erat 70 annorum, quæ etiam tum erat periodus et terminus communis vitæ humanæ, ut ipse ait *Psalm.* LXXXIX, 10, dicens : « Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni; » qui etiamnum est terminus vitæ hominis : quare ab ætate Davidis huc usque (quod est spatium 2600 annorum) vix decrevit hominum ætas et vita.

Vers. 2. 2. CUMQUE OPERIRETUR VESTIBUS NON CALEFIEBAT. — Fabulantur Rabbini hanc pœnam a Deo inflic-

tam fuisse Davidi; eo quod ipse in spelunca clam resecuisset vestem Saulis regis sui se persequentis, I *Reg.* XXIV. Alii causam frigiditatis assignant quod a parentibus senibus et frigidis ultimo loco esset genitus. Verum Scriptura hic causam dat ætatem senilem : « Habebat, ait, ætatis plurimos dies, » atque illos in continuis ærumnis, bellis, laboribus expenderat, viresque exhauserat. Addit Abulensis eum morbo fuisse afflictum.

Vers. 3. Cur Abisag data Davidi ?

3. QUÆSIERUNT IGITUR ADOLESCENTULAM. — Hujus historiæ naturalem medicam causam dat Gelenus et Franciscus Valesius medicus Philippi I, regis Hispaniæ. Causam moralem assignat S. Hieronymus; tropologicam S. Prosper. Audi Valesium, *Sacræ Philosophiæ* cap. XXIX. Suaserunt, inquit, Davidi adolescentulam potius quam vinum aut vestes pelliceas accipere, quia ille calor humanus in substantia est simillimus calori hominis naturali, ejusque gradum non superat. Unde Galenus, lib. VII *Methodi,* ubi imbecillitatem frigidi et sicci ventris curat, ait : « Ex iis vero quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus una sit accubans, ut semper abdomen ejus contingat; » quod, ut ait Valesius, in ea ætate Davidis effectum est, qua non potuerit virginem cognoscere; alioqui multo magis eum læsisset congressus et copula maritalis, quam contulisset admotio adolescentulæ. Sic Rudolphus Habspurgensis, primus Austriacæ familiæ Imperator, solebat, inquit Serarius ex Cuspino, filiolas nobilium et principum, etiam uxores, ipsis præsentibus caste osculari, quod hectica febre et senio confectus diceret se suaveolentes spiritus ex earum ore haurire. Hæc ergo est litteralis et communis expositio Abulensis, Dionysii, Lyrani, Serarii, Saliani, Sanchez, etc.

Causa litteralis.

Moralis.

Moralem dat causam S. Hieronymus, epist. 2 *ad Nepotianum* : « Nonne, ait, tibi videtur, si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de mimo vel Atellanarum ludicra? frigidus senex obvolvitur vestimentis, et nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Vivebat adhuc Bethsabee, supererat Abigail, et reliquæ uxores ejus, et concubinæ, quas Scriptura commemorat; omnes quasi frigidæ repudiantur, et in unius tantum grandævus calescit amplexibus. Abraham multo David senior fuit, et tamen vivente Sara aliam non quæsivit uxorem; Isaac duplices David annos habuit, et cum Rebecca jam vetula nunquam friguit. » Ubi adverte S. Hieronymum, æque ac Angelomum et alios, elevare hic, et quasi evertere sensum litteralem, qui omnino loco fundamenti statuendus est : quare hisce verbis tantum significant litteralem ut minus utilem hic obiter prætereundum esse, ac morali, qui præcipuus est, inhærendum, quem sic assignat ibidem S. Hieronymus : « Quæ est igitur ista Sunamitis uxor et virgo, tam fervens ut frigidum calefaceret, tam sancta ut calentem ad libidinem non provocaret? Exponat Salomon sapientissimus patris sui delicias, et pacificus bellatoris viri narret amplexus. Posside sapientiam, posside intelligentiam. Ne obliviscaris ac ne declinaveris a verbis oris mei, neque derelinquas illam, et apprehendet te; ama illam, et servabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tua posside intelligentiam; circumda illam, et exaltabit te; honora illam, et amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarum. Corona quoque deliciarum proteget te; omnes quoque virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia decrescunt cætera. »

Probat idipsum ex etymologia nominis Abisag et Sunamitis, dum post plura subjicit : « Sed et ipsius nominis Abisag sacramentum, sapientiam senum indicat ampliorem; interpretatur enim pater meus superfluus, vel patris mei rugitus : verbum superflui ambiguum est, sed in præsenti loco virtutem sonat, quod amplior sit in senibus, et redundans ac larga sapientia. In alio autem loco superfluus, quasi non necessarius ponitur. Abisag autem, id est rugitus, proprie nuncupatur; quod ut maris fluctus resonat, et, ut ita dicam, de pelago veniens fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimum, et ultra humanam vocem divini sermonis in senibus tonitruum commorari. Porro Sunamitis in lingua nostra coccinea dicitur, ut significet calere sapientiam, et divina lectione fervere; quod licet Dominici sanguinis indicet Sacramentum, tamen et fervorem ostendit sapientiæ : » unde optando concludit : « Amplexetur me modo sapientia; et Abisag nostra, quæ nunquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ et quæ in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet semperque parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse Apostolum : Spiritu ferventes. »

Hæc omnia ad verbum ex S. Hieronymo transcripsit Angelomus, qui et addit : Hinc Dominus ait *Lucæ* XII : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? qui discipulorum corda succendens cogebat dicere : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas? Hanc siquidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliorem; non pueriles declamationes, et sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia. » Deinde idipsum probat exemplis Philosophorum : « Si enim Cato, inquit, Romani generis disertissimus (ut quidam doctorum protulit), octogenarius jam et senex Græcas litteras nec erubuerit, nec discere desperaverit; et si certe, ut aiunt, Homerus refert, quod de lingua Nestoris jam vetuli et pene decrepiti dulcior melle oratio fluxerit; et sapiens quidam Græciæ, cum completis centum et septem annis se cerneret mori, dixisse fertur, dolere quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset; Plato etiam octogesimo anno scribens mortuus est; Socrates septuaginta et novem annos in docendi scri-

bendique labore complevit : quanto magis, calescente corporis juventute inter bella corporis et inter incentiva vitiorum sapientiam ediscere debemus; ut in senectute etiam frigescentibus, in sinu mentis nostræ requiescat, et foveat dormiatque nobiscum, imo cibum spiritalis intelligentiæ nobis ministret! Potest nimirum etiam ista mulier contemplativæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes, in ejus dilectione flammescunt. » David ergo ducit Abisag, quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam « Abisag, » interprete D. Hieronymo proxime citato, idem est quod « abundans » et quod « rugitus. » « In senibus autem, inquit, abundantissimum et ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur. »

Tropologica. Tropologicam causam dat S. Prosper, lib. II *Prædestinat.* cap. XXVII. « Abisag, ait, significat animam Dei gratia castitatis calore succensam, quæ frigidas in fide potentias, ut membra regis magni suo accendit affectu. »

Symbolica. Symbolicam dat Angelomus et Rupertus : David, inquiunt, id est Christus, mortua et rejecta veteri Synagoga Judæorum, despondit sibi adolescentulam Abisag, id est Ecclesiam novam Christianorum : « Et tanto ardore fidei in ejus dilectione caluit, ut propter illius amorem variis periculis se ultro committeret, et ad ultimum pro ejus nomine mori non recusaret. »

Vers. 4. 4. ERAT AUTEM PUELLA PULCHRA NIMIS. — Physici tradunt, ait Dionysius, puellas virgines calidiores esse corruptis quæ pepererunt, pulchras quoque plus movere appetitum, et adducendo hilaritatem calorem naturalem exsuscitare; etiam citra venereum congressum. Plura hac de re vide apud Abulensem, *Quæst.* IV et V.

DORMIEBATQUE CUM REGE, ET MINISTRABAT EI. — Quæres, an Abisag fuerit uxor Davidis, an ancilla? Uxorem fuisse negat Abulensis, cap. II, *Quæst.* XXIII, probatque *primo*, quia si fuisset uxor Davidis, Adonias ejus filius non potuisset, nec ausus fuisset eam sibi poscere uxorem : hoc enim vetitum est *Levit.* XVIII, 7, quod tamen ipse fecit, cap. II, 17.

Secundo, quia David frigidus impotens erat ad copulam conjugalem; ergo inhabilis ad contrahendum matrimonium.

Abisag fuit uxor Davidis. Verum Abisag fuisse uxorem Davidis passim docent cæteri Interpretes, ut S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Angelomus, Lyranus, Dionysius, Serarius, Cajetanus, Salianus et Pineda, lib. V *De Salomone*, cap. I, numer. 4. Hoc enim insinuat Scriptura cum ait : « Dormiebatque cum rege, etc., et non cognovit eam; » *q. d.* Poterat eam cognoscere ut maritus, sed reipsa non cognovit utpote frigidus et inhabilis ad generandum. Adde, honestas hoc exigebat, ut non dormiret cum muliere, nisi quæ esset uxor; ut scilicet periculum tentationis et adulterii evitaret, si tentatio copulæ in præsentia virginis tam pulchræ eum invasisset.

Ad primum argumentum Abulensis respondet Cajetanus legem illam Levitici, ut filius non ducat uxorem patris, intelligi de ea quæ perfecte fuit uxor, nimirum quæ per copulam matrimonium cum eo consummavit : aut certe Adoniam fuisse legis hujus ignarum, eo quod esset laicus, et juvenis aulicus, regisque filius; qui non tam legem quam regnum spectabat, ideoque Abisag petiit uxorem, ut per eam quasi patris uxorem et reginam in regnum evaderet, patrique succederet; quod non potuisset sperare, si Abisag Davidis fuisset ancilla duntaxat, non uxor. Verum hac de re plura dicam cap. II, 17.

Ad secundum respondet Davidem non fuisse natura frigidum aut impotentem ad copulam, imo potuisse uti actu conjugali; hoc enim insinuat Scriptura cum ait : « Et non cognovit eam; » quasi dicat : Potuit eam cognoscere, at reipsa non cognovit, ne ei virginitatem adimeret, sed conservaret. Multi enim frigidæ complexionis potentes sunt ad actum conjugii. Unde in senibus et sterilibus, non est impotentia impediens et irritans matrimonium.

Pro quo nota : In senibus, qui ita frigidi et exhausti sunt, ut nec natura nec arte juvari possint ad emittendum semen, nullum est matrimonium si quod ineant; at vero in senibus, qui seminare possunt, licet non generare, eo quod semen eorum ineptum sit ad generandum, validum est matrimonium, uti docet Sylvester verbo *Matrimonium*, Scotus et Dominicus de Soto in IV tractat. *De Matrimon.*, Sanchez et alii : sed hoc vitium et impotentia seminandi rara est. Unde Ecclesia ordinarie concedit senibus etiam decrepitis facultatem contrahendi matrimonium. Vide nostrum Thomam Sanchez tract. *De Matrimon.*, lib VII, disp. XCII, num. 19 et seq.; imo Navarrus, Vega et alii opinantur semper in senibus valere contractum matrimonii, eo quod ipsi retineant potentiam intrinsecam seminandi, et per accidens sit, quod illa senio impediatur ne in actum exire queat. Sed verius est, quod ait Sanchez et alii, ad matrimonium requiri veram et propriam potentiam ad copulam conjugalem, quæ fit per seminationem.

Vers. 5. 5. ADONIAS AUTEM FILIUS HAGGITH ELEVABATUR DICENS : EGO REGNABO, — quia ipse licet esset quartus Davidis filius, mortuis tamen jam tribus primis Davidis filiis, erat ejus primogenitus; unde jure primogenituræ videbatur ad eum regnum spectare; sed quia illud superbe ambivit et præpropere adiit, idcirco eodem excidit, illudque Salomon animi sui modestia meruit obtinere, ad se translata primogenituræ dignitate et honore. Unde S. Ambrosius, *Apolog.* 1 *de David.* cap. V : « Eousque, inquit, præcavit David, ut cum Adoniam filium regnum sibi usurpare comperisset, conventus, non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui exspectaret, eligeret. » Sciebat enim Salomoni deberi regnum ex Dei ordinatione et decreto; hoc enim ei Deus revelarat, lib. II, cap. VII, 12, ideo-

que David Bethsabee jurarat quod ejus filium Salomonem ad regnum eveheret.

Vers. 10. 10. ET SALOMONEM FRATREM SUUM NON VOCAVIT,— utpote suum in regno æmulum. Sciebat enim ei a Davide et a Deo promissum esse regnum, ideoque illud ei præripere satagebat.

Vers. 21. 21. ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES, — *q. d.* Ego et Salomon habebimur, et ab Adonia puniemur ut peccatores et rebelles, eo quod ipsi regnum invadenti non consenserimus. Rursum « peccatores » ob adulterium, quod olim tecum commisi; hujus enim peccati infamia ab Adonia renovabatur et exaggerabatur, ut Salomonem regno privaret, dicendo populo : Cavete ne Salomonem, utpote adulteræ filium, ideoque infamem vobis regem creetis. Ita Cajetanus. Unde S. Hieronymus in *Tradit.* legit : « Erimus manzeres, » id est, habebimur spurii et infames.

Vers. 36. 36. SIC LOQUATUR DOMINUS DEUS, — *q. d.* Approbet et confirmet Deus id quod tu loqueris, scilicet ut Salomon tibi in regno succedat.

Vers. 39. 39. SUMPSITQUE SADOC SACERDOS CORNU OLEI DE TABERNACULO (erat ergo oleum hoc sacrum, quo ungendus et consecrandus erat rex Salomon), ET UNXIT SALOMONEM.— Nota : Unctio regum Juda ordinarie videtur facta a Pontifice oleo sancto. Id probatur, quia de Davide dicitur : « Oleo sancto meo unxi eum, » *Psalm.* LXXXVIII, 21. Idem patet de Salomone, quem hic unxit Sadoc oleo tabernaculi quod erat sanctum. Erant enim reges quasi christi Domini, utpote vice Dei duces et rectores populi Dei fidelis et sancti. Extraordinarie tamen a Propheta aliqui uncti sunt, et tum subinde usi videntur oleo non tabernaculi, sed alio communi, quod tamen a Propheta benedictum videtur, v. g. si a templo, ubi erat hoc oleum, longius abesset, uti Elias aberat agens in Samaria et monte Carmelo, cum misit Elisæum ut ungeret Hazael Damasci, et Jehu in Ramoth Galaad; imo communiter reges Israel, utpote schismatici et hostes Juda, videntur uncti oleo non tabernaculi, quod erat in Jerusalem, sed alio. Sic Absalom, II *Reg.* cap. XIX, 10, unctus est, sed non oleo sancto, utpote in rebellione absente Pontifice, et fugiente cum David. Josue quoque non fuit unctione, sed impositione manuum consecratus a Mose dux populi, *Numer.* cap. XXVII.

Reges Juda oleo sancto uncti.

Porro David, ait Abulensis, in prima unctione non fuit a Samuele unctus oleo sancto, quia privata fuit hæc unctio; et si Saul illam rescisset, omnes male mulctasset : nec in secunda, cum a tribu Juda fuit unctus in Hebron; quia tunc tabernaculum, in quo erat oleum sanctum, erat in Gabaon, ubi regnabat Isboseth hostis Davidis : sed in tertia, cum a toto Israele fuit unctus acceptusque in regem.

Denique alio oleo ungebantur reges, alio Pontifices et sacerdotes; reges enim oleo simplici, sacerdotes vero oleo composito ex aromatibus, scilicet ex myrrha, cinnamomo, casia, calamo, quæ oleo olivarum miscebantur, ut patet *Exodi* cap. XXX, 23 et 31 ac 32, ubi hoc oleum vocatur sanctum, vetaturque sub pœna capitis ne quis laicus eo ungatur. Quare rex eo ungi non poterat, sed oleo laico et vulgari, quod tamen dicebatur sanctum, quia e sancto tabernaculo acceptum, et certo aliquo ritu sanctificatum ad ungendum regem fidelem, qui populo Dei imperaret, a Pontifice consecrato adhibebatur. Longe ergo sanctior erat consecratio sacerdotum, quam regum, ut patet ex ejus ritu, qui describitur toto capite XXIX *Exodi*, et VIII *Levitici*. Ita censent Oleaster, Cajetanus, Ystella et Lipomanus in *Exodi* XXX, et favet S. Augustinus, *Quæst.* CXXXV *in Exodum*, ac Lorinus *in Psal.* LXXXVIII, 21. Contrarium tamen opinantur Rabbini, quos citat et sequitur Genebrardus *in Psal.* LXXXVIII, 21, Lyranus, Dionysius hic et Isidorus, lib. III *De Officiis*, cap. XXV, qui censent eodem oleo unctos fuisse Davidem et Salomonem eorumque posteros, quo ungebantur Pontifices. Aiunt enim ex Samuelis et prophetarum illius sæculi consilio dispensatum fuisse in lege id vetante, *Exodi* cap. XXX, XXXI et XXXII, cum regibus Davidicæ familiæ, in Christi Domini ex ea orituri gratiam, cujus spiritualis et divinæ unctionis illa exterior typus fuit, et cujus tum illi, tum postea etiam reges omnes cognoscerent se vicarios et ministros esse. Addit Isidorus eos idcirco cognominatos esse Christos, quia eodem chrismate quo Sacerdotes ungerentur, ut ideo nefas esset illos tangere, *Psal.* CIV, 15. Idem censet Pineda, lib. II *De Salomone*, cap. VI, et Barradius, tom. II, lib. III, cap. XLI. Verum hi omnes nituntur traditione Hebræorum, quæ sæpe falsa est et fallax, præsertim hoc loco, ubi fingit dispensationem legi Dei directe contrariam. Quare prior sententia, uti S. Scripturæ conformior, sic et verior est.

An sacerdotali?

Denique hac unctione significabatur regem debere induere misericordiam, cæterasque virtutes, quæ oleo repræsentantur, seque debere subditorum esse medicum, ut ait Isaias cap. III, 7. Vide de Christianorum regum unctione nostrum Joannem Azor, tom. II *Instit. moral.* lib. X, cap. V, Quæst. I, art. 3, et lib. XI, cap. V, Quæst. III.

Quæres, quot annorum erat Salomon cum unctus fuit in regem? Hebræi tradunt eum fuisse duodecim annorum. Hebræos secutus est S. Ignatius, epist. *ad Magnesianos*; S. Hieronymus, epist. 132 *ad Vitalem;* Eusebius, lib. IX *De Præpar.* cap. IV; Clemens Romanus, lib. II *Constit. Apost.* cap. I; Cedrenus, Zonaras, Abulensis et Serarius. Rursum Josephus ait Salomonem regem creatum anno ætatis 14. Serverus Sulpitius vero anno 16, Josephus enim, lib. VIII, cap. II, in fine, ait Salomonem vixisse 94 annis, regnasse 80; cœpit ergo regnare anno ætatis 14. Sed hic manifestus est error.

Salomon 20 annorum creatur rex.

Dico igitur Salomonem, cum rex creatus est, fuisse viginti annorum. Probatur, quia jam uxorem duxerat, et ex ea genuerat Roboam; hic

enim, cum post 40 annos ei in regnum successit, erat 41 annorum; ergo uno antequam pater regnaret, ab eo genitus fuit. Quod enim Rabbini et eorum sequaces dicunt, Salomonem genuisse Roboam anno ætatis duodecimo, incredibile est, et communiter habetur impossibile. Et quis credat sapientissimum Davidem uxorem dedisse Salomoni non nisi duodeno?

Secundo, quia David eum vocat virum cap. II, 9, dicens : « Vir sapiens es, ut scias quæ facies ei. »

Tertio, quia Salomon mortuus est senex, et in senectute corruptus fuit a feminis. Ergo fuit tunc circiter 60 annorum. Ipse autem 40 annis regnavit. Igitur creatus est rex anno ætatis vigesimo. Ita Lyranus, Torniellus, Gordonus, Salianus, Pineda, lib. VIII, cap. IV, et alii, qui censent Salomonem ineuntem regnum fuisse 20 vel plurium annorum. Natus ergo est Salomon paulo post adulterium Davidis, cum ipse ageret annum ætatis quinquagesimum, ut ostendi II *Regum* cap. XII, vers. 24. Si enim regnare cœpisset anno 12, mortuus esset anno 52; quæ ætas est virilis, non senilis.

Dices : I *Paral.* XXIX, 1, Salomon vocatur « puer. » Respondeo « puer, » id est juvenis, ut vertunt Septuaginta, quia respectu templi tam magnifici quod fabricare debebat Deo, erat instar pueri ad tantum opus.

Vers. 39. 39. ET DIXIT OMNIS POPULUS : VIVAT REX SALOMON! — Hinc patet Salomonem publice unctum, et a toto populo acceptum in regem illico reipsa regnare cœpisse, ac Davidem jam senio fessum regnum regnique administrationem in eum transtulisse. Id docent sequentia. Nam mox Salomon ut rex Adoniæ pepercit, eumque domum remisit. Unde S. Ambrosius, lib. III *in Lucam;* S. Augustinus, lib. XVII *De Civitat.* cap. VIII; S. Hieronymus, *epist.* 132; Severus Sulpitius et alii asserunt Salomonem vivente adhuc patre regnare cœpisse, ac diserte Josephus, lib. VII, cap. X, in fine : « Deducto, inquit, deinde in regiam Salomone, et in solio paterno collocato, ex ea die in posterum obedientes ei fuerunt. »

Symbolice Rupertus : « Vivente adhuc patre, inquit, rex Salomon constituitur; quia profecto Deus Pater, qui Christum constituit regem hæredem universorum, nunquam mortuus, nunquam est moriturus. »

Porro ita David transtulit regnum in Salomonem, ut tamen ipse auctoritatem et jus regium, æque ac onus curamque regni non deposuerit, sed usque ad mortem retinuerit, ita tamen ut Salomonem secum regnare permiserit, et in eum multa regni negotia transmiserit. Id patet ex cap. II, ubi David moriens multa mandata dat Salomoni.

Vers. 45. 45. UNXERUNTQUE EUM SADOC SACERDOS (summus, scilicet Pontifex) ET NATHAN PROPHETA REGEM IN GIHON. — Gihon erat mons, et in eo fons vicinus monti Calvariæ, in quo Christus crucifixus « regnavit a ligno Deus, » ut ex Septuaginta canit Ecclesia. Unde in cruce hunc ei Pilatus dedit titulum : « Jesus Nazarenus rex Judæorum. » Hoc ergo Christi ex se nasciturі regnum præfiguravit hic Salomon unctus in Gihon : Salomon enim, id est pacificus rex, expressus fuit typus Christi, qui est « Pax nostra, qui fecit utraque unum, » *Ephes.* II, 14 : scilicet tam Judæos quam Gentes in seipso uniens et reconcilians Deo. Porro Salomonis nomen sibi usurparunt Turcarum Imperatores, a Salomone dicti Selymi et Solimanni; Germanorum Friderici (*fridericus* enim Germanice idem est quod *pacis dives*); Græcorum Irene et Irenæi.

Denique bis unctus fuit Salomon : *primo*, hic coram tribu Juda subito et tumultuarie, ut a regno excluderet Adoniam; *secundo*, publice coram toto Israele, ut is eum regem acceptaret, quem ad hoc paulo ante mortem convocavit David, quando et Sadoc unctus est in pontificem, ut expresse dicitur I *Paral.* XXIX, 22. Cœpit regnare Salomon anno mundi 2930, ante Romam conditam anno 269, ante ortum Christi 1020, juxta tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho.

Vers. 47. 47. ET INGRESSI SERVI REGIS BENEDIXERUNT DOMINO NOSTRO REGI DAVID DICENTES : AMPLIFICET DEUS NOMEN SALOMONIS SUPER NOMEN TUUM, ET MAGNIFICET THRONUM EJUS SUPER THRONUM TUUM. — Sciebant hoc Davidi non fore invidiosum, sed gratum et optatum. Optant enim parentes ut filii opibus et gloria crescant, ac a se relicta superent. Crescente enim gloria filii crescit et gloria patris. Porro voto huic populi respondit eventus : Salomon enim Davidem regni amplitudine, opibus, deliciis, magnificentia, sapientia et gloria superavit, at non virtute et sanctitate, saltem in senecta. Sic Honorio Imperatori accinit Claudianus in quarto ejus Consulatu :

> Aspice, completur votum, jam natus adæquat
> Te meritis, et quod magis est optabile, vincit.

Et Sidonius Apollinaris, lib. VIII, epistol. 7 *Audaci Præfecto* : « Deum posco, inquit, ut te filii consequantur, aut, quod magis decet velle, transcendant. » Vide Senecam, lib. III *De Beneficiis*, cap. XXXVI et XXXVII, ubi et varia filiorum exempla recenset, qui parentes suos virtute et beneficiis vicerunt, ac posteros ut idem faciant adhortatur, additque : « Felices qui vicerint, felices qui vincentur. » Et causam dat : « Natura enim gloriosa virtus est, et anteire priores cupit. »

Porro I *Paral.* XXIX, 24, additur : « Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi. » Hebraice habetur : *Dederunt manum sub Salomone rege.* Vulgata exponendo addidit, « subjecti fuerunt, » ut illa porrectio manusfuerit in signum subjectionis; *secundo*, « dederunt manum, » id est, data manu fidelitatem promiserunt Salomoni, ait Lyranus; *tertio*, « dederunt manum, » in signum gratulationis et exultationis, congratulantes scilicet Salomoni fratri suo de adepto regno.

ET ADORAVIT REX IN LECTULO SUO, — *q. d.* David Deum adorans laudavit eique gratias egit, quod dedisset sibi ante mortem videre successorem filium Salomonem sedentem in throno regio cum tanto populi applausu.

Vers. 52. 52. SI FUERIT VIR BONUS, NON CADET NE UNUS QUIDEM CAPILLUS EJUS IN TERRAM, — *q. d.* Si Adonias deinceps probe, fideliter et obedienter se erga me gesserit, ut me regem agnoscat, nec quid rebellionis contra me moliatur, condonabo ei quod regnum invaserit, nec quid mali ei inferam. Sin autem rursum per artes et insidias regnum ambiverit, puniam eum pro meritis. Et quia hoc fecit Adonias, ideo a Salomone occisus est, ut audiemus capite sequenti.

53. VADE IN DOMUM TUAM. — Sunt verba Salo- Vers. 53
monis Adoniæ suboffensi, ejusque ambitionem castigantis, ac minitantis si quid novi moliatur justum supplicium, *q. d.* Ego tibi, o Adonia, hac vice ambitionem tuam et injuriam mihi illatam condono; sed si deinceps quid tale attentaris, scito me hujus injuriæ memorem fore, ac te pro utraque acrius castigaturum. Vade ergo in domum tuam, ibi quiesce, et res tuas age, nec te publicis regni mei negotiis immisceas, alioqui justam meam vindictam experieris.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David moriturus ultima Salomoni dat monita. Primum, ut Dei præcepta observet; sic enim in regno fore felicem; secundum, ut scelera Joab et Semei castiget; tertium, ut filiis Berzellai sibi benefici gratiam rependat. Denique mortuo Davide regnat Salomon, vers. 11, *qui Adoniam petentem Abisag sibi dari in uxorem jubet occidi. Mox, vers.* 26, *Abiathar Pontificem cum Adonia conspirantem ablegat in Anatoth, et vers.* 28, *mandat trucidari Joab, denique, vers.* 36, *Semei sua jussa violantem necari imperat.*

1. Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens : 2. Ego ingredior viam universæ terræ; confortare et esto vir. 3. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi; ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris; 4. ut confirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me, dicens : Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. 5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, et Amasæ filio Jether, quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo quod erat in pedibus ejus. 6. Facies ergo juxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos. 7. Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua; occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Absalom fratris tui. 8. Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Bathurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra; sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum, dicens : Non te interficiam gladio; 9. tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos. 10. Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. 11. Dies autem quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt : in Hebron regnavit septem annis; in Jerusalem, triginta tribus. 12. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis. 13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei : Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit : Pacificus. 14. Addiditque : Sermo mihi est ad te. Cui ait : Loquere. Et ille : 15. Tu, inquit, nosti quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israel sibi in regem; sed translatum est regnum, et factum est fratris mei; a Domino enim constitutum est ei. 16. Nunc ergo petitionem unam precor a te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum : Loquere. 17. Et ille

ait : Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem. 18. Et ait Bethsabee : Bene, ego loquar pro te regi. 19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia; et surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum; positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. 20. Dixitque ei : Petitionem unam parvulam ego deprecor a te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex : Pete, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam. 21. Quæ ait : Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. 22. Respondítque rex Salomon et dixit matri suæ : Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei et regnum ; ipse est enim frater meus major me, et habet Abiathar sacerdotem et Joab filium Sarviæ. 23. Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. 24. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias. 25. Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filii Joiadæ, qui interfecit eum, et mortuus est. 26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex : Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es; sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus in quibus laboravit pater meus. 27. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo. 28. Venit autem nuntius ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset; fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Joab in tabernaculum Domini, et esset juxta altare; misitque Salomon Banaiam filium Joiadæ, dicens : Vade, interfice eum. 30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, et dixit ei : Hæc dicit rex : Egredere. Qui ait : Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiavit Banaias regi sermonem, dicens : Hæc locutus est Joab, et hæc respondit mihi. 31. Dixitque ei rex : Fac sicut locutus est, et interfice eum, et sepeli, et amovebis sanguinem innocentem qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei. 32. Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, melioresque se; et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasam filium Jether principem exercitus Juda : 33. et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus in sempiternum. David autem et semini ejus, et domui in throno illius, sit pax usque in æternum a Domino. 34. Ascendit itaque Banaias filius Joiadæ, et aggressus eum interfecit, sepultusque est in domo sua in deserto. 35. Et constituit rex Banaiam filium Joiadæ pro eo super exercitum, et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. 36. Misit quoque rex, et vocavit Semei, dixitque ei : Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi; et non egredieris inde huc atque illuc. 37. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum : sanguis tuus erit super caput tuum. 38. Dixitque Semei regi : Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis. 39. Factum est autem post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth; nuntiatumque est Semei, quod servi ejus issent in Geth. 40. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum, ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum est autem Salomoni quod isset Semei in Geth de Jerusalem, et rediisset. 42. Et mittens vocavit eum, dixitque illi : Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi : Quacumque die egressus, ieris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi : Bonus sermo quem audivi. 43. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, et præceptum quod præceperam tibi? 44. Dixitque rex ad Semei : Tu nosti omne malum cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo : reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.

45. Et rex Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. 46. Jussit itaque rex Banaiæ filio Joiadæ, qui egressus, percussit eum, et mortuus est.

Vers. 2. 2. EGO INGREDIOR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ, — id est omnium terrigenarum, sive hominum omnium in terra habitantium, *q. d.* Ego tendo ad mortem, uti cæteri homines qui terram incolunt, ut a terra e qua plasmatus sum in terram et pulverem redeam. Est metonymia significans idem quod alibi dicitur : « Ego ingredior viam universæ carnis, » id est viam mortis, quam ingrediuntur omnes qui carne constant. Salubris est hæc mortis et sepulcri memoria, juxta illud *Eccles.* cap. VII, vers. 40 : « In omnibus operibus memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Et cap. XIV, vers. 12 : « Memor esto quoniam mors non tardat, etc., testamentum enim hujus mundi est, » quod omnis homo « morte morietur. » Simili modo S. Antonius moriturus, teste S. Athanasio, ait discipulis : « Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, patrum gradior viam. Jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia, sed vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, et cœpta voluntatis fortitudo succrescat. » Et S. Paulus primus Eremita sub mortem Dei instinctu visitatus a S. Antonio, teste S. Hieronymo : « En, inquit, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem pulverem mox futurum. » Et paulo post : « Quia dormitionis meæ tempus advenit, et quod semper cupiebam, dissolvi et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ; tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imo terræ terram reddas. » Et S. Maria Ægyptiaca ad Zosimam : « Sepeli, inquit, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, et pulveri adjice pulverem. Ora tamen Dominum pro me. » Et Barlaam ad Josaphat : « Non jam, inquit, charissime fili, nos in hac vita eadem domus ac mensa conjunget. Jam enim ultimam patrum meorum viam ingredior. Quocirca tibi faciendum est, ut per mandatorum divinorum observationem, atque in hoc loco ad extremum usque vitæ diem commorationem, tui erga me amoris specimen exhibeas; sic nimirum vitæ tuæ rationes instituens quemadmodum didicisti, nec unquam abjectæ atque ignavæ animæ meæ memoriam intermittens. Multum itaque vale, atque in Christo delectare et exsulta; quoniam terrena et interitui obnoxia cum sempiternis et ab interitu alienis bonis commutasti, ac propinqua est operum tuorum merces, ac jam jamque adest qui mercedem refert. » Ita Damascenus in eorum historia.

Memoria mortis salubris.

Exempla.

Vers. 3. 3. ET OBSERVA CUSTODIAS DOMINI DEI TUI. — « Custodias, » id est, præcepta quæ Deus a te et cæteris observari et custodiri jussit. Patet ex sequentibus. *Custodiæ* ergo vocantur hic res custodiendæ, per metonymiam.

UT INTELLIGAS UNIVERSA QUÆ FACIS, — hoc est, ut intelligenter et prudenter agas quæcumque ages; hoc enim significat Hebraica vox תשכל *taschekil*, unde Chaldæus vertit, *ut prospera reddas omnia quæ feceris*; alii, *ut felix sis in omnibus quæ agis*. Qui enim prudenter sua agit, hic prospere ea agit. Prudentia enim est mater prosperitatis et felicitatis, sicut imprudentia infelicitatis.

Vers. 5. 5. ET EFFUDIT SANGUINEM BELLI (qui scilicet poterat esse causa belli) IN PACE, ET POSUIT CRUOREM PRÆLII IN BALTEO SUO, etc., ET IN CALCEAMENTO SUO, — *q. d.* Joab proditorie occidit Abner et Amasam, præ se ferens amicum et arctum adeo eorum complexum, ut in complexu hoc dolose eos transfodiens, balteus et calcei ejus sanguine cæsorum tingerentur. Ita Lyranus, Vatablus et alii : vocat autem hunc sanguinem « belli et prælii, » quia periculum belli erat ex hac cæde; ne scilicet totus Israel Davidi rebellaret, velletque ulcisci proditoriam hanc cædem suorum ducum Abner et Amasæ factam a Joab, ideoque David eum hic jubet occidi. Rursum τὸ *belli* alludit ad bellum, in quo juste Abner occidit Asaelem fratrem Joab, cujus necem proinde Joab ultus est cæde Abneris, *q. d.* Joab ulcisci voluit sanguinem fratris sui Asaelis occidendo Abner, sed perperam et inique. Nam Abner juste in bello occidit Asaelem; Joab autem inique et proditorie occidit Abner in pace, cum Abner jam reconciliatus esset Davidi, imo totum Israel ad eum reduceret. Quare Joab Abnerem et Amasam in pace occidit quasi in prælio, adeoque pacem proditorie convertit in prælium, quo prælians et gladium stringens utrumque fraudulenter occidit, cum ipsi putarent se esse in pace, omniaque sibi cum David et Joab esse pacifica, ob pacem cum eo initam, idque præ se ferret Joab utrumque dolose complexans et osculans, quæ magna fuit Joabi fraus, injustitia et perfidia.

Vers. 6. 6. FACIES ERGO JUXTA SAPIENTIAM TUAM (ut quæsita commoda occasione, et justo prætextu eum punias), ET NON DEDUCES CANITIEM EJUS PACIFICE AD INFEROS, — *q. d.* Non sines eum senem pacifice in lecto mori, sed violenta morte plectes; nam ante Christum omnes morientes descendebant ad inferos, saltem ad limbum patrum. Lex enim talionis a lege naturæ divina et humana lata est, ut, qui alium occidit, occidatur.

Dices : Cur David non occidit Joab, sed id mandavit Salomoni? Respondeo, quia cum Joab occidit Abnerem et Amasam, David non habebat potentiam et vires ad id sufficientes. Necdum enim in regno erat plane confirmatus, sed metuebat

Joab, ne is contra se Israelem concitaret, uti paulo ante concitarat Abner; postea vero David bellis continuis implicitus id facere non potuit, præsertim quia Joabo egebat; nec enim alium habebat tam idoneum quem castris præficeret. Mandavit ergo id Salomoni, qui plena pace potiebatur, ideoque plena dignitate et auctoritate pollebat. Ita Josephus. Aliam causam, cur David jusserit occidi Joab, affert Theodoretus, quia timuit, inquit, ne is solita usus malitia despiceret juventutem Salomonis, et vel eum per speciem benevolentiæ interficeret, sicut prædictos occiderat; vel apertam instrueret aciem, et divideret Israelem intrudendo regem Adoniam, cui favebat, qui regni spem non plane abjecerat, ut sequentia declarabunt.

Vers. 8. 8. QUI MALEDIXIT MIHI MALEDICTIONE PESSIMA. — Septuaginta ὀδύνηραν, id est *dolorosa*; Chaldæus, *amara*; Hebraice est נמרצת *nimretscet*, quod Hebræi apud S. Hieronymum sic explicant, ut per quinque litteras, quibus hæc vox constat, quinque convicia quæ Semei jecit in Davidem, significentur. Nimirum per primam *nun* significet נואף *noeph*, id est adulter, propter adulterium cum Bethsabee; per secundam *mem*, מואבי *Moabi*, id est Moabita, eo quod David ex ignobili Ruth Moabitide genus duceret; per tertiam *resh*, רוצח *rothseach*, id est homicida, propter Uriam et tot alios e medio sublatos; per quartam *tsade*, צרוע *tsarva*, id est leprosus, eo quod David jam non aliter ejectus ex urbe videretur quam soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent et exsecrantur; per quintam *tau*, תועבה designatur *tohaba*, quod abominabile significat.

NON TE INTERFICIAM GLADIO. — Hinc patet Davidem cum dixit Semei: «Non morieris,» non plenam ei dedisse veniam et impunitatem, sed limitatam et restrictam ad tempus vitæ Davidis, *q. d.* Ego non interfeciam te, per omnem vitam meam tibi condonabo vitam; sed post mortem meam cave tibi, quia Salomon filius meus meo instinctu quæret occasionem tuum scelus et maledictum castigandi: cum enim hæc promissio non sit debita, sed gratuita et liberalis, ex mente promittentis interpretanda et limitanda est, ait Abulensis. Commendat ergo David hic Salomoni justitiam in omnes, sed præsertim in maleficos, quos ipse hucusque clementer vivere permiserat, ut nunc ipse satisfaceret justitiæ; quæ in sua clementi permissione tacite intelligebatur, juxta illud *Psal.* LXXI, 1. « Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. »

Vers. 10. 10. DORMIVIT IGITUR DAVID CUM PATRIBUS SUIS ET SEPULTUS EST IN CIVITATE DAVID, — puta in Sion « dormivit. » S. Scriptura mortem vocat somnum, ob fidem et spem resurrectionis. Nam in die judicii a morte quasi e somno evigilabimus ad vitam æternam. Hinc pia fidelium consuetudo habet, ut cum quis moritur dicant: « Obdormivit in Domino. »

Porro Josephus in fine lib. VII Davidi hoc dat elogium quasi epitaphium: David fuit « vir optimus et omnibus virtutibus præditus, quas regem tot gentium incolumitati prospicientem habere oportebat. Nam fortis erat, ut nemo alius: et in certaminibus pro subjectorum tutela susceptis primus se periculis objiciebat, exemplo suo militem ad præclara facinora excitans; et non tanquam dominus pro imperio ad officium cogens. Idem in consiliis prudentissimus, et egregie callens quid in præsens quidve in futurum conduceret. Ad hæc sobrius, mitis, benignus erga calamitosos, justus, humanus: quæ quidem præcipuæ sunt regum virtutes, nec in tanta potestate unquam ab æquitate deflexit, nisi quod ad Uriæ uxorem attinet. Tantas præterea divitias reliquit, quantas nullus alius rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium. » Elogium Davidis.

De sepultura deinde ejusdem hæc illico subjicit: « Sepelivit eum Salomon Hierosolymis magnifice, præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos MCCC Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut et alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit: ad loculos tamen, qui regum cineres continebant, neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent. » Verum horum fides sit penes Josephum: tot enim talentorum multitudo in sepulcrum defossa videtur pene incredibilis; ac cellæ eam ægre capere potuissent. Porro I *Paral.* XXIX, 28, de Davide dicitur: « Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria. » Fuit enim ipse regum omnium idea et exemplar, ideoque in omnibus fere typus Christi, uti per singula fuse ostendit noster Salianus anno mundi 3021, numer. 92 et seqq. Vide elogia Davidis *Eccli.* XLVII, 2 et seq. ubi eadem explicui. Sepultura.

Vers. 17. 17. UT DET MIHI ABISAG SUNAMITIDEM UXOREM. — Fuerat Abisag uxor Davidis regis: unde eam postulat Adonias filius Davidis, ut per eam quasi reginam evadat ad regnum, et a populo sibi favente acclametur rex. Consilium hoc Adoniæ suggessisse Joab, qui ejus partes fovebat, eratque vir sagax et callidus, censent Theodoretus, Hugo, Abulensis, Dionysius; Joab enim sibi a Salomone metuebat, et merito, uti mox patebit.

Quæres, quomodo Adonias ausus est petere uxorem patris sui, cum id vetetur *Levit.* XVIII, 7? Respondent Josephus, Cajetanus et Serarius, ibi

tantum vetari ne quis uxorem ducat illam quæ cognita est a patre. Abisag autem non fuit cognita a Davide, sed mansit virgo. Unde ejus matrimonium illa Levitici lege non fuisse vetitum. Ut ut est, Adonias hujus legis ignarus videtur putasse hoc matrimonium esse licitum, aut certe amore pulchritudinis Abisag, et ambitione regnandi excæcatus illam parvipendit.

An conjugium nurus cum socero sit jure naturæ irritum?

Porro, an jure naturæ licitum ratumque sit matrimonium filii ducentis uxorem patris, variæ sunt Doctorum sententiæ. Nam noster Thomas Sanchez, lib. VII *De Imped. matrimon.*, disp. 66, docet matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, puta soceri cum nuru, vel socrus cum genero, non esse irritum jure naturæ, ideoque esse dispensabile. Probat, quia tale fuisset matrimonium Adoniæ cum Abisag uxore patris sui Davidis. Si enim hoc fuisset irritum, utique Adonias non postulasset illam sibi in uxorem. Citat Sanchez in hanc sententiam S. Thomam, Alensem, Abulensem, Gabrielem, Tapperum et plures alios.

Ex adverso Bellarminus, lib. I *De Matrim.* cap. XXVIII, docet matrimonium tale esse irritum jure naturæ et indispensabile, quia nunquam in eo dispensatum legimus. Est enim plane contra honestatem naturalem et pudorem paternum maternumque. Idem tenet P. Ægidius Coninck, qui ex Josepho a Costa, lib. VI *Indic.* cap. XXI, narrat Paulum IV Pontificem cum concilio Limensi ita decidisse, scilicet ut Indi Peruani, qui matrimonium contraxerant cum noverca vel cum nuru, non admitterentur ad baptismum, nisi prius solverent tale matrimonium, velut jure naturæ irritum. Ad Abisag, respondet Bellarminus, *primo*, illam non fuisse uxorem Davidis; non enim in Scriptura vocatur uxor, sed tantum calefactrix senis; *secundo*, si fuit uxor, Adoniam illicite petiisse uxorem, utpote contra legem *Levit.* XVIII, 7 et 15, ideoque juste a Salomone jussum occidi: plus enim hic valere debet sententia Salomonis regis sapientissimi, quam postulatio Adoniæ. Hanc sententiam sequitur Paludanus, Sotus, Valentia, Navarrus, Covarruvias, Sylvester, Vasquez et plurimi alii, quos citat Sanchez loco citato et Ægidius Coninck, disput. 32 *De Imped. matrimon.*, dubio 4, conclus. 3.

Problema ergo est, an matrimonium soceri cum nuru, vel generi cum socru sit jure naturæ irritum. Utrimque enim sunt graves auctores, his, et quidem pluribus asserentibus, illis negantibus. Utraque ergo sententia probabilis est, et utramque in praxi sequi potest Pontifex, ut in eo vel dispenset, si justa prægnansque causa subsit; vel dispensationem neget, sicut hucusque negavit (et quidem adhuc recenter his diebus, quibus Romæ versor) ob rei indecentiam; certe publicum hujus dispensationis non exstat exemplum, quod sciam.

Illud certum est apud omnes matrimonium hoc jure naturæ vetari, ac multo magis lege veteri, ut patet *Levit.* XVIII, 15, et XX, 14, et *Deut.* cap. XXVII, vers. 20. Quare Adonias volens hanc legem violare, juste a Salomone repelli et plecti potuit ac debuit, præsertim quia per hoc tacite ambiebat regnum.

Multo magis jure naturæ vetitum et irritum est, ideoque indispensabile matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, ut si pater velit ducere filiam, vel mater suum filium, uti omnes doctores docent. Quocirca ab Ecclesia colitur et celebratur S. Dymphna, quæ cum esset filia regis Hiberniæ, ab eo ob formam in conjugem appetita, cum ipsa id constanter abnueret, a patre gladio obtruncata pro castitate Martyr occubuit, cujus sanctitatem Deus multis illustravit, et etiamnum illustrat miraculis; unde magnus energumenorum et maniacorum ad sepulcrum ejus (quod Geelæ in Brabantia exstat) est concursus, uti oculis meis conspexi.

Infamis igitur et porcina fuit responsio illius aulici et adulatoris, qui Henrico VIII, Angliæ regi, volenti ducere Annam Bolenam (quam ejus esse filiam spuriam vehemens erat suspicio) rogatus quod et quale peccatum foret, si quis matrem cognosceret et ejus filiam, respondit: Tale, ac si quis pullum comedat cum gallina. Sed Deus contrarium ostendit, cum Henricum totamque Angliam ob hoc conjugium gravissime afflixit, omnemque Henrici prosapiam funditus exstinxit. Ita Sanderus, lib. I *De Schism. Anglic.*

Vers. 19. 19. ET SURREXIT REX IN OCCURSUM EJUS, ADORAVITQUE EAM, — se ei inclinando, et reverentiam filialem exhibendo. Privatim enim eam excepit et honoravit ut matrem. Nam, ut ait Taurus Philosophus apud Gellium, lib. II, cap. II: « Privatim inter filium magistratum et patrem privatum publici honores cessant, naturales et genuini exoriuntur. » Secus faciendum in publico. Unde Gellius ibidem laudat filium Fabii Maximi, qui Consul existens, ac patri Proconsuli in publica via occurrens, jussit eum ex equo descendere; atque Fabius imperio filii paruit, eumque collaudavit, cum imperium, quod populi esset, retineret.

Hinc apud Persas filio coram matre sedere non licebat, nisi illa annuente. Unde Alexander Magnus Darii matrem Sisigambim, quam colebat ut matrem, sic alloquitur apud Curtium, libro V: « Quoties ad te veni, donec ut consederem annueres, restiti. »

Vers. 20. 20. PETE, MATER MEA: NEQUE ENIM FAS EST UT AVERTAM FACIEM TUAM. — Hebraice, *non enim reverti faciam faciem tuam*, id est, ut te tuamque faciem confundam et pudore afficiam negando quod postulas. Cum enim quid alicui negatur, ille confusus faciem suam retrahit, avertit, et domum redit. Promittit Salomon omnia se concessurum, quæ mater postulabit; intellige, si æqua et utilia postulet: non autem si sibi matrique noxia, uti erat de danda Abisag uxore Adoniæ.

Si Salomon omnia matris postulata implet,

multo magis Christus concedit matri suæ omnia quæ pro nobis supplicando petit. Illam ergo adeamus, et per illam omnia impetrabimus. Nec enim Christus confundet et pudefaciet faciem matris suæ, uti sæpe inculcat S. Bernardus; nec enim ipsa aliquid petit aut petere potest, quod sit præter dignitatem filii et suam.

Vers. 22. 22. POSTULA EI ET REGNUM, — *q. d.* Si postulas Abisag dari uxorem Adoniæ, postulas ei regnum. Ipse enim ambit uxorem patris nostri regis Davidis, ut per eam quasi reginam elevetur in celsitudinem regiam, fiatque rex; præsertim quia ad hoc ei auxiliantur Abiathar Pontifex, et Joab dux militiæ. Ita Rupertus et alii.

Vers. 25. 25. MISITQUE REX SALOMON PER MANUM BANAIÆ, — hoc est, misit Banaiam, ut per manum ejus occideretur Adonias. Est hebraismus. Cajetanus asserit Salomonem peccasse temeritate judicii, quod unico judicio fratrem læsæ majestatis damnarit, nisi tamen id moris fuerit. At vel unicum, ait Serarius, si id certum sit, hodie sufficiat, præsertim ubi periculum est regi, ne regno ab æmulo privetur, uti hic erat. Adde Salomonem hic punivisse primam regni invasionem factam ab Adonia, qua se curaverat ungi et coronari regem. Licet enim Salomon illam ei condonasset, tamen id fecit sub conditione, si deinceps sibi foret fidelis, ac domi quiete se continens nullam deinceps ambitionis et affectati regni de se daret suspicionem; quod si illam daret, puniretur non tantum ob suspicionem, sed et ob invasionem regni præteritam. Adonias autem postulans Abisag uxorem, justam dedit Salomoni occasionem suspicandi ipsum rursus ambire regnum. Cur enim inverecunde et arroganter contra legem naturæ et divinam postulat reginam uxorem patris sui, nisi ut per eam thronum patris occupet, fiatque rex? quare jure merito plexus est a Salomone. Timebat enim Salomon eum, utpote ambitiosum et inquietum, semper res novas moliturum, et ad regnum jure primogenituræ sibi debitum aspiraturum : quare se eo vivente nunquam in regno fore securum. Occidit ergo eum ut sibi securitatem et regno quietem pareret. Vide hic rursum quam David infelix fuerit in filiis. Amnon enim vitiavit Thamar, Absalom eum occidit et patri rebellavit, Adonias ambivit regnum, ideoque a fratre interemptus est. Fuit hæc pœna, et pœnitentia Davidi ob adulterium et homicidium Uriæ a Deo inflicta, II *Regum*. XII, 10, dicente : « Quamobrem non recedet gladius de domo tua. » En modica brevisque voluptas quantas ei peperit clades, ac quantarum calamitatum post se syrma caudamque protraxit.

Vers 26. 26. ABIATHAR QUOQUE SACERDOTI (pontifici) DIXIT REX : VADE IN ANATHOTH AD AGRUM TUUM, EQUIDEM VIR MORTIS ES, — *q. d.* Mereris occidi, quia contra me conspirasti cum Adonia, eumque in regem unxisti. Ego tamen te non occidam, quia pontifex Davidi patri meo fidelis exstitisti; sed tantum a Jerusalem te ablegabo, ne in ea rursum res novas inter fratres et cives meos contra me moliaris. Vade ergo ad agrum tuum in Anathoth, ibique quiesce et res tuas age, nec rebus meis et regni te deinceps immisce. Porro hoc ipso Salomon indirecte exauctoravit et privavit Abiathar pontificatu, quia pontifex debebat residere Jerosolymis, ut sacerdotes in templo ministrantes dirigeret, Synagogæ et concilio Sanhedrim præsideret, regi foret a consiliis, populum doceret, etc. Quare ablegato Abiathar, Salomon surrogavit ei Sadoc.

Vers. 27. 27. UT IMPLERETUR SERMO DEI, QUEM LOCUTUS EST SUPER DOMUM HELI IN SILO, — I *Reg.* cap. II, 30, ubi Deus minatur Heli et posteris ejus privationem vitæ, æque ac pontificatus, additque vers. 35 : « Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, » scilicet Sadoc. Igitur Salomon vir sapiens usus hac occasione rebellionis Abiathar, ex Dei instinctu has ejus contra Heli minas, hocque ejus de Sadoc in pontificatum restituendo promissum implevit, itaque pontificatum a familia Ithamar et Heli, ex qua erat Abiathar, ad primævam et genuinam Eleazar stirpem, ex qua erat Sadoc, reduxit. Fecit hoc in pœnam peccatorum tum Heli, tum Abiathar; hic enim reus erat capitis et læsæ majestatis, quia faverat Adoniæ contra Salomonem, qui a Deo et a patre Davide constitutus erat rex : quare eum ejecit in exilium, sed honestum; misit enim eum in patriam ad prædia sua, ut ibi vitam, quam ei condonabat, quiete traduceret. Nemo ergo hinc concludat (1) Imperatores et Reges habere jus in Pontifices, ut eos creare et exauctorare possint. Nam Salomon exauctoravit Abiathar auctoritate non sua, sed Dei. Deus enim primitus Aaroni, indeque Eleazaro quasi primogenito, ejusque posteris pontificatum assignarat. Inde deviavit pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar, jussit ergo Deus eum reduci ad familiam Eleazar, puta ad Sadoc; idque fecit Salomon instinctu jussuque Dei, non ut Rex, sed ut Propheta, ut divinæ justitiæ executor, uti ostendit Bellarminus, lib. II *De Pontif.* cap. XXIX. Adde, nunc in lege nova longe sanctior et sublimior est pontificatus, quam fuerit in lege veteri : quare etiamsi tunc pontifex fuisset subditus regi, ut censet Abulensis, jam tamen non est, quia Pontifex est jam vicarius Christi, qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Vide dicta *Numer.* XXVII, 21.

Vers. 28. 28. VENIT AUTEM NUNTIUS AD JOAB (eo) QUOD JOAB DECLINASSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINASSET, — ita legendum cum Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, Romanis et cæteris : perperam ergo in Regiis et aliis nonnullis legitur : *Venit autem nuntius ad Salomonem.* Sensus est, *q. d.* Venit nuntius ad Joab, nuntians ei occisum esse Adoniam, ut ipse qui faverat Adoniæ, et cum

(1) Ut Anglicani et Puffendorf, qui ex hoc asserunt reges habere auctoritatem supra sacerdotes etiam in exercitio muneris sacerdotalis.

eo contra Salomonem conjurarat, fuga sibi consuleret, ne ipse quoque ut socius et particeps conjurationis Adoniæ occideretur a Salomone.

POST SALOMONEM, — ita legendum cum Septuaginta Romanis et cæteris. At vero Hebræus et Chaldæus jam habent, *post Absalomem*, quod Vatablus sic explicat, q. d. Joab etsi initio fuerit Davidi fidelis, nec declinarit post Absalomem; tamen postea fuit infidelis, quia cum Adonia conjuravit contra Salomonem, qui a Davide constitutus erat rex. Alii censent Salomonem vocari Absalomem, eo quod Absalom Hebraice idem sit quod *pater pacis*: Salomon vero idem sit quod *pacificus*, ideoque pater et arbiter pacis. Sic Ochosias per metathesin dictus est Joachaz.

Verisimilius est Hebræa et Chaldæa moderna esse corrupta, ac S. Hieronymum in Hebræo pro *post Absalomem*, legisse *post Salomonem*. Sic enim legerunt Septuaginta, et antithesis id exigit. Ita Sanchez.

Vers. 30. 30. NON EGREDIAR. — Sperabat Joab quod loci sanctitas eum tutaretur, nec Salomonis religio permitteret eum ibidem occidi, ideoque eo egredi noluit. Sed eum fefellit opinio : ob scelerum enim atrocitatem ibidem occisus est.

Vers. 31. 31. FAC SICUT LOCUTUS EST, ET INTERFICE EUM, — in tabernaculo, ex quo Joab egredi non vult, sed in eo occidi et mori. Homicida enim voluntarius, qualis erat Joab, dolose occidens Abner et Amasam, non gaudebat impunitate et immunitate loci sacri, juxta illud : « Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur, » *Exodi* cap. XXI, 14. Multo magis id sancitum est lege, non divina, sed humana in novo Testamento, in qua Christiani sanctiores esse debent Judæis, et ab homicidio spontaneo magis alieni. Vide cap. inter alia, *De Immunit. Ecclesiarum*, ac Franciscus Suarez, tract. *De Immunit. Eccli.* cap. IX et X. Porro tunc non erat lata lex quod tabernaculum polluretur cæde humana, sicut jam lata est ut Ecclesia Christiana, in qua commissa est cædes, censeatur polluta, iterumque debeat benedici. Nec juste, ait Salianus, fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo solebat sanguine cruentari : tota loci violatio consistebat in vi, quæ directe loci privilegium irritabat; inde enim Asyla dici certum est, quod ab eorum quasi sinu reos abstrahere non liceret. Ideoque recte credidit Salomon perinde esse Joabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi jugulare; utrovis enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio intervenisset, quæ hic ob scelerum enormitatem non requirebatur, ut dixi.

Vers. 44. 44. REDDIDIT DOMINUS MALITIAM TUAM IN CAPUT TUUM, — *q. d.* Fecit Deus ut pœna malitiæ et maledictionis, qua maledixisti patri meo Davidi, in caput tuum noxium recideret. Ita enim omnia disposuit, ut tu pœnam mortis a me tibi propositam, si Jordanem transires, acceptans, tua te sententia condemnaris, et transeundo Jordanem reum mortis effeceris. Duplici ergo titulo Semei reus erat mortis. *Primo*, quod Jordanem contra præceptum Salomonis sub pœna mortis datum et a se acceptatum transgressus esset. Ita Theodoretus, Josephus, Serarius et alii. *Secundo*, quod Davidi maledixisset, et hoc maxime hic punire ex patris præcepto intendebat Salomon; sed tamen quia David pater per omnem suam vitam ei veniam dederat, noluit Salomon eam a patre datam simpliciter mutare, sed honesta conditione limitare, quam quia violavit Semei, hinc Salomon veniam patris abrogavit, ac Semei culpam et pœnam revocavit.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon postulans a Deo sapientiam impetrat. Mox, vers. 16, *litem duarum puerperarum de filio vivente litigantium mira sagacitate dirimit, itaque summam sibi auctoritatem et gratiam apud omnes conciliat.*

1. Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti; accepit namque filiam ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelsis; non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiama. 4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi; illud quippe erat excelsum maximum : mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis ut dem tibi. 6. Et ait Salomon : Tu

fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et justitia, et recto corde tecum : custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie. 7. Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo ; ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. 8. Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine. 9. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum ; quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum ? 10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni : Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, 12. ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13. Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi : divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. 14. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium ; cumque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo ; 17. quarum una ait : Obsecro, mi domine, ego et mulier hæc habitamus in domo una, et peperi apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit et hæc ; et eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum. 20. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo ; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. 21. Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus : quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. 22. Responditque altera mulier : Non est ita ut dicis ; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat : Mentiris ; filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait : Hæc dicit : Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit : Non ; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. 24. Dixit ergo rex : Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege. 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier cujus filius erat vivus ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) : Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat : Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur. 27. Respondit rex, et ait : Date huic infantem vivum, et non occidatur ; hæc est enim mater ejus. 28. Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

Vers. 1. 1. AFFINITATE CONJUNCTUS EST PHARAONI REGI ÆGYPTI : ACCEPIT NAMQUE FILIAM EJUS, — in uxorem. Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *De Præpar.* cap. ult., asserit Pharaonem hunc fuisse eum, qui cognominatus est Vaphres, qui diversus est, et longe anterior Pharaone Vaphres, sive Ephree, vel Apries, qui fuit nepos Pharaonis Nechao occisoris Josiæ regis Juda, ultimusque Pharaonum, utpote a Nabuchodonosor victus et subactus, uti dixi *Jerem.* XLIV, vers. 30.

Voluit Salomon per hoc matrimonium devincire sibi Pharaonem, utpote regem vicinum et potentem, cujus ope regnum suum stabiliret, illudque contra Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, etc., vim et potentiam tueretur.

Porro licitum fuit hoc matrimonium fidelis cum infideli, tum quia Deus expresse tantum vetuerat Judæis ne ducerent in uxores filias Chananæorum, a quibus majus perversionis et idololatriæ periculum, non autem cæterarum gentium, etsi id quoque sibi non placere ob simile periculum satis ostendebat, ut patebit cap. XI, vers. 1.

tum quia verisimile est Ægyptiam hanc sponsam Salomonis ad judaismum esse conversam : quo facto licitum erat eam ducere; hoc enim permittit Deus *Deuter.* XXI, vers. 20 et sequent. Sic enim Salomon jam duxerat Naaman Ammonitidem, et David filiam Tholmai regis Gessur, et Booz Ruth Moabitidem, et Salmon Raab Jeruchuntinam, et Joseph filiam Putipharis Ægyptii, et Moyses filiam Jethro Madianitidem. Ita Abulensis, Pineda, Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Minus recte ergo Hebræi in *Seder-Olam*, Theodoretus et Procopius, censent Salomonem peccasse ducendo alienigenam, eo quod Deus id vetuisset *Exod.* XXXIV, et *Deuteron.* VII, 3.

Putant Hebræi harum nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis epithalamium concini in *Cantico Canticorum;* sed errant, uti in *Cant.* ostendi. Fateor tamen ibidem ad eas alludi, ut cum ait *Cant.* I, 8 : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te. » Et cap. III, 11 : « Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius; » quæ licet ad litteram competant nuptiis Christi cum Ecclesia, alludunt tamen ad connubium Salomonis cum Ægyptia, quod illarum fuit typus.

Denique Salomonem hanc Ægyptiam duxisse anno regni sui primo, vivente adhuc Davide, opinatur Josephus, Serarius et Sanchez, licet Abulensis, Cedrenus et Salianus in annum tertium id conferant.

DONEC COMPLERET ÆDIFICANS DOMUM SUAM. — Salomon enim post ædificatum templum domum propriam ædificavit filiæ Pharaonis, de qua cap. VII, 8 : interim locum ei assignavit in palatio suo, quod erat in arce Sion.

Vers. 2. 2. ATTAMEN POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS; NON ENIM ÆDIFICATUM ERAT TEMPLUM. — Quæres, quænam fuerint hæc excelsa, quorum tam crebra in libris Regum et Prophetarum fit mentio? Respondeo, excelsa erant luci, sive sylvæ et nemora in excelsis montibus, collibus et umbrosis recessibus consita, in quibus gentes pleræque solebant sacella et altaria erigere, teste Homero, Virgilio et aliis, qui docent veteres in nemoribus sepulcra suis defunctis exstruxisse, in quibus primo parentalia celebrabant, sive parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi diis sacrificare cœperunt. Id fecerunt, tum quia loca excelsa cæteris altiora sunt et viciniora cœlo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent. Unde *altare* dictum est ab altitudine, quasi *alta ara*, in qua altissimo Deo sacrificatur : et Græcum βωμὸς, id est altare, dictum est ab Hebræo במה *Bama*, id est excelsum; quanquam altare proprie non erat excelsum. Nam Scriptura, IV *Reg.* XXIII, 15, distinguit inter altare et excelsum, sed potius altare erat in excelso, scilicet colle aut monte. Rursum nemora, quia condensa et silentia, sacrum quemdam horrorem Gentibus injiciebant, qui superstitiose censebant ibi habitare deos, quos Satyros et Faunos quasi sylvarum deos nuncupant. Unde templa dicta sunt fana a Faunis; nisi malis a fando, id est oracula dando, nomen sortita. Tertio, sylvæ copiosam suppeditant lignorum materiam ad fabricandum sacella, altaria et strues pyrarum, quibus victimæ comburantur, idcirco in iis excelsa erigebant.

Excelsa quæ?

Denique sylvæ, quia frondosæ et amœnæ, excitabant Gentiles ut in eis sacra sua carnalia, quibus Baccho per symposia et crapulam, Veneri et Priapo per luxuriam serviebant, exercerent.

Sic Cyrus et Persæ, teste Xenophonte, lib. VIII, sacrificabant in locis excelsis. Idem de aliis docet Apollonius, lib. II *De Romanis*. Idipsum constat ex Capitolio, in quo colebant Jovem Capitolinum. Audi Virgilium, lib. VIII *Æneid.* :

> Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
> Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
> Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
> Dira loci : jam tum sylvam, saxumque tremebant.
> Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
> (Quis Deus incertum est) habitat Deus; Arcades ipsum
> Credunt se vidisse Jovem.

Idem Virgilius *Ecloga* 7, arbores proprias, quas Gentiles diis suis in his lucis sacrabant, ita recenset :

> Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho (Baccho),
> Formosæ myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.
> Phyllis amat corylos.

Chananæos pariter in excelsis lucis sylvisque suos deos coluisse patet ex eo quod Deus crebro jubeat Hebræis ut illas succendant et exstirpent, ut patet *Exodi* XXXIV, *Deuteron.* VII, 5, et cap. XII, vers. 2, et cap. XVI, 21 : quibus locis directe quidem et expresse vetat Deus ne excelsa habeant talia qualia habebant Chananæi, in quibus scilicet suos deos falsos colebant; indirecte tamen vetat quoque ne sibi pariter in excelsis sylvis et lucis sacrificent, sed tantum in tabernaculo et altari ad id a se destinato, et a Moyse fabricato, ac præsertim in templo mox a Salomone fabricando.

Excelsa duplicia

Excelsa ergo Hebræorum, de quibus in libris Regum et Prophetarum crebra est mentio, erant duplicis generis. Una in quibus instar Gentium colebant earum deos et idola. Hæc manifeste erant illicita, quia idolis dicata in Dei veri injuriam. Unde in ea gravissime invehuntur et detonant Prophetæ, ut *Jerem.* cap. VII, 31, *Ezechiel.* cap. VI, 3, *Osee* cap. X, 8. Hinc Salomon gravissime peccavit, quod in gratiam uxorum suarum Gentilium earum diis et idolis fecerit lucos et excelsa, ibique eos adorarit, quæ proinde Ezechias rex dissipavit, Manasses ejus filius impius restituit, Josias funditus abolevit.

Altera excelsa erant, in quibus Hebræi, non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit, *Judic.* VI, 26.

Idem fecit Samuel in excelso, I *Reg.* IX, 19, et Salomon hic sacrificavit in excelso Gabaon, id est in tabernaculo Moysis, quod tum situm erat in excelso et frondoso colle Gabaon.

Porro Deus hæc secunda excelsa non amabat ob periculum gentilismi et idololatriæ; tolerabat tamen donec ædificaretur fixum et stabile templum a Salomone in Jerusalem, nam ante illud tabernaculum Moysis erat mobile, et ab uno loco transportabatur in alium, imo separatum erat ab altari, ut superius dixi. Unde multis incommodum erat et difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant.

Hinc pii reges, ut Asa et Josaphat, permiserunt excelsa Deo vero erecta: vel si illa erant idolis statuta, permiserunt ea, quia ob inveteratam populi idololatrantis consuetudinem, metuentes ejus seditionem et rebellionem, illa impedire et tollere non potuerunt. Verius tamen est, quod censet Abulensis, *Quæst.* II et V, hos reges tantum permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificabatur, non idolis; quæ tamen non permiserunt reges pientiores, sed everterunt; scilicet David, Ezechias et Josias, qui proinde soli e cæteris regibus Juda dicuntur non peccasse, *Eccli.* XLIX, 5. Porro quod Samuel in Ramatha, Bethlehem aliisque in locis sacrificavit, I *Reg.* cap. XVI, vers. 4 et 5, ac Elias in monte Carmelo, III *Reg.* XVIII, 23, et David in area Areuna, I *Reg.* cap. ult. 18; credendum est id eos fecisse ob graves et urgentes causas, idque ex Dei instinctu et dispensatione, ut patet de Davide loco citato.

Hac de causa, ut scilicet excelsa omnia tollerentur, voluit Deus a Salomone ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari, ut in uno templo servaretur unitas religionis et Judaismi, ac Judæi plane arcerentur a profanis et excelsis sacrificiis Gentilium. Idem ante templum jusserat Deus fieri in tabernaculo a Moyse fabricato, *Levit.* XVII, 3 et 4. Vide ibi dicta.

Vers. 3. 3. EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS (Deo vero dicatis de quibus jam dixi) IMMOLABAT. — Hinc Theodoretus, Procopius, Abulensis et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. II, censent ante fabricam templi in excelsis sacrificare fuisse illicitum, et peccatum saltem veniale, eo quod hic carpatur Salomon quod in excelsis immolarit, esto in cæteris dilexerit Dominum, et præcepta ejus servarit. Hebræi tamen, Lyranus, Serarius et alii censent id fuisse licitum, non quasi Deo absolute gratum, sed tanquam ab eo concessum et permissum, donec ædificaretur templum firmum et stabile. Sic et S. Augustinus, Quæstion. XXXV *in Judic.* : « Deus, ait, consuetudinem populi sui, quæ præter ejus tabernalum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo; sustinebat potius quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. » Post templi vero fabricam excelsa fuere illicita, ideoque David, Ezechias et Josias ea sustulerunt, licet Asa, Amasias et Josaphat ea tolerarint metu majoris mali, ne scilicet si excelsa Dei tollerentur, populus ad excelsa deorum et Gentium, hoc est ad idola deflecteret. Unde de iis dicitur: « Fecit rectum ante conspectum Domini, etc., verumtamen excelsa non abstulit; » cap. XV, 11 et 14, etc.

Vers. 4. 4. ABIIT ITAQUE IN GABAON UT IMMOLARET IBI, — quia in Gabaon erat tabernaculum et altare Moysis, unde ibi immolare licebat, ideoque mox vocatur excelsum magnum, id est maximum et religiosissimum, licet arca fœderis non esset in Gabaon, sed e Cariathiarim a Davide translata in Sion, ut diserte dicitur lib. II *Paral.* cap. I, 4 et 5. Nota hic pietatem Salomonis, qui regnum auspicatur a cultu et invocatione Dei; obtulit enim mille hostias, ut sequitur, ideoque a Deo obtinuit sapientiam tantam, quantam nulli unquam concessit Deus.

Vers. 5. 5. APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOMNIUM NOCTE DICENS: POSTULA QUOD VIS UT DEM TIBI. — Quæres, quale fuerit hoc Salomonis somnium, et an in eo habuerit usum arbitrii, ut libere postularit a Deo sapientiam, ideoque eam impetrarit?

Quæstio hæc est problema. Multi enim affirmant, multi negant, et utrique pro se rationes afferunt probabiles.

Primo ergo nonnulli censent hoc somnium fuisse naturale, ex speciebus diurnis noctu in somnis naturaliter recurrentibus; aut naturaliter a Deo immissum, ad hoc ut sciretur sapientiam omnibus hominibus, sed præsertim regibus et principibus ad sapienter gubernandum præ aliis rebus expetendam esse, utpote ad bonum regimen summe necessariam. Ita Abulensis. Quia enim Salomon in Gabaon orans et sacrificans per diem crebro et instanter a Deo flagitarat sapientiam, hinc effecit Deus ut naturaliter noctu ipsi eædem cogitationum species recurrerent; ut scilicet Salomon dormiens videretur sibi postulare sapientiam, Deumque illam ipsi annuere, juxta illud Claudiani :

> Omnia quæ sensu volvuntur sensa diurno,
> Tempore nocturno reddit amica quies.

Idemque docet Aristoteles, lib. *De Somniis*, et Hippocrates, lib. *De Insomniis*.

Si dicas postulationem hanc Salomonis placuisse Deo, ac ipsum per eam reipsa impetrasse sapientiam, respondent illam postulationem in somnis per se non placuisse Deo, quia erat actus somniantis, non libere postulantis; sed ob aliam Salomonis ejusdem in vigilia sapientiæ postulationem, ex qua illa in somnis ortum habuit, et quasi effectus ex causa, naturaliter profluxit. Ita S. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 3, ad 2: « Salomon, ait, dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit, sed in somno declaratum est quod per præcedens desiderium ei a Deo sapientia infunderetur. » Idem repetit *De veritate*, Quæst. XXVIII, art. 3, et II II, *Quæst.* CLIV, art. 5, ad 1. Favet S. Au-

gustinus, lib. XII *De Genesi ad Litter.* cap. XV, quem citat S. Thomas. Item S. Bonaventura in II, dist. XV, *Quæst.* VI, num. 72; Alensis in IV, *Quæst.* CI, membro 3, art. 3; Richardus, quodlib. I, *Quæst.* XVII; Sanchez, Salianus, Serarius, Pineda, lib. III *De Salomone*, cap. VIII; Pererius, lib. I *in Daniel.* Quæst. VII.

Probatur *primo*, quia Salomon dormiebat, eratque in somnio; omnia ergo hæc non revera, sed per somnium ei repræsentabantur.

Secundo, quia vers. 15, discrte ait Scriptura : « Evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium. »

Resp. affirmative. Verum contraria sententia non minus est probabilis, imo validiores affert rationes, nimirum somnium hoc non fuisse naturale, sed divinum, ac proprie a Deo (licet natura quoque et naturalibus per diem cogitationibus Salomonis Deo subservientibus) immissum, idéoque non tam fuisse somnium, quam visionem propheticam vel exstasin, qualis fuit somnus Adæ, cum ex ejus costa Deus formavit Evam, quem Septuaginta vocant exstasin : in eo enim Adam Deo revelante cognovit Christi incarnationem, et Ecclesiæ ex ejus latere formationem, uti docent S. Augustinus, S. Thomas, Rupertus et alii passim. Tale quoque fuit somnium Abrahæ, *Genes.* XV, 12, in quo Deus Abrahæ revelavit, et promisit magnam posteritatem et Chananææ possessionem. Tale quoque fuit somnium Josephi de futuro suo principatu in Ægypto, *Genes.* XXXVII, 5, et Jacobi, *Genes.* XXVIII, 12, ubi Deus in somnis idem ei promisit quod Abrahæ, imo plura.

Prob. Primo. Probatur *primo*, quia hoc diserte significat Scriptura cum ait : « Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens. » Ergo fuit hæc vera Dei apparitio et locutio, quam Salomon excepit, uti prophetæ excipiebant Dei oracula per visiones tam nocturnas, quam diurnas; ergo non fuit somnium commune et naturale.

Secundo. *Secundo*, quia sequens prolixa narratio recenset historiam veram, non somniatam. Ait enim Deus revera loquens Salomoni : « Postula quod vis ut dem tibi, » ac Salomon respondet prolixe, postulatque sapientiam, ac hujus postulationis suæ multas et graves causas affert, idque tam sapienter et prudenter, ut vigilans prudentius loqui non potuisset. Ex qua narratione, et ex longo Salomonis sermone ad Deum constat, ipsum habuisse perfectissimum discursum et judicium, cum consideratione divinæ majestatis, et beneficiorum ejus, et propriæ infirmitatis ac necessitatis in illo regio statu, in quo erat constitutus; et ex hoc perfecto discursu ac judicio petitionem illam Deo proposuisse, et ideo illi placuisse.

Tertio. *Tertio*, quia vers. 11, Deus Salomoni præmium hujus suæ postulationis tam sapientis et sanctæ largitur, et votis ejus annuit dicens : « Quia postulasti verbum hoc, etc., ecce feci tibi secundum sermones tuos, » nec tantum hoc, sed et longe plura adjicit, scilicet divitias, gloriam, longævitatem et magnificentiam præ omnibus regibus : quæ omnia ut revera, et non per somnium gesta fuse et accurate narrat Scriptura, ut vix alio torqueri possint, ac omne somnium superent et transcendant. Et hoc voluit Scriptura dicens vers. 15 : « Evigilavit Salomon et intellexit quod esset somnium, » scilicet non humanum, sed divinum, uti eo versu ostendam.

Quarto. *Quarto*, quia revera Deus in sommo hoc Salomoni indidit sapientiam, ut significat Scriptura, nec enim aliud tempus, quo eam acceperit Salomon, reperire vel assignare possumus; ergo pariter revera Salomon in somno oravit, petiitque sapientiam; nam per orationem eam impetravit, ut dicitur vers. 11 et 12 : « Ecce, inquit, feci secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens. » Ita sentit Lyranus, Dionysius, Salmeron, tom. III, tract. XXII; Antonius Fernandius, lib. *De Visionibus*, Præludio 7, num. 8 et seq.; Hugo, Glossa, Consalvus Cervantes in *Sapient.* cap. VII, vers. 7, ac fuse et solide Suarez, tomo II *De Religione;* lib. II *De Orat.* cap. XIX, ubi docet primo, Deum in somno posse elevare intellectum et phantasiam ad perfectum usum rationis, et ad plenum judicium de veritate sive speculativa sive pracita, idque fecisse in somno Adami, *Genes.* II. Posse enim Deum ita confortare et clarificare phantasiam, et vapores omnes, qui illam in somno impediunt, depellere, ut vere res non tantum apprehendere, sed et recte de iis judicare possit, conservatis interim sensibus externis in eadem dispositione, quam in somno naturali habent. Accedit S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, Octonario 18, in fine, ubi asserit Salomonem « orasse » tunc et « promeruisse. » Imo Octonario 2, vers. 2, addit : « Ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postulavit, et quia non opes sibi regias, sed divinæ munus gratiæ depoposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam. » Tertullianus etiam, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XV, aperte sentit habuisse tunc Salomonem liberam electionem dicens : « Qua permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam, meruit etiam divitias consequi. » Ad eum modum loquitur Eucherius, Quæst. II in III lib. *Regum*, dicens Salomonem deprecatum esse Deum, etc.

Denique II *Paralip.* I, 7, ubi eadem hæc historia narratur, nulla somnii fit mentio : « Ecce, inquit, in ipsa nocte apparuit ei Deus. » Fuit ergo somnium hoc vera Dei apparitio et visio, qualem habuere cæteri Prophetæ.

In hanc quoque sententiam tandem propendent S. Bonaventura, Alensis et Richardus, locis jam citatis, dum adduut Salomonem ex divino privilegio potuisse in somnis uti ratione et mereri, atque S. Thomas, qui, I II, *Quæst.* CXIII, art. 3, ad 2, secundam dat responsionem, dicens : « Vel potest dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur *Num.*

cap. XII : Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet. »

Dices : Somnus impedit usum rationis et liberi arbitrii, quia in somno sopiuntur et quasi ligantur sensus et phantasia, sine quibus ratio non potest libere operari. Respondeo naturaliter, et in somno naturali hoc verum est, at non in supernaturali et divino, quale fuit hoc Salomonis. In eo enim Deus Prophetis infundere potest species sine conversione ad phantasmata somnum non impedientes, sicut nec visionem in Christo somnus impediebat, qui de se ait *Cant.* V, 2 : « Ego dormio et cor meum vigilat. » Sic et B. Virginem dormientem libere Deum amasse, itaque meruisse, censet S. Bernardinus et alii, idque probabile judicat Suarez, III part. *Quæst.* XXXVII, art. 4, disp. XVIII, sect. 2. Aut potius Deus Adæ, Salomoni et Prophetis ita roborabat et clarificabat phantasiam in somnis, ut libere intelligere, eligere et operari possent, ut paulo ante dixi ex Suarez. Hoc enim magis est homini connaturale.

Porro totum hoc somnium Deus Salomoni immisit per Angelum, qui Deum repræsentabat, ac nominatim Deum filium ex Salomonis stirpe incarnandum, uti docent S. Chrysostomus, homil. 16 *in Acta*, S. Leo, S. Ambrosius, Tertullianus, Origenes, Theophylactus, Eusebius, Clemens, Nicephorus et alii, quos citat Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. VIII, num. 4.

Cur nocte ? Quæres, cur ergo hæc visio Salomoni exhibita est per noctem, non per diem ? Respondeo, causa litteralis est, quia per diem Salomon occupatus fuerat in immolatione mille hostiarum. Unde tunc indispositus erat ad hanc visionem; per hostias tamen hasce se disposuit, et dignum reddidit ad visionem hanc recipiendam : quare in præmium suæ pietatis hanc visionem nocte sequenti, utpote quiescens, a Deo accepit.

Symbolica causa fuit, quia Deus licet in se sit lux summa et infinita, mens tamen creata, præsertim humana, ad eam caligat; sicut oculus caligat et hebetatur ad intuitum solis. Quare Deus sanctis, præsertim veteris Testamenti, ut Abrahæ, Mosi, Jacobo apparebat noctu, vel in caligine. Unde S. Dionysius, lib. *De Mystica Theolog.* docet eum qui Deum vult contemplari, ingredi debere cum Mose in caliginem, qua Deus tegitur et velatur.

Mystice S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. II, notat noctem signum esse mali ominis et infelicis exitus : « Non rediturus, inquit, ad veniam Judas, quod ad traditionis perfidiam nocte exiisse perhibetur, dicente Joanne cap. XIII : Erat autem nox. Et iniquo diviti dicitur *Lucæ* XII : Hac nocte repetent animam tuam abs te; anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur. » Hæc Gregorius, ex quo Rupertus, Eucherius et alii eadem descripserunt.

Addit Rupertus carpitque Salomonem, quod sapientiam, non sanctitatem petierit : « Tamen in eo, inquit, reprehensibilis est, quod data sibi optione tam prona ad dandum largitate Domini bonum illud, quod verum et summum est, non postulavit. »

Verum hoc bonum includitur in sapientia, quam postulavit Salomon, uti docet S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, ad illa : « In toto corde meo exquisivi te. » Unde *Sapient.* IX, Salomon postulans a Deo sapientiam ait : « Ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, » de quo mox plura.

7. EGO AUTEM SUM PUER PARVULUS, — *q. d.* Sum valde juvenis, rudis et inexpertus, ideoque quasi puer ad tantum onus, scilicet ad regimen tanti populi Israelis, ex me inidoneus : Salomon enim hoc tempore erat viginti annorum, ut superius dixi : unde explicans subdit. Vers. 7.

IGNORANS EGRESSUM ET INTROITUM MEUM. — Est Hebraica phrasis significans omnes hominis actiones, *q. d.* Nescio quo modo me gerere debeam in administratione tanti regni. Unde II *Paralip.* I, 10, ait : « Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo, » quasi ejus rex et pastor. Chaldæus vertit : *Non ego scio egredi nec ingredi.* Alludit ad puerum (quem se vocavit) qui docente matre, discit egredi et ingredi in domum.

9. DABIS ERGO SERVO TUO COR DOCILE — id est doctrinam excipiens, quod scilicet doctrinam, id est prudentiam et sapientiam, a te audiat et in se hauriat, puta cor prudens, intelligens et sapiens : Hebraice est, *cor audiens*, quod nimirum audiat et accipiat sapientiam. Unde II *Paral.* I, 10, hoc explicans ait : « Da mihi sapientiam et intelligentiam. » Et hic vers. 11, respondens ei Deus dicit : « Postulasti tibi sapientiam, » etc. Vers. 9.

Porro Salomon postulans hic sapientiam proprie postulat prudentiam, qua sapienter tam se quam totum populum regere possit, ut scilicet prudenter omnes suas actiones instituat, tum privatas, tum publicas, juxta legem et voluntatem Dei. Unde *Sapient.* cap. IX, 4 et 10, explicans hanc suam sapientiæ postulationem ait : « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, etc., ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. » Causam subdit vers. 17, dicens : « Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis ? » Vide ibi dicta. Sapientia enim in libris Sapientialibus præcipue practicam sive ethicam significat, quæ docet nos sapienter, id est juste sancteque vivere, quæ proinde *Sapient.* X, vocatur « scientia Sanctorum, » et *Lucæ* I, « prudentia justorum. » Deus tamen qui suorum preces superat et vota, longe ampliorem sapientiam Salomoni concessit, ut jam dicam.

12. DEDI TIBI COR (id est mentem) SAPIENS ET IN- Vers. 12.

TELLIGENS (Chaldæus, *et considerans;* Septuaginta, *et peritum*) IN TANTUM UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT, NEC POST TE SURRECTURUS SIT. — II *Paral.* I, 12, dicitur, « Sapientia et scientia data sunt tibi. »

Sapientia quæ et quanta Salomonis.

Per quæ *primo,* intellige Ethicam et Politicam, ad gubernandum tam se quam populum: hanc etiam præcipue postulabat Salomon. *Secundo,* Physicam, Medicinam, Logicam, Rhetoricam, Poeticam, Mathematicam; Architectonicam (hac enim egebat ad fabricandum templum) omnesque scientias et artes naturales. Hæ enim ab Hebræis vocantur sapientia, ut patet *Exodi* cap. XXXI, vers. 3. Nam de his ipse ait, *Sapient.* cap. VII, vers. 17 : « Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa didici : omnium enim artifex docuit me sapientia. » *Tertio,* sapientiam et prudentiam supernaturalem fidei mysteriorum, imo et donum prophetiæ. Salomonem enim eximium fuisse Theologum patet ex ejus Proverbiis et Sapientia : Prophetam quoque extitisse patet *Proverb.* cap. XXX, vers. 1. Vide ibi dicta. Horum ergo omnium scientiam infusam a Deo hac nocte accepit Salomon, idque in gradu valde intenso, ut eorum oblivisci non posset. Ita Abulensis, Serarius, Pineda, Salianus et alii. Addit Josephus, Salomonem a Deo didicisse exorcismos ad conjurandum expellendumque dæmones, et alia plura, quorum meminit Origenes, tractat. 35 *in Matth.*; Justinus, Dialog. *De Veritate Christianæ Relig.*; Epiphanius in *Hæresi Ebionitarum.* Vide Baronium anno Christi 56, et Sixtum Senensem in *Biblioth.,* verbo *Salomon.* Unde nonnulli putant Salomoni inditam gratiam gratis datam, ad componendum exorcismos, quibus pelleretur dæmon. Addidit Josephus Salomonem incantationes ad morbos abigendos composuisse, quod est magicum : sed Josephus per incantationes forte accepit preces, quas postea vulgus superstitiose vertit in incantationes vel carmina magica.

Addunt, vel potius fabulantur Rabbini Salomonem cognovisse garritus avium, latratus canum, cæterarumque bestiarum voces et sermocinationes intellexisse. Verum, quis intelligat brutorum voces, quæ ratione et intellectu carent? frustra ergo id de se jactitant magi.

UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT. — Salomon ergo sapientia superavit non tantum Trismegistum, Orpheum, Homerum, Platonem, Solonem, Lycurgum, Aristotelem omnesque Græcorum, Ægyptiorum, Chanaæorum, etc., sapientes, utpote quorum sapientia fuerit studio acquisita, cum Salomoni fuerit a Deo immediate infusa; sed etiam Abraham, Moysen, Davidem, Adamum, saltem post lapsum. Etsi enim hi certis in rebus excelluerint ut Abraham in eminenti fide, Moyses in accipiendis a Deo legibus, David in psalmis dictandis, tamen Salomon eos superavit amplitudine sapientiæ, quia omnem omnino complexus est, ac Christum Dominum, ejusque sapientiam, unionemque cum S. Ecclesia, ad vivum tam verbis quam factis expressit.

NEC POST TE SURRECTURUS SIT. — Hinc recte infert Abulensis Salomonem sapientiorem fuisse non tantum Adamo et Moyse, sed etiam Prophetis et Apostolis, solumque Christum excipit, ejusque matrem B. Virginem, licet de ea dubitet Suarez, tomo II, disput. XVIII, sect. 5. Idem asserit S. Hieronymus in cap. III *Ephes.* vers. 8 : « Salomonem, inquit, omnibus Apostolis sapientiorem fuisse, ut retro Patriarchis vox divina pollicita est, qui de se ipso quoque loquitur confidenter : Deus docuit me sapientiam et intellectum sanctorum cognovi, » *Sapient.* cap. VII. Intellige in rebus naturalibus et politicis, nam in mysteriis fidei et Evangelii Salomone sapientior erat Paulus et Apostoli. Lyranus tamen, Dionysius et Pererius, lib. V *in Genes., Quæst.* III, censent hic Salomonem dici sapientiorem omnibus, sed ita ut pauci aliqui excipiantur, scilicet Apostoli, etc. Alii hic limitant : « Nullus similis tui, » scilicet in regibus : sed hoc nimis est arctum. Alii cum Serario melius sic : « Nullus; » scilicet eorum qui humano studio suaque industria sapientes evaserunt, « similis erit tui, » qui eam accepisti a Deo infusam : quare hic non fieri comparationem cum Adamo, B. Virgine et Apostolis, quorum sapientia fuit a Deo infusa. Vide Pinedam, lib. III *De Salom.* cap. VIII, qui et addit Salomoni cum sapientia datum fuisse Spiritum Sanctum, id est majorem gratiam et sanctitatem : hanc enim ipse in sapientia et cum sapientia præcipue postulabat. Audi Remigium, qui ad illud *Coloss.* cap. II, vers. 9 : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* sic scribit : « Aliter habitat in singulis electorum, aliter in Christo : quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem pleniter habitat. Habitavit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in Prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem; in Christo vero per omnem virtutem et innocentiam. »

13. SED ET HÆC, QUÆ NON POSTULASTI, DEDI (id est dare decrevi et illico sensim dabo) TIBI, DIVITIAS SCILICET ET GLORIAM, UT NEMO FUERIT SIMILIS TUI IN REGIBUS CUNCTIS RETRO DIEBUS. — Hinc Abulensis putat Salomonem superasse opibus et gloria Nemrod, Ninum, Saulem, Davidem cæterosque reges anteriores, non autem posteriores, qui Salomonem secuti sunt, uti fuit Alexander Magnus, Julius Cæsar, Augustus. Verum Serarius et alii melius censent Salomonem omnibus omnino regibus tam futuris, quam præteritis anteferri, om- Vers. 13.

nesque superasse opibus et gloria. Nam II *Paral.* cap. I, vers. 12, clare dicitur : « Divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te nec post te fuerit similis tibi : » ubi ex Hebræo vertas : *Et gloriam quæ non fuit sic* (similis) *regibus ante et post te non erit sic*, id est similis tui.

Moraliter, disce hic quantum bonum Deique donum sit sapientia, quamque cæteris omnibus anteferendum, imo cætera omnia secum adducat, atque illud comparari oratione magis quam studio. Auctor enim datorque sapientiæ est Deus, qui est pater luminum, *Jacobi* cap. I, vers. 5 et 17. Vide ibi dicta; et S. Augustinus, Præfat. in lib. I *De Doctrina Christiana.*

Vers. 15. 15. IGITUR EVIGILAVIT SALOMON, ET INTELLEXIT QUOD ESSET SOMNIUM. — Vatablus et alii exponunt, *q. d.* Evigilans Salomon recordatus est sui somnii, sive se somniasse de sapientia, puta non fuisse rem veram, sed somnium fugax, mendax et evanidum. Verum hoc dici nequit : Salomon enim vere hic adeptus est sapientiam, ut patet ex verbis Scripturæ vers. 12 : « Dedi, inquit, tibi cor sapiens et intelligens, » etc., quare hic sensus directe adversatur S. Scripturæ, eamque elidit et evertit.

Dico igitur : « Evigilans Salomon intellexit quod esset somnium, » scilicet non naturale, sed supernaturale et divinum, puta visio realiter et efficaciter una cum re ipsa, scilicet cum sapientia a Deo immissa sibique indita. Unde Hebræus, Septuaginta et Chaldæus habent : *Igitur evigilavit Salomon, et ecce somnium,* scilicet consecutum est effectum suum, ac verum apparuit, *q. d.* Salomon evigilans vidit revera se sapientem effectum sicuti somniarat, id est sicut dormiens per visum divinum viderat. Vidit enim omnium rerum species menti suæ sese ingerentes et obvolitantes, quibus clare res quaslibet perspiciebat, quas ante non cognoverat; intellexit ergo somnium hoc fuisse reale et verum, utpote supernaturale, et a Deo simul cum re somniata immissum. Unde mox intricatam meretricum litem sapientissime diremit, ac cætera omnia sapientissime administravit, ut patet ex sequent. Ita Suarez, Serarius, Pineda.

Similia somnia non somniata et falsa, sed realia et vera exstant in S. Scriptura, ut cum S. Petrus ab Angelo liberandus e carcere, jubebatur se vestire et exire, « existimabat se visum videre, » et somniare, *Actor.* cap. XII, vers. 9, et tamen vere se vestiebat et exibat. Sic Hebræi e Babylone liberati redeuntes in Jerusalem, dicunt : « In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati; » Hebræus, *sicut somniantes, q. d.* Adeo lætus, novus, mirus et inexspectatus fuit nobis reditus ab exilio in patriam, ut videretur esse somnium, ut non revera redire, sed reditum somniare nos putaremus. Sic Salomon hic evigilans videbatur sibi somniasse; sed mox vidit somnium versum esse in rem veram. Sic S. Hieronymus in somnio correptus a Deo quod Ciceronem præ S. Scripturas legeret, audiensque : « Ciceronianus es, non Christianus, » acriter vapulavit et flagellatus est, non per somnium, sed reipsa. Audi eum, epist. 18 *ad Eustochium* : « Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur, testis est tribunal illud ante quod jacui : testis judicium triste, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem. Liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante moralia legeram. »

CUMQUE VENISSET (ex Gabaon, ubi a Deo postulaverat sapientiam et impetraverat) JERUSALEM, STETIT CORAM ARCA FOEDERIS DOMINI, ET OBTULIT HOLOCAUSTA — in gratiarum actionem pro tanto sapientiæ dono sibi a Deo indito. Arca enim erat in Sion, tabernaculum vero et altare in Gabaon, uti dictum est vers. 4.

Vers. 16. 16. TUNC VENERUNT DUÆ MULIERES MERETRICES AD REGEM. — Deo ita disponente ad Israeli patefaciendam Salomonis sapientiam illi paulo ante ab eo inditam, per solertem litis meretricum diremptionem. Pro *meretrices* Hebraice est זֹנוֹת *zonot*, quod Chaldæus vertit, *tabernarias* sive cauponas : *zona* enim, sive meretrix, dicitur illa, quæ meretur prostituendo vel edulia, vel operas, vel corpus, qualis est caupona, lotrix, sartrix, textrix, purpuraria quæ arte et opificio suo victum lucratur. Et tales has duas fuisse censet noster Sanchez, quia meretrices proprie dictæ vix suscipiunt filios ob vagum concubitum et seminum commixtionem, nam cuilibet se prostituunt : secus est de concubinis, quæ uni soli amasio adhærent : hæ enim concipiunt perinde ut uxores.

Verum S. Gregorius, Ambrosius, Prosper, Pineda, Saljanus et alii passim censent has duas fuisse meretrices proprie dictas, ut vertunt Septuaginta et Noster; idque arguit quod maritorum nulla hic fit mentio, sed ipsæ per se litem contestantur. Meretrices enim, quia sunt avaræ, cupidæ, impudentes, iracundæ, hinc pariter sunt litigiosæ, imo multarum litium, rixarum, duellorum, cædium et bellorum causa, uti experientia quotidiana docet.

Vers. 19. 19. DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM, — quia scilicet volvendo se incubuit super infantem, eumque mole corporis sui suffocavit. Quocirca Jure Canonico vetatur ne matres cum infantibus dormiant, ob periculum oppressionis eorumdem, ut patet II, *Quæst.* V, Can. *Consuluit.*

CONTENDEBANT CORAM REGE, — quia deerant testes aliæque probationes et indicia, hinc vocis et clamoris contentione more suo certabant inter se hæ mulierculæ.

Allegoria duarum mulierum. Allegorice, duæ hæ mulieres repræsentant Synagogam Judæorum et Ecclesiam Christianorum, quæ inter se contendunt de puero Jesu et Messia vivo et vero : sed Salomon, id est Christus, litem dirimit dicens *Matth.* cap. X : « Non veni pacem mittere, sed gladium. » Veni enim dividere legem

et gratiam, Judæos et Christianos, fideles et infideles, uti pulchre docet S. Hieronymus, epist. 131 *ad Ruffinum*, ubi et addit Salomonem hoc judicium peregisse anno ætatis suæ duodecimo, hoc enim regnare cœpisse; sed superius ostendi id factum anno ætatis vigesimo.

Rursum repræsentant Ecclesiam Catholicam, et hæresim Arianam, Nestorianam, et cæteras, quæ Christum dividunt in duos, ut alius in eo sit Deus, alius homo, ac veros fideles qui sunt vivi Ecclesiæ filii, sibi arrogare et ad suam hæresim pertrahere, ideoque perdere et interimere satagunt. Ita S. Augustinus, serm. 200 *De Temp.* : « Impia, ait, et crudelis hæresis clamat ut dividatur. Quid est dividatur, nisi non Filius æqualis sit Patri? dum enim filio subtrahit æqualitatem, et bonum omnipotentemque denegavit Patrem. Deus enim Pater si potuit filium sibi similem gignere et noluit, non est bonus : si voluit, et non potuit, non est omnipotens. » At vera mater, scilicet Ecclesia Catholica clamat : « Date illi puerum, et nolite dividere eum. Filius meus est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat maternus affectus. Date illi puerum, non auferantur vota membrorum, illius integritas non dividatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit : Date illi puerum et nolite dividere, ecce et ego dico. Totum posside, et noli dividere Deum. » Hæc ad verbum ex S. Augustino transcripsit Angelomus, Eucherius vel potius Beda, et S. Prosper, lib. *De Prædest.*

Tropologice. Tropologice S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. VIII, per duas has mulieres accipit veros et falsos doctores : veri enim et boni discipulorum salutem, falsi et mali suam gloriam et lucra quærunt, cum discipulorum perditione. « Quia nimirum, ait S. Gregorius, magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt et habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur : quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quæ agunt, et quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Unde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsivit alienum : sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit; quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat, extremo examine ira districti judicis demonstrat. » Solerter deinde advertendum monet S. Gregorius, « quod vivens filius, prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur : quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Deum meritum, alter vero apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit : quia arrogantes magistri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. » Eadem ex S. Gregorio transcripsit Angelomus et Eucherius.

Symbolice. Symbolice S. Ambrosius, lib. III *De Virginitate* : « Duæ, ait, mulieres sunt fides et tentatio, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conversationis et somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? illa de qua scriptum est : Gladium veni mittere in terram. Est enim gladius de quo scriptum est : Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce : Verbum, inquit, acutum et validum, et penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus artuumque et medullarum. »

Vers. 25. 25. DIVIDITE (inquit) INFANTEM VIVUM IN DUAS PARTES, ET DATE DIMIDIAM PARTEM UNI, ET DIMIDIAM PARTEM ALTERI. — Dixit hoc Salomon non serio ut ferens sententiam, sed simulate, ut exploraret in utra resideret maternus affectus, ut illi filium vivum adjudicaret : nec enim alia probatio, aut aliud medium litem hanc decidendi suppetebat. Nam a natura insita est matri arcanus erga prolem suam amor et commiseratio, cujus expers est illa quæ non est mater. Naturam ergo hic interrogavit Salomon, et illa respondens matrem genuinam suo affectu monstravit. Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. VII : « Consideravit Salomon quod vera mater plus consuleret filio quam solatio, et gratiam juri, non gratiæ jura præferret. At vero illa quæ matris simularat affectum, vincendi studio cæca parvi duceret ejus exitium, in quo nesciret pietatis dispendium. Itaque vir ille spiritalis qui dijudicaret omnia (spiritalis enim dijudicat omnia) naturam in affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus, et pietatem interrogavit ut proderet veritatem. Vicit itaque mater charitatis affectu, quæ fructus est spiritus. »

Dices : matri veræ injiciebatur hic metus iniquus dissectionis filii. Respondeo id necessarium erat hoc loco et tempore ad bonum matris; ut scilicet hac ratione perpetua lite cum sua æmula, et jugi periculo perdendi filium liberaretur, quod longe majus ei erat malum. Quare melius erat illam modico tempore hunc metum pati, ut per eum mater esse agnosceretur, eique filius suus redderetur.

Similia Salomoni indicia et judicia. Simili indicio veritatem veramque matrem vel patrem explorarunt et deprehenderunt Imperatores. Claudius enim Cæsar, ait Suetonius in ejus Vita, cap. XV, « feminam non agnoscentem filium suum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis; » eo enim negato, quod horrebat natura,

filium agnovit. Claudius igitur matrem negantem quemdam juvenem, qui vere ei filius erat, proprium filium esse, coegit ad confessionem veritatis indicto ei cum ipso juvene matrimonio. Carolus item Magnus certus quod vel pater vel filius, quos captos detinebat quemdam occidisset, incertus tamen uter eorum id fecisset, jussit utrumque suspendi. At cum pater, qui vere deliquerat, nullam videret redemptionis spem, fassus est et agnovit propriam culpam, et ita filium ab imminente supplicio liberavit. Ita ex vita Caroli refert Joannes Molanus, Doctor Lovaniensis, lib. I *De fide hæret. servanda,* cap. VIII, et Martinus Delrio, tom. III *Disquis. Magic.* lib. IV, in præamb., ex Andrea Barbatio in cap. *Præsenti,* de Probatione.

Tertio, hoc Salomonis judicium imitatus est Alphonsus, rex Aragonum, qui, ut scribit Antonius Panormitanus in ejus *Gestis,* lib. II, cap. XXXIX, cum serva quædam ex hero suo concepisset, et filium peperisset, ideoque ex lege Hispaniensi ad libertatem proclamaret : herus vero ne matre cum filio privaretur, negaret puerum ex se natum, decrevit ut infans sub hasta venderetur, cumque uni qui majus pretium obtulerat infans traderetur, pater pietate naturali victus a lacrymis temperare non potuit, et suum esse filium fassus est. Quare rex et patri filium, et debitam matri libertatem illico adjudicavit.

Huc pertinet judicium Ariopharnis, regis Thraciæ, qui cum tres Cimmeriorum regis filii de paterno regno altercarentur, jussit patris cadaver e sepulcro extractum arbori alligari, et eos arcu contendere, ut qui patris cor transfigeret, ei in regno succederet. Primogenitus guttur transfixit, secundus pectus; tertius junior, sed pientior, noluit in cor patris jaculari, dicens impium esse cor patris transfigere. Itaque huic Thrax regnum adjudicavit. Hoc exemplum recenset *Theatrum vitæ humanæ,* vol. VII, lib. IV, post initium, ac auctorem citat Diodorum, lib. XX; sed Diodorus præter nomina Ariopharnis et filiorum regis Cimmeriorum nil tale habet; quare mihi idipsum de fide historica suspectum et mythicum videtur.

Vers. 26. 26. DIXIT AUTEM MULIER CUJUS ERAT FILIUS VIVUS AD REGEM (COMMOTA SUNT QUIPPE VISCERA EJUS SUPER FILIO SUO) : OBSECRO, DOMINE, DATE ILLI INFANTEM VIVUM, ET NOLITE INTERFICERE EUM. E CONTRARIO ILLA DICEBAT : NEC MIHI, NEC TIBI SIT, SED DIVIDATUR. — Hinc patet hanc non tantum falsam fuisse matrem, sed etiam invidia et odio laborasse in veram matrem, ideoque petiisse ut ejus filius occideretur, sicut suus erat mortuus : alioqui enim petiisset sibi servari infantem, cum mater vera illum ei dari a rege postularet, ne filius suus occideretur. Voluit ergo ut filius ejus moreretur, sicut suus filius erat mortuus. Ita Abulensis. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virg.* : « Quo audito illa quæ petebat alienum non solum acquievit, sed etiam divisionem parvuli depoposcit nullo affectu commota materno. Illa quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari : nec jam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens orare occepit, ut incolumis magis puer traderetur alienæ, quam sectus in partes matri propriæ redderetur. Unde Salomon qui non majestate divina, sed argumentis ut homo interiorem interrogabat affectum, illi potius judicavit parvulum esse reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidisset : illam vero, quam morituri parvuli misericordia non movebat exortem pronuntiavit esse naturæ, quam exortem vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit : diuque etiam bona mater eventu hæsit ambiguo, dum judicii periclitatur incerto. »

Tropologice S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. VIII, per duas has mulieres accipiens falsos et veros doctores : « Perversa mulier, inquit, clamat : Nec meus sit, nec istius. Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut ejus filius saltem apud extraneam sit, et vivat; quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur : et sola recipere totum meruit, quæ quasi totum concessit, quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur. »

Simili modo, sed dissimili affectu, et dispari effectu mater Antonini Caracallæ et Gætæ Cæsarum, ait Herodianus, ut eos discordes et imperium dividentes uniret, se ab illis dividi postulavit, ut uterque eorum sui partem in suo regno haberet. Sed frustra; Caracalla enim metuens fratrem suum Gætam, utpote populo gratum, eum in sinu matris occidit, atque ut scelus velamine pietatis tegeret, eum inter Divos retulit dicens : « Ut non sit vivus, sit Divus. »

Vers. 27. 27. RESPONDIT REX ET AIT : DATE HUIC INFANTEM VIVUM, ET NON OCCIDATUR : HÆC EST ENIM MATER EJUS. — Natura enim et naturalis compassio certo indicat hanc esse matrem. Vide hic solertiam et sapientiam Salomonis. « Itaque non immerito, ait S. Ambrosius, lib. II *De Offic.* cap. VIII, æstimatus est intellectus Dei in eo esse, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quam internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, et velut quamdam genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus qui elegerat filium suum vel apud alienam vivere, quam in conspectu matris necari. Sapientiæ igitur fuit, latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, et velut quadam machæra, ita spiritus gladio pe-

netrare non solum uteri, sed etiam animæ et mentis viscera. Justitiæ quoque, ut quæ suum necaverat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Denique etiam Scriptura hoc pronuntiavit : Audivit, inquit, omnis Israel hoc judicium quod Judicavit rex ; et timuerunt a facie regis eo quod intellectus Deo in eo esset ut faceret justitiam. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur, vers. 1, *officiales et principes Salomonis, et vers.* 7, *præfecti annonæ* 12 *per singulas tribus. Mox. vers.* 20, *Israelis pax et felicitas, ac Salomonis quotidianæ impensæ, regni amplitudo, opulentia, magnificentia, præsertim equorum et curruum. Denique, vers.* 29, *ejus sapientia, parabolæ, carmina et libri.*

1. Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel, 2. et hi principes quos habebat : Azarias filius Sadoc sacerdotis ; 3. Elihoreph et Ahia filii Sisa scribæ ; Josaphat filius Ahilud a commentariis ; 4. Banaias filius Joiadæ super exercitum ; Sadoc autem, et Abiathar sacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi ; Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis ; 6. et Ahisar præpositus domus, et Adoniram filius Abda super tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi et domui ejus ; per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. 8. Et hæc nomina eorum : Benhur, in monte Ephraim ; 9. Bendecar, in Macces, et in Salebim, et in Bethsames, et in Elon, et in Bethanan ; 10. Benhesed in Aruboth : ipsius erat Socho, et omnis terra Epher ; 11. Benabinadab, cujus omnis Nephathdor, Taphet filiam Salomonis habebat uxorem ; 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac et Mageddo et universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrael, a Bethsan usque Abelmehula e regione Jecmaan ; 13. Bengaber in Ramoth Galaad ; habebat Avothiair filii Manasse in Galaad ; ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas ; 14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim ; 15. Achimaas in Nephtali ; sed et ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio ; 16. Baana filius Husi, in Aser, et in Baloth ; 17. Josaphat filius Pharue in Issachar. 18. Semei filius Ela, in Benjamin ; 19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. 20. Juda et Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine, comedentes, et bibentes, atque lætantes. 21. Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna a flumine terræ Philistiim usque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, 23. decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum caprearum, atque bubalorum, et avium altilium. 24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum ; et habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. 27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti ; sed et necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore suo. 28. Hordeum quoque et paleas equorum et jumentorum, deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi. 29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et

Ægyptiorum, 31. et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan Ezrahita, et Heman, et Chalcol, et Dorda filiis Mahol; et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. 32. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque et mille. 33. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. 34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

Vers. 4. 4. SADOC AUTEM ET ABIATHAR SACERDOTES, — scilicet summi, id est pontifices. Dices: Salomon jam ablegarat Abiathar, eumque pontificatu privarat, cap. II, vers. 27. Respondeo, recensentur hic omnes officiales Salomonis, sive qui jam tum erant, sive qui fuerant, sive qui futuri erant, ut patebit vers 11 et 15. Voluit enim eos omnes Scriptura hic simul enumerare. Nominat ergo Abiathar, quia is tempore Davidis fuerat Pontifex, eumque ut sibi fidelem David Salomoni commendarat : sed quia ipse cum Adonia contra Salomonem conspirarat, hinc eum Salomon pontificatu privavit. Ita Abulensis. Alii respondent Abiathar ab exilio a Salomone revocatum, non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium, uti Deus minando prædixerat ejus abavo Heli, I *Reg.* II, 36 : « Futurum est ut quicumque remanserit in domo tua, etc., dicat : Dimitte me ad unam partem sacerdotalem. » Ita Theodoretus et Procopius. Tertio, Serarius respondet Abiathar vocari sacerdotem, quia fuerat sacerdos.

Vers. 5. 5. ZABUD FILIUS NATHAN SACERDOS, — id est princeps intimus regi, ut vertunt Septuaginta. Sic filii David vocantur sacerdotes, id est aulæ principes et proximi regi, II *Reg.* cap. VIII, vers. ultim.

Vers. 11. 11. TAPHETH FILIAM SALOMONIS HABEBAT UXOREM. — Est prolepsis, necdum enim eam habebat, sed postea habuit. Nam Salomon hoc tempore erat duntaxat 20 annorum circiter. Unde non poterat habere filiam quæ esset nubilis. Idem dico de Achimaas, qui alteram habuit Salomonis filiam vers. 15. Recensentur enim hic omnes officiales et principes Salomonis simul, sive qui tum erant, sive qui postea facti sunt, uti dixi vers. 4.

Vers. 20. 20. JUDA ET ISRAEL INNUMERABILES SICUT ARENA MARIS, — *q. d.* Tempore Salomonis crevit tribus Juda et cæteræ undecim tribus Israelis in innumerabilem quasi multitudinem : eratque tum summa rerum omnium abundantia, ita ut omnes in suis opibus et deliciis gauderent et exultarent. Allegorice regni Salomonis felicitas repræsentavit felicitatem summam regni Christi in Ecclesia per gratiam, in cœlo per gloriam.

Vers. 21. 21. SALOMON AUTEM ERAT IN DITIONE SUA HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE TERRÆ PHILISTIIM, USQUE AD TERMINUM ÆGYPTI. — Quæres, quodnam sit *flumen terræ* Philistiim? *Primo*, Gaspar Sanchez censet esse mare Philistinorum, huic enim adjacent Philistini. *Secundo*, Abulensis censet esse Rinocoluræ rivum, qui disterminat Philistæam ab Arabibus. *Tertio*, alii censent esse Jordanem, vel potius originem Jordanis in Libano : ubi oriuntur duo rivi Jor et Dan; qui mox confluentes faciunt Jordanem. Vero dico flumen hoc esse Euphratem. Nam τὸ *terra Philistiim* non est referendum ad τῷ *flumine*, ut patet ex Hebræo (in Hebræo enim est נהר *nahar* in absoluto, non נהר *nehar*, uti esse deberet in regimine genitivi, si regeret genitivum terræ) sed ad τὸ *regna*, *q. d.* Salomon obtinebat omnia regna terræ Philistiim, a flumine, id est quæ interjacent a flumine Euphrate usque ad terram Philistiim inclusive, sive Salomon obtinebat omnia regna regionum inchoando a flumine Euphrate usque ad terram Philistiim. Maluit dicere *terræ*, quam *usque ad terram*; tum ut indicet in terra Philistinorum non fuisse finitum regnum Salomonis, sed per illam extensum usque ad fines Ægypti, *q. d.* a flumine tendendo per terram Philistiim usque ad fines Ægypti; tum quia loquitur concise, et ex aliis Scripturæ locis quasi pervulgatis, concise terminos regni Salomonis a Deo promissos consignat. Scriptura enim terminos terræ sanctæ Judæis promissos assignat flumen Euphratem ab Oriente, et Philistæam ab Occidente, Ægyptum a Meridie. Hoc enim promiserat Deus Abrahæ, *Genes.* XV, 18, dicens : « Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. » Itaque se explicat Auctor hujus libri Regum mox vers. 24, dicens : « Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thapsa usque ad Gazan, » quæ est ultima satrapia Philistinorum. Ita clare non tantum intelligit, sed et legit S. Augustinus in Quæst. *in Josue*, *Quæst.* XXI : « Et erat dominans, inquit, in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philistiim, et usque ad fines Ægypti. Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate. » Neque enim de Jordane hic accipi potest, cum et citra Jordanem, et ultra Jordanem jam terras Israelitæ obtinerent etiam ante regnum Salomonis. Sic et Chaldæus, *a Perath* (id est Euphrate), inquit, *terræ Philistiim, usque ad fines Ægypti*. Sic et Benedictus : *A flumine terræ*, inquit, id est, *usque ad terram Philistiim*. Et Isidorus clarius : *A flumine usque ad terram Philistiim*. Sic et Lyranus ac Mariana Vatablus : *A flumine et terra Palæstinorum usque ad Ægyptum*. Dat enim hic tres terminos regni Salomonis, scilicet Euphratem ab

Oriente, Philistinos ab Occidente, et Ægyptum a Meridie, ut dixi.

Vers. 22. 22. ERAT AUTEM CIBUS SALOMONIS (hoc est aulæ, sive aulicorum, puta principum, asseclarum et famulorum Salomonis) TRIGINTA CORI SIMILÆ ET SEXAGINTA CORI FARINÆ, DECEM BOVES PINGUES, ET VIGINTI BOVES PASCUALES (aliti et saginati in pascuis) ET CENTUM ARIETES.—Hinc patet multitudo eorum quos alebat Salomon, ejusque magnificentia.

Simila est flos, sive albior et purior farina tritici, ex qua fit panis similiganeus et delicatus, de qua Martialis, lib. XIII :

Non poteris similæ dotes numerare nec usus.

Et Plinius, libro XVIII, cap. X : « Similago ex tritico fit laudatissimo. Ex Africo justum est e modiis redire semimodios, et pollinis sextarios quinque. Ita enim appellant in tritico, quod florem in siligine. » Unde Seneca, *epist.* 119 : « Utrum panis hic, inquit, plebeius sit, an similiganeus ad naturam nihil pertinet. » Sic nobiles comedunt panem similiganeum, plebeiiet rustici triticeum et siligineum. Porro *corus* est mensura continens modios Romanos triginta. Vide dicta *De Mensuris*, in fine Pentateuchi.

EXCEPTA VENATIONE CERVORUM, CAPREARUM ATQUE BUBALORUM. — *Bubalus* hic non est is quem vulgus *Buffalum* vocat, animal stolidum et pauperum cibus, cum hic inter delicias cervorum et caprearum venatione captas ponatur. Unde bubalum esse a caprearum genere asserit Oppianus, lib. II *De Venatione*. Et Plinius, lib. VIII, ait « Africam gignere bubalos, vituli, cervive potius similitudine, bobus autem sylvestribus imperitum vulgus nomen bubalorum imponere. » Hebraice est יחמור *iachmur*, quod Rabbinus Jona vertit, *capram magnam;* Tigurina, *ibicem*, alii, *damam;* alii, *hircum sylvestrem.*

Vers. 24. 24. IPSE ENIM OBTINEBAT OMNES REGIONES TRANS FLUMEN A THAPHSA USQUE AD GAZAN.—Thaphsa opponitur hic Gazæ; unde videtur sita fuisse juxta Euphratem. Hic enim limitabat regnum Salomonis ad Orientem, sicut Gaza ad Occidentem. Nonnulli suspicantur Thaphsa esse illam quæ Tharsacus dicitur a Ptolemæo, Strabone, Xenophonte et Stephano. Alia fuit Thaphsa cis Jordanem, cujus incolas Manahem occidit, IV *Reg.* XV, 16. Hinc videtur Salomon regnasse ultra flumen, scilicet ultra Euphratem, ac partem Mesopotamiæ obtinuisse, a Thaphsa scilicet usque ad Gazam.

Vers. 26. 26. ET HABEBAT SALOMON QUADRAGINTA MILLIA PRÆSEPIA EQUORUM CURRILIUM, ET DUODECIM MILLIA EQUESTRIUM, — hoc est, habebat 40 millia equorum in præsepiis. Sic enim explicatur II *Paralip.* IX, 25 : « Habuit, inquit, Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque (tum ad pompam, tum ad bellum) duodecim millia. » Est hypallage : « Habebat præsepia equorum, » id est habebat equos in præsepiis, sive in equilibus. Aut certe per « præsepia, » intellige septa, quæ in equili cuique equo ad manducandum assignantur : præsepium enim commune in varia septa, quæ cuique equo deputantur, dividitur, ut unus equus ab alio sive muro exiguo, sive trabe interjecta separetur, ne equi vicini septum et pabulum invadat, cum eoque pugnet et calcitret. Ita Vatablus.

Porro II *Paral.* IX, 25, in Hebræo jam est : *Habebat Salomon quatuor millia præsepium,* quia scilicet in quolibet præsepi sive equili habebat decem equos, ita ut universim haberet 40 millia equorum currilium, ut vertit Noster et Septuaginta. Nam quatuor millia multiplicata per decem faciunt 40 millia. Ita Vatablus.

Curriles equi vocantur, qui currus trahunt, equestres qui equitem sustinent. Currilibus tot opus habuit Salomon ad vehendum suas reginas, quas habuit 700, et concubinas, id est secundarias uxores, quas habuit trecentas. Item ad annonam, aquam, ligna, lapides, etc., ad fabricam templi et palatiorum suorum convehenda. Equestribus ad milites et equites, item ad principes et famulos honorarios, qui in iis se honoris et magnificentiæ causa stiparent et comitarentur.

Censent nonnulli Salomonem in copia tot equorum peccasse contra legem *Deuter.* cap. XVII, 16 : « Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, » sed magis peccavit in causa, scilicet in multiplicatione tot reginarum et uxorum, tantoque fastu et pompa regia, quam alere debebat populus. Unde et murmuravit contra Roboam Salomonis filium, imo ab eo defecit ad Jeroboam, ut audiemus cap. XXII, vers. 4. Abulensis tamen excusat Salomonem a peccato, saltem graviore, quod bona intentione id fecerit, et ob necessitatem, idque in rerum omnium abundantia et summa opulentia. Volebat enim Deus in Salomone suam et Israelis gloriam et magnificentiam toti mundo ostendere.

Vers. 29. 29. DEDIT QUOQUE DEUS SAPIENTIAM SALOMONI ET PRUDENTIAM MULTAM NIMIS, ET LATITUDINEM (Chaldæus, *dilatationem*) CORDIS, QUASI ARENAM, QUÆ EST IN LITTORE MARIS. — « Latitudinem cordis » vocat magnificentiam et magnanimitatem, puta cor regium, amplum, magnificum, magnanimum; ad tantum regimen ac tanta onera et opera, fabricarum præsertim, magno animo sustinenda et superanda, ut sicut arena plurima est et latissime se porrigit, sic et cor Salomonis plurima etiam minutissima complecteretur, et ad omnia quæ mente concipiebat opere exequendum sese extenderet. Parum enim prodest multa mente concipere et intelligere, nisi adsit virtus et strenuitas ad ea in praxim redigendum.

Vers. 31. 31. SAPIENTIOR ETHAN. — Hic Ethan fuit insignis poeta et musicus, ut patet I *Paralip.* XV, 19; unde et *Psalm.* LXXXVIII, hoc titulo prænotatur : « Intellectus Ethan. »

Vers. 32. 32. LOCUTUS EST (dictavit et scribi fecit) QUOQUE SALOMON TRIA MILLIA PARABOLAS. — Partem earum

habemus in *Proverbiis*, ubi a cap. x incipiunt parabolæ, et se porrigunt ad libri finem per versus 658, qui totidem quasi continent parabolas.

ET FUERUNT CARMINA EJUS QUINQUE ET MILLE. — Vatablus, *quinque super mille*. Sic et Hebræus, Chaldæus et Josephus, *q. d.* Liber Odarum Salomonis continebat mille odas et quinque. Septuaginta vero vertunt, *erant carmina ejus quinque millia*. Hinc patet Salomonem fuisse Poetam. Poesis prisca Hebræorum intercidit : nec jam numeros carminis in psalmis aliisque carminibus advertimus, nisi in rhythmo.

Vers. 33. 33. ET DISPUTAVIT SUPER LIGNIS A CEDRO QUÆ EST IN LIBANO, USQUE AD HYSSOPUM QUÆ EGREDITUR DE PARIETE, — hoc est a maximis usque ad minimas. « Hyssopum » hic intellige parietariam, quam nonnulli apud Abulensem vocant origanum vel spartum. Levinus Lemnius, cap. XXVI *De Herbis*, et Pineda vocant adianthum, Serarius saturtiam, quæ idcirco Arabice nuncupatur *tsatar*.

ET DISSERUIT DE JUMENTIS, ET VOLUCRIBUS, ET REPTILIBUS, ET PISCIBUS. — Verisimile est hæc olim in libris fuisse conscripta, uti de iisdem nuper fuse scripsit Ulysses Aldrovandus, Conradus Gesnerus, Gulielmus Rondeletius, Julius Scaliger et alii. Verum hæc omnia pene interciderunt tot sæculorum intervallo, præsertim quia tum non erat typographia, sed pauca exemplaria manuscripta duntaxat, quæ facile intereunt. Sic et interciderunt omnia Patriarcharum et Sapientum Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabum, Græcorum scripta ante Moysen, cujus fere solius ex prisco illo ævo libri et scripta exstant. Addit Abulensis Dei providentia eos interiisse, eo quod nimis curiosa continerent, vel quod nos tanta scientiarum luce, quam ipse per revelationem acceperat, indigni essemus. Glossa censet eos combustos fuisse a Chaldæis; Eusebius vero, et ex eo Glycas ab Ezechia rege.

Hinc patet Salomonem tum privatim suos, tum publice omnes docuisse Physicam et scientiam rerum naturalium, hoc enim significat τὸ *disputavit* et *disseruit*. Ad hoc enim ipse ædificavit scholam sive academiam in monte Sion, in qua ipse docebat, ut dixi *Proverb.* IX, 1; unde ab eo suam doctrinam hauserunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, teste Eusebio, S. Ambrosio, Clemente Alexandrino et aliis.

Addit Psellus Salomonem scripsisse libros de gemmis, et gentis sive dæmonibus evocandis, certo loco affigendis, et ad opera cogendis. Sed et magi nonnulli proferunt Salomonis incantationes, claviculam et annulum : verum hæc magica sunt et Salomone indigna. Vide Pinedam (1).

(1) 34. *Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ qui audiebant sapientiam ejus.* — Subintellige missi ab universis regibus qui aliquid audierant de summa ejus sapientia; quin etiam et multi reges, præter reginam Saba, de qua cap. x, venerunt videre Salomonem. Sic legimus apud Liet-se scriptorem Sinensem, Mou-vang Imperatorem anno 1001 ante Christum, visitasse Sy-vang-mou, cujus regnum, juxta alium scriptorem, Se-ma-tsien, qui scribebat 200 circiter annos ante Christum, ad occidentem maris Caspiani erat positum, in Syria vel Arabia, et multos peritos artifices inde reduxisse, nec non omnimodam scientiam circa res naturales reportasse. (Gaubil, *Chronologia Sinensis.*) Porro hæc omnia optime conveniunt Salomoni.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paciscitur Salomon cum Hiram de lignis et operariis ad fabricam templi.

1. Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem; audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus, quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens : 3. Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitnm; et non est satan, neque occursus malus. 5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens : Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. 6. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis; mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris : scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii. 7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde et ait : Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium

sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens : Audivi quæcumque mandasti mihi ; ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum quem significaveris mihi, et applicabo ea ibi ; et tu tolles ea, præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus. 11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei ; hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. 12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei ; et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus. 13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis ; et Adoniram erat super hujuscemodi indictione. 15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, 16. absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo, et his qui faciebant opus. 17. Præcepitque rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, et quadrarent eos, 18. quos dolaverunt cæmentarii Salomonis et cæmentarii Hiram ; porro Giblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandam domum.

Vers. 1. 1. MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI SERVOS SUOS AD SALOMONEM, — ut ei quasi novo regi de inauguratione gratularetur. Litteras Hiram et Salomonis ex Archivis Tyriorum acceptas recenset Josephus et Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *De Præpar.* Earum titulus est : *Suron Salomoni regi magno salutem*, ubi vocat eum regem magnum, quasi regem regum, ob sapientiam æque ac opes et potentiam. Hiram enim Hebraice et a Septuaginta vocatur *Chiram* vel *Churam*, quasi Chirom vel Tyrom, id est Tyriorum rex, ait Serarius. A Phœnicibus Hiram vocatur *Surom* (Tyrus enim Hebraice dicitur שור *sor*, id est petra, quia in rupe sita : unde *Sarranum ostrum* vocatur Tyria purpura) ; a Theophilo Antiocheno, Hieromus et Hieromenus, cujus filiam Salomoni nupsisse asserit Tatianus. A Josepho, lib. VIII *Antiquit.* cap. II, et lib. I *Contra Apionem* vocatur Iromus Abibali filius.

Vers. 4. 4. ET NON EST SATAN, — *q. d.* Non est adversarius, non est mihi hostis, cum quo bella geram, vel qui me a fabrica templi impediat.

Vers. 7. 7. BENEDICTUS DOMINUS DEUS HODIE QUI DEDIT DAVID FILIUM SAPIENTISSIMUM. — Hinc videtur quod Hiram partim ex familiaritate cum Davide, partim ex sapientia et felicitate Salomonis cognoverit Deum verum, quem ipsi colebant. Vocat enim eum *Jehova* (ut habent Hebræi), quod est nomen proprium Dei Moysis et Hebræorum. Hinc quoque strenue cooperatus est Salomoni ad fabricam templi Dei veri, mittendo tot millia operariorum, ligna, lapides ; quod utique non fecisset, si ipse putasset Deum Salomonis non esse verum, sed falsum : pro templo enim ædificasset idolum. Simile fecit Seleucus rex Asiæ, II *Machab.* III, 3. Antea enim Hiram coluerat Herculem et Astartem deos Tyriorum, eisque templa ædificarat, uti asserit Josephus, lib. I *Contra Apion.* Forte etiam Hiram cum hisce diis suis patriis simul coluit Deum Hebræorum, uti fecerunt Assyrii translati in Samariam, ut audiemus lib. IV, cap. XVII.

Hinc Eucherius et Angelomus allegorice per Hiram intelligunt reges Gentium, ut Constantinum, Theodosium, Gratianum, Carolum, qui Christum et Apostolos, in ædificanda et propaganda Ecclesia adjuverunt. Unde et Hiram vel Chiram Hebraice idem est quod *vita excelsus*, aut *vitæ celsitudo* ; vel *principatus*, aut *nobilitas*, aut *candor eorum*, ait Pagninus in *Nominib. Hebr.*

Vers. 10. 10. ITAQUE HIRAM DABAT SALOMONI LIGNA CEDRINA ET LIGNA ABIEGNA, — scilicet cedros et abietes. Addit lib. II *Paral.* II, 8 : « Ligna arceuthina, » id est *juniperina*, ut vertunt Septuaginta, scilicet juniperos, quæ ibi in magnam altitudinem et crassitiem excrescunt, ut inde fiant trabes pro fabricis. Licet enim David ligna reliquamque materiam ad fabricam templi præpararit, ut dicitur I *Paralip.* XXII, 14, tamen hæc non suffecerunt Salomoni, majora, et plures fabricas palatiorum suorum meditanti. Ita Abulensis.

Allegorice, Eucherius et Angelomus : « Conversa Gentilitas, inquit, misit ad Christum viros quosdam, et secundum sæculum claros, sed securi Dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ jam dejectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore collocarentur. Misit etiam artifices : quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis jure præponerentur, Domino Gentilitas obtulit, qualis fuit ipsis Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis

deinceps doctor suavissimus et fortissimus martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. Misit et aurum, quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia et ingenio præclaros ostendit, pro quibus cunctis oblationibus Gentilitas a Deo dona exspectat gratiæ cœlestis. »

Vers. 11. 11. SALOMON AUTEM PRÆBEBAT HIRAM COROS TRITICI VIGINTI MILLIA. — Tyrus enim tunc erat insula et undique cincta mari, ut in ea nec seri nec meti posset. Unde Hiram petens a Salomone triticum in sua epistola apud Josephum ait : « Tritico indigemus, quippe insulares sumus : » postea vero Tyrus a Nabuchodonosor per tredecim annos obsessa, comportatis in mare terræ aggeribus, ut adiri et expugnari posset, facta est Peninsula, ut dixi *Ezech.* XXIX, 17 et 18, et *Isaiæ* XXIII, 10.

Vers. 13. 13. ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDICTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM. — Per « operarios » intellige primarios et artifices, vel præfectos operum. Nam, ut dicitur cap. IX, 22, « de filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum. »

Vers. 15. 15. FUERUNTQUE SALOMONI SEPTUAGINTA MILLIA EORUM, QUI ONERA PORTABANT, ET OCTOGINTA MILLIA LATOMORUM IN MONTE, — hoc est lapicidarum, qui lapides ex monte sive rupe exciderent. Hi enim non erant Israelitæ, uti jam dixi, sed proselyti, ut patet II *Paralip.* II, 17 et 18. Proselyti igitur hi erant Gabaonitæ cæterique Chananæi Hebræis subjecti, et ad judaismum conversi. Proselytorum ergo onera portantium et latomorum in fabrica templi erant universim 150 millia, Hebræorum vero triginta millia, ut dictum est vers. 13, quæ adde 150 millibus, fient 180 millia. His adjice Tyrios et Sidonios, quos Salomon ab Hiram postularat, ipseque ei submiserat, ut patet vers. 6 et 9, ac Ægyptios, quos Pharao socer Salomonis ei destinarat, evadent ducenta millia et amplius eorum qui laborarunt in fabrica templi, imo; si credimus Eupolemo apud Eusebium, lib. II *De Præpar.*, evadent trecenta et quadraginta millia : Eupolemus enim asserit Hiram misisse Salomoni octoginta milla Tyriorum, ac Pharaonem totidem millia Ægyptiorum, qui juncti faciunt 160 millia, quæ si addas 180 millibus a Salomone destinatis, fient 340 millia. Verum hic numerus videtur nimius et quasi incredibilis. Unde nonnulli opinantur errorem esse in numeris Eupolemi vel Eusebii, ut octoginta millia irrepserint pro octo vel octodecim millibus. Sub latomis, id est lapicidis, intellige lignorum cæsores, sed hic latomi soli numerantur, quia erant plures lapicidæ quam lignicidæ. Sic sub onera portantibus intellige aurigas, nautas, muliones, agasones, etc.

16. ABSQUE PRÆPOSITIS, etc., NUMERO TRIUM MILLIUM ET TRECENTORUM. — Dices : II *Paral.* II, numerantur tria millia et sexcenti. Respondeo, ex sexcentis erant trecenti, qui ipsis præpositis præerant, quos addit et supplet liber *Paralip.* Ita Vatablus, Dionysius, Cajetanus et Salianus. Vers. 16.

17. UT TOLLERENT LAPIDES GRANDES, LAPIDES PRETIOSOS, IN FUNDAMENTUM TEMPLI. — Ergo hi lapides pretiosi non erant adamantes, carbunculi, smaragdi, sed marmorei : hi enim sunt duri et fortes, ut in fundamenta mittantur ibique fabricam omnem sustineant. Porro marmor est magni pretii et varii generis. Aliud enim dicitur Ophites, eo quod habeat maculas instar serpentum : ὄφις enim est serpens. Aliud dicitur Porphyrites, quod rubeat, ac candidis punctis dispungatur. Aliud est Parium et album, aliud nigrens, aliud viride. Aliud dicitur sphengites, quod splendet et tralucet. Vers. 17.

18. PORRO GIBLII PRÆPARAVERUNT LIGNA ET LAPIDES. — Putant nonnulli fabros hos dictos Giblios ab Hebræo גבול *gebul*, id est terminus, quod dolando lapides eos eleganti figura terminarent. Verum dico Giblios sive Biblios (littera enim *g* subinde commutatur cum littera *b*) dici ab urbe Biblo, de qua Adrichomius, pag. 185, num. 11 : « Biblus, inquit, sive Byblos, et Biblium, olim Eve seu Evæa, nunc Gibel, Giblec et Bibleth dicta, inclyta Phœnices civitas est, quæ Hebraice Gebal et Gobel; incolæ vero ejus Biblii seu Giblii in sacris litteris vocantur. Hæc versus Aquilonem a Cane fluvio tribus, contra Austrum vero a civitate Botro quatuor milliaribus super mare sita, ab Evæo sexto filio Chanaan fundata scribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legimus. Porro Biblii præparaverunt (Salomoni) ligna et lapides ad ædificandam domum Domini. » Denique in Biblo erant Adonidis templa, ait Strabo, lib. XVI. Hodie Gaeta dicitur (1). Vers. 18.

(1) Hodie ab Arabibus *Djebleh*, vel *Djebel*, vel *Djebail* nuncupatur, inter Tripolim et Berytum sita, a Tripoli distans 53 kil.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat templum.

1. Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est; et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ, et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, et consummavit eam; texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. 15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus, et texit pavimentum domus tabulis abiegnis. 16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina a pavimento usque ad superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes; omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis, et operuit illud, atque vestivit auro purissimo; sed et altare vestivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavis aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur; sed et totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera; id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus; in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim; 26. id est, altitudinem habebat unus cherub, decem cubitorum, et similiter cherub secundus. 27. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherub secundi

tangebat parietem alterum : alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. 28. Texit quoque cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno, et fecit in eis cherubim et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes. 30. Sed et pavimentum domus texit auro intrinsecus et extrinsecus. 31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis olivarum, et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia; et texit ea auro; et operuit tam cherubim quam palmas et cætera auro. 33. Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos, 34. et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. 35. Et sculpsit cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes; operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio, 38. et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis, ædificavitque eam annis septem.

IDEA TEMPLI.

Templum Salomonis fuit instar tabernaculi Moysis : tabernaculum enim erat quasi templum mobile Hebræorum peregrinantium in deserto : templum vero erat quasi tabernaculum fixum et stabile eorumdem quiete habitantium in terra promissa. Quare sicut Deus ideam tabernaculi dedit Moysi, *Exodi* cap. XXV et seq., sic et idem templi fabricandi dedit Davidi, ut is eam traderet Salomoni ut patet I *Paral.* cap. XXVIII, vers. 19. Templum ergo æque ac tabernaculum proprie duas habebat partes, una anterior dicebatur Sanctum, altera posterior dicebatur Sanctum sanctorum, id est sanctissimum, uti est chorus in templis nostris. In Sancto erant tria, scilicet *primo,* candelabrum septiceps totidem lucernis impositis lucens. *Secundo,* mensa panum propositionis, continens duodecim panes, quos duodecim tribus offerebant Deo in gratiarum actionem, quasi protestantes se in terra promissa ali a Deo. *Tertio,* altare thymiamatis vicinum et obversum Sancto sanctorum, in quo quotidie mane et vespere immolabatur thymiama Deo residenti in Sancto sanctorum. Jam in Sancto sanctorum erat arca fœderis cum suo operculo, id est propitiatorio, sustinens duos Cherubinos, qui junctis alis exhibebant quasi sedem et thronum Deo inde danti oracula et responsa de iis, quæ ab eo sciscitabatur pontifex indutus Rationali Urim et Tummim. Nam in Sanctum sanctorum nemo ingredi poterat nisi pontifex, in Sanctum vero nemo nisi sacerdos : qua pro populo ante Sanctum adjectum fuit atrium sub dio, quod erat quasi populi sive laicorum templum, ut in eo orarent et sacrificia spectarent.

Atrium hoc erat duplex. Prior enim ejus pars vicina Sancto cedebat sacerdotibus : in eo enim erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes victimas immolabant, ac labrum sive mare æneum, in quo sacerdotes tam se quam victimas abluebant. Posterior et remotior a Sancto atrii pars cedebat laicis, qui inde spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum; unde ab eo distinguebatur muro alto tres cubitos duntaxat, ita ut laici ultra eum spectare possent sacerdotes eorumque actiones. In hoc atrio Christus docuit. Nam in Sanctum ingredi non poterat, eo quod non esset sacerdos Leviticus. In atrium utrumque nemo ingredi poterat nisi mundus. Quare pro immundis et Gentilibus Herodes adjecit tertium atrium, quod erat extimum et remotissimum a Sancto; ac separatum ab atrio Judæorum mundorum.

Porro ad muros vel latera horum atriorum erant exedræ, quæ et gazophylacia et pastophoria dicuntur, hoc est cubicula sacerdotum, et supellectilium templi, ut vestium sacrarum, quas hic induebant sacerdotes, ac deinde exuebant et reponebant.

Templum majus et magnificentius erat tabernaculo. Tabernaculum enim longum erat cubitis triginta (Sanctum enim longum erat cubitis viginti, Sanctum sanctorum decem) totidem altum; latum vero decem cubitis. Quare tam in tabernaculo, quam in templo, Sanctum erat quadrangulum, quia duplo longius erat quam latius, Sanctum sanctorum vero erat quadratum, quia tam latum erat quam longum. Templum autem longum erat sexaginta cubitis (Sanctum enim longum erat quadraginta cubitis, Sanctum sanctorum vero viginti) latum erat viginti cubitis, altum triginta usque ad primam contignationem, inde vero sursum per tabulata extendebatur ad nonaginta cubitos, ita ut universim in altitudine haberet centum et viginti cubitos.

Rursum in tabernaculo unum erat candelabrum

et una mensa, in templo vero erant decem mensæ et totidem candelabra.

Insuper atria in templo majora erant quam in tabernaculo. Erant enim atria quasi amplissimæ areæ, partim sub dio apertæ et patentes, partim porticibus ad latera contectæ, unde et porticus nominantur, ut tempore pluviæ ad eas se recipere posset populus. Ad atrium sacerdotum ingressos quoque fuisse Levitas, eo quod ipsi sacerdotibus in immolatione victimarum subservirent, censent Theodoretus, *Quæst.* XXII, Angelomus, cap. I, et Serarius : qui idem censet de Nathinæis, hi enim plurima ligna et aquas comportare debebant ad tot victimarum immolationem, quæ fiebat in atrio sacerdotum; Joannes Budinius, lib. I *De Gloria Christi Domini,* cap. V, unicum atrium sacerdotum fuisse vult quatuor stadiorum, ita ut nimirum totus templi ambitus quinque stadiorum fuerit. Adrichomius, lib. *De Jerusalem,* num. 101, dicit atrium profanum fuisse quatuor stadiorum.

Allegorice, templum repræsentabat Ecclesiam militantem; anagogice triumphantem in cœlis; tropologice, animam sanctam, quæ per fidem in hac vita, et per speciem in altera Deum facie ad faciem contemplatur, et hac contemplatione beatur.

Fuse et accurate templi fabricam describunt Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II; Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis;* Franciscus Ribera, lib. *De Templo;* Joannes Baptista Vilalpandus, Abulensis, Arias Montanus, Christianus Adrichomius, Richardus de S. Victore, Cajetanus. Mysticam templi explicationem fuse affert Beda libris tribus *De Tabernaculo,* Eucherius, Angelomus, Rupertus et Franciscus Ribera, lib. V *De Templo.* Vide etiam si libet quæ annotavi *Exodi* XXV et seq., ubi tabernaculum omnesque ejus partes tam ad litteram quam mystice explicui. Multa quoque addidi *Ezechielis* cap. XL et seq.

Templi magnificentia. Primo. Magnificentia templi quanta et quam eximia fuerit ex variis conjici potest. *Primo,* quod templum fuerit opus Salomonis, qui fuit rex sapientissimus, opulentissimus et magnificentissimus.

Secundo. *Secundo,* quod templum factum sit ad ideam non hominis, sed Dei ipsius, qui illam dedit Davidi, ut eam traderet Salomoni, uti dixi. Volebat enim Deus ut Judæis et hominibus rudibus, qui Deum et divina æstimare et ponderare nesciunt, divina majestas in templi magnificentia repræsentaretur, ut ex illa discerent eum æstimare, revereri et admirari. Hanc causam dat Salomon, II *Paralip.* II, 5, dicens : « Domus quam ædificare cupio magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos. »

Tertio. *Tertio,* ex eo quod templum hoc ab omnibus habitum sit orbis miraculum. Insuper parietes et laquearia ejus tegebantur auro, ita ut omnia reniterent auro, et intrantium oculos fulgor undique occurrens perstringeret, ait Josephus, lib. VIII, cap. II.

Quarto, ex numero operariorum et præfectorum : laborarunt enim in eo ducenta hominum millia et amplius, per septem continuos annos, uti ostendi cap. V, 15. Quarto.

Quinto, ex opibus ad templi fabricam Salomoni relictis. Reliquit enim ei pater David, ut dicitur I *Paralip.* XXII, 14, centum millia talentorum auri, quæ ad nostram monetam redacta faciunt mille et ducentos milliones. Millionem voco decies centena millia aureorum. Insuper reliquit ei mille millia talentorum argenti, quæ tantumdem efficiunt, puta mille et ducentos milliones auri. Libra enim una auri olim valebat decem libras argenti. Universim ergo reliquit ei bis mille et quadringentos milliones aureorum, præter æs, ligna, lapides cæteramque fabricæ materiam innumeram. Unde I *Paralip.* XXII, 14, additur : « Æris vero et ferri non est pondus : vincitur enim numerus magnitudine. » Quinto.

Sexto, « malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur. » Addit Josephus in fine lib. XV, « toto tempore » quo templum struebatur, nunquam interdiu pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio, licet Josephus ibi proprie loquatur de templo Herodis. Sexto.

Septimo, Hebræi decem mira et quasi miracula templi recensent, penes quos sit fides. *Primum,* « Nunquam abortivit mulier propter carnis nidorem in sanctuario. *Secundum,* nunquam fœtuit caro sanctuarii. *Tertium,* neque conspecta fuit musca in domo mactationis. *Quartum,* non accidit casus nocturnus sacerdoti magno in die expiationis. *Quintum,* non extinxerunt pluviæ ignem qui erat in strue lignorum. *Sextum,* non vicit ventus columnam fumi. *Septimum,* non repertum ullum vitium in Gomer, nec in duobus panibus, nec in panibus facierum. *Octavum,* stabant coarctati et adorabant dilatati. *Nonum,* nunquam læsit aliquem serpens et scorpio in Jerusalem. *Decimum,* nec dixit homo socio suo : angustior mihi est locus quam ut possim pernoctare Hierosolymis. » Septimo.

Vers. 1. 1. FACTUM EST ERGO QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN ANNO QUARTO, MENSE ZIO (IPSE EST MENSIS SECUNDUS) REGNI SALOMONIS SUPER ISRAEL, ÆDIFICARI COEPIT DOMUS DOMINO. — Perperam ergo Josephus ab exitu Hebræorum usque ad fabricam templi numerat annos 592 (sic enim legendum in Josepho ostendit Ribera, lib. I *De Templo,* cap. I, non 612 uti jam habent Codices Latini Josephi), ac Beda numerat annos 490, Sulpitius 588, Theophilus 602, Cedrenus 672, Philastrius 713, Serarius hic in cap. VII, numerat annos 680. Hæc enim omnia repugnant huic loco, ubi Hebræi, Septuaginta, Chaldæi et Latina constanter numerant annos duntaxat 480, quorum computum præcise per annos Judicum assignavi *Judic.* cap. III, 13. Ubi nota Septuaginta Romana hic habere annos 440 duntaxat, sed non numerant annos 40, qui-

bus Hebræi peregrinati sunt in deserto; quare egressum ex Ægypto completum intelligunt, et sub eo comprehendunt ingressum in terram promissam, qui contigit anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto. Verum Septuaginta, Complutensia et Regia habent ut Noster et Hebræi scilicet annos 480.

Cœpit igitur Salomon ædificare templum anno quarto regni sui, mense secundo; perfecit vero illud anno undecimo mense octavo, ut dicitur vers. 37. Unde sequitur ædificationem hanc durasse septem annos, et septem menses præcise. Sed Scriptura septem menses quasi quid minutum subticet, et integrum annorum duntaxat numerum assignat. Cœpit ergo templum fabricari anno mundi 2933, qui fuit a diluvio annis 1276, ante Christi nativitatem anno 1017, juxta tabulam Chronologicam, quam præfixi Pentateucho.

Porro Josephus ait fabricatum fuisse templum anno 12 Hiram regis Tyri, indeque numerat 143 annos usque ad ædificationem Carthaginis, quam fecit Dido ex Tyro navigans in Africam. Sed error irrepsit in computu Josephi, nam non 143, sed 125 duntaxat fluxere anni, uti ex regum Tyri, qui Hiram successere, annorum numero, quem recenset Josephus, arithmetice demonstrat Salianus anno mundi 3166, in fine quo ipse Carthaginem conditam asserit, qui fuit annus decimus Joas regis Juda, et 28 Elisæi prophetæ, licet varii varie hac de re scribant.

Porro, cur hic numerentur anni fabricæ templi ab egressu Hebræorum ex Ægypto, causam dant Beda, Abulensis, et ex eis Pineda, lib. V, cap. v, quod tunc primum suum populum redigeret Deus sub forma reipublicæ ac certis ritibus, certisque sanctæ religionis et fidei legibus communiret. Ideo ubi illiusmet religionis templum amplissimum atque sanctissimum ædificabatur, et cujus erectione et opportunitate alia vel altaria vel loca religiosa cessare debebant; denique maximum incrementum religio et respublica perceptura erant, oportuit ejusdemmet religionis et reipublicæ initia designari.

Locus fabricæ templi describitur II *Paral.* cap. III, vers. 1, ubi dicitur : « Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria (ubi Abraham jussus fuit immolare Isaac *Genes.* XXII), qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi. » Hinc et Christus ibidem, puta in monte Calvariæ, qui pars est montis Moria, crucifixus seipsum victimam Deo obtulit pro mundi salute. Hoc enim adumbrabat immolatio Isaac, et victimarum omnium in templo. Denique templum ædificatum fuit in loco pertinente ad tribum Benjamin, uti omnes Interpretes docent, et patet *Deuter.* XXXIII, 12. Sic et Plato, lib. VII *Politic.*, et Aristoteles, lib. VI *De Legibus,* docent in montibus ædificanda esse templa, ut eminus sint conspicua, et cœlo Deoque viciniora.

Rursum II *Paral.* III, 3, dicitur Salomon « ædificasse longitudinis cubitos sexaginta in mensura prima, » id est ante distinctionem Sancti a Sancto sanctorum, prima mensura longitudinis totius templi fuit sexaginta cubitorum, quæ mensura deinde distincta et divisa est eo modo, ut ex ea Sanctum haberet 40 cubitos, reliquos vero viginti haberet Sanctum sanctorum. Ita Vatablus; aliter Abulensis. Prima mensura templi, inquit, fuit longitudo, quia *primo* in longum ædificarunt utrumque templi parietem, deinde in latum parietes transversos.

IN MENSE ZIO,— jam legunt Hebræi *in mense zif,* quia pro ו *vau* vocali cum puncto *cholem,* legunt *vau* consonantem sine puncto. Idem mensis Hebraice dicitur זיו *iiar* ab אור *or,* id est lux, splendor. Unde Chaldæus vertit, *in mense apertionis sive splendoris florum,* eo quod isto mense germina et flores se aperiant, eorumque viror et decor tunc splendescat.

IPSE EST MENSIS SECUNDUS — qui partim respondet nostro aprili, partim maio, sicut primus Hebræorum mensis dictus Nisan, partim respondet nostro martio, partim aprili, quod tempus est aptissimum ad fabricam.

2. DOMUS (templum) AUTEM, etc., HABEBAT SEXAGINTA CUBITOS IN LONGITUDINE, ET VIGINTI CUBITOS IN LATITUDINE, ET TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE. — Dices : II *Paralip.* IV, 4, dicitur : « Porro altitudo centum viginti cubitorum erat. » Respondeo, altitudo templi usque ad primam contignationem, sive usque ad primum tabulatum, erat triginta cubitorum, uti hic dicitur : altitudo vero ejusdem usque ad summam contignationem, sive usque ad summum tectum et pinnaculum, erat 120 cubitorum, ut in lib. *Paralip.* dicitur. Erat enim quasi aliud ædificium supra templum; ubi repositi fuere templi thesauri, donaria, vota, item vetus tabernaculum Moysis et Davidis altare, etc.: ita Eucherius, Angelomus, Abulensis et passim Interpretes. Vide Riberam, lib. I *De Templo,* cap. V, et Vilalpandum, pag. 267. Hic etiam latuit Joas puer, et postea rex, ait Cajetanus, fugiens Athaliam occidentem filios regis, IV *Reg.* II, 3. Tanta altitudo et moles templi sustentabatur crassis parietum muris, quibus incumbebat. Muri quoque fulciebantur per suas parastadas (vulgo *pilastres*) et antherides, de quibus vide Vilalpandum. Vers. 2.

Porro ex templo hoc ad tabulata conscendebatur per cochleam, de qua vers. 8 : « Et per cochleam, inquit, ascendebant in medium cœnaculum (tabulatum), et a medio in tertium. »

Denique cum Judæi post reditum ex Babylone templum a Chaldæis combustum reædificarunt, ad sexaginta duntaxat cubitos altitudinis illud evexerunt, eo quod Cyrus vetaret altius erigi, timens ne Judæi rebellantes ex templo facerent arcem, ut patet I *Esdræ* cap. VI, et ex Josepho.

Allegorice Angelomus : « Longitudo domus Dei, inquit, longanimitatem designat Ecclesiæ, quia

in exilio peregrinationis ejus patienter adversa quæque tolerat, donec ad patriam quam exspectat perveniat. Latitudo insinuat charitatem, quæ dilatato sinu mentis non solum amicos in Deo, sed et inimicos diligere gaudet propter Deum : donec veniat tempus, quando sive ad pacem suam conversis, sive funditus omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cujus intuitu libenter infima quæque, sive quæ demulcent, sive quæ adversantur, contemnit : usque dum utrisque transcensis sola mereatur videre bona Domini in terra viventium. »

Vers. 3. 3. ET PORTICUS ERAT ANTE TEMPLUM VIGINTI CUBITORUM LONGITUDINIS, JUXTA MENSURAM LATITUDINIS TEMPLI : ET HABEBAT DECEM CUBITOS LATITUDINIS ANTE FACIEM TEMPLI, — ita scilicet, ut hi decem cubiti latitudinis porticus adjungerentur non latitudini, sed longitudini templi, quia latitudo porticus erat minor, utpote decem cubitorum duntaxat, quam latitudo templi, quæ erat viginti cubitorum, quare et jungi et adæquari non poterat : adjuncta est ergo longitudini templi. Eadem vero erat longitudo porticus, quæ latitudo templi, scilicet viginti cubitorum; quare illa huic adjuncta et adæquata fuit : latitudo vero porticus, quæ erat decem cubitorum, adjuncta fuit longitudini templi, quæ erat sexaginta cubitorum, ita ut adjuncta latitudine porticus, templum cum porticu haberet septuaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine. Ita Ribera et alii.

Erat hæc porticus templi vestibulum ad elegantiam et magnificentiam, æque ac ad usum addita Sancto, sive anteriori parti templi. Id imitati sunt Christiani primi, qui suis templis iisdem de causis adjecere porticus, quales videre est Romæ in Basilica S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii, S. Cæciliæ, etc., idque ad multiplicem usum. In porticibus enim manebant excommunicati, pœnitentes, catechumeni, quibus templum ingredi et Missam audire fas non erat. Item pauperes, mendicantes et peregrini, qui a prandio vel noctu basilica clausa, in porticu orabant et pernoctabant. Ad hæc, qui in templo litteras et nuntios accipiebant de rebus domesticis vel sæcularibus, e templo, ubi illa expedire et tractare non decebat, egrediebantur in porticum, ibique ea peragebant. In porticu etiam parabantur sedes, scamna, ornamenta cæteraque inferenda in templum.

Porro templum, inquit Angelomus et Eucherius, « erat conversum ad Orientem, sicut et tabernaculum, habebatque ostium porticus ab Oriente contra ostium templi, juxta quod historicus Judæorum Josephus apertissime docet, ita ut sol æquinoctialis oriens directis radiorum suorum lineis per ostia tria, porticus videlicet, et templi et oraculi arcam testamenti perfundere posset. »

Unde allegorice per porticum hanc significantur sancti, qui Christum præcesserunt, puta Patriarchæ et Prophetæ, qui orientem huic mundo solem justitiæ primi susceperunt, et nascenti in carne Domino testimonium, sive vivendo, sive prædicando, sive nascendo, sive etiam moriendo, præbuerunt, ait Angelomus et Eucherius.

Denique nonnulli censent hanc esse porticum Salomonis, in qua docuerunt Christus et Apostoli; ita Abulensis, Titelmanus, Jansenius, cap. XCIII *Concord. Evangel.*; sed hallucinantur : hæc enim porticus erat vicina Sancto ante atrium sacerdotum, in quorum neutrum ingredi licebat Christo et Apostolis, eo quod non essent sacerdotes veteris legis. Vide quæ de porticu Salomonis dixi *Actor.* cap. III, vers. 11.

4. FECITQUE IN TEMPLO FENESTRAS OBLIQUAS. — Vers. 4. Hebraice שקפים אטמים *scekuphim atumim,* id est *aspicientes clausas,* hoc est, ut Chaldæus, *intrinsecus apertas, extrinsecus clausas,* puta introrsum latiores, extrorsum angustiores (forte etiam cancellis obductas : unde Septuaginta vertunt, *cancellatas vel reticulatas*) ideoque « *obliquas,* » ut vertit Noster, ut videlicet plus luminis admitterent : quia, ut docent Optici sive Perspectivi, in obliquis hisce fenestris radii solares venientes forinsecus intersecant se in superficie extima fenestræ, ubi est locus angustior, ac deinde dilatantur, e longe lateque se per domum dispergunt (unde Symmachus pro *obliquas,* vertit *sagittarias,* quæ scilicet lucem quasi sagittam emittunt), sic enim lux solis in domum intrat per modum pyramidis inversæ. Ita S. Hieronymus in cap. XL *Ezech.*, Ribera, lib. I *De Templo,* cap. XIII, Eucherius, Angelomus et alii. Audi S. Hieronymum in cap. XLI *Ezechiel* : « Fenestræ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur (pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habes), quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet, et ad sinistram, et post tergum, id est ad Meridiem et ad Aquilonem, et ad Occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi januarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere. »

Hæ fenestræ erant in Sancto duntaxat. Nam Sanctum sanctorum carebat fenestris ad sui reverentiam : Deus enim habitat in caligine nobis invisibili : per ostium tamen lux aliqua immittebatur in Sanctum sanctorum. Vide dicta *Levit.* cap. XVI, vers. 13.

Allegorice, hæ fenestræ obliquæ repræsentant sanctos Doctores, per quos Deus fideles docet et illuminat, « qui, ut ait Angelomus, dum ea quæ in occulto vident publice fidelibus pandunt; quasi suscepto lumine solis fenestræ, juncta templi penetralia replent. Unde bene eædem fenestræ obliquæ, id est intus latiores, fuisse perhibentur, quia

nimirum necesse est, ut, quisquis jubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione se præparet. » Vide dicta *Ezech.* XLI, 17.

Vers. 5. 5. ET ÆDIFICAVIT SUPER PARIETEM TEMPLI TABULATA PER GYRUM, IN PARIETIBUS DOMUS PER CIRCUITUM TEMPLI (id est Sancti) ET ORACULI (id est Sancti sanctorum, ex quo Deus dabat oracula) ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. — Describit hic cellas ædificatas circa templum : hoc enim significat τὸ *fecit latera in circuitu.* Erant enim hæ cellæ laterales templo : illudque lateraliter ambiebant per tria latera, sive per tres mundi plagas, scilicet ad Occidentem, Meridiem et Septentrionem. Nam plaga ad Orientem, ubi erat ostium et ingressus, cellas in circuitu habere non poterat. Quod ergo ait, « *super parietem,* » idem est quod juxta parietem, vel circa parietem templi. Simili enim modo de Christo dicitur *Lucæ* IV, 39 : « Stans super, » id est juxta « illam, imperavit febri. » Et *Psalm.* CXXXVI, 1 : « Super, » id est juxta, « flumina Babylonis sedimus et flevimus, » etc. Sensus ergo est, *q. d.* Salomon ædificavit juxta et circa tres parietes templi spectantes ad tres mundi plagas ordinem quemdam cellarum, eumque circumcirca interna tabulata erexit et divisit, idque fecit tum ob pulchritudinem, tum ob firmitatem et custodiam templi. In his enim cellis poterant orare sacerdotes et in ipsum templum per fenestras inspicere. In iisdem cellis reponebantur divitiæ templi. Unde illæ a Septuaginta vocantur *apothecæ,* et a Nostro, I *Paralip.* XXVIII, 11, « cellaria. » Patet ex Josepho, lib. VIII *Antiq.* cap. II.

ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. — « Latera » vocat tabulata cellarum, ut patet ex Hebræo et Septuaginta. Hæc enim latera explicat dum subdit : *Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis. et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis.* Ubi pro « *tabulatum* » Hebræi et Septuaginta habent *latus,* tabulata ergo vocat *latera,* tum quia lateraliter circuibant tria templi latera, tum potius quia unum super aliud lateraliter extabat et prominebat, ac superius erat latius quam inferius, unde Chaldæus vocat *appendices.*

Sensus ergo est, *q. d.* Hæ cellæ, sive ordines cellarum, habebant tria latera, id est tria tabulata circumcirca, quorum latus sive tabulatum infimum erat quinque cubitorum latitudinis; secundum vero sex, tertium autem septem cubitorum; hoc est, tres erant ordines cellarum in tribus earum tabulatis, quorum secundus ordo erat latior primo, et tertius latior secundo ob trabes extantes, de quibus mox subdit : « Trabes autem posuit, » etc. Ita Salianus, Ribera, Cajetanus et alii.

Porro hujus inæqualitatis tabulatorum causa fuit, angustia areæ in monte Moria : hæc enim fecit ut imæ cellæ essent angustæ : quare superiores oportuit facere latiores per trabes prominentes. Ita Ribera.

Vers. 6. 6. TRABES AUTEM POSUIT IN DOMO PER CIRCUITUM FORINSECUS, UT NON HÆRERENT MURIS TEMPLI. — « Trabes, » id est capita trabium ultra parietes, quibus incumbebant, extantia et prominentia : Unde Hebraice vocantur מגרות *migrot,* id est *deficientia,* quia scilicet non pertingebant ad vicinum parietem templi, sed ab eo deficiebant, erantque capita trabium extantia duntaxat. Sensus est, *q. d.* Fecit ut trabes ultra suum parietem porrigerentur et extarent per sua capita, ut in iis imponerentur tigna transversa, itaque tabulata superiora fierent majora, et majorem haberent latitudinem quam tabulata inferiora. Neque enim hæ trabes et tabulata hærebant muris templi, sed cellæ hæ earumque tabulata distantes erant, licet parvo intervallo, a parietibus templi. Unde necesse est ut cellæ hæ habuerint fenestras e regione fenestrarum templi, ut in eas lumen suum transmitterent. Hinc patet cellas et tabulata hæc non fuisse prominentia ex ipso templo, uti volunt Beda, Angelomus, Lyranus et Abulensis, sed fuisse separata a muro templi, uti diserte hic asserit Scriptura.

Porro in imo ordine, sive in pavimento, quod suo tabulato tegebatur, erant cellæ sive cubicula 14, totidem in secundo ordine, sive in medio tabulato, totidem in tertio sive supremo, ita ut universim essent 42 cellæ, quæ omnes erant perviæ, ita ut ex una sine ostio transiretur in aliam, et inde in sequentem, etc.; licet Josephus asserat in singulis ordinibus triginta fuisse cellas sive domunculas, quæ quinque habebant cubitos in longitudine et totidem in latitudine. Sed errat in hoc, uti et in pluribus aliis Josephus, uti ostendit Salianus.

Tropologice, tres cellarum ordines sive tria earum tabulata, notant tres status et gradus fidelium in Ecclesia, scilicet imum conjugatorum, medium sive secundum continentium, tertium et summum virginum. Ita Beda, Rupertus et alii. Vide dicta *Ezech.* XLI, 7.

Vers. 7. 7. DOMUS (templum) AUTEM CUM ÆDIFICARETUR, DE LAPIDIBUS DOLATIS ATQUE PERFECTIS (qui scilicet jam dolati et perfecti erant in monte Libano vel alibi, antequam in Sion ad fabricam templi adducerentur) ÆDIFICATA EST, ET (id est, idcirco) MALLEUS, ET SECURIS, ET OMNE FERRAMENTUM NON SUNT AUDITA IN DOMO CUM ÆDIFICARETUR; — quia, ut dixit, jam lapides dolati erant, unde nec malleo, nec securi, nec ferro ad eos dolandos et aptandos opus erat, sed tantum calce ad eos inter se conglutinandos, idque ad fabricæ reverentiam, ac ne Salomonis et cæterorum fabricam spectantium aures strepitu malleatorum et ferratorum offenderentur. Fabulantur Rabbini malleum non auditum in templo, eo quod Hebræi sanguine vermiculi, quem ipsi *Janni* vocant, lapides secuerint. Theodoretus, *Quæst.* XXI et XXII, Proco-

pius et Glycas opinantur omnes lapides Deo ita disponente sic fuisse in montibus natos vel excisos, ut ferro non esset opus. Verius Lyranus, Abulensis et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XII, respondent non fuisse auditum malleum vel securim, scilicet ad dolandum vel secandum lapides, quia jam in monte dolati et secti erant, ut dixi.

Anagogice, templum hic repræsentat cœlum, ubi nulla erit passio vel afflictio, quia, ut ait Eucherius et Angelomus, « hic tundimur adversitatibus, et disciplina veritatis exercemur, ut illic locis juxta meritum congruis disponamur, et castigatione cessante solo amoris glutino quo ad invicem copulemur, uno impleti spiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione inveniamur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta : in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes jam percussionum strepitus conticescunt. »

Hoc est quod canit Ecclesia in Dedicatione Ecclesiæ : « Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis. »

Vers. 8. 8. OSTIUM LATERIS MEDII IN PARTE ERAT DOMUS DEXTRÆ : ET PER COCHLEAM ASCENDEBANT IN MEDIUM COENACULUM, ET A MEDIO IN TERTIUM. — Describitur hic cochlea, per quam ascendebatur in tabulata tum ipsius templi, tum cellarum templi adjacentium, de quibus dictum est vers. 5 et seq., ac cochleæ ostium, quod erat in ipso pariete templi. Paries enim templi crassus erat novem vel decem cubitus. Unde in eo fieri poterat cochlea sine damno parietis, uti Romæ in Basilica S. Petri aliisque, imo in columna Trajani, æque ac Antonini videmus cochleas, per quas ab imo in summum per 185 gradus intrinsecus ascenditur. Vocat hoc « ostium lateris medii, » id est, tabulati medii, quia per hoc ostium ejusque cochleam ascendebatur in medium, sive secundum tabulatum tam templi, quam cellarum, et ex secundo in tertium sive summum : nam infima pars templi, æque ac cellarum, non egebat cochlea nec ascensu, eo quod sita esset in ipso pavimento. Hoc ergo ostium cum sua cochlea erat « in parte domus dextræ, » id est in muro templi dextro, hoc est Meridionali; nam spectantibus ad Orientem Meridies est ad dexteram, Septentrio ad sinistram. In Meridionali ergo templi pariete et muro erat hæc cochlea, ejusque ostium, quæ ab imo assurgebat per gradus usque ad summum tam templi quam cellarum fastigium. Triplex enim erat cellarum, ut dixi, æque ac templi, ordo et tabulatum, scilicet infimus, medius et summus. De ostio infimi ordinis et tabulati nil hic dicitur, quia illud erat in terra, unde non egebat ascensu et gradibus cochleæ. « In parte ergo domus dextræ, » hoc est in crassitie parietis Meridionalis ipsius templi, ex imo, sive ex pavimento, surgebat cochlea cum suo ostio, ascendebatque intra crassitiem parietatis sive muri usque ad medium, hoc est secundum tabulatum sive ordinem cellarum (unde patet cellas has licet a templo separatas, per cochleam tamen ipsi fuisse conjunctas : erant enim illi vicinæ) templo vicinarum, et ex secundo protendebatur et ascendebat ad tertium et supremum tabulatum sive ordinem cellarum. Sufficiebat autem unum ostium et unus ingressus in singula tabulata, quia cellæ erant perviæ, ut dixi. Ita Cajetanus, Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XV, et alii.

Porro an una fuerit, eademque cochlea, qua ad ipsa templi tabulata, et simul ad tabulata cellarum templo vicinarum ascendebatur, an vero duæ, non plane liquet. Verisimile est duas fuisse. *Primo*, quia in Hebræo pro cochlea est לולים *lulim*, in plurali, id est, cochleæ. *Secundo*, quia hoc erat commodius, et ad majorem templi majestatem. *Tertio*, quia id insinuat Josephus, lib. VIII, cap. II, qui crebro in templo versabatur. Ita Salianus. Una ergo cochlea ascendebatur in tabulata templi, altera in tabulata cellarum.

Tropologice, cochlea ascendens in gyrum significat non nisi per tortuosam laborum et dolorum viam ad perfectionem virtutis, et ad gloriam Beatorum in cœlum conscendi. Ita Eucherius et Angelomus, cujus rei appositum extat visum in Vita S. Perpetuæ, quæ per scalam cultris obsitam, vidit Satyrum in carcere socium suum in cœlum ascendere, ac per hanc visionem accepit omen martyrii. Ita habet Vita ejus apud Surium die 7 martii.

Vers. 10. 10. ET ÆDIFICAVIT TABULATUM SUPER DOMUM QUINQUE CUBITIS ALTITUDINIS. — Videtur hoc intelligendum de tabulatis cellarum : nam tabulatum templi erat altum 90 cubitis, ut dixi : imo videtur loqui de summo duntaxat cellarum tabulato, ait Abulensis et Cajetanus; nam Josephus asserit totam altitudinem cellarum fuisse sexaginta cubitorum.

Vers. 15. 15. ET ÆDIFICAVIT PARIETES DOMUS INTRINSECUS TABULATIS CEDRINIS. — « Ædificavit, » id est texit, vestivit, ornavit : nam parietes ædificati erant ex lapidibus : lapides deinde vestivit tabulis cedrinis, sicut pavimentum vestivit tabulis abietum sive abiegnis, ut sequitur. Id ita esset patet ex vers. 18, ubi explicans ait : « omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. »

Vers. 16. 16. ÆDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABULATA CEDRINA, — *q. d.* Sicut texit priorem partem templi tabulis cedrinis, uti jam dixi vers. 15, sic et iisdem texit posteriorem partem templi, id est oraculum sive Sanctum sanctorum, ex quo Deus dabat oracula. Describitur enim hic Sanctum sanctorum, quod erat interior sive posterior pars templi, habebatque in longitudine viginti cubitos, totidem in latitudine, sed triginta in altitudine, ut et reliqua templi sive Sancti pars : totum enim templum erat altum triginta cubitos, ut dictum est vers. 2. Dicitur tamen hic

tantum ad viginti cubitos ædificatum; quia videlicet ad viginti cubitos duntaxat a pavimento sursum tectum fuit tabulis e cedro (ut hac parte tabulatum videretur esse quadratum, uti fuerat in tabernaculo Moysis); reliquis vero decem cubitis in altum assurgebat nudus paries sive murus. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. VI. Nonnulli tamen putant Sanctum sanctorum tantum habuisse viginti cubitos in altitudine, sicut totidem habebat in longitudine et latitudine, ut perfecte esset quadrum, sive quadratum, totumque fuisse obtectum tabulis cedrinis : Sanctum vero solum habuisse triginta cubitos altitudinis, et proinde decem cubitis altius fuisse Sancto sanctorum, sicut Romæ in multis templis tribuna, sive chorus, dimissior est reliquo templo. Cui sententiæ favent hic versus, qui viginti cubitos assignat Sancto sanctorum, et quod deforme fuisset, si ejus pars una fuisset tecta cedro, altera vero nuda.

Verius videtur Sanctum sanctorum per omnia quadratum fuisse quoad tabulatum cedrinum, assurrexisse tamen ultra hoc tabulatum ad decem cubitos, ut absolute esset altum triginta cubitos, uti erat Sanctum; sed tabulato huic viginti cubitorum tabulis cedrinis obtecto tam in Sancto, quam in Sancto sanctorum impositam fuisse fornicem cedrinam, quæ cœlorum formam imitaretur et repræsentaret : fornix autem hæc ascendebat ad decem cubitos, qui supra viginti reliquos extabant usque ad tabulatum, uti solide ostendit Vilalpandus in cap. XLI *Ezech.*, Azor, lib. VI, cap. LIII; nec aliud vult Ribera, lib. I *De Templo*, cap. VI, et Barradius, tom. II, lib. XII, cap. XIII.

ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM, — *q. d.* Fecit ut interior domus, quæ oraculum dicebatur, esset Sanctum sanctorum, hoc est sanctissima templi pars. Hæc enim nunc vocatur oraculum, nunc interior domus, nunc secundum tabernaculum, nunc Sanctum sanctorum.

Vers. 17. 17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM ERAT IPSUM TEMPLUM PRÆ FORIBUS ORACULI, — *q. d.* Anterior pars templi, quæ erat ante oraculum sive Sanctum sanctorum, quodque dicebatur Sanctum, habebat quadraginta cubitos in longitudine.

Porro fores oraculi, sive Sancti sanctorum, erant magnæ, semperque apertæ : unde capita vectium arcæ fœderis prominentia, et velo tecta prope stantibus apparebant, sive quia velum erat transparens, sive potius quia ultra velum prominebant. Hinc et velo hoc scisso in passione Christi apparuerunt Sancta sanctorum : alioqui enim si fores oraculi fuissent clausæ, illa non patuissent : ita Ribera, lib. I, cap. VI.

Vers. 19. 19. ORACULUM (Sanctum sanctorum) AUTEM IN MEDIO DOMUS (id est in ipsa domo, sive in ipso templo) FECERAT,—non enim oraculum erat in medio, sed in fine templi; est Hebraismus.

Vers. 20. 20. SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO,—intellige altare thymiamatis, quod erat in Sancto obversum Sancto sanctorum, ut ex eo fumus thymiamatis ascenderet ad Deum residentem super arcam in Sancto sanctorum. Hinc videtur quod Salomon fecerit novum altare thymiamatis, illud enim dicitur vestisse tabulis cedrinis, quas deinde auro texit vers. 21, perinde ac fabricavit novam mensam panum propositionis, novumque candelabrum majus : nam Mosaica minora erant et viliora, quam ut congruerent magnitudini et magnificentiæ templi sui novi; quare Salomon illa e templo removit, et cum tabernaculo Moysis reposuit in tabulatis. Id ita esse clare liquet ex cap. VII, vers. 48, ut ibi ostendam.

21. ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS, — quod sine malleo et sonitu vix fieri poterat. Quod ergo dixit vers. 7, malleum; securim et ferrum non esse audita in templo, intellige quoad scindendum vel dolandum, ut ibidem præcessit, non autem quoad affigendum clavos : hi enim cum essent plurimi malleo affigendi erant, ait Ribera, lib. I, cap. XII, nisi quis dicat vertiles fuisse clavos et vertilia foramina, quibus inferendi erant, ut sola eorum gyratione sine malleatione suis locis infigerentur. Sic enim Cyzici, ait Plinius, lib. XXXVI, cap. XV : « Buleuterium (domus concilii) ædificatum est sine clavo ferreo, ita disposita consummatione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur. » Vers. 21.

23. ET FECIT IN ORACULO (in Sancto sanctorum) DUOS CHERUBIM DE LIGNIS OLIVARUM. — Ita Hebræa, Chaldæa et cætera. Perperam ergo Regia et Complutensia habent, *de lignis cupressinis* : quare illud delent Septuaginta Romana. Vers. 23.

Nota duo Cherubim jussu Dei a Moyse fabricati *Exod.* XXV, 18, erant duæ statuæ habentes speciem et formam imberbis et alati juvenis : significabant enim angelos Deum stipantes. Arca enim fœderis erat quasi cista, cujus operculum erat propitiatorium : propitiatorio insistebant erecti duo Cherubini, qui alas extendentes et jungentes, iis quasi solium, in quo sederet Deus, ita ut arcam haberet pro scabello pedum suorum, exhibebant; quare positi erant eo situ, perinde ac si duo homines vultibus in se mutuo conversis sese invicem aspiciant, seque manibus quasi alis teneant et complectantur.

Arcam hanc cum propitiatorio et Cherubinis (hæc enim a se invicem divelli non poterant) posuit Salomon in Sancto sanctorum : ibi enim ea collocari jusserat Deus Moysi. Salomon vero ad majestatem arcæ, propitiatorii et Cherubim Mosaicorum, in templo suo addidit duos alios Cherubinos longe majores, qui arcam cum Cherubinis suis (utpote exiguis et vix tres cubitos altis) suo corpore et alis velarent, et quasi umbella tegerent et obumbrarent : quare vultibus suis respiciebant arcam et Orientem, sed tergo murum Sancti sanctorum et Occidentem. Porro alium situm habebant et diversum a situ Cherubim, quos fabricarat Moses : Mosaici enim erant supra ar-

cam alis expansis utrimque se mutuo prensantes et complectentes : hi vero Salomonis consistebant pedibus erectis in pavimento Sancti sanctorum, unusque stabat juxta alterum in eodem latere quasi ejus collatero : stabat autem uterque alis in longum exporrectis, ita ut unus extremitate alæ suæ attingeret extremitatem alæ alterius Cherubim, altera vero extremitate alterius alæ attingeret parietem templi : quare unus extremitate alæ suæ attingebat unum templi parietem, alter vero extremitate alæ suæ attingebat alterum templi, puta Sancti sanctorum, parietem. Quæque enim ala erat quinque cubitorum, quare duæ alæ unius Cherubim erant cubitorum decem, et totidem cubitorum erant alæ binæ alterius Cherubim : quare utræque expansæ erant viginti cubitorum, quæ erat longitudo æque ac latitudo Sancti sanctorum : hoc enim longum erat viginti cubitis, et totidem latum. Ita Beda, Abulensis, Adrichomius, Ribera et alii.

Hinc Deus ex propitiatorio ad interrogata pontificis respondens, dansque oracula, dicebatur sedere super Cherubim, id est sapientissimos spiritus, et Angelos etiam Cherubinos longe scientia transcendere eosque quasi pedibus premere. Hinc etiam Deus hic vocatur Dominus *sabaoth*, id est exercituum, scilicet Angelorum, quos plurimos habet et quasi innumerabiles, eosque sapientissimos atque potentissimos.

Anagogice, Sanctum sanctorum repræsentabat cœlum empyreum, arca Ecclesiam beatam, sive homines beatos, propitiatorium aureum humanitatem Christi gloriosam; Cherubini duo Angelos sanctos summe concordes in Dei obsequio et laude. His Deitas nobis invisibilis eminet et insidet, ac beatis tam Angelis, quam hominibus summa inter se charitate flagrantibus, quod binario numero et faciebus Cherubinorum ad se invicem conversis significatur, videndum fruendumque se exhibet, hacque gloriosa visione eos in æternum beat. Ita Beda, Angelomus, et ex iis Ribera, lib. II *De Templo*, cap. VII. Vide quæ de Cherubinis dixi *Exodi* cap. XXV, 18, *Ezechiel.* cap. I, 5 et seq., et *Apocal.* IV, 6 et 7, quanquam hi Cherubini Salomonis ab illis Mosaicis et Ezechielis tam forma et statura, quam situ et habitu fuerint diversi, ut patet ex dictis. Ex hisce perspicua sunt ea quæ sequuntur usque ad vers. 29.

DECEM CUBITORUM ALTITUDINIS, — *q. d.* Duo Cherubini erant alti quindecim pedes, cubitus enim est sesquipes. Erant ergo gigantea magnitudine. Quis enim gigas est quindecim pedum? idque ut magnitudinem ac majestatem, tum angelicam, tum divinam repræsentarent.

Vers. 24. 24. DECEM CUBITOS HABENTES A SUMMITATE ALÆ UNIUS USQUE AD ALÆ ALTERIUS SUMMITATEM. — « Summitatem » vocat extremitatem, *q. d.* Extremitas unius alæ Cherubini distabat ab extremitate alterius alæ decem cubitis : singulæ enim alæ erant quinque cubitorum, eratque utraque in rectum exporrecta : quare sub alis corpus sive dorsum Cherubini inter alas interjacens intellige : alioqui enim plusquam decem cubitorum fuisset distantia, ut patet. Ita Abulensis.

Vers. 27. 27. POSUITQUE CHERUBIM IN MEDIO TEMPLI INTERIORIS (puta oraculi, sive Sancti sanctorum) : EXTENDEBANT AUTEM ALAS SUAS CHERUBIM, ET TANGEBAT ALA UNA PARIETEM, ET ALA CHERUB SECUNDI TANGEBAT PARIETEM ALTERUM : ALÆ AUTEM ALTERÆ IN MEDIA PARTE TEMPLI SE INVICEM CONTINGEBANT. — Cherubini enim expendebant alas suas per totam oraculi latitudinem, ita ut unus Cherub alæ unius extremitate tangeret parietem oraculi Meridionalem, alter vero alæ unius extremitate tangeret parietem oppositum Septentrionalem. Latitudo enim oraculi erat viginti cubitorum, et totidem cubitorum erant quatuor alæ duorum Cherubinorum : quæque enim ala erat quinque cubitorum : quare hi duo Cherubini in medio oraculi tangebant se invicem per duas extremitates aliarum duarum alarum, illisque velabant arcam cum propitiatorio et Cherubinis Mosaicis illi insistentibus, ita ut arca interciperetur duabus alis Cherubim super arcam a Moyse extensis, quasi sub umbella, ait Josephus, lib. VIII, cap. IV. Cherubinos enim a Moyse ex auro fabrefactos fuisse cum arca in templo a Salomone repositos, sub alis duorum Cherubinorum majorum ab eo fabricatorum docent Beda, Abulensis, Cajetanus et alii. Et ipsa Cherubinorum cum arca connexio idipsum poscit.

Porro II *Paral.* III, 13, additur : « Ipsi (duo Cherubini Salomonis) autem stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem domum, » hoc est ad Sanctum. Unde liquet situs horum Cherubinorum, scilicet eos locatos fuisse a Salomone ad extimum parietem Sancti sanctorum, ita ut faciebus suis respicerent tam arcam, quæ erat ante se, quam Sanctum faciei suæ obversum, ut videlicet pontificem per Sanctum ingredientem in Sanctum sanctorum, æque ac populum ante Sanctum in atrio orantem obverso vultu comiter respicerent et quasi salutarent. Vultu ergo respiciebant Orientem, tergo vero Occidentem. Nam Sanctum erat ad Orientem, Sanctum sanctorum vero, præsertim ejus extima pars, fuit extremus murus ad Occidentem. Ita Ribera, libro II, cap. VI, et alii.

Denique Judæi conversi ad Sanctum sanctorum, ut adorarent Deum in eo residentem, convertebantur ad Occidentem : Christiani vero orant conversi ad Orientem : unde et templa eorum spectant Orientem, ob causas quas alibi dixi. Vide Bellarminum, lib. III *De Sanctis*, cap. VI. Sic et Vitruvius, lib. IV, cap. V, docet Gentiles eo unde terra illuminatur, id est, ad ortum solis, templa sua extruxisse.

Vers. 29. 29. ET OMNES PARIETES TEMPLI PER CIRCUITUM SCULPSIT VARIIS CÆLATURIS, ET TORNO, — id est tornatura sive opere tornatili, quo per tornum res in figu-

ram orbicularem tornantur et rotundantur; sub torno tamen quamvis cælaturam et sculpturam accipe. Unde Vatablus vertit, *cælaturis et sculpturis*. *Tornus* enim subinde idem est quod cœlum sive scalprum, puta instrumentum quo res cælantur et sculpuntur. Sic enim Virgilius, *Ecloga* 3, vitem torno elaboratam dicit, cum constet vitem non esse rotundam, sed figuræ variantis. Et Horatius, lib. *De Arte*, asserit, carmina *tornari*, id est poliri et perfici, dum ait :

Et male tornatos incudi reddere versus.

Ita Sanchez, unde explicans subdit :

ET FECIT IN EIS CHERUBIM (*q. d.* Sculpsit in parietibus templi effigies Cherubinorum jam dictorum), ET PALMAS (figuras palmarum), ET PICTURAS VARIAS. — Hebraice, *apertiones florum;* Chaldaice, *liliorum*.

Vers. 30. 30. SED ET PAVIMENTUM DOMUS (templi) TEXIT AURO INTRINSECUS ET EXTRINSECUS, — hoc est, tam in Sancto sanctorum, quam in Sancto. Sanctum enim erat extrinsecus, sive exterior domus; Sanctum sanctorum vero erat intrinsecus, sive interior domus, uti dixi. Igitur Salomon pavimentum templi totius stravit tabulis abiegnis, quas deinde auro texit, æque ac parietes templi obduxit tabulis cedrinis, quas deinde auro vestivit. Ita Vatablus, Sanchez et alii.

Vers. 31. 31. ET IN INGRESSU ORACULI FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARUM, POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE.

Vers. 32. 32. ET DUO OSTIA DE LIGNIS OLIVARUM, ET SCULPSIT IN EIS PICTURAM CHERUBIM, ET PALMARUM SPECIES, ET ANAGLYPHA VALDE PROMINENTIA, — *q. d.* Salomon in ingressu oraculi, id est Sancti sanctorum, fecit duo « ostiola, » id est parva ostia ex eisdem lignis, eaque pentagona, id est quinque angulos et totidem postes habentia; atque in eis exsculpsit effigies Cherubinorum, palmarum et « anaglypha. » Anaglypha vox est Græca, significans imagines et picturas e superficie parietis tabulæ vel ostii extantes et prominentes. Hæc de ostiis Sancti sanctorum, nunc de ostiis Sancti hæc subdit :

Vers. 33. 33. FECITQUE IN INTROITU TEMPLI POSTES DE LIGNIS OLIVARUM QUADRANGULATOS.

Vers. 34. 34. ET DUO OSTIA DE LIGNIS ABIEGNIS ALTRINSECUS : ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR, — *q. d.* Salomon in ingressu Sancti fecit postes quadrangulos ex olea, eisque annexuit duo ostia ex abiete, « altrinsecus, » ita scilicet ut unum ostium esset ex uno latere, alterum ab altero priori respondens et obversum.

ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR, — *q. d.* Utrumque ostium erat plicatile, et habebat vertebras, quibus una pars tenebat aliam, erantque in eis quasi duæ plicaturæ, ut vertunt Septuaginta. Hebræus, *erant duæ*, גלילים *gelilim*, id est valvæ volubiles sive convolviles.

Addit Josephus huic ostio Sancti etiam appensum fuisse velum, simile velo quod appensum erat Sancto sanctorum. Cæterum porticus, quæ erat ante Sanctum, nullum habebat velum, sed tota patebat anterius, et sine ulla contignatione surgebat in altitudinem 120 cubitorum, quæ erat altitudo templi : latera ejus duntaxat claudebant parietes. Erat enim hæc porticus quasi vestibulum additum templo ad ejus decorem, majestatem et venerationem augendam.

Nota : Tres erant partes templi præcipuæ. *Prima* Hebraice vocabatur דביר *debir*, vel, ut Septuaginta efferunt, *dabir*, id est oraculum, puta Sanctum sanctorum. *Secunda* Hebraice vocabatur היכל *hechal*, id est templum, puta Sanctum. *Tertia* אולם *ulam*, id est atrium, de quo vers. 36. Duo priora habebant tectum, non acuminatum, sed planum, ut in eo ambulare possent : sic enim cæteræ domus in Palæstina erant planæ, sed circumcirca habebant septum sive murum exiguum, juxta legem *Deut.* XXII, 8, ne quis in tecto inambulans incaute ex tecto in terram laberetur et collideretur. In Sanctum sanctorum solus ingrediebatur pontifex, idque semel in anno, scilicet in festo Expiationis, *Levit.* XVI ; in Sanctum vero cæteri sacerdotes ; in atrium populus, unde in eo docuit Christus et Apostoli. Igitur Sanctum sanctorum erat ultima, intima et sacratissima pars templi, post quam sequebatur Sanctum, post Sanctum porticus, post porticum atrium sacerdotum, post hoc atrium laicorum mundorum, post hoc ultimum erat atrium immundorum et Gentilium.

Vers. 36. 36. ET ÆDIFICAVIT ATRIUM INTERIUS TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI. — *Ulam*, sive atrium jam dictum erat duplex, scilicet interius vicinum Sancto, quod erat atrium sacerdotum et Levitarum, in eoque erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes immolabant victimas. Alterum atrium erat exterius, in quo populus et laici versabantur, orabant et spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum, ideoque erat amplissimum, et plura stadia ambitu suo complectebatur, ut tantam populi multitudinem caperet : unde II *Paralip.* IV, 9, vocatur « basilica grandis. » Atrium utrumque erat sub dio, tum ut fumus tot victimarum in aerem exhalaret, tum quia erat amplissimum, ut tegi non posset; habebat tamen ad latera porticus tectas, ut ad eas populus se tempore pluviæ et æstus reciperet.

Atrium hoc laicorum, sive populi Israel, non tantum a parte anteriore, ut putat Ribera ; sed ex tribus partibus sive plagis mundi, ambiebat atrium sacerdotum, scilicet ab Oriente, Meridie et Septentrione : nam ab Occidente atrium sacerdotum claudebatur Sancto et Sancto sanctorum. Ita Josephus, Theodoretus, Serarius, Salianus, Vilalpandus. Hinc atrium laicorum in septem quadra vel quadratas arcas, ut Vilalpandus et Salianus, erat distributum ; quare in eis erat locus feminarum separatus a viris, honestatis et castitatis

causa, uti Romæ fit in templis plerisque. Porro nulli Gentili, sed solis Judæis, iisque mundis, licebat ingredi atrium laicorum. Quare pro immundis Herodes, vel ipse Salomon, ut vult Vilalpandus, pag. 206, adjecit tertium atrium, sive porticum Gentium; quia Josephus docet Salomonem implesse voraginem Mello, eamque extimo muro cinxisse, alioqui enim inde in voraginem labi potuissent. Hic ergo murus fuit atrii Gentium, de quo et *Ezechiel* cap. XL, 5. Ex quo patet murum hunc fuisse quadratum et in quolibet latere longum fuisse sexcentos cubitos, id est, ut Josephus ait, habuisse stadium cum dimidio. Stadium enim continet 400 cubitos : murus autem atrii Israel, separans illud ab atrio Gentium, erat 500 cubitorum in longitudine a quolibet latere.

Ex hoc tertio Gentium atrio gradibus ascendebatur ad secundum atrium Israel sive Judæorum, eratque intermedium vallum lapideorum cancellorum tres cubitos altum, cui inscriptum erat : « Ne quis Gentilis illud transiret sub pœna mortis. » Ita Josephus. Hinc intelligimus illud *Actor.* XXI, vers. 28, quomodo et cur murmurarint Judæi contra S. Paulum, eo quod putarent ipsum Trophimum socium suum, qui erat Gentilis, induxisse in templum, hoc est in atrium Israel. Atria hæc multas habebant portas, inter quas una erat nomine Speciosa, *Actor.* III, 2.

TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI, — *q. d.* Ædificavit Salomon inter atrium sacerdotum et atrium laicorum murum tres cubitos altum, teste Josepho, ne laici ingredi possent atrium sacerdotum; sed sacrificia, quæ in eo fiebant ultra murum conspicerent : atque hic murus habebat tres ordines lapidum politorum, quorum alter alteri impositus erat, et super omnes lapidum ordines imposuit ordinem unum lignorum a cedro.

Atrium sacerdotum erat altius atrio laicorum, ut sacerdotes in eo celsiores essent populo, et ab eo digna afficerentur reverentia : sic et atrium laicorum altius erat atrio Gentium, quare ex atrio Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus : ex atrio vero Israel ad atrium sacerdotum octo gradibus, inde ad Sanctum decem gradibus, uti docet Vilalpandus, pag. 248, et patet *Ezech.* XL, 6. Quare ab atrio Gentium ad Sanctum ascensus erat graduum 25, sed usque ad atrium sacerdotum quindecim, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum sive Graduales, ut tradunt Hebræi, S. Hieronymus et alii.

Intra hæc atria, puta in ipsis porticibus atriorum, ad eorum muros vel latera erant exedræ, I *Paralipom.* XXVIII, vers. 12. Exedra autem dicebatur cubiculum columnis fultum et epistyliis pluribus, in quibus vacua erant spatia, quibus prospectus erat in viam. In his exedris partim manebant sacerdotes eo tempore quo ministrabant in templo, qui hic vestes sacras induebant et exuebant; partim servabatur supellex, oblatione; et dona templi : unde et vocabantur « gazophylacia, » quia in eis servabatur gaza, id est opus templi, in eisque erant arcæ, in quas populus pecuniam, quam templo offerebat, injiciebat. Hinc intelligimus illud *Joannis*, cap. VIII, vers. 20 : « Et hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in templo : » gazophylacium enim nunc exedram, nunc arcam vel cistam quæ gazam continet, significat.

Hæ exedræ dicebantur quoque *pastophoria*, uti vertunt Septuaginta, a παστός, id est thalamus, quia habitabant in eis sacerdotes cum templo deservirent, qui ideo vocabantur pastophori. Ita S. Hieronymus, lib. VII *in Isaiam*.

Allegorice, atrium repræsentat vitam incipientium Deo servire, Sanctum vitam proficientium, Sanctum sanctorum vero perfectorum : unde in atrio erat altare holocaustorum, quod significat mortificationem cupiditatum, et mare æneum sive lavacrum, quod symbolum est pœnitentiæ. Vide dicta *Exodi* XXVI, initio capitis.

37. ANNO QUARTO (regni Salomonis) FUNDATA EST DOMUS DOMINI. — Ad templi fundamenta, ait Vilalpandus, lib. IV, cap. LXXI et sequenti, pertinent subterranea loca plurima opere firmissimo constructa, et superioribus operibus accurate respondentia, ubi cryptoporticus, et culinæ, et gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ et oleariæ, exedræ, officinæ, et id genus alia loca, quæ adeo ampla fuerunt atque capacia, ut in illa inferri possent ac conservari omnes primitiæ ac decimæ totius Israelis, ut suis temporibus multis sacerdotum, ac Levitarum millibus distribui possent. Vers. 37.

Similia videmus Romæ in cryptis priscis Martyrum, Pontificum et fidelium, adeo ut Roma subterranea non tantum Urbis, sed et orbis sit miraculum.

38. ET IN ANNO UNDECIMO (Salomonis), MENSE BUL (ita legendum cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, male ergo Regia habent Elal), IPSE EST MENSIS OCTAVUS, — qui nostro partim octobri, partim novembri respondet. Hebræi enim mensibus utebantur lunaribus, nos vero solaribus. October dicitur בול *bul* a נבל *nabal*, id est defluere, quod in octobri defluant folia et depluant imbres. Ita Serarius : Chaldæus vertit, *mense quo congregantur novæ fruges*. Vers. 38.

ÆDIFICAVITQUE EAM ANNIS SEPTEM. — Adde, et septem mensibus, ut patet computanti a secundo mense quarti anni Salomonis usque ad mensem octavum anni undecimi ejusdem : sed Scriptura integros numeros annorum consignat, minutias omittit.

Allegorice, Radulphus in Præfat. lib. XVII *in Levit.* : Templum Salomonis, inquit, septem annis, et septem mensibus, constructum est, quia a Christi adventu usque ad ejus reditum ad judicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur; idque fiet toto hoc sæculo, quod septem dierum cursu peragitur, ait Eucherius; sic et Angelomus.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ædificat domum suam, et domum reginæ, et domum saltus Libani; mox, vers. 15, *fabricat duas columnas, ac vers.* 23, *mare æneum, et vers.* 38, *decem luteres, cæteraque vasa templi.*

1. Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit. 2. Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis; et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim 4. contra se invicem positas, 5. et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis et triginta cubitorum latitudinis, et alteram porticum in facie majoris porticus et columnas, et epistylia super columnas. 7. Porticum quoque solii in qua tribunal est, fecit; et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. 8. Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali et hanc porticum. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant, a fundamento usque ad summitatem parietum, et extrinsecus usque ad atrium majus. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. 11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12. Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro, necnon et in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus. 13. Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro, 14. filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium et plenum sapientia, et intelligentia, et doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus. 15. Et finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam, et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. 16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum; 17. et quasi in modum retis, et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella quæ erant super summitatem malogranatorum; eodem modo fecit et capitello secundo. 19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula; malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi; cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit, perfectumque est opus columnarum. 23. Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare:

duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad Aquilonem, et tres ad Occidentem, et tres ad Meridiem, et tres ad Orientem; et mare super eos desuper erat, quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. 26. Grossitudo autem luteris trium unciarum erat : labiumque ejus, quasi labium calicis, et folium repandi lilii, duo millia batos capiebat. 27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipsum opus basium interrasile erat; et sculpturæ inter juncturas. 29. Et inter coronulas et plectas, leones, et boves et cherubim; et in juncturis similiter desuper; et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei ; et per quatuor partes quasi humeruli subter luterum fusiles, contra se invicem respectantes. 31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate : et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium, in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant : et media intercolumnia, quadrata non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim : una rota habebat altitudinis cubitum et semis. 33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri : et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia. 34. Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant. 35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturaque consimili. 38. Fecit quoque decem luteres æneos : quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum : singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram; mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, et secutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas duas, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos, et retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum. 42. Et malogranata, quadraginta in duobus retiaculis : duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum. 43. Et bases decem, et luteres decem super bases. 44. Et mare unum, et boves duodecim subter mare. 45. Et lebetes, et scutras, et hamulas : omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomon in domo Domini, de aurichalco erant. 46. In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth et Sarthan. 47. Et posuit Salomon omnia vasa, propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini, altare aureum, et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream; 49. et candelabra aurea, quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro; et quasi lilii flores, et lucernas desuper aureas, et forcipes aureos; 50. et hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula, de auro purissimo; et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi, ex auro erant. 51. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum et aurum, et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

Vers. 1. 1. DOMUM AUTEM SUAM ÆDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS. — Tres domos hisce tredecim annis ædificavit Salomon, scilicet domum suam, domum filiæ Pharaonis reginæ, et domum saltus Libani, patet vers. 2 et 8; has enim tres domos fuisse distinctas patet ex seq. Itaque censent Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Dionysius, Hugo, Vatablus et alii passim. Hæ tamen tres domus, III *Reg.* IX, 10,

et II *Paralip.* VIII, 1, vocantur una domus, quia erant contiguæ et connexæ, ita ut non tam tres domus, quam tres partes vel tria membra unius ejusdemque domus esse viderentur. Sic enim palatium regis vel Pontificis plures in se habitationes, et quasi plura palatia comprehendit. Ita Josephus, Vilalpandus, Pineda et alii.

Porro sicut David domum suam regiam ædificavit in Occidentali parte montis Sion juxta templum, sic Salomon suum palatium ædificavit in Orientali parte ejusdem montis Sion juxta templum, tum ut templum totumque montem Sion hisce duabus domibus, quasi duabus arcibus muniret; tum ut ex iis urbem Jerusalem eis subjectam defenderet, ut in officio contineret; tum ut facile templum adire, Deoque litare et sacrificare posset.

TREDECIM ANNIS. — Pluribus annis, ideoque tardius ædificata est regia quam templum; hoc enim septem annis perfectum fuit, ut dictum est cap. VI, 37. Causa fuit *prima*, devotio et fervor Salomonis urgentis opus templi, quasi domus Dei; *secunda*, quia ad templi fabricationem materiam omnem et sumptus jam ante præparaverat David; *tertia*, quia populus fabricam templi ardentius juvit et promovit. Ita Josephus. Adde, Salomonem his tredecim annis tres domos ædificasse, scilicet suam, reginæ, et saltus Libani. Ita Abulensis.

Vers. 2. 2. ÆDIFICAVIT QUOQUE DOMUM SALTUS LIBANI. — Erat hæc domus ad elegantiam, amœnitatem et recreationem comparata. Sed cur dicitur « saltus, » sive sylva « Libani? » Respondeo *primo*, quia in loco sylvoso montis Sion, ac instar Libani arboribus et viridariis cincta. Nam « saltus » proprie dicitur densior sylva et invia, quod ibi arbores saliant, in quo æstivare et pasci pecudes solent, ait Valla, lib. IV. Unde II *Paralipom.* IX, 16, ubi nos habemus « posuitque ea (scuta) rex in armamentario, quod erat consitum nemore; » Hebræi et Septuaginta habent, *posuit scuta in domo saltus Libani*. In hac enim domo Salomon reposuit arma militaria, ibique erat ejus armamentarium. *Secundo*, quia domus hæc constructa erat ex lignis Libani. Ita Abulensis et Serarius. *Tertio*, quia suis nemoribus, amœnitate, viriditate, umbra speciem Libani referebat. *Quarto*, quia multitudine columnarum cedrinarum cedros Libani imitabatur. Ita Theodoretus. *Quinto*, quia ex ea prospici poterat Libanus, ejusque aura et frigus tempore æstivo captari et excipi. Ita Arias. Unde Josephus et Chaldæus eam vocant domum refrigerii. Perperam ergo Guilielmus Tyri Episcopus, lib. XVIII *Belli sacri*, censet hanc domum dici « saltus Libani, » quod in monte Libano foret ædificata. Sita enim erat in Jerusalem et in monte Sion.

ET QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS. — Nota : Domus saltus Libani inferne, sive sub se habebat hæc quatuor deambulacra, ita videlicet ut inferne in longum porrecti essent tres ordines columnarum intercepti inter duos parietes domus : inde enim spatiis intermediis necessario exsurgebant quatuor deambulacra. Quisque autem columnarum ordo habebat quindecim columnas in longum, æqualiter ex adverso columnarum aliorum duorum ordinum dispositas, ita ut inter tres columnarum ordines duo essent ambulacra, atque tertium foret inter unum columnarum ordinem et parietem domus ex uno latere, quartum vero inter alium columnarum ordinem et parietem ex altero adversoque latere. Quare hæc ambulacra tam longa erant, quam erat ipsa domus. Vide Abulensem, *Quæst.* II et seq.

3. ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM. Vers. 3. — « Cameram » vocat fornicem : hæc enim fit opere concamerato, estque ipsa domus concameratio.

6. ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT QUINQUAGINTA CUBITORUM LONGITUDINIS, ET TRIGINTA CUBITORUM LATITUDINIS. — Ita videlicet ut longitudo porticus hujus annecteretur latitudini domus saltus Libani, quæ etiam erat quinquaginta cubitorum : latitudo vero porticus annecteretur longitudini domus ejusdem transversim : unde fiebat ut domus centum cubitorum longitudinis, additis hisce 30 cubitis latitudinis porticus, evaderet longa 130 cubitos. Vers. 6.

ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAJORIS PORTICUS, — *q. d.* Salomon « in facie, » id est ante hanc porticum majorem adhærentem domui saltus (erat enim porticus hæc domus ipsius quasi introitus et vestibulum) fecit aliam minorem porticum, ad majoris porticus proportionatam gradationem, decus et ornamentum.

7. PORTICUM QUOQUE SOLII IN QUA TRIBUNAL EST FECIT. — Est hæc tertia porticus, non vestibularis, sed judiciaria, ideoque non domui saltus Libani annexa, uti duæ priores jam dictæ, sed separata, et per se consistens, non longe tamen ab aliis duabus, et a domo saltus Libani dissita. Hæc porticus vocatur « solii, » quia in ea erat solium Salomonis regale et judiciarium, statuis leonum circumseptum, de quo cap. X, 18. Ita Abulensis et Pineda. Vers. 7.

8. ET DOMUNCULA IN QUA SEDEBATUR AD JUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU, — *q. d.* In tertia hac porticu erat domuncula, in qua erat solium sive thronus Salomonis jam dictus, juxta quem et circa quem humiliores erant throni sive sedes, in quibus sedebant consiliarii et principes cum Salomone judicaturi, quasi ejus assessores : ex quibus omnibus conflabatur judiciale tribunal, pluribus judicum sedibus constans, quod domuncula quadam claudebatur, et quasi tegebatur, ut assessores cum Salomone de re quapiam inter se secreto consultaturi, vel sententiam dictaturi, semoti essent a litigantibus, et a populo, qui circumcirca in porticu ambulabat, vel ad judicium veniebat. Quare domuncula hæc fuit minor quædam ædicula; compacta ex cedro, et undecum- Vers. 8.

que clausa, ut contineret solum regem cum suis consiliariis, habens tamen suum ostium, per quod litigantes aliique jus suum vel gratiam quampiam postulantes ad solium regis accederent, et ab eo vel jus vel gratiam flagitarent et impetrarent. Habens etiam fenestras plures, ut iis apertis rex sententiam pronuntians, vel jus dicens, aut quid aliud promulgans a toto populo videri et audiri posset. Erat enim hoc quasi prætorium Salomonis. Ita Lyranus, Dionysius, Salianus et Pineda, lib. VII *De Rebus Salomonis*, cap. VII.

DOMUM (palatium) QUOQUE FECIT FILIÆ PHARAONIS, — quasi primariæ suæ uxori et reginæ. Causa datur II *Paral.* VIII, 11, ubi dicitur : « filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex : Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini. »

Vers. 9. 9. OMNIA LAPIDIBUS PRETIOSIS, — scilicet facta erant e marmore, vel pario, vel porphyretico, vel ophite, sive serpentino, etc., nimis enim pretiosum fuisset in domo tam vasta omnia ex gemmis, scilicet ex smaragdis, carbunculis, adamantibus, etc., fabricare. « Lapis ergo pretiosus » vocatur hic marmor pretiosum.

ET EXTRINSECUS (male quidam legunt, *intrinsecus*) USQUE AD ATRIUM MAJUS. — Hinc patet, præter tres porticus jam dictas fuisse in domibus hisce Salomonis atrium majus, de quo vers. 12; porticus enim ex eodem lapide pretioso sive marmore factæ videntur, ex quo ipsa domus, ut hic locus insinuat.

Vers. 11. 11. SIMILITERQUE DE CEDRO, — *q. d.* Cedri adhibitæ ad fabricam domorum Salomonis æquali mensura sectæ et aptatæ sunt, sicut secti erant lapides pretiosi earumdem.

Vers. 12. 12. ET ATRIUM MAJUS ROTUNDUM (in domibus Salomonis jam dictis vers. 9, subaudi fabricavit Salomon), TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNIUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO : NEC NON IN ATRIO DOMUS DOMINI INTERIORI, ET IN PORTICU DOMUS, — *q. d.* Sicut Salomon in atrio templi interiori, id est in atrio sacerdotum, fecit murum habentem tres ordines lapidum sectorum, et unum de dolata cedro, ut hoc muro separaret atrium interius sacerdotum ab atrio exteriori laicorum, uti dictum est, cap. VI, 36; sic prorsus idem fecit in atriis domorum a se ædificatarum, et in porticu.

Dices : Atrium sacerdotum æque ac laicorum, erat quadratum, ut dixi cap. VI, vers. 36, quomodo ergo hic dicitur rotundum? Respondeo : Erat quadratum constans septenis areis quadratis; dicitur tamen rotundum, quia circumcirca cinctum erat tribus ordinibus lapidum jam dictis. Unde pro *rotundum* Hebraice סביב *sabib*, id est circumcirca, sive in circuitu, qui circuitus hic erat quadratus, non rotundus. Ita Pineda, lib. V, cap. XVI, in fine.

Vers. 14. 14. MISIT QUOQUE REX SALOMON, ET TULIT HIRAM DE TYRO FILIUM MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPHTALI, PATRE TYRIO. — Τὸ *de tribu Nephtali* refer non ad *mulieris viduæ*, sed ad *Hiram* artificem. Hic enim fuit ex tribu Nephtali, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta; mater vero ejus fuit ex tribu Dan, ut dicitur II *Paral.* II, 13.

Dices : Quomodo ergo pater Hiram dicitur fuisse Tyrius? Respondeo : Hiram gente erat Judæus, puta Nephtalita; sed habitatione et exercitio artis erat Tyrius. Tyri enim habitabat, ibique artem affabre laborandi didicerat et exercuerat. Ita S. Hieronymus, Hebræi, Lyranus, Cajetanus et alii. Sic S. Paulus vocatur Tharsensis, quia Tharsi erat natus et educatus, cum gente et genere esset Hebræus.

15. ET FINXIT DUAS COLUMNAS ÆREAS, — Booz et Jachin. Hæ duæ columnæ templi fuse hic describuntur usque ad vers. 23. Vers. 15

DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS COLUMNAM UNAM. — Intellige quoad stipitem sive scapum columnæ, nam II *Paralip.* III, 15, dicitur quælibet columna fuisse 35 cubitorum, scilicet addendo quoque et supputando quantitatem basis, capitis et coronæ, qua in apice ornabatur. Ita Abulensis, Lyranus et Cajetanus. Verum hæc in justa architecturæ proportione non possunt ascendere ad tantam altitudinem, ut ipsi columnæ pene æquentur. Quare melius alii respondent quod utraque columna simul juncta erat 35 cubitorum : licet enim universim esset 36 cubitorum (nam bis octodecim faciunt 36), tamen in utraque medius cubitus insertus erat suo capitello, in eoque absconditus non apparebat. Ita Vatablus et Ribera, lib. II *De Templo*, cap. XII. Tertio, et verisimillime, Vilalpandus, lib. V, cap. V, et ex eo Salianus respondent singulas columnas cum basi sua fuisse septemdecim cubitorum cum dimidio, seclusa plintho quæ absolvit decimum octavum. Seclusionis autem plinthi causa fuit, quod reliqua columna cum sua basi cava foret, quam propterea oportuit super solidam plinthum inniti, ideoque seorsim a columna plinthum fundi; plinthus enim est ultima pars basis, quæ spiris subjacet, ita dicta quod πλίνθον, id est laterem, forma sua repræsentet (unde et Gallice vocantur *plinthes*); plinthus enim est exæquata latitudine velut tabula. Unde et apud Vitruvium, lib. III, cap. II, spirarum plinthides, sunt plinthi basium. Plinthus ergo, id est ima pars basium hic non computatur, quia hanc architectus prudenter solidam fundere voluit, ut totum opus columnæ, quæ cava erat, firmius sustentaret et contineret : utraque igitur columna simul juncta erat 35 cubitorum seclusa plintho, quia quælibet erat alta septemdecim cubitos cum dimidio; hos enim duplica, et habebis 35 cubitos.

ET LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. — Hebraice, *et filum duodecim cubitorum circuibat columnam secundam* : si secundam, ergo et primam : erant enim hæ duæ columnæ omnino æquales et pares. Per *lineam*, vel,

ut Hebraice est, *filum*, intellige mensuram : filo enim mensuramus rerum crassitiem, *q. d.* Columnæ hæ in ambitu et crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum : «linea» ergo notat peripheriam, sive circumferentiam. Jam Vilalpandus, et ex eo Salianus volunt non unam, sed « utramque» columnam simul junctam habuisse hanc duodecim cubitorum mensuram, ita ut dimidia pars lineæ sive fili 12 cubitorum ambiret unam columnam, altera pars fili alteram : sic ut una columna fuerit crassa sex cubitos, et totidem altera, ac consequenter utraque simul crassa fuerit 12 cubitos : hoc enim exigit symmetria et proportio, ut cum quælibet columna esset alta 18 cubitis, crassa non esset nisi sex cubitis : altitudo enim est tripla ad crassitiem.

Verum unamquamque columnam crassam fuisse 12 cubitos diserte docet Josephus et Jeremias, cap. LII, vers. 21, ubi columnas has a Chaldæis Jerusalem vastantibus abductas describens ait : « Funiculus duodecim cubitorum circuibat eam,» scilicet columnam unam. Sic et Septuaginta hic : *Et perimetrum,* inquiunt, *duodecim cubitorum filum ambiebat eam* (columnam primam), *et sic columna secunda*, scilicet erat pariter 12 cubitorum, etc., et Chaldæus, *et filum*, inquit, *duodecim cubitorum ambiebat illam, et sic fecit columnæ secundæ*. Erant ergo hæ non tam columnæ ad symmetriam et proportionem architectonicam columnarum fabricatæ, quam moles et turres, vel arces quædam ingentes æneæ ad templi magnificentiam et munimen erectæ. Sic Romæ columna Trajana (æque ac alia Antonini Imperatoris) est crassissima instar turris, adeo ut plures viri expansis brachiis eam in circuitu complecti nequeant. Unde et intrinsecus continet cochleam, qua per gradus ab imo ad summum conscenditur. Denique prisci alias fabricarum suarum rationes et proportiones spectabant, diversas ab iis quas spectavit Vitruvius et posteriores architecti. Ita Sanchez, Vatablus, Pagninus et alii.

Porro addit Jeremias, columnas has intrinsecus cavas fuisse, ita tamen ut grossitudo æris extrinsecus esset quatuor digitorum in circuitu. Unde Vilalpandus, lib. V, cap. XXXVII, hasce mensuras justa proportione in sua opinione librans, censet singulas hasce columnas ponderasse quinque talentorum millia, utramque vero decem talentorum millia. Addit Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas columnas vestivisse auro ad crassitudinem digiti unius. Unde colligit Vilalpandus in columnis his auro vestiendis expensos fuisse 95 milliones.

Denique si columna in circuitu habebat 12 cubitos crassitiei : ergo in circuitu sive circuli hujus diametro habebat 4 cubitos : diameter enim est tertia pars peripheriæ sive circuli : circulus enim continet diametrum ter, et insuper septimam ejus partem; quare inter diametrum et circulum illa est proportio, quæ est inter septem et viginti duo. Ita Abulensis, Ribera, Vatablus. Porro in proportione et symmetria crassitiei ad altitudinem spectatur crassities non tam circuli, vel circuitus, quam diametri. Cum ergo columna hæc in diametro crassa fuerit duntaxat 4 cubitos, alta vero 18 cubitos, fuit ea proportio inter crassitiem et altitudinem, quæ est inter 4 et 18, quæ satis est æqua et congrua. Columnarum enim proportiones ab hominum dimensionibus et proportionibus desumptæ sunt. Videmus autem inter homines alios esse graciles, sed altos, alios vero crassos et breves; quia quod natura dat crassitiei, hoc demit altitudini : his ergo similis fuit hæc columna crassa et brevis. Adde, columnam hanc præter 18 cubitos sui scapi sive stipitis, insuper habuisse 5 cubitos capitelli, qui juncti 18 faciunt 23, ergo columna quælibet alta erat 23 cubitis.

17. ET QUASI IN MODUM RETIS ET CATENARUM, etc. — *q. d.* Capitella hæc cingebantur fasciis quibusdam æneis (ait Josephus) in modum retis sive catenarum, quæ habebant per intervalla aperturas quasi annulos et cancellos, per quos capitellorum elegantia (erant enim liliata, ait Josephus, sive habebant formam liliorum) appareret. Vers. 17.

SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO UNO,— *q. d.* Hæ fasciæ jam dictæ septies circuibant capitella singula, ita ut quasi septem fasciarum versus sive ordines et gyros efficerent : versus ergo vocat gyros.

18. ET PERFECIT COLUMNAS, ET DUOS ORDINES PER CIRCUITUM RETIACULORUM SINGULORUM, UT TEGERENT CAPITELLA, — *q. d.* Singula capitella, et consequenter singulæ columnæ, habebant duo retiacula, sive duplicem coronam reticulatam et cancellatam, quæ instar retis ambiebat capitellum, illudque tegebat et ornabat. Ita Sanchez. Melius Ribera per «duos ordines retiaculorum» accipit duos ordines malogranatorum ex retiaculis dependentium. Id patet ex Hebræo et Septuaginta, qui habent : *Duo ordines malogranatorum æneorum retibus contexti, opus pensile, ordo super ordinem;* et ex Josepho, qui ait : « Dependebant inde duæ series malorum punicorum ducentorum numero.» Sensus ergo est, *q. d.* Singuli septeni versus, sive gyri, retiaculi utriusque columnæ habebant duos ordines malogranatorum : centum enim malogranata in medio singulorum versuum sive gyrorum interposita et quasi inserta erant, ut patet II *Paralipom.* cap. III, vers. 16, reliqua vero centum malogranata ex iisdem versibus sive gyris alterne suspensa dependebant, « ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur,» ut dicitur II *Paralipom.* cap. IV, 13. Vers. 18.

UT TEGERENT CAPITELLA, QUÆ ERANT SUPER SUMMITATEM MALOGRANATORUM, — *q. d.* Fecit hæc duo retiacula, ut tegerent et circumdarent capitellum, quæ retiacula in septenos versus, sive gyros, distributa erant super summitatem malogranatorum: nam superior versus, sive gyri pars erat super summitatem malogranatorum appensorum, sive

ex gyro inferne dependentium. Ita Ribera, lib. XII, cap. XIV.

Additur II *Paral.* III, 16 : « Nec non » fecit « quasi catenulas in Oraculo, » *q. d.* Hæ fasciæ catenarum, sive hæc retiacula catenata erant talia, qualia erant illa quæ fabricata erant in Oraculo, sive in Sancto sanctorum. Ita Ribera, lib. II, cap. XIV. Aliter Cajetanus : « Fecit, ait, catenas in Oraculum, » id est ad mysterium et significationem, scilicet ut catenæ illæ significarent, et tacite loquerentur futuram regni illius sive Israelis captivitatem.

EODEM MODO FECIT ET CAPITELLO SECUNDO. — Puta in capitello secundæ columnæ.

Vers. 19. 19. CAPITELLA AUTEM, QUÆ ERANT SUPER CAPITA COLUMNARUM, QUASI OPERE LILII, FABRICATA ERANT IN PORTICU QUATUOR CUBITORUM. — Locus hic totus valde obscurus et implexus est : unde a variis varie exponitur, sed ut breviter et clare eum explices : Nota, quælibet harum duarum columnarum habebat tria capitella; primum et imum erat, quod proxime stipiti, sive stylo et scapo columnæ erat impositum, unde proprie vocatur *epistylium,* II *Paralipom.* cap. IV, vers. 12, eratque altum tres cubitos, ut dicitur IV *Regum* cap. ult. vers. 17. Secundum capitellum erat imo, sive epistylio, impositum, ac tegebatur retiaculo jam dicto, in quo visebantur duo ordines malogranatorum; supra hoc secundum exstabat tertium capitellum. Ita Ribera.

Hoc vers. 19, describitur capitellum imum, sive epistylium. Sensus ergo est, *q. d.* In duabus hisce columnis capitella ima, quæ erant super capita columnarum, id est quæ summitati scapi sive stipitis columnarum incumbebant, ideoque *epistylia* vocantur, erant fabricata in formam lilii, idque « in porticu quatuor cubitorum, » id est ita ut versus porticum, hoc est in latum, non vero in altum, essent quatuor cubitorum : nam in altum erant trium duntaxat cubitorum, ut dixi. Unde Septuaginta pro « in porticu » vertunt, *juxta vestibulum.* De secundo capitello jam dictum est vers. 16 et seq., nam circa illud erat retiaculum habens duos ordines malogranatorum. De tertio, sive summo, capitello dicetur vers. proximo. Sic Vitruvius, et ex eo Architecti columnis triplex imponunt capitellum, nimirum epistylium, zophorum et coronicem. Epistylium est capitellum, quod proxime stylo, sive scapo, columnæ imponitur. Zophorus est illud, quod inter epistylium et coronicem interponitur, quod pulvinatis sæpe figuris visitur ornamentisque diversis instructum. Galli vocant *la frize,* sicut hic capitellum secundum quasi zophorus retiaculis septenorum gyrorum ac duobus ordinibus malogranatorum ornabatur. Coronicem vocant ipsam coronidem capitelli.

Tria capitella columnarum.

Zophorus quid ?

Vilalpandus censet tria hæc capitella simul juncta fuisse quinque cubitorum, ut dicitur vers. 16, ita ut epistylium fuerit trium cubitorum, ut habetur IV *Reg.* ult. 17, zophorus vero duorum cubitorum, coronis denique unius. Alii tamen illos quinque cubitos soli secundo capitello, utpote quod solum habebat retiaculum, attribuunt, cui addunt tres cubitos epistylii, et aliquot coronicis. Verum sic capitellum fuisset in quantitate dimidium columnæ : hæc enim erat 18 duntaxat cubitorum. Quare ut inter capitella et columnam congrua sit proportio, potius dicendum videtur, omnia capitella non excessisse mensuram quinque cubitorum, hæc enim proportionem architectonicam habent cum columna 18 cubitorum.

20. ET RURSUM ALIA CAPITELLA IN SUMMITATE COLUMNARUM DESUPER, JUXTA MENSURAM COLUMNÆ CONTRA RETIACULA. — Hic agitur de tertio, sive summo capitello, quod erat quasi coronis columnæ addita, « contra retiacula, » id est super retiacula et e regione retiaculorum, quod capitellum erat « juxta mensuram columnæ, » id est habebat eamdem crassitiem, quam columna, scilicet duodecim cubitorum. Vers. 20.

MALOGRANATORUM AUTEM DUCENTI ORDINES ERANT IN CIRCUITU CAPITELLI SECUNDI, — hoc enim secundum capitellum, ut dixi, ambiebatur retiaculo, ex quo dependebant centum malogranata, et totidem inserta sive interposita erant : quodque enim retiaculum habebat ducenta malogranata. Altera ergo columna pariter in suo secundi capitelli retiaculo habebat totidem malogranata, puta ducenta. Ergo utrisque junctis erant universim 400 malogranata ex ære fabrefacta, ut dicitur vers. 42, et II *Paralip.* cap. IV, vers. 13. Porro dependentia malogranata præcise fuerunt tantum 96, sed Scriptura numerat centum, ut numerum integrum sive plenum assignet, et forte quatuor reliqua erant quidem, sed tecta non apparebant. Hoc est enim quod dicitur *Jerem.* cap. ult. 23 : « Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur, » hoc est illa, quæ interposita erant retiaculis, erant centum; dependentia vero præcise non erant centum, sed 96. Ita Ribera, lib. I *De Templo,* cap. XIV.

21. ET STATUIT DUAS COLUMNAS IN PORTICU TEMPLI, — quæ scilicet porticus erat templi vestibulum, ideoque erat ante Sanctum, nimirum interjecta inter Sanctum et atrium sacerdotum, de qua cap. VI, vers. 3, ita ut una columna uni portæ porticus, altera alteri astaret. Ita Vilalpandus. In primo, inquit, vestigio sanctuarii eas constituit ab utroque latere portæ aulæ sanctæ. Sic et Salianus, Adrichomius et alii. Male ergo nonnulli has columnas statuunt ante atrium sacerdotum, alii ante atrium laicorum. Vers. 21.

CUMQUE STATUISSET COLUMNAM DEXTERAM, VOCAVIT EAM NOMINE JACHIN; SIMILITER EREXIT COLUMNAM SECUNDAM (a sinistris), ET VOCAVIT NOMEN EJUS BOOZ. — *Jachin* Hebraice idem est quod *directio et rectitudo,* a radice כון *cun,* id est dirigere. Unde Septuaginta II *Paral.* cap. III, vers. ult. vertunt κατόρθωσις, id est

Booz et Jachin quid ?

correctio, directio, recta affectio. *Booz* Hebraice idem est quod *in eo fortitudo.* Unde Septuaginta vertunt, ἰσχύς, id est, vis et robur. Nonnulli, ut Beda, Abulensis, Vatablus, Ribera, censent Salomonem idem significasse duobus hisce nominibus «Jachin» et «Booz» scilicet optare se firmitatem et stabilitatem templi. Nam etiam «Jachin» subinde significat firmitatem et fortitudinem. Melius Cajetanus et alii hæc duo distinguunt, ac per «Jachin,» id est directionem, accipiunt prudentiam et sapientiam; per «Booz» vero fortitudinem et firmitatem; ut Salomon per «Jachin» significarit templum hoc miro artificio et sapientia esse elegantissime fabricatum; per «Booz» vero fortissime fundatum, munitum et stabilitum : utque iisdem nominibus suum desiderium, et votum patefecerit, *q. d.* Utinam Deus meum hoc templum, quasi suum Jachin dirigat, ac quasi suum Booz roboret, ut a nullo hoste, a nullo fulmine dejiciatur. Utinam Deus diutissime hoc meum, imo suum templum tueatur, dirigat et confirmet!

Rursum dextra columna «Jachin,» ait Cajetanus, significabat directivum imperium tum Dei circa omnes creaturas et homines, sed maxime Israelitas eorumque templum; tum regum regnique Israel : unde utraque columna coronata erat. Sinistra vero columna «Booz» significabat fortitudinem ad exequendum ea, quæ per «Jachin,» id est per directivum imperium prudenter sunt ordinata : utrumque enim in Deo est Deique providentia, quæ sapienter et fortiter omnia gubernat: utrumque quoque regibus est necessarium. Utrumque ergo Salomon Deo est gratulatus, ac simul optavit et petiit, ut utrumque Deus in templi et populi regnique custodia ostenderet, sibique et suis successoribus ad bene regendum eadem communicaret.

Allegorice. Allegorice, columnæ hæ templi significant Ecclesiæ sapientiam æque ac firmitatem : ipsa enim est columna et firmamentum veritatis, uti huc alludens ait Apostolus, I *ad Timoth.* cap. III, vers. 15. Vide ibi dicta. Quare Jachin repræsentat Doctores et Rectores Ecclesiæ : hi enim alios docent et dirigunt in viam virtutis et salutis; Booz significat Martyres virosque fortes. Unde S. Hieronymus, Beda, Eucherius et Angelomus : Columnæ, inquiunt, sunt Apostoli et Doctores, quia contemplatione ad superna sunt erecti, ac fortes fide et opere. Sunt duæ, quia Judæos et Gentiles fulciunt. Sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est, in cœlum inducant. Rursum sunt duæ ita dispositæ, ut nobis in prosperis et adversis ingressum patriæ cœlestis ante oculos mentis jugiter habendum esse doceant, ut nec adversis dejiciamur, nec prosperis extollamur, sed inter utraque constantes in fide et virtute ad cœlum tendamus. Ita auctores citati. Linea 12 cubitorum, ait Beda, norma est Apostolicæ institutionis. Columnæ capitellum imponitur, quia «qui perseveraverit usque ad finem, et legitime certaverit, coronabitur,» sicut ait Apostolus : «Nam qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.» Altitudo capitelli quinque cubitorum est; quia corona pro quinque sensuum voluptatibus animose contemptis atque superatis redditur. Fascia cingens capitellum beatitudo est, quam Theologi accidentalem vocant : septies illud cingit, quia plurimis ex rebus hæc beatitudo oritur, et multæ sunt causæ gaudendi, septem enim pro multis ponitur.

Insuper quilibet sancti in fide eminentes virtute columnæ sunt, æneæ propter firmitatem in bonis operibus, erectæ per intentionem, altæ per contemplationem, striatæ seu excavatæ per mortificationem, qua pravas appetitiones coercent et sese per carnis macerationem extenuant, quæ excavatio potest etiam ad humilitatem referri. *Secundo,* duo capitella duo sunt testamenta, quorum meditationi et observationi Doctores sancti et animo subduntur et corpore. *Tertio,* species catenarum et similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis. *Quarto,* malogranata ducenta magnam et multiplicem eorum charitatem, unionem, concordiam, zelum significant. *Quinto,* capitella in florem lilii desinebant. Quid enim per lilium nisi æterna felicitas, et immortalitatis floribus redolens amœnitas designatur, in quam Sancti omnes tandem desinunt, eamdemque cum aliis prædicant, quasi in summo ostentant et promerendam proponunt. Ita Angelomus et Beda : «Quid, inquiunt, per lilia nisi supernæ claritas patriæ atque immortalitatis floribus redolens paradisi designatur amœnitas.» Plura minutiora vide apud Riberam, lib. II *De Templo,* cap. XV.

22. ET SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM LILII POSUIT, — *q. d.* Toti operi columnarum et capitellorum quasi coronidem imposuit lilium, sive formam lilii ex eodem ære fabrefacti, tum ut decorem templi ostenderet, tum ut ejus florem a Deo postularet, ut scilicet in eo floreret pietas et Dei cultus purus et castus. Lilium enim puritatis et virginitatis est symbolum, æque ac gloriosæ resurrectionis Christi et Sanctorum, juxta illud quod Martyribus accinit Ecclesia in Officio Ecclesiastico : «Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur, et florebunt sicut lilium in civitate Domini;» et tempore Paschali : «Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te, Alleluia.» Et illud Sponsi : «Ego flos campi et lilium convallium,» *Cantic.* II, 1. Vide ibi dicta; et *Eccli.* XXXIX, 19, et *Osee* XIV, 6, ubi multa de symbolis liliorum dixi. Salomon ergo lilium imponens templo præsentavit Christi, B. Virginis, et Sanctorum puritatem, splendorem, felicitatem et gloriam æternam : templum enim fuit figura cœli, ac cœlestis conversationis, resurrectionis et gloriæ. Vers. 22.

Tropologice, quilibet fidelis et sanctus indiget columna duplici, ut fiat templum Dei, scilicet Ja- Tropologice.

chin, id est prudenti rectaque directione ad decernendum id quod agendum est; et Booz, id est fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim præit quasi lux, viam virtutis et sanctitatis ostendens, unde dexteram occupat : fortitudo vero sequitur quasi sinistra, ut id quod prudentia faciendum ostendit, fortiter in opus conferat. Utraque est opus Salomonis, id est Christi; quare ab eo supplicibus et assiduis precibus cuilibet est flagitanda. Neutra enim sola sufficit, sed si utraque jungatur, omnia perficit, omnia superat, hominemque ad culmen sanctitatis et in cœlum evehit : Spiritus Sanctus enim nos dirigere debet in viam salutis, ac deinde roborare, ut eam per tot hostes, tentationes, difficultates constanter prosequamur. Unde Salomon, *Prov.* III, 6 : « In omnibus viis tuis, inquit, cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. » Et parens ejus David crebro in Psalmis idipsum postulat, ut *Psalm.* CXVIII, 5 : « Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. » Et vers. 133 : « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. » *Psalm.* XXVI, vers. 11 : « Dirige me in semitam rectam. » *Psalm.* LXXXIX, 17 : « Opus manuum nostrarum dirige. » Ad Josue vero ait Deus, cap. I, vers. 6, 7 et 9 : « Confortare et esto robustus » ad debellandos Chananæos, « noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. » Et ad David : « Brachium meum confortabit eum, » *Psalm.* LXXXVIII, vers. 22.

Vers. 23. 23. FECIT QUOQUE MARE FUSILE DECEM CUBITORUM A LABIO USQUE AD LABIUM, ROTUNDUM IN CIRCUITU. — Mare æneum. « Mare » vocat concham ingentem, quæ magnam vim aquarum capiebat, ad manus et pedes sacerdotum (hi enim nudis pedibus ministrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Unde vers. 26 et 31, vocatur « luter, » id est, lavacrum a fine et usu, sed a capacitate hic vocatur « mare, » idque « fusile, » id est fusum ex ære. Erat « rotundum : » unde diameter ejus erat decem cubitorum a labio usque ad labium, id est ab uno extremo peripheriæ usque ad aliud ei oppositum : altitudo ejus erat quinque cubitorum.

Rursum insistebat duodecim bobus ex ære fabrefactis, qui vultibus suis respiciebant quatuor mundi plagas. Adde huic mari sive conchæ insculptæ erant effigies Cherubim, leonum, boum et palmarum. Denique mare hoc erat in atrio sacerdotum juxta altare holocaustorum, ac respondebat labro æneo, quod Moyses fecit ex speculis mulierum in tabernaculo, *Exodi* XXX, 18, ubi ostendi labrum hoc æque ac mare non tam repræsentasse baptismum, ut volunt Eucherius et Angelomus (erat enim labrum hoc æque ac mare non ante atrium, sed in ipso atrio), quam pœnitentiam, quæ fidelibus præmittenda est sacrificio et sacramento Eucharistiæ, uti docet S. Gregorius, hom. 17 *in Evangel.*, ac Beda, lib. III *De Tabernac.* cap. ult. Vide Riberam singula applicantem, lib. II *De Templo*, cap. XVII. Concha hæc vasta et plena aquis, ideoque vocata « mare, » significat amaram et magnam debere esse contritionem et pœnitentiam peccatoris, quæ flumina lacrymarum si non ex oculis, certe ex corde profundat, juxta illud : « Magna est velut mare contritio tua, » *Thren.* II, 13.

ET RESTICULA (Hebraice קוה *ouekaoua*, id est, linea; Chaldaice, *filum*, quod Noster vocat *resticulam*, id est, parvam restem sive funiculum mensorium) TRIGINTA CUBITORUM CINGEBAT ILLUD PER CIRCUITUM, — *q. d.* Mare hoc, sive concha ænea funiculo triginta cubitorum circumcirca cingi et mensurari poterat, hoc est, in ambitu vel circuitu continebat triginta cubitos. Circuitus enim sive circumferentia circuli est triplex ad diametrum : quare cum diameter hujus conchæ fuerit decem cubitorum, ut dixi, sequitur ejus peripheriam sive circuitum fuisse triginta cubitorum.

Notat Abulensis circuitum præcise fuisse triginta cubitorum et unius cum dimidio, quia circuitus continet diametrum ter, et insuper septimam diametri partem : sed Scriptura more suo minorem numerum omittit et supprimit. Hinc Josephus ait hanc concham fuisse semi orbis, vel potius, ut Græce est, hemisphærii forma et specie.

24. ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT ILLUD DECEM CUBITIS AMBIENS MARE, — *q. d.* In summitate continuo post labium maris vel conchæ erat sculptura quædam cingens mare, non totum, sed quasi tertiam ejus partem, quæ erat decem cubitorum : hæc autem sculptura erant duo ordines sculpturarum striatarum, de quibus proxime sequitur. Ita Ribera. Aliter Cajetanus et Abulensis, qui per « subter labium » intelligunt imam partem conchæ, quæ erat decem cubitorum, ita ut sculptura hæc totam illam ambierit. Vers. 24.

DUO ORDINES SCULPTURARUM STRIATARUM ERANT FUSILES, — *q. d.* Sculptura jam dicta erant duo ordines sculpturarum striatarum ex ære fuso. « Striatarum, » ita legendum cum Hebræo et Romano, non *histriatarum*, ut legunt codices Regii, nec *historiatarum*, quasi ibi depictæ essent historiæ, ut legunt voluntque alii. « Striatarum » ergo, hoc est habentium strias : striæ autem sunt canaliculi aut sulci, qui per lignum aut æs ducuntur ad elegantiam, ita ut una pars emineat, altera subsidat, quales videmus Romæ in columnis basilicæ S. Petri ex ære fusis. Ita Ribera et alii, quin et Vitruvius, lib. VI, cap. ultim.; unde Apuleius *striatam frontem* vocat contractam caperatamque, et quasi sulcos facientem præ tristitia.

25. ET STABAT SUPER DUODECIM BOVES — qui anteriori sui parte, id est, faciebus suis terni respiciebant quaternas mundi plagas, sed posteriori sui parte latitabant, id est, abscondebantur sub concha quam sustinebant. Allegorice, 12 boves sunt duodecim Apostoli, qui jussu Christi fidem et pœnitentiam per omnes mundi plagas prædicarunt. Vers. 25.

Vers. 20. 26. GROSSITUDO AUTEM LUTERIS, TRIUM UNCIARUM ERAT.—«Luteris,» id est, lavacri; Græce enim λούω, est lavo; inde λουτὴρ est lavacrum. «Luteris» ergo, id est, maris æneï jam dicti, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta. Frustra ergo Adrichomius luterem a mari æneo distinguit, ac luterem ponit ad Septentrionem, mare vero æneum ad Meridiem in atrio sacerdotum, ita ut inter utrumque medium fuerit altare holocaustorum, in lutere enim ablutas fuisse victimas, in mari æneo vero ipsos sacerdotes. Verum ad utramque sufficiebat mare æneum cum decem luteribus, de quibus vers. 27. Sensus igitur est, *q. d.* Maris æneï crassities erat trium unciarum, id est, quatuor digitorum, sive palmi, ut vertunt Septuaginta, hoc est trium pollicum, quæ est quarta pars pedis, sive palmaris crassitudo: nam uncia est duodecima pars pedis, pes autem sedecim digitos continet: tres ergo unciæ sunt quarta pars pedis, puta quatuor digiti. Hoc est, quod dicitur II *Paral.* IV, 5, « vastitas, » id est crassities «ejus habebat mensuram palmi.»

LABIUMQUE EJUS QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII, — *q. d.* Labium sive labrum maris æneï erat quasi labium calicis, et quasi repandum, id est apertum recurvumque lilium. «Repandum» enim idem est quod recurvum et sinuosum, quodque retrorsum patet. Sic cervix repanda est incurva: pectus vel dorsum repandum est incurvum. Unde Plinius, lib. XIV, cap. XXII: « Ad hæc pertinet, inquit, pectorosa cervicis repandæ ostentatio. »

Mystice, Eucherius et Angelomus: « Per labium calicis, inquiunt, gustus Dominicæ passionis, per folium repandi lilii patefacta claritas resurrectionis ipsius exprimitur. » Utraque enim in lavacro baptismi et pœnitentiæ abluimur. Nam, ut ait Eucherius: Christus, « qui ante passionem quidem suam quasi clausum adhuc lilium fuit: cum signis miraculorum quæ fecit clarus homo refulsit, post resurrectionem vero et ascensionem suam repandum se lilium supernæ patriæ civibus exhibuit, quod in assumpta humanitate potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, ostendit. Unde in amoris Cantico lilii se vocabulo designare voluit dicens: Ego flos campi et lilium convallium. Labium ergo maris in quo sacerdotes lavabantur, quasi labium fuit calicis, et folium repandi lilii: quia lavacrum salutare quo membra summi sacerdotis efficimur, in fide nos sacrosanctæ passionis ejus a peccatorum omnium labe purificat, ac purificatos ad visionem gloriæ ipsius perennis intromittit. »

DUO MILLIA BATOS CAPIEBAT. — Batus, ephi et metreta æqualia sunt, suntque decima pars cori, *Ezechiel.* XLV, 11, scilicet erat mensura continens tres modios: corus enim continebat decies amplius, nimirum 30 modios. Batus erat mensura liquidorum, sicut ephi aridorum, continens tantum quantum amphora Romana, scilicet 48 sextarios, hoc est aquæ uncias 960, uti multis probat Alcazar, tract. *De Mensuris*, propos. 14; licet Vilalpandus longe majorem faciat batum. Dices II *Paral.* IV, 3, dicitur mare æneum continuisse *tria millia metretas*, id est batos. Respondeo cum Vilalpando, Alcazario et aliis, batum fuisse duplicem, majorem et minorem, major erat sesquialter alterius, ut duo majores æquarent tres minores. Jam Vilalpandus censet batum majorem continuisse 108 sextarios, minorem 72; Alcazar vero, tract. *De Mensuris*, propos. 14, censet hos batos non fuisse communes, sed extraordinarios et minores, adeoque batum hunc fuisse tantum decimam partem bati. Rursum hos batos fuisse duplices, nimirum majorem et minorem, ita scilicet ut major esset sesquialter minoris. Decima autem pars bati est gomer, sive assaron, qui continet 96 uncias, hoc est octo libras duodecim unciarum. Quare putat Alcazar mare æneum continuisse Romanas amphoras 208, cum Vilalpandus ei tribuat amphoras Romanas 4500. Verum uti hæc mensura Vilalpandi est nimis magna et immanis, ita illa Alcazarii est nimis exigua, et exilior, quam ut mare vocari possit. Quare ab ordinaria et vulgari mensura bati recedendum non esse censeo, dicoque batum hic accipi communem, qui æqualis erat amphoræ Romanæ, continens 48 sextarios et uncias 960, quæ faciunt libras 80. Quare mare hoc continens duo millia batorum continebat bis mille amphoras Romanas, hoc est sextariorum nonaginta sex millia, librarum aquæ vero centum et sexaginta millia. Hi sunt bati majores bis mille, qui æquivalent batis minoribus ter mille: habent se enim sicut duo ad tria: quare batus minor continebat duntaxat 640 uncias, quæ faciunt 52 libras et 4 uncias, ut patet proportionem utriusque supputanti et inter se conferenti.

Aliter respondent Cajetanus et Ribera, scilicet mare æneum cepisse duo millia batorum duntaxat, si communi modo moderate tantum implebatur; sin vero ad summum omnino apicem, cepisse tria millia batorum: et hoc significare Hebraice מחזיק *machaziq*, II *Paralip.* IV, 5, *machaziq* enim idem est quod *fortificante*, id est fortiter planeque implenti capiebat tria millia batorum. Peripheria enim superior, quia erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum facile capiebat mille batos. Liber enim *Paralipomenon* est supplementum libri *Regum*, supplet enim τὰ παραλιπόμενα, id est quæ in eis relicta et omissa sunt. Unde sæpe majorem recenset numerum. Ita Vatablus (1).

Vers. 27. 27. ET FECIT DECEM BASES ÆNEAS. — Pro decem luteribus, qui his basibus sustinebantur. Id patet ex vers. 38, et II *Paral.* IV, 6, ubi dicitur: « Fecit quoque conchas decem, et posuit quinque a dex-

(1) Quin et absolute dici potest hic addi quod prætermissum videbatur in libro *Regum*; ea enim est mens auctoris hujus libri, licet alii dicant hoc mare fusile tria millia metretas cepisse, quia boves ex parte concavi erant, et aquam maris continuisse, quæ, juxta Rabbinos, per ora boum effluere poterat.

teris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant : porro in mari sacerdotes lavabantur. » Luteres ergo erant magnæ conchæ, sive labra et pelves, in quibus sacerdotes abluebant victimas jam excoriatas, et carnes earum dissectas, ut lotæ imponerentur altari holocaustorum ad eas Deo offerendum et cremandum : in mari æneo vero soli sacerdotes lavabant suas manus et pedes : licet enim Nathinæi victimas immolandas prius abluissent in probatica piscina, antequam inducerentur in templum, tamen illi animalia integra et viva abluebant : quare in templo, id est in atrio rursum a sacerdotibus eadem jam mactata et dissecta a sanguine et sordibus abluenda erant, ut pura offerrentur Deo in altari. Quocirca mare æneum erat in medio luterum, ac quinque luteres habebat a dextris, quinque a sinistris. Ita Ribera. Quisque autem luter capiebat quadraginta batos, ut dicitur vers. 38. Idem habet Josephus in versione Ruffini : male enim Gelenius pro batis substituit congios.

QUATUOR CUBITORUM LONGITUDINIS BASES SINGULAS, ET QUATUOR CUBITORUM LATITUDINIS, ET TRIUM CUBITORUM ALTITUDINIS. — Erant ergo bases luterum quadratæ, quia latæ quatuor cubitos, totidem longæ : quare ex quaternis tabulis æneis inter se junctis conflatæ et compactæ fuerunt, ideoque juncturæ hæ, ut non apparerent, tectæ fuerunt sculpturis variis, ut sequitur :

Vers. 28. 28. ET IPSUM OPUS BASIUM, INTERRASILE ERAT : ET SCULPTURÆ INTER JUNCTURAS.

Vers. 29. 29. ET INTER CORONULAS ET PLECTAS, LEONES, ET BOVES ET CHERUBIM : ET IN JUNCTURIS SIMILITER DESUPER : ET SUBTER LEONES ET BOVES, QUASI LORA EX ÆRE DEPENDENTIA. — Locus hic implexus est et difficilis. Omissis variis variorum explicationibus, ut breviter et clare rem totam expediam. Nota

Opus interrasile quod ? *primo*, « opus interrasile » vocari, quod inter tabulas ligneas, aureas vel æneas planas et quasi rasas protuberat, exstat et eminent, ut in conchis exstant et eminent capita leonum, hominum et boum, etc. Unde Hebraice est מסגרות *misgerot*, id est *clausuræ*, vel, ut Vatablus, *cincturæ*. *Clausuras* Hebræi vocant sculpturas exstantes, et eminentes, quia hæ quasi claudunt et terminant tabulam planam et rasam, puta spatia intermedia tabulæ plana. Unde Noster opus hoc interrasile, id est sculpturas has vocat « coronulas et plectas, » tum quia coronulis et floribus aliisque rebus contextis et implexis cingebantur, tum quia ipsæ sculpturæ sive effigies sculptæ vocantur coronæ et coronamenta, id est ornamenta, quia tabulam vel rem cui adduntur coronant et ornant. Quocirca pro his omnibus est Hebraice una vox *misgerot*, quam Noster vertit nunc « opus interrasile, » nunc « sculpturas, » nunc « coronulas, » nunc « plectas. » Quædam enim erant in modum coronæ rotundæ, quædam alia figura et forma implexæ, quæ « plectæ » dicebantur. Hæ ergo quatuor voces idem hic significant. Possunt tamen per « plectas » accipi juncturæ ipsæ tabularum, uti est in Hebræo, ut plecta derivetur a πλέκω, id est plico, concinno, necto, jungo : nam inter juncturas tabularum erant hæ sculpturæ.

Plecta.

Nota *secundo*, pro *juncturas* Hebraice est עלבים *scelabbim*, quod Pagninus vertit, *vestes*; Marinus, *gradus*; Vatablus, *prominentias*; sed credendum est Nostro ac Septuaginta, qui constanter vertunt, *juncturas*, ac Chaldæus, qui vertit, *commissuras*. Unde *Exodi* XXVI, 17. Noster et alii passim vertunt, *incastraturas*.

Hebræa ergo ad verbum sic habent : *Et hoc opus basis : clausuræ eis, et clausuræ inter juncturas et super* (id est juxta vel inter) *clausuras, quæ erant inter juncturas, leones, bos et cherubim. Et super* (id est juxta vel inter) *juncturas sic desuper : et subter leonibus et bobus copulationes, opus descensionis. Clausuras*, ut dixi, vocat sculpturas leonum, boum et cherubim, etc., quæ tegebant juncturas tabularum æneārum, ne apparerent esse compactæ, sed viderentur esse continuæ, et ex eodem ære productæ, sive ut non multæ, sed una integra, et solida tabula esse videretur. Sensus ergo est, *q. d.* Salomon sculpsit in basibus decem luterum varias sculpturas, ut illis tegeret juncturas tabularum æneārum, inter quas sculpturas eminebant sculpturæ leonum, boum et Cherubinorum. Itaque fecit has sculpturas et effigies tam inter juncturas superiores et altiores, quæ erant desuper, quam inter inferiores quæ erant subter : addiditque sub leonibus et bobus copulationes, id est lora quædam inter se copulata et connexa dependentia, id est deorsum tendentia; hoc est enim *opus descensionis*, quod habent Hebræa. Apposite sculpsit hæc lora, quia boves et leones loris alligari et copulari solent. Ita Ribera, lib. II *De Templo*, XVIII.

30. ET QUATUOR ROTÆ PER BASES SINGULAS, — *q. d.* Singulæ bases impositæ erant quatuor rotis, ut huc illuc rotari et moveri viderentur. Vers. 30.

ET PER QUATUOR PARTES QUASI HUMERULI SUBTER LUTEREM FUSILES, CONTRA SE INVICEM RESPECTANTES, — *q. d.* Erant in basibus luterum partes quædam exstantes, quibus quasi humeris luteres sustentabantur, ex ære fusæ, et sibi invicem obversæ.

31. OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS ERAT IN CAPITIS SUMMITATE, — *q. d.* Os luteris, id est ipsa superior pars basis, cui luter, sive concha luteris imponebatur, erat concava instar oris, ut ei luter pariter concavus apte inseri posset, eratque in capitis summitate, hoc est : erat in summitate basis. Sic enim Auctor se explicat vers. 35. Vers. 31.

ET QUOD FORINSECUS APPAREBAT, UNIUS CUBITI ERAT TOTUM ROTUNDUM, PARITERQUE HABEBAT UNUM CUBITUM ET DIMIDIUM. — Id clare explicat Josephus, dicens lib. VIII, cap. II : « Qua parte effigies leonum et aquilarum, sic erant adaptatæ, ut connatas putares, intervenientibus inter eas palmarum arbusculis. Atque hæc rotunditas habebat altitudinis cubitum et dimidium, sed dimidius cubitus

tegebatur cælaturis, et tantum cubitus apparebat.»

IN ANGULIS AUTEM COLUMNARUM VARIÆ CÆLATURÆ ERANT. — Nam, ut ait Josephus, tabulæ basium cum essent quadratæ in angulis habebant columnas, id est columellas quasdam ad elegantiam, quibus latera basium utrimque inserebantur et quasi incastrabantur; et hæ habebant suas sculpturas quibus ornabantur.

ET MEDIA INTERCOLUMNIA QUADRATA, NON ROTUNDA. — « Intercolumnia » vocat ipsos scapos, sive stipites basium, qui inter columnas in angulis annexis quasi medii intercedebant, *q. d.* Ipse scapus basium quadratus erat, non rotundus. Hebræus et Chaldæus : *Ipsæ clausuræ*, id est sculpturæ, *erant quadratæ, non rotundæ. Clausuras,* sive sculpturas, vocat ipsas bases sculptas et effigiatas.

Vers. 33. 33. TALES AUTEM ERANT ROTÆ, — *q. d.* Tales erant rotæ basium, ut viderentur posse rotari et moveri, cum reipsa essent fixæ, nec rotari possent : et idcirco habebant omnia, quæ habent rotæ veræ et rotabiles, scilicet suos axes, radios, canthos et modiolos. Modiolus in rota vocatur ipse nodus sive centrum rotæ, ex quo oriuntur radii, qui inde perducuntur ad canthum, id est ad peripheriam sive circumferentiam exteriorem rotæ.

Vers. 35. 35. VARIAS SCULPTURAS EX SEMETIPSA, — id est non additilias, sed quasi agnatas et simul cum ipsa, ut ex ipsa basi fusæ viderentur.

Vers. 36. 36. SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS ILLIS QUÆ ERANT EX ÆRE, — *q. d.* Sculpsit super summas tabulas basium effigies leonum, palmarum, etc. « Tabulata enim ex ære » vocat ipsas tabulas æneas inter se connexas et contabulatas.

Vers. 38. 38. FECIT QUOQUE DECEM LUTERES. — Ecce hi sunt luteres, quorum bases huc usque descripsit.

Vers. 39. 39. MARE (æneum) AUTEM POSUIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM,—*q. d.* Ita posuit mare æneum ad Meridiem, ut tamen verteretur ad Orientem, *q. d.* Non plane obversum erat Meridiei, sed ei parti Meridiei, quæ nonnihil declinat et vergit ad Orientem.

Denique mari æneo et decem luteribus ad abluendum victimas, adde ex Aristæa, lib. *De Septuag. Interpret.*, post initium, fuisse in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem jugulatarum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus, inquit, est, ut perennis fons videatur. Et ad hoc sunt juxta aræ basim frequentes aperturæ solis ministris cognitæ. Sed mirabilius est, et fere inenarrabile subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacumque per muros et templi solum, quibus omnia abluantur, mundenturque, descendunt. De hisce superius quoque mentionem feci.

Allegorice et tropologice luteres decem idem significant quod mare æneum, nimirum multiplicem et crebram pœnitentiam, qua in hac vita fragili ob multiplices lapsus et labendi pericula indigemus. Quadraginta bati, quos singuli luteres capiunt, significant dies 40 Quadragesimæ, qui omnes pœnitentiæ sunt addicti. Cætera vide apud Eucherium, Angelomum et Riberam, lib. II *De Templo,* cap. XIX, qui minutim singula applicant.

Primus hoc sæculo pœnitentiæ sacramentum negavit et sustulit Martinus Lutherus, quare ipse non fuit luter, nec lotor, sed luteus et lutulentus, imo pollutor et profanator sacrorum, utpote suis poculis, ventri et Veneri totus indulgens, iisque corpus et animam conspurcans quasi « sus lota in volutabro luti, » ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 22.

40. FECIT ERGO HIRAM LEBETES, ET SCUTRAS ET HAMULAS. — Pro *scutras* Hebraice est יעים *iaim,* quod Chaldæus et recentiores vertunt, *scopas;* Septuaginta, *calfactoriola;* alii vertunt, *fuscinas, phialas, thuribula;* S. Hieronymus nunc *scutras, forcipes, tridentes,* nunc *trullas* et *creagras* vertit. Nomina enim Hebræa sunt polysema, et multa significant. *Scutra* genus est vasis profundi et circularis, cujus diminutivum est scutella; quare aliud est *scutra,* aliud *scruta,* licet Calepinus hæc duo pro eodem habeat. *Scruta* enim sunt usu attritæ vestes, jumentorum soleæ, clavi refixi, sulphurata, vitrorum fragmenta cæteraque similia, quæ vilissimi proxenetæ venialia habent, quos *scrutarios* appellant, quales Romæ videmus Judæos, de qualibus ait Horatius, lib. II, *epist.* 7 : Vers. 40. Scutra quid?

Vilia vendentem tunicato scuta popello.

Scutra ergo vel *scuta* est scutella magna, ita a scuto dicta, quod instar scuti rotunda sit et concava. Hinc Lucilius, lib. VI, ait : « Scutam (scutellam) ligneolam cerebro inflixit. » Et Papias : « Scutra, ait, vas æneum æquale fundo, latum et apertum desuper. » Et Priscianus, in fine lib. III : « A scuto, ait, dicitur scutula et scutella, quasi parva scuta vel scutra. » Scutra enim litteram *r* mutuatur « a scetra, quæ est scutum loreum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauritani, » ait Isidorus, lib. XVIII *Etymol.* cap. XII, de quo Poeta : « Lævam scetra tegit. » Porro diminutiva *r* simplicis mutant in *l;* sic a mitra diminutivum fit mitella, a capra capella, a sacrum sacellum, ab ager agellus, a piger pigellus, a miser misellus.

Hamulæ, Hebraice מזרקות *miraskoth* sunt vasa sparsoria vel infusoria, quibus aqua, vel vinum, vel thus spargitur et funditur. Radix enim זרק *zarac* significat spargere, aspergere, quales sunt ampullæ, quibus in Missa aqua et vinum in calicem spargitur et infunditur. Septuaginta vertunt, *phialas;* Chaldæi, *pelves;* S. Hieronymus hic, *hamulas,* alibi *phialas,* alibi *thuribula.* Audi Columellam :

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

42. AD OPERIENDUM FUNICULOS CAPITELLORUM. — « Funiculos » vocat spiras orbiculares, quæ ca- Vers. 42

pitello incisæ ipsum in orbem circuibant et ornabant. Unde Hebraice est גלות כתורת *gulloth ketoreth*, id est *convolvolæ coronæ;* Septuaginta, *vertibilia;* Chaldæus, *vasa rotunda coronarum*; Vatablus, *globos coronatos*. « Funiculos capitellorum » ergo vocat media capitella, eo quod in modum funis spiras et gyros haberent; hæc enim Hebraice vocantur *gulloth ketoret*, quasi revolutiones coronæ, vel capita suis spiris in gyrum circumdata et coronata.

Vers. 45. 45. OMNIA VASA QUÆ FECIT HIRAM (nam alii artifices fabricarunt vasa ex auro et argento, etc.) DE AURICHALCO ERANT. — Hebraice de *ære* ממרט *memorat*, id est terso et polito, hoc est optimo, ut vertit Chaldæus et Septuaginta, quod *aurichalcum* vocatur, quia rubet et fulget ut aurum. Vide dicta *Ezech.* I, 27, et *Apocal.* I, 15.

Porro, « Hiram, » II *Paralip.* II, 13, a rege Tyri vocatur « pater meus, » quia scilicet rex eum ob præstantiam artis colebat ut patrem : « pater » enim Hebræis sæpe significat magistrum, ducem, præsidem, præfectum. Sic Joseph a Pharaone vocabatur « pater, » ob præstantiam prudentiæ et providentiæ tempore famis, *Genes.* XLV, 8. Sic IV *Reg.* XIII, 14, rex Israel Eliseum vocat « patrem, » quia eum ut Prophetam et magistrum reverebatur. Porro Josephus his vasis multa alia adjicit, *primo*, mensarum aurearum, super quibus instrumenta varia essent, numerum extendit ad 10000. *Secundo*, phialarum et spondiorum aureorum 20000, argentearum 40000, candelabrorum 10000; cœnochoarum 80000; phialarum aurearum 100000, argentearum 200000; lancium aurearum 50000, argentearum 160000; craterum aureorum 60000, argenteorum 120000; metrorum seu mensurarum Moysis, Hin, et assaron aurearum 20000, argentearum 40000; thuribulorum quibus thus adoleretur aureorum 20000, argenteorum 40000. Quibus vero ad altare holocaustorum ignis auferretur, aureorum 50000, stolarum Hierarchicarum pro sacerdotum principibus 10000; pro sacerdotibus aliis 10000; tubarum 20000, organorum musicorum, nablorum et cinyrarum ex electro 30000.

Vers. 48. 48. FECITQUE SALOMON OMNIA VASA AUREA IN DOMO DOMINI : ALTARE AUREUM, etc., — puta altare thymiamatis in Sancto, ante Sanctum sanctorum, de quo dixi *Exod.* XXX, 1. Hinc patet Salomonem fecisse novum altare thymiamatis in Sancto pro veteri a Moyse fabricato, illudque vetus Moysis reposuisse in tabulato Sancti. Salomon enim omnia vasa templi nova fecit, excepta arca cum propitiatorio et cherubim; in arca enim servabatur lex in tabulis lapideis, digito Dei scripta. Arcam ergo a Moyse factam reposuit in templo, nec novam fabricavit; cætera vero omnia innovavit. Unde sequitur :

Vers. 49. 49. ET MENSAM SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS (novam fabricavit pro vetere a Moyse facta), ET CANDELABRA AUREA, QUINQUE AD DEXTERAM ET QUINQUE AD SINISTRAM. — Moyses unum duntaxat fecit candelabrum ex auro septiceps, sive habens septem calamos et totidem lucernas; sed Salomon pro uno hoc fabricavit quinque. De mensa hac panum et de candelabro fuse dixi *Exod.* cap. XXV, vers. 23 et 31. Quare hic ea non repetam.

FORCIPES, — hoc est emunctoria, ait Abulensis et Vatablus. *Forceps* enim est instrumentum, quo forvum, id est calidum tenetur, ait Festus, quod non solum forcipibus, quibus ignem struimus, sed et emunctoriis, quibus favillas lucernarum et candelarum capimus et carpimus, convenit.

Vers. 50. 50. MORTARIOLA — sunt vasa proprie, in quibus pilo teruntur quæ solvenda sunt, ait Nonius Marcellus. Unde S. Isidorus, lib. IV *Etymol.* XI : « Mortaria, inquit, dicuntur quod ibi jam semina in pulverem redacta et mortua condiantur. » Verum hoc loco Hebræum est כפות *caphoth*, quæ vox significat vascula curva (כפף *caphaph* enim significat curvare) et concava, in quibus thus vel incensum vel quippiam tale reponitur, ita Vatablus et alii; unde Septuaginta vertunt, *phialas;* Chaldæus et Vatablus, *cochlearia*. « Mortariola » ergo sunt parva mortaria, itaque vocantur vasa instar mortariorum curva et concava.

Vers. 51. 51. QUÆ SANCTIFICAVERAT DAVID, — id est quæ David dicaverat, destinaverat et quasi consecraverat Deo in usum templi. Septuaginta : *Intulit Salomon sancta* (Hebraice et Chaldaice, *sanctitates*) *David patris sui*. Quæ enim Deo dicantur, adeo sunt sancta, ut sint quasi ipsæ sanctitates.

Nota : In templo nil videri poterat præter marmor, cedrum, aurum, argentum; ut discas in anima sancta et religiosa dicataque Deo, nil nisi purum, solidum et pretiosum reperiri debere.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dedicatio templi, in qua supplicat Salomon Deo, ut orantes in illo, vel versus illud exaudiat.

1. Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis

Domini, de civitate David, id est, de Sion. 2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. 3. Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes, 4. et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo; et ferebant ea sacerdotes et levitæ. 5. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. 6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum subter alas Cherubim. 7. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam et vectes ejus desuper. 8. Cumque eminerent vectes et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem. 9. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti. 10. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11. et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12. Tunc ait Salomon : Dominus dixit ut habitaret in nebula. 13. Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. 14. Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat. 15. Et ait Salomon : Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, dicens : 16. A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, et esset nomen meum ibi; sed elegi David ut esset super populum meum Israel. 17. Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel; 18. et ait Dominus ad David patrem meum : Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 20. Confirmavit Dominus sermonem suum quem locutus est; stetique pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus; et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel. 21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Ægypti. 22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cœlum, 23. et ait : Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum : qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde suo. 24. Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei : ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hæc dies probat. 25. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens : Non auferetur de te vir corum me, qui sedeat super thronum Israel; ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. 26. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba tua quæ locutus es servo tuo David patri meo. 27. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi? 28. Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus; audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, 29. ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die, super domum de qua dixisti : Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te servus tuus; 30. ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et cum exaudieris, propitius eris. 31. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum quo teneatur astrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, 32. tu exaudies in cœlo; et facies, et judicabis servos

tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. 33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes pœnitentiam et confidentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, 34. exaudi in cœlo et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. 35. Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, 36. exaudi eos in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam quam dedisti populo tuo in possessionem. 37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, 38. cuncta devoratio, et imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel, si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, 39. tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), 40. ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. 41. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum 42. extentum, ubique), cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, 43. tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam ædificavi. 44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam ædificavi nomini tuo, 45. et exaudies in cœlo orationes eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum. 46. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, 47. et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes : Peccavimus, inique egimus, impie gessimus ; 48. et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint; et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo : 49. exaudies in cœlo, in firmamento solii tui, orationes eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum : 50. et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te; et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. 51. Populus enim tuus est, et hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ, 52. ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui Israel, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. 53. Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus. 54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini; utrumque enim genu in terram fixerat et manus expanderat in cœlum. 55. Stetit ergo, et benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna, dicens : 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est : Non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum. 57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens. 58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus, et judicia quæcumque mandavit

patribus nostris. 59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies; 60. ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. 61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodie. 62. Igitur rex, et omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. 63. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia; et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. 64. In die illa sanctificavit rex medium atrii quod erat ante domum Domini; fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum, quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum. 65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est, quatuordecim diebus. 66. Et in die octava dimisit populos : qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, et alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo.

Vers. 2. 2. IN MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE, IPSE EST MENSIS SEPTIMUS. — Male nonnulli legunt, *Bethanim*. Legendum enim cum Hebræo, Septuaginta et Romanis « Ethanim, » id est *fortium*, quia hoc mense septimo fructus sunt *fortes*, id est maturi, ac cum frugibus collecti reponuntur in horrea, quibus cor hominis et vita confirmatur et roboratur, ait Vatablus, vel propter crebra festa quæ mense septimo celebrabantur, quibus a *fortibus* et piis Deus colebatur : festa enim quasi roborant homines in pietate et Dei cultu, ita Cajetanus; vel quia eo mense manifestatur fortitudo et sanitas hominum, quæ maxime tentatur ægritudinibus autumni, cum folia defluunt, et hominum vires sole recedente deficiunt. Mensis ergo septimus, sive *Tisri*, vocatur « Ethanim, » hisce de causis, ac partim respondet nostro septembri, partim octobri, eratque olim primus mensis anni vulgaris, antequam Deus primum mensem anni sacri constitueret *Nisan*, sive martium vel aprilem, ob celebritatem Paschæ, *Exodi* XII, 2; unde Chaldæus hoc loco vertit, *congregatus est Israel in mense quem veteres vocabant mensem primum, et nunc ipse est mensis septimus*.

Dices : Templum perfectum est mense octavo, ut dictum est cap. VI, vers. ult., quo modo ergo dicitur hic dedicatum mense septimo? Respondent Abulensis, Salianus et alii, templum cum fuit dedicatum, fuisse quidem perfectum quoad partes principales, non tamen habuisse omnimodam suam perfectionem, sed hanc post dedicationem illi additam, ita ut mense octavo omnino fuerit perfectum. Voluisse enim Salomonem anticipare omnimodam perfectionem ob solemnitatem festi Tabernaculorum in mense septimo, ut in illa coram toto populo templum suum dedicaret.

Aliter respondet Serarius, scilicet dilatam fuisse dedicationem in annum sequentem, mensemque ejus septimum, ut interim parietes melius siccarentur, et cætera omnia ad dedicationem necessaria plenius compararentur. Quare dedicatum esse templum anno 12 regni Salomonis mense septimo.

IN SOLEMNI DIE, — id est, in festo Tabernaculorum, ait Abulensis. Verum id dici nequit : nam hoc festum incipiebat die 15 mensis septimi; hic autem celebrata est dedicatio templi per 14 dies, ut patet vers. 65, qua peracta dimissus est populus die 23 ejusdem mensis, ut patet II *Paralip.* VII, 10, jam a die 15 mensis usque ad diem 23 non intercedunt 14 dies, sed octo duntaxat. Ergo dies solemnis hic intelligitur festum hoc dedicationis, quod ob hanc dedicationem magnificentissimam fuit solemnissimum. Ita Vatablus, Torniellus, Serarius, Salianus, qui censent festum hoc dedicationis incidisse in diem octavum mensis septimi, sive « Ethanim : » inde enim usque ad diem 23, quo perfecta fuit dedicatio, intercedunt 14 dies, de quibus vers. 65. Igitur in 14 hisce diebus includitur festum Tabernaculorum, quod erat solemnissimum, et incipiebat die 15 mensis septimi, durabatque per septem dies : unde eodem tenebantur omnes masculi ex toto Israele adire templum juxta legem *Deuteron.* XVI, 16; quare hanc temporis festique occasionem studio captavit Salomon, ut solemnior esset dedicatio majorique populi frequentia celebraretur.

Allegorice, dedicatio templi significabat dedicationem Ecclesiæ, et cujuslibet templi Christiani, de qua vide nostrum Martinum de Roa, lib. *De Natali die*, cap. XXI.

Tropologice, significabat dedicationem animæ sanctæ, præsertim B. Virginis, de qua vide Petrum Damianum, serm. II *De Nativit. B. Virginis*, ubi illam cum templo Salomonis comparat. Quomodo anima fiat domus et templum Dei, docet

Philo, lib. *De Cherubim*; S. Macarius, *homil.* 1 et 10; S. Bernardus, serm. *De Dedicat.*

Vers. 4. 4. ET PORTAVERUNT ARCAM DOMINI SACERDOTES, — sicut eamdem tulerant tempore Davidis in Sion, II *Reg.* VI, sed major fuit pompa Salomonis, quam Davidis.

ET TABERNACULUM FŒDERIS, — scilicet fabricatum a Mose, hoc enim proprie dicitur « fœderis. » Ita Josephus, Ribera, Abulensis, Serarius, Vilalpandus, Sanchez et alii, licet Salianus et Emmanuel Sa intelligant tabernaculum quod David fabricarat arcæ fœderis in Sion. Nam tabernaculum Moysis non erat in Sion, sed in Gabaon. Verum non est dubium illud ex Gabaon fuisse a Salomone translatum in Sion, indeque in templum. Adde utrumque tabernaculum tam Moysis quam Davidis, a Salomone fuisse translatum in templum, perinde ac cætera omnia vasa sacra a Moyse fabricata, præsertim altaria in templum translata sunt, id est in tabulatum templi, idque prudenti consilio, ne scilicet alibi quam in templo, Dei cultus celebraretur, itaque caveretur periculum superstitionis et idololatriæ, ait Cajetanus.

Vers. 6. 6. ET INTULERUNT ARCAM IN ORACULUM TEMPLI, (hoc est) IN SANCTUM SANCTORUM SUBTER ALAS CHERUBIM, — quos scilicet Salomon novos fabricarat, altosque decem cubitos, ut arcam, quæ alta erat cubitum unum cum dimidio duntaxat, velarent alisque suis tegerent.

Vers. 9. 9. IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD NISI DUÆ TABULÆ LAPIDEÆ. — Hac de re affatim dixi *Hebr.* IX, vers. 4 et 5.

Vers. 10. 10. NEBULA IMPLEVIT DOMUM DOMINI. — Nebula enim Deus se suamque gloriam repræsentabat et simul velabat. Caligo enim Deitatis est velamentum, æque ac sacramentum. Significat enim eam hominibus esse invisibilem et inaccessam.

Vers. 11. 11. ET NON POTERANT SACERDOTES STARE ET MINISTRARE PROPTER NEBULAM, — tum ob reverentiam divinæ majestatis se ostendentis per nebulam; tum quia nebula hæc sensibilior offendebat oculos sacerdotum, eorumque aciem obtundebat et hebetabat. Ita Cajetanus.

IMPLEVERAT ENIM GLORIA DOMINI DOMUM DOMINI. — Nebulam vocat « gloriam Domini, » quia ipsa erat index et symbolum gloriæ Domini, ut dixi : ideoque erat lucida et splendida. Ita Cajetanus. Nebula hæc, inquit, et nebula, et caligo, et gloria Domini appellatur. Ex quibus nominibus colligitur, quod erat nebula per modum caliginis lucidæ, et ratione lucis appellatur gloria, seu potius honor Domini; ratione vero formæ appellatur caligo; ratione autem materiæ, nebula : erant enim velut vapores nebulosæ caliginis cum splendore, et propterea sensibiliter offendebant oculos sacerdotum ministrantium in altari.

Vers. 12. 12. DOMINUS DIXIT, UT HABITARET IN NEBULA. — Dixit hoc *Lev.* XVI, 13, ubi jubet Deus pontifici ut non nisi thurificando ingrediatur Sanctum sanctorum, idque ad hoc, ut vapor et nebula thymiamatis operiat propitiatorium, ac Deum in eo residentem; ne si pontifex eum videat, fulgore et terrore divinitatis exanimetur et moriatur. Idem dixit *Psal.* CIII, 3 : « Qui ponis nubem ascensum tuum. » Et *Psal.* XVII, 10, « caligo sub pedibus ejus. » Et vers. 12 : « Posuit tenebras latibulum suum. » Hinc Deus Moysi et Hebræis loquebatur per caliginem, *Exodi* XXIV, 16; *Deut.* IV et V.

Vers. 13. 13. FIRMISSIMUM SOLIUM TUUM. — Hebr., *directionem ad solium tuum.* Officium templi, ait Cajetanus, manifestatur esse, non præstare Deo habitationem, sed præbere hominibus directionem mentis eorum, ad solium divinum sempiternum, quod in cœlis est : ad dirigendos siquidem homines in Deum, qui creavit cœlos et terram, regitque universum, effectum est templum.

Vers. 22. 22. STETIT AUTEM SALOMON ANTE ALTARE (holocaustorum. Stetit ergo inter altare et populum a tribus lateribus circumfusum. Additur II *Paral.* VI, 13, eum stetisse in suggesto æreo, ibidem pro persona regis collocato, ut videretur ab universo populo) IN CONSPECTU (Hebraice, *e regione totius*) ECCLESIÆ ISRAEL, — faciem siquidem versus altare et sanctuarium ad Occidentem habens (in qua etiam plaga erant sacerdotes ac Levitæ); populus autem per tres alias plagas Orientis, Meridiei et Septentrionis erat. Sic enim incœpit facere quod faciendum ab aliis in hac subjuncta oratione docuit; videlicet quod versa facie ad templum preces Deo funderentur.

Porro Salomon orationem hanc fudit quasi rex Israelis, ideoque diadema gerebat in capite. Unde Chaldæus, *Cantic.* cap. III, vers. 11, cum per ferculum Salomonis intellexisset ejus templum, pro eo quod Noster, Septuaginta et Hebræi habent : *Egredimini et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate*, etc., sic vertit : *Quando venit Salomon rex, ut faceret dedicationem domus sanctuarii, præcc egressus est in fortitudine, et sic ait : Egredimini et videte habitatores provinciarum terræ Israel et populus Sion diadema et coronam, qua coronaverunt domus Israel regem Salomonem in die dedicationis sanctuarii; et lætatus est in lætitia solemnitatis tabernaculorum, quam fecit rex Salomon in tempore illo* 14 *diebus.* Et cap. IV, vers. 1, addit : *Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta, et suscepta est cum beneplacito oblatio ejus coram Domino; irruit vox de cœlis et ait : Quam pulcher est cœtus Israel, et quam pulchri sunt principes congregationis et sapientes habitantes in concilio : quia ipse semper illuminant populum domus Israel*, etc. Videant hic reges et principes miram pietatem Salomonis, qua ipse rex quasi sacerdos et pontifex templum a se fabricatum Deo dicat et consecrat; ac supplicat, ut Deus orantium in eo preces exaudiat, totique populo benedicit, ideoque a Deo exauditur, ac miraculosa caligine et igne de cœlo in victimas delapso decoratur. Imitentur eum principes, et similiter a Deo benedicentur.

ET EXPANDIT MANUS SUAS IN CŒLUM, — flexitque

genua, ut dicitur II *Paralip.* VI, vers. 13, ut hoc gestu testaretur reverentiam et devotionem suam erga Deum Deique templum; ac populum ad eamdem exemplo suo excitaret. Salomonem imitati sunt primi Christiani, qui flexis genibus et elevatis in cœlum manibus orabant, cujus cæremoniæ varias causas ex Patribus recensui I *Timoth.* II, 8, ad illa : « Levantes puras manus. »

SI ENIM COELUM ET COELI COELORUM (id est summi, vastissimi et capacissimi cœli) TE CAPERE NON POSSUNT, QUANTO MAGIS DOMUS HÆC QUAM ÆDIFICAVI, — non capiet te. Deus enim est immensus, ideoque est ubique, et omnia implet, ac ultra omnia per immensa vacui spatia extenditur, ideoque mille et milliones infinitos novorum mundorum in iis creare potest. Idem dixere philosophi, unde Aratus :

Jupiter est quodcumque vides : Jovis omnia plena.

Et Æschylus apud Clementem Alexandrinum lib. V *Stromatum* :

Jupiter est æther, est terra,
Cœlumque et omnia Jupiter, et si quid supra.

Et Orpheus ibidem :

Oceani ad fines expansa est, et manus illi
Undique dextera, sub pedibus subjectaque terra est.

Vers. 29. 29. ERIT NOMEN MEUM IBI, — *q. d.* in domo mea ero præsens : ibi colar, illic respondebo, illic preces exaudiam, operabor mirabilia, et gloriam meam ostendam. Hinc rursum : « Nomen meum erit ibi, » id est ipsum ex nomine meo vocabitur, « templum Domini, » juxta illud : « domus mea : domus orationis vocabitur, » *Matth.* cap. XXI, vers. 13.

Vers. 31. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, ET HABUERIT ALIQUOD JURAMENTUM, — *q. d.* Si quis vocatus ad templum ut juret, ibidem jurarit se non peccasse in proximum, nec rem ejus abstulisse vel læsisse, *q. d.* Salomon : O Domine, oro et supplico, ut in templo hoc ostendas veritatem vel falsitatem juramenti, ut videlicet pejerantem in templo punias quasi sacrilegum et profanantem domum tuam, ut omnibus pateat, quanta religio et reverentia templo tuo debeatur, quamque in ea tu sis præsens, et virtutem tuam spiritalem ostendas. Ita enim phrasis hæc explicatur libro II *Paral.* cap. VI, vers. 22 et 23. Ita Abulensis. Sic olim suspecti de aliquo crimine ducebantur ad oratorium S. Stephani, ut ibi juramento se purgarent : nam si falsum jurabant, illico a Deo puniebantur, cujus rei exempla recenset S. Augustinus, lib. XXII *De Civit. Dei,* cap. VIII. Idem fiebat pejerantibus in templo S. Martini ad ejus reliquias, uti narrat Gregorius Turonensis, lib. VIII, cap. XVI.

Vers. 38. 38. CUNCTA DEVOTATIO (perperam nonnulli legunt, *devoratio*) ET IMPRECATIO. — Hebraice, *omnis oratio et supplicatio quæ facta fuerit a quocumque homine,* in templo, etc. Sic et Septuaginta ac Chaldæus. « Devotatio » enim est oratio et voti nuncupatio, et hæc vox olim fuit in usu, uti ex Apuleio et Cicerone ostendi *Prov.* XX, 25, ad illa : « Ruina est homini devorare, » vel, ut legunt Beda, Lyranus et alii, « devotare sanctos. »

« Imprecatio » vero idem est quod *precatio* : ponitur enim nomen compositum pro simplici : minus genuine ergo per eam accipit anathematismum S. Augustinus, *Quæst.* XXI.

SI QUIS COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SUI, — id est si quis acrem animi dolorem senserit, eumque oratione coram te effuderit in templo, tu exaudies et ab eo liberabis eum.

Vers. 43. 43. NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER DOMUM HANC, — *q. d.* Domus hæc vocatur domus tua.

Vers. 45. 45. FACIES JUDICIUM EORUM, — id est jus eis dices et facies, ulciscendo injurias eis factas, ipsosque liberando ab oppressoribus injustis et violentis.

Vers. 48. 48. ET ORAVERINT TE CONTRA VIAM TERRÆ SUÆ, etc., ET CIVITATIS QUAM ELEGISTI, ET TEMPLI, — *q. d.* Si Judæi extra Judæam apud gentes constituti te oraverint faciem suam convertentes ad terram suam, puta ad Jerusalem et templum. Sic Daniel, cap. VI, vers. 10 : « In Babylone captivus contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua. » Et Psaltes, *Psal.* CXXXIII, 2 : In noctibus, inquit, extollite manus vestras in Sancta, » id est versus templum sanctum. Quin et Turcæ hodie in suis moschæis orantes superstitiose convertunt se ad Meridiem, ut respiciant versus Mecham et suum Mahometem ibi sepultum.

Vers. 50. 50. DABIS MISERICORDIAM CORAM EIS. — Hebraice, *dabis eos in misericordias, q. d.* Conciliabis eis gratiam apud hostes, ut ab eis misericordiam consequantur, ac misericorditer tractentur et liberentur.

Vers. 54. 54. UTRUMQUE ENIM GENU IN TERRAM FIXERAT. — Notent hoc nobiles delicatuli et gloriosuli, qui orant uno genu in terra fixo, altero elevato quasi pugnaturi cum Deo, ne concedat quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce utrumque flexit genu, et utrasque manus in cœlum expandit, atque hoc gestu supplex perstitit toto tempore prolixæ orationis suæ : et nos viles pauperesque homunculi dedignabimur utrumque genu flectere, ut uno supplicare Deo, altero minari eidem videamur?

Vers. 55. 55. BENEDIXIT OMNI ECCLESIÆ ISRAEL, — *q. d.* Bene precatus est toti cœtui, sive conventui populi Israel.

Vers. 59. 59. SINT SERMONES MEI, etc., APPROPINQUANTES DOMINO, — *q. d.* Sit Dominus jugiter memor hujus orationis meæ, quam ad eum pro futuris posteris sæculisque effudi. Ita Vatablus.

Vers. 60. 60. QUIA DOMINUS IPSE DEUS, ET NON ULTRA EST ABSQUE EO, — *q. d.* Non est alius Deus præter eum, sed ipse unus et solus est Deus verus.

Vers. 61. 61. SICUT ET HODIE, — subaudi, facitis, ut ita quoque faciatis in posterum, ut perfecto corde

Deum ametis, ejusque mandata universa custodiatis. Additur II *Paral.* VI, 41 : « Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ; » ut scilicet super arcam residens requiescas in templo hoc a me tibi fabricato, vocat « arcam fortitudinis, » quia per eam Deus Jerichuntem et Chananæam duce Josue fortiter expugnavit. Pergit *Paral.* : « Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, » ut undique sint sani et salvi, ac salute quasi veste circumquaque induantur et cingantur, ut eam quoque aliis, præsertim laicis, impertiri valeant: « Domine Deus, ne averteris faciem Christi, » *q. d.* Ne meas, puta Salomonis, qui sum tuus Christus, id est rex Israelis a te unctus et creatus, preces jam recensitas, o Domine, avertas, sed exaudias et adimpleas : stimulum adhibet concludens : « Memento, misericordiarum (Hebraice חסדי *chasde,* id est *pietatum*) David servi tui, » *q. d.* Concede mihi quod peto propter merita Davidis patris mei, qui fuit vir pietatum et misericordiarum, tam active quam passive, quia opera misericordiæ multa et præclara in Saulem cæterosque Israelitas exhibuit, ideoque vicissim a te, Domine, magnam misericordiam et gratiam consecutus est.

Porro Deum exaudisse orationem Salomonis patebit capite sequenti, vers. 2. Nota hic, Deum magis exaudire orationes quæ in templo quasi in domo sua fiunt, quam quæ alibi, ob causas quas recensui I *Timoth.* II, 1 et 2.

Vers. 63. 63. MACTAVITQUE SALOMON HOSTIAS PACIFICAS (quæ pro pace, id est salute et felicitate sua et populi tam obtenta quam deinceps obtinenda offerebantur juxta legem *Levit.* III) BOUM VIGINTI DUO MILLIA, ET OVIUM CENTUM VIGINTI MILLIA. — Vide hic rursum Salomonis pietatem et magnificentiam in cultu Dei.

Vers. 64. 64. IN DIE ILLA SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII QUOD ERAT ANTE DOMUM DOMINI, — *q. d.* Illo die dedicationis templi Salomon per pontificem et sacerdotes dedicavit mediam partem atrii sacerdotum, quæ erat ante Sanctum, ut in ea multa erigerentur altaria ad tot millia victimarum in eis offerenda. Unum enim altare a Deo præscriptum, *Exod.* cap. XXVII, vers. 1, omnia hæc capere non poterat. Quare necessitas præsens excusavit Salomonem a peccato, ut non faceret contra Dei legem vetantem erigi aliud altare, præsertim quia simul offerebat in altari a Deo præscripto victimas tot quot illud capere poterat, cæteras vero obtulit in altaribus juxta illud in atrio sacerdotum a se erectis : unde tunc totum atrium sacerdotum, vel potius dimidia ejus pars erat quasi unum altare. Ita Abulensis.

Deinceps vero Salomon in templo hoc quotidie sacrificia obtulit; sed plura et majori solemnitate ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, et festo Tabernaculorum, ut patet II *Paral.* VIII, 13.

65. FECIT ERGO SALOMON IN TEMPORE ILLO FESTIVITATEM CELEBREM, etc., SEPTEM DIEBUS, ET SEPTEM DIEBUS. — Priores septem dies fuere dedicationis templi, posteriores septem festi Tabernaculorum. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Vers. 65

Denique in hac dedicatione Levitæ et Cantores ac 120 sacerdotes concinebant tam voce, quam tubis, cymbalis, organis, citharis, psalteriis cæterisque musicis instrumentis personabant, ut dicitur II *Paral.* V, 11. Fabulantur Rabbini eo tempore portas templi sponte fuisse clausas, cumque cantaretur psalmus CXXXI, sponte apertas. Miracula vero quæ tunc contigerunt fuere, quod Deus igne cœlesti omnes victimas consumpserit, et suam majestatem ostenderit in nube splendida et gloriosa. Audi II *Paral.* VII, 1 : « Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum : et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum : Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus apparet Salomoni, promittitque ei thronum æternum si in lege sua ambulet; sin autem, minatur ei regni templique exterminium. Mox, vers. 10, *Salomon offert Hiram regi Tyri* 20 *civitates; inde, vers.* 17, *ædificat munitque varias urbes, ac omnes Chananæos reliquos sibi facit tributarios. Denique, vers.* 26, *classem mittit in Ophir, quæ ei affert* 420 *talenta.*

1. Factum est autem, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere, 2. apparuit ei Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon. 3. Dixitque Dominus ad eum : Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam quam deprecatus es coram me; sanctificavi domum hanc, quam ædificasti,

ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. 4. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea, et judicia mea servaveris, 5. ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. 6. Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, et cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos, 7. auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis; et templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, et in fabulam cunctis populis. 8. Et domus hæc erit in exemplum : omnis qui transierit per eam stupebit, et sibilabit, et dicet : Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? 9. Et respondebunt : Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos; idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. 10. Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est domum Domini, et domum regis 11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina et abiegna, et aurum juxta omne quod opus habuerat), tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ. 12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et non placuerunt ei, 13. et ait : Hæccine sunt civitates quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas terram Chabul, usque in diem hanc. 14. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri. 15. Hæc est summa expensarum quam obtulit rex Salomon ad ædificandum domum Domini, et domum suam, et Mello, et murum Jerusalem, et Heser, et Mageddo, et Gazer. 16. Pharao rex Ægypti ascendit, et cepit Gazer, succenditque eam igni; et Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. 17. Ædificavit ergo Salomon Gazer, et Bethoron inferiorem, 18. et Baalath, et Palmiram in Terra solitudinis. 19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, et erant absque muro, munivit, et civitates curruum et civitates equitum, et quodcumque ei placuit ut ædificaret in Jerusalem, et in Libano, et in omni terra potestatis suæ. 20. Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, et Hethæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel : 21. Horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare : fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc. 22. De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores et ministri ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum. 23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quinginti quinquaginta, qui habebant subjectum populum, et statutis operibus imperabant. 24. Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon : tunc ædificavit Mello. 25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, et pacificas victimas, super altare quod ædificaverat Domino, et adolebat thymiama coram Domino : perfectumque est templum. 26. Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumææ. 27. Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris, cum servis Salomonis. 28. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.

Vers. 2. 2. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO, SICUT APPARUERAT EI (primo) IN GABAON, — scilicet apparuit ei « nocte, » ut dicitur II *Paralip.* VII, 12, in somnis : sic enim ei apparuerat in Gabaon cap. III, vers. 4.

Vers. 3. 3. SANCTIFICAVI DOMUM HANC, — id est « elegi locum istum mihi in domum sacrificii, » ut exponitur II *Paral.* VII, 12.

UT PONEREM NOMEN MEUM IBI IN SEMPITERNUM, — quamdiu scilicet templum erit et subsistet, vocabitur domus Domini, ibique ego me meamque præsentiam, gratiam et gloriam ostendam.

ET ERUNT OCULI MEI ET COR MEUM IBI CUNCTIS DIEBUS, — *q. d.* Conjiciam oculos in domum meam, ipsaque erit mihi chara, cordi et curæ.

Vers. 4. 4. TU QUOQUE SI AMBULAVERIS CORAM ME, SICUT AMBULAVIT PATER TUUS IN SIMPLICITATE (Hebraice בתום *betom*, id est *in integritate;* Chaldaice, *in veritate;* Septuaginta, *in sanctitate*) CORDIS, ET IN ÆQUITATE. — Hebraice ביושר *beioscer*, id est *in rectitudine* : hoc est, si integro, vero, sancto et perfecto corde mihi servieris, ut totum cor mihi tradas, nec illud dividas, ut ejus partem unam mihi, alteram idolis et cupiditatibus tradas. Deus enim totum cor, totumque amorem nostrum poscit, juxta illud : « Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, » *Deut.* VI, 5. Vide ibi dicta. Unde explicans subdit :

ET FECERIS OMNIA QUÆ PRÆCEPI TIBI, ET LEGITIMA (leges) MEA, ET JUDICIA (jura et leges judiciales a me latas) MEA SERVAVERIS.

Vers. 6. 6. SI AUTEM AVERSIONE AVERSI FUERITIS, — a me meaque lege.

Vers. 7. 7. AUFERAM ISRAEL DE SUPERFICIE TERRÆ, QUAM DEDI EIS : ET TEMPLUM QUOD SANCTIFICAVI (dicavi) NOMINI MEO PROJICIAM, — uti jam ob occisum Christum videmus Judæos toto orbe errones et vagos, et templum eorum excisum. Sic et Christianos ad hæresim aliaque scelera dilabentes Deus sæpius punivit, et etiamnum punit, excidio gentis et regni, ac templa et monasteria succendi evertique sinit.

Vers. 10. 10. EXPLETIS AUTEM ANNIS VIGINTI (ab inchoata templi fabrica, puta anno 24 regni Salomonis) POSTQUAM ÆDIFICAVERAT SALOMON DUAS DOMOS, ID EST DOMUM DOMINI, ET DOMUM REGIS, etc.

Vers. 11. 11. TUNC DEDIT SALOMON HIRAM VIGINTI OPPIDA IN TERRA GALILÆÆ. — Quæres, an licite Salomon has urbes ab Israele abalienaverit, et tradiderit Hiram regi Tyri gentili? Respondeo illum licite non potuisse illas in æternum abalienare, ut faceret terram Phœnicum, quia injuriam fecisset Israelitis contra legem Dei, qui illas eis assignarat et dederat. Rursum Hiram Galilæos hos pertraxisset ad sua idola et gentilismum. Quare non tradidit Hiramo absolutum plenumque earum dominium, sed tantum usumfructum, ut scilicet Hiram ex eis redditus et jura, quæ Salomon percipere solebat, reciperet, donec expensas suas pro Salomone factas compensaret; vel certe usque ad vitam suam, ut eo mortuo redirent ad regnum et reges Israelis. Ita Abulensis, Serarius, Salianus et alii.

Vers. 13. 13. ET APPELLAVIT EAS TERRAM CHABUL. — « Chabul » Phœnicum lingua, ait Josephus, lib. VIII, cap. V, significat *non placens*, vel displicens. Ita Abulensis, Cajetanus et alii : Hebræorum vero lingua חבל *chebel* significat *compedes*, inde *chabul* significat *terram tenacem* et lutosam, quæ gradientes remoratur, eisque quasi compedes injicit, ut vix progredi queant. Ita R. David, Vatablus et Pagninus. Posset quoque *chabul* per metathesin deduci a כלב *keleb*, id est canis, *q. d. Terra canina*, vilis et spurca instar canis; unde Josephus ait Hiram noluisse has urbes acceptare, itaque eas mansisse Israeli.

Vers. 15. 15. HÆC EST SUMMA EXPENSARUM, QUAM OBTULIT REX SALOMON AD ÆDIFICANDAM DOMUM DOMINI, ET DOMUM SUAM, ET MELLO, ET MURUM JERUSALEM, ET HEZER, etc. — *q. d.* Hæc est causa vel materia tot expensarum et sumptuum, quos fecit Salomon; nimirum fabrica templi, domus suæ, Mello, etc. In his enim fabricis maximas expensas fecit, et ærarium suum opulentissimum exhausit. Hebraice enim est, *hoc est verbum tributi*, id est, hæc est ratio et causa tributi tanti, quod Salomon populo indixit (ob quod populus murmuravit, et a Roboam ad Jeroboam defecit), nimirum, ut ex eo fabricaret templum et tot urbes. Fabrica enim opes etiam regias et maximas exhaurit. Ita Vatablus, Serarius, Sanchez et alii.

Posset secundo, cum Septuaginta verti, *hæc est summa distributionis*, in quam scilicet Salomon suas opes tantaque tributa distribuit et expendit, ut *summa expensarum* sit summa rerum, in quas expensæ sunt factæ, nimirum fabrica templi et tot urbium. Nam alioqui proprie nulla summa tributorum vel opum Salomonis hic texitur.

Vers. 16. 16. ET DEDIT EAM IN DOTEM FILIÆ SUÆ UXORI SALOMONIS. — Jam ante cum nuberet Salomoni, dederat ei dotem. « In dotem » ergo, id est in augmentum dotis. Unde Hebræi habent, *dedit ei* שלחים *scilluchim;* Septuaginta ἀποστολάς, id est *missilia*, scilicet munera, hoc est, *dedit ei dono*, ut vertit Chaldæus.

Vers. 18. 18. ET PALMIRAM. — Hebræi et Septuaginta, *Thamor*, id est *Palma*. Videtur ergo urbs hæc dicta *Palmira*, a palmarum copia, et palmetis ibidem abundantibus, ait S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XLVII et XLVIII. Sita erat trans Jordanem in finibus Israel pertinebatque ad dimidiam tribum Manasse, distans a Damasco 27 millibus passuum. Ædificavit eam ergo Salomon ibidem tanquam in extremo imperii sui limite, et validissimis mœnibus cinxit : postea ab Hadriano Imperatore restaurata dicta fuit Hadrianopolis. Ab hac urbe celebri tota regio et solitudo vicina dicta est Palmirena. Vide Adrichomium, pag. 92, num. 73.

Vers. 21. 21. FECIT SALOMON TRIBUTARIOS, — scilicet Chananæos omnes, qui residui erant in Judæa, quos Hebræi non potuerant exterminare. Quæres, an peccarit hic Salomon? nam Deus jusserat omnes Chananæos occidi. Respondet Abulensis non peccasse, quia nec David pater ejus illos occiderat : unde vel Deum in lege sua dispensasse, vel potius tunc legem non obligasse, eo quod tunc cessaret omne periculum, quod timebatur Israeli a Chananæis, ne scilicet ipsi Hebræos ad sua idola pellicerent : jam enim erant omnino a Davide et Salomone suppressi, ut id facere et capita elevare non auderent. Rursum metuere poterat Salomon, ne, si ipse omnes Chananæos occideret, Philistini aliæque gentes, in vindictam simili modo omnes Judæos apud se degentes trucidarent, imo ipsi

bellum moverent. Adde, legem jubentem occidi Chananæos maxime pertinuisse ad Chananæos, qui tempore Josue vivebant et deinceps, cum expugnanda et possidenda erat terra, ut indicatur hoc versu. Ita Cajetanus et alii.

Vers. 26. 26. CLASSEM QUOQUE FECIT REX SALOMON. — Pineda censet Salomonem hanc classem instruxisse initio regni, ad colligendum aurum pro fabrica templi. Verum hoc abunde jam ante compararat David : unde Salianus opinatur ipsum hanc classem adornasse post fabricam templi anno regni sui 24, idque colligit ex vers. 10, quod intellige de classibus posterioribus et majoribus. Nam ante fabricam templi pro ejus æque ac palatiorum urbiumque ædificandarum immani sumptu, eum hanc classem instruxisse ad aurum comparandum, liquet ex cap. x, vers. 12, ubi dicitur Salomon ex lignis thyinis allatis ex Ophir fecisse fulcra domus Domini et domus regiæ.

Vers. 27. 27. GNAROS MARIS. — Tyrii enim et Phœnices, utpote accolæ maris, in arte nautica et navigatione omni ævo apud omnes gentes fuere celebres.

Vers. 28. 28. QUI CUM VENISSENT IN OPHIR, SUMPTUM INDE AURUM QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM, DETULERUNT AD REGEM SALOMONEM. — Quæres, quæ et ubi sit Ophir? Nonnulli putant fuisse Angolam, in qua sunt Æthiopes, qui in mancipia adducti sunt Salomoni, uti et hodie inde adducuntur in Hispaniam. Alii censent fuisse Malacam, alii Sefalam, alii cum Eugubino imam Persiam, alii Africam.

Ophir ubi ?

In Peru. Duæ sententiæ sunt probabiliores. Prior, Ophir esse regnum Peru in India Occidentali, tum quia ibi est aurum plurimum et laudatissimum, quod inde quotannis fere in Hispaniam exportatur, tum quia Ophir per metathesin litterarum est Peru; tum quia aurum Ophir vocatur aurum פרוים *Peruaim*, id est duarum Peru, scilicet minoris et majoris, II *Paralip.* III, 7. Ita Vatablus, Arias, Genebrardus et alii, qui censent novum orbem a Salomone fuisse apertum et cognitum.

Vel potius in Sumatra. Posterior et communior sententia est, Ophir fuisse in India Orientali, adeoque plures ejus auriferas regiones complecti, uti auream Chersonesum, ita dictum ab auri copia, Sumatram et Taprobanam, Pegu, Ceylam aliasque Indiæ Orientalis regiones auriferaces. Ita Sanchez, Serarius, Salianus, Gaspar Varerius, lib. *De Ophir.*, Josephus Acosta, lib. I *De Natura novi orbis*, cap. XIII et XIV. Favent Josephus, Hesychius, Theodoretus, Procopius et S. Hieronymus, epist. 140 *ad Principiam*, qui Ophir dictum asserit ab Ophir filio Heber, *Gen.* cap. x, vers. 29.

Probatur primo. Probatur *primo*, quia hæc classis solvebat ex Asiongaber sita in mari Rubro, sive in sinu Arabico : ex hoc autem facilis, directa et vicina est navigatio per promontorium Comorinense in Sumatram et Taprobanam, utpote directe ei objacentem, ut patet ex tabulis cosmographicis; longissima vero, et plane periculosa et anfractuosa fuisset navigatio ex mari Rubro in Peru : oportuisset enim vel per Orientem gyrare totam Indiam Orientalem, Malacam, Japones et Sinas, ibique reflectere iter in Americam : vel certe per Occidentem circumnavigare promontorium Bonæ-Spei totamque Africam ac Oceanum vastissimum; inde per Brasiliam, Patagones, Chili et fretum Magellanicum tendere in Peru : longe autem facilior et vicinior in Peru fuisset navigatio ex Joppe et Tyro, puta ex mari Mediterraneo, uti hodie est ex Hispali in Hispania.

Secundo. *Secundo,* quia tunc incognitus erat usus magnetis : quare suos cursus navigantes metiebantur polo et stellis polaribus : unde littora vicina legebant, nec audebant transire Gades (ubi Herculeas suas columnas, quasi navigationis terminum, quem nemo transire auderet, fixit), multo minus lineam æquinoctialem. Hinc Gades habitæ sunt extremus terræ terminus, ipsis etiam Tyriis, uti testatur Strabo, lib III, Diodorus, lib. V, Paterculus, lib. I. Unde vetus Proverbium : « Ad Gades. » Apud Petrum Apianum, lib. I *Antiq.* exstat hoc Gadibus monumentum : « Heliodorus insanus Carthaginensis ad extremum orbis sarcophago testamento, me hic condi jussi, ut viderem si quis me unquam insanior, ad me visendum ad hæc usque loca penetraverit. »

Tertio. *Tertio,* si India Occidentalis, et navigatio in eam a Salomone fuisset reperta et trita, utique mansisset ejus memoria et continuatio : auri enim cupido ad eam omnes excitasset. Jam autem nulla ejus exstat memoria, imo ante Americum Vespucium (unde dicta est America) terra illa ab omnibus habita fuit ut nova et incognita. Accedit, quod ex sinu Arabico sive mari Rubro, crebra tum erat Tyriorum aliorumque in Indiam Orientalem navigatio, uti ex priscis auctoribus ostendit Pineda.

Quarto. *Quarto,* quia Sumatra, Taprobana et loca vicina abundant auro præstanti, gemmis, lignis thyinis, ebore aliisque rebus pretiosis, quæ in Ophir et Tharsis esse dicuntur cap. x, vers. 11 et 22, cum Peru careat lignis thyinis, simiis, pavonibus, ebore et elephantis, teste Josepho Acosta loco citato, qui in Peru vixit per 15 annos. Accedit, quod Maffæus, lib. XVI *Hist. Indic.*, scribat Pegusios ex majorum traditione stirpem suam referre ad Judæos exules, a Salomone damnatos ad aurifodinas Ophirinas, missosque ad aurum in Peru locisque vicinis effodiendum. Porro ab Ophir aurum præstans vocatur Ophirisium, indeque obrizum, ait S. Hieronymus loco citato.

Quinto. *Quinto,* Ophir dicta est ab Ophir filio Jectam, ut nepote Heber. Porro frater Ophir dictus est Hevila, amboque incoluerunt Indiæ et plagæ Orientalis regiones ad Gangem fluvium, quæ ipsorum nominibus appellatæ, fuere auri et gemmarum feracissimæ.

Hinc patet responsio ad argumenta prioris sententiæ. Adde, Ophir nomine suo tam ad Peru al-

ludere quam ad Africam, quasi Africa sit Ophirica, sive Africa. Nam in Ophir prima littera est Aleph, quæ est in Africa. Unde Septuaginta et Josephus pro « Ophir» vertunt, *Sophir* vel *Sofira*, quam nonnulli putant esse Sofalam, quæ est Africæ regio, per quam e mari Rubro venientes navigant in Sumatram cæteramque Indiam Orientalem. De auro *Peruaim* dicam, II *Paral.* III, 7. Denique nomen Peru fuit incognitum, imo etiamnum Peruanis ignotum est : Hispani enim nuper illud isti regioni indiderunt a flumine quodam ibidem sito, cui nomen est Peru, teste Acosta et aliis.

Denique cur Salomon rex sapientissimus, relictis opibus Indiæ Orientalis sibi vicinæ, iisque præstantissimis, quæsivisset eas in India Occidentali remotissima, ubi navigatio erat periculosissima; si quis tamen omnino velit Ophir esse Peru, dicat partem hujus classis navigasse in Peru, aliam in Sumatram et Indiam Orientalem, sicut nunc ex divisione Pontificis Alexandri VI, Lusitani navigant in Indiam Orientalem, Hispani eis vicini in Occidentalem. Plura de Ophir vide apud Pinedam, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XVI.

AURUM QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM, — supplet lib. II *Paralip.* cap. VIII, vers. 18, more suo, numeratque 450 talenta. Mystice, Salomon hac navigatione repræsentavit, imo viam aperuit Hispanis et Lusitanis in Indiam, tum ut aurum, tum potius ut Indorum animas omni auro pretiosiores Christo, qui verus est Salomon, acquireret.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba visit Salomonem, ejusque sapientiam et magnificentiam admiratur. Mox, vers. 14, *recensentur Salomonis annui redditus et opes; ac vers.* 18, *thronus eburneus, vers.* 22, *classis in Tharsis, atque vers.* 26, *equites et equitatus.*

1. Sed et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. 2. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. 3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat : non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei. 4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, 5. et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini : non habebat ultra spiritum. 6. Dixitque ad regem : Verus est sermo quem audivi in terra mea, 7. super sermonibus tuis et super sapientia tua : et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit; major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi. 8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. 9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam. 10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas : non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 11. (Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, et gemmas pretiosas. 12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, et domus regiæ, et cytharas lyrasque cantoribus : non sunt allata hujuscemodi ligna thyina neque visa usque in præsentem diem). 13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo : exceptis his quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis. 14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri : 15. excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores universique scruta vendentes, et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ. 16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.

17. Et trecentas peltas ex auro probato : trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant : posuitque eas rex in domo saltus Libani. 18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem : et vestivit eum auro fulvo nimis. 19. Qui habebat sex gradus : et summitas throni rotunda erat in parte posteriori : et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile : et duo leones stabant juxta manus singulas. 20. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde : non est factum tale opus in universis regnis. 21. Sed et omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea : et universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo : non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis ; 22. quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos. 23. Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis et sapientia. 24. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audieret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. 25. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes, et arma bellica, aromata quoque, et equos et mulos, per annos singulos. 26. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum : et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Jerusalem. 27. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum : et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sicomoros quæ nascuntur in campestribus. 28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant. 29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venundabant.

Vers. 1. 1. SED ET REGINA SABA, AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI (hoc est, audita fama de mira Salomonis sapientia illi a Deo indita, deque ejus stupendis fabricis et operibus quæ faciebat « in nomine, » id est ope et virtute « Domini : » nam τὸ in *nomine Domini*, referendum ad *fama*, non ad *venit*, ut patet ex Hebræo) VENIT TENTARE EUM IN ÆNIGMATIBUS, — ut per ænigmata obscura et intricata probaret ejus sapientiam.

Regina Saba cujas ? Quæres, cujas erat, et ex qua regione venit hæc regina?

Nota : Ex S. Hieronymo in *Tradit. in Genes.*, duplex est Saba, una est civitas Arabiæ Felicis, et tum scribitur per litteram *schin*, unde ejus incolæ dicti sunt Sabæi (juxta illud :

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi),

Duplex Saba. a Saba filio Regma ejus fundatore, *Genes.* x, 7. Altera Saba est in Æthiopia, quæ scribitur per litteram *samech*, vel ei æquipollentem *sin*, fundata et appellata a Saba filio Chus, *Genes.* x, 7, ex quo orti videntur Abyssini, quorum rex est Preto-Janes. Hæc fuit Æthiopiæ metropolis, et postea a Cambyse nomine sororis suæ vocata est Meroe, teste Josepho, lib. II *Antiq.* cap. x, et Strabone, lib. XVI et XVII. Utriusque fit mentio, *Psal.* LXXI, 10 : « Reges Arabum et Saba dona adducent. » Hebraice enim est *reges* שבא *Saba*, (id est Arabiæ) et סבא *Seba* (id est Æthiopiæ) *dona offerent.*

Jam nonnulli censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Arabia Felice : hæc enim abundat thure et aromatibus ; et quia « Saba » hic scribitur per *schin*. Ita censent Cajetanus, Eugubinus, Pererius, Gagneius, Baronius, Suarez et alii quos citat et sequitur Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. XIV, num. 5 et 6.

Venit ex Æthiopia. Alii vero passim censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Æthiopia.

Prob. Primo. Probant *primo*, quia regina hæc venit ex finibus terræ, ut ait Christus *Matth.* XII, 42. Ergo non venit ex Arabia ; hæc enim vicina est Judææ ; sed ex Æthiopia quæ longissime ab ea distat.

Secundo. *Secundo*, quia Æthiopia præ Arabia auro abundat, aliudque nihil fere quam aurum mercatui exponit, ait Genebrardus in *Psalm.* LXXI. Eadem thurifera et aromatica est.

Tertio. *Tertio*, quod in Æthiopia feminæ dominari soleant, unde ejus reginæ communi nomine vocabantur *Candaces*, ut patet *Act.* cap. VIII, et ex Plinio, lib. VI, cap. XXIX.

Quarto. *Quarto*, quod illa sit apud Æthiopes, sive Abyssinos, continua et constans traditio de qua mox plura. Rursum quod regina hæc a Christo vocetur « regina Austri. » Æthiopia autem Judææ est ad Austrum, cum Arabia potius sit ei ad Orientem. Ad hæc, cum vocatur « regina Austri, » videtur latissime per totam quasi Meridionalem plagam regnasse, qualis est vasta Æthiopia, non parva Arabia.

Quinto. *Quinto*, quia ab hac regina Æthiopes acceperunt circumcisionem a Salomone, ac cognitionem S. Scripturæ cultumque veri Dei Israelis ; unde Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum in curru veniens Hierosolymam Deum adoraturus, legebat Isaiam prophetam, quando ad eum accessit Philippus, eumque in fide Christi instruxit, *Act.* VIII. Hic enim pri-

mus e Gentibus factus est Christianus, et Christi fidem in Æthiopia propagavit. Unde de eo cecinit Psaltes : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo, » *Psal.* LXVII, 32. Atque hujus rei typus fuit hæc regina : sicut enim ipsa prima ex longinqua regione venit ad Salomonem ut ejus sapientiam audiret : sic et Æthiopia prima venit ad Christi fidem et cultum. Ita censent hoc loco Josephus, Rabanus, Abulensis, Hugo, Dionysius, item Maldonatus, Toletus, Jansenius, Baradius, Franciscus Lucas in *Matth.* XII, S. Hieronymus in *Isaiæ* XLIII, Origenes, hom. 2 *in Cantic.*, S. Augustinus, serm. 152 *De Tempore*, ait, « venisse a partibus Æthiopiæ, » Nazianzenus, *orat.* 40, appellans « Æthiopum reginam, » Nyssenus, hom. 7 *in Cantica*, vocans « Æthiopissam, dicensque eam transmisisse magnum quod intercedebat spatium, ut ad Salomonem accederet (1). »

Dices : Saba hic scribitur per *schin* ; ergo notat eam quæ est in Arabia. Respondeo : Rabbinos male hic posuisse punctum in dextro cornu, itaque fecisse *schin*, cum ponendum esset in sinistro, legendumque *sin*.

Porro regina hæc a Josepho vocatur *Nicaule*, a Rabbinis in libro Juchasin, *Nicolaa*, a Damiano Goes in legatione Æthiopica, *Maqueda*. Addit Josephus ab hac regina fuisse in Judæam primum allatum opobalsami radicem, quod tamen verisimile haud videri alibi dicetur. Addit Glycas eam fuisse Sibyllam, et de dignoscendis puellorum et puellarum faciebus ænigma proposuisse.

Fabulantur nonnulli reginam hanc prædixisse in Cedrone suspendendum (Christum) qui Salomone foret sapientior. Vide Gretserum, lib. I *De Cruce*, cap. IV.

Causa adventus ejus fuit, ut audiret disceretque sapientiam Salomonis, ut ait Christus *Matth.* XII, 42. Hinc sapienter S. Bernardus scribens ad Hierosolymæ reginam, *epist.* 189, ipsi reginam hanc imitandam proponit : « Regina Austri, ait, venit audire sapientiam Salomonis, ut regi disceret et sic regeret : alioqui bene non regis, si bene non regeris. » Unde Cassiodorus, lib. X, *epist.* ultim. Amalesventham (id est cœli filiam) Gothorum reginam, sapientia et pietate insignem comparat cum regina Saba.

Allegorice, sicut regina Saba ex Æthiopia venit ad Salomonem, ut ab eo disceret sapientiam : sic Ecclesia e Gentibus venit ad Christum, ut hauriret scientiam salutis. Ita Eucherius, Angelomus, Beda et S. Bernardus, serm. 22 *in Cantic.*, S. Ambrosius, lib. II *Offic.* cap. X, S. Gregorius in *Psal.* VII *pœnit.* vers. 7, Prosper, lib. II *De Prædest.* cap. XXVII. Idem satis insinuat Christus dicens, *Matth.* XII : « Regina Austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis ; et ecce plus quam Salomon hic. » Vide præ cæteris Eucherium, lib. III in libros *Regum*, ante finem. Imo Hebræi in *Berescit rabba*, id est in *Genesi magna*, ad illud cap. XXV, vers. 6 : « Emisit eos ad Orientalem plagam, » censent reginam hanc venisse ad Salomonem, eo quod ex fama tantæ sapientiæ et virtutum ejusdem, suspicaretur ipsum esse Messiam sive Christum, idque significare τὸ *in nomine Dei venit*, etc. Ita refert Galatinus, lib. VIII, cap. III.

(1) Annales Abyssiniæ permulta continent de itinere reginæ Saba, et asserunt eam præ admiratione sapientiæ et operum Salomonis ab idolis conversam esse ad verum Deum. (Bruce, tom. II, pag. 370.)

5. NON HABEBAT ULTRA SPIRITUM — *q. d.* Extra se rapta est præ admiratione et stupore, ait Vatablus. Allegorice S. Gregorius in *Psal.* VII *pœn.* 7, per reginam hanc accipiens Ecclesiam : « Electorum Ecclesia, inquit, de Gentibus congregata, cognita Christi gratia et Evangelicæ doctrinæ inventis magistris, abjecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de seipsa diffidere, et in regis sui misericordia magna sperare. » Vers. 5.

8. BEATI VIRI TUI, ET BEATI SERVI TUI, QUI STANT CORAM TE SEMPER, ET AUDIUNT SAPIENTIAM TUAM.—Id verius est in Christo Salomonis antitypo, uti docet ipse *Lucæ* XI, 31. Anagogice, id verissimum erit in cœlo, ubi « videbimus Deum deorum in Sion, et non habebimus ultra spiritum » præ admiratione gloriæ, « quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » Ita Angelomus. « Et revera, ait Eucherius, id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, caritate non capitur, desideria et vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest. Videbit homo merita sua insuspicabili retributionum largitate succrescere, habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium. » Vers. 8.

11. ATTULIT EX OPHIR LIGNA THYINA. — Hebraice *almugim*, vel *algumim*, de quibus dixi *Apoc.* XVIII, 12. Chaldæus vertit, *ligna coraliorum*, quæ sub aquis speciem habent ligni tanquam frutices, sed cum ad aerem educuntur, durescunt in lapidem. Vatablus vertit, *lignum Brasilicum ;* alii, *ebenum ;* Septuaginta vertunt πολικτὰ, id est *dolata*. Angelomus, *Thyina ligna, ait, sunt imputribilia, et spinosa in similitudinem albæ spinæ*. Noster et Septuaginta *pinea* vertunt, II *Paral.* II, 8. Hic Noster vertit *thyina*, quia hæc ignota ligna quæ Hebraice vocantur *almugim*, similia erant lignis *ex thyia*, arbore de qua sic scribit Plinius, lib. III, 16 : « Theophrastus qui primus a Magni Alexandri ætate scribit, quæ circa urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum, magnum jam huic arbori honorem tribuit, memoratas referens ex ea templorum veterum contignationes. » Transversas intelligit trabes, qualia etiam fulcra domus Domini explicantur; ex quo valde proceram fuisse arborem liquet. Additque : « quamdamque immortalitatem materiæ in rectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera. » Ita Plinius ex Theophraste, unde recte colligas instrumenta musica ex hac arbore Vers. 11.

confecta. Theophrastus autem ipse ait hanc arborem in Ægypto nasci circa Ammonis delubrum, et in Cyrenæa regione, cupresso similem ramis et foliis, et trunco, et fructu, maxime vero sicut cupressum sylvestrem. Ita Theophrastes, libro V, capite V.

Porro lib. II *Paralip.* II, 8, adduntur a Nostro et Septuaginta, *ligna arceuthina,* id est *juniperina;* recentiores, *abiegna* : ברוש *beros* enim est *abies* : quia Hebræa nomina multis rebus competunt, pluresque res significant.

Vers. 12. 12. FECITQUE REX DE LIGNIS THYINIS FULCRA DOMUS DOMINI. — Per « fulcra » intellige trabes. Additur II *Paralip.* IX, 11, ex iisdem thyinis Salomonem fecisse gradus in domo Domini.

Vers. 13. 13. QUÆ REVERSA EST. — Postquam omnia Salomonis facta dictaque lustrasset, ideoque multos menses, vel annum, ut volunt nonnulli, cum eo mansit; familiariter et crebro cum eo agens et colloquens, imo ut multi tradunt, ex eo concipiens filium. Adeo enim indubitatum est apud Æthiopes, quod eorum Imperatores originem ducant a Salomone, et regina Saba, ut res sit apud eos sine controversia, de quo omnes eorum libri pleni inveniuntur. Et propterea Imperatores eorum *Israelitæ* dicuntur, eoque nomine gloriantur.

Preto-Janes filius Salomonis. Et ne aliquando regnum ad alios hæreditate pervenire possit, in monte Guixen-Amba asservari solent filii Imperatorum, ut deficiente prole mascula, quæ Imperatori præsenti succedat, inde Imperatorem accipere possint.

Historiam vero reginæ Saba, et qua ratione prolem susceperit a Salomone, ita narrant antiquissimi libri, qui in ecclesia Agsum asservantur. Narraverat mercator quidam Tamarin nomine, reversus ab Hierosolymis, reginæ Saba quam viderat et audierat Salomonis gloriam et sapientiam : illa vero tanto regem visendi studio exarsit, ut statim de capessenda via agere cœperit, tandemque patriam ac regnum relinquens, Hierosolymam profecta est magno suorum procerum comitatu et pompa vere regia stipata, adeo ut vel in ipsis Hierosolymis admirationi fuerit. Ibi a Salomone magnificentissime excepta, et post septem menses edocta jam de vero unius Dei cultu, et de iis omnibus quæ scire optarat, cum regressum ad patriam et regnum pararet, a Salomone ad cœnam lautissimam invitata in ejus palatio pernoctavit, et a Salomone prolem concepit, quam postea transactis novem mensibus et quinque diebus in lucem edidit, cum jam regni sui fines ingrederetur.

Filius ex ea natus in libris qui asservantur in ecclesia Agsum plura habet nomina, nimirum *Bainelehequem, Ebnaalehaquem, Ebnehaquem, Menilehec,* quod ultimum nomen frequentius auditur vulgo inter Æthiopes. Et idem valet in lingua antiqua atque, *assimilatur illi* : reliqua nomina idem valent ac, *filius sapientis.* Is grandior factus matrem de patre suo sæpius interrogavit, tandemque annum 22 agens re cognita, ab ea precibus impetravit ad Salomonem eundi facultatem, ductusque a mercatore illo Tamarin, cum magno comitatu et apparatu Hierosolymam pervenit, ibique a patre exceptus, cognitus est esse ejus filius.

Cum ad matrem redire vellet, jussit eum Salomon in regem Æthiopiæ solitis insignibus rite inaugurari, ac proinde introductus in templum per Sadoc et Joas sacerdotes, unctusque est manu propria filii principis Salomonis, vocatusque fuit David nomine avi sui, et acclamante universo populo : *Vivat rex,* ductus est per civitatem mula regia vectus. Post hæc discessit ad matrem, cumulatus muneribus a patre acceptis, secumque filium sacerdotis Sadoc, Zachariam nomine, duxit : in domum suam introduxit ea omnia officia, quæ in domo Salomonis in usu erant, quorum aliqua ii Imperatores adhuc retinent.

Fingunt Æthiopes secum asportasse cum Zacharia prædicto ipsam quoque arcam Domini, quam ipsi *Sionem* vocant; nisi dicas, arcam aliam similem illi Mosaicæ et Salomonicæ fabricatam, eique datam fuisse.

Exceptus a matre in regem evectus fuit, et inde mos introductus creandi in regem filios regis, cum antea non nisi virgines, quæ semper innuptæ remanserant, reginæ creari solerent, qualis post Christum fuit Candaces regina, *Actor.* cap. VIII, vers. 27.

Hæc omnia tradit P. Emmanuel Paz e Societate nostra, qui multos annos in Æthiopia vixit, adeoque nuper ejus Imperatorem ad orthodoxam fidem convertit, in historia Æthiopiæ, quam diligenter et exacte conscripsit, qui et addit reginam Saba natam in regno Tigri, quod in Abyssia est primarium, eamque vocari reginam Meridiei. Habui historiam hanc ejus manu scriptam Romæ a R. P. Assistente Lusitaniæ.

Eadem tradunt rerum Æthiopicarum historici, ut Damianus Goes, Victorius, Franciscus Alvarez, Barrius, Abrahamus Ortelius, ac Genebrardus in *Chronol.* anno mundi 3150, et Maluenda *De Antichristo,* lib. V, cap. XIII; esto illa fabulosa æstiment Thomas Bozius, lib. XXI *De Signis Ecclesiæ,* cap. I, et Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis,* cap. XIV, num. 46. Fieri potest, ut Æthiopes historiæ huic plura addiderint fabulosa, sed tamen rem ipsam scilicet Abyssinos Imperatores oriundos esse a Salomone et regina Saba, tot sæculorum traditione continua apud Æthiopes receptam certamque, uti mihi Romæ asseruere Abyssini sacerdotes orthodoxi, durum est negare, præsertim cum Salomon trecentas habuerit concubinas, et septingentas uxores, quibus, si una hæc regina Saba inseratur vel addatur, quid erit incommodi : potuit enim eam uti cæteras uxorem ducere, ut per eam, ejusque et suos posteros fidem cultumque unius veri Dei apud Æthiopes induceret et firmaret; per filium enim spurium id rite et efficaciter fieri non poterat. Favet quod Imperatori Abyssinæ pro stemmate sit « leo stans et manu tenens

erectam crucem : » leo enim fuit stemma Davidis et tribus Juda, *Genes.* XLIX, 9; crux est stemma Christi et Christianorum. Denique Preto-Janes, sive Abyssinus Imperator, hos sibi usurpat titulos, quos ex priscis Æthiopum monumentis recenset Ortelius in *Theatro,* tabula 68, suntque hi :

Tituli Preto-Janis.

David supremus meorum regnorum a Deo unice dilectus,
Columna fidei, ortus ex stirpe Juda,
Filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sionis,
Filius ex semine Jacob, filius magnus Mariæ,
Filius Nahu secundum carnem,
Filius sanctorum Petri et Pauli secundum gratiam,
Imperator superioris et majoris Æthiopiæ,
Et amplissimarum jurisdictionum et terrarum;
Rex Goæ, Caffates, Fatigar, Angotæ, Baru,
Baliguanzæ, Adeæ, Vanguæ, Goiamæ,
Ubi Nili fontes, Amaræ, Biguamedri, Ambeæ, Vagunci,
Tigremahon, Sabaim patriæ reginæ Sabæ,
Barnagassi, et dominus usque in Nubiam,
Quæ in Ægyptum extenditur.

Denique a Salomone per reginam Saba Abyssini acceperunt circumcisionem aliosque Judaicos ritus, quam etiamnum una cum Baptismo usurpant.

Favet tempus : nam venit regina Saba ad Salomonem anno regni ejus 24, ut patet vers. 10; cum Salomon jam in mulieres pronus, uxores sibi multiplicaret, ac videret reginam hanc tot naturæ dotibus instructam ad Judaismum conversam, optare illi connubio jungi, ut ex eo prolem honoratam, sapientem et fidelem conciperet : sicut de illa Thalestri Amazonum regina scribit Justinus, lib. XII, occurrisse Alexandro cum trecentis millibus mulierum, viginti quinque dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæsituram : post triginta igitur dies utero pleno discessisse.

Vers. 14. 14. ERAT AUTEM PONDUS AURI, QUOD AFFEREBATUR SALOMONI (ex Ophir, Tharsis et aliunde quam ex tributis, hæc enim mox excipiuntur) PER ANNOS SINGULOS SEXCENTORUM SEXAGINTA SEX TALENTORUM AURI, — quæ faciunt octo milliones aureorum coronatorum Francicorum, exceptis octo eorumdem millibus : jam octo milliones coronatorum Francicorum faciunt 24 milliones florenorum Belgicorum; unus enim coronatus Francicus valet tres florenos Brabanticos, sive Belgicos : licet enim initio ex Ophir tantum allata sint Salomoni 420 talenta, ut dictum est cap. IX, 28, tamen paulatim crescente cura, et numero fossorum, plura allata fuere. Imo Vilalpandus, tom. II, lib. V, cap. XLVI, et Pineda, lib. IV, cap. VI, in fine, censent pro immensis sumptibus fabricæ templi, palatiorum et urbium Salomonem triplicem misisse classem, quarum singulæ tertio quoque anno redirent confecto cursu; singulis tamen annis una rediret, et primam quidem classem quadringenta et viginti auri talenta devexisse, alteram quadringenta quinquaginta, tertiam vero crescente hominum industria, et fossorum multitudine, auri cupiditate etiam, sexcenta et plura talenta reportasse, uti hic dicitur, nam 450 talentorum secundæ classis mentio est II *Paral.* VIII, 18, sicut 420 talenta primæ classi assignantur III *Reg.* IX, 28. Favet Anastasius Sinaita, lib. X *Hexam.* dicens classem Salomonis singulis annis rediisse ex Tharsis.

Vers. 15. 15. EXCEPTO EO QUOD AFFEREBANT VIRI QUI SUPER VECTIGALIA ERANT. — Septuaginta, *absque tributis subditorum et mercatorum, qui negotiabantur.* Hinc patet tributa et vectigalia Salomonis excludi a sexcentis sexaginta sex talentis jam dictis; ideoque illa ei allata fuisse ex Ophir et Tharsis, etc. Ita Salianus. Porro tributa hæc ingentia erant, adeo ut propter ea populus contra Roboam rebellarit, ut audiemus cap. XII.

ET NEGOTIATORES, — quos Salomon misit ad emendum et comparandum aurum, vel qui partem auri a se comparati Salomoni pendebant pro tributo.

ET SCRUTA (ita legendum cum Romanis, non *scuta,* uti legunt Lyranus, Abulensis, Hugo et alii) VENDENTES, — qui scilicet non tantum res veteres, sed et novas minutim per ulnas et libras divendebant, quos Galli *les merciers,* id est merciarios vocant, qui merces quascumque particulatim distrahunt. Hebraice est, *ex negotiatione aromatariorum, q. d.* Salomon ex minimis etiam mercibus et institoribus, quales sunt aromatarii, colligebat tributum. Nam, ut aiebat Vespasianus Imperator : « Lucrum ex qualibet re licet sordida bene olet, » quia « dulcis odor lucri. »

ET OMNES REGES ARABIÆ DUCESQUE TERRÆ, — id est « satrapæ terrarum, » ut dicitur II *Paral.* IX, 14. Puta principes et præfecti terrarum Judææ vicinarum.

Ex his omnibus patet quantæ et quam immensæ fuerint opes Salomonis; Deus enim in sinum ejus aurum et argentum undequaque congerere videbatur : et ipse sua sapientia mille modos illud congerendi excogitabat. Vide Pinedam, lib. IV *De Salomone,* cap. XIX, et Vilalpandus, tom. II, lib. V, cap. XLIV usque ad cap. LIV, ubi docet Salomonis opes majores fuisse quam fuerint Imperatorum Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Græcorum, Romanorum cæterorumque omnium.

Hæc munera reges obtulerunt Salomoni ob ejus divinam sapientiam et virtutem, optantes ab eo instrui et dirigi, imo se et sua regna, ait Severus Sulpitius, Salomoni regenda offerebant; idque satis innuitur vers. 23.

Salomon hic fuit typus Christi, de quo cecinit David, *Psalm.* LXXI, 9 : « Coram illo procedent Æthiopes. » Et : « Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. »

Vers. 16. 16. FECIT QUOQUE REX SALOMON DUCENTA SCUTA, — lib. II *Paralip.* cap. IX, vers. 15, pro scutis ponuntur « hastæ, » sed hastæ vocantur scuta acuminata instar hastarum; sic etiamnum sunt clypei hastati, id est umbonem et cuspidem habentes, tamque valent ad protegendum corpus, quam ad hostem

transfigendum. Idipsum ostendit Vilalpandus, pagina 527, ex Polybio qui ait, « umbone posse averti vehementiores hostium ictus, » et ex Suetonio, qui in Julio Cæsare, cap. LXVIII, ait eodem posse « impelli hostem, » imo « sterni, » ut ait Livius, lib. X. Et hoc significat Hebraice צנה *tsinna* a radice צנן *tsanan*, id est *acuere* et *esse acutum*. Unde Noster *tsinna*, nunc vertit *scutum*, nunc *hastam*, nunc *loricam*, nunc *contum*. Sic et Septuaginta. Vide Pinedam, lib. V *Salomonis* cap. VI, num. 1.

SEXCENTOS AURI SICLOS DEDIT IN LAMINAS SCUTI UNIUS. — Siclus est semuncia, sexcenti sicli ergo sunt sexcentæ semunciæ, quæ faciunt libras 25. Quare hæc scuta æque ac peltæ non tam ad bellandum (quis enim miles cum armis ferret scutum 25 librarum) quam ad magnificentiam et ostentationem fabricata sunt. Unde ea Salomon reposuit in domo saltus Libani, ut sequitur.

Vers. 17. 17. TRECENTAS PELTAS. — Scutum est clypeus magnus totum pene tegens hominem, *pelta* est clypeus brevior, habens formam lunæ corniculatæ. Unde Virgilius, lib. I *Æneid.* :

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

TRECENTÆ MINÆ AURI UNAM PELTAM VESTIEBANT. — Mina Hebræa continet 60 siclos, id est 30 uncias, puta duas libras cum media ; « trecentæ minæ auri » ergo faciunt libras 750.

Verum quia hoc pondus in pelta videtur enorme, hinc nonnulli per minam hic intelligunt siclum, cujus mentio facta est vers. præced., nam hoc versu in Hebræo similis prorsus est sermo : sicut enim ibi dixit quodlibet scutum fuisse sexcentorum aureorum, scilicet siclorum (pondus enim sicli apud Hebræos erat usitatissimum), sic hic ait quamlibet peltam fuisse trecentorum aureorum, scilicet siclorum. Sic et Josephus minam pro siclo usurpat, cum ait Josephum a fratribus venditum viginti minis, hoc est siclis argenti. Hinc Septuaginta et Chaldæi pro *trecentis siclis*, vertunt, *tres minæ* (unde suspicari quis posset Nostrum qui sequi solet Septuaginta vertisse *tres*, non *triginta*) ; porro mina Romana æque ac Attica continebat siclos 25, hoc est 100 drachmas, puta centum aureos. Aureus enim habet pondus unius drachmæ : quare tres minæ Atticæ pendent valentque trecentos aureos. Melius, ut dixi, per trecentos aureos, intelligas siclos, quorum quisque pendebat, et valebat quatuor drachmas, hoc est quatuor aureos.

Vers. 18. 18. FECIT ETIAM REX SALOMON THRONUM DE EBORE GRANDEM, ET VESTIVIT EUM AURO FULVO NIMIS, — tum ut in eo quasi rex magnifice, velut in solio regali consideret ; tum ut in eo suorum lites causasque quasi judex decideret (judicum enim est sedere in soliis) ut omnibus eum videre, audire et consulere cupientibus, aures et responsa daret.

Allegorice, Salomon hic repræsentavit potestatem judiciariam datam a Deo Christo, qua homo est, ejusque solium gloriosum, in quo residebit in die judicii, judicabitque « omnes tribus terræ. » Ita Rupertus, Eucherius et Angelomus. Audi Eucherium : « Thronus eburneus æterni judicii potestatem auro divinitatis fulgentem, quam Dominicus homo a Patre accepit figuram gestasse non dubium est. Sex gradus hujus throni, omnem creaturam visibilem et invisibilem, quæ sex diebus facta est et Christo Domino a Patre subjecta, typice demonstrabant. Quod autem ipse thronus in posteriore sui parte rotundus esse describitur, hoc procul dubio datur intelligi, quia præsens mundus, qui per metas temporum volvitur, in sua extremitate a Domino sit judicandus. At vero duodecim leunculi per sex gradus bini stantes, sanctorum Apostolorum lineabant potestatem, quibus dictum est a Domino : Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel. »

Thronus Salomonis est B. Virgo.

Symbolice, thronus hic significat B. Virginem, ex qua verus Salomon, puta æterna Dei Sapientia, carnem assumpsit, in eaque quasi in throno suo ebore puriore, leonibus fortiore, et auro per charitatem fulgentiore ad novem menses consedit : unde ipsa ab Ecclesia in litaniis vocatur et invocatur « thronus Salomonis. » Ita Lyranus. Hic B. Petrus Damianus egregium sermonem de hoc throno Salomonis habuit in *Nativit. B. Virginis*, ubi illum Virgini eleganter accommodat et subjicit : « Fecit, inquit, thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis in quo sedit illa Majestas. Hanc sessionem Filii et probavit et cognovit Pater, ipso dicente : Tu cognovisti sessionem meam. » Et : « Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. » Et : « Thronus iste sicut sol in conspectu tuo. » Et post pauca : « Et vox de throno exivit dicens : Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus. » Et ex throno, inquit, hoc est ex Virgine laus Angelorum prorumpit et hominum, quia dum hic restituitur, ille resarcitur, utrique gratiarum debent devotionem. Nosti quidnam dicat qui sedet in throno? Ecce nova facio omnia. Felix thronus, in quo sedit dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes, sed etiam omnia renovantur. » Et post nonnulla : « Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris clausit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris naturæ supervola dignitatem, et videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. » Vide plura apud eumdem, ubi singula throni hujus applicat B. Virgini.

Vers. 19. 19. ET DUO LEONES STABANT. — Leo enim erat insigne tribus Juda, Davidis et Salomonis ob robur et regnum, *Genes.* cap. XLIX, vers. 5. Ita et Christi eorum antitypi, *Apoc.* cap. V, vers. 5. Vide ibi dicta. Symbolice, leo notat vigilantiam (leo enim apertis oculis dormit) et fortitudinem, quam debet habere rex et judex, ut vires impiorum retundat et frangat. Vide *Eccli.* cap. VII, vers. 6 ;

« Noli, inquit, quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. » Vide ibi dicta.

Vers. 21. 21. NON ERAT ARGENTUM (scilicet in vasis et supellectile Salomonis, quia hæc tota erat ex auro: vel potius, « non erat, » scilicet in æstimatione. Unde explicans subdit) : NEC ALICUJUS PRETII PUTABATUR, — nam alioqui vers. 22, addit ex Tharsis Salomoni allatum fuisse tam argentum, quam aurum.

Vers. 22. 22. QUIA CLASSIS REGIS PER MARE CUM CLASSE HIRAM SEMEL PER TRES ANNOS IBAT IN THARSIS, DEFERENS INDE AURUM ET ARGENTUM, ET DENTES ELEPHANTORUM (ebur) ET SIMIAS ET PAVOS.

Quæres, an hæc classis Salomonis navigans in Tharsis sit eadem cum classe navigante in Ophir, de qua vers. 11? Putant nonnulli fuisse unam eamdemque : « Ophir » enim et « Tharsis » vocari immensum mare, vastissimas regiones et valde peregrinas, qualis est India sive Orientalis sive Occidentalis. Ita Josephus Acosta, lib. III *De Novo orbe*, cap. XIV, et alii. Hi ergo per « Ophir et Tharsis » accipiunt mare Indicum, ejusque emporia ad quæ navigarit classis Salomonis solvens ex Asiongaber sita in mari Rubro, uti ex eadem solvens classis Josaphat navigavit « in Tharsis, » id est in Indiam Orientalem, uti dicitur II *Paralip.* cap. XX, 36. Idem insinuat Josephus Hebræus.

Tharsis an sit Ophir?

Planius alii censent fuisse duas classes : nam illa ibat in Ophir, hæc in Tharsis : illa ex Ophir afferebat aurum Ophirinum et ligna thyina; hæc ex Tharsis aurum et argentum, ebur, simias et pavos : illa quotannis ibat in Ophir, ut patet vers. 14. Hæc semel in triennio ibat in Tharsis, ut hic dicitur : illa solvebat ex Asiongaber sita in sinu Arabico, hæc ex Joppe sita ad mare Mediterraneum. Quare per Tharsis accipe hic mare Mediterraneum. Tharsis enim fuit filius Javan, *Gen.* X, 4, qui primus post diluvium incoluit Ciliciam, cujus metropolis est Tharsus; inde mare vicinum, et tandem reliquum mare Mediterraneum dictum est Tharsis : Cilices enim olim hoc toto fere dominabantur. Sic Jonas cap. II, vers. 3, « fugit in Tharsis, » id est in mare Mediterraneum. Ita Ribera ibidem, Salianus et alii.

Respondeo negative.

Hæc ergo classis solvens ex Tyro, vel ex Joppe, navigabat « in Tharsis, » id est in vicinum sibi mare Mediterraneum, variaque littora, portus et emporia tum Africæ, tum Europæ, tum Asiæ, ut Arabiæ, Anatoliæ, Græciæ, Dalmatiæ, Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Mauritaniæ, Cypri, Cretæ, Siciliæ, Sardiniæ, Cycladum, etc., mare huic adjacentia obibat, et quidquid alicubi præclarum pretiosumque erat, pro Salomone coemebat. Quare multis stationibus usa, non nisi tertio anno, ut ait Josephus, domum redibat. Quod si quis velit eam ex mari Mediterraneo ulterius perrexisse in Oceanum, et navigasse in Brasiliam, Peru et Mexico, uti modo faciunt Hispani, non repugnabo, acfacilius id concesserim de hac classe, quam de altera navigante in Ophir; hæc enim triennium impendebat in itu et reditu, illa vero in Ophir unum annum duntaxat.

Porro nova est opinio Pinedæ, lib. IV *De Salomone*, cap. XIV, ubi multis argumentis probare contendit « Tharsis » esse Tartessum, et Hispaniam Bæticam, ubi est sita Hispalis, vulgo *Sevilla*, quæ olim auro abundabat, ut patriæ suæ hoc decus Salomonicæ classis arroget. Censet ergo ipse unam duntaxat eamdemque fuisse Salomonis classem, quæ ex Asiongaber sita in sinu Arabico, sive mari Rubro, solvens, primo navigarit in Oceanum, ac per promontorium Bonæ-Spei omnia Africæ littora Gades usque circumvecta, venerit « in Tharsis » id est Tartessum et Hispalim; inde rediens, eadem Africæ littora relegens navigaverit in Indiam Orientalem, puta in Taprobanam et Sumatram, indeque tertio demum anno in portum Asiongaber, ex quo solverat, redierit.

An sit Tartessus Hispalis?

Verum sic prius debuisset hæc classis ex Tharsis redire in Asiongaber, ibique merces suas in Tharsis et Tartesso comparatas exponere, ac deinde in Ophir, id est in Sumatram navigare. Cur enim merces in Tharsis comparatas novæ longæque navigationis in Indiam et Sumatram periculo exposuisset, cum facile eas exponere posset in Asiongaber, quæ nautis ex Tharsis sive ex Tartesso tendentibus in Indiam necessario præternaviganda erat? Sane fuisset hæc periculosa nimis, ut videtur, temeraria et imprudens navigatio, qua tot pretiosæ merces credebantur navi et mari infido, cum in portum vicinum secure deponi possent.

Vers. 27. 27. FECITQUE UT TANTA ESSET ABUNDANTIA ARGENTI IN JERUSALEM, QUANTA ET LAPIDUM. — Est hyperbole, *q. d.* Fecit ut maxima esset abundantia argenti, qualis est lapidum. Nam alioqui lapidum major erat copia quam argenti.

Vers. 28. 28. NEGOTIATORES ENIM REGIS EMEBANT (equos) DE COA, ET STATUTO PRETIO PERDUCEBANT. — Pro *de Coa*, Hebraice est מקוה, quod Noster et Septuaginta accipiunt, ut nomen proprium loci punctantque et legunt מקוה *miccoa*, vertuntque, *de Coa*, licet in Septuaginta corrupte legatur, *de Ecuc* vel *Thecuc*. Videtur Coa fuisse urbs vel regio occidentalis Ægypti in qua erat equorum negotiatio celeberrima, de qua Stephanus Byzantius. Ita Serarius.

Chaldæus vero aliis punctis legens מקוה *micue*, vertit, *collectio mercatorum regis emebant collectionem pretio*. Chaldæum secuti R. David, R. Salomon, R. Joseph, et R. Levi apud Pagninum varie exponunt; sed omnium summa hæc est, multitudinem mercatorum dato pretio ex Ægypto eduxisse multitudinem vel byssi, vel telæ, vel equorum, vel aliarum rerum. Sed standum est versioni S. Hieronymi et Septuaginta. Nonnulli putarunt Coam esse Goam, quæ est sedes proregis regis

Lusitaniæ in India Orientali; sed hæc longissime abest ab Ægypto et Jerosolymis.

Porro dignitatem et magnificentiam regis maxime consistere in satellitum, equitum, curruum numero et pompa, ex Athenæo, Æliano, Xenophonte et aliis docet Brissonius, lib. I *De Regno Persarum*. Unde Julianus Apostata « cum removisset fastum palatii, contemptibile reddidit imperium, » ait Socrates, lib. III *Hist.* cap. I, et Cassiodorus, lib. VI *Tripart.* cap. I, sed hac in re, uti et in aliis omnibus, modus servandus est.

Vers. 29. 29. EGREDIEBATUR AUTEM QUADRIGA EX ÆGYPTO SEXCENTIS SICLIS ARGENTI, ET EQUUS CENTUM QUINQUAGINTA.—« Quadriga, » id est quatuor equi, qui currum sive quadrigam trahunt. Quisque enim equus stabat 150 siclis : quatuor ergo equi stabant sexcentis siclis; quocirca ipse currus sive quadriga, alio pretio comparanda erat; ita Abulensis. Siclus argenti est semuncia, sive quatuor drachmæ argenti, puta quatuor julii Romani, sive quatuor regales Hispanici, qui faciunt florenum Brabanticum sive Belgicum. Sexcenti sicli igitur sunt sexcenti floreni Brabantici.

ATQUE IN HUNC MODUM CUNCTI REGES HETHÆORUM ET SYRIÆ EQUOS VENUMDABANT. — Recte vertit Noster Interpres. Nam articulus *lamed* præfixus, licet ordinarie sit nota dativi, tamen subinde est nota ablativi, idemque valet quod *a*, *ex*, *de*. Unde sic ex Hebræo vertas, *et sic de cunctis regibus Hethæorum et Syrorum per manus eorum exibant*, id est vendebantur Salomoni.

Porro Septuaginta, Chaldæus et Rabbini *lamed* accipientes ut notam dativi, contrarie vertunt: *Sic* (600 siclis) *educebant ex Ægypto* equos *cunctis regibus Hethæorum et Syrorum*; vide Abulensem qui egregie Vulgatam versionem hic propugnat.

Denique tanta rerum omnium opulentia, felicitas et gloria a Deo data fuit Salomoni ob ejus sapientiam et virtutem, ut omnes Israelitæ eamdem imitarentur ob spem eorumdem præmiorum : ideoque Deo vero servirent, non idolis, videntes Deum verum majora dare soli Salomoni, quam omnia idola suis cultoribus. Israelitæ enim crassi et rudes non nisi terrena capiebant et sapiebant, uti et modo faciunt posteri eorum Judæi. Gloria Salomonis. Causa prima.

Secundo, ut reges Syrorum, Ægyptiorum, Arabum, imo totius mundi incitarentur ad colendum Deum Salomonis, ut similem magnificentiam a Deo adipiscerentur, qualem adeptus erat Salomon, uti fecit regina Saba, aliique reges cordati. Secunda.

Tertio, ut in Salomone daret specimen et tenuem ideam felicitatis et gloriæ æternæ, quam suis electis ab æterno præparavit in cœlo. Tertia.

Quarto, ut ostenderet in Salomone quam vana esset omnis opulentia et gloria hujus mundi, utpote quæ mox cum ipso Salomone instar fumi evanuit, ut dicerent : « Sic transit gloria mundi. » Quare veram felicitatem et gloriam sitam esse in bonis cœlestibus et æternis, ut ea homines ambirent; idque clare ostendit Deus in Salomone, cujus felicitas mera fuit infelicitas, uti jam patebit: gloria enim ejus mox facta est ingloria, et fama infamia, ac opulentia paupertas : nam filius ejus Roboam, amissis decem tribubus Israel, unam solam tribum Juda ægre retinuit. Quarta.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon senex, a mulieribus alienigenis illectus, colit earum idola. Quare, vers. 11, *Deus minatur ei regni amissionem, ac vers.* 14, *adversarium ei suscitat Adad Idumæum, et vers.* 23, *Razon Syrium; denique vers.* 26, *Jeroboam Hebræum, cui Deus per Ahiam scindentem pallium in duodecim partes, quarum decem dedit eidem, promittit regnum decem tribuum, ita ut solæ duæ reliquæ, scilicet Juda et Benjamin, adhæreant filio Salomonis, scilicet Roboam.*

1. Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas, 2. de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. 3. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ, et averterunt mulieres cor ejus. 4. Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos : nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. 5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum. 6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram

Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus. 7. Tunc ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. 8. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis. 9. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, 10. et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. 11. Dixit itaque Dominus Salomoni : Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. 12. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud, 13. nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Jerusalem quam elegi. 14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. 15. Cum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculinum in Idumæa 16. (sex enim mensibus ibi moratus est Joab et omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa), 17. fugit Adad ipse, et viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum : erat autem Adad puer parvulus. 18. Cumque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, et introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti, qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit. 19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ. 20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, et nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis : eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus. 21. Cumque audisset Adad in Ægypto dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni : Dimitte me, ut vadam in terram meam. 22. Dixitque ei Pharao : Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit : Nulla; sed obsecro te ut dimittas me. 23. Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum; 24. et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum, cum interficeret eos David : abieruntque Damascum, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco. 25. Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis; et hoc est malum Adad, et odium contra Israel, regnavitque in Syria. 26. Jeroboam quoque filius Nabath, Ephratæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Serva, mulier vidua, levavit manum contra regem. 27. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui. 28. Erat autem Jeroboam vir fortis et potens; vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph. 29. Factum est igitur, in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo : erant autem duo tantum in agro. 30. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. 31. Et ait ad Joroboam : Tolle tibi decem scissuras; hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. 32. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, et Jerusalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israel; 33. eo quod dereliquerit me, et adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon; et non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea, et judicia sicut David pater ejus. 34. Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea. 35. Auferam autem regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus. 36. Filio autem ejus dabo tribum unam, ut rema-

neat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi. 37. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. 38. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea, et præcepta mea, sicut fecit David servus meus : ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem quomodo ædificavi David domum, et tradam tibi Israel. 39. Et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus. 40. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam : qui surrexit et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. 41. Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis. 42. Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt. 43. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

Vers. 1. 1. REX AUTEM SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS MULTAS, — Gentiles scilicet et Chananæas, quæ suos deos et idola colebant, et ad eadem colenda Salomonem maritum suum induxerunt. Vide hic quam periculosum sit uxores ducere infideles, vel hæreticas.

Vers. 2. 2. DE GENTIBUS SUPER QUIBUS DIXIT DOMINUS FILIIS ISRAEL : NON INGREDIEMINI AD EAS. — Lex ista exstat *Exod.* XXXIV, 16, loquiturque duntaxat de Chananæis, ut ibidem patet, quales erant Sidoniæ et Hethææ : quare peccavit Salomon contra legem eas ducendo. Alias aliarum gentium feminas in uxores duci lex permittebat Hebræis, dummodo illæ prius abjuratis idolis, ad Deum verum et religionem Hebræorum converterentur. In hoc quoque peccavit Salomon, quia duxit eas persistentes in sua idololatria; unde ab eis ad idola colenda pertractus est. Ita Abulensis.

Vers. 3. 3. FUERUNTQUE EI UXORES QUASI REGINÆ SEPTINGENTÆ ET CONCUBINÆ TRECENTÆ, — id est universim mille. « Reginæ » vocantur primariæ uxores, quæ regum et principum erant filiæ, ideoque regio cultu et nomine utebantur : « concubinæ » erant secundariæ uxores, utpote plebeiæ. Licet S. Hieronymus, *epistola* 132, eas vocet «scorta.»

Sex crimina Salomonis. Miserabilis fuit hic lapsus Salomonis viri sapientissimi et sanctissimi, quo in sex gravia scelera prolapsus est. *Primum,* ejus scelus fuit, quod contra legem duxerit alienigenas et idololatras. *Secundum,* quod nimis multas, puta mille. Lex enim *Deut.* cap. XVII, vers. 17, jubebat regi dicebatque : « Non habebit uxores plurimas. » *Tertium,* quod eis potestatem fecerit colendi sua idola, imo eis delubra in monte Oliveti ædificarit. *Quartum,* quod ipse eadem adorarit. *Quintum,* quod suo exemplo multos Hebræos ad eadem colenda impulerit. *Sextum,* quod immania tributa populo indixerit, quia ad tot reginas ornandas et magnifice alendas, immensis opibus erat opus. Et hoc est grave jugum, de quo capite sequenti, apud Roboam filium queruntur Hebræi, ideoque ab eo schisma faciunt. In Salomone videre est, quam verum sit illud vetus dictum :

Vestis pulchra, jocus, potus, cibus, otia, somnus,
Enervant mentem luxuriamque fovent.

ET AVERTERUNT MULIERES COR EJUS; — a Deo vero ad idola mentem et voluntatem ejus deflexerunt.

Vers. 4. 4. CUMQUE JAM ESSET SENEX, DEPRAVATUM EST COR EJUS PER MULIERES, UT SEQUERETUR DEOS ALIENOS. — Hinc patet Salomonem vere coluisse idola, quare mirum est id ipsum hic negare Robertum Stephanum. Nam id ipsum affirmat S. Irenæus, lib. IV, cap. XLV, Justinus, dial. *Contra Tryphon.*, Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, S. Basilius, epist. *ad Chelidon.*, S. Augustinus, lib. XIV *De Civit. Dei,* cap. XI. Adoravit ea autem, non quod in eis aliquid inesse divinitatis censeret, sed ut suis concubinis morem gereret. Audi S. Augustinum, lib. XI *De Genesi ad litteram,* cap. XLII : « Ita Salomon vir tantæ sapientiæ, numquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret. » Confirmat idipsum exemplo Adæ, dum subdit : « Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere; si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege, membrorum legi mentis suæ : sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus; quod eum facere non debuisse, divinæ sententiæ justus exitus indicavit. »

Vers. 5. 5. SED COLEBAT SALOMON ASTARTHEN DEAM SIDONIORUM. — Hæc erat Venus de qua dixi *Judic.* cap. II, vers. 13.

ET MOLOCH, — sive « Melchom, » cui filios concre-

mando immolabant, de quo dixi *Levit.* XVIII, 21. Unde et Salomonem eidem filium vel filios suos immolasse et concremasse censet Pineda et Salianus.

Vers. 7. 7. TUNC ÆDIFICAVIT SALOMON FANUM CHAMOS. — «Chamos» est κῶμος, deus temulentiæ, puta Bacchus; unde ab eo dicta est comessatio. Vide dicta *Rom.* XIII, 13, ad illa : « Non in comessationibus. »

Causa tanti lapsus fuit nimia Salomonis prosperitas, opulentia, deliciæ et libidines. Proxima causa fuere uxores, quas ardentissime amabat : hæ enim eum dementarunt juxta illud : « Vinum et mulieres faciunt apostatare sapientes. »

Disce hic, quam cavendæ sint feminæ; amor earum enim est insuperabilis, et quidvis licet pretiosissimum et scelestissimum ab amasiis extorquet : fuge ergo illas, quia nec sapientior es Salomone, nec fortior Samsone, nec sanctior Davide; qui omnes per feminas ceciderunt. Sapienter Eucherius hic : « Admonendi sunt, inquit; quibus hoc sæculum prosperatur, qui nullis adversitatibus hujus mundi feriuntur, quod Salomon post acceptam sapientiam usque ad idololatriam cecidisse describitur, quia nihil in hoc mundo, priusquam caderet, adversitatis habuisse memoratur : sed concessa sapientia eum funditus deseruit, eo quod eum nulla saltem minima tribulationis disciplina custodivit, nisi postquam Deum deseruit, et se a Deo desertum esse cognovit. »

Et S. Bernardus, lib. II *De Consider. ad Eugenium,* sub finem : « Adverte, ait, quam rarus semper exstiterit, qui non vel modice in prosperitate animum relaxaverit a sui custodia et disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, sapiens Salomon fuit : sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia. Nec minor cui præsens felicitas arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inveneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. »

Vers. 11. 11. QUIA HABUISTI HOC APUD TE, — quia in animum tuum induxisti a me apostatare et colere idola. Aut, quia in te inventum est scelus apostasiæ et idololatriæ.

SCINDAM REGNUM TUUM (in duo; scilicet in regnum Juda et Israel, sive decem tribuum); ET DABO ILLUD SERVO TUO. — Jeroboam, quem creabo regem Israelis, cap. XII.

Vers. 13. 13. TRIBUM UNAM DABO FILIO TUO, — « unam, » scilicet præter suam, *q. d.* Præter tribum Juda, ex qua quia ortus est David, hinc ipsa nepotum ejus propria censetur, adjiciam et unam aliam tribum, scilicet Benjamin. Ita Abulensis, vel, ut Cajetanus, tribus Juda et Benjamin censebantur una eademque, et vocabantur « regnum Juda. »

Porro Abulensis, Torniellus et Salianus censent Deum hæc dixisse Salomoni, non per se nec per Angelum, eo quod eo indignus esset Salomon, sed per Ahiam Silonitem, de quo vers. 29. Pineda tamen, lib. III, cap. II, num. 3, censet Deum hic per se tertio apparuisse Salomoni; hoc enim simpliciter verba significant, cum dicitur vers. 11 : « Dixit itaque Dominus Salomoni. » Denique Salomon nil Deo respondit, unde videtur in suo scelere perstitisse.

An Salomon salvatus?

Quæres, an Salomon sit damnatus an salvatus? Problema hoc est priscum. Damnatum censent Tertullianus, lib. II *De Præscript.* cap. II; Cyprianus, *epist.* 7; S. Augustinus, lib. XVII *De Civit. Dei,* cap. VIII et XX; S. Chrysostomus, serm. *De Pœnit.*; Beda in lib. III *Reg.* cap. VI; Rabanus in IV *Reg.* cap. XXIII; Isidorus, *De Vita et morte Proph.* cap. XXIV; Lyranus, Abulensis, et alii hic.

Ratio est *prima*, quia Scriptura commemorans ejus lapsum tam gravem, non adjicit ejus pœnitentiam, sicut adjicit in lapsu Davidis. *Secundo,* quia ipse sua delubra idolis ædificata non destruxit : nam ea destruxit tandem Josias. Respondent aliqui, ipsum ea obserasse, vel destruxisse usque ad rudera, quæ ab impiis reædificata, vocantur « excelsa Salomonis; » sed id dicunt, non probant. *Tertio*, quia ad hoc videtur Deus Salomonem in hac vita cumulasse omnibus bonis, ut ejus merita remuneraretur in hac vita, et scelera puniret in futura, juxta illud Abrahæ ad divitem epulonem : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » *Quarto*, quia amor ardens feminarum longa consuetudine roboratus pene est insuperabilis : talis autem fuit Salomonis, qui tot suis amasiis perdite amatis undique cingebatur, ut etiamsi pœnitere vellet, non posset. Huc facit, quod ante paucos annos in Italia uni e nostra Societate contigit. Vocabatur ille ut concubinario cuidam in morte adesset. Adfuit, et totis viribus eum ad pœnitentiam hortatatus est, ut amoribus illicitis valediceret, nunc blandiendo, nunc minando instans Dei judicium et gehennam. Sed et concubina flens rogabat eum ut pœniteret, et moriendo animæ saluti consuleret : omnia frustra surdo cecinerunt. Ille enim dixit, se nec velle nec posse amicam tamdiu dilectam abdicare. Quare impœnitens miseram exhalavit animam.

Ex adverso eum pœnituisse et salvatum esse opinantur Rabbini veteres, et ex eis S. Hieronymus, S. Gregorius Thaumaturgus, Rupertus, Pineda, Salianus, Barradius, Serarius, Sanchez, Delrio et alii, qui asserunt eum post lapsum scripsisse Ecclesiasten, in quo quasi pœnitens se vanis amoribus et idolis vacasse exclamat : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Hoc argumentum foret validum, si constaret Ecclesiasten a Salomone scriptum post lapsum, non ante, qua de re dixi procœmio in Ecclesiasten : nam dicta et scripta ejus recensita sunt initio libri hujus cap. IV et V, ante lapsum : lapsus vero ejus in senio demum hoc cap. XI narratur.

Probant *primo*, quia Deus, II *Reg.* VII, promiserat Davidi se Salomonem, si peccaret, correpturum « in virga virorum, » qua scilicet homines castigari solent ut emendentur.

Secundo, quia *Proverb.* cap. XXIV, 23, Septuaginta addunt: *Novissime ego quoque egi pœnitentiam, respexique ut eligerem disciplinam.*

Tertio, quia Salomon fuit *Ididia*, id est *dilectus Deo*, Christi typus et scriptor canonicus tot sacrorum librorum. Pluribus id probat Pineda, lib. VIII *De Rebus Salomon.* cap. I, sect. 6. Meam sententiam aperui *Eccli.* XLVII, 22, ad illa : « Dedisti maculam in gloria tua. » Romæ concionator quidam insignis, publice inter concionandum asseruit, nuper cuidam sanctæ personæ revelatum esse, Salomonem ad hæc usque tempora acres pœnas in purgatorio subiisse, at jam iis absolutum abiisse in cœlum. Sed hæ revelationes examinandæ sunt, nec feminis eas asserentibus facile credendum.

Vers. 14. 14. SUSCITAVIT AUTEM DOMINUS ADVERSARIUM SALOMONI ADAD IDUMÆUM, — ab Austro, sicut ab Aquilone hostem ei suscitavit Razon, vers. 23. Hæc pœna a Deo inflicta fuit Salomoni adhuc viventi; prior, scilicet regni scissio, eidem irrogata est post mortem.

Quomodo Deus suscitet Israeli et fidelibus hostes, exposui *Judic.* III, 8.

Porro Pineda, lib. VII, cap. XVIII, num. 7, censet has Dei minas de regni scissione Salomoni intentatas anno regni ejus 32, ut reliquis octo annis maximas molestias et animo et corpore sustineret. Idem tamen in sua Chronologia, hanc objurgationem ad finem anni 37 Salomonis refert. Trigesimo octavo vult suscitatos Salomoni adversarios, trigesimo nono ipsum resipuisse, quadragesimo denique defunctum esse : quæ videtur plurimum rationi consentanea distributio, ait Salianus.

Vers. 15. 15. ET ASCENDISSET JOAB AD SEPELIENDUM EOS QUI FUERANT INTERFECTI. — Probabile est, quod censet Cajetanus, tunc accidisse, ut præsidiarii Davidis relicti in Idumæa a se subacta, post ejus obitum cæsi sint ab Idumæis : itaque Joab ivisse eo ad illos sepeliendos, et ad vindicandam illorum necem : unde omnes Idumæorum masculos occidisse, exceptis forte parvulis, qui excipiuntur lege *Deuter.* XX, 14.

Vers. 21. 21. DIXIT PHARAONI : DIMITTE ME UT VADAM IN TERRAM MEAM. — Hæc videtur fuisse series historiæ quam Scriptura hic paucis convolvit. Adad ex semine regio Idumææ puer fugit, vel potius a servis abductus est in Ægyptum, cum David vastaret Idumæam. In Ægypto gratiam invenit apud Pharaonem, adeo ut Pharao ei sororem conjugis suæ dederit uxorem. Hic audiens Davidem vastatorem Idumææ mortuum, petiit a Pharaone veniam redeundi in suum Idumææ regnum, quam Pharao tandem concessit. Anno ergo Salomonis tertio in Idumæam rediit, trigesimum circiter, ut ait Abulensis, agens annum, ubi cum bona venia Salomonis, interventu Pharaonis, qui utrumque sibi affinitate conjunxerat, videtur in Idumæa regnasse tributarius eadem lege ac conditione tributi, quam imposuerat David; nihil enim ab eo tempore in Idumæa mutatum aut turbatum invenitur. Hic ultimis Salomonis annis, videns eum effeminatum, infatuatum et contemptibilem factum, tributum ei negavit, ac rebellans se suamque Idumæam in libertatem vindicavit. Ita Abulensis, Salianus et alii (1).

Vers. 23. 23. SUSCITAVIT QUOQUE EI DEUS ADVERSARIUM RAZON, — qui, ut sequitur, factus princeps latronum, constituit se regem Damasci. Justa congruaque fuit hæc pœna, ut Salomoni Deo rebellanti rebellarent pariter tam subditi quam bello subacti. Sic Deus peccatori suscitat adversarios, qui cum stimulent, et ad Deum redire cogant.

Vers. 25. 25. ERATQUE (Razon) ADVERSARIUS ISRAELI CUNCTIS DIEBUS SALOMONIS : ET HOC EST MALUM ADAD, ET ODIUM CONTRA ISRAEL, REGNAVITQUE IN SYRIA. — Josephus, Cajetanus et alii sic exponunt, *q. d.* Adad junxit se cum Razon, ac ejus ope roboratus rebellavit Salomoni, fecitque se regem Syriæ. Sed aberrant : nam Syriæ, puta Damasci, regem se fecit Razon, ut dictum est vers. præced. Adad vero ut filius regis Idumææ, in sua Idumæa regnavit. Sensus ergo est, *q. d.* Razon fuit adversarius Israelis et Salomonis, sicque adauxit malum hostilitatis Adad contra Israel, « regnavitque in Syria, » scilicet ipse Razon, non autem Adad. Unde Chaldæus vertit, *et fuit* (Razon) *adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis, et cum malo quod fecit Hadad, rebellavit in Israel, et regnavit super Aram*, id est Syriam, *q. d.* Razon cum Hadad rebellavit Salomoni, et afflixit Israelem, fecitque se regem Syriæ. Ita Vatablus, Pineda et Salianus. Id clare significant Septuaginta Romana, quæ hæc verba transponunt junguntque vers. 22, ubi sic legunt : *Et reversus est Ader in terram suam, hoc est malum quod fecit Ader, et aggravavit, sive afflixit Israel, et regnavit in terra Edom* : Pro ארם *Aram* enim legerunt, אדם *Edom* : litteræ enim ר et ד sunt persimiles, ut una sæpe pro alia substituatur; sicut hic pro *Adad* Septuaginta legunt *Ader*. Concludit ergo Scriptura jungendo duos Salomonis hostes, Adad scilicet et Razon, ac tertium maximumque addendo vers. sequenti, nimirum Jeroboam. Denique utraque sententia conciliari potest, dicendo Adad primo regnasse in Idumæa, deinde ex ea, utpote montosa ac sterili migrasse in Syriam, utpote divitem et fertilem, ac mortuo Razon rebellionis socio successisse ei in regno Syriæ. Nam ejus filius Benadad fuit rex Syriæ, ut patet III *Reg.* XX, 1, imo ab Adad cæteri reges Syriæ post eum dicti sunt Benadad, id est filii et successores Adad, ideoque infesti Israeli, Ita S. Hieronymus in cap. I

(1) Sed res illi pro voto cessisse non videtur, cum Idumæi subditi regibus Juda diu etiam post Salomonem usque ad regnum Joram manserint.

Amos, Rabbini et Vatablus, lib. IV *Reg.* cap. VI, vers. 28.

Vers. 26. 26. JEROBOAM QUOQUE FILIUS NABATH, EPHRATHÆUS. — Hic tertius fuit hostis Salomonis. Hebræi apud S. Hieronymum in *Tradit.* censent « Nabath » esse Semei, qui maledixit Davidi, ideoque occisus est a Salomone, quare ejus filium Jeroboam grave, et quasi ex patre ingenitum in Davidem et Salomonem odium concepisse, ideoque ei rebellasse. Verum errant : nam Semei erat ex tribu Benjamin, Jeroboam vero erat « Ephratæus » id est ex tribu Ephraim, quæ tribus fuit arrogans, æmula Judæ, et avida imperii. Unde in Jeroboamo illud occupavit, tenuitque pene toto tempore regum Israel. Pluribus exemplis Ephraimitarum arrogantiam et turbulentum ingenium ostendit Salianus anno mundi 3057, num. 22.

MULIER VIDUA.—Ita Hebræus, Chaldæus, Septuaginta hic ; sed cap. seq. Septuaginta Romana habent, *mulier fornicaria*, sive *meretrix* : et sic legit Lucifer Calaritanus, lib. *De Regibus Apostaticis.*

LEVAVIT MANUM CONTRA REGEM, — postquam ab Ahia propheta decem pallii scissuras, et per eas regni decem tribuum promissionem a Deo accepit, ut sequitur ; tunc enim videtur sollicitasse decem tribus per revelationem hujus prophetiæ, ut a Salomone tam duro tributorum exactore ad se quasi mitiorem futurum deficerent : forte etiam aperte rebellavit Salomoni, et regnum invasit, uti hæc verba insinuant. Ita Josephus, Pineda et Salianus ; licet etiam ante Ahiæ prophetiam Jeroboam rebellasse censeant Abulensis et Torniellus.

Qua in re peccavit : Deus enim hic ei tantum per Ahiam promisit regnum decem tribuum, non autem illud reipsa ipsi nunc dedit, sed demum post mortem Salomonis sub Roboam. Quare inique et injuste Jeroboam contra Salomonem regem suum insurrexit. Ita Abulensis. Sicut cum Samuel secreto unxit Davidem in regem, non eo ipso dedit ei jus ad regnum, sed ut regnaret post mortem Saulis : unde David, vivente Saule, nihil circa regnum attentavit.

Denique opinatur Salianus Jeroboam pariter nil contra Salomonem attentasse, sed tantum dici « levasse manum contra regem, » eo quod ab Ahia designatus sit rex contra Salomonem, et designationem hanc Ahiæ acceptarit. Vulgi enim sermone qui regnum alicujus, licet sibi oblatum, acceptat, dicitur regi rebellare ; Serarius vero ait eum « levasse manum » contra Salomonem, quia eam levavit contra Roboam Salomonis filium. Verum eum aliquid mox contra Salomonem molitum esse, hac phrasi proprie significat Scriptura, idque confirmat subdens : « Et hæc est causa rebellionis adversus eum. » Rebellavit ergo ipse Salomoni. Unde Josephus, lib. VIII, cap. II : « His, ait, Prophetæ verbis erectus ad spes magnas Jeroboamus, cum esset alioqui inquieto et ambitioso ingenio, quamprimum in suam provinciam pervenit, non immemor præsagii prophetici, sollicitare populum cœpit, ut a Salomone deficeret, ipsique principatum deferret. » Josephum sequuntur Torniellus, Pineda, Abulensis et alii.

31. TOLLE TIBI DECEM SCISSURAS, — ut per hoc cognoscas te sub Roboam e duodecim tribubus Salomonis regno sublaturum, et tibi arrogaturum decem tribus Israel, ut mox explicat Ahias. Vers. 31.

Symbolice, hæ decem scissuræ significabant regnum decem tribuum in decem familias sibi invicem succedentes, fore scindendum, ac decies dividendum, ait Rupertus. Hic enim fuit ordo et successio regum Israel sive decem tribuum. Primam scissuram decem tribum a duabus fecit Jeroboam. « Hujus filium, ait Rupertus, lib. V, cap. IV, nomine Nadab percussit Baasa. Hac secunda Israel scissura regni est. Ejusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, regnavitque pro eo. Zambri se in palatio incendit obsidente Amri, qui et pro eo regnavit. Post hunc reguavit Achab, et post eum filius ejus Ochozias, et post eum frater ejus Joram. Sed istum occidit Jehu, regnavitque pro eo usque ad quartam generationem. Quintum ab illo percussit Sellum, regnavitque pro eo. Sed et istum percussit Manahem, regnavitque pro eo. Filium quoque hujus Phaceiam percussit Phacee filius Romeliæ, regnavitque pro eo, sed et contra istum conjuravit Ozee, percussitque eum et interfecit, regnavitque pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum et transtulit Israel in Assyrios. Hæc decima fuit scissura. Nam in Jeroboam prima, in Baasa secunda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Jehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romeliæ octava, in Ozee nona, in rege Assyriorum, qui divisos a Deo et David rege suo, divisit etiam loco, transferendo in Assyrios, recte computatur decima. »

Tropologice, Jeroboam primus schismaticus notat hæreticos, qui Ecclesiam suam hæresi discindunt : ac præsertim principes, qui ut regnum sui regis orthodoxi invadant, hæresim inducunt ac hæreticos in auxilium vocant, uti fecit Jeroboam (idem factum vidimus in Belgio) qui idcirco regnum perdidit, uti Deus hic ei prædicendo comminatur. Hinc apposite, ait Angelomus, « Jeroboam Hebraice interpretatur dijudicans populum. Nam et hæretici dijudicare populum videntur, cum erroris sui sequacem faciunt. » Tunc enim fit illud : « Tolle tibi decem scissuras. » Sic et Rupertus ; lib. V, cap. V, Eucherius, Beda et alii.

32. PORRO UNA TRIBUS (Juda cum Benjamin sibi associata) REMANEBIT EI, — scilicet Salomoni, puta Roboam Salomonis filio et successori. Vers. 32.

36. UT REMANEAT LUCERNA DAVID SERVO MEO. — « Lucerna » vocatur Davidis regis posteritas, non qualiscumque, sed regalis, splendida et gloriosa. Sicut enim lux solis se propagans, novam in aere spargit lucem, et sicut candela vel lucerna una accendit aliam, et hæc aliam et aliam ; sic pariter David rex genuit Salomonem regem, et Salomon Vers. 36.

genuit Roboam regem, et ita de cæteris ejus posteris. « Lucerna » ergo appellatur hic successio regia posterorum Davidis, quæ erat quasi lucerna et quasi residuum quoddam lucis, id est splendoris et gloriæ Davidis refulgens in Jerusalem. Ita Cajetanus.

Vers. 38. 38. ÆDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM, — id est familiam regalem, continuam et stabilem, ut scilicet posteri tui in regno decem tribuum continua serie succedant. Mirum est, quod Jeroboam et Principes ei similes non credant hisce Dei, qui prima est veritas, verbis et promissis; sed contrariis modis per impietatem, fraudes et scelera conentur sibi parare regni regiæque sobolis stabilitatem; quo fit, ut Deum contra se concitent, itaque ab eo funditus evertantur, uti contigit Jeroboam, omnibusque regibus Israel ejus successoribus.

Vers. 39. 39. ET AFFLIGAM SEMEN DAVID SUPER HOC, — id est propter hoc, scilicet propter te, si mihi fueris fidelis, *q. d.* Si mihi fideliter servieris, te exaltabo, et posteros Davidis æmulos tuos humiliabo et deprimam.

VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS. — Rabbini in *Seder-Olam*, cap. XV, hoc referunt ad regnum Asa regis Juda, qui valde regnum Juda evexit. Salianus et alii referunt ad Ezechiam; nam ejus anno sexto decem tribus abductæ sunt in Assyriam, tuncque desiit regnum, et reges decem tribuum æmuli regum Juda. Mystice, hoc maxime impletum est a Messia, puta a Christo, qui quasi Davidis filius rursum regnavit super totum Israel, universumque orbem, ab eoque colitur ut Deus, Messias et Rex regum. Ita Cajetanus, Abulensis, Serarius et alii. Unde a Christo in cœlum ascensuro quærebant discipuli : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum, Israel? » *Actor.* I.

Porro Deus tam serio Jeroboam inculcat veram sui religionem et cultum, quia prævidebat eum schisma facturum a Deo et templo propter regnum, cum tamen Deus vellet per eum schisma a Salomone in Dei cultu factum resarcire. At cur Deus id præsciens nihilominus eum regem constituit? Respondeo, ut puniret populum, eique impio similem, scilicet impium daret regem, æque ac jam ante eidem dederat impium Saulem, ait Rupertus, et ex eo Salianus. Populus enim jam magna ex parte erat corruptus, tam regis imitatione, quam propria malitia, ad quam eum pellexit otium; deliciæ, et rerum omnium abundantia. Volens ergo Deus castigare populum impium, dedit regem Jeroboam, qui populi cupidinibus et desideriis ad idola colenda obsequeretur, itaque tot calamitatum, et tandem extremi excidii eidem fieret causa, juxta illud *Job* XXXIV, 30 : « Qui regnare facit hypocritam (id est impium) propter peccata populi. »

Vers. 40. 40. VOLUIT ERGO SALOMON (re intellecta, quod scilicet Ahias Jeroboamo detulisset regnum decem tribuum) INTERFICERE JEROBOAM, — quasi regni sui æmulum et invasorem. Addit Chaldæus, *Cant.* cap. VIII, vers. 12, eum quoque voluisse occidere Ahiam, eo quod ipse regnum detulisset, ideoque Ahiam pariter fugisse in Ægyptum : sed de Ahia nil habet hic Scriptura; est tamen id probabile. Nam delicati sunt reges, et quoslibet etiam sanctos, qui alios reges inducere satagunt, persequuntur, ut perduellionis reos; qui enim tangit regnum, tangit pupillam eorum. Verum hæc magna, ait Dionysius, fuit Salomonis excæcatio, ambitio et impatientia, quasi vellet et posset impedire propositum Dei de regni divisione.

Vers. 41. 41. IN LIBRO VERBORUM (id est factorum vel gestorum) SALOMONIS, — puta in Diariis, Chronicis et Annalibus Salomonis.

Vers. 43. 43. DORMIVITQUE (somno mortis) SALOMON CUM PATRIBUS SUIS, — anno ætatis 60, aiunt Lyranus, Abulensis, etc. Narrant Zonaras et Cedrenus, ejus sepulcrum sub Hadriano Imperatore dissiliisse ac concidisse, eamque rem motus et tumultus Judaicos portendisse. Sic et Dio in *Hadriano*, lib. LXIX, de Judæorum desertione tractans, ob quam omnes fere ab eo interempti sunt, et tota Judæa desolata : « Id eis, inquit, antequam bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo quod monumentum Salomonis, quem illi summa reverentia colunt, sua sponte divisum corruerat. »

Forma Salomonis. Figuram et formam Salomonis ex *Cant.* V, 10 : « Dilectus meus candidus et rubicundus, » etc. Ita colligit Pineda, lib. VI, cap. IV, et ex eo Salianus. Salomon fuit colore candido et rubicundo, natura calida et humida, sed paulo calidiore, cæsarie densa; capillis aurescentibus, et modice crispantibus, sicut elatæ palmarum; oculi justæ magnitudinis, implentes orbem suum, splendentes ac cæsii, leni placidoque intuitu; genæ efflorescentes atque hilares, sicut lilia mixta rosis : labia ejus tenuia et mollia, ut rubentia Syriæ lilia; os ipsum afflans suavis odoris halitum; manus delicatæ, molles, articulatæ, quasi torno politæ; digiti longiores, deductiora brachia; pectus et thorax candida, velut pixis eburnea, moderatæ magnitudinis et formæ; crura illius quasi columnæ marmoreæ, vel Pariæ candidissimæ; pedes sicut bases aureæ elaboratissimæ, mediocri magnitudine; incessus firmus et constans; statura procera et erecta; vox suavissima : dignus qui speciosum forma præ filiis hominum repræsentaret. Sed pleraque horum supervenientes anni vitiaque Salomoni ademerunt : ac præsertim effusa libido atque morbi, mœrores et angores ob idololatriam illi a Deo in senio immissi : unde Ecclesiasticus, cap. XLVII, ejus elogia hac flebili catastrophe threnoque concludit : « Et inclinasti femora tua mulieribus : potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum. » Vide ibi dicta.

Sub annum regni Salomonis vigesimum natus Sub Sa-

Iomone natus Homerus.

est Homerus, poëta Græcorum sapientissimus, quem passim imitatus et Latino versu consectatus est Virgilius, Latinorum poetarum princeps. Quare de Homeri natali loco certant septem Græciæ urbes, nimirum « Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argus, Athenæ: » Imo Ietas, id est incolæ insulæ Io, Homero aram excitasse, eique quasi deo sacrificasse, testatur Gellius, lib. III, cap. XI. Homero coævus et suppar fuit Hesiodus. Ita decuit ut sub Salomone Hebræorum, imo mortalium omnium, sapientissimo, sapientia apud Græcos nasceretur, indeque ad Latinos transferretur. Ita ex S. Cyrillo, lib. VII *Contra Julian.* et aliis Salianus anno Salomonis vigesimo, qui fuit ab excidio Trojæ annus 168, ante Romam conditam 160, tunc quoque regnabat in Latio sextus rex Sylvius, Æneæ Sylvii filius, ac Dido condidit Carthaginem, ait Eusebius in *Chronico.*

Denique Josephus, lib. VIII, cap. III, hoc Salomoni epitaphium ponit : « Moritur Salomon regum omnium felicissimus, opulentissimus et prudentissimus, excepto peccato, ad quod a mulieribus jam senescens pertractus est. » Jam ante proclamarat, totique mundo concionatus erat Salomon : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas, » et tamen vanitas vanaque species mulierum eum in senio dementavit, vanumque reddidit, ut seipsum fecerit summum vanitatis speculum. Evanuit enim ejus sapientia, evanuit ejus sanctitas, evanuit ejus potentia, evanuit ejus felicitas et gloria, evanuit denique sanitas et vita præsens, utinam non æterna. Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus, potentissimus, si Deum deserat, et a Deo deseratur? utique non est aliud quam mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abyssus. Oh! si Salomoni liceret ad vitam redire, qualem ageret pœnitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inclamaret! utique illud S. Salvii a morte ad vitam revocati apud Gregorium Turonensem, lib. VII *Histor.* cap. I : « Audite, filii Adæ, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo; sed omnia vanitas. Omnia ergo ut vana contemnite, ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cœlo. » Vana sunt sceptra, vanæ tiaræ, vana Venus, vanæ opes, vana vina, vanus orbis universus. « O curas hominum, o quantum est in rebus inane! » Nil verum, nil bonum, nil magnum, nisi æternum. Æterna cogitate, æterna ambite : ut Deus vos beet in æternum, per omnia sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Populus a Roboam poscit tributorum gravium Salomonis relaxationem : ille negat et duriora minatur; quare decem tribus, eo relicto, regem sibi creant Jeroboam : parat contra eas bellum Roboam, vers. 21; *sed revocat eum Deus per Semeiam prophetam. Mox, vers.* 27, *Jeroboam metuens ne populus, veniens ad templum, rediret pariter ad Roboam, vitulos aureos quasi idola erigit in Dan et Bethel.*

1. Venit autem Roboam in Sichem : illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. 2. At vero Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto. 3. Miseruntque et vocaverunt eum : venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : 4. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. 5. Qui ait eis : Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret, et ait : Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? 7. Qui dixerunt ei : Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. 8. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi. 9. Dixitque ad eos : Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi : Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos? 10. Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo : Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos : Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11. Et nunc pater meus posuit super vos jugum

grave, ego autem addam super jugum vestrum : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Jeroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens : Revertimini ad me die tertia. 13. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant. 14. Et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens : Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro ; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit rex populo ; quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabat. 16. Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respondit ei; dicens : Quæ nobis pars in David ? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. 18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa : et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerusalem : 19. recessitque Israel a domo David, usque in præsentem diem. 20. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam. 21. Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens : 23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda, et Benjamin, et reliquos de populo, dicens : 24. Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel ; revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus. 25. Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi ; et egressus inde ædificavit Phanuel. 26. Dixitque Jeroboam in corde suo : Nunc revertetur regnum ad domum David. 27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem : et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. 28. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis : Nolite ultra ascendere in Jerusalem ; ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 29. Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan. 30. Et factum est verbum hoc in peccatum : ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan. 31. Et fecit fana in excelsis, et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32. Constituitque diem solemnem in mense octavo, quinta decima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis quos fabricatus fuerat : constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat. 33. Et ascendit super altare quod exstruxerat in Bethel, quinta decima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo; et fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum.

Vers. 1. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM,—Sichem enim erat locus Patriarcharum incolatu et sepultura celebris, et quasi sacer; unde illic conventum egit Josue, cap. ult. vers. 1; Abimelech, *Judic.* cap. IX, vers. 1. Igitur hic Israelitæ comitia regni celebrant in Sichem, ut ibidem Roboam sibi regem creent.

Vers. 4. 4. PATER TUUS DURISSIMUM JUGUM IMPOSUIT NOBIS. — Salomon enim ad suam et mille uxorum suarum magnificentiam in vestitu, mensa, famulis, equis et curribus sustentandam, immania populo tributa imposuerat, a quibus ex parte liberari hic jure suo postulat populus.

Vers. 7. 7. SI HODIE OBEDIERIS POPULO, etc., LOCUTUSQUE FUERIS AD EOS VERBA LENIA, ERUNT TIBI SERVI CUNCTIS DIEBUS. — Prudentissimum fuit hoc senum consilium, quia utilissimum, tum ad tollendam populi exacerbationem contra Salomonem et Roboam, tum ad oppressionem ejus sublevandam. Nimia enim tributa exsugunt subditorum opes,

spiritum et sanguinem, ac subinde vitam : quare iis eorumque tributis et servitiis privat se rex, dum eos iisdem opprimit. Commoditas enim subditorum est bonum et commoditas principum; quare lenitas et clementia est summa dos principum, qua subditos sibi conciliant, ut regi se sinant, et ad omnia principis sui jussa exsequenda faciles se præbeant. Prudentia politica ergo dictat, ut a lenitate auspiceris regnum, ac lenitate tibi subditos devincias; postea jam tibi devinctis onera necessaria facile imponens. Notum est illud Lucani :

> Nil pudet assuetos sceptris; mitissima sors est
> Regnorum sub rege novo.

Longum enim imperium robur sibi comparavit et auctoritatem, æque ac audaciam quidlibet imperandi : recens vero sensim lenitate hæc tria sibi comparare debet.

Audi S. Hieronymum, *epist.* 62, Episcopi cujusdam clementiam in subditos celebrantem : « Amari, inquit, parens et Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est : Quem metuit quis, odit; quem odit, periisse cupit. Unde et in nostris litteris cum initia parvulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris monachos tibi esse subjectos, et ideo magis subjectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt; exhibes militem, et ducem impetras; quasi unus in pluribus es, ut sis unus ex pluribus. Cito indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat a libero quam qui servire non cogit. Novimus canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorum, et lectione et quotidianis exemplis multa didicimus, multa usque ad hanc ætatem experti sumus. Qui scorpionibus cædit, et lumbis patris habere se putat digitos crassiores, cito regnum mansueti David dissipat. Certe Romanus populus ne in rege quidem superbiam tulit. Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, et ad cujus imperium cœlum et terra et maria serviebant, inter cunctos homines quos tunc terra generavit mansuetissimus prædicatur; et ideo per quadraginta annos obtinuit principatum : quia potestatis superbiam lenitate et mansuetudine temperabat. Lapidabatur a populo, et pro lapidantibus rogabat, quia potius deleri ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat; cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oves suis humeris portaturum : Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ovibus suis. »

Vers. 8. 8. QUI DERELIQUIT CONSILIUM SENUM, ET ADHIBUIT ADOLESCENTES, QUI NUTRITI FUERANT CUM EO. — Vide hic stultitiam et fastum Roboam, qui maturo senum consilio spreto, sequitur juvenilem et stolidam adolescentum sententiam, ideoque subditos offendit, avertit, et ad Jeroboam sibi regem creandum adegit. Vide ergo hic vanitatem a Salomone prædictam, in ipsomet impletam : quam describit Ecclesiastes, cap. II, vers. 18, dicens : « Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui : et est quidquam tam vanum ! »

Audi Spartianum in *Severo* : « Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decedere. »

Hebræorum est gnome; sicut bona sunt quatuor, scilicet opes, scientia, senum consilium, animus demissus, sic ex adverso quatuor sunt mala eis contraria, scilicet paupertas, ignorantia, juvenile consilium, et animus superbus, quæ Rempublicam æque ac privatum quemque evertunt; uti Romanum imperium eversum est per juvenes imprudentes et arrogantes. Hinc in porticu tabernæ meritoriæ, in qua olim alebantur veterani et emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant :

> Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
> Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
> Defunctis patribus successit parva juventus,
> Cujus consilio præcipitata ruis.

Vide Ciceronem, lib. *De Senectute*, Plutarchum in *Nicia*, et Thucydidem, lib. VI. Hac de causa Augustus Cæsar, teste Suetonio, consiliarios habuit graves et senes, Agrippam et Mecœnatem, quorum consiliis tanta et tam præclara gessit : unde iis mortuis in infamiam ob filiæ libidines prolapsus ingemuit, dictitans sibi hanc infelicitatem non fuisse obventuram, si Agrippa et Mecœnas vixissent. Concilia juvenum fugienda.

Crœsus Lydorum rex, nimia felicitate ebrius, Solonis senis sapientissimi monita negligens, ac juvenibus ipsius potentiæ adulantibus aures præbens, dum Cyri imperium perdere conatur, suum perdidit. Itaque sublatus in pyram, ut illic vivus cremaretur, inclamato Solonis nomine, et re tota detecta, singularem victoris Cyri clementiam expertus est, uti refert Herodotus, lib. I. Exempla.

Si Xerxes patrui sui senis Artabani prudentia consilia, quam juveniles Mardonii adulationes audire maluisset, utique Græcos bello tot centenorum millium non lacessisset, nec e Græcia summa cum infamia fugere coactus fuisset, teste Herodoto, lib. VII.

Dionysius Siciliæ tyrannus, si Platonis senis sapientissimi consiliis obtemperasset, acceptum a patre imperium liberis suis firmius reliquisset, at quia ipsi juvenum adulationes anteposuit, regno dejectus, compulsus est fieri ludimagister.

Feliciter imperasset Nero, si seni Senecæ et Burrhi consiliis perpetuo, ut cœperat, paruisset. At dum eis primo rejectis, deinde interfectis, ju-

venis juvenum adulantium voces sequitur, sibi acceleravit exitium, et perpetuam apud posteros ob tot flagitia et dedecora infamiam peperit. Ita Suetonius in ejus Vita.

Quocirca sapienter Cornelius Tacitus : « Adulatio, inquit, perpetuum malum principum, quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit. » Et reges abundant omnibus rebus in aula, excepta veritate. Quid Neronem castissime educatum crudelem fecit? Adulatio. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? Adulatio. Quid Roboam tyrannum reddidit? Adulatio. In aula igitur unus Clytus præferendus sexcentis Aristippis. Vere Ovidius :

Agmen adulantum media procedit in aula.

Vers. 10. 10. MINIMUS (Hebraice קטני *katanni*, id est parvus, sive minimus, scilicet) DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI, — est adagium, *q. d.* Ego multo sum fortior et excellentior patre meo : ego majorem habeo majestatem et magnificentiam præ illa quam habuit pater : quare majora vobis imponam tributa et onera, quam imposuerit pater meus Salomon. Unde Chaldeus vertit, *debilitas mea fortior est robore patris mei*; Septuaginta, *parvitas mea grossior est dorso patris mei*; Vatablus, *exiguum meum crassius erit lumbis patris mei*. Ecce ut faustus Roboam faciat stolidum et stultum.

Vers. 14. 14. EGO CÆDAM VOS SCORPIONIBUS, — id est *flagris aculeatis*, ut vertit Vatablus. Vox hæc dignior est carnifice, quam rege.

Vers. 16. 16. QUÆ NOBIS PARS IN DAVID, VEL QUÆ HÆREDITAS IN FILIO ISAI? — *q. d.* Quæ nobis est communio, quæ societas, quæ spes et utilitas in Davidis stirpe, puta in Roboam, ut eum nobis regem creemus? *q.d.* Nulla : non ergo illum nobis regem constituamus. Contemptim Davidem vocant « filium Isai, » sive Jesse, *q. d.* David fuit vir plebeius et pauper, utpote filius Jesse civis nostri : nos eum eveximus in regem, ut nos protegeret : jam autem Roboam ejus nepos ob Davidis nomen insolescens, nos non protegit, sed laniat et diripit. Cur eum igitur nobis regem statuamus, eo quod sit e familia Davidis, cum recenter illa a nobis ad regnum sit promota. Deprimamus ergo eum cum sua familia, ac redigamus in ordinem, et ad statum pristinum vitæ plebeiæ reducamus, atque ex alia familia modestiorem et benigniorem nobis regem eligamus.

NUNC VIDE DOMUM TUAM DAVID. — Chaldæus, *nunc regna super viros domus tuæ David*; Septuaginta, *nunc pasce* (id est rege) *domum tuam David*, *q. d.* Tu, o Roboam fili Davidis, rege tuos contribules, puta tribum Juda; nos decem tribus de alio clementiore nobis providebimus.

Vers. 19. 19. RECESSITQUE ISRAEL A DOMO DAVID, — pro Roboam creans sibi regem Jeroboam.

Quæres, an decem tribus licite fecerint schisma, seque separarint a Roboam, qui erat legitimus regni hæres et Salomonis successor? Respondet Abulensis id licite eos fecisse : quia ipsi, inquit, liberi erant : Roboam vero volebat eos in servitutem redigere : poterant ergo ab eo recedere : populus enim vel respublica regem creans illi dat imperium et jus regendi. Ergo illa idipsum ei potest auferre vel minuere, si is eo abutatur in populi perniciem : populus enim non absolute, sed certis conditionibus se principi regendum tradit, quas si princeps non servat, potest eum abdicare. Hæc Abulensis de quibus alibi dicendum. Verius dicas id factum esse ex voluntate et decreto Dei, ut patet vers. 24.

Præclare monet Principem Cornelius Tacitus, lib. IV. *Annal.* : « Dura, inquit, vectigalia populo non imponant : nimia enim in exigendo tributo severitas, et nimium ipsum tributum impositum movet subditos frequenter ad seditionem. »

20. PRÆTER TRIBUM JUDA SOLAM. — Adde, et Benjamin : hæc enim unita cum Juda unum cum eo constituit regnum (1). Vers. 20.

26. DIXITQUE JEROBOAM IN CORDE SUO : NUNC REVERTETUR REGNUM AD DOMUM DAVID. Vers. 26.

27. SI ASCENDERIT POPULUS ISTE UT FACIAT SACRIFICIA IN DOMO DOMINI IN JERUSALEM. — Timuit Jeroboam, ne populus vadens Jerusalem ad templum, rediret pariter ad regem Roboam regnantem in Jerusalem, diceretque : Volumus adhærere Jerosolymæ et templo : ergo et regi ejus Roboam : hinc jussit ne quis adiret Jerusalem et templum, sed ut in Dan et Bethel vitulis a se erectis omnes sacrificarent. Videbatur hoc ejus consilium politice prudens, et ad regnum suum statumque politicum tuendum salutare : sed revera fuit imprudens et perniciosum, statumque et regnum ejus prorsus labefactavit et evertit. Hoc enim ei comminatus erat Deus, « in cujus manu sunt omnium jura regnorum, » et ita contigit : nam quia Jeroboam ad schisma regni sui tuendum, fecit schisma pariter in religione et fide, idcirco « deleta est » universa ejus « domus » et familia « de superficie terræ, » ut dicitur cap. XIII. Regnavit enim ipse 22 annis duntaxat cum multis doloribus et incommodis. Successit ei filius Nadab, qui vix per biennium regnavit, et a servo suo Baasa regno et vita privatus est, qui mox omnem familiam Jeroboam adeo exstinxit, ut ne unus quidem ex ea fuerit superstes, uti jam ante idipsum ei per Ahiam prophetam Deus comminatus fuerat : quæ omnia patent III *Regum*, cap. XV, vers. 25 et seq. Fuit ergo ipse stolidus æque ac impius, quod Deo promittenti stabilitatem regni in posteris suis, si sibi soli serviret, non crediderit. Esto enim populus ejus ivisset in Jerusalem adoratum Deum in templo, tamen Deus populum ipsi subjectum et obedien-

(1) Regnaverunt Roboam et ejus successores etiam super advenas aliarum tribuum qui eo migraverant, et in partem ditionis Simeonis et Levi. Quique etiam Israelitarum renuerant conscios se præbere cultui vitulorum Jeroboam, recipientes se in ditionem Juda cæteris Roboam subditis accesserunt.

tem fecisset, impedivissetque ne ad Roboam rediret : hoc enim expresse ei promiserat, ac mille modos id præstandi in mente et manu habebat. Talia fere sunt consilia politicorum et Machiavellistarum (quorum iste Jeroboam clarissimum est exemplar) qui religionem faciunt servire politicæ, et talem fidem et religionem amplectuntur, qualem regno vel obtinendo, vel retinendo, vel augendo, aliisque scopis sibi propositis putant aptiorem. Etsi enim eorum consilia initio videantur speciosa et utilia, tamen plerumque successu temporis maximis difficultatibus principes involvunt, et eis perniciem afferunt ita disponente divina Providentia, quæ omnibus hominum consiliis dominatur. Audiunt ipsi Nazianzenum in laudem S. Athanasii, *orat.* 21 : « Constantius Imperator, inquit, de tribus in morte doluit; *primo*, quod propinquis suis necem intulisset; *secundo*, quod Julianum Apostatam imperatorem nominasset; *tertio*, quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus e vita discessit. Princeps enim religionem roborando, ab eo quoque roboratur.» Jeroboam in schismate secuti sunt Donatistæ de quibus S. Augustinus, *epist.* 171 : « Donatistæ, ait, Episcopum contra Episcopum ordinaverunt, altare contra altare erexerunt,» idque « in civitate Carthaginensi, in capite Africæ,» sicut Jeroboam erexit altare contra altare.

Denique veram religionem, Deique cultum et pietatem, regni et reipublicæ esse fundamentum docet S. Augustinus, lib. I *De Civit.* et seq., S. Ambrosius, *De Fide ad gratian.*, S. Cyrillus, *Ad reginas*, quin et Philosophi. Audi Platonem, lib. IV *De Legibus* · « Ante omnia Deum invocemus, ut civitatem nostram stabiliamus, obsecremusque ut nos exaudiat, et nobis propitius sit atque benignus, ad nos veniat et leges ipse nos doceat, nostramque civitatem adornet. » Et Mercurium Trismegistum apud Rhodigum, lib. IX, cap. XIX : « Est hominis mensura ante omnes religio, quam sequitur bonitas : ea demum tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatem omnium alienarum rerum despectui habeat virtute munita. Unusquisque pietate, religione, prudentia, cultu et veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, et fiducia credulitatis suæ eatenus inter homines præstans, quatenus astra reliqua sol luminis majestate agnoscitur præcellere. » Pythagoræ sententia est, accedendo ad Deum effici unumquemque optimum. Xenophon, lib. VIII *Pediæ Cyri*, Cambysen filio suo Cyro ad Astiagen avum proficiscenti, ita loquentem facit : « Hoc unum præcipue commendo, idque tanquam pretiosum thesaurum a patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio : Dei esto amicus, in eumdem pius, nihilque aggrediaris nisi Dei numine implorato, imbecilla enim est et hebes mortalium natura, nil Dei sapientiam latet; omnia ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est. » Quæ paterna admonitio tam alte filii animo insedit, ut non absque admiratione passim lectoribus inculcet Xenophon, qua pietate Cyrus deos coluerit, et quo studio ac diligentia operam dederit, ut eos votis, precibus, sacrificiis placaret. Cicero, orat. *De Aruspicum resp.* : « Quam, inquit, volumus, licet P. C. ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis a terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione atque hac sapientia quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus. » Valerius Maximus, lib. I, cap. I : « Omnia, ait, post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit, quapropter non dubitarunt sacris imperia servire : ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.» Et eodem in loco : «Non mirum igitur, si pro ejus imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinare videtur, quia nunquam remotos ab exactissimo cultu cæremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est. »

Porro omnia præcepta regibus dandà his duobus concluduntur : Memento quod es homo : memento quod est Deus, judex et vindex. Prius ad refrænandam eorum potentiam, posterius ad voluntatem pertinet.

28. FECIT DUOS VITULOS AUREOS.— Fecit Jeroboam vitulos potius quam arietes vel equos, quia vitulum aureum patres Judæorum conflarant et adorarant in deserto, idque ad similitudinem Apis, quam specie vituli vel bovis coluerant in Ægypto, *Exodi* XXXII, 4. Vide ibi dicta. Unde contra hos vitulos detonat Osee, cæterique Prophetæ. Hinc enim iisdem verbis hic utitur Jeroboam, quibus usi erant majores ejus, *Exodi* XXXII, dicendo: « Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » De his multa dixi in Osee et Prophetis. Rursum Jeroboam fugiens Salomonem ivit in Ægyptum ad Sesac regem, ibique vidit coli (et forte ipse ad conciliandam sibi gratiam Sesac, coluit) Apin specie vituli : unde mortuo Salomone rediens in Judæam, faciensque schisma a Juda et Jerusalem, erexit vitulos aureos quos viderat coli in Ægypto, ut Ægyptiorum auxiliis fretus resisteret Roboamo et Judæis. Vers. 28.

29. POSUITQUE UNUM IN BETHEL, ET ALTERUM IN DAN, — quasi in duobus regni sui limitibus : Bethel enim erat limes Israelis ad Meridiem, Dan vero ad Austrum. Rursum, Bethel erat locus celebris, et sacer ob visionem Dei in scala exhibitam Jacobo patriarchæ, *Genes.* XXXII, indeque dicta est «Bethel,» id est « Domus Dei ;» sed Jeroboam, ex *Bethel*, id est « Domo Dei, » fecit *Bethaven*, id est « domum iniquitatis,» et idoli, ut ait Osee. Bethel nunc Vers. 29.

ponitur in tribu Benjamin, nunc in tribu Ephraim, unde multi putant duas fuisse Betheles, atque hic intelligi eam, quæ est in Ephraim : hujus enim rex erat Jeroboam. Alii tamen cum Adrichomio unam eamdemque censent fuisse Bethel; quæ nunc Benjamin, nunc Ephraim attribuitur, eo quod sita esset in confinio utriusque tribus, aut quod hæc una ex Benjamin adhæserit Jeroboam permiseritque apud se collocari hoc idolum vituli.

Vers. 30. 30. ET FACTUM EST VERBUM HOC (id est res hæc; est metonymia) IN PECCATUM, — *q. d.* Occasione horum vitulorum Jeroboam totus Israel lapsus est in idololatriam, illosque ut deos suos adoravit. Quare gravissime peccavit Jeroboam peccato non tantum idololatriæ, sed et scandali, quia causa fuit, cur totus Israel deinceps usque ad sui excidium, vitulos hos quasi idola et deos suos coluerit per annos 256, quibus novemdecim reges Jeroboam secuti, ejus vitulos coluerunt.

Vers. 31. 31. ET FECIT FANA (vitulorum et idolorum delubra, non sacra, sed profana et sacrilega) IN EXCELSIS, — montibus et collibus, in quibus idololatræ solebant idola sua collocare et adorare.

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI, — *q. d.* Non ex tribu Levi, ut statuerat Deus, sed ex qualibet alia vilissimos homines constituit sacerdotes suorum vitulorum et idolorum. Ita profanantes religionem profanant cætera omnia. Sed id decebat vilissimos vitulos, ut vilissimos haberent sacerdotes. Fuit ergo hoc justum Dei judicium. Sic et hæretici hoc ævo ministros suæ hæresis insipientis constituerunt cerdones, sutores, apostatas et quisquilias hominum. Dignum tali patella operculum.

Sane Aristoteles ex mero lumine naturæ et philosophiæ, lib. VII *Politic.* IX, præcipit, ut homines viles non constituantur sacerdotes, propter honorem qui religioni et majestati divinæ debetur.

Vide ergo unum eumdemque utrobique spiritum diaboli, qui, quia contemptor sacrorum, ea omnia ad vilitatem traducit, ut irrideat et omnibus irridenda proponat, utque eos sensim deducat ad atheismum, ut nihil credant, negentque animæ immortalitatem, gehennam et omne numen, uti hoc ævo multos hæreticos fieri videmus atheos, ut sapienter advertit et annotavit Cardinalis Hosius.

Audi Tertullianum, lib. *De Præscript. adversus hæreticos*, cap. XLI : « Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promoveri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius : hodie Diaconus, qui cras lector : hodie presbyter, qui cras laicus : nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. »

Vers. 32. 32. CONSTITUITQUE DIEM SOLEMNEM IN MENSE OCTAVO, QUINTA DECIMA DIE MENSIS IN SIMILITUDINEM SOLEMNITATIS QUÆ CELEBRABATUR IN JUDA, — scilicet festi Tabernaculorum, quod Judæi ex Dei decreto celebrabant die 15 mensis septimi; sed Jeroboam ex proprio cerebro illud transtulit in diem 15 mensis octavi, ne videretur Judæos sequi, sed ipse esse auctor novi festi æque ac novæ religionis et novorum deorum, sed ridiculorum, scilicet vitulorum. Quid enim stolidius vitulo? utique non aliud, nec alius quam is, qui vitulos irrationales ut rationales habet, ac eis rationem, providentiam et divinitatem attribuit.

Vers. 33. 33. ET ASCENDIT SUPER ALTARE UT ADOLERET INCENSUM. — Vide hic ut Jeroboam ex uno peccato schismatis, labatur in profundum scelerum. Arrogat enim hic sibi non tantum regnum, sed et pontificatum, seseque facit pontificem et caput Ecclesiæ. Nam ut pontifex, adolet incensum, festa instituit, sacerdotes consecrat, fana ædificat. Ita Josephus. Quare in Jeroboam recte torqueas illud Senesii Episcopi, epist. 101 *ad Pylæmenem* : « Alia ratione in foro vere ditescere non licet, nisi cuncta et divina et humana jura confundas, et pro ingenuo veterator evadas. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propheta altari Jeroboam scissionem, et excidium per Josiam regem intentat. Jubet eum capi Jeroboam; sed manus ipsius exarescit, quam illi veniam precanti restituit Propheta, qui contra jussum Dei comedens cum alio propheta in Bethel, rediens domum a leone occiditur.

1. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente. 2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait : Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet.

3. Deditque in illa die signum, dicens : Hoc erit signum quod locutus est Dominus : Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est. 4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari dicens : Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. 5. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. 6. Et ait rex ad virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. 7. Locutus est autem rex ad virum Dei : Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera. 8. Responditque vir Dei ad regem : Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. 9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis : Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. 10. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Bethel. 11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel : et verba quæ locutus fuerat ad regem narraverunt patri suo. 12. Et dixit eis pater eorum : Per quam viam abiit ? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. 13. Et ait filiis suis : Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit. 14. Et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum : et ait illi : Tune es vir Dei qui venisti de Juda ? Respondit ille : Ego sum. 15. Dixitque ad eum : Veni mecum domum, ut comedas panem. 16. Qui ait : Non possum reverti, neque venire tecum : nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. 17. Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens : Non comedes panem et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. 18. Qui ait illi : Et ego propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum. 19. Et reduxit secum : comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam. 20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens : Hæc dicit Dominus : Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus. 22. Et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. 23. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat. 24. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit : et erat cadaver ejus projectum in itinere : asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver. 25. Et ecce viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt, et divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat. 26. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait : Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini quod locutus est ei. 27. Dixitque ad filios suos : Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, 28. et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver : non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. 29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetæ senis ut plangeret eum. 30. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo, et planxerunt eum : Heu ! heu ! mi frater. 31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos : Cum mortuus fuero sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est : juxta ossa ejus ponite ossa mea. 32. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ. 33. Post verba hæc non est reversus Jerobeam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis

populi sacerdotes excelsorum : quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. 34. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ.

Vers. 1. 1. Et ecce vir Dei (propheta a Deo missus ad nascentem idololatriam Jeroboam castigandam et comprimendam) venit de Juda (ex Judæa) in sermone (instinctu et jussu) Domini in Bethel. — Propheta hic a Josepho « Jadon » vocatur; a S. Hieronymo, II *Paral.* x, « Jaddo; » ab Hugone, Lyrano, Dionysio, Serario et Sanchez, « Addo, » qui II *Paral.* ix, 29, dicitur scripsisse gesta Salomonis in visione quam habuit contra Jeroboam. Verum cum noster hic propheta statim a visione et prophetia sua contra Jeroboam occisus sit a leone, non videtur habuisse tempus et vitam ad scribenda gesta Salomonis, uti habuit Addo, qui insuper scripsit gesta Abiæ, filii et successoris Roboam, ut patet II *Paral.* xiii, 22; quare non potuit esse is, de quo hoc cap., utpote qui initio regni Roboam occisus est. Addit S. Hieronymus et Glossa in cap. I *Zachar.* vers. 1 : Addo hunc fuisse avum Zachariæ prophetæ, qui ibidem nominatur. Verum inter Addo hunc et Zachariam hunc fluxere anni plusquam quadringenti. Verisimilius est quod ait Epiphanius in *Vitis Prophetarum*, sub initium, prophetam hunc fuisse « Joam » (quem Theodoretus et Glycas vocant « Joel »), qui ibidem ejus vitam ex hoc cap. xiii describit. Denique Tertullianus, libro *De Jejuniis contra Psychicos*, cap. xvi, eum vocat « Semeiam. » Sic et Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* cap. i, eum nuncupat « Semeiam, » filium Amame.

Vers. 2. 2. Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit (mactabit) super te sacerdotes excelsorum. — Edita est hæc prophetia de Josia rege trecentis annis ante ejus nativitatem, simulque ejus nomen est editum, scilicet quod vocaretur « Josias; » id est « salus Dei, » quia ipse idola evertens, fidem veri Dei ejusque salutem omnibus attulit. Sic Isaias, cap. xlv, vers. 1, ducentis annis ante Cyrum ejus nomen edidit, et de eo plura præclara vaticinatus est, quæ Judæis postea ostendentes Cyro, ab eo liberationem e Babylone obtinuerunt, teste Josepho.

Vers. 3. 3. Hoc erit signum, quod locutus est Dominus : Ecce altare scindetur. — Signum hoc edidit Propheta, non sub Josia, sed hoc ipso tempore cum Jeroboam in eum extenderet manum, ut dicitur vers. 5.

Vers. 4. 4. Et exaruit manus ejus. — Audi S. Chrysostomum, homil. *in verba Isaiæ* : « Christus, inquit, cum ipse quidem in faciem colaphis cæderetur, in servum qui colaphum impegerat, nihil durius fecit : Jeroboam vero cum extenta manu conaretur apprehendere prophetam, a quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per hæc te erudiens, ut quæ tibi ipsi invehuntur cum mansuetudine feras; quæ vero in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia ulciscaris. »

Vers. 6. 6. Et reversa est manus regis ad eum. — Causam dat S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, ad finem : « Rogavit, inquit, veniam, statimque manus ejus, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno misericordiæ divinæ, et indignationis exemplum exstitit; ut sacrificanti subito dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur. »

Porro Propheta hic tria insignia miracula patravit : *primo* enim, scidit altare, ut Jeroboam videret illud a Deo velut sibi exosum, scindi et disrumpi : *secundo*, manus ejus contra Prophetam extensam obriguit : *tertio*, illa per preces Prophetæ sanata est. Et tamen Jeroboam hæresiarcha a sua hæresi et idololatria non resipuit, sed in ea mansit obfirmatus et obduratus. Mira ergo fuit ejus cæcitas, durities et malignitas.

Vers. 9. 9. Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. — Jusserat hoc Prophetæ Deus ad detestationem idololatriæ, ut ipso facto ostenderet Bethelitas idololatras adeo esse detestabiles, et a Deo quasi excommunicatos, ut nullam fidelibus cum eis cibi vel potus, imo nec viæ communionem habere velit. Jussit ergo eum in reditu aliam inire viam, quasi via in Bethel ob ejus idola esset polluta et exsecranda, nec ullo modo revisenda. Adeo severe vetuit Deus ei comedere in Bethel, ut, si a Jeroboam conjectus fuisset in carcerem, debuisset potius mori fame, quam cibum a Bethelitis oblatum sumere. Figura hæc erat Ecclesiasticæ censuræ, et excommunicationis, qua Ecclesia vetat cum excommunicatis communicare et cibum sumere, ut illi bonorum consortio exclusi confundantur et resipiscant. Ita S. Cyprianus, *epist.* 75; Lucifer Calaritanus, lib. *De non conveniendo cum hæreticis;* et ex iis Rupertus, lib. V, cap. vi, et Abulensis hic, *Quæst.* VIII; quare hoc eis maleficium non est, sed beneficium, uti fuit ipsi Jeroboam, de quo Josephus : « Rex, ait, miratus viri continentiam, eo magis de se cœpit esse sollicitus, ex iis quæ viderat et audierat, parum felicem rerum suarum exitum augurans. »

Vers. 11. 11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel. — Chaldæus, *propheta falsus nomine Michal*, etc. Josephus quoque eum vocat *pseudoprophetam*. Sic et S. Gregorius, Rupertus, Angelomus, Eucherius, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii. Unde nonnulli opinantur eum fuisse idololatram et vatem diaboli. Abulensis vero fidelem fuisse putat, sed malum et impium. Verum id redarguunt sequentia, arguuntque eum fuisse fidelem et prophetam Dei, non pseudoprophetam, eo quod, ut ait Theodoretus, « Deus per ipsum

prædixerit homini Dei, id quod esset eventurum, et quod crediderit ea quæ prædicta fuerant de Josia, et quod filiis suis mandarit, ut, cum decessisset, se cum ejus corpore sepelirent. » Quæ omnia ostendunt eum fuisse fidelem et pium. Vocatur ergo a S. Gregorio, Ruperto et aliis jam citatis *pseudopropheta,* id est mendax propheta, quia mentitus est, dicendo sibi ab angelo revelatum esse Deum velle ut secum cibum sumeret. Theodoreto consentit S. Augustinus mox citandus, S. Hieronymus, Serarius, Torniellus, Salianus et alii.

Vers. 18. 18. ANGELUS LOCUTUS EST MIHI IN SERMONE (jussu) DOMINI, DICENS : REDUC EUM TECUM IN DOMUM TUAM, UT COMEDAT PANEM. — Mentitur hic propheta, ut alium prophetam ad prandium deducat. Videbat enim eum de via fessum, famescentem et sitientem nolle in Bethel comedere nec bibere, sed jejunum redire : quare motus compassione, ex studio hospitalitatis virum Dei ad hospitium suum invitat, et per mendacium quasi compellit. Sic subinde viros religiosos carnibus vinoque abstinentes decipiunt sæculares, ut carnes liquatas sub oleribus absconditas comedant. Cum agerem in Belgio, exstitit quidam eremita ob simplicitatem cognominatus Joannes Simplex, qui in monasterium B. Virgini dicatum veniens, vinum a procuratore oblatum recusavit, dicens se profiteri jugem a vino abstinentiam. Unde procurator eum fallens : Dabimus ergo tibi, inquit, lac B. Virginis nostræ, jussitque ei aliud vinum suavius apponi : Bibe, inquit, lac a B. Virgine tibi propinatum loco vini quod respuis. Quod ille ut gustavit valde exhilaratus : Utinam, inquit, in eremo nostra tale lac haberemus, cum vinum non bibamus.

Verum fuit intempestiva et imprudens prophetæ hujus hospitalitas; nam alteri prophetæ mortem peperit; sed id ipse ignorabat : quare venialiter tantum peccavit; atque officiosum fuit ejus mendacium duntaxat, non perniciosum.

Porro permisit id Deus, ut prophetiæ suæ veritatem prophetæ ipsius inobedientis, et contra jussum suum in Bethel cibum sumentis morte sanciret, ut ex ea cognosceret Jeroboam, eum verum fuisse prophetam a Deo missum, ac minas ab eo sibi intentatas vere obventuras.

Nota : Josephus quem sequitur Glossa, et Abulensis censent hunc prophetam ex malo dolo invitasse prophetam, ut eum faceret mendacem vel perderet. Audi Glossam : « Iste pseudopropheta princeps erat sacerdotum, et valde a rege colebatur tanquam divinus; timens autem ne per sermonem viri Dei rex ab idolorum cultura recederet, et se tanquam maleficum interficeret, excogitavit ut virum Dei deciperet satis acute agens ut dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret; sicut postea fecit, cum magis homini quam Deo credidit; ac per hoc monstrarentur esse falsa, quæ prædixit; sicque regi persuadere posset sicut fecit. » Verum prius quod dixi, longe verius est (1).

Vers. 19. 19. FEFELLIT EUM ET REDUXIT SECUM : COMEDIT ERGO PANEM IN DOMO EJUS. — Peccavit hic propheta, quia nimis facile et temere credidit alteri prophetæ mentienti Deum revocasse suum præceptum ei datum de non comedendo in Bethel : debuisset enim magis cum ejusque oraculum suo contrarium examinare. Cum enim Deus ipse ipsimet clare jussisset non comedere in Bethel, non debebat credere alteri prophetæ, dicenti Deum hoc præceptum revocasse. Poterat enim et debebat cogitare : Deus mentiri nequit; hic homo mentiri et fallere potest : cur ergo Deo meo relicto credam homini mendaci? cur pro certo incertum et dubium amplectar? Certo enim mihi constat, Deum absolute mihi vetasse comedere in Bethel : quare hic homo dicens contrarium a Deo esse decretum, utique de fraude, et de mendacio suspectus est. Nam, ut notat Abulensis, Deus omnia quæ præceptis ejus supervenire possunt, prævidet et præcogitat. Quare in ejus præceptis non est utendum interpretatione et epiikia : secus est in mandatis hominum : qui omnia futura prævidere nequeunt, ideoque patiuntur epiikiam.

Fuit autem hoc ejus peccatum veniale duntaxat, quia prophetam credidit esse veracem non mendacem. Unde ob peccatum a leone quidem occisus est; sed corpus ejus quasi sancti a leone integrum intactumque servatum est. Ita S. Augustinus mox citandus, Eucherius, Angelomus, Cajetanus, Salianus, Serarius et alii.

CUMQUE SEDERENT AD MENSAM, FACTUS EST SERMO DOMINI AD PROPHETAM, QUI REDUXERAT EUM. — Propheta in mensa peccans per inobedientiam, comedensque contra jussum Domini, in mensa pariter punitur, et a Deo sententiam mortis accipit, idque ab hospite suo, puta a propheta qui eum seduxerat et invitarat, « ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisit, » ait S. Gregorius, et ex eo Eucherius et Angelomus.

Vers. 24. 24. QUI CUM ABIISSET, INVENIT EUM LEO IN VIA ET OCCIDIT, — puta suffocavit, vel morsu interemit; at non devoravit, sed corpus integrum servavit : ita punitus fuit a Deo propheta, ut Jeroboam ex hac ejus punitione cognosceret, ipsum verum fuisse prophetam. Ipse enim inter alia dixerat sibi a Deo mandatum ne comederet in Bethel, ut ostenderet quam odisset Bethel. Nota : Deus hic peccatum veniale duntaxat punit morte, quia ipse summus est vitæ necisque omnium Dominus; secus est de principe et judice, qui debet peccata pro sui merito proportionaliter punire, gravia

(1) Existimant tamen plurimi istum hominem licet vere prophetam, fuisse sceleratum et callidum; sceleratum quidem, quia cum sciret prophetam aliud a Deo habuisse præceptum, ne quid gustaret in Bethel, repeteretque viam quam ante decurrisset, decepit tamen hominem parum cautum, et plus satis credulum, quem primum in peccatum, deinde in corporalem mortem induxit.

graviter, levia leviter. Unde lex humana peccata venialia morte punire nequit. Sic Deus Moysen ob peccatum veniale incredulitatis punivit morte in deserto, *Numer.* XX. Sic uxor Loth, quia respexit retro, quod tantum veniale fuit peccatum, exanimata est, et in statuam salis conversa, *Genes.* XIX. Ita Cassianus, *Collat.* VII, cap. XXV, et S. Thomas, III part. *Quæst.* VIII, art. 2, ad 3.

Moraliter S. Chrysostomus, in *Psal.* III : « Sicut, inquit, canis aut quælibet fera, quam homo beneficiis cicuravit, sibique in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet vel obscuret fuligine, puta, aut cœno, aut colore non proprio, non minus illum allatrat morsuque appetit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo, quam si esset alienus. Sic, inquit Chrysostomus, quia propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fœdaverat, non agnovit leo tanquam dominum suum, atque ideo tanquam alienum interfecit. Longe aliter sese leones habuere cum Daniele, cum tamen essent in lacu famelici, quia in eo talem invenerunt speciem et vultum, qualem venerari et osculari jussi sunt : neque enim fœdaverat aut mutaverat faciem fuligine peccati, sicut hic propheta, qui vultui prius puro ac candido, inobedientiæ stercus aut cœnum aspersit. »

Rursum S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.* « Qui, inquit, jejunus miracula fecerat, pransus illico saturitatis pœnas luit. » Denique S. Brigidæ, lib. V *Revel.* Inter. XIV, *Quæst.* I, quærenti cur subinde justi mala morte, injusti bona morte moriantur? Christus respondit : « Quandoque justis flebilis exitus contingit ad majus eorum meritum, ut qui semper per vitam in virtutibus fuere solliciti, per mortem contemptibilem liberi evolent ad cœlum; » atque exemplum affert hujus prophetæ a leone occisi.

ASINUS AUTEM STABAT JUXTA ILLUM, ET LEO STABAT JUXTA CADAVER, — quasi custos cadaveris viri sancti, æque ac asini ipsius : quare prædo factus est prædæ suæ custos. Hic ergo Deus prophetæ sanctitatem ostendit : nam, ut ait Theodoretus, « eum honoravit post mortem, quia occisorem (leonem) ei induxit custodem : hac quidem ratione honorans, ut prophetam; illa vero puniens ut transgressorem, et eos qui nunc sunt terrens, ut ne parva quidem Dei mandata despiciant. » Pergit Theodoretus, et post eum Procopius, ex hoc loco ostendere quantam Deus corporum sanctorum habeat curam, ut etiam leones eis custodes apponat. Leo ergo qui fuit carnifex vivi, factus est defensor mortui, ut qui pro inobedientia cæsus cernebatur, pro pœnitentia salvus crederetur. Ita Lyranus; pœnitens enim pro culpa, mortem a Deo missam patienter excepit.

Audi S. Augustinum, lib. *De Cura pro mort.* cap. VII : « Hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia spreverat præceptum ejus implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum ejus deinde anima raperetur; quandoquidem ipsum ejus corpus, idem leo qui occiderat custodivit, jumento etiam, quo vehebatur, illæso, et simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad sui domini funus astante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem quam punitum esse post mortem. »

Audi et S. Gregorium, IV *Dial.* XXIV : « Stetit leo juxta asinum, et non comedit de cadavere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit : quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat jam justus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi. »

Eadem ex S. Gregorio transcripserunt Eucherius et Angelomus, qui et addunt morale documentum, neminem se alicujus virtutis æstimare debere, licet quid fortiter gesserit : nam hic propheta permissus est labi et occidi, qui gloriabatur se regem Jeroboam contempsisse et increpasse. Simile exemplum S. Eremitæ ob levem culpam a Deo lethali morbo percussi, et tamen multa miracula patrantis recenset Cassianus, *Collat.* VII, cap. XXVI.

29. TULIT ERGO PROPHETES CADAVER VIRI DEI, — ut honorifice sepeliret et de more plangeret, præsertim, quia ipse necis ejus per mendacium fuerat causa. Unde ex sequentibus liquet prophetam hunc fuisse fidelem et pium, qui per præposteram hospitalitatem seduxerat prophetam. Quare Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. III, valde a narratione S. Scripturæ discrepat et aberrat, dum ait quod pseudopropheta hic regem Jeroboam minis et miraculis prophetæ territum volentemque ab idolis resipiscere, in idololatria confirmarit, ac miracula prophetæ apud eum elevarit et confutarit. « Aiebat enim, inquit Josephus, præ lassitudine manum ejus obtorpuisse dum altari inferret victimas, ac deinde post quietem, vigorem pristinum recepisse. Altare quoque recentis etiam tum structuræ, quod tot ac tantarum victimarum molem non ferret, disruptum concidisse. Postremo vatis mortem indicat, a leone esse necatum : adeo nihil divinum, nec in vita, nec in verbis ejus fuisse. His dictis regi persuasit, et mentem ejus a Deo et justis ac piis operibus in totum aversam, in extremam impietatem præcipitavit. In tantum enim posthac contra omne jus ac fas debacchatus est, ut nihil aliud quæreret quam quomodo in dies magis ac magis semetipse novis sceleribus superaret. » Verum hæc a narratione S. Scripturæ in seq. aliena sunt et quasi contraria. Vers. 29.

ET REVERSUS INTULIT IN CIVITATEM PROPHETÆ SE-

NIS, — id est in civitatem suam, puta in Bethel, ut patet vers. 32, ipse enim erat « propheta senex, » qui eum suo mendacio seduxerat, ideoque eum a leone occisum sepelivit et planxit.

Vers. 31. 31. CUM MORTUUS FUERO, SEPELITE ME IN SEPULCRO, IN QUO VIR DEI (propheta a leone occisus) SEPULTUS EST. — Id jussit hoc fine, ne ossa sua cremarentur a Josia : omnia enim cæterorum, utpote idololatrarum, sepulcra effodit, et ossa in Bethel combussit Josias, excepto sepulcro prophetæ, qui contra Jeroboam hic detonuerat, et Josiam ejus idola et idololatras eversurum prædixerat, ut patet lib. IV *Reg.* cap. XXIII; quare in ejus sepulcro sua quoque ossa sepeliri voluit, ut ossa ejus servarentur intacta.

Vers. 33. 33. QUICUMQUE VOLEBAT IMPLEBAT MANUM SUAM, (oleo et victimis, curando scilicet manus suas ab alio sacerdote inungi, seque consecrari, ac manu sua victimas in consecratione offerri solitas offerendo. Unde sequitur : et hoc ritu) FIEBAT SACERDOS EXCELSORUM, — id est vitulorum, qui in excelso monte Bethel erecti adorabantur. Jeroboam enim expulit Levitas et sacerdotes Aaronicos, qui proinde cum cæteris Israelitis fidelibus idola Jeroboam detestantibus profugerunt in Jerusalem ad Roboam, ejusque regnum firmarunt, ut dicitur II *Paralip.* XI, 13.

Vers. 34. 34. ET PROPTER HANC CAUSAM PECCAVIT DOMUS JEROBOAM (peccatum grande idololatriæ, quia scilicet vitulos aureos erexit, ad eosque adorandos compulit totum populum), ET (idcirco) EVERSA EST ET DELETA DE SUPERFICIE TERRÆ, — quasi de terra funditus abrasa, ut nemo ex ea remaneret superstes, uti patet cap. seq. vers. 10.

Nota hic veram causam interitus et excidii familiarum etiam regalium, qualis fuit Jeroboam, esse idololatriam, hæresin, et scelera cætera ex ea consequentia ; idque toto hoc libro, et quarto sequenti, per exempla omnium regum Israel, qui Jeroboam in idololatria vitulorum æque ac in regno secuti sunt, ostenditur. Ubi mira eorum cæcitas liquet, quod cum audirent hasce Dei minas, ac reipsa eas in Jeroboam cæterisque antecessoribus suis impleri viderent, ipsi tamen quasi dementati, eorum idololatriam secuti sint; ideoque ipsi pariter cum suis familiis a Deo excisi sint.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Uxor Jeroboam adiens Ahiam prophetam pro salute filii, diras ab eo Dei minas excipit. Mox, vers. 29, *reliqua gesta tam Jeroboam, quam Roboam recensentur.*

1. In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam. 2. Dixitque Jeroboam uxori suæ : Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam : et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et vas mellis, et vade ad illum : ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic. 4. Fecit ut dixerat uxor Jeroboam : et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahiæ : at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute. 5. Dixit autem Dominus ad Ahiam : Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat; hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, 6. audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait : Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 7. Vade et dic Jeroboam : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel : 8. et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo; 9. sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum : 10. idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel : et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes : qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli : quia Dominus locutus est. 12. Tu

igitur surge et vade in domum tuam : et in ipso introitu pedum tuorum in urbem morietur puer, 13. et planget eum omnis Israel, et sepeliet : iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulcrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel, in domo Jeroboam. 14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempore : 15. et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua : et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen : quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. 17. Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa : cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, 18. et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiæ prophetæ. 19. Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel. 20. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt : et dormivit cum patribus suis : regnavitque Nadab filius ejus pro eo. 21. Porro Roboam, filius Salomonis, regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset : decem et septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. 22. Et fecit Judas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. 23. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos, super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam. 24. Sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. 25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem, 26. et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit : scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon : 27. pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, et tradidit ea in manum ducum scutariorum et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. 28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium, et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. 29. Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda. 30. Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus. 31. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David : nomen autem matris ejus Naama Ammanitis : et regnavit Abiam filius ejus pro eo.

Vers. 1. 1. ÆGROTAVIT ABIA FILIUS JEROBOAM, — puniente Deo idololatriam Jeroboam per morbum et mortem filii.

COMMUTA HABITUM (ut deposita regali veste plebeiam induas, abeasque sola sine comitatu) NE COGNOSCARIS QUOD SIS UXOR JEROBOAM, — ne scilicet Ahias, qui mihi regnum detulit cum obligatione servandi veram fidem cultumque Dei, videns me erexisse vitulos aureos in idola, te et me acriter objurget aut repellat, nec responso dignetur. Hanc uxorem Septuaginta Romana asserunt fuisse sororem reginæ Ægypti natu majorem, eamque vocant *Ano;* Lucifer Calaritanus, *De Regibus Apostaticis,* vocat *Annam.* Ita Serarius et Salianus.

Vers. 3. 3. ET CRUSTULAM. — Chaldaice, *et placentas;* Septuaginta, *et collyria;* Vatablus, *dulciarios panes;* Gallice, *des gauffres* : nam solebant illis imprimere formam quamdam in qua erant foramina. Hebraice enim נקדים *nickudim* significat *punctata,* puta liba vel crustulas punctis notatas et distinctas. Regina hæc munera non regia, sed plebeia et rusticana (qualem se simulabat) offert, scilicet panes, placentas, vas mellis.

Vers. 6. 6. EGO AUTEM MISSUS SUM AD TE DURUS NUNTIUS, — ut denuntiem filium, pro quo me consulis moriturum, et alias longe majores clades Dei jussu infligam : quia Jeroboam Deo fuit durus et refractarius : duro autem nodo durus quærendus est cuneus.

Vers. 10. 10. ET PERCUTIAM DE DOMO JEROBOAM MINGENTEM AD PARIETEM, — id est omnem masculum : soli enim masculi ad parietem mingunt, ait Elias in Thesba. Aut potius, *q. d.* Occidam omne vivens in domo Jeroboam, usque ad canem, ut ne canem vivum in ea relinquam : soli enim canes elevata tibia parietem aqua sua conspergunt, *q. d.* Ne canibus quidem parcam. Ita Theodoretus, Vatablus, Serarius.

ET CLAUSUM, — id est carcere conclusum, vel domi abditum.

ET NOVISSIMUM, — id est ultimum, qui scilicet usque ad finem belli relictus fuerit, *q. d.* Reliqui omnes tandem peribunt. Aut « novissimum, » id est vilissimum, abjectissimum. Hac phrasi utitur Scriptura cum omnes omnino vult significare, *q. d.* Delebo omnes reliquias et quisquilias tuæ familiæ. Simili modo Deus occidit omnes primogenitos Ægypti, « a primogenito Pharaonis usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, » *Exodi* XII, 29.

ET MUNDABO (scopabo, scopis everram, evertam) RELIQUIAS DOMUS JEROBOAM, SICUT MUNDARI SOLET FIMUS (Chaldaice *stercus*) USQUE AD PURUM, — ut nil fimi remaneat, sed totum domus pavimentum sit purum.

Vers. 12. 12. IN IPSO INTROITU PEDUM TUORUM IN URBEM MORIETUR PUER, — ut pateat a Deo per me mortem filio intentatam et immissam ob tua et tui mariti idola, ideoque gravius doleatis, quod vestri filii fueritis quasi parricidæ. Sic Valens Imperator morbum filio suo ob Arianismum immissum depulit per preces S. Basilii; at mox vocans Arianos ad eum visendum, eumdem perdidit.

Vers. 13. 13. ILLE ENIM SOLUS INFERETUR DE JEROBOAM IN SEPULCRUM, QUIA INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS A DOMINO. — Aliqui putant filium hunc aliquid boni gessisse, ob quod meruerit apud Deum sepulturam, v. g. quod fideles euntes in Jerusalem ad adorandum Deum in templo, ire permiserit. Ita Rabbini. Verum filius hic erat puer, ut dictum est vers. 12. Melius alii, non filii, sed alicujus domestici meritis id attribuunt; hoc enim significat τὸ *in domo Jeroboam, q. d.* Aliqui e familia Jeroboam nonnulla bona fecerunt, ob quæ Deus eos remunerabitur hac mercede, ut filius hic Jeroboam sepultura digna donetur. Ita Vatablus.

Vers. 14. 14. CONSTITUIT (constituere decrevit) AUTEM SIBI DOMINUS REGEM ISRAEL (Baasa servum Jeroboam) QUI PERCUTIET DOMUM JEROBOAM IN HAC DIE, ET IN HOC TEMPORE, — hoc est brevi, post paucos dies, post modicum tempus. Pro *in hoc tempore,* Hebræi ad verbum habent, *et quid? etiam nunc, q. d.* Quin imo ex nunc, ex hoc instanti incipiam percutere Jeroboam, occidendo filium ejus parvulum ægrotantem. Aliter Vatablus, *q. d. Quid nunc?* id est quantula et quam parva est hæc pœna et tribulatio, præ illis quæ regi Jeroboam parantur in futurum, puta in gehenna? Aliter quoque Chaldæus qui vertit: *Exterminabit domum Jeroboam eum qui vivit hodie, et etiam qui gignetur ex nunc et ultra.*

Vers. 15. 15. ET PERCUTIET DOMINUS DEUS ISRAEL, SICUT MOVERI SOLET ARUNDO, — *q. d.* Deus percutiet regem Jeroboam, ejusque populum Israel assidue ab omnibus partibus undequaque, sicut assidue ab omnibus ventis agitatur arundo, ut nulla ei sit requies, sed continuis hostium incursionibus, deprædationibus, præliis conquassetur, donec cadat et intereat.

Rursum, VENTILABIT (id est in omnem ventum disperget, ac per quatuor mundi ventique plagas dissipabit) EOS (Israelitas) TRANS FLUMEN, — scilicet Euphratem, qui erat terminus terræ Judæis promissæ. Id reipsa præstitit, cum sub Osee ultimo rege decem tribus abductæ sunt a Salmanasar in Assyriam anno 6 Ezechiæ regis, uti audiemus cap. XVI et XVII.

QUIA FECERUNT SIBI LUCOS, — puta sylvas arboribus consitas, umbrosas, amœnas et nemorosas, in quibus more Gentium sua colebant idola, quibus hosce lucos dicabant. Unde in iis comessando, inebriando, fornicando serviebant Baccho et Priapo, ut patet cap. XV, vers. 13. Causas alias lucorum affert Plinius, lib. XII, cap. I: « Hæc, ait, fuere quondam numinum templa, priscoque ritu simplicia rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata, perpetuo servantur, uti Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin et sylvanos faunosque et dearum genera sylvis, ac sua numina non secus ac cœlo attributa credimus. »

Luci vetiti quatuor de causis.

Causas vero cur Deus lucos adeo vetuerit, recenset Philo, lib. *De Monarch.*: « *Primo,* inquit, quoniam verum Dei templum non amœnitates postulat, sed severam castimoniam. Deinde quia non est fas illuc importare quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est brutorum et hominum excrementa. *Tertio,* quia sylvestris materiæ nullus est usus, cum sit, ut poetæ loquuntur, telluris inutile pondus: fructiferæ autem arbores parum cordatos et pios ab intentione animi religioneque sacris debita retraherent. Præterea condensa sylvarum maleficis conveniunt ex latebris securitatem et insidiarum occasionem quærentibus: at patentia et oculis exposita loca, quæ introgressi et videri ab aliis et videre alios possunt, sacris maxime apta sunt et accommodata. »

Vers. 16. 16. ET TRADET DOMINUS ISRAEL (hoc est Israelem, puta decem tribus in manus hostium, scilicet Assyriorum), PROPTER PECCATA JEROBOAM. — Nota hic quatuor plagas gravissimas, quibus Deus castigavit idololatriam publicam Jeroboam. *Primo* enim prædicit filium ejus puerum moriturum. *Secundo,* ipsum periturum cum omnibus posteris, idque cum infamia, ut careant sepultura atque a canibus et feris lanientur. *Tertio,* regnum a Jeroboam, ejusque familia ad alium regem transferendum. *Quarto,* totum populum in captivitatem abducendum.

Vers. 19. 19. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est factorum; est metonymia) JEROBOAM, etc., SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM (factorum) DIERUM REGUM ISRAEL, — puta in Annalibus, Chronicis et Diariis, in quibus scribebantur gesta regum populique Israel per singulos dies. Aliqui putant hunc librum esse librum Paralipomenon; sed errant, quia hic liber

citatur in libro Paralipomenon, quare ante librum Paralipomenon æque ac ante libros Regum (nam in iis hic et alibi citatur) conscriptus est. Vide Abulensem, Procem. in lib. *Paralip.*

Vers. 21. 21. PORRO ROBOAM, — finitis gestis Jeroboam primi regis Israel, transit ad gesta Roboam primi regis Juda.

UT PONERET NOMEN SUUM IBI. — « Nomen, » id est nominis sui cognitionem, fidem, cultum, adorationem æque ac celebritatem, famam, gloriam, miracula, oracula, etc. In Jerusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices et prophetæ, qui populum in Dei fide cultuque instruerent et promoverent.

NOMEN AUTEM MATRIS EJUS NAAMA AMMANITIS, — nimirum soror aut filia Sobi, quem David loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde ut arctius sibi Davidem devinciret, petiit, ut Naama daretur uxor Salomoni filio Davidis, ut dixi II *Reg.* XVII, 27. Concessit id David, eo quod Naama ad Judaismum se converti velle diceret; sed Vatablus et Emmanuel Sa, aliique suspicantur fictam et simulatam fuisse ejus conversionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, et deorum suorum cultricem; imo ad eorum cultum Roboam filium suum traduxisse : atque hanc fuisse causam invalescentis in Juda idololatriæ. Ideirco enim statim hic subdit Scriptura : « Et fecit Judas malum coram Domino, etc. Ædificaverunt enim, et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos. » Discant hic Principes, quam periculosum sit et Deo ingratum ducere filias infidelium vel hæreticorum, licet dicant se velle ad fidem converti : hoc enim dicunt ob spem regni vel principatus; quia difficile est ut hæresim, quam a puero imbiberunt, serio ex animo eradicent. Hinc et David ducens Maacha filiam regis Gessur, et ex ea genuit Absalomem. At qualis fuit Absalom? utique fratricida et patricida, quia in necem patris cum toto Israele conjuravit. Porro Absalomis filia vel neptis fuit Maacha, quæ hoc nomen ab avia, puta matre Absalomis accepit, fuitque uxor Roboam, atque aviæ idololatriam et scelera imitata, facta est ipsa, vel potius ejus soror aut neptis, princeps et sacerdotissa sacrorum Priapi, quam proinde Asa filius loco movit, ut audiemus cap. seq. vers. 13. Propago ergo idololatriæ æque ac hæresis (uti ex S. Hieronymo ostendi II *Timoth.* III, 6), facta est per feminas, utpote novitatis amantes et in suo sensu pertinaces.

Conjugia cum infidelibus perniciosa.

Exempla.

Vers. 22. 22. ET FECIT JUDAS MALUM, — puta idola, quæ antonomastice vocantur « malum, » sive « peccatum, » quia ipsa summum sunt scelus. Nota Roboam primus tribus regni sui annis, cum sua tribu Juda in fide et cultu veri Dei perstitit : sed iis elapsis, illam deseruit, variasque effeminatorum spurcitias permisit : qua de causa Deus in eum anno regni sui quinto immisit Sesac regem Ægypti, qui Jerosolymam cepit et spoliavit, quæ omnia patent ex seq. et ex II *Paral.* cap. XI, vers. 17, et cap. XII. Causa idololatriæ fuit partim mater Roboam, puta Naama jam dicta; partim uxor Maacha, de qua vers. 21; partim vicinia idololatrarum : omnes enim Gentes in circuitu, ac præsertim decem tribus Israel colebant idola, ac multæ ex eis florebant pace, opibus, deliciis, atque Judæos sibi vicinos illiciebant ad sua idola colenda, promittentes eis a diis suis similem rerum abundantiam.

Vers. 24. 24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA, — *q. d.* Idololatræ permittente Roboam constituerunt lupanaria, non tantum meretricum, sed et puerorum meritoriorum, seu scortorum masculorum, catamitorum, ad præposteram et exsecrandam libidinem, qualia constituit impius Simon, II *Machab.* IV, 9.

Ecce fructus idololatriæ, æque ac hæresis, est libido, eaque infamis et horrenda; hac enim coli volunt spurci dæmones, quos in idolis adorabant, ut homines ad omnem spurcitiam omneque scelus impellant, ad Dei creatoris sui injuriam, æque ac ad ejus offensam et vindictam concitandam.

Vers. 25. 25. IN QUINTO AUTEM ANNO REGNI ROBOAM (puniente Deo ejus apostasiam et idololatriam) ASCENDIT SESAC REX ÆGYPTI IN JERUSALEM, — cum sexaginta millibus equitum et peditatu innumerabili ex Ægyptiis, Libyis, Troglodytis et Æthiopibus collecto, ut dicitur II *Paralipom.* XII, 3. « Secac » Herodotus apud Josephum vocat « Sesostrim, » a Diodoro, lib. I, vocatur « Sesoosis, » qui et addit columnas ab eo in Palæstina erectas, quibus insculpta erant genitalia muliebria, ut notaret incolarum libidinem, et per effeminationem et ignaviam, quasi qui virilitatem amisissent, ac pavidi instar feminarum non fuissent ausi arma capere, et sibi resistere. Videtur hic Sesac cognatus fuisse Roboam : nam ejus pater Salomon duxerat filiam Pharaonis, cujus in regno Ægypti Sesac videtur fuisse successor et filius (1).

Vers. 26. 26. ET TULIT THESAUROS DOMUS DOMINI, etc. — Sesac diripuit Jerusalem, non tamen eam evertit, tum quia in Jerusalem inventa sunt opera bona pœnitentiæ, scilicet religionis, deprecationis, sacrificiorum, eleemosynarum, quibus viri pii ever-

(1) D. Champollion-Figeac, vir in enucleandis hieroglyphis Ægypti peritissimus, visitans anno 1829 antiquum palatium Karnac prope Thebam, invenit anaglyptam imaginem in clypeo sculptam, regis Juda a Sesonchis devicti, cum ista inscriptione ad litteram :

I-OU-DA-HA-ME-LA-K

id est Juda Rex; quæ inscriptio posita erat supra signa hieroglyphica regionem montuosam figurantia, id est Judæam. Porro iste Sesonchis non est, ut arbitrati sunt Bossuetius et Newtonius, Sesostris, utpote multo antiquior, sed rex Ægypti a Manethone Sesonchis et a Biblia Sesac nuncupatus, et iste rex Juda a Sesonchi devictus non potest esse nisi Roboam, ut fusius videre est in *Epistolis de Ægypto et Nubia*, a Champollion-Figeac scriptis, Parisiis, Didot, 1833; apud *Annales Philosophiæ christianæ*, tom. VII, pag. 150, tom. VIII, pag. 113; et in opere a Cardinale Wiseman edito, cui titulus : *Relationes inter scientias et religionem revelatam.*

sionem deprecati sunt a Deo, II *Paral.* XII, 12, tum quïa rex Roboam videns Sesac vastare Judæam, cum suis resipuit dicens : « Justus est Dominus, » ut dicitur II *Paral.* XII, 6, ubi et additur : « Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum : » quid scilicet intersit inter servire Deo et servire homini, puta Sesac regi. Deus enim suos servos ditat et exaltat, Sesac vero deprimit et spoliat. Denique ibidem de Roboam vers. 14, dicitur : « Fecitque malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Roboam succedit filius impius Abiam, huic pius filius Asa, qui vers. 12, *aufert idola et effeminatos, ac Maacha matrem suam sacerdotissam Priapi. Asæ pio succedit pius filius Josaphat, vers.* 24. *Jeroboam vero impio regi Israel succedit impius filius Nadab, quem Baasa occidit, totamque ejus familiam succidit.*

1. Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam. 2. Tribus annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. 3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum : nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. 4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem. 5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. 6. Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam, omni tempore vitæ ejus. 7. Reliqua autem sermonum Abiam, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter Jeroboam. 8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David : regnavitque Asa filius ejus pro eo. 9. In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israel regnavit Asa rex Juda, 10. et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom. 11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus : 12. et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. 13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus, quem consecraverat : subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron. 14. Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis : 15. et intulit ea quæ sanctificaverat pater suus, et voverat in domum Domini, argentum et aurum, et vasa. 16. Bellum autem erat inter Asa et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. 17. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam, et ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda. 18. Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum : et misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens : 19. Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum : ideo misi tibi munera, argentum et aurum : et peto ut venias, et irritum facias fœdus quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me. 20. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Ahion et Dan, et Abeldomum Maacha, et universam Ceneroth, omnem scilicet terram Nephtali. 21. Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. 22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens : Nemo sit excusatus, et tulerunt lapides de Rama

et ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, et exstruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, et Maspha. 23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines ejus, et cuncta quæ fecit et civitates quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes. 24. Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui. Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo. 25. Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda : regnavitque super Israel duobus annis. 26. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel. 27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philistinorum : siquidem Nadab et omnis Israel obsidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, et regnavit pro eo. 29. Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam : non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis, 30. propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat Israel : et propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israel. 31. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 32. Fuitque bellum inter Asa, et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

Vers. 1. 1. IGITUR IN OCTAVO DECIMO ANNO JEROBOAM FILII NABAT (regis Israel) REGNAVIT ABIAM (filius Roboam) SUPER JUDAM.

Vers. 2. 2. TRIBUS ANNIS REGNAVIT.— Dices : Vers. 9, Abia dicitur mortuus anno vigesimo Jeroboam, ergo non tribus, sed duobus tantum annis regnavit : nam ab anno 18 ad 20, sunt tantum duo anni. Respondeo numerandum hic esse annum 18, eumque fuisse primum regni Abiam, secundum vero fuisse 19, tertium vero 20 regni Jeroboam. Ita Abulensis, Cajetanus, Salianus et alii. Ubi nota in chronologia annum subinde a principio, subinde a fine computari : quocirca unus annus additus vel demptus in Chronologia nullam facit diversitatem. Porro Abulensis hic tres alios modos conciliandi diversam chronologiam assignat, valde utiles et notandos.

Tres canones conciliandi diversa tempora. Primus. *Primus*, est per synecdochen, qua pars anni, mensis, vel diei ponitur pro integro anno, mense, vel die. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulcro, quia per partem diei primæ et tertiæ fuit in sepulcro, solo autem die secundo integro in eodem mansit.

Secundus. *Secundus*, quod aliquando numerentur anni, quibus filius regnavit cum patre, aliquando vero anni quibus solus ipse regnavit post patrem.

Tertius. *Tertius*, quod quandoque interregnum jungitur annis sequentis regis vel judicis, uti ostendi *Judic.* cap. III, quandoque non. Eosdem modos tradit Richardus de S. Victore, tractat. *De Concordia temporum regum Juda*.

NOMEN MATRIS EJUS MAACHA, FILIA ABESSALOM, — id est « Absalom, » ut dicitur II *Paralip.* XI, 21. Hebraice enim *Abisalom*, idem est quod *Absalom*. Quare vix dubitandum est, quin Absalom hic sit filius Davidis, de quo libro II crebra facta est mentio : nec enim alium legimus Absalom. Ideo ergo Absalom hic nominatur, quia ipse ex gestis ejus recensitis libro II toti Israel fuit notissimus. Quare « Maacha » hæc eadem est cum « Thamar : » hanc enim solam filiam genuit Absalom, ut patet II *Reg.* XIV, 27. Ita censent Hebræi, Josephus, Lyranus, Cajetanus, Sanchez et alii. Minus recte ergo Abulensis et Salianus censent alium esse hunc Absalom ab Absalome filio Davidis.

Dices : II *Paral.* XIII, 2, hæc « Maacha » vocatur « Michaia filia Uriel de Gabaa. » Respondet Cajetanus, Absalom fuisse binomium, alioque nomine vocatum esse « Uriel, » forte ob pulchritudinem, quod adeo esset pulcher, ut Angelus videretur, dicique posset « Uriel, » id est « lux et splendor Dei. » Aut certe Absalom fuisse patrem naturalem Maachæ; Urielem vero ejusdem fuisse patrem legalem : quod difficile est concipere, cum nullus Davidis filius legatur vocatus « Uriel, » cui quasi fratri sine liberis defuncto Absalom semen suscitare debuerit.

Posset planius dici Maacham dici « filiam, » id est « neptem » Absalomis, more Scripturæ quo nepotes vocantur « filii. » Videtur enim Thamar Absalomis unica filia nupsisse Urieli, ex eoque genuisse Maacham hanc Roboami uxorem, et Abiæ matrem. Id variis conjecturis confirmatur. Nam Uriel Uriel hic fuit de Gabaa, quæ erat urbs in tribu quid? Benjamin, fuit ergo ipse Benjaminita; ergo Uriel non est Absalom : hic enim erat de tribu Juda, æque ac David.

Secundo, quia Thamar videtur fuisse hoc tem-

pore grandævior, quam ut nuberet Roboamo. Nata est enim facile 12 vel 13 annis ante mortem Davidis (nam pater ejus Absalom occisus est novem annis ante mortem Davidis, uti dixi in *Chron. Davidis*, sub finem lib. II *Reg.*). Adde annos 40 regni Salomonis, habebis 52 annos vitæ Thamar. Esto enim Roboam eam videatur duxisse ante mortem Salomonis : nam ex ea genuit Abiam, qui post triennium moriens regni successorem reliquit filium Asa. Roboam autem regnavit 17 annis duntaxat : quare Abia a Roboam ante initum regnum genitus videtur, ut eo moriente esset plusquam 17 annorum : nam post triennium moriens reliquit filium Asa jam grandævum, et habilem ad regnum. Esto, inquam, id ita sit; tamen non videtur diu ante mortem Salomonis eam duxisse, eo quod illam duxerit tertio loco, ut patet II *Paral.* II, 20; filii enim regum ante regnum et ante mortem patris, non solebant multiplicare uxores.

Tertio, quia hæc semper vocatur « Maacha, » nunquam Thamar, ergo non fuit ipsa Thamar, sed Thamaris filia.

Quarto, quia hic vers. 10, de Asa filio Abiæ idem dicitur quod hic de Abia, scilicet : « nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom. » Hæc ergo Maacha vel fuit eadem cum Maacha matre Abiæ, ut dicatur « mater, » id est « avia » Asæ; vel certe fuit ejus soror junior, ait Cajetanus, ut posset duci ab Asa filio Abiæ. Ergo Maacha non fuit Thamar, utpote quæ nullam sororem habuit, sed fuit unica filia Absalomis : fuit ergo Maacha filia Thamaris.

Quinto, id diserte asserit Josephus, qui cum prius Maacham vocasset filiam Absalomis, mox lib. VIII, cap. III, eamdem vocat Absalomis neptem, scilicet ex Uriele et Thamar progenitam.

Vers. 3. 3. AMBULAVITQUE IN OMNIBUS PECCATIS PATRIS SUI, — colendo idola Roboami, permittendo effeminatos, etc., hos cum idolis sustulit filius ejus Asa, ut sequitur.

Vers. 4. 4. DEDIT EI DOMINUS DEUS SUUS LUCERNAM (id est prolem gloriosam et regiam, scilicet) UT SUSCITARET FILIUM EJUS POST EUM (ut Asa filius ei in regno succederet); ET (per eum) STATUERET JERUSALEM, — stabiliendo eam in fide et cultu veri Dei, itaque pariter stabiliendo ejus pacem, opes et regnum.

Vers. 5. 5. EXCEPTO SERMONE (id est re et facto, puta homicidio) URIÆ HETHÆI. — Dices : David multa alia peccata commisit, ut dum ex superbia numeravit populum, quod peccatum Deus punivit peste et morte 70 millium hominum, II *Reg.* XXIV, 15, dum voluit occidere Nabal omnesque ejus domesticos, I *Reg.* XXV, 21, dum Miphiboseth innocenti partem dimidiam facultatum ademit, II *Reg.* XIX, 29. Verum hæc peccata nec tam gravia fuerunt, quam fuit adulterium et homicidium Uriæ, nec tam certa et a vulgo taxata; quin imo habebant velum et prætextum aliquem honestatis et justitiæ, saltem apud homines, qui proinde ea vel excusabant, vel non æstimabant. Hoc vero peccatum contra Uriam ab omnibus habitum fuit ut injustum, enorme et infame; ideoque Deus qui peccata tanta et tam scandalosa non sinit impunita, acriter illud punivit. Ob hoc enim omnia mala Davidi acciderunt, eique dictum est a Deo, quod nunquam recederet gladius a domo ipsius, idque ita accidisse reipsa hic ostendit, dum subdit, inter Roboam et Jeroboam æque ac Abiam perpetua fuisse bella, cædes et spoliationes. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

Vers. 6. 6. ATTAMEN BELLUM FUIT INTER ROBOAM ET JEROBOAM OMNI TEMPORE VITÆ EJUS, — *q. d.* Deus ob merita Davidis voluit ei dari « lucernam, » id est posteritatem regiam, scilicet Salomonem, Roboam et Abiam; sed tamen ob eorum peccata, præsertim idololatriæ, fecit ut perpetua haberent bella cum Jeroboam.

Vers. 7. 7. FUITQUE PRÆLIUM INTER ABIAM ET INTER JEROBOAM. — Illud enarratur fuse II *Paralip.* XIII, ubi dicitur Abiam in aciem eduxisse 400 millia, Jeroboam vero 800 millia, cumque hi utpote plures, illos cingerent, ipsos invocasse Deum, ac ejus ope ex 800 millibus cecidisse 500 millia.

Vers. 10. 10. NOMEN MATRIS EJUS MAACHA FILIA ABESSALOM, — id est Absalom filii Davidis. « Filia, » id est neptis, ut liquet. Hæc enim Maacha mater Asæ, vel est eadem cum Maacha matre Abiæ, ut vult Lyranus et Serarius, ut dicatur « mater, » id est avia Asæ, sicut vers. 3, David dicitur Abiæ « pater, » id est avus; vel potius ejus soror junior, ex eadem matre Thamar Absalomis filia genita, ut ex Cajetano dixi vers. 2, aut certe ejus neptis. *Maacha* Hebraice idem est quod compressio, attritio, fixio, ait Pagninus. Videtur hoc nomen commune fuisse reginis sive filiabus regum Gessur : unde filia regis Gessur, quam duxit David, vocata est Maacha, quæ fuit mater Absalomis, indeque Thamar filia Absalomis suam filiam, quæ nupsit Roboamo, vocavit Maacha, ac ejus sororem, quæ nupsit Abiæ, vocavit quoque Maacha : hanc enim tam Hebræi, quam Septuaginta, Noster et Josephus constanter vocant matrem Asæ. Simili modo S. Paula, Melania, Macrina S. Basilii amita, Eudoxia, Constantia, suum nomen ad filias ac neptes transmiserunt.

Porro nominatur hic Maacha « mater, » vel avia Asæ, ut Asæ insignis virtus et religio ostendatur, quod a tam impia matre educatus, tamen tam pius evaserit, adeoque ipsam matrem a sacerdotio idolorum amoverit. Sic Plinius, lib. VII *epist.*, laudat Quadratum juvenem, quod in deliciis aviæ degens, viveret tamen severissime.

Vers. 13. 13. INSUPER ET MAACHAM MATREM SUAM AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS (sacerdotissa prima) IN SACRIS PRIAPI. — Hebraice ad verbum est, *ne esset domina, quia fecit idolum horrendum* : ubi Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, Pagninus et alii τὸ *ne esset domina*, exponunt, *ne esset regina*, ne regeret regnum. Unde et Noster, II *Paralip.* XV, 16, vertit,

sed et Maacham matrem Asa regis de augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi. Hic tamen vertit, *ne esset princeps in sacris Priapi;* hic enim principatus sacrorum Priapi apud Judæos et idololatras erat augustum imperium, et summa dignitas, ut אשר *ascer*, id est *quia, quod*, capiatur pro באשר *baascer*, id est *in eo quod fecit idolum*, puta in cultura suo Priapi. Pro *Priapi* Hebraice est מפלצת *miphletset*, id est *tremor*, horror; sic vocatus Priapus, tum quia pingebatur vel sculpebatur turpi et horrenda forma; tum quia horrore suo terrorem incutiebat furibus et avibus volentibus deprædari hortos, quorum ipse erat deus et tutor; unde illud Horatii, lib. I, satyra 8 *De Priapo* :

> Deus inde ergo furum aviumque
> Maxima formido.

Hinc et ab Hebræo *miphletset*, Priapus Latine dictus est *Phallus et Mutinus* : sic enim eum appellat Juvenalis, *Satyra* 5, Virgilius et Ovidius. Ita Serarius, Vatablus et Sanchez. Fuit ergo Maacha obscena et sacrilega, imo obscenitatis et sacrilegii princeps, ac meretricum et scortorum regina, ideoque suo Priapo sacravit lucum; quia libido, utpote pudenda, quærit lucos, id est sylvas umbrosas et tenebras, quibus suam turpitudinem tegat. Unde « lucus » dicitur per antiphrasin, eo quod luce careat, sitque opacus. Ita Eucherius.

Porro Hebræi coluerunt Priapum nomine Beelphegor, quasi deum obscenitatis, ritibus et actibus obscenissimis. Vide dicta *Numer.* XXV, 3. Fecit autem hæc Asa initio regni, cum esset pene puer; eo major fuit ejus zelus et pietas. Quocirca Deus hunc Asæ zelum remuneratus est : *primo*, pace felici et longa; *secundo*, ædificatione multarum urbium; *tertio*, victoria illustri, qua decies centena millia Æthiopum prostravit, II *Paral.* XIV, 7.

Vers. 14. 14. EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. — Abulensis per « excelsa » accipit templa a Salomone exstructa idolis, quæ manserunt usque ad Josiam, qui ea evertit; qua in re, inquit, non peccavit Asa, nec Josaphat, nec Ezechias, quia templa hæc jam eviluerant, erantque clausa, nec in eis colebantur idola; quare cum jam non essent amplius scandalosa, permissa sunt ad futuram rei gestæ memoriam.

Melius Cajetanus « excelsa, » intelligit templa in montibus et locis excelsis Deo vero dicata, in quibus Israelitæ Deo vero sacrificabant, quæ licet a Deo essent vetita, prudenter tamen ea permisit Asa, ne populi delectatio et consuetudo immolandi in excelsis cum abduceret a cultu Dei ad idololatriam : zelosi tamen reges, quales fuere Ezechias et Josias, eadem sustulerunt : quanquam dici posset Asa peccasse, quod excelsa permiserit, sicut in pluribus aliis peccavit, uti jam dicam.

VERUMTAMEN COR ASA PERFECTUM ERAT CUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS SUIS. — « Perfectum, » intellige in fide et cultu unius veri Dei, ac in extirpatione idololatriæ; nam in aliis multis peccavit Asa, ut cum ægrotans non speravit in Domino, sed confisus est in arte medicorum, de quo mox. Item cum diffidens Deo vasa sacra dedit regi Syriæ vers. 18, ad evadendum bellum regis Israel. Rursum, cum prophetam se increpantem conjecit in nervum, id est in carcerem, et vincula, multosque e populo interfecit, II *Paral.* XVI, 10. Vide Abulensem, *Quæst.* XVIII.

Vers. 15. 15. ET INTULIT EA QUÆ SANCTIFICAVERAT (id est dicaverat, consecraverat) PATER SUUS, ET VOVERAT IN DOMUM DOMINI.

Vers. 18. 18. AURUM QUOD REMANSERAT IN THESAURIS DOMUS DOMINI (aurum templi) etc., MISIT AD BENADAD. — Peccavit hac in re Asa, tum quod aurum templi usurparit et alienarit; tum quod magis in Benadad impio, quam in Deo spem reposuerit, ideoque increpitus est a propheta, II *Paral.* XV, 1.

Vers. 23. 23. VERUMTAMEN IN TEMPORE SENECTUTIS SUÆ DOLUIT PEDES. — Res hæc fusius narratur II *Paral.* XVI, 12 : « Ægrotavit, inquit, Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum (podagra) vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est; » ideoque mortuus : unde illico subjungitur : « Dormivitque cum patribus suis et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jehu filius Hanani propheta Baasæ regi Israel minatur exitium, ideoque ab ejus filio Ela occiditur : hinc, vers. 9, Ela a Zambri regno et vita mulctatur. Mox, vers. 16, Zambri obsessus ab Amri se cum domo succendit. Inde, vers. 24, Amri rex creatus ædificat Samariam. Denique, vers. 29, Amri morienti succedit impius Achab cum sua Jezabele. Additur, vers. ult., Hiel ædificasse Jericho, ideoque filios omnes amisisse.

1. Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Anani contra Baasa, dicens : 2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem

ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum. 3. Ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus : et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat. 4. Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes : et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli. 5. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit, et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa : et regnavit Ela filius ejus pro eo. 7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, et contra domum ejus, et contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam : ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani, prophetam. 8. Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. 9. Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum : erat autem Ela in Thersa bibens, et temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa 10. Irruens ergo Zambri, percussit et occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo. 11. Cumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, et propinquos et amicos ejus. 12. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ. 13. Propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 14. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 15. Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa : porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philistinorum. 16. Cumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. 17. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa. 18. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia, et mortuus est, 19. in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israel. 20. Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum ejus, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 21. Tunc divisus est populus Israel in duas partes : media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem : et media pars Amri. 22. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth : mortuusque est Thebni, et regnavit Amri. 23. Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israel, duodecim annis : in Thersa regnavit sex annis. 24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti : et ædificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam exstruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, et in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israel : ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 27. Reliqua autem sermonum Amri et prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 28. Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria : regnavitque Achab filius ejus pro eo. 29. Achab vero filius Amri regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti et duobus annis. 30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. 31. Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat : insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum. 32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, 33. et plantavit lucum : et

addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum. 34. In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel, Jericho : in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus : juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.

Vers. 2. 2. TU AUTEM AMBULASTI IN VIA JEROBOAM, — *q. d.* Tu secutus es ejus idololatriam, et coegisti populum adadorandum vitulos aureos a Jeroboam in idola erectos.

Vers. 3. 3. ET FACIAM DOMUM TUAM SICUT DOMUM JEROBOAM, — *q. d.* Sicut per te funditus excidi familiam Jeroboam ob idololatriam vitulorum, sic ob eamdem stirpitus evertam tuam progeniem per Zambri, tuo filio Elæ rebellantem vers. 9. Mira fuit perversitas et stoliditas regum Israel, quod, cum viderent jussu Dei plane everti familias regum præcedentium ob cultum vitulorum, imo ipsi easdem everterent, ipsi tamen eosdem vitulos colerent, et colendos proponerent populo, ne ad templum, et Asa regem Jerusalem rediret; esto reclamarent prophetæ, et excidium eis minarentur, nimirum diabolus et ambitio regnandi excæcabat et dementabat eos. Hinc justo Dei judicio factum est, ut omnes sibi invicem fuerint carnifices : Baasa enim fuit carnifex filiorum Jeroboam, Zambri fuit carnifex filiorum Baasæ, Zambri vero carnifex fuit Amri : sic apud Romanos Julius Cæsar sustulit Pompeium, Julium Brutus et Cassius, hos Augustus. Mox Neronem ad necem adegit Senatus, Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, Titum Domitianus, Domitianum Nerva et Trajanus, uti narrat Sextus Aurelius Victor in *Epitome Cæsarum* : ecce hic verum illud Juvenalis :

> Ad generum Cæreris (Plutonem) sine cæde et sanguine pauci
> Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Unde de Galba dixit Tacitus : « Omnium consensu capax imperii nisi imperasset. » De Vespasiano vero : Solus imperantium, inquit, mutatus in melius. » Sed hac de re fusior erit sermo vers. 31 in Achab.

Vers. 5. 5. SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM ISRAEL, — puta in Diariis et Annalibus regum Israel, ut superius dixi.

Vers. 7. 7. OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, — puta ob prophetiam, qua Elæ idololatræ intentabat excidium. Fuit ergo Jehu hic vere propheta æque ac martyr, ac prophetia eum martyrem effecit.

Vers. 9. 9. ET REBELLAVIT CONTRA EUM SERVUS SUUS ZAMBRI. — Nota hic justa Dei judicia in reges infideles et idololatras : quia enim Ela rebellavit Deo summo Domino suo; hinc justa Dei vindicta ei vicissim rebellavit servus et chiliarcha suus Zambri : sicut Ela occidit Jehu prophetam Dei, sic et ipse occisus est a Zambri Dei nutu.

Vers. 18. 18. VIDENS AUTEM ZAMBRI QUOD EXPUGNANDA ESSET CIVITAS, INGRESSUS EST PALATIUM, ET SUCCENDIT SE CUM DOMO REGIA. — Nimirum Zambri tyrannus ambiens aulam, invenit urnam, ac ascendens in regiam resiliit in pyram. Idem fecit Sardanapalus ultimus rex Assyriorum, qui in Ninive obsessus ab Arbaco militiæ suæ Præfecto, ne in ejus manus veniret, rogum in regia ingentem exstruxit, quo aurum et argentum omne, et quidquid erat regiæ supellectilis congessit. Tum concubinis et eunuchis in domunculam, quam in medio pyræ exstruxerat, conclusis, se regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. Ita Diodorus, Justinus, Strabo, et cæteri passim. Sic uxor Asdrubalis capta a Scipione incensaque Carthagine, dextra lævaque tres filios mortem non recusantes trahens, « incendio se flagrantis patriæ objecit, » ait Valerius Maximus, lib. II, cap. II. Sic Numantini per 14 annos a Romanis obsessi, cum fame deficerent, maluerunt se suaque omnia incendere, quam Scipioni se tradere. Vide Florum, lib. II.

Vers. 22. 22. MORTUUSQUE EST THEBNI, occisus a factione adversa Amri, teste Josepho. Addunt Septuaginta fratrem quoque Thebni occisum, nomine Joramum.

Vers. 23. 23. ANNO TRIGESIMO PRIMO ASA REGIS JUDA REGNAVIT AMRI SUPER ISRAEL. Licet enim Amri occiso Zambri, a populo acclamatus sit rex anno 27 Asæ, uti dictum est vers. 15 et 16, tamen regni æmulum habuit Thebni, cum quo colluctatus est per quinque annos, donec eo mortuo solus regnavit, quod factum anno 31 Asæ, ut hic dicitur. Ita Abulensis, Richardus de S. Victore, Torniellus, Salianus et alii. Unde explicans subdit : SUPER ISRAEL REGNAVIT DUODECIM ANNIS : — cœpit enim regnare mortuo Zambri anno 27 Asæ, ut dictum est vers. 15 et 16; mortuus est autem anno 38 Asæ, ut dicitur vers. 29, jam a 27 anno Asæ usque ad 38 sunt 12 anni inclusive. Vide hic, ut Deus prolonget regna piorum regum, abbreviet vero impiorum. Ecce tibi Asa 41 annis regnavit in Juda, quibus annis octo reges successive regnarunt in Israel, scilicet Jeroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Thebni, Amri et Achab, quorum omnium ortus et occasus (excepto Achab) vidit Asa.

IN THERSA REGNAVIT SEX ANNIS. — « Thersa » ante Amri erat metropolis et regia regum Israel. Quare in ea regnavit Amri quinque annis, quibus cum Thebni de regno contendit, eo vero mortuo, anno sexto regni sui ex Thersa regiam transtulit in Samariam, quam ædificavit, ut sequitur, ibique regnavit aliis sex annis, hoc est universim tam in Thersa quam in Samaria, 12 annis, uti dictum est. Causa translationis fuit, quod Zambri regiam in Thersa secum combussisset, moxque urbs capta ab Amri, spoliata et vastata fuisset, ut

dictum est vers. 18. Rursum, quod Samaria ob montem cui insidebat, munitior foret. Unde ipsa diu hostium postea eam obsidentium insultus sustinuit. Ita Salianus. His ergo de causis Amri ex Thersa regnum et regiam transtulit in Samariam.

Vers. 24. 24. EMITQUE MONTEM SAMARIÆ A SOMER (nomen est viri, qui erat dominus montis) DUOBUS TALENTIS ARGENTI. — Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum, sive mille quingentas uncias (siclus enim est semuncia) quæ faciunt 12 millia drachmarum. Drachma argenti est julius Romanus, sive regalis Hispanicus, quare talentum argenti continebat tria millia florenorum Brabanticorum, sive Francorum Gallicorum, quæ faciunt aureos Romanos mille ducentos : ergo duo talenta argenti faciunt 6 millia florenorum Brabanticorum, quæ conficiunt bis mille et quadringentos aureos.

ET VOCAVIT NOMEN CIVITATIS, QUAM EXSTRUXERAT, NOMINE SEMER (vel Somer) DOMINI MONTIS, SAMARIAM. — Putant aliqui prius Samariam fuisse ædificatam, nam nominis Samariæ mentio facta est cap. XIII, vers. 32, sed hic urbi veteri ab Amri adjunctum fuisse montem vicinum, et civitatem eousque extensam, ac totam deinde vocatam Samariam. Ita Sanchez. Alii vero putant urbem totam primitus ædificatam ab Amri, ac nominatam Samariam : quare cap. XIII per anticipationem vocari Samariam, eo quod postea cum Auctor libri hæc scribebat vocata sit Samaria. Hæc est celebris illa metropolis regum Israel, contra quam detonat Isaias cæterique prophetæ.

Vers. 31. 31. ET ABIIT ET SERVIVIT BAAL. — « Baal, » sive « Bal, Bel, et Belus, » est Jupiter Belus, puta « Nemrod. » Nemrod enim est Belus, qui fuit pater Nini primi regis Assyriorum, a quo condita et appellata fuit « Ninive, » cujus uxor fuit Semiramis. Nemrod ergo dictus est « Baal, » id est dominus; fuitque auctor idololatriæ sub annum trecentesimum a diluvio, ut dixi *Genes.* X, 9. Unde ab eo cæteri deinceps gentium dii et idola dicta, vel agnominata sunt « Baal » vel « Baalim. » Unde Abulensis in lib. IV *Reg.* cap. III, *Quæst.* III, censet Baal hunc Sidoniorum et Tyriorum fuisse Herculem, hic enim apud eos magno in honore fuit. Unde Hiram rex Tyri tempore Salomonis eidem statuam erexit teste Josepho, lib. VIII, cap. II. Hinc in Tyro quinquennales ludi Herculi celebrabantur, ut patet II *Machab.* IV, 18, ergo idolis et vitulis Jeroboam adjunxit idolum Baal sive Jovis Beli, quod more gentis suæ Sidoniæ colebat Jezabel ejus uxor.

Tragica est impiorum regum vita. Tropologice, hinc disce quam Deo invisa, ideoque infelix sit impietas, nimirum quod continua et funestissima sit tragœdia impiorum principum vita; pauca ex dictis cap. XII, XV, XVI, et lib. IV, cap. IX, X, XI, XV, hæc tragica accipe.

Exempla. Postquam occupavit regnum Israel Jeroboam propter delictum Salomonis, vindicatum per eum in persona Roboam filii ejus, translatis decem tribubus in Jeroboam, regnavit et filius ejus in Israel. Vindicta in persona filii successit, et ipse cum omni semine et domo Nabat erasus fuit per regem novum Baasa. Baasa tyranni finita potestas in filio Ela, qui necatus est cum omni semine per Zambri ejus servum. Zambri tantum per septem dies regnavit, et obsessus ab Amri, coactus se in palatio comburere sustulit regiam progeniem. Amri et Achab stirpem sustulit Jehu, servus Joram regis, qui erat ex progenie Achab. Advenit autem in quarta generatione vindicta super progeniem Jehu, juxta verbum Domini, et ideo Zacharias, qui ex Jehu descenderat, obtruncatus est a servo suo, nomine Sellum, qui tantum regnavit pro eo in Israel per unum mensem, occisus pariter a Manahen filio Gadi in Thersa, qui regnavit pro eo decem annis in Israel, et post eum Phaceia filius ejus biennio tantum : nam eum occidit Phaceas filius Romeliæ dux ejus; sed et hunc occidit Oseas filius Ela, hic autem translatus cum populo in Assyrios. Sic Saladinus, ait Æmilius, lib. VI, domito Oriente tandem mortuus, et omnes ejus filii a patruo eorum necati; uno evadente tantum e manibus Sephadmi patrui. Vetus est dictum, tyrannos principes quam rarissime senescere, propter varia pericula quibus involvuntur, et quam ægerrime communem livoris et periculi sortem possunt evadere, et paucissimi omnino fuerunt qui suo fato seu morte naturali perierunt. Quare et Saturninus apud Flavium Vopiscum cum a suis purpura esset indutus : « Nescitis, inquit, amici, quid mali sit imperare. Nam et gladii tela cervicibus nostris impendent, imminent hastæ, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur : non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur : senex est quispiam, inhabilis videtur : si juvenis, inest furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis : sed habeo solatium hoc mortis, solus perire non potero. » Subit mentem quod Ælianus lepide refert de tyrannis ex Æsopi scriptis : si quis suem comprehendat, eam vociferari, idque non temere. Etenim cum nec lanam portet, neque quidquam aliud ejus generis, statim conjectura mortem augurari, scientem seipsam usui et esui esse capientibus. Similes autem videri suibus tyrannos; qui semper in suspicionibus et metu versantur, cum sciant sicut sues, suam vitam solam omnibus deberi. Ita Ælianus, lib. IX *Var. Histor.*

Vers. 34. 34. IN DIEBUS EJUS ÆDIFICAVIT HIEL DE BETHEL, JERICHO : IN ABIRAM PRIMITIVO SUO FUNDAVIT EAM, ET IN SEGUB NOVISSIMO SUO POSUIT PORTAS EJUS : JUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS FUERAT IN MANU JOSUE. — Josue evertens Jericho statuit eam anathema, ac maledixit ei qui illam reædificare vellet, dicens cap. VI. vers. 26 : « Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit urbem

Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. » Quare nemo usque ad tempora Achab ausus fuit reædificare Jericho, tunc autem id ausus fuit Hiel illectus fertilitate loci. Jericho enim erat fecundissima et amœnissima, adeoque sola proferebat balsamum. Addit hoc Scriptura, ut indicet quanta fuerit sub Achab scelerato idololatra Dei et prophetarum oblivio, ac quam corrupti mores avaritia : hæc enim stimulavit Hiel ad reædificandum Jericho contra jussum Josue. Rursum ut ejus punitione terreret Achab et idololatras. Si enim Hiel ob reædificatam Jericho contra jussum Josue, mulctatus est filiis omnibus, multo magis filiis omnibus se mulctandum a Deo cogitare debebat Achab, qui in Dei injuriam Baalem suum pro Deo coli volebat.

IN ABIRAM PRIMOGENITO SUO FUNDAVIT EAM, ET IN SEGUB NOVISSIMO SUO POSUIT PORTAS EJUS, — *q. d.* Hiel jaciens fundamenta Jericho, statim perdidit filium suum primogenitum, nomine « Abiram : » deinde pergens illam ædificare, ex ordine perdidit cæteros usque ad ultimum « Segub, » quem amisit dum portas urbis locaret. Quantum ergo crescebat Jericho, tantum decrescebat familia Hiel, adeoque ipsa perfecta, plane hæc exstincta est, *mira pertinacia,* ait Rupertus, *fulciente conditoris nomen, ut totum quod cum effectu perderet genitoris honorem.* Ubi mira apparet Hielis cæcitas, avaritia et ambitio, qui cum videret in se impleri minas Josue, ac sensim filios suos omnes emori, ab ædificatione tamen urbis non destitit, malens eam perficere cum amissione omnium filiorum, quam illa omissa filios in vita retinere ; forte etiam hoc fecit ut placeret impio Achab, eique ostenderet se, æque ac ipsum, esse Dei et prophetarum ejus contemptorem.

Tropologice Eucherius : « Ille, inquit, qui postquam in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis condonaverat, redit, quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit : cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ, qua imbutus est, quasi de Bethel egrediens ruinas Jericho resuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, et primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, et novissimum in portarum positione amittit, quia et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoare, et claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdit. » Eadem ad verbum habet Angelomus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias inducit Israeli siccitatem et sterilitatem. Unde jussu Dei in torrente Carith se abscondit, pasciturque a corvis. Mox, vers. 10, *in Sarephta, viduæ farinam in hydria, et oleum in lecytho multiplicat. Denique, vers.* 17, *filium ejus mortuum, expandens se super eum, ad vitam revocat.*

1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. 2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens : 3. Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, 4. et ibi de torrente bibes : corvisque præcepi ut pascant te ibi. 5. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini : cumque abiisset, sedit in torrente Carith qui est contra Jordanem. 6. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente. 7. Post dies autem siccatus est torrens : non enim pluerat super terram. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum dicens : 9. Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. 10. Surrexit, et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. 12. Quæ respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho : en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. 13. Ad quam Elias ait : Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti : verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem

et filio tuo facies postea. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. 15. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ : et comedit ipse, et illa, et domus ejus : et ex illa die, 16. hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matris familias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias : Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. 20. Et clamavit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus? 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. 23. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi : En vivit filius tuus 24. Dixitque mulier ad Eliam : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

Vers. 1. 1. ET DIXIT ELIAS THESBITES DE HABITATORIBUS GALAAD AD ACHAB. — Quæres *primo*, cur Deus suscitarit Eliam, eumque miserit ad Achab? Respondeo, ut ejus æque ac Jezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimeret et restingueret, ac Israelem in vera unius Dei fide et religione conservaret, ideoque eum armavit zelo et spiritu fortitudinis admirabili, ut solus ipse se opponeret tyrannis, sacerdotibus et idololatris omnibus. Sic Pharaone opprimente fideles Hebræos, Deus suscitavit Moysen, qui se illi opponeret, et populum ex ejus servitute educeret. Sic Jeroboam vitulos pro diis erigenti opposuit Ahiam prophetam, Manassi Isaiam, Antiocho Machabæos. Sic toti orbi pene Ariano unum opposuit Athanasium fidei Orthodoxæ atlantem, Pelagianis S. Augustinum; Nestorianis S. Cyrillum, Iconomachis S. Joannem Damascenum, Albigensibus S. Dominicum, Lutheranis et Calvinistis S. Ignatium et similes. Fuit ergo Elias (quod S. Bernardus scribit Eugenio Pontifici in fine lib. IV *De Consider.*) « forma justitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatus, judex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sal terræ, orbis lumen, propheta Altissimi, præcursor Christi, Christus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen. »

Eliæ elogia.

Eliæ etymon Primo. Quæres *secundo*, quid significet Elias? Respondeo, *Elias* Hebraice dicitur אליהו *Eliahu*, id est *Deus Domini*, vel potius *Deus meus Dominus*, ait Pagninus. Aut, *q. d. El ia hu*, id est *potens est Deus ipse. El* enim est nomen Dei, qua fortis est et potens ad omnia debellandum : *ia* est abreviatum *Jehova; hu* est *ipse*. Eliæ enim officium fuit ostendere Achab et Israeli non Baal, sed Deum Israelis esse verum Deum, fortem, et omnipotentem omnium Dominum. Ita S. Hieronymus, Angelomus et alii. Unde Hebræi censent Eliæ nomen sumptum ex illa populi ad Eliam acclamatione : « Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus, » cap. XVIII, vers. 39, nam antea eum vocatum fuisse *Iaberscyth*, tradunt iidem in *Genesi magna*, cap. XXVII. Hinc S. Hieronymus, *Michææ* cap. V : « Elias, inquit, idem est quod Dominus Deus. » Secundo.

Audi S. Isidorum, lib. VII *Orig.* cap. VIII : « Elias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsagio sic vocatur. Nam dum altercaretur in sacerdotio cum quadringentis sacerdotibus Baal, invocato nomine Domini, descendit ignis de cœlo super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait : Dominus ipse est Deus. Ex hac ergo causa tale prius nomen accepit, pro eo quod per eum postea cognoverit populus Dominum Deum : idem et fortis Dominus interpretatur, vel propterea quod interfecit eosdem sacerdotes, vel propterea quod Achabi adversitatem toleravit. »

Rursum, « Elias » idem est quod « fortis Domini, » ait S. Hieronymus, vel « Deus Domini, » ait Pagninus, quia sicut Moyses a Domino constitutus est Deus Pharaonis, *Exodi* VII, 1; sic ab eodem Elias constitutus est Deus Achabi et Jezabelis : sicut enim Moyses decem plagas cœlestes et terrestres infligens Pharaoni, coegit eum dimittere Hebræos : sic et Elias omnia elementa commovit per stupenda miracula, quasi eorum esset Deus et Dominus, quibus Achab et Baalitas perculit, imo occidit. Tertio.

Aliam causam tropologicam dat S. Ambrosius, lib. I *De Cain* cap. II, ubi Eliam hisce elogiis or- Tropologice.

nat : » Victor passionum, inquit, nec ullis captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat, et ideo non legimus de eo sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est. » Deo enim persimilis est, qui ab omni vitio purus et sanctus est. Audi S. Dionysium, epist. ult. *ad S. Joannem Evangelistam,* Quæst. X : « Quicumque viri studiosi sunt, ab omni quidem rerum corporearum voluptate abducuntur; liberi autem ab omnibus malis, Deique amore impulsi, omnium bonorum pacem diligunt et sanctimoniam; atque ab hac vita principium futuræ faciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur cum omni animi tranquillitate, Dei nominis appellatione digni, cum benignitate cæterisque virtutibus, » etc. Rursum, Eliæ competit fortitudo Dei, quam depingens Isaias, cap. XXV, vers. 4, ait : « Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut æstus in siti tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. » Simili enim fortitudine Elias dejecit Achab, Jezabelem et Baalitas, juxta illud *Eccli.* XLVIII, 2 : « Irritantes illum (Eliam) invidia sua, pauci facti sunt; non enim poterant sustinere præcepta Domini. » Et paulo post : « Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. »

Elias ἥλιος, id est, Sol.

Porro Beda et Angelomus in lib. IV *Reg.* cap. XXIII, quin et S. Chrysostomus, hom. 3 *De Elia,* asserunt *Eliam* dici quasi ἥλιον, id est solem, eo quod ipse fuerit sol Israelis et curru igneo vectus sit in cœlum, indeque a poetis fingi solem vehi curru igneo, quem quia Phaethon solis filius regere nescivit, hinc se et orbem combussit, de quo plura, lib. IV, cap. II. Hæc per allusionem dicuntur : constat enim *Elias* esse nomen Hebræum, non Græcum. Simili modo Nazianzenus Hebraicum nomen *pascha* derivat a Græco πάσχω, id est patior, quod in paschate passus sit Christus.

Eliæ dotes.

Quæres *tertio,* quæ fuerint eximiæ virtutes et dotes Eliæ, quibus debellavit idololatriam? Respondeo, *prima* ejus dos fuit vitæ innocentia, austeritas et sanctitas. Audi S. Isidorum, lib. *De Ortu et interitu prophet.,* cap. XXXV : « Elias, inquit, sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. »

Prima.

Secunda.

Secunda Eliæ dos fuit solitudo et contemplatio. Secedens enim in Carmelum vacabat orationi et contemplationi, ibique Eliseum et alios discipulos collegit quasi auctor vitæ monasticæ et eremiticæ. Unde Carmelitæ suum nomen et institutum ab Elia in monte Carmelo accepisse profitentur, de quo plura cap. XVIII.

Tertia.

Tertia fuit ejus dicendi et arguendi libertas, qua inter cætera ait Achab regi et Jezabeli in faciem, quod venundati sunt sub peccato, et quod Deus omnem eorum stirpem exscindet, quodque canes lingent sanguinem Jezabelis, cap. XXI, 20.

Quarta.

Quarta, invicta animi patientia et fortitudo, qua omnes regum et idololatrarum persecutiones generose sustinuit et superavit, imo omnes sacerdotes Baal occidit, cap. XVIII.

Quinta.

Quinta, zelus honoris et cultus divini, qui eum ad omnia certamina cum rege et Baalitis ineunda compulit, unde ipse ad Deum ait : « Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, etc., prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, » cap. XIX, vers. 14. Hinc Elias a nonnullis vocatur Angelus; ac de Joanne Baptista ait Angelus, quod præcedet Christum « in spiritu et virtute Eliæ, » *Lucæ* I. Hinc raptus est Elias, ut præcurrat Christum ad judicium, certetque contra Antichristum, a quo proinde occidetur, et martyrio laureabitur Jerosolymæ; sed tertia die coram toto populo gloriose a morte resurget et conscendet in cœlum, uti dixi *Apocal.* II, 3. Denique vide elogia Eliæ apud *Eccli.* cap. XLVIII, 1 : « Surrexit, inquit, Elias quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat. » Vide ibi dicta. Fuit enim Elias totus igneus et fulmineus.

Hinc allegorice Elias fuit typus Christi, qui vere fuit « Elias, » id est « Dominus Deus. » Christus, enim, instar Eliæ magna certamina habuit de fide Messiæ cum Scribis et Pharisæis, ac continuas ab eis persecutiones sustinuit, tandemque mortem crucis, sed ab ea die tertia gloriosus resurrexit, et die 40 in cœlum conscendit. Ita Angelomus, Eucherius, Rupertus et alii.

Sexta.

Denique Elias fuit dux et princeps Prophetarum cæterorum : atque hac de causa una cum Moyse legislatore apparuit in transfiguratione Christi, eique nomine omnium prophetarum testimonium perhibuit, quod ipse verus esset Messias ab eis prophetatus, *Matth.* XVII.

THESBITES,—oriundus ex Thesba vel Thesbe vico, sito in tribu Gad inter Jaaba et Saron, ait Adrichomius in *Descript. terræ Sanctæ.* Hinc S. Epiphanius, Dorotheus, Isidorus, Metaphrastes et alii in Vita Eliæ docent Eliam natum in Thesbe, quæ Arabiæ est contermina. Audi S. Epiphanium : « Elias ex Thesbis erat e continente Arabiæ : morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes sacerdotibus consecratæ ac destinatæ. » Sed clarius Metaphrastes : « Elias, inquit, a sacerdotibus (Hierosolymitanis scilicet, ad quos de visione consulendos Sobachus parens profectus est) appellatus est Thesbites, eo quod esset domus, quæ sorte obtigerat sacerdotibus in qua is habitabat,

virtutem exercens ab adolescentia, et flammeam efficiens animam per ignem spirantem Spiritus Sancti gratiam. »

Falluntur ergo Abulensis, Hugo, Lyranus, qui censent Eliam oriundum ex urbe Thebe, in qua occubuit Abimelech Gedeonis filius, *Judic.* IX, 50. Thebe enim erat in tribu Ephraim juxta Sichem, Thesbe vero patria Eliæ erat trans Jordanem in Galaadite, puta in tribu Gad. Quare Elias videtur fuisse Gaddita, indeque nascendo viriles, fortes et militares hausisse spiritus. Tales enim erant Gadditæ juxta illud *Genesis* XLIX, 19 : « Gad accinctus (hoc enim Hebraice significat *Gad*) præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum. »

Porro, *Thesbites* Hebraice idem est quod *captivans*, vel *convertens*, ait Angelomus et alii. Elias enim captivavit et « convertit cor patrum in filios, et cor filiorum ad patres eorum, » ut ait *Malach.* cap. IV, vers. 6. De nativitate et educatione Eliæ hæc habet Dorotheus in ejus Vita : « Cum nasciturus esset Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, et igne tanquam fasciis involvi, et flamma ignis veluti cibo ali, et Hierosolymam profectus, rem istam indicavit, dictumque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret, firmam sententiam haberent, judicaretque Israelem in gladio et igne. » Eadem habet S. Epiphanius et Metaphrastes in *Vita Eliæ*. Hinc Eliam perpetuam coluisse virginitatem consentiunt Patres, scilicet S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* et ad Eustochium, *De Custod. Virgin.*, Ambrosius, lib. I *De Virgin.* Idem asserit S. Chrysostomus, lib. *De Virgin.* tomo V, S. Ephrem non uno loco : pulchre *Parœn.* I, tomo II, fol. 90, ait : « Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cœlum cum Elia vehens; » et fol. 91 : « Elias te sua pelle caprina cooperiens in cœlos introducet. »

Elias igne vestitus et alitus.

Virgines quoque vel cælebes fuisse Eliseum cæterosque Eliæ discipulos, non est dubium : quin et ex ipsis plura pro vera Dei religione a Jezabele occisos martyrii lauream adeptos esse, satis liquet ex cap. XVIII, vers. 13.

Porro, Elias non videtur fuisse sacerdos, ait Abulensis, Sanchez et alii, quia non oriundus ex Levi, sex ex Gad : unde et Scriptura nusquam eum vocat sacerdotem, uti vocat Jeremiam et Zachariam patrem Joannis Baptistæ. S. Epiphanius tamen, S. Isidorus et alii eum vocant sacerdotem, ortumque ex Levi, quia Levitæ et sacerdotes, cum propriam non haberent possessionem, spargebantur per omnes tribus, ut eas in fide et Dei cultu erudirent. Poterat ergo in tribu Gad nasci Elias Levita.

Denique Hebræi censent Eliam esse Phinees, filium Eleazari filii Aaron, sed errant, ut ostendi *Numer.* XXV.

DE HABITATORIBUS GALAAD. — Migravit Elias a patria sua Thesbe in vicinam Galaaditim. Cur? Respondeo primo, quia Galaaditæ tunc valde corruptis erant moribus, idololatræ et homicidæ. Ivit ergo ad eos Elias, ut ipsos per se et suos discipulos ad meliorem frugem revocaret. Id liquet ex Osee propheta, qui sub Ozia rege paulo post Eliam prophetavit, ac cap. VI, vers. 8, sic ait : « Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem. » Vide ibi dicta.

Rursum, Galaad erat ferax resinæ, opobalsami et aliorum aromatum, ex quibus conficiuntur emplastra et medicinæ ad curandos morbos et vulnera. Hinc repræsentat Prophetas, qui quasi medici spiritales animarum vulnera et ægritudines curant. Hoc est, quod ait Jeremias, cap. VIII, vers. 22 : « Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? » Unde ibi Chaldæus Paraphrastes vertit, *Desiderabam doctrinam Eliæ prophetæ, qui fuit de Galaad, cujus verba erant medicinæ*. Elias ergo et Elisæus, uti in Carmelo, Bethel, Jericho, Galgalis, sic et in Galaad commorati sunt, ut incolas ad verum Dei cultum traducerent, ut « ubi superabundavit delictum, superabundaret gratia, » *Rom.* cap. V, 20, ideoque hisce in locis Collegia discipulorum, qui proinde « filii prophetarum » vocantur, instituit : unde ad eos spectat illud *Cantic.* IV, 1 : « Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. » Hac de causa Elias rapiendus in cœlum, Collegia hæc in Bethel, Jericho, Galgalis, etc., obivit IV *Reg.* XXII, ut suis discipulis valediceret, eosque in aspero vitæ eremiticæ et cœnobiticæ studio prosequendo confirmaret. Ita Abulensis.

VIVIT DOMINUS DEUS ISRAEL; IN CUJUS CONSPECTU STO, SI ERIT ANNIS HIS ROS ET PLUVIA, NISI JUXTA ORIS MEI VERBA. — Non dubium est Eliam zelo æstuantem prius Achab regem monuisse de abdicando cultu Baal, et colendo Deo vero : sed cum ille surdas adhiberet aures, Elias a verbis ad verbera venit, ac totam terram percussit sterilitate, ut Achab et idololatræ discerent non Baal, uti ipsi putabant, sed Deum verum dare pluviam, messem cæteraque terræ bona, ideoque ad hæc obtinenda eum invocarent, non Baal; ait ergo : « Vivit Dominus, » id est juro per vitam Dei, quod non erit pluvia fecundans terram, nisi juxta meum beneplacitum, quando scilicet ego precibus meis cœlum ad pluendum aperiam, sicut nunc illud precibus meis clausi : Eliam enim precibus hæc omnia a Deo impetrasse docet Jacobus in *epist.* cap. V, vers. 17 : « Elias, inquit, homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. »

IN CUJUS CONSPECTU STO. — Septuaginta, *cui astiti coram eo;* Chaldæi, *ante quem ministro, q. d.* Ego semper mente Deum habeo præsentem, conorque

illum amare, laudare, revereri, eique per omnia placere, ideoque illum invocavi et invoco, ut mihi hanc potestatem sistendi laxandique pluvias, ad evertendum cultum Baal, concedat, uti de facto concessit. Nec enim Elias juraret ita fore, nisi Deus ei id concessisset, eumque fecisset quasi Dominum aeris. Unde exclamat Eucherius : « Magna vis propheticæ dignitatis, humanus sermo est, divinus effectus. In terris homo loquitur, et imperio ejus cœlestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam unus sermo prophetæ, et miro modo humi sonans aera cœlumque concussit, turbatus est humani ministerii ordo, et a sæculis instituta elementorum harmonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur : sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiat conditoris. »

SI ERIT ANNIS HIS ROS ET PLUVIA. — Hebraice *si* idem est quod *non*. Causam dat Auctor *De Mirabil. Script.* lib. II, cap. XV : « Quatenus, inquit, qui Deum per mala in terra exacerbassent, cœli clementia et aeris commoditate carerent. »

NISI JUXTA ORIS MEI VERBA, — ut nulla futura sit pluvia, nisi quando ego verbis et precibus meis illam adduxero. Concionatorie S. Chrysostomus, hom. 1 *De Elia*, ait eum ex rigido zelo vindicandi idololatriam, noluisse Deo (utpote quem misericordem, facile precibus flectendum ad dandam veniam et pluviam sciebat) relinqui, sed sibi reservari; utpote qui jam mentem obfirmarat de non danda idololatris venia, nec pluvia. Quare ipsum tamdiu precibus Deum fatigasse, donec id ei concederet, quo obtento constanter et severe edixisse : Juro per Deum, quod non pluet nisi quando ego voluero : non volam autem nisi sacerdotibus Baalitis occisis, et cultu Baal subverso, ut patet cap. XVIII, vers. 41. Hæc S. Chrysostomus qui *homil.* 2, graphice hæc depingens ait : « Cum Elias propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, eumque Baal et lucos despecto Domino coli a sacrilegis pervideret; cumque creatore despecto figmentis sese nemoribusque omnis populus addixisset; zelo Dei commotus Judæam terram siccitatis sententia, et pluviarum sterilitate addixit. Tunc subito anhelat terra, siccatur cœlum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, etc., iram Dei universa creatura testatur. »

Vers. 3. 3. ABSCONDERE IN TORRENTE CARITH. — Quæret enim te, quasi sterilitatis auctorem rex Achab, et si invenerit, occidet. Fuge ergo et late, ne in tuum caput siccitatis causa revolvatur. Torrens Carith descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phalesum, unde juxta eum multæ erant cavernæ et speluncæ, in quas se abdere poterat Elias. Hic ergo latuit per triennium siccitatis, pastus a corvis. Unde in ejus memoriam S. Helena ibidem ecclesiam exstruxit, teste Nicephoro, lib. VIII, cap. XXX. *Carith* Hebraice idem est quod *excisio, succisio*, quia hic Elias terræ germina et sata per aridítatem a se inductam succidit. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Petro et Elia*, ait Eliam igneum ardorem et quasi febrim terræ induxisse : « Vix dum, ait, exierat sermo ejus, cum subito mutatur aer, cœlum æneum factum, idemque sermo in terræ viscera tanquam febris incubuit. Et e vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, plantæ simul et arbores tum frugiferæ, tum steriles. »

Meminit hujus sterilitatis et famis Menander historicus Gentilis, apud Josephum, lib. VIII, cap. VII, sed mutile et imperfecte, more Gentilium cum de rebus judaicis loquuntur. Ait enim famem hanc durasse uno tantum anno, cum S. Jacobus, cap. V, 17, asserat eam durasse tres annos et sex menses. Videtur hæc fames tantum fuisse in Israele, ejus enim idololatriam Elias puniebat. Quare quod *Lucæ* IV, 25, dicitur eam fuisse « in omni terra, » accommode accipe, scilicet in omni terra Achab regi subjecta, et peccatis idololatriæ ejus contaminata.

4. CORVISQUE PRÆCEPI, — id est instar præcipien- Vers. 4.
tis ordinavi, et instinctum hunc eis indidi, ut tibi afferant panem. Ita Cajetanus.

6. CORVI QUOQUE DEFEREBANT PANEM ET CARNES Vers. 6.
MANE, SIMILITER PANEM ET CARNES VESPERI. — Corvus est avis vorax, inhumana, maligna; illa ergo usus est Deus ad cibandum Eliam, ut ostenderet se omnibus animalibus imperare, eorumque indolem mutare et convertere eo quo lubet, ac sanctis, qualis erat Elias, omnes creaturas Deo jubente servire et obsequi. Sic corvi offerebant quotidie dimidium panem ad S. Paulum primum eremitam, integrum vero adveniente S. Antonio. Unde ad eum conversus S. Paulus ait : « Eia Dominus nobis prandium misit vere pius, vere misericors. Sexaginta anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam. » Ita S. Hieronymus in *Vita S. Pauli*. S. Benedictus vero, corvo qui hora prandii ad se venire et cibum e manu sua sumere solebat, jussit panem veneno infectum a Florentio invido sibi submissum tollere, et in locum, ubi a nemine inveniri posset, asportare : cui obediens corvus idipsum præstitit, uti refert S. Gregorius, libro II *Dial.* cap. VIII, hujus corvi progenies etiamnum superest, ac a Benedictinis continuo alitur in monte Cassino.

Corvi aluere sanctos. Exempla

Porro quod corvis potius quam aliis avibus Deus usus sit, causa litteralis fuit, quod corvi ament loca solitaria, ac præsertim torrentes, eo quod siccissimæ et calidissimæ sint naturæ. Unde *Prov.* XXX, 17, dicitur : « Oculum qui subsannat patrem, etc., effodiant eum corvi de torrente. »

Corvis ergo, quasi maxime obviis avibus, usus

fuit ad alendum Eliam in torrente Carith, ut ex corvo cibum, ex torrente potum in tanta omnium siccitate caperet. Aqua enim ad potum sufficit, estque potus maxime naturalis, quo ante Noe omnes prisci usi sunt.

Tropologice. Tropologice vide hic, et reverere miram Dei in suos fideles providentiam : corvi enim Deo instigante quotidie bis apportabant panem et carnes Eliæ, scilicet mane ad prandendum, et vespere ad cœnandum. Angeli autem hos panes et carnes apparabant, ideoque meliores et sapidiores erant nostris, qui a pistoribus et cocis apparantur, juxta illud *Psal.* LXXVII, 25 : « Panem Angelorum manducavit homo : » mox eosdem corvis ad Eliam deferendos dabant, eosque continebant ne illos attingerent, ac impellebant ut ad Eliam intactos deferrent. Nam ut in Vita S. Onuphrii legimus, Deus et Angeli singularem habent curam eremitarum, qualis erat Elias, eo quod ipsi omnia deseruerint, et ab omnibus sint deserti, juxta illud : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » *Psalm.* IX, vers. 14. Quocirca S. Basilius, hom. 8 *in Divites avaros* : « Carmelus, ait, mons sublimis ac desertus Eliam habuit, cui viaticum cibusque fuit spes in Deo; et cum ita viveret, fame tamen exstinctus non est, sed avium rapacissimi corvi cibum ei attulere, et qui alienas solebant escas invadere, viro justissimo ministri fuere : naturæ quoque obliti, in pane carneque ei afferendis Dominico præcepto paruerunt. »

ET CARNES. — Deus ergo non tantum panes ad vitam necessarios, sed etiam carnes ad lautitiam pro obsonio Eliæ submittebat. Quærit Abulensis quid comederit Elias diebus jejuniorum, quibus non licet vesci carnibus; ac respondet eum comedisse quidquid corvi afferebant : Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc ipso cum eo in jejunio dispensabat, volebatque ut eas comederet, ac dono suo tam liberali frueretur, ne frustra eas misisse videretur.

Allegorice. Allegorice S. Prosper, lib. II *De Prædict. et promiss.* cap. XXVIII : « Panis Eliæ, inquit, est corpus Christi, quod Judæi ut corvi gentibus ministrarunt, carnem in crucis ligno decoctam gentibus præparantes, ac ut corvi una et raucisona voce clamantes ad Pilatum : Crucifige, crucifige eum. »

Aliter S. Augustinus, serm. 101 *De Tempore*, ubi omnia gesta Eliæ allegorice applicat Christo et Ecclesiæ : « B. Elias, inquit, typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim Elias a Judæis persecutionem passus est, ita et verus Elias Dominus noster ab ipsis Judæis reprobatus est et contemptus. Elias reliquit gentem suam, et Christus deseruit Synagogam. Elias abiit in deserto, et Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur, et Christus in deserto mundi hujus gentium fide reficitur. Corvi enim illi, qui beato Eliæ jubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterea et de gentium Ecclesia dicitur : Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Et mox : « Vere Ecclesia gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam, velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat. »

Symbolice. Symbolice Auctor *Mirabil. S. Scrip.* apud S. Augustinum, lib. II, cap. XVII : « A corvis, ait, ministrari prophetæ præcipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens et fallax erat ante Noe. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministeriis uteretur. Unde vero eas carnes et panes ille corvus detulerit, ipse viderit qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quod ex aliquorum hominum scientium aut nescientium industria corvi hæc acciperent, qui coctos panes et carnes quaslibet qualitercumque præparabant. »

Vers. 9. 9. VADE IN SAREPHTA SIDONIORUM. — Urbs hæc sita erat inter Tyrum et Sidonem in via publica, non procul a littore maris, et ab Eleuthero fluvio, duobus milliaribus distans a Sidone. Dicta est *Sarephta*, id est *conflatoria*, a צָרַף *tsaraph*, id est *conflare*, quod in ea essent officinæ conflatoriæ vasorum ex ære, ferro aliisque metallis.

Jubet ergo Deus Eliam extra Israelis fines et Achab persecutoris sui dominium, abire in ditionem Sidoniorum, ut ibi sub rege gentili secure et quiete degeret. Hinc allegorice Elias significat Christum, qui persecutionem patiens a Judæis, Evangelium suum transtulit ad gentes, uti explicat ipse Christus, *Lucæ* IV, 25.

Audi Auctorem *Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. XVIII : « Idcirco ad Sarephtam Sidoniorum saturandus propheta mittitur, ut per illum bona et fidelis vidua pasceretur. Ne vero quem moveat, quod Sidoniorum terra hanc eamdem plagam pariter cum Israel perpessa erat, dum inde Jezabel persecutrix prophetarum, et totius vindictæ et facinoris causa, Sidoniorum regis filia paternam originem ducebat. »

PRÆCEPI ENIM IBI MULIERI. — « Præcepi, » id est ordinavi, disposui, providi : non enim proprie Deus præceperat viduæ, cum ei non esset locutus, imo vidua petenti Eliæ frustum panis, negavit se illud habere vers. 12. Si quis tamen contendat Deum revelasse viduæ adventum Eliæ, ac jussisse ut eum exciperet et pasceret eo modo quo Elias postulaturus erat, non repugnabo. Fuit hæc mulier gentilis, utpote Sidonia, sed religiosa et devota, ait S. Chrysostomus, hom. 3 *De Elia*, et Abulensis, *Quæst.* XXIV.

Vers. 12. 12. ET COLLIGO DUO LIGNA, UT FACIAM (coquam) ILLUM MIHI ET FILIO MEO, UT COMEDAMUS ET MORIAMUR, — *q. d.* Postquam modicum hoc farinæ co-

mederimus, moriemur fame, quia non habemus aliud quod comedamus.

Allegorice S. Augustinus, serm. 101 *De Temp.* notat « duo ligna » significare crucem Christi ; in ea enim sunt duo ligna, scilicet unum erectum, alterum transversum. « Ideo, inquit Augustinus, duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat cognoscere. Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa : Colligo duo ligna ut faciam cibum mihi et filio meo, et manducabimus, et moriemur. Verum est, fratres dilectissimi, nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur : nam quicumque corpus Christi digne manducare voluerit, necesse est ut moriatur præteritis, et vivat futuris. »

ET FILIO MEO, — sic et Chaldæus ; hoc enim est Hebraice לבני *libni*. Verum Septuaginta aliis punctis legentes לבני *lebanai*, vertunt, *filiis meis ;* significant ergo eam plures habuisse filios, quibus panem eripuit, ut daret Eliæ. Eo major fuit ejus virtus. Ita Eucherius.

Vers 13. 13. VERUMTAMEN MIHI PRIMUM FAC DE IPSA FARINULA SUBCINERICIUM PANEM, — qui scilicet sub cinere festinato citoque coquitur, ut præsenti urgentique fami Eliæ statim succurreret. Sic Abraham Angelis festinantibus coxit panes subcinericios, *Genes.* XVIII, 6.

Mystice Eucherius : « Panis subcinericius, inquit, est pœnitentium satisfactio, juxta illud *Psal.* CI : Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam ; his enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur. »

MIHI PRIMUM FAC. — Causam dat S. Prosper, part. II *Prædict.* cap. XXIX : « Ut misericordia, ait, primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei Scriptura testatur ; ex ipso enim omnis copia. » Sic S. Ludovicus, rex Franciæ, priusquam ipse pranderet, centum pauperibus prandium dabat.

Vers. 15. 15. QUÆ ABIIT, ET FECIT JUXTA VERBUM ELIÆ. — Mira fuit hujus viduæ fides, obedientia, liberalitas, ut modicum farinæ sibi ad vitam necessarium daret Eliæ qui famem hanc induxerat. Unde exclamat Eucherius : « O magnificum mulieris animum, o immutabile mentis propositum, o vere venerabile per sæcula factum ! poculum petit, mox offert : et quod regibus jam forsitan deerat, quod divites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogabat. Pascit pane, quæ cum filio die postero erat moritura, nec habere se negat ; sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem, et non tam postulanti, quam quadammodo exigenti omnem causam pandit in medium : quantitatem victus, et numerum personarum, ut non tam hospitem velit habere quam judicem. » Et inferius : « Erat in illo tempore spectaculum angelis hominibusque gratissimum, quod inter gentes in terra profana vidua mulier jam tunc esset filia Abrahæ multo hospitalior ipso parente, multo humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, et erga peregrinos magno detentus affectu ; sed erat vere opulentus, erat dives. » Et paulo post : « Studio humanitatis omnem vim despexit naturalis affectus, non de se, non de parvulis sollicita : nihil eam a mentis proposito revocavit, nec proprii sexus infirmitas, nec materna erga parvulos viscera pietatis : occidit in se naturæ officia hospitalitatis intuitu, et effectus est devotus erga hospitem matris animus filiorum crudele sepulcrum. »

16. ET EX ILLA DIE HYDRIA FARINÆ NON DEFECIT, Vers. 16. ET LECYTHUS OLEI NON EST IMMINUTUS, — non per rarefactionem, sed additionem novæ farinæ et olei continuam, ait Abulensis. Unde ex eo deinceps sustentata fuit vidua cum filio, quin et Elias ipse, ut patet vers. 20. Merebatur hoc fides et sanctitas Eliæ, item inobedientia et eleemosyna viduæ, qua modicum farinæ quod habebat, dederat Eliæ. Ita S. Prosper, lib. II *De Prædict. et promiss.* cap. XXIX, quem audi : « Sic anima feneratur Deum, sic dum dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima quæ corpore abscedente Domino, castigantem diligens, unius thori fidem pudico amore custodit, sacramento farris et olei unctione munita, secura exspectans gratam pluviam, cum ei dixerit Dominus : Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. »

Audi et Eucherium liberalitatem et virtutem hujus viduæ admirantem, et hoc elogio remunerantem : « Facta est igitur manus viduæ perenne torcular, et mola jugiter fundens. Ecquid dico mulieris manum ? In verbo prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta est. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non callidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus, sed omnia et in omnibus sermo prophetæ affatim viduæ ministrabat. » Pascentem se viduam pavit Elias.

Audi S. Hieronymum, epist. 10 *ad Furiam :* « Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ et suæ et filiorum saluti Eliæ prætulit famem, ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quam eleemosynam ; et in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit. Farina seritur, et olei capsaces nascitur : in Judæa frumenti est penuria : granum enim tritici ibi mortuum fuerat, et in gentium vidua olei fluenta manabant. » Simili modo S. Euthymius (cujus sanctitas toti orbi sub Justiniano Imperatore inclaruit) farina in monasterio deficiente, illam multiplicavit, dicens : « Bono estote animo : quantum enim egentibus impertitis, duplum nobis Dominus elargietur. Spero enim, quod sicut olim hydria farinæ non defecit, ita nunc minime sit defectura. » Ita Eustachius in ejus Vita, et ex eo Baronius, anno Christi 564. Pari ratione Ma-

symas Anachoreta instar Eliæ in duobus doliis pro pauperibus multiplicavit frumentum, et oleum, ut refert Theodoretus in *Histor. Religiosa,* XIV, quem audi : « Hospitum autem et pauperum tam alacri animo curam gerebat, ut patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia : unum quidem frumenti, alterum vero olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus : habebat autem ea semper plena benedictione, quæ data est viduæ Sarephtanæ, et immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos qui ipsum invocant : et sicut illius hydriam, et guttam jussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis, ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat ejus animi alacritati. »

Similia sæpe fecit S. Joannes Eleemosynarius Archiepiscopus Alexandrinus, teste Leontio in ejus Vita. Unde ejus axioma erat : « Quo plura erogo in pauperes, eo plura semper et majora a Deo recipio. » Unde S. Basilius homil. *De Eleemosyna,* eum comparat puteo, vel fonti qui quo plus aquæ effundit, eo amplius aquæ ebullientis admittit et recipit. Vide S. Chrysostomum, hom. cui titulus : *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.*

Allegorice, hydria farinæ significabat panem Eucharistiæ, qui quotidie a fidelibus comeditur, nec tamen consumitur, aut deficit unquam. Ita Lanfrancus, Algerus et alii scribentes contra Berengarium.

QUOD LOCUTUS FUERAT IN MANU ELIÆ, — id est, per Eliam : manus enim est instrumentum instrumentorum; unde notat causam instrumentalem; talis enim respectu Dei fuit Elias.

Vers. 17. 17. ÆGROTAVIT FILIUS MULIERIS MATRIS FAMILIAS, — puta viduæ jam dictæ : hæc enim mortuo marito erat sola materfamilias. Permisit, vel immisit hunc morbum Deus puero hoc fine, ut mortuus ab Elia suscitaretur; itaque Eliæ fides et virtus apud Achab et Baalitas splendesceret. Ita Eucherius et alii. Audi S. Augustinum *ad Simplician.* Quæst. V : « Non malefaciendi causa mortificavit filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantum prophetam, et tunc viventibus, et posteris commendaret. Sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in Filio, et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia, qua credidit Elias non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu ejus hospita affligeretur, sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ, qualem Dei famulum suscepisset. »

Nonnulli censent hunc viduæ filium suscitatum ab Elia fuisse Jonam prophetam. « Tradunt Hebræi, inquit S. Hieronymus in præfat. *in Jonam,* hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit; matre postea dicente ad eum : Nunc cognovi quia vir es tu, et verbum Dei in ore tuo est veritas; et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat, et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est filius esse dicitur veritatis. » Sic ipse, utique recitando non probando. Jonas enim Hebræus erat, hic vero filius erat Sidonius. Vide dicta procemio *in Jonam.*

Vers. 18. 18. INGRESSUS ES AD ME, UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEÆ, ET INTERFICERES FILIUM MEUM, — *q. d.* Num venisti ad me, o Elia, tanquam minister Elohim, id est, Dei summi judicis et vindicis, ut ad tuum ingressum puniar morte filii? Videbat enim ipsa Eliam quasi ministrum Dei punire scelera et scelestos, ut cum toti Israeli ob cultum Baal induxit sterilitatem et famem. Est enim naturalis quasi antipathia inter sanctitatem et iniquitatem, ac inter sanctos et iniquos, ut una prædominans aliam excludat et quasi interimat. Sic Eliæ severa sanctitas, et sancta severitas videbatur hic elidere omnem iniquitatem familiæ viduæ, ac in ejus punitionem occidere viduæ filium. Notat Theodoretus humilitatem et pœnitentiæ spiritum in hac vidua, quod mortem filii suis peccatis ascribat; ideoque meruit eum resuscitari. Audi Theodoretum hic, *Quæst.* LII : « Sunt, inquit, admiratione digna verba viduæ : tuo, inquit, lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potius suis peccatis tribuit quod acciderat. Tantum enim ei profuit prophetæ doctrina : » quasi præ humilitate doluerit, se prophetam in domum suam indigne suscepisse.

Vers. 21. 21. ET EXPANDIT SE, ATQUE MENSUS EST SUPER PUERUM. — Hebraice יתמודד *iitmoded,* id est *seipsum admensus est* (est enim conjugationis *Hitpael,* quæ notat actionem reflexam agentis in seipsum), super puerum commensus est, et coæquavit seipsum puero, scilicet os suum ori pueri, manibus manus, pectus pectori, tibias tibiis, pedes pedibus applicando, et quoad fieri poterat per contractionem coæquando. Unde Chaldæus vertit, *coarctavit se super puerum;* Septuaginta, *inflavit puero ter;* Vatablus, *incubuit puero.*

Elias incubuit puero. Causa. Prima. Quæres, cur id fecit Elias? Respondeo : Variæ fuere causæ. *Prima* ethica et pathetica, ut ostenderet eximium suum in viduam et filium ejus amorem, indeque dolorem de ejus morte. Quos enim summe diligimus, hos amplexamur, arcteque complectimur, nec nos ab eis avelli patimur, quasi eis nostras vires, spiritum et vitam inspirare velimus. Sic S. Ambrosius, *Orat. funebri in obitu fratris sui Satyri,* idem se illi fecisse commemorat : « Nihil, inquit, mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse morienti. »

Secunda. *Secunda* physica causa fuit, ait Abulensis, quod Elias hoc suo in puerum incubitu, et insufflatione volebat corpus ejus ex morte frigidum calefacere, itaque disponere ad animam vitamque recipien-

dam, sicut disponit mater corpus embryonis in utero, ut Deus deinde jam calefacto et disposito, infundat animam rationalem; hoc enim est opus solius Dei, matris vero opus est materiam disponere. Sic gallina ova incubando calefacit, ut deinde in pullos formentur et animentur.

Tertia. *Tertia* symbolica, ut ostenderet quam ardua et difficilis res esset mortuum e morte suscitare ad vitam. Unde idem fecit Elisæus imitans Eliam magistrum suum, IV *Reg.* IV, 34. Rursum, ut liqueret quanta esset distantia inter miracula Eliæ et Christi : Elias enim laboriose se fatigando et sudando suscitavit mortuum; Christus vero facillime solo jussu et verbo, utpote mortis vitæque Dominus.

Quarta. *Quarta* theologica, ut sancti corporis sui contactu cadaver pueri Deo commendaret, ait Serarius. Corpora enim sanctorum non tantum viva sunt, sed et vivifica; adeo ut corpus Elisei jam mortui mortuum suscitarit quondam a latronibus occisum, qui in sepulcrum Elisei projectus, dum sacra ejus ossa tetigisset, divina virtute revixit, uti narratur IV *Reg.* XIII, 20. Aliam magisque propinquam causam dat Abulensis : Elias, ait, ter puero incubuit : nam primo ei incubuit orans Deum, ut eum resuscitaret : sed cum id videret non fieri, secundo incumbens puero, oravit ferventius. Verum cum nec tum quidem surgeret puer, tertio eidem incumbens oravit ardentissime, sicque tandem vitam puero impetravit. Idem fecit Eliseus. Idem nos imitari et facere convenit. Deus enim in rebus arduis vult sæpius et ardentius rogari, ut illud ferventibus, et zelo quasi armatis et inflammatis precibus ab eo extorqueamus. Hoc enim res meretur, sicque crescit nostra devotio, virtus et meritum. Atque hic est fructus perseverantiæ et orationis perseverantis, se seque intendentis et ardentis.

Quinta. *Quinta* mathematica; ut enim corpus majus æquetur minori, debet illud amplecti, ac vicissim minus majori se subjiciat, oportet. Id patet in circulo minori incluso in majori. Hic enim subjicit se majori : unde major eum amplectitur et proportionaliter sibi æquat, quia uterque idem centrum ambit, et ad illud circumcirca gyrat, ita ut nulla linea diametralis a majori circulo ad centrum duci possit, nisi illa prius circulum minorem intermedium secet et pertranseat. Quare nulla pars in circulo majori assignari potest, cui non pars similis et proportionaliter æqualis in minori respondeat. Quare docemur, quod ut inferiores Superioribus uniantur, et quasi adæquentur, necesse sit ut Superiores ad inferiores se per amorem inclinent, eosque complectantur; inferiores vero Superioribus debita obedientia, et subordinatione se submittant et substernant. Hæ ergo sunt duæ virtutes sublimes, quæ omnia complanant, adæquant et uniunt, nimirum charitas et humilitas. Sicut Elias charitate amplexans puerum, et puer naturaliter se submittens Eliæ, ei se quasi adæquavit, itaque ab eo animam, spiritum et vitam recepit.

Allegorica. Allegoricam et præcipuam causam dat S. Prosper, parte II *Prædict.* cap. XXXI, scilicet, ut Elias suo gestu repræsentaret mysterium Incarnationis, quo Dei Filius suam deitatem commensus est, et quasi coæquavit nostræ humanæ naturæ, quam assumpsit, ut per eam nos peccato mortuos vivificaret. « Elias et post eum Eliseus, ait Prosper, ut mortuum parvulum suscitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus Jesus seipsum exinanivit formam servi accipiens : parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret istud corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Jacens subter se frigidum suo calore succendit : similiter et noster Salvator Dominus mundum, a cujus calore non est jam qui se abscondat. Insufflavit ille tertio jacenti, ut trina confessio infunderetur credenti : sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua justificatus est impius. »

Unde Chaldæus vertit, *coarctavit se super puerum;* Septuaginta, *insufflavit ter in puerum.* Sicut enim gallina incubat ovis, totamque se super ea expandit, et quasi commensurat, ut ea calefaciat et vivificet : sic et deitas Christi se expandit super totam humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est et coæquavit, ut eam frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vivificaret : singula enim hominis membra omnesque animæ potentiæ per peccatum spiritaliter erant mortuæ, frigidæ, aridæ et exanimes; quare in singulas deitas incumbens, insufflavit in eas, et inhalavit spiritum gratiæ et vitæ spiritualis. Tertio autem Elias incubuit puero eique seipsum coarctando admensus est, quia Christus tertio seipsum coarctavit, et commensus est humanæ naturæ, scilicet *primo* in utero; *secundo,* in præsepio; *tertio,* in cruce : itaque mortuum genus humanum vivificavit, eique spiritum charitatis, paupertatis, et patientiæ inspiravit, « et cum clamore valido ac lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Ita Lyranus, Angelomus, Eucherius, Salianus.

Audi S. Augustinum, serm. 201 *De Temp.* : « Filius viduæ defunctus jacebat, quia filius Ecclesiæ, id est populus Gentium, multis peccatis et criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur, veniente Christo filius Ecclesiæ, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur; Elias inclinatur; in oratione, et vivificatur viduæ filius; et Christus procumbit in passione, et suscitatur populus Christianus. » Et post nonnulla : « Nam quod tribus vocibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater et Filius sine Spiritu Sancto; sed tota Trinitas suscitavit. Denique hoc etiam in sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, ut novus surgere mereatur. » Hoc igitur est verbum abbreviatum, de quo

Apostolus, *Rom.* IX, 28 : « Ut quod cœlo non capiebatur, præsepio caperetur, ait S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. III, nimirum Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens.

Tropologice. Tropologica causa fuit, ut ostenderet Elias virum zelosum et charitate flagrantem, qui convertere satagit animas vitiis et concupiscentiis mortuas, debere per magnam compassionem, commiserationem et zelum iis quasi se coæquare et commetiri, ut eis frigidis et torpentibus spiritum vitæ inhalet: peccator enim est quasi cadaver mortuum et frigidum : quare ingenti et crebro concionatoris, confessarii et monitoris ardore opus est, ut calorem pœnitentiæ et devotionis ei aspiret, quo ad vitam gratiæ a Deo recipiendam se disponat. Sic enim ignis frigidum lignum prius calefacit, ut deinde illud igniat, et gallina ova diu calefacit, ut animentur. Ita faciebat Paulus dicens : « Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » I *Corinth.* IX, 22. Et: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Corinth.* XI, 29. Et : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, » *Galat.* IV, 19.

Anagogica causa fuit, ut significaret Christum in resurrectione commensurum, et quasi coæquaturum nos suæ gloriæ et corpori glorioso, juxta illud : « Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, » *Philip.* III, 21. Anagogice.

22. ET REVERSA EST ANIMA PUERI INTRA EUM. — « Reversa, » scilicet e limbo. Hinc patet animæ hominis immortalitas. Hic puer est primus ab origine mundi a morte ad vitam suscitatus, nec enim alium eo priorem suscitatum legimus. Ita Cajetanus. Denique cœnaculum, sive locus in quo Elias hunc puerum e morte suscitavit, etiamnum ostenditur, ait Adrichomius, in Sarephta. Vers. 22.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias sistit se regi Achab, et non se, sed ipsum suis idolis turbasse Israelem asseverat. Mox, vers. 21, *miraculo evocationis ignis e cœlo in victimam certat cum prophetis Baal, vincensque jubet omnes mactari. Denique, vers.* 41, *pluviam Israeli a se siccitate damnato indeque fecunditatem restituit.*

1. Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens : Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab : erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valde. 4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. 5. Dixit ergo Achab ad Abdiam : Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant. 6. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas : Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum. 7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei : qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait : Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit : Ego. Vade, et dic domino tuo : Adest Elias. 9. Et ille : Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens? et respondentibus cunctis : Non est hic : adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris. 11. Et nunc tu dicis mihi : Vade, et dic domino tuo : Adest Elias. 12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro : et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me : servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. 13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? 14. Et nunc tu dicis : Vade, et dic domino tuo : Adest Elias : ut interficiat me? 15. Et dixit Elias : Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei : venitque Achab in occursum Eliæ. 17. Et cum

vidisset eum, ait : Tune es ille qui conturbas Israel ? 18. Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. 19. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. 20. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait : Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. 22. Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi propheta Domini solus : prophetæ autem Baal quadringenti et quinquagenta viri sunt. 23. Dentur nobis duo boves et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant : et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. 24. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei : et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait : Optima prōpositio. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal : Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis : et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. 26. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt : et invocabant nomen Baal de maneusque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet : transiliebantque altare quod fecerant. 27. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens : Clamate voce majore : Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis donec perfunderentur sanguine. 29. Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes; 30. dixit Elias omni populo : Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini quod destructum fuerat. 31. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens : Israel erit nomen tuum. 32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini : fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, 33. et composuit ligna : divisitque per membra bovem, et posuit super ligna. 34. Et ait : Implete quatuor hydrias aqua et fundite super holocaustum et super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait : Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio. 35. Et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est. 36. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait : Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 37. Exaudi me, Domine, exaudi me : ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens. 39. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. 40. Dixitque Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab : Ascende, comede, et bibe : quia sonus multæ pluviæ est. 42. Ascendit Achab, ut comederet et biberet : Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, 43. et dixit ad puerum suum : Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait : Non est quidquam. Et rursum ait illi : Revertere septem vicibus. 44. In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait : Ascende, et dic Achab : Junge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia. 45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes,

et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel : 46. et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

Vers. 1. 1. IN ANNO TERTIO, — siccitatis et famis ab Elia inductæ Israeli.

Vers. 3. 3. ABDIAS AUTEM TIMEBAT DOMINUM VALDE. — Hebræi, Lyranus et Rupertus putant hunc « Abdiam » esse Abdiam prophetam, qui inter minores prophetas ordine est quartus. Addit Lyranus Abdiam merito hujus beneficentiæ in prophetas a Deo in præmium accepisse donum prophetiæ : S. Epiphanius vero, lib. *De Prophetis*, censet Abdiam hunc fuisse quinquagenarium illum qui libro IV, cap. I, Eliæ supplex mortem effugit. Sed hunc Abdiam ab utroque esse diversum, ostendi procœmio in Abdiam.

Vers. 4. 4. TULIT ILLE CENTUM PROPHETAS, ET ABSCONDIT EOS. — Abulensis putat prophetas hosce fuisse prophetas proprie dictos. Planius Lyranus et Cajetanus censent, eos fuisse viros religiosos, qui, abdicatis curis terrenis seorsim simul habitantes divinis laudibus insistebant, uti faciunt jam Cœnobitæ. Simili modo legimus, I *Regum* cap. XIX, vers. 20, chorum prophetarum non tantum vocali cantu, sed et musicis instrumentis una cum Samuele et Saule laudasse Deum. Sic Heman et Idithun cantores dicuntur « prophetasse, » id est cecinisse psalmos in citharis et psalteriis, I *Paralip.* cap. XXV.

Vers. 18. 18. NON EGO TURBAVI ISRAEL, SED TU, ET DOMUS PATRIS TUI, QUI DERELIQUISTIS MANDATA DOMINI, ET SECUTI ESTIS BAALIM, — puta idola, et deos gentium. Vide hic libertatem Eliæ qua Achab regi culpam, causamque siccitatis et famis a se inductæ in faciem objectat. Idem fecere Lucifer Calaritanus, S. Athanasius et S. Hieronymus in epistolis et libris scriptis *ad Constantium Imperatorem Arianum*.

Vers. 19. 19. CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL IN MONTE CARMELI, ET PROPHETAS BAAL QUADRINGENTOS QUINQUAGINTA, PROPHETASQUE LUCORUM QUADRINGENTOS. — Petiit hoc Elias, ut omnes occideret; ac iis occisis exciderct pariter idola Baal, et « lucorum, » id est aliorum deorum, qui in sylvis et lucis colebantur. Fuere ergo universim pseudoprophetæ, sive pseudodoctores hæresis et idololatriæ 850; quos omnes Elias partim per se, partim per populum interemit. Esto enim soli subinde Baalitæ quasi præcipui nominentur, tamen cæteros quoque fuisse interemptos patet cap. XIX, vers. 1.

Vers. 23. 23. ET EGO FACIAM ALTERUM BOVEM, — « faciam, » id est sacrificabo. Summum enim et nobilissimum opus, quod facit homo, est sacrificium. Sic Virgilius :

> Cum faciam (id est, sacrificabo) vitulo pro frugibus, ipse venito.

Vers. 24. 24. DEUS, QUI EXAUDIERIT PER IGNEM IPSE SIT DEUS, — qui scilicet ignem in hostiam sibi oblatam e cœlo demiserit. Hic enim hoc ipso ostendet se ignis æque ac cœli esse Dominum, ac sacrificium illud esse suum, id est verum et divinum. Solebat enim Deus in igne apparere, ac per ignem e cœlo missum absumere sacrificia sibi oblata, uti feciţ in sacrificio Abelis, *Genes.* IV, 4; Aaronis, *Levit.* IX, 24; Salomonis, II *Paralip.* VII, 1; Davidis, I *Paralip.* XXI, 20; Gedeonis, *Judic.* VI, 21; Manue, *Judic.* XIII, 20, et aliorum. Ignis enim repræsentat majestatem Dei. Unde *Deuter.* IV, 24, Moyses ait Hebræis : « Dominus Deus tuus ignis consumens est. » Ignis enim symbolum est castitatis et puritatis, æque ac efficacitatis divinæ, uti per 17 analogias ostendi *Levit.* IX, 23. Hinc et Spiritus Sanctus in specie ignis descendit in Apostolos die Pentecostes, *Actor.* II. Vide ibi dicta.

Et hæc populus sciebat, atque illa tum ex Scripturis, tum ex Levitis audierat; unde statim succlamavit, dixitque : « Optima propositio. » Miraculo enim hæc lis de Deo vero decidenda erat, uti hic Eliæ suggessit Deus, eo quod Achab, Jezabel et Baalitæ in cultu Baal essent obstinati, nec ullas rationes in contrarium ad aures admitterent.

Vers. 26. 26. QUI CUM TULISSENT BOVEM, QUEM DEDERAT EIS, FECERUNT, — id est immolarunt Baal. Tradunt, vel potius more suo fabulantur (teste Lyrano et Abulensi) Rabbini, bovem hunc fugisse a Baalitis ad Eliam, quasi qui dedignaretur immolari Baal, velletque ab Elia immolari Deo vero, ut hoc prodigio adverteret populus Baal non esse Deum, et ad Deum verum, quem colebat Elias, rediret.

TRANSILIEBANT ALTARE QUOD FECERANT. — Sic et Septuaginta; sed Hebræus et Chaldæus habent, *quod fecerat*, scilicet Elias, ait Serarius et Sanchez, qui censent Baalitas insultasse hic altari Eliæ, illudque saltando diruisse, ideoque paulo post Eliam vers. 30 illud restaurasse. Favet Chaldæus qui vertit : *Insaniebant super aram, quam fecerat*, scilicet Elias. Verum vers. 30, contrarium potius significat, scilicet Eliam necdum erexisse suum altare.

Quare Vatablus, Hebræum *quod fecerat*, exponit subaudiendo *unus eorum*, scilicet Baalitarum, vel eorum dux, *rex Achab*. Saltabant ergo Baalitæ inconditi quasi amentes, ut vertit Chaldæus, cum viderent Baal a se invocatum non respondere; tum ex pudore et anxietate, ne ab Elia male mulctarentur, uti reipsa eis mox contigit; tum ut Baalem anxio hoc suo transultu placarent, commoverent et quasi cogerent ad respondendum : hoc enim gestu significabant suum erga Baalem ejusque altare studium et devotionem, quasi qui cuperent ipsimet fieri victimæ, et in altari immolare se Baali, ideoque lanceolis se incidentes, sanguine suo altare cruentabant, ut

sequitur. Similes saltus et gestus inconditos more bacchantium edebant Corybantes, Luperci et Salii apud Romanos. Ita Salianus, Vatablus et alii.

Vers. 27. 27. ET FORSITAN LOQUITUR, — colloquitur cum aliquo, ut ad vestras preces attendere nequeat.

AUT IN DIVERSORIO EST, — ut comedat, bibat et epuletur. Putabant enim Gentiles deos instar hominum manducare et potare, ac vesci nectare et ambrosia. Unde Homerus, *Iliad.* II, inducit Jovem apud Ægyptios et Æthiopes, epulantem cum aliis diis.

Vers. 28. 28. INCIDEBANT SE JUXTA RITUM SUUM CULTRIS ET LANCEOLIS, — ut Baali se suumque sanguinem litarent et offerrent, itaque eum flecterent ad respondendum. Idem fecere Syri, Græci et Romani, teste Apuleio, lib. VIII, Luciano in *Dea Syria*, Plutarcho, lib. *De Superstitione*. Audi Lactantium, lib. I. *De falsa relig.* cap. XXI : « Alia virtutis (sacrificia) quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt. » De hac Tibullus, ubi feminam sacrificantem induxit :

> Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
> Sanguineque effuso spargit inepta Deam.
> Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
> Et canit eventus quos Dea magna movet.

Nimirum dæmon æmulus Dei, et invidus homini, divinis honoribus gaudet, ideoque humano sanguine sibi quasi Deo litari vult; itaque simul homines sibi exosos excruciat, vulnerat et sæpe necat.

Vers. 29. 29. ET ILLIS (Baalitis) PROPHETANTIBUS, — id est Baalem laudantibus et invocantibus. Chaldaice, *insanientibus*.

Vers. 30. 30. CURAVIT (Elias) ALTARE (Domini) QUOD DESTRUCTUM FUERAT. Abulensis, *Quæst.* XXVII, putat hoc altare primitus erectum a Saule, I *Reg.* XV, 12, sed Saul ibi erexit fornicem triumphalem, non altare. Dico ergo Eliam, ut populum avocaret ab altari, et cultu Baal, jam ante instinctu Dei erexisse altare in monte Carmelo, et ad illud populum convocasse, ut in eo Deo vero sacrificaret : quare Jezabelem et Baalitas Eliæ indignantes hoc ejus altare destruxisse; Eliam vero illud hic rursum erexisse et instaurasse.

Vers. 31. 31. ET TULIT DUODECIM LAPIDES JUXTA NUMERUM TRIBUUM FILIORUM JACOB. — Duodecim enim filii Jacob per suos filios, nepotes et abnepotes constituerunt 12 tribus Israel. Fecit hoc Elias, ut ostenderet se Deum verum colere, illique sacrificare, quem coluerat Jacob cæterique Patriarchæ, et prisci Israelitæ, ac proinde præsentes quoque Israelitas, utpote eorum posteros, debere iisdem vestigiis insistere, ac eumdem Deum colere. Unde subditur :

AD QUEM FACTUS EST SERMO DOMINI DICENS : ISRAEL ERIT NOMEN TUUM. — Apposite, *q. d.* Sicut Jacob luctans cum Deo (id est Angelo Dei vicario) eumque volentem vincens, vocatus est Israel, id est dominans Deo, *Genes.* XXXII, sic pariter vos, si Patriarchæ vestri Jacobi fidem et cultum veri Dei imitari fueritis, fietis veri Israelitæ, id est dominantes Deo, ac omnia, quæ ab eo postulaveritis, impetrabitis : quod ut faciatis, ecce ישרה אל *iisrael*, id est *dominabitur Deus* in hoc meo sacrificio, per ignem e cœlo in illud missum, ac Baalitas prosternet : licet enim et ipsi ope sui Baal, id est dæmonis potuissent ignem e cœlo in bovem suum demittere (hoc enim faciet Antichristus ope dæmonis, *Apocalypsis* XIII, 13), tamen sciebat Elias ex Dei revelatione, Deum id non permissurum, ut Baalem confunderet, et se solum Deum verum ostenderet.

Vers. 32. 32. FECITQUE AQUÆDUCTUM QUASI PER DUAS ARATIUNCULAS, IN CIRCUITU ALTARIS, — scilicet quasi per duos sulcos, sive per duo spatia, quæ arari poterant. In Hebræo significatur aquæductus fuisse tantus, ut caperet duo sata. Habet enim, *juxta domum* : id est saccum vel mensuram *duorum satorum seminis*, *q. d.* Fecit alveum vel areolam excavatam circum altare tantam, ut caperet saccum continentem duo sata, id est duos modios seminis. Ita Vatablus. Male ergo quidam sic exponit, *q. d.* Fecit tantum alveum, quantus est in quo seminantur duo sata. Sic enim alveus hic fuisset major alveo Tiberis vel Rheni. Satum enim est mensura Hebræa capiens tantum, quantum modius apud Romanos. Jam modius, dum seminatur, integrum agrum implet. Porro Hebræi *domum* vocant saccum vel vas quodlibet, quod semen aliamve rem continet.

Fecit hoc Elias, tantumque aquæ circa altare effudit, ne quis putaret eum sub altari abscondisse ignem, ac proinde ignem ab eo e cœlo evocatum, non e cœlo descendisse, sed in terra ab eo absconditum, inde in altare more suo ascendisse. Audi S. Chrysostomum, homil. *De Petro et Elia*, quam ex Metaphraste recitat Surius, die 1 augusti : « Attende quid dicturus sum, vidi enim ipse quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore parte altaris, et fovea quædam obscura; descendunt autem erroris artifices in foveam illam, et ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cœlestem existiment esse. Ne igitur et Elias in suspicionem veniret, quod et ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa, nulla esse infra altare foramina ostenderet; ubi enim aqua foramen invenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat, necesse est. »

Fabulatur R. Salomon Eliam, cum tantum alveum aqua in hydria allata implere non posset, fecisse ut pars aquæ ex hydria a se effusæ manus suas attingeret, itaque novo miraculo ex Eliæ manibus, quasi e duobus fontibus aquas largissimas emanasse, quæ totum alveum implerent, ideo-

que IV *Reg.* III, 11, dici ab Eliseo in Eliæ manus aquam effusam.

Vers. 38. 38. CECIDIT AUTEM IGNIS DOMINI, ET VORAVIT HOLOCAUSTUM, — quasi cibum Dei. Victimæ enim sunt quasi cibus Dei. Scribit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. XIII, locum hunc igne Dei consumptum usque ad sua tempora perdurasse. Vide dicta *Isaiæ* LXIV, 2, ad illa : « Aquæ arderent igni. »

Vers. 39. 39. QUOD CUM VIDISSET OMNIS POPULUS, CECIDIT IN FACIEM SUAM, ET AIT : DOMINUS IPSE EST DEUS, DOMINUS IPSE EST DEUS. — Hebraice, *Jehova ipse est Elohim, Jehova ipse est Elohim, q. d.* יהוה *Jehova* qui primus hoc nomen suum indicavit Moysi, *Exodi* VI, 3, ac hoc nomine ab eo et cæteris Israelitis invocatus est, ipse est solus verusque Elohim, id est Deus, et Numen omnia gubernans, cœlum et terram moderans, a quo proinde nos cæterique homines omnem alimoniam omneque bonum exspectare et postulare debemus; אלהים *Elohim* enim significat Deum, quatenus habet providentiam rerum omnium, omniaque regit, judicat et vindicat. Hinc Hebræi dicunt sumptum nomen Eliæ, sive, ut Hebraice vocatur, אליהו *Eliahu* qui prius vocabatur *Jaberscuah. Eliahu* enim idem est quod אל יה וה *El Ia hu*, id est *fortis Deus ipse.* Jam *El* est abreviatum *Elohim*, *Ia* est contractum *Jehova*, *hu* est *ipse.* Sic מכבי *Machabi*, id est *Machabæi* nomen a Juda et fratribus sumptum est ex illo *Exodi* XV, מי כמוך באלים יהוה *Mi camocha Baelim Jehova*, id est, *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Hoc enim velut insigne et emblema suæ pugnæ et victoriæ præferebant Machabæi, nullam in sua fortitudine spem, sed totam in Deo collocantes. Elias enim Dei ope fortior evasit Achabo, Jezabele et Baalitis, non tantum passive, eorum persecutiones fortiter sustinendo, sed active, omnes mactando, sic S. Liduina, qui in morbis plurimis et acerbissimis per annos 30, et amplius admirabile fuit patientiæ speculum, hoc nomen quasi omen futuræ sapientiæ accepit. *Liduina* enim Belgice idem est quod *lata patientia*, uti habet ejus Vita in initio apud Surium, tom VII, die 4 aprilis. Sic Mars Græce dictus est ἄρης, quod naturam habeat ἄῤῥηκον, id est infractam, invictam et immutabilem, ait Plato in *Cratylo*. Unde ad hoc etymon alludens Virgilius :

Eliæ etymon: Machabæorum.

Et aliorum.

Infractos adverso Marte Latinos,

nuncupat. Sic Agamemnon, ait Plato, hoc nomen accepit ob laborum, quos perpessurus erat, tolerantiam; decem enim annis obsidens Trojam multa perpessus est. Unde ἀγαμέμνων dictus quasi ἄγανμένων, id est *valde manens* in obsidione Trojæ. Sic *Elias* athleta divinus idem est quod *fortis Domini*, vel *fortis Dominus*, in eo ejusque operibus.

Notat Benjamin in *Itinerario*, in Carmelo antrum Eliæ adhuc visi, altarisque diruti vestigia; cujus locus circularis fuerit, diametro fere cubitorum quatuor.

Vers. 40. 40. APPREHENDITE PROPHETAS BAAL, — et lucorum, puta universim 850, ut dixi vers. 19, quos omnes Elias jussu Dei, ut ipse ait vers. 36, præcepit occidi; quia ipsi erant antistites, doctores et auctores idololatriæ, ideoque blasphemi in Deum, quos Deus per Moysen jusserat occidi : ita Abulensis et alii. Audi Auctorem *De Mirabil. S. Script.* lib. II : « Quippe quia Elias erat in ea lege, quæ dicit *Levit.* cap. XXIV, blasphemum non patieris vivere. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus exstiterit. Ac per hoc qui idololatriæ cultores mactaverat, blasphemos et sacrilegos de terra purgabat. » Et S. Basilius, hom. 20 *De Ira* : « Illum, qui tanquam pharmaco, ad ea quæ oportet, ira utitur, Dominus minime condemnat, Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Phinees justa contra publice fornicantes ira, ut oportebat, usus, protinus utrumque trucidavit. Samuel regem Amalec justa ira in medium trahens occidit. Sic itaque fit ira sæpenumero bonarum actionum ministra. Elias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, et quadringentos sacrorum nemorum comedentes de mensa Jezabel, justa sapientique indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit. »

DUXIT EOS AD TORRENTEM CISON (ubi Barac cecidit Sisaram cum suis copiis *Judic.* IV, vers. 7); ET INTERFECIT EOS IBI, — ne terra sancta eorum scelesto sanguine pollueretur, neve eorum cadavera aerem inficerent, idcirco ea devolvit in « torrentem Cison, » nec in terra, sed in aquis decurrentibus sepelivit.

Vers. 41. 41. ET AIT ELIAS AD ACHAB : ASCENDE, COMEDE ET BIBE, QUIA SONUS MULTÆ PLUVIÆ EST, — *q. d.* Jam peracta est justa vindicta de impiis idololatris Deo injuriis : quare Deus jam quasi placatus reconciliari cupit Israeli, ac pluviam et fecunditatem illi denegatam restituere. Quocirca nunc mihi Deus revelavit pluviam mox venturam, imo ego eam video quasi venientem, ac sonitum venti vel tonitrui, qui ingentem pluviam præire solet, videor mihi audire : nullum enim adhuc signum pluviæ in aere apparebat, ut patet ex sequentibus : « Ascende » ergo, o Achab, « comede, bibe, » et exulta ob tam lætum pluviæ et fertilitatis nuntium, quod tibi affero.

Vers. 42. 42. ELIAS AUTEM ASCENDIT IN VERTICEM CARMELI, ET PRONUS IN TERRAM POSUIT FACIEM SUAM INTER GENUA SUA, — ut attentius et ardentius oraret Deum pro pluvia ab eo promissa, ut eam statim exhiberet. Hic enim gestus significabat humilitatem et attentionem orantis Eliæ, et Dei misericordiam, toto affectu implorantis : hoc enim situ est embryo in ventre matris, eoque quasi tacite suam miseriam ostendens, implorat Dei misericordiam, ut se in lucem educat. Audi S. Isidorum, lib. XI *Orig.* cap I : « Genua sunt commissiones femorum et crurum, et dicta genua, eo quod sint in utero genis opposita; cohærent enim sibi, et cognata

sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ : nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formentur, ut cavi et reconditi fiant. Ejus genua comprimit arcta gena : inde est quod homines, dum ad genua se prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim eos natura uteri materni remorari, ubi, quasi in tenebris considebant, antequam ad lucem pervenirent. » Hoc ipsum dixit Aristoteles, lib. VII *De Histor. animal.* cap. VIII : « Homo in semet conglobatus sic gestatur, ut nasus inter genua, aures extra genua habeat. »

Carmelitæ oriundi ex Carmelo.

Porro Abulensis hinc colligit Eliam, ab hoc tempore quo in monte Carmelo cœlitus ignem devoravit, eoque Baalitas prostravit, habitationem suam in eodem ad memoriam tanti beneficii et miraculi deinceps fixisse, atque eodem confluxisse ad ipsum plures viros religiosos, qui se totos Deo, orationi, et divinis rebus laudibusque tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiose Deum coluerunt; indeque orta est antiqua, et sancta Carmelitarum religio et familia. Unde septem Summi Pontifices Sixtus IV, Joannes XXII, Julius III, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V et Clemens VIII, in Bullis huic Ordini concessis, de professoribus hujus sacri instituti ita loquuntur : « Tanquam religionis speculum, et exemplar claritate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliæ et Elisei, et aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes. » Unde et Sixtus huic Religioni concessit, ut Eliam et Eliseum tanquam suæ institutionis patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod et ipsa Religio studiose servat, et in ipso officio nomen et solemnitatem patroni Eliæ tribuunt.

Hinc et Nicephorus, libro VIII, cap. III, asserit Helenam, Magni Constantini matrem, in Carmelo templum ædificasse Eliæ prophetæ. Sane tempore Eliæ et Elisei in Carmelo fuisse oratorium, vel synagogam, ad quam festis diebus populus conveniret tum orationis causa, tum ut Eliam, Eliseum et similes concionatores audiret, satis significatur lib. IV *Reg.* IV, 23; idque ibidem docent Lyranus, Abulensis et alii. Porro etiamnum Carmelitæ Eliæ festum solemne celebrant die 20 julii, quo die Elias Martyrologio Romano ascriptus est. Vide Suarez, lib. II *De Relig.* cap. X.

Exstat in *Biblioth. Patrum*, tom. IV editionis tertiæ Coloniensis, pag. 725, liber Joannis XLIV, Jerosolymorum Episcopi *ad Caprasium*, de institutione monachi, in quo Carmelitarum institutum per omnia ab Elia derivatum ostenditur, quem librum nonnulli recentiores vetustum esse autumant, auctoremque faciunt Joannem Jerosolymitarum Episcopum, qui vixit tempore S. Hieronymi, et ab eo velut Origenista notatus est : sed id multis refutant Doctores Colonienses in præfat. libri; ac Baronius tom V, anno Christi 444, et Bellarminus, *De Script. Eccles.* pag. 95, qui censent, stylum esse hominis Latini, et posteriorum temporum.

Denique Salomon montis hujus meminit *Cantic.* cap. VII, 15, dicens : « Caput tuum ut Carmelus. » Vide ibi dicta. Porro Carmeli nomen apte repræsentat statum Religionis, tum quia hic piis institutis et meritis abundat, sicut Carmelus frugibus et fructibus; tum quia *Carmel* Hebraice idem est quod *scientia circumcisionis*, scilicet mortificationis, passionum, cupiditatum et affectuum terrenorum, quæ dicitur in Religione, quasi in propria hujus rei schola.

Quamobrem jure S. Hieronymus hos omnes quos diximus, veteris Testimenti « monachos » vocat, idemque alio loco seipsum monachis annumerans : « Noster, inquit, princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filii prophetarum; » quod iisdem pene verbis dicit Isidorus, lib. II, cap. XV, qui in libro *De Ecclesiasticis officiis*, hunc utrumque et cæteros prophetas « monachorum » appellat « principes. » Ad quos etiam accedit aperte Cassianus, lib. I, cap. II, qui ab iis ait monasticæ professionis primordia esse fundata. Elias enim sine uxore, sine liberis, sine familia castam cælibemque semper egit vitam : in tanta insuper paupertate, ut vestium loco, zona pellicea amictus describatur; victum autem modo a vidua, modo a corvo quasi mendicatum acciperet.

Hinc et S. Chrysostomus ait, hom. 2 *ad Populum* : « Quid, dic mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper erat; ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit, etc., rex pauperis indigebat, et verbis nihil plus quam meloten habentis inhiabat. »

Addit Adrichomius in *Carmelo* : In hoc monte spelunca est et fons, ubi habitabant Elias et Eliseus, et filii prophetarum : postea habitaverunt (et etiamnum habitant) ibi Fratres Carmelitæ; unde et originem et nomen habent.

43. PROSPICE CONTRA MARE — Mediterraneum : inde enim in terra sancta nubes et pluviæ ex maris vaporibus exoriri solent. Sciebat Elias ex Dei revelatione, mox venturam pluviam; sed ut regem et populum eam avidissime exspectantem solaretur, et in pluviæ spe confoveret, utque appareret a Deo per preces Eliæ hanc pluviam singulari dono dari; hinc mittit puerum septies, ut in mare signum pluviæ, puta nubes prospectet, illudque cum apparuerit, sibi populoque renuntiet. Vers. 43.

44. ECCE NUBECULA PARVA QUASI VESTIGIUM (pedis) HOMINIS ASCENDEBAT DE MARI. — Hebræus, *parvula quasi vola hominis*; Vatablus, *ad magnitudinem volæ hominis*; Chaldæus, *nubes parva sicut vola manus hominis ascendit de Occidente*, id est de mari Mediterraneo; hoc enim est ad Occidentem Judææ. Vers. 44.

Nota : vola tam de pedibus quam de manibus dicitur : Hebraice enim כף *caph*, id est *vola*, proprie est curvitas, sive concavitas tam pedum,

quam manuum, imo et cochlearium aliarumque rerum curvarum; Chaldæus hic accipit volam manus: Noster vero « volam pedum. » Unde vertit, « vestigium hominis; » idque congruentius: videbatur enim Deus hic in nube, quasi pedibus descendere ad dandam Israeli pluviam et terram fecundandam.

Elias typus Christi.

Allegorice S. Augustinus, serm. 201 *De Temp.*: « Elias, inquit, figuram habuit Domini Salvatoris. Elias oravit et sacrificium obtulit, et Christus pro universo mundo seipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli et Christus in monte Oliveti. Elias oravit, ut pluvia in terram veniret, et Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet. Quod autem Elias dixit ad puerum suum : Vade, et considera septies, septiformem Sancti Spiritus gratiam quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit se vidisse nubeculam parvulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat. » Probat idipsum ex Evangelio, dum subdit : « Quamobrem ne forte aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse dixit, illius utique hominis, qui dixit : Quem dicunt homines esse filium hominis? sicut ergo orante Elia, post tres annos et sex menses pluvia de cœlo descendit : ita et in adventu Salvatoris tribus annis et sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit. Et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt et deleti, ita in adventu veri Eliæ, id est Domini nostri Jesu Christi observatio sacrilega Paganorum destructa est. » Eadem ex S. Augustino transcripsere Beda, Angelomus, Eucherius.

Simile et quasi parallelum Eliæ fuit Aniani Episcopi factum. Cum enim Attila rex Huunorum obsideret Aureliam ad Ligerim, Anianus civès hortatus est, ut sperarent in Deum, ejusque opem implorarent, quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conversus dixit : « Prospicite de muris num subsidium adveniat. » Putabat enim Aetium adventare. Prospicientes autem, neminem viderunt. At ille : « Orate iterum cum fide : vos enim hodie Dominus liberabit. » Et cum fecissent : « Prospicite iterum, » inquit. Nemine autem apparente dixit illis : « Si cum fide orabitis, Dominus sine dubio nobis aderit. » Illi vero cum fletu magno misericordiam Dei invocare cœperunt. Inde ex sancti Episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam quasi de terra surgentem viderunt; quod renuntiantibus dixit : « Atqui hoc Domini auxilium est. » Hunnis proinde id oppidum invadentibus, tanta vis aquæ de cœlo decidit, ut coacti sint in castra reverti. Sequenti die trementibus et fatiscentibus assiduis jam ictibus arietum muris, ecce Aetius Valentiani III dux, et Theodoricus Gothorum rex, ac Thorismundus filius ejus cum suis quisque exercitibus prodierunt, commissoque certamine Attilam ab urbe propulerunt. Hæc ita acta Gregorius Turonensis refert, libro II, cap. VII.

Vers. 46. 46. ET MANUS DOMINI FACTA EST SUPER ELIAM, ACCINCTISQUE LUMBIS CURREBAT ANTE ACHAB. — « Manus, » id est vis, virtus, alacritas, agilitas ad currendum, *q. d.* Deus dedit robur, vires et alacritatem Eliæ, ut licet ipse esset jejunus, fessus et debilis ex longa concertatione cum Baalitis, item ex prolixa oratione, sacrificio et impetratione pluviæ, tamen curreret, imo præcurreret currum Achab, qui concitatis equis procurrebat, ut pluviam evaderet. « Currebat » ergo Elias, ut Achab et Israelitæ agnoscerent auctore Deo datam esse pluviam per preces Eliæ : item ut officium honorarium præstaret regi suo Achab, eum stipando, præeundo et præcurrendo.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jezabel minatur mortem Eliæ; ille fugit ac sub junipero pastus ab Angelo, pergit in montem Horeb : ubi, vers. 10, *rogatur a Deo quid ibi agat, queritur prophetas occisos, se quoque posci ad necem; mox Deus, ei apparens in sibilo auræ tenuis, jubet ut ungat Hasael in regem Syriæ, et Jehu in regem Samariæ, ac Elisæum in prophetam sibi successurum; idipsum mox exequitur, vers.* 19, *ac projecto in Eliseum pallio illum sibi socium adoptat.*

1. Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, et quo modo occidisset universos prophetas gladio. 2. Misitque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens : Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas; venitque in Bersabee Juda et dimisit ibi puerum suum. 4. Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait : Sufficit

mihi, Domine, tolle animam meam ; neque enim melior sum quam patres mei. 5. Projecitque se et obdormivit in umbra juniperi; et ecce Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, et comede. 6. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ : comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit. 7. Reversusque est Angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi : Surge, comede ; grandis enim tibi restat via. 8. Qui cum surrexisset, comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. 9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca ; et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi : Quid hic agis, Elia ? 10. At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel; altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam. 11. Et ait ei : Egredere, et sta in monte coram Domino; et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum : non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio ; non in commotione Dominus. 12. Et post commotionem ignis : non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. 13. Quod cum audisst Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum dicens : Quid hic agis, Elia? Et ille respondit: 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel ; altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus et quærunt animam meam ut auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum : Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum ; cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam. 16. Et Jehu filium Namsi unges regem super Israel : Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te. 17. Et erit : quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu ; et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus. 18. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os quod non adoravit eum osculans manus. 19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat : cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. 20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait : Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei : Vade, et revertere ; quod enim meum erat, feci tibi. 21. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt : consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.

Vers. 3. 3. TIMUIT ERGO ELIAS (furorem et potentiam Jezabelis, de quo vers. 4. Vide Abulensem, *Quæst.* III), ET DIMISIT PUERUM, — scilicet famulum, ut solus secretus fugeret et lateret.

Vers. 4. 4. PERREXIT IN DESERTUM, etc., CUMQUE VENISSET, ET SEDERET SUBTER UNAM JUNIPERUM. — « Juniperus » enim amat loca calida et sicca; unde abundat in Syria, ac præsertim in deserto. Unde Plinius, lib. XVI, cap. XXX : « Junipero, ait, eadem virtus quæ cedro. » Et cap. XL : « Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotus, buxus, taxus, juniperus. » Hinc baccæ juniperi sunt calidæ, robustæ et efficaces ad stomachum calefaciendum, siccandum et roborandum instar piperis et sinapis. Talis est vir zelosus, de quo vere dicas illud Arabum adagium : « Præstat granum piperis (vel juniperi) decem peponibus. » Zelosus enim instar parvi piperis, vel juniperi, si frangatur, vel confricetur, ignes amoris divini exhalat, quibus auditores ad bonum stimulat, pungit, accendit.

Apposite ergo sub juniperi umbra quievit Elias; juniperi enim baccæ, quæ ardent instar piperis, repræsentant ardorem et zelum Eliæ; sed hic temperandus erat umbra patientiæ et humilitatis : juniperus enim cum sit parva, parvam humilemque dat umbram. Talis fuit Juniperus, unus e primis sociis S. Francisci, de quo in *Annalibus Waddingi* ita legimus, anno Domini 1210, num. 35 : « Suæ etiam tunc aggregavit (S. Franciscus) Sodalitati B. Juniperum tantæ humilitatis et simplicitatis virum, ut ab imperito vulgo fatuus crederetur. Incredibilia pene videntur quæ fecit, et dixit ad imam sui dejectionem, nec alius quisquam tam honoris avidus, quam hic vituperii. Proinde cum ab aliquo afficeretur opprobriis, B. Juniperus.

fimbrias pauperis lacernæ expandens dicebat ei : Amice, projicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis, imple, ne timeas : injurias et opprobria, lapides appellans pretiosos. Quando redibat domum, hujusmodi secum habebat sermonem : O inutilis frater, qua fronte redis ad patres? quo te admittent titulo? certe si hospitii gratia te sub tecto colligant, et panem arctum et aquam brevem dederint, rem magnam et tuis meritis majorem præstabunt : juste certe te repellent tanquam sua indignum societate. Ejus simplicitatem S. Franciscus admirans, adstantibus dicebat : Utinam, fratres, de hujusmodi Juniperis integram sylvam haberemus! » alludens ad nominis etymologiam et proprietatem, quia teste B. Isidoro, ut cinis juniperi diutissime accensos ejusdem ligni carbones servat, sic hic in sacro pectore accensum servabat amorem. Et sicut juniperus est obsita aculeis, et secundum Hieronymum semper floret, semper novos affert fructus, et nunquam deponit virorem suum : sic hic pœnitentiæ compunctione et asperitate fovebat in se divinæ charitatis viriditatem. Pro *Juniperum* Hebraice est רתם *rothem*, quod retinentes Septuaginta vertunt *Ratham*, ut habent Complutensia, vel *Rathmon*, ut habent Romana : hinc aliqui putarunt *Rathmon* esse *rhamnum*. Audi S. Methodium, tract. *De Castitate*, apud Photium in *Bibliotheca* : « Rhamnus virginitatem denotat (quia enim aculeatus est et pungit, hinc denotat vitam asperam et mortificationem, quæ parens est et nutrix castitatis) : Rhamnus enim arbor casta est, et fortasse ex simili quadam cum virgine natura stirps hæc ἁγνὸς appellatur; rhamnus quidem propter robur et fortitudinem contra voluptates : ἁγνὸς vero, quod omni ex parte casta et pura sit. Unde et Eliam ferant a facie Jezabelis mulieris fugientem ad Rhamnum primum venisse, atque exauditum fuisse, cibumque accepisse; quia fugientibus stimulum carnis et feminam et voluptatem, perfugium et tegumentum castitatis lignum germinavit, quod ab auctore virginitatis Christo plantatum est eis, qui virginitatem complectuntur. » Sicque explicat illud *Judic.* IX, 14 : « Dixerunt omnia ligna ad rhamnum : Veni et impera super nos, » quia cum ficus, id est, lex naturæ in paradiso, et vitis, id est lex naturæ data Noe post diluvium, qui reperit vitem et vinum, ac olea, id est, lex Moysis et Prophetarum (hi enim ungebantur oleo) fœtentia hominum vulnera curare nequivissent : « Misit quarto Deus rhamnum, id est castitatem, quæ illis imperaret, quæ voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quod nisi sibi parerent omnes, et sincere ad se accederent, futurum, ut omnes flammis absumerentur : nullam enim post hanc aliam legem secuturam, sed judicium et ignem. Hinc cœpit homo justitiam colere, Deoque constanter per fidem adhærere, et se a diabolo sejungere. » Hucusque S. Methodius.

Allegorice Rupertus, lib. V, cap. X, per juniperum accipit sanctam et vivificam Dei crucem, ad quam confugit fidelis, dum timore aliave tentatione pulsatur : illic ambit mortem, illic optat commori Christo, quia ejus cruci totum se subjicit, optatque ei configurari et concrucifigi. Juniperus est crux Christi.

PETIVIT ANIMÆ SUÆ (id est *sibi;* est Hebraismus) UT MORERETUR. — Unde tantus pavor, tanta consternatio in Elia, qui paulo ante impavidus certarat cum Achab et Baalitis, eosque superaverat? Respondeo *primo*, quia subduxit Deus illi robur a se inditum, ut agnosceret Elias illud fuisse donum Dei, se vero ex natura sua timidum, uti sunt alii homines. Hac de causa solet Deus sanctos, qui præclara gesserunt, objicere timoribus et tentationibus, ut eos conservet in humilitate, ne efferantur, sed cogantur ad Deum recurrere. Ita S. Chrysostomus, homil. *De Elia et Petro*, quæ exstat apud Surium die prima augusti : « Deus, inquit, declarare voluit miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed a sua ipsius potentia facta fuisse. Vide quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur, Reges, Principes et populi Eliæ succumbebant; cum vero Deus abscessisset, etiam mulier una prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, et natura humana redarguta fuit. » Et paulo post : « Non uno, aut altero, sed quadraginta diebus aufugit, et ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tanquam ebrius præ metu, cætera nihil curabat, sed desertas tantum regiones sequebatur. » Idem pene hic habent Angelomus et Rabanus : « Sancti, inquiunt, viri, sublevante spiritu, ad summa rapiuntur, quamdiu vero in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimuntur. »

Addit S. Chrysostomus Deum voluisse hoc metu punire crudelitatem Eliæ, qua 800 pseudoprophetas occiderat. Verum hoc est improbabile, cum hoc fecerit jussu Dei ex zelo, ad tollendam idololatriam.

Secundo, quia Jezabel videns prophetas suos omnes ab Elia occisos, furebat contra Eliam, ad eum dirissime excarnificandum, et habebat in manu Achab regem maritum suum, per quem poterat innumeros milites in Eliam immittere. Quare magis timuit Elias Jezabelem, quam Achab et Baalitas. Nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. XXV, vers. 23 : « Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. » Unde S. Ambrosius, *epist.* 23, graviores ait esse tentationes mulierum, quam virorum, utpote quibus viri fortes victi prostratique sint. Sic et S. Bernardus, *serm.* 64 inter parvos. Hinc S. Petrus, qui pugnarat contra totam cohortem, et Malcho aurem amputarat, timuit ancillam, ejusque metu Christum negavit.

UT MORERETUR. — Dices : Elias fugiebat Jezabel volentem se occidere, fugiebat ergo mortem. Cur ergo eamdem hic optat? Respondeo *primo*, quia

in fuga ejusque difficultatibus, et viæ ærumnis crevit labor, indeque dolor, et mœror Eliæ, qui ita eum depressit, ut optaret mortem ad ærumnas tot tantasque evadendas, quam prius fugerat. Sic videmus eos, qui pestem mortemque evaserunt, si postea in graviores tribulationes et pericula incidant, optare dicereque : Utinam mortuus fuissem cum sociis, utinam pestis me cum cæteris abstulisset. Tales fuere Græci, qui capta Troja redeuntes, acerrima tempestate jactati optarunt se in obsidione Trojæ occubuisse :

> Quid fata possunt? invidet Pyrrhus patri;
> Ajaci Ulysses, Hectori Atrides minor :
> Priamo Agamemnon. Quisquis ad Trojam jacet
> Felix putatur, (ait Seneca in *Agamemnone*).

Secunda et potior causa fuit, quod Elias timeret occidi a Jezabele, non quod mortem metueret, sed ne videretur superatus et victus a Jezabele, et cum ipso vera Dei religio. Jezabel enim jactasset se occidisse Eliam, et cum eo supplantasse Dei fidem et cultum. Optat ergo a Deo sibi mortem immitti, ne illa a Jezabele inferatur non tam sibi, quam Dei cultui et religioni. Sic Herodias occidit S. Joannem Baptistam Eliæ antitypum, et Eudoxia, S. Chrysostomum. Vide S. Petrum Damianum, tom. II, serm. 2 *De S. Vitali.*

Allegorice, Elias repræsentat hic infirmitatem Christi paventis in horto. Ita Rupertus, lib. V, cap. X.

SUFFICIT MIHI, DOMINE (huc usque vixisse, ac tot tantisque beneficiis a te ornatum fuisse. Sufficit mihi vicisse Achab, et pseudoprophetas occidisse). TOLLE (ergo) ANIMAM MEAM, — ne eam tollat Jezabel cum meo æque ac tuo dedecore et infamia.

NEQUE ENIM MELIOR SUM QUAM PATRES MEI, — tum prisci Abraham, Isaac, Jacob, etc.; tum proximi, nimirum prophetæ jam ante a Jezabele occisi, quos ego ut me seniores et patres, imo ut martyres veneror.

Vers. 5. 5. PROJECITQUE SE ET OBDORMIVIT IN UMBRA JUNIPERI, — ex lassitudine itineris, et ex mœrore animi. Porro umbra juniperi exilis est, cum juniperus pro frondibus spinas habeat, et noxia. Nam, ut ait Virgilius, *Ecloga* 10: « Juniperi gravis umbra : » quare umbra hæc potius capitis dolorem et mœrorem in Elia auxit, quam minuit. Unde umbra hæc typus est humanorum præsidiorum, quæ cum vana sint et noxia, ad eam tamen confugiunt homines, dum potius ad Dei Christique umbram et protectionem, velut utilem et solidam confugere deberent cum sponsa, quæ ait *Cantic.* cap. II, vers. 3 : « Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Et cum Jeremia, *Thren.* IV, 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in Gentibus. » « Christus enim, ut ait S. Bernardus, serm. 2 *Super missus est,* parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. » Hinc rursum Jeremias, cap. XVII, vers. 5 : « Maledictus, inquit, homo qui confidit in homine, etc. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino. »

7. GRANDIS TIBI RESTAT VIA, — usque in mon- Vers. 7.
tem Horeb, ut ibi videas et audias Deum vers. 11, uti vidit et audivit Moyses. Sic cuique fideli grandis restat via ad culmen sanctitatis et perfectionis, et grandior via restat in cœlum empyreum.

8. AMBULAVIT IN FORTITUDINE CIBI ILLIUS QUADRA- Vers. 8.
GINTA DIEBUS ET QUADRAGINTA NOCTIBUS USQUE AD MONTEM DEI HOREB. — Hinc patet huic cibo et pani admirandam a Deo inditam fuisse virtutem, ut Eliæ vires sufficerent ad iter agendum sine alio alimento per 50 dies et noctes. Unde Auctor *Mirabilium S. Scriptur.* lib. II, cap. XIX, asserit panem hunc mirabiliter factum manibus Angelorum, licet Abulensis naturalem et communem putet fuisse, cui Deus hanc vim ad confortandum Eliam indiderit, ut alio cibo non indigeret.

Tropologiam totius historiæ habet S. Bernardus toto *serm.* 64 inter parvos.

Allegorice per panem hunc Eliæ, Patres accipiunt Eucharistiam, cujus virtute per 40 dies, id est per totam vitam, quæ nobis est tempus jejunii et pœnitentiæ, ambulamus « ad montem Dei Horeb, » ut scilicet videamus « Deum deorum in Sion. » Ita Paschasius Radbertus, lib. *De Sanguine et Corpore Domini,* cap. X; Algerus, lib. II *De Sacramento Altaris,* cap. I; Rupertus, lib. V, cap. X; R. Samuel Marochius, lib. *De Adventu Messiæ,* cap. XX.

Anagogice, panis hic repræsentat suavissimam refectionem Sanctorum in cœlo, per quam non 40 diebus, sed per omnem æternitatem sine cibo sani, fortes, læti et gloriosi permanebunt. Ita Rupertus.

QUADRAGINTA DIEBUS, — sine alio cibo, ideoque jejunus. Paucorum dierum iter est a Bersabee usque in montem Horeb, scilicet quatuor, vel quinque; præsertim cum Elias tam nocte quam die ambularet, et timor ei adderet alas, ait Serarius. Unde patet eum metu, pavore, mœrore et angore perculsum, vagabundum incessisse, huc illucque divertendo, quo eum voluntas ferebat, non autem rectum tenuisse iter; ac forte nec sibi in animo præfixisse viæ terminum, scilicet ire in Horeb. Ita Abulensis.

Nota hic Eliam jejunasse 40 diebus, æque ac fecit Moyses, et postea Christus, cujus imitatione Ecclesia instituit jejunium Quadragesimæ.

Scripsit S. Ambrosius librum *De Elia et jejunio,* in quo ostendit commoda jejunii, affertque varia hac de re e sacra Scriptura exempla, æque ac nocumenta ebrietatis et intemperantiæ.

HOREB. — « Horeb » est mons Sinai, uti ostendi *Exodi* cap. XVII, vers. 6, in quo Moyses legem a Deo accipiens cum eo collocutus est, *Exodi* XIX, ut scilicet in eodem Elias pro lege Dei patiens et pugnans, cum eodem colloqueretur, et modum ad eam propugnandam ab eo acciperet.

Vers. 9. 9. MANSIT IN SPELUNCA. — In hac spelunca (ut videtur) Moyses a Deo obtectus, *Exodi* XXXIII, 22, vidit tergum et gloriam Dei pertranseuntis, ideoque in illa eamdem vidit hic Elias, sed alio schemate. Moyses enim vidit in specie ingentis lucis et splendoris. Elias vero in specie sibili auræ tenuis; ita R. Salomon, Lyranus et alii. Hinc spelunca hæc priscis fuit in magna veneratione, adeoque Josephus, lib. II *Antiq.* cap. XII, tradit, ante Moysis ætatem, locum illum ita antiquis visum esse sacrum, ut pastores religione quadam prohiberentur greges ad illum montem appellere, quia ibi divinum esse aliquid suspicabantur.

Symbolice S. Gregorius, lib. II *in Ezech.* homil. 13 : « Elias, ait, cum vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stetisse describitur, et faciem velasse; quia cum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia animam carnis cura non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed jam qui in ostio speluncæ consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet : quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quanto sublimius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere, quam oportet sapere. » Et nonnullis interjectis : « Aurem enim intendere, et faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, et ubique circumscripta est. »

Vers. 10. 10. ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITUUM, — ut tollerem cultum Baal et idolorum, et ideo 850 eorum antistites occidi. Rursum verti potest cum Vatablo, *mira zelotypia teneor pro Domino Deo, q. d.* Crucior in honorem Dei quadam quasi zelotypia, et quasi sustinerem Dei personam; crucior, cum videam synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficere, et ad Baal quasi ad adulterum transire.

ALTARIA TUA DESTRUXERUNT. — Præter altare enim a Deo constitutum in templo Jerosolymæ, multi ab ea remoti in montibus vicinis altaria Deo vero erexerant, quæ vocabantur « excelsa, » in iisque sacrificabant, quæ licet Deo minus placerent, tamen ipse ea spiritu hæretico et impio, quasi illa essent Dei falsi, non veri, everti nolebat. Ita Abulensis et Serarius.

Vers. 11. 11. ET AIT (Angelus Dei vicarius) EI : EGREDERE ET STA IN MONTE CORAM DOMINO : ET ECCE DOMINUS TRANSIT, ET SPIRITUS GRANDIS ET FORTIS SUBVERTENS MONTES, ET CONTERENS PETRAS ANTE DOMINUM : NON IN SPIRITU DOMINUS; ET POST SPIRITUM COMMOTIO, NON IN COMMOTIONE DOMINUS; ET POST COMMOTIONEM IGNIS, NON IN IGNE DOMINUS; ET POST IGNEM SIBILUS AURÆ TENUIS. — Hebraice, *sibilus*, vel *vox tacita*, sive submissa et gracilis. Septuaginta addunt κἀκεῖ Κύριος, id est *et ibi* (in sibilo) *Dominus*.

Deus in sibilo auræ tenuis. Cur? Causa prima.

Nota finem et scopum hujus visionis fuisse, ut Deus Eliam ira, tædio et dolore ob licentiam, impunitatem et scelera Jezabelis, et Baalitarum succensum consolaretur, mitigaret et erudiret. *Primo* ergo ipsius oculis et sensibus, offert ventum validissimum, adeo ut is videretur subversurus montes, et contriturus petras; mox ingentem terræ motum; deinde ignem ardentem et flagrantem, *q. d.* Mihi, o Elia, venti, terra, ignes, adeoque omnia elementa, omnesque creaturæ mediæ, summæ et imæ ad manum sunt, ut idololatras et Jezabelem perdam : at hic modus providentiæ et clementiæ meæ non est ordinarius et usitatus, nec congruus; ideoque nolo eo uti, unde ait : « Non in eo Dominus. » Quarto denique loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, sive spiritum et sibilum repræsentantem se, et suam clementiam ac providentiam : spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam et longanimitatem ad punienda peccata, quam imitari et induere debeat Elias, et quivis vir Apostolicus. Ita S. Irenæus, lib. IV *Contra hæres.* cap. XXXVII : « Docebatur, ait, propheta turbatior et concitatior ad vindictam mitius agere. » Et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XV : « Sedet in throno spiritus ejus (id est Dei) mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis apertus et simplex, quem tertio vidit Elias : nam ubi Deus, ibi et alumna ejus, patientia scilicet. » Et S. Macarius, *homil.* 6 : « Ecce, inquit, vox auræ tenuis, et in ea Dominus. Liquet ergo quod quies Domini sita est in pace et tranquillitate. » Et Theodoretus, *Quæst.* LVII : « Per hoc, ait, ostendens quod lenitas, benignitas et clementia sola est Deo grata : unumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas. » S. Chrysostomus, homil. 1 *De Elia*, in fine asserit, ideo Deum cito rapuisse Eliam, ne, si diutius viveret, igne et zelo ejus perderetur orbis, sed in zelum severum Eliæ severior est Chrysostomus. Sic et Procopius.

Secunda. *Secundo*, hic lenis spiritus sive sibilus detulit vocem Dei ad Eliam, qua Deus eum nimis perturbatum, pusillanimem, putantemque se unicum superesse Dei cultorem et prophetam, erudivit; unde ait : « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, » *Roman.* cap. XI, vers. 4.

Tert ia. *Tertio*, spiritus hic subtilis significabat Dei virtutem, efficacitatem et vindictam omnia penetrantem. Unde indicavit Eliæ modum vindictæ in Baalitas exercendæ per Hazael, Jehu et Elisæum, non per ventum, terræ motum et ignem. Ita Ca-

Jetanus et Antonius Fernandius in *Visionibus veteris Testamenti*, visione 9.

Igitur spiritus hic lenis simul erat subtilis et acer. Deus enim Deique sapientia et providentia operatur et castigat tam fortiter, quam suaviter. Igitur Deus hac visione non volebat Eliæ zelum vindictæ improbare, sed moderari duntaxat, ut non fieret ex ira et perturbatione animi, qualis erat in Elia; sed ex lenitate et amore justitiæ. Unde mos eidem vindictæ rationem et modum præscribit, scilicet ut ungat in regem Hazael et Jehu, ac Elisæum in prophetam, ut ipsi eamdem peragant.

Porro hæc omnia per Angelos, utpote Dei administros, ut ait Apostolus, *Hebr.* cap. I, 14, facta sunt. Unde Chaldæus vertit : *Ecce gloria Domini revelatur, et ante eum erat exercitus Angelorum venti disrumpentium montes, et confringentium petras ante Dominum : non erat in exercitu Angelorum venti majestas Domini, et post exercitum Angelorum venti erat exercitus Angelorum commotionis* (excitantium terræ motum) : *non erat in exercitu Angelorum commotionis majestas Domini : et post exercitum commotionis, exercitus Angelorum ignis : non erat in exercitu Angelorum ignis majestas Domini : et post exercitum Angelorum ignis vox canentium in silentio*, quasi demulcentium Eliæ animum mœrentem et perturbatum.

Symbolice. Symbolice, hac visione significabatur Dei natura et majestas, quæ non est ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus, sed subtilissimus, mitissimus et purissimus spiritus. Hæc ergo Dei apparitio fuit quasi « scintillatio divinitatis, » ut loquitur Tertullianus, quæ sui reverentiam a nobis extorquet. Rursum, significatur hic Dei indoles, cui propria est lenitas et clementia. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodammodo facit invitus et « tactus dolore cordis intrinsecus, » quia proprium est illius miserere et parcere; atque ideo non inhabitare dicitur in turbine et igne, quia hæc aliquid sonant horribile et humanis commodis importunum, sed in aura tenui, quæ recreat et reficit laborantem spiritum, ait Sanchez ex Theodoreto, etc. Sic et S. Gregorius, libro V *Moralium*, cap. XXVI, cujus verba mox recitabo.

Allegorice. Allegorice, repræsentabatur Christi Salvatoris in mundum venturi spiritus fore diversus, et adversus spiritui Moysis, Eliæ et legis veteris. Deus enim in Horeb, sive Sina, dans legem Moysi, audiri fecit tonitrua, micare fulgura, ignes coruscare, montem tremere, *Exodi* XIX et XX, ut duros Judæos sui suæque legis metu percelleret. Idem fecit hic Elias, cum per eum violatam legem, suique cultum restaurare vellet. At vero cum Filius Dei in carnem descendit, venit in spiritu lenitatis et mansuetudinis, juxta illud *Isaiæ* XLII, 1, quod citat S. Matthæus, cap. XII, 19 : « Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus; arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet. » Unde, cum Joannes et Jacobus vellent ut Christus in Samaritanos eum non recipientes instar Eliæ e cœlo vibraret ignes et fulmina, ipse eos repressit, dixitque : « Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, » *Lucæ* IX, 55. Ita S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXVII : « Domini, inquit, adventus significabatur post legem, quæ data est per Moysen, mitis et tranquillus, et regni ejus mitis et mansueta requietio. » Et Rupertus : « Non in variis, inquit, Judæorum captivitatibus erat finis, nondum venerat Messias; sed in spiritu auræ lenis, id est occultus et secretus fuit ejus adventus, quem quasi de aura tenui, id est de Spiritu Sancto Maria Virgo concepit. » Hunc spiritum lenitatis Christus commendavit et impressit S. Petro, Paulo cæterisque Apostolis et fidelibus. Unde hic est spiritus legis gratiæ et novi Testamenti, qui longe potentior et efficacior est spiritu timoris et terroris veteris Testamenti. Huc facit apologus de Euro vento validissimo certante cum sole, uter esset potentior, uter scilicet viatori pallium excuteret. Sane non excussit Eurus, imo viator Euro flante magis pallio se involvit, ut Euro resisteret; sed illud ei suo ardore et calore sudorem ei excutiens extorsit sol : simili modo plus valet, plus potest lenitas quam violentia; plus amor quam timor, plus ardor quam terror. Recitat fusius hunc apologum B. Petrus Damianus, lib. I, epist. 16 *ad Alexandr.* II *Pont.* additque : « Si Roboam senum consiliis acquiescens populo mitia respondisset, totum Israel sui juris imperio subdidisset; sed quia coævorum suorum superbiæ credidit, divisis a se decem tribubus, sublimem regni potentiam humilem fecit. Rhinoceros etiam qui rabida persequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capi se gremio blandæ virginis non pavescit. »

Porro S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XXV, explicans illud *Job.* cap. IV : *Et vocem quasi auræ lenis audivi* : « Quid, inquit, per vocem auræ lenis nisi Spiritus Sancti cognitio designatur. Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum, tanquam per vehementem demonstratur, cum dicitur : Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cum se notitiæ humanæ imbecillitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce auræ lenis exprimitur; quia scilicet veniens et vehemens est et lenis; lenis, quia notitiam suam quatenus cognosci utcumque valeat nostris sensibus temperat vehemens, quia, quantumlibet hanc temperet, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. »

Tropologice. Tropologice significatur hic *primo*, modus quo Deus pœnitentes et perfectionis studiosos exercet et disponit, ut eos ad perfectionem suamque familiaritatem perducat. Primo enim eos terrore mortis, judicii et gehennæ quasi vento validissimo terræ motu et igne percellit, compungit,

ciet lacrymas, ac deinde ut spiritus auræ lenis eos mulcet, adoptat, recreat, et ad altum contemplationis verticem sustollit. Audi S. Gregorium, lib. V *Moral.* XXVI : « Spiritus ante Dominum evertit montes, et petras conterit, quia pavor qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit; sed spiritui commotionis, et igni non inesse Dominus dicitur; esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur. Quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita degustamus. »

Idem præstitit Deus Eliæ, dum eum, post terrores, luctas et pugnas cum Baalitis, curru igneo rapuit in cœlum, ubi aura leni, id est plena pace mentis et corporis fruitur. Simili modo ergo, qui tentationibus agitatur, non demittat animum; sed sciat ei successurum « spiritum auræ lenis, » id est consolationem, quietem et gaudium.

Secundo, traditur hic forma, ait Sanchez, viris Apostolicis et Prælatis, quæ in corrigendis, aut puniendis divinæ legis transgressoribus servari debeat; nempe ut illa imitetur, quæ maxime sunt in rerum natura violenta, ventum nimirum, qui concutit atque subvertit montes; et ignem, qui consumit et dissipat omnia, idque celeritate incredibili, neque suavitatem assumat tenuis et refrigerantis auræ, donec Deum advenire videat, quem antecedunt quasi stratores viarum et præcursores ad parandum hospitium, ventus, commotio, ignis.

Vers. 13. 13. QUOD CUM AUDISSET ELIAS. — Audiebat enim ventum valide perstrepentem, terræ motum locum conquassantem, auram tenuem sibilantem; ignem vero partim audiebat, utpote stridentem, partim vero videbat, utpote lucentem.

OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO, — ut Deo se hisce signis ostendenti reverentiam exhiberet, quasi indignus qui in eum aspiceret, eumque contueretur.

Vers. 14. 14. PROPHETAS TUOS OCCIDERUNT GLADIO (quia sese opponebant cultui Baal), DERELICTUS SUM EGO SOLUS (propheta et zelator veræ religionis, qui me valide eidem oppono), ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM, — ut me occidant; me ergo occiso nullus supererit propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet et Baalitis sese opponat. Actum ergo est de vera religione, de tuo cultu, de tota Synagoga; omnia occupat impia Jezabel; ubique colitur Baal; ubique exundat perfidia et idololatria. Hæc est causa mei doloris et mœroris, meæ fugæ et exilii, ut mori optem potius quam vivere, et videre tanta mala gentis meæ et populi Dei. Ita Elias mœrore, ira et zelo confectus.

Vers. 15 et 16. 15 et 16. UNGES HAZAEL REGEM SUPER SYRIAM, ET JEHU FILIUM NAMSI UNGES REGEM SUPER ISRAEL : ELISEUM AUTEM, etc., UNGES PROPHETAM PRO TE, — ut hi ultionem justam de Baalitis, quam tu, o Elia, adeo desideras, reipsa peragant. Unde in Eliæ laudibus dicitur *Ecclesiast.* cap. XLVIII, vers. 8 : « Qui ungis reges ad pœnitentiam, » id est ad pœnam et ultionem impiorum, ut sint divini cultus vindices. « Unges regem, » id est regem designabis, regnum ei deferes. Est catachresis : quia enim unctione creabantur reges, hinc *ungere* est regem creare. Nam Hazael non fuit unctus ab Elia, sed designatus rex ab Eliseo, quem ad eum misit Elias : Jehu vero in regem Israel unctus fuit ab uno Elisei discipulo, ut patet IV *Reg.* VIII, 13 et seq. Itaque Elias hæc jussa Dei exsecutus fuit per Eliseum, quem idcirco jussu Dei sibi subrogavit. Sic Eliseum non legimus unctum, sed immisso ab Elia in eum pallio designatum prophetam, vers. 19. Ita Theodoretus, Rabanus, Dionysius, Abulensis, Salianus.

Sanchez tamen τὸ *unges* proprie accipit, censetque omnes hos tres ab Elia fuisse unctos, licet id Scriptura factum non narret. Ideo enim videtur Elias jussu Dei rediisse per desertum in Damascum, quæ longior et inamœnior erat via, ut ibi Hazaelem in regem ungeret; esto enim Hazael postea rursum ab alio unctus sit, tamen nil prohibet eum prius ab Elia fuisse unctum. Sic enim David et Saul bis uncti fuere. Hæc sententia probabilis est, atque hunc versum proprie ad litteram accipit.

QUI EST DE ABELMEULA. — Erat hæc urbs in tribu Manasse cis Jordanem. Fuit ergo Eliseus de tribu Manasse, sicut Elias de tribu Gad. Ita S. Hieronymus, Salianus, Adrichomius et alii; licet S. Epiphanius et Isidorus in *Vita Elisei*, dicant eum fuisse oriundum ex tribu Ruben, qui et addunt in ortu Elisei mugiisse unum e vitulis aureis, quos conflavit Jeroboam, et illius mugitum auditum fuisse Hierosolymis, et ex eo Sacerdotem quemdam prudentem conjectasse, eo die aliquem esse natum, qui futurus esset sculptilibus omnibus atque idolis exterminium.

17. ET ERIT, QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM HAZAEL, OCCIDET EUM JEHU. — Quomodo Hazael et Jehu occiderint idololatras, audiemus in sequentibus. Vers. 17.

ET QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM JEHU, INTERFICIET EUM ELISEUS, — gladio non corporali, sed spirituali, puta gladio linguæ, qua eos acriter redarguet minabiturque mortem præsentem et æternam, inquit Angelomus, Rabanus et Hugo. Planius accipias hæc de gladio et morte corporali; illo enim idololatras occiderunt Hazael et Jehu, quibus hic Eliseus comparatur. Eliseus enim occidit 42 pueros idololatrarum filios sibi insultantes, dicentesque : « Ascende, calve, » IV *Reg.* II, ac verisimile est eum, instar Eliæ magistri sui, juxta hoc oraculum plures alios idololatras interfecisse, etsi Scriptura id non commemoret. Ita Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Sanchez et alii.

18. ET DERELINQUAM MIHI IN ISRAEL SEPTEM MILLIA Vers. 18.

VIRORUM, QUORUM GENUA NON SUNT CURVATA ANTE BAAL. — Opponit Deus septem millia illi, quod dixerat Elias vers. 14 : « Derelictus sum ego solus, » *q. d.* Falleris, Elia, non es solus. En Eliseus tibi accedit : en septem millia virorum Deicolarum, quæ « derelinquam. » Hebraice הישארתי *hisarti*, id est remanere faciam, reservabo, custodiam, ne a Jezabel occidantur, aut pervertantur, et ad cultum Baal traducantur.

ET OMNE OS QUOD NON ADORAVIT EUM, OSCULANS MANUS, — repete « derelinquam, » id est custodiam et in vita conservabo. Sensus totius versus est, *q. d.* Et custodiam septem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, nec osculando manum eum adorarunt : erat enim hoc duplex genus adorationis, genuflexio et osculatio manus. *Osculans manus*, Hebraice *osculans eum*, scilicet Baal, ut eum osculo hoc salutet et adoret, quasi suum Deum et Dominum. Noster vertit, « osculans manus, » ut notet ritum modumque adorandi, qui erat osculari manum idoli, vel manum propriam eo ritu et gestu quasi oscularetur manum idoli, utpote remoti, vel longe positi. Hunc ritum insinuat Job, cap. XXXI, vers. 26 : « Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. » Hujus consuetudinis externi quoque meminerunt Plinius lib. XXVIII, cap. II : « Inter adorandum dexteram ad osculum referimus. » Minutius in *Octavio* : « Cæcilius, simulacro Serapidis viso, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit. »

Vers. 19. 19. REPERIT ELISEUM FILIUM SAPHAT ARANTEM IN (cum) DUODECIM JUGIS BOUM. — Erat ergo Eliseus agricola locuples, utpote qui haberet duodecim juga boum, iisque agrum ingentem coleret. Nam boves hos ipsius fuisse patet ex vers. ult., ubi ipse par boum mactavit pro epulo, quo suis valedixit.

ET IPSE IN DUODECIM JUGIS BOUM ARANTIBUS UNUS ERAT. — Nam quodque jugum boum, sive par boum suum habebat aurigam et aratorem; quare duodecim erant hic juga boum, et pariter duodecim aratores, e quibus unus erat Eliseus.

MISIT PALLIUM SUUM SUPER ILLUM, — ut eum vocaret ad se sequendum, eumque faceret sibi socium suique instituti participem, uti jam novitiis in Religione datur pallium, sive vestis ejusdem Religionis. Simili modo olim sponsus, sponsam sibi adoptans, tegebat eam pallio suo. Unde illud Ruth ambientis nuptias Booz, cap. III, vers. 9 : « Expande pallium tuum super famulam tuam; et illud *Ezech.* XVI, 8 : « Expande amictum meum super te. » Hac ergo cæremonia institutus est Eliseus propheta socius et successor Eliæ, ejusque cor omnino a Deo immutatum est, atque ex laico factus est Religiosus, ex agricola Propheta, ex idiota Theodidactos. Unde statim reliquit boves, domum, parentes, et secutus est Eliam. Addit Sanchez eum fuisse unctum ab Elia; hoc enim jusserat Deus, vers. 16. Unctio, inquit, Eliseum fecit Prophetam (hic enim ungi solebat); pallium autem, Eliæ contubernalem et monachum.

20. QUOD ENIM MEUM ERAT, FECI TIBI, — *q. d.* Ego non nisi pallio te tetigi; sed Deus cor tuum tetigit, illudque ex carnali fecit spirituale et cœleste, ut omnia relinquas, et alacer me sequaris, certesque ut ego cum idololatris. Vers. 20

21. TULIT PAR BOUM ET MACTAVIT ILLUD, ET IN ARATRO BOUM COXIT CARNES, ET DEDIT POPULO ET COMEDERUNT. — Eliseus, quia festinabat et gestiebat illico sequi Eliam, idcirco usus est aratro pro lignis, ad coquendum carnes boum. Dedit ergo typum et exemplum nobis, ut Dei vocationem illico, resolute et constanter sequamur, uti notant Cajetanus et Abulensis. Celebravit enim convivium quo suis valedixit, ut ostenderet se boves, aratrum, agrum omniaque relinquere, ac lætum sequi Eliam. Hinc colligit Abulensis eum fuisse juvenem et ἄγαμον, id est sine uxore et cælibem : alioqui enim petiisset ab Elia facultatem salutandi tam uxorem et filios, quam patrem et matrem. Rursum Eliseus, ait Abulensis, nihil voluit sibi reliquum manere in sæculo, ut liber et expeditus transiret totus ad Dominum : idcirco aratrum et boves consumpsit, qua in re exemplum dedit Religiosis, ut idem faciant. Hinc et S. Ignatius, epist. *ad Philadelph.*, Eliseum asserit fuisse cælibem et virginem : nimirum Eliseus Dei vocantis instinctu jam superior erat omni terrena cupiditate. Nam, ut ait S. Cyprianus, tract. *De Oratione Domin.*, ad illa : « Adveniat regnum tuum : Qui renuntiavit jam sæculo, major est et honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat; » imo Deum ipsum, « quia in illo regnaturi sumus. » Et S. Ambrosius, lib. VI *De Sacram.* cap. V : « Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat : sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio » Vers. 21.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Benadad rex Syriæ obsidet Samariam et Achab; sed ab eo Dei ope cæditur. Unde, vers. 23, *dicens Deum Israel esse Deum montium, in valle reparat bellum, in qua rursum Dei ductu profligatur; captusque ab Achab veniam vitamque contra jussum Dei impetrat, vers.* 35. *Achab a propheta vulnerato redarguitur, auditque se simili modo vulnerandum, imo occidendum, eo quod Benadad dignum morte liberum dimiserit.*

1. Porro Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos, et currus : et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam. 2. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem, 3. ait : Hæc dicit Benadad : Argentum tuum, et aurum tuum meum est; et uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt. 4. Respondit rex Israel : Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, et omnia mea. 5. Revertentesque nuntii, dixerunt : Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te : Argentum tuum, et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum; et omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, et auferent. 7. Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, et ait : Animadvertite, et videte, quoniam insidietur nobis; misit enim ad me pro uxoribus meis, et filiis, et pro argento et auro; et non abnui. 8. Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus, ad eum : Non audias, neque acquiescas illi. 9. Respondit itaque nuntiis Benadad : Dicite domino meo regi : Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam; hanc autem rem facere non possum. 10. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, et ait : Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. 11. Et respondens rex Israel, ait : Dicite ei: Ne glorietur accinctus æque ut discinctus. 12. Factum est autem, cum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse et reges in umbraculis, et ait servis suis : Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam. 13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. 14. Et ait Achab : Per quem? Dixitque ei : Hæc dicit Dominus : Per pedissequos principum provinciarum. Et ait : Quis incipiet prœliari? Et ille dixit : Tu. 15. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum; et recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia: 16. et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. 17. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes : Viri egressi sunt de Samaria. 18. Et ille ait : Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos; sive ut prœlientur, vivos eos capite. 19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur. 20. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat; fugeruntque Syri; et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. 21. Nec non egressus rex Israel, percussit equos et currus, et percussit Syriam plaga magna. 22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei : Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias; sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.) 23. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei : Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. 24. Tu ergo verbum hoc fac : Amove reges singulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis; 25. et instaura numerum

militum qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti : et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, et fecit ita. 26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel. 27. Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum : Syri autem repleverunt terram. (28. Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israel : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus). 29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum : percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. 30. Fugerunt autem qui remanserat in Aphec, in civitatem : et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem in cubiculum quod erat intra cubiculum. 31. Dixeruntque ei servi sui : Ecce audivimus quod reges domus Israel clementes sint; ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel; forsitan salvabit animas nostras. 32. Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, et dixerunt ei : Servus tuus Benadad dicit : Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait : Si adhuc vivit, frater meus est. 33. Quod acceperunt viri pro omine; et festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt : Frater tuus Benadad. Et dixit eis : Ite, et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. 34. Qui dixit ei : Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam, et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini : Percute me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait : Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. 37. Sed et alterum inveniens virum, dixit ad eum : Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit. 38. Abiit ego propheta, et occurrit regi in via, et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos. 39. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait : Servus tuus egressus est ad prœliandum cominus; cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait : Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum : Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. 41. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israel quod esset de prophetis. 42. Qui ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. 43. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam.

Vers. 1. 1. PORRO BENADAD REX SYRIÆ, etc., PUGNABAT CONTRA SAMARIAM. — « Benadad » idem est quod « Ben Adad, » id est filius Adad, ait Josephus, lib. VIII, cap. VIII, nimirum rebellis illius Idumæi, qui, debellata a Davide Idumæa, fugit in Ægyptum, indeque mortuo Davide rediens, animos regnumque resumens, rebellavit Salomoni, cap. XI, vers. 25. Ideoque paternam indolem, et odium contra Israelem fovens, graviter et continuo eum afflixit. Unde cap. XI, versu 25, de eo dictum et prædictum est : « Hoc est malum Adad, et odium contra Israel. »

Politice, disce hic quam rebellio obstinata principum sit periculosa, et in filios per multa sæcula derivetur. Experiuntur idipsum Hispani in Hollandia. Rebellio ergo in suo principio vel succidenda, vel concilianda est juxta illud : « Principiis obsta. »

Vers. 3. 3. HÆC DICIT BENADAD (ad Achab ejusque populum Israel) : ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM MEUM EST, — non jure, sed potestate et imperio; quia ego illud habere volo et deposco, qui te sum potentior ut mihi resistere nequeas. Erant enim res Achab et Israelis afflictæ, ita ut in aciem

educere non posset nisi septem millia, vers. 15. Hic ergo incipit Deus punire Achab et Israelitas ob cultum Baal.

Vers. 5. 5. REVERTENTESQUE NUNTII (missi a Benadad obsidente Samariam ad Achab in ea obsessum), DIXERUNT.

Vers. 6. 6. CRAS IGITUR HAC EADEM HORA MITTAM SERVOS MEOS AD TE, ET SCRUTABUNTUR DOMUM TUAM, etc. — Est hæc nova Benadad petitio, qua petit ab Achab ut permittat a suis diripi non tantum regiam, sed et totam Samariæ civitatem, ait Josephus, ut scilicet spoliet urbem, et pretiosissima quæque ex ea ad libitum auferat.

Vers. 10. 10. HÆC FACIANT MIHI DII, etc., SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ PUGILLIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME, — *q. d.* Juro me deleturum totam Samariæ urbem, itaque eam eversurum, ut nec parum pulveris in eo remaneat, sed quidquid in ea est auferatur in pugillis exercitus mei numerosissimi. Unde Chaldæus vertit : *Si suffecerit pulvis Someron* (Samariæ) *ut feratur soleis plantarum pedum populi qui mecum erit.* Ita Abulensis. Est hyperbole et proverbialis locutio, quo gloriosus Benadad in 32 regibus se sequentibus, et copiis innumeris superbiens, jactat, juratque se Samariam eversurum, spoliaturum et rasurum, ut nihil in ea rapina dignum remaneat. Nec enim tam curiosi vel otiosi erant ejus milites, ut omnem pulverem e Samaria, quam ut omnes thesauros et omnia pretiosa ex ea efferrent. Aurum enim quærebant, non arenam.

Vers. 11. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS ÆQUE UT DISCINCTUS. — Est adagium, *q. d.* Ne canas triumphum ante victoriam : «accinctus» enim miles vadit ad prælium; parta vero victoria se discingit, arma ponit, et spoliis hostilibus incubat. Unde Chaldæus : *Ne laudet,* inquit, *se expeditus, et descendens in prælium, sicut vir qui vincit et ascendit* (victor) *ex eo;* Vatablus : *Ne glorietur qui initurus est prælium perinde ac is qui jam vicit.*

Vers. 23. 23. SERVI VERO REGIS SYRIÆ (Benadad) DIXERUNT EI : DII MONTIUM SUNT DII EORUM, IDEO SUPERAVERUNT NOS; SED MELIUS EST UT PUGNEMUS CONTRA EOS IN CAMPESTRIBUS, ET OBTINEBIMUS EOS, — *q. d.* Victi sumus a Samaritis montanis, quia pugnavimus in Samariam, quæ sita est in monte, ideoque in tutela est deorum qui montibus et montanis præsunt; descendamus ergo in valles, ubi dii vallium nobiscum erunt, ut montanos et deos montium in vallibus superemus. Ita isti stolidi putabant Deum Hebræorum esse Deum montium duntaxat. Sed unde hic eorum error et stulta persuasio? Respondeo ex multis conglobatis, nimirum *primo,* quia Moses Hebræorum dux in monte Sina cum Deo collocutus ab eo legem acceperat. *Secundo,* quia in monte Sion erectum a Salomone erat templum, in quo Deus habitabat. *Tertio,* quia Hebræi Deum colebant in excelsis, scilicet collibus. *Quarto* denique, et quod maxime ad præsentem cladem facit, quia Syri in monte Samariæ hanc stragem ab Israelitis acceperant. Hæc fuit Gentilium superstitio, ut montibus deas oreades, id est montanas, sylvis sylvanos, mari marinos, ut Neptunum, etc., præficerent, de quibus S. Augustinus, lib. IV *De Civit. Dei,* cap. VIII, ubi eos montium jugis Jugatinum deum, Collibus Collatinam, Vallibus Valloniam deam præfecisse asserit. De iisdem canit Ovidius, lib. I *Fastor.*, eosque sic loquentes inducit :

Dii sumus agrestes, et qui dominantur in altis
Montibus, imperium est in sua tecta Jovi.

Dii montium unde?

24. TU ERGO VERBUM HOC FAC : AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO, ET PONE PRINCIPES PRO EIS, — qui scilicet belli sint periti, et in rebus bellicis experti, non vero quieti et deliciis assueti, uti sunt reges, quique spe gloriæ et honoris a te adipiscendi fortius pugnent. Ita Abulensis. Hos enim significat Hebraice פחות *phachot,* id est *Duces;* Chaldæus, *Imperatores.* Vers. 24.

28. QUIA DIXERUNT SYRI : DEUS MONTIUM EST DOMINUS (Hebraice *Jehova,* id est Deus Israelitarum), ET (idem *Jehova*) NON EST DEUS VALLIUM; DABO OMNEM MULTITUDINEM HANC GRANDEM IN MANU TUA, — ut ostendam me tam esse vallium Deum, quam montium, utque tu, o Achab, me Deum verum agnoscas et colas, non vero Baal. Vers. 28.

30. PORRO BENADAD FUGIENS INGRESSUS EST CIVITATEM (Aphec jam dictam) IN CUBICULUM, QUOD ERAT INTRA CUBICULUM, — id est in intimum et secretissimum cubiculum, ut ibi se absconderet. Vers. 30.

31. PONAMUS ERGO SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS, — quasi serviles vestes, et luctus ac pœnitentiæ indices, ut iis profiteamur nos pœnitere facti, quod scilicet Israeli bellum moverimus, eique quasi victori nos victos in servitutem dedamus. Vers. 31.

ET FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS, — ut profiteamur nos reos esse mortis, meritosque esse restim et laqueum, qui fauces nobis recludat nosque strangulet. Audi Josephum : « Illi induti saccos, et restibus capita redimiti, qui priscus apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, et salutis tantum gratiam petere Adadum significant, dedititicium ejus in perpetuum futurum. »

32. SI ADHUC VIVIT, FRATER MEUS EST. — Putabat Achab ex tanta hostium strage occubuisse Benadad. Unde audiens eum cladi superstitem, de tanta victoria exsultans, ejus misertus, inconsulte et temere in hanc vocem erupit : « Si adhuc vivit, frater meus est, » *q. d.* Charus mihi erit ut frater, tractabo eum quasi fratrem. Solent reges se mutuo fratres vocare. Hoc dictum Achab servi Benadad ex ore ejus illico rapuerunt, acceperuntque ut omen vel augurium, quasi illud verbum amicum quod ipsi exciderat, signum esset misericordiæ et salvationis Benadad, quem proinde statim ad Achab adduxerunt, illeque eum supplicem, ut dicto staret, quasi fratrem excepit, et in currum suum sustulit : sed paulo post pœnas hujus teme- Vers. 32.

ritatis dedit, cum bellum renovante Benadad, in eo Achab occubuit, ut dicitur cap. ult.

Symbolice, Benadad est typus diaboli, qui semper fideles et sanctos persequitur, nunc vi, nunc fraude et dolo. Quare qui cum eo pacem vel fœdus init, uti fecit Achab, certo certius ab eodem evertetur. Ita Eucherius.

Vers. 34. 34. PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, — in quibus jus et judices, item forum rerum venalium ac vectigalia constituas in signum subjectionis, *q. d.* Partem urbis meæ regiæ, scilicet Damasci, tibi concedam, ut ostendam illam tibi æque ac mihi esse subjectam, imo me tibi esse subditum, ideoque pendere hoc tributum. Ita Abulensis, Cajetanus et Vatablus.

Vers. 35. 35. TUNC VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM. — Josephus censet hunc fuisse prophetam Michæam, qui cap. ult. Achab exitium prædixit. Idem tradit Glycas, et Hebræi in *Seder-Olam*, et colligitur ex cap. ultim. vers. 26, ubi pro *tollite* Hebraice est והשביהו *vahascibehu*, id est facite eum redire. Verum res incerta est. Unde Serarius et alii censent hunc alium fuisse a Michæa, ideoque non nominari.

DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DOMINI (ex oraculo et jussu Dei) : PERCUTE ME, — ut proprii capitis mei vulnere repræsentem Achab regi vulnus ipsius, quod parcendo Benadad accepit in anima sua, ac vulnus populi, quod scilicet populus totus accepit in Achab rege quasi capite suo, ac tertio vulnus, quod tam Achab quam populus accipiet, cum a Benadad reparante bellum occidetur, ut patebit cap. ult. et lib. IV, cap. VI, vers. 8 et seqq. Ita Cajetanus. Addit Abulensis aliam causam hujus vulneris, scilicet ut per illud Propheta ab Achab non agnosceretur, sed videretur esse miles, itaque accessum haberet ad eum, eique parabolam hanc vulneris exponeret : si enim fuisset agnitus, noluisset eum Achab idololatra audire. Tertia et potissima causa hujus percussionis et vulneris fuit exemplum, ut scilicet Deus, in propheta hoc tam percutiente quam percusso, daret exemplum et speculum perfectæ obedientiæ. Unde credendum est, ait Abulensis, quod paulo post Deus hoc vulnus supernaturaliter curarit, ita ut ne cicatrix quidem ejus remaneret, idque ad hoc, ut ostenderet quanti meriti sit pura et simplex obedientia, quamque ex adverso Deo exosa sit inobedientia, cum propter eam, illum qui Prophetam percutere noluerat, leoni mactandum objecerit. Audi S. Chrysostomum, orat. 1 *Contra Judæos*, sub initium : « Qui percussit Prophetam, evasit incolumis : qui pepercit, dedit pœnas; nimirum ut intelligeres in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter : Percute me, sed addidit : In verbo Domini, hoc est, Deus præcipit, ne quære ulterius. Rex est qui hanc præscribit legem : Reverere jubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit gravissimas, suoque exemplo secuturos adhortans, ut quidquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, moremque gererent in posterum. »

Denique R. Salomon et Lyranus volunt Prophetæ hujus sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cum Achabo periret cap. ult., sed populus ille victus est, et pro eo satisfacere istiusmodi plaga non potuit, nec voluit Propheta.

42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE, — Benadad regem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium et bellum contra Israelitas, tum præcipue ob blasphemiam, qua dixit me esse Deum montium, non vallium; hæc enim valde Deum irritavit, ut patet vers. 28. Ita Hebræi, Rupertus, Lyranus, Dionysius et alii. Vers. 42.

ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EJUS. — Occideris pro Benadad quem occidere debuisti.

ET POPULUS TUUS PRO POPULO EJUS, — occidetur pro Syris Benadad subjectis, quos occidere debuit. Ita reipsa contigit, ut audiemus capite ultimo.

Est hoc exemplum neglectæ justitiæ justæque vindictæ notandum, alteque infigendum mentibus regum et judicum : « Homicida es, eo quod hostem dimiseris, » ait S. Chrysostomus, loco citato.

43. REVERSUS EST IGITUR REX ISRAEL (Achab) IN DOMUM SUAM, AUDIRE CONTEMNENS. — Addit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. VIII, eum adeo indignatum, ut Prophetam incarcerarit : fuisse enim Michæam existimat; quem ab eo incarceratum audiemus, cap. ult. Ita Hugo, Dionysius et alii. Vers. 43.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab petit vineam a Naboth; ille negat : unde Jezabel eum per falsos testes quasi blasphemum lapidari curat, agrumque ejus Achabo tradit. Quocirca, vers. 17, *mittit Deus Eliam, qui Achab et Jezabeli exitium denuntiet, quodque canes lingent sanguinem eorum in agro Naboth. Quo audito, pœnitet Achab, vers.* 27; *quare Deus ab eo in filium pœnam comminatam transfert.*

1. Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens : Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem ; aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth : Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. 4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens : Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem et non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei : Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei : Locutus sum Naboth Jezrahelitæ ; et dixi ei : Da mihi vineam tuam, accepta pecunia ; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait : Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus : Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. Surge, et comede panem, et æquo animo esto ; ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab ; et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia : Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi, 10. et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant : Benedixit Deum et regem : et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. 11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos : 12. prædicaverunt jejunium et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum ; at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine : Benedixit Naboth Deum et regem ; quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes : Lapidatus est Naboth et mortuus est. 15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est ad Achab : Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecunia : non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : 18. Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria : ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam ; 19. et loqueris ad eum, dicens : Hæc dicit Dominus : Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes : Hæc dicit Dominus : in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. Et ait Achab ad Eliam : Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit : Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21. Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum in Israel. 22. Et

dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabath, et sicut domum Baasa filii Ahia : quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel. 23. Sed et de Jezabel locutus est Dominus, dicens : Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes : si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. 25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est; ut faceret malum in conspectu Domini : concitavit enim eum Jezabel uxor sua, 26. et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. 27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens : 29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

Vers. 1. 1. VINEA ERAT NABOTH. — « Naboth » hic fuit vir probus, ut patet ex sequentibus. Unde *Naboth* Hebraice idem est quod *prophetiæ*, vel *loquelæ fructus*, ait ex Hieronymo Pagninus. Vineam ejus, quia sibi vicinam, concupivit Achab : inexplebilis enim est divitum avaritia et cupiditas; qua de re in hoc caput insignem tractatum scripsit S. Ambrosius *de Naboth*, sive *de Nabuthe*, in quo acriter perstringit divites avaros et rapaces, qualis erat Achab; unde cap. II : « O dives, ait, nescis quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis! quanto plus habueris, plus requiris; et quanquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde sit gravior ruina lapsuro. » Et post nonnulla : « Denique docet nos Scriptura divina quam misere egeat, mendicet abjecte. Rex Achab in Israel erat, et pauper Naboth. Ille regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat : nihil pauper de possessionibus divitis concupivit, rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certe pauper censu videtur, alter est pauper affectu. »

Vers. 2. 2. DA MIHI VINEAM TUAM. — Hæc verba urget egregie S. Ambrosius, cap. II jam dicto : « Quæ, inquit, vox alia est stipem publice postulantis, nisi : Da mihi, hoc est : Da mihi, quia egeo? da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum; da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia; da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit; da mihi; nisi tu dederis, habere non potero; da mihi, quia scriptum est : Date eleemosynam. Hæc quam abjecta, quam vilia. »

Vers. 3. 3. UT FACIAM MIHI HORTUM OLERUM. — Notat S. Ambrosius, cap. III, regis avari impudentiam. « Hæc erat igitur, inquit, omnis insania, hic omnis furor, ut spatium vilibus oleribus quæreretur. Non tam ergo ipsi cupitis quasi utile possidere, sed alios vultis excludere. Major vobis cura de pauperum spoliis, quam de vestris emolumentis. Injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est. »

PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS. — Hebraice, *prohibeat Dominus*, id est absit; Septuaginta, *non mihi fiat a Domino*; Chaldæus, *absit mihi a Domino*.

NE DEM HÆREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI, — *q. d.* Hæreditas a parentibus consignata mihi conservanda est, non tam ut mea, quam ut eorum hæreditas : hanc enim memoriam et reverentiam filius debet parentibus, ut eorum bona tueatur, et ad posteros transmittat. Porro idem S. Ambrosius, cap. III jam citato : « Quasi contagionem quamdam, inquit, sui, pecuniam esse divitis arbitratur; quasi dicat : Pecunia tua tecum sit in perditionem; ego autem hæreditatem patrum meorum non possunt vendere. »

Tropologice, vinea est anima, quæ est tota hæreditas nostra; quare cave ne eam vili pretio voluptatis, vel honoris vendas diabolo, morti et gehennæ. Unde S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgines*, per vineam accipit virginitatem, per Jezabel concupiscentiam, per Naboth Christum : « Vinea, inquit, quidam fructus virginalis est; conjugia velut olerum plantaria sunt, in quibus frequens zelus est : et ideo olera herbarum cito cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere et exstinguere : nec veniat in vos Jezabel vanum illud et sæculare profluvium; hoc enim significatur vocabulo vana et vacua redundantia, sed veniat Nabuthe, qui venit a Patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, et pro ea mortem offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis. »

Vers. 4. 4. ET NON COMEDIT PANEM, — ex ira et tristitia, quod Naboth ejus cupiditati restitisset, atque eum quasi contempsisset. Audi S. Ambrosium, cap. VI : « Non manducavit panem suum, quoniam quærebat alienum. Etenim divites magis alienum pa-

nem quam suum manducant qui raptu vivunt, et rapinis sumptum exercent suum. Aut certe non manducavit panem suum, volens se morte mulctare, quod ei aliquid negaretur. » Et eleganter, cap. VI : « Ditem, inquit, dicunt Gentiles inferorum præsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum, inexplebilis auri fames? Quo plus hauserit, plus inardescit. » Et nonnullis interjectis : « Dulcis enim somnus servi, etsi modicum vel multum edat; at satiato divitiis non est, qui eum sinat dormire : excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infecunda perturbat, sollicitat abundantia. »

Vers. 7. 7. DIXIT ERGO AD EUM JEZABEL UXOR EJUS. — Impio marito Jezabel fuit impientior, avaro avarior, crudeli crudelior, rapace rapacior, cupido cupidior. Unde S. Ambrosius, cap. IX, docet Jezabel esse typum avaritiæ, quæ divitibus promittit contra justitiam possessionem, quam desiderant. Ipsa enim Achab et Israeli fuit fax et incentrix idololatriæ et malorum omnium quasi furia quædam inferni, ut patet vers. 25.

Vers. 9. 9. PRÆDICATE (*indicite*) JEJUNIUM, — ut sceleri (puta cædi injustæ Naboth) prætexatis speciem pietatis et zeli Dei; jubet enim Jezabel indici jejunium, ut per illud quasi per publicam populi pœnitentiam expietur blasphemia Naboth. Quam illi falso impingi curabat. Blasphemia enim erat Hebræis horrenda; unde, ea audita, vestes scindebant, aliaque publici doloris et detestationis rei tam indignæ signa edebant.

Vers. 10. 10. BENEDIXIT (Naboth) DEUM ET REGEM. — « Benedixit, » id est maledixit. Est euphonismus per antiphrasin : quia enim blasphemia res est adeo horrenda; hinc eam Judæi ne nominare quidem audebant, sed eam significabant per contrarium, puta per benedictionem et laudem : ita S. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum*.

Vers. 13. 13. ET LAPIDIBUS INTERFECERUNT. — Blasphemus enim lapidibus obruendus erat ex lege *Levit.* XXIV, 16. Additur IV *Reg.* IX, 26, filios Naboth quoque fuisse interfectos, ut sic vinea eorum ab iis ad Achab transiret, quasi, deficiente hærede, hæres foret rex.

Simili modo Eudoxia uxor Arcadii Imperatoris, ambiens vineam Callitropes viduæ, S. Chrysostomum, qui viduæ causam agebat, in exilium egit, et per mille ærumnas itinerum, famis, sitis, militum eum vexantium, etc., ad mortem adegit; ut vere S. Chrysostomus non tantum sit Confessor, sed et Martyr; utpote pro justitia injuste occisus, non una morte, sed centum.

Allegorice, Naboth fuit typus Christi, qui a Scribis et Pharisæis ambientibus ejus vineam, id est Synagogam, per falsos testes accusatus blasphemiæ, quod se diceret filium Dei, ideoque occisus est juxta parabolam vineæ, quam hac ipsa de re eis objecit Christum, *Matth.* XXI, 23. Scribarum enim de Christo vox est vers. 38 : « Hic est hæres; venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus. » Hinc et canes, id est Gentiles (hos enim Judæi despiciebant quasi canes) Romani, duce Tito et Vespasiano, linxerunt sanguinem Judæorum Christicidarum, in eodem loco, puta Jerosolymæ et in eodem tempore, scilicet in Paschate, quo ipsi occiderant Christum. Ita Angelomus.

Vers. 15. 15. SURGE, ET POSSIDE. — Hebraice רש *resch*; id est *hæredita*, scilicet titulo confiscationis; quia Naboth accusatus erat criminis læsæ majestatis tam divinæ, quam regiæ, ideoque condemnatus. Quare vinea ejus a Jezabele fisco regis Achab fuit addicta.

Vers. 19. 19. OCCIDISTI, INSUPER ET POSSEDISTI. — Occidisti Naboth, ut ejus vineam invaderes et possideres, itaque iniquæ cædi iniquam possessionem addidisti : quare lege talionis tu pariter occideris, et vineam omniaque amittes, tamque possessione, quam vita privaberis.

IN LOCO HOC, IN QUO LINXERUNT CANES SANGUINEM NABOTH, LAMBENT QUOQUE TUUM. — Id ita reipsa per congruam justamque Dei vindictam contigisse narratur, cap. XXII, vers. 38. Dices : Ibi dicitur quod canes linxerint sanguinem Achab in Samaria, at vero Naboth sanguinem canes linxerunt in Jezrahel, ubi occisus est. Respondeo Jezrahel pertinuisse ad Samariam, quæ erat metropolis et caput totius regni Israel. Idem ergo locus hic intelligendus est in genere, non in individuo. Ita Abulensis, Lyranus, Vatablus. Aliter respondent Hebræi, scilicet arma Achab sanguine ejus tincta abluta fuisse in piscina Jezrahel, cum eo ad armamentarium deferrentur : quare tunc canes sanguinem ejus ablutum linxisse; sed id confutat Abulensis, ex eo quod cap. XXXII, vers. 38, prophetia hæc impleta dicatur, cum ejus sanguinem linxerunt canes in Samaria, pro qua perperam Josephus substituit Jezrahel. Posset quoque dici Deum mitigasse et revocasse hanc pœnam ob pœnitentiam Achab, uti insinuatur vers. 29.

Denique planius et plenius Salianus et Sanchez censent id impletum in Joram filio Achab : hic enim occisus est in agro Jezrahel. Sanguis enim sæpe significat filios; hi enim ex sanguine parentum gignuntur; unde illud Anchisæ de Julio Cæsare :

Projice tela manu, sanguis meus,

hoc est, o fili mi Jule, *Æneid.* lib. VI. Idipsum probatur tum ex vers. 29, ubi Deus mitigans pœnam hanc Achabo intentatam ob ejus pœnitentiam, ait se illam ab Achab translaturum in ejus filium Joram, tum ex lib. IV *Reg.*, cap. IX, vers. 25 et 26, ubi occiso Joram jussit Jehu ejus cadaver projici in agrum Naboth lingendum et vorandum canibus, ut hæc de eo Dei prophetia impleretur.

Sic Aristobulus primus e Machabæis Judæorum rex occidit fratrem Antigonum, sed justo Dei judicio doloribus excruciatus vomuit sanguinem, qui eodem loci effusus est, quo ipse fratris sanguinem effuderat. Unde ipse ingemiscens exclamavit, ait Josephus, lib. XIII *Antiq.* XIX : « Ergo non latet Deum, inquit, meum impium et sceleratum facinus, quando tam cito reposcor ad pœnas cognati sanguinis. O corpus impudens, quousque retinebis animam, quam materni simul ac fraterni manes flagitant? cur non semel eam reddis, ne sic per partes opus sit libare meum sanguinem, atque ita parentare oppressis per nefas et parricidium? Vix ea fatus erat, cum exhalavit animam uno tantum anno in regno exacto. »

Vers. 20. 20. EO QUOD VENUMDATUS SIS, UT FACERES MALUM. — « Venumdatus, » quasi servus addictus peccato. Unde Cajetanus: « venumdatus, » inquit, id est traditus peccato; nam quod venditur, traditur ementi quasi Domino, *q. d.* Tu, o Achab, tua mala voluntate totus addictus es peccato, quasi ad nihil aliud venditus vel locatus sis quam ad peccandum. Alludit ad servos, qui ad certa opera se elocant, iisque totos se addicunt: sic enim Achab seipsum addixerat non tantum idolis, sed et suæ Jezabeli, ut quasi servus ab ea ageretur ad omne scelus; ita Abulensis. Sensus ergo est, *q. d.* Tu, o Achab, revera non es rex nec Israelita, id est liber, et ingenuæ conditionis, sed mancipium Baal et Jezabelis; quia iis te totum addixisti et mancipasti, ut eis per omnia obsequaris, ac facias quidquid ipsi volunt. Causa fuit, quod Ithobaal rex Tyri et pater Jezabelis, ideoque socer Achab, esset sacerdos Asthartes, ut ait Josephus, lib. I *Contra Apionem*, ac nomine suo profiteretur cultum Baal; ideo enim dictus est *Ithobaal*, vel, ut Noster vertit, cap. XVI, vers. 31, *Ethbaal*. Hic ergo pater Baali et Astarthæ addictissimus, imo consecratus sacerdos, suam impietatem et idololatriam transfudit in filiam suam Jezabel, et in maritum ejus Achab; unde Josephus, lib. IX, cap. VII : « Baal, ait, Tyriorum deus erat quem Achabus in gratiam Ithobalis Tyriorum et Sidoniorum regis, soceri sui coluit, templo ei Samariæ dedicato, et prophetis cum reliquo cultu assignatis. »

Intuere hic et admirare libertatem Eliæ, qui Achab regem in faciem objurgat, eique objectat quod sit peccati mancipium, adeoque extremam perniciem denuntiat. Sic S. Athanasius, S. Hilarius et Lucifer Calaritanus acriter objurgant Constantinum Imperatorem Arianum, eumque vocant Herodem, Neronem et Antichristum. Eorum verba recitavi *Apocal.* cap. XI, vers. 5.

Tropologice, vide hic quam vilis, miser et infelix sit peccator, qui instar Achab ob modicam voluptatem, imo ob unum aureum, vendit se suamque animam diabolo, eamque ut mancipium tradit suæ cupiditati, ut fiat pabulum mortis et fomentum gehennæ.

21. DEMETAM POSTERIORA TUA, — id est, posteritatem tuam funditus exscindam. Vers. 21.

29. SCIDIT VESTIMENTA SUA. — Videtur hæc Achab pœnitentia fuisse ex metu pœnæ, non ex amore justitiæ, ideoque servilis, imperfecta et extorta; unde non videtur Deus ei condonasse culpam, sed pœnam tantum distulit, eamque ab eo in filium transtulit, ut dicitur vers. 29. Ita Lyranus, Dionysius, Cajetanus, imo S. Gregorius, hom. 19 *in Ezechiel.* : « In quibus verbis, ait, pensandum est quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei et reprobi pœnitentia placuit, quia timebat perdere præsens sæculum; aut quomodo eis grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit et in eis qui displicebant. » Vers. 27.

Veram tamen et seriam fuisse hoc tempore Achab pœnitentiam censent Abulensis, Hugo, Vatablus, Sanchez, Serarius, imo S. Chrysostomus, epist. *ad Theodorum* (*Mopsuestenum*) lapsum, ubi ait : « Achab, perturbatus ipsius sceleris immanitate, pœnituit, et cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, ut a cunctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam : Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea, quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus. »

Sic quoque S. Ambrosius, lib. *De Nabuthe*, cap. XVII, ac Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. X. Quæ sententia pariter probabilis est, eamque insinuat id quod Deus ait ad Eliam, vers. 29 : « Nonne vidisti humiliatum Achab? » etc. Nec obstat quod Achab post pœnitentiam mox ad pristina scelera redierit. Erat enim homo levissimus, ait Theodoretus, et totus a sua Jezabele agebatur. Sic enim hodie multi vere pœnitent, sed mox data occasione, in sua solita peccata relabuntur.

Utramque sententiam concilies, dicendo pœnitentiam Achab fuisse veram attritionem, at non assurrexisse ad contritionem charitate formatam. Serio enim de peccatis doluit ob imminentes sibi clades ab Elia intentatas; at non doluit de iis amore Dei, quod scilicet eum, qui est summum bonum, offendisset. Quare pœnam evasit, at culpam non delevit, nec justificatus est : quæ sententia videtur verissima et sanctæ Scripturæ summe consentanea. Quare perperam Calvinus censet hanc Achab pœnitentiam fuisse fictam.

29. QUIA IGITUR HUMILIATUS EST MEI CAUSA (scilicet mei non tam amore, quam metu et timore; unde et temporalem tantum veniam et præmium ei rependo, scilicet), NON INDUCAM MALUM IN DIEBUS EJUS, SED IN DIEBUS FILII SUI. — Quare jure exclamat S. Hieronymus, epist. 30 *ad Oceanum* : « O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos; quæ furentem Dei sententiam confesso errore mutavit! » Loquitur autem de pœnitentia Achab. Vers. 29.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab regi eunti ad bellum pseudoprophetæ prædicunt victoriam, Michæas vero propheta exitium. Quare in prælio Achab sagitta transfixus occumbit, canesque lingunt sanguinem ejus. Mox, vers. 41, describuntur gesta Josaphat regis Juda, ejusque classis missa in Ophir. Denique ei morienti, vers. 51, succedit filius Joram, Achab vero succedit filius Ochozias.

1. Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel. 2. In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel. 3. Dixitque rex Israel ad servos suos : Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ ; 4. et ait ad Josaphat : Veniesne mecum ad prœliandum in Ramoth Galaad ? 5. Dixitque Josaphat ad regem Israel : Sicut ego sum, ita et tu ; populus meus, et populus tuus, unum sunt : et equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israel : Quære, oro te, hodie sermonem Domini. 6. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos : Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere ? Qui responderunt : Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis. 7. Dixit autem Josaphat : Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum ? 8. Et ait rex Israel ad Josaphat : Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum ; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait : Ne loquaris ita, rex. 9. Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, et dixit ei : Festina adducere Michæam filium Jemla. 10. Rex autem Israel, et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, et universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. 11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes : Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. 13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens : Ecce, sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant ; sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona. 14. Cui Michæas ait : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad regem, et ait illi rex : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prœliandum, an cessare ? Cui ille respondit : Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. 16. Dixit autem rex ad eum : Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. 17. Et ille ait : Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem, et ait Dominus : Non habent isti dominum ; revertatur unusquisque in domum suam in pace. 18. Dixit ergo rex Israel ad Josaphat : Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum ? 19. Ille vero addens, ait : Propterea audi sermonem Domini : Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris ; 20. et ait Dominus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad ? Et dixit unus verba hujuscemodi, et alius aliter. 21. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus : In quo ? 22. Et ille ait : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis ; egredere, et fac ita. 23. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. 24. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michæam in maxillam, et dixit : Mene ergo

dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi? 25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris. 26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech. 27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ, donec revertar in pace. 28. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite, populi omnes. 29. Ascendit itaque rex Israel, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad. 30. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis; porro rex Israel mutavit habitum suum, et ingressus est bellum. 31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. 32. Cum ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, et impetu facto pugnabant contra eum, et exclamavit Josaphat. 33. Intellexeruntque principes curruum quod non esset rex Israel, et cessaverunt ab eo. 34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, et ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. 35. Commissum est ergo prælium in die illa, et rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus, 36. et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam. 37. Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, 38. et laverunt currum ejus in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit et domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 40. Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. 41. Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel. 42. Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai. 43. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. 44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. 45. Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel. 46. Reliqua autem verborum Josaphat, et opera ejus, quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 47. Sed et reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra. 48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom. 49. Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum; et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Josaphat. 51. Dormivitque Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David patris sui: regnavitque Joram filius ejus pro eo. 52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel, in Samaria, anno septimo decimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis. 53. Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 54. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

Vers. 3. 3. DIXITQUE JOSAPHAT AD REGEM ISRAEL: SICUT EGO SUM, ITA ET TU. — Hebraice, *Sicut ego, sicut tu*, hoc est, ego sum, sicut tu, et tu es sicut ego. Hebræi enim in comparatione repetunt τὸ *sicut*, vel ita. Sensus ergo est, *q. d.* Quod tu facturus es, faciam et ego: si tu eas in bellum contra Syros, ibo et ego; omnia erunt nobis communia, et communis quoque erit belli alea et periculum. Causa datur II *Paralip.* XVIII, 1, quod Josaphat erat regi Achab affinitate conjunctus; nam Athaliam filiam Achab dederat filio suo Joram uxorem, ideoque ipse Achabum hic invisit, et cum eo ivit ad bel-

lum. Qua in re peccavit præbendo auxilium, et amicitiam fovendo cum impio Achab, ideoque pene in prælio fuit occisus, ut dicitur vers. 32. Hinc et revertens a bello, obvium habuit Jehu prophetam, qui eum graviter increpuit dicendo : « Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, » etc. Ubi vides quam Deo displiceant connubia et fœdera cum impiis, quamque eadem toti regno sint periculosa. Nam impia Athalia exstinxit omne semen regium, id est omnes suos ex Joram filios et nepotes, unico Joas excepto et abscondito, ut ipsa sola regnaret, IV *Reg.* XI, vers. 1. Eadem de causa, naves quas misit Josaphat cum navibus Ochoziæ filii Achab in Tharsis confractæ sunt, ut dicitur II *Paralip.* XX, 37. Ibi enim Eleazar propheta ad Josaphat dixit : « Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. » E contrario Deus benedicit et prosperat connubia et fœdera cum probis et sanctis, ac sancti suam sanctitatem et felicitatem suis conjugibus et fœderatis aspirant, uti aspiravit Abraham Hethæis, *Genes.* XXIII, 6, Jacob Labano, *Genes.* XXX, 27, Joseph Putiphari, *Genes.* XXXIX, 3, Moses Hebræis quos ex Ægypti servitute eduxit, *Exodi* XII, Samuel Davidi, David Sauli, etc. Hoc est quod sanxit Apostolus, II *Corinth.* VI, 14, dicens : « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi. »

Vers. 5. 5. QUÆRE, etc., SERMONEM DOMINI, — oraculum a Deo per prophetam aliquem, an felix sit futurus belli eventus, an infelix : si enim sit felix, ibimus ad illud; sin infelix, domum redibimus.

Vers. 6. 6. CONGREGAVIT ERGO REX ISRAEL (Achab) PROPHETAS QUADRINGENTOS, — non Dei, sed Baal sive dæmonis, ideoque pseudoprophetas, idololatras et hæreticos. Hinc Lucifer Calaritanus, lib. I *De Apostat. Regibus*, notat principes hæreticos suis adhærere pseudoprophetis, id est prædicantibus hæreticis, ac veros Dei Prophetas despicere, imo persequi et occidere, uti fecere Constantius, Valens, Julianus et alii, qui proinde a suis Arianis seducti misere perierunt.

ASCENDE, ET DABIT EAM DOMINUS IN MANU REGIS, — puta tuam, o Achab. Diabolus ab his pseudoprophetis per auguria et sortilegia eis consueta consultus de belli eventu, victoriam promittit, sed mentitur. Quare ipse decipit prophetas, et hi decipiunt Achab, eumque nimis sibi credentem in decipulam cædis quasi murem inducunt.

Vers. 7. 7. DIXIT AUTEM JOSAPHAT : NON EST HIC PROPHETA DOMINI QUISPIAM, UT INTERROGEMUS PER EUM? — Josaphat erat veri Dei cultor; quare displicuit ei, quod Achab prophetas Baal, ipsumque Baal, hoc est, dæmonem consuluisset, nec eis utpote mendacibus credidit. Petiit ergo quæri verum veri Dei Prophetam ejusque oraculum sciscitari et sequi.

Vers. 8. 8. MICHÆAS. — Est hic alius et diversus a Michæa, qui inter minores Prophetas numeratur sextus, imo hic eum præcessit 150 annis; hic enim prophetavit sub Josaphat et Achab, ille vero sub Joatham et Achaz : hic in Israel, ille in Juda.

Vers. 15. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, ET TRADET EAM DOMINUS IN MANUS REGIS. — *Primo* Cajetanus censet Michæam id dixisse antequam a Deo oraculum accepisset, ideoque aliis prophetis assensum fuisse, errasse, et falsum prædixisse; at mox adjuratum a rege, a Deo illustratum, verum oraculum de regis nece a Deo accepisse et pronuntiasse.

Secundo, Dionysius ait hanc responsionem esse ambiguam, tamque de Benadad rege Syriæ, hoste regis Achab, quam de ipso Achab accipi posse. Sic enim dæmon consultus ambigue respondendo fefellit Crœsum, dicens :

Crœsus Halym penetrans, magnam disperdet opum vim.

Et Pyrrhum, dicens, teste Ennio :

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

Vide Ciceronem, lib. II *De Divin.*

Tertio, Theodoretus et Lyranus censent Michæam hic nil asserere, sed ut ostendat se non odisse regem Achab, ut ipse putabat, optare illi duntaxat prosperum belli successum, ut *tradet* idem sit quod, *opto ut tradat*.

Quarto et genuine, Michæas hic loquitur ironice, *q. d.* Quandoquidem, o Achab, prophetæ tui tibi victoriam spondent, tuque eis credis, vade ad prælium; illi enim dicunt te victorem redituram. Experire ergo eorum oraculum, quia mihi meoque non credis. Ego enim scio te in prælio periturum; sed illud nolo tibi edicere, quia tu indignus es qui audias a Deo veritatem, cum mendacem Baalem consulas, ejusque oracula mendacia audire malis, quam mea ex Deo vero verissima. Ita Abulensis, Vatablus, Sanchez, Serarius.

Vers. 16. 16. ITERUM ATQUE ITERUM ADJURO TE. — Videbat rex ex vultu, gestu et modo dicendi Michæam non serio, sed figurate et ironice loqui. Adjurat ergo eum, ut non nisi veritatem verumque oraculum serio ex animi sui sensu depromat.

Vers. 17. 17. VIDI CUNCTUM ISRAEL DISPERSUM IN MONTIBUS, QUASI OVES NON HABENTES PASTOREM. — Prædicit Michæas Israelis fugam et mortem regis Achab, eumque occidendum in prælio, *q. d.* Pastor, id est rex occidetur; quare ejus subditi et milites, quasi oves sine pastore e prælio montis Samariæ diffugient.

Vers. 19. 19. VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM SUUM, ET OMNEM EXERCITUM COELI ASSISTENTEM EI A DEXTRIS ET A SINISTRIS. — A dextris erant Angeli, a sinistris diaboli; unde inde exivit is qui dixit vers. 22 : « Egrediar, et ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum ejus. » Sic *Job* I : « Cum

filii Dei (Angeli) assisterent coram Domino, affuit inter eos et Satan. » Ubi S. Gregorius. lib II *Moral.* cap. XVI, citans hanc Michææ visionem : « A dextera ergo Dei, inquit, et sinistra Angelorum exercitus stat, quia et voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens judicio districtionis ejus obtemperat. »

Nota hanc visionem Michææ non fuisse rem veram vereque gestam, sed imaginariam : Deus enim in imaginatione Michææ pingebat hanc speciem et formam concilii, ut videretur sibi videre Deum cum Angelis et dæmonibus consultantem de modo decipiendi regem Achab. Nec enim vere Deus concilium cum Angelis, multo minus cum dæmonibus celebrat, neque cum eis consultat, utpote qui sciat certissimo omnes modos rei conficiendæ, quique sint futuri efficaces et habituri effectum, qui non. « Quis enim consiliarius ejus fuit? » *Roman.* XI, 34. Idem patet ex Angelorum dissensione et ignorantia, quæ hic tacite inducitur, cum eorum omnium sententiis dæmonis consilium præferatur, versu 22.

Igitur fuit imaginaria et symbolica hæc visio, a Deo immissa Prophetæ, ut per eam rex Achab intelligeret se decipi a suis pseudoprophetis victoriam promittentibus, idque fieri Deo permittente et disponente ad justam ejus castigationem et interitum. Accommodat enim Deus se suumque oraculum Achab regis captui et conceptui. Ita Serarius, Sanchez et alii.

Vers 20. 20. ET AIT DOMINUS : QUIS DECIPIET ACHAB? — Illa Dei inquisitio præter demerita et scelera Achab, quibus meruit decipi et perire, duo significat : Prius, quod decipere alienum est a Deo. Unde Deus illud hic inquirit quasi idipsum non habeat in se, nec inter divina illud reperiatur; sed in cœtu dæmonum, qui hic inter se agitabant consilium de modo decipiendi Achab : unde Deus eos in hac visione interrogans inducitur, *q. d.* Quis ex vobis, o dæmones, decipiet Achab? scio enim vos hac de re agitare consilium.

Posterius, quod ipsum decipere dæmonum fuerit exacte cognitum et ordinatum a Deo ad Achab punitionem; Deus enim volebat punire Achab, ideoque permisit eum consulere dæmonem per suos pseudoprophetas, ac dæmoni permisit mentiri et decipere Achab, promittendo victoriam in prælio, quo ipse erat occidendus. Ita S. Augustinus, Quæst. XLIV in lib. *Judicum.* Unde Theodoretus et Procopius docent hic significari divinam voluntatem fuisse causam exitii Achab; hæc enim voluit Achabi impietatem punire, ideoque nonnulla ejus peccata, quæ tamen libere fiunt, permisit, nimirum ut consuleret suos magos, eisque crederet, itaque deciperetur et periret. Hæc duo, ait Cajetanus, significat ista Dei inquisitio. Nam alioqui Deus proprie nihil inquirit, cum omnia perfecte perspiciat et sciat. Loquitur ergo hic Scriptura anthropopathῶς, sive humano more, quia homines in re dubia et futura inquirunt et consultant de modo congruo rei peragendæ.

ET DIXIT UNUS VERBA HUJUSCEMODI, ET ALIUS ALITER. — Varii modi decipiendi Achab ab adstantibus non tam Angelis, quam dæmonibus in symbolica hac visione Deo suggesti narrantur, qui in particulari non recensentur, quia iis uti noluit Deus. In genere tamen referuntur, ut pateat omnes modos decipiendi a Deo esse cognitos, et in promptu ad manum, ut iis exsequatur decretum suæ providentiæ, et vindictæ de occidendo impio Achab. Ita Cajetanus.

21. EGRESSUS EST AUTEM SPIRITUS, — *q. d.* Obtulit se Domino ad decipiendum Achab diabolus quispiam; hujus enim officium est mentiri et decipere : hoc enim facere nequeunt Angeli boni, ideoque veraces et fideles. « Neque enim, ut ait S. Gregorius, lib. II *Moral.* XVI, fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, sed quia Achab ex præcedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta justitia licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Idem docet S. Augustinus, lib. LXXXIII, *Quæst.* IV, art. 53. Vers. 21.

22. EGREDIAR, ET ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EJUS, — *q. d.* Suggeram mendacium et mendax promissum omnibus pseudoprophetis Achab, ut illi uno ore regi promittant victoriam in prælio, cum ipse in eodem sit necandus. Porro Philastrius, lib. *De Hæresibus*, hæresi de Pythonissa, hæc addit, incertum unde : « Et ait immundus spiritus ad Dominum : Faciam me quasi Angelum lucis, et verba similia eloquar, et ducam eum in prælium, et ibi eum deseram, et sic morietur. Et ait Dominus : Vade, sic facies. » Rursum S. Epiphanius, *hæresi* 25 : « Spiritus, inquit, erroris est velut flatus in tibia, diversis modis unumquemque stolidum concitans adversus veritatem; nam et ipsa tibia imitamentum est draconis, per quem locutus est diabolus et decepit Evam. » Vers. 22.

ET DIXIT DOMINUS : DECIPIES, ET PRÆVALEBIS; EGREDERE, ET FAC ITA, — verba sunt Dei non jubentis, sed permittentis diabolo parato decipere, ut decipiat Achab. Sic Christus ait Judæ : « Quod facis fac citius, » *Joan.* cap. XIII, 27, id est permitto ut illico me prodas.

23. NUNC IGITUR ECCE DEDIT DOMINUS SPIRITUM MENDACII IN ORE OMNIUM PROPHETARUM TUORUM. — « Dedit » laxando dæmoni habenas, non impediendo, sed volenti decipere permittendo deceptionem. Dæmon enim neminem decipere vel tentare potest, nisi positive id ei permittat Deus. Quare sicut qui leonem fune ligatum manu tenet, si funem laxet, ut leo aliquem invadat et occidat, Vers. 23.

dicitur is qui funem laxavit eum occidisse, sic et Deus dicitur « dare spiritum mendacii, » cum funem laxat diabolo eique paratissimo ad mentiendum permittit ut mentiatur et decipiat. Hisce enim phrasibus significat Scriptura altissimam Dei providentiam ita sua manu continere omnium hominum voluntates, tam malorum quam bonorum, ut nihil omnino velle aut agere possint, nisi quod Deus permiserit.

Vers. 24. 24. PERCUSSIT MICHÆAM IN MAXILLAM, — quæ ignominiosa et probrosa est percussio, ut dixi *Thren.* III, 30.

Vers. 25. 25. VISURUS ES IN DIE ILLA, QUANDO INGREDIERIS CUBICULUM INTRA CUBICULUM (id est intimum, obstrusissimum cubiculum, quoniam non invenies locum in quo possis esse tutus a metu Syrorum hostium) UT ABSCONDARIS.

Vers. 27. 27. SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGUSTIÆ, — vel afflictionis. Vatablus, *qualis afflictis dari solet, q. d.* Sustentate eum exiguo pane, et exigua aqua. Chaldæus, *pane qui erit in afflictione,* id est non ad saturitatem, sed ad necessitatem tantum, ut vivere possit, nec fame vel siti moriatur.

Vers. 28. 28. AUDITE, POPULI OMNES, — hoc meum oraculum illudque notate, ut cum illud vere evenire videritis, me verum prænuntiasse fateamini.

Vers. 30. 30. DIXIT ITAQUE REX ISRAEL AD JOSAPHAT, etc. : INDUERE VESTIBUS TUIS, — regiis et solitis quasi belli dux, ut animos militibus addas ad fortiter pugnandum.

PORRO REX ISRAEL (Achab) MUTAVIT HABITUM SUUM, — ac deposito regio induit plebeium gregarii militis. Fecit hoc Achab non ad honorandum Josaphat, quasi ipse esset imperator et belli dux (esto id ipse coram Josaphat simularet), sed ex terrore prophetiæ Michææ. Esto enim non plane crederet eum vera dicere, scilicet se occidendum in prælio; tamen idipsum timuit, præsertim accedente præcepto regis Syriæ, quo jusserat ut omnes sui in unum Achab arma converterent. Hoc enim præceptum videtur ei innotuisse. Porro Josephus addit id eum fecisse ut facilius et certius prophetiam Michææ eluderet, et falsam fuisse ostenderet, cum mutato habitu, et in ultimo agmine positus, procul esset a gladiis et ictibus hostium, ut nihil ei de vulnere et morte metuendum videretur.

Vers. 31. 31. NON PUGNABITIS, etc., NISI CONTRA REGEM ISRAEL SOLUM, — puta contra Achab, ut eum solum occidatis vel capiatis; ille enim est fax belli. Josaphat enim sequitur eum ut comes ducem. Quare illo sublato, auferetur omne bellum. Rursum, jussit hoc rex Syriæ instinctu Dei, ut videtur, volentis Achab impium punire et trucidare. Unde Josephus addit solum Achab in prælio occubuisse, idque prædixisse Michæam.

Vers. 34. 34. VIR AUTEM QUIDAM TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL. — Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri sagittam ex arcu jacientis, ac respectu Dei non fuit casus, sed destinatus ictus: Deus enim per Angelos direxit hanc sagittam, ut non alium feriret, quam impium Achab. Sic Julianus Apostata, quasi novus Achab, idolorum cultum restituens, cœlesti telo, ait Nazianzenus, orat. 2 *in Julianum,* in bello Persico ictus occubuit anno Domini 363, nimirum a S. Mercurio Martyre confossus, ut ex Helladio docet Damascenus, orat. 1 *De Imagin.*, Nicephorus, libro X, cap. XXXV, et alii; ideoque fremens et frendens manum sanguine suo implens, eumque in aerem jaciens: « Vicisti, inquit, Galilæe » (ita ipse Christum per contemptum vocabat), teste Theodoreto, lib. III, cap. XX. Porro occisus est Julianus eodem die, quo ipse anno præcedente SS. Joannem et Paulum S. Constantiæ Constantini Magni filiæ primicerios occiderat, et martyrio coronarat, nimirum die 26 junii; uti solerter advertit Baronius.

INTER PULMONEM ET STOMACHUM. — Hebraice הַשִּׁרְיָן בֵּין דְּבָקִים וּבֵין *ben debakim uben hassirian,* quod Rabbini vertunt, *inter juncturas et thoracem;* Chaldæus, *inter juncturas loricæ;* Noster, II *Paralip.* XVIII, 33, vertit, *inter cervicem et scapulas.* Utrumque verum est, ait Abulensis; nam sagitta hæc adunca intravit inter cervicem et scapulas Achabi, exiit vero inter stomachum et pulmonem ejusdem: hic ergo sagittæ exitus, in *Paralip.* vero ejusdem ingressus narratur.

Vers. 38. 38. ET LAVERUNT CURRUM EJUS IN PISCINA SAMARIÆ (perperam Josephus habet : *Jezare* vel *Jezael*), ET LINXERUNT CANES SANGUINEM EJUS, ET HABENAS LAVERUNT, JUXTA VERBUM DOMINI. — Pro *habenas,* Hebraice est זֹנוֹת *zonoth,* quod Septuaginta et Josephus vertunt, *meretrices. Meretrices,* inquiunt, *lotæ sunt in sanguine ejus.* Josephus vero, *Meretrices posthac ex eo fonte aquabantur,* quia istæ « noctem flumine purgant, dum mane se lavant, » ait ex Procopio et Theodoreto Serarius. Chaldæi et Rabbini vertunt *arma,* adduntque hæc relata esse in armamentarium, quod erat in Jezrael; ibique canes sanguinem iis inhærentem linxisse, itaque ad amussim impletum esse Eliæ oraculum.

Verum Noster optime vertit, « habenas. » Agitur enim hic de curru, ejusque habenis sanguine Achab cruentatis, ideoque lotis in piscina Samariæ; unde canes ibidem eum linxisse. Atque sic impleta est prophetia Eliæ non per omnia, sed ex parte; quoad omnia vero impleta est in cæde Ochoziæ filii Achab, ut dixi cap. XXI, vers. 19.

Vers. 39. 39. DOMUS EBURNEA. — Quomodo domus fiant ex ebore dixi *Amos* III, ad illa : « Peribunt domus eburneæ. »

Vers. 42. 42. NOMEN MATRIS EJUS AZUBA. — In libris Regum nominatur crebro eorum mater, quia a matre pendet educatio prolium, vel in bonum, vel in malum; et qualis est mater, talis est proles. Ita Spartani fortes fuerunt in bellis et laboribus, quia matres habebant, quæ ex instructione Lycurgi, laboribus et duritiei se et proles assuefa-

ciebant. Unde Gorgon Leonidæ uxor dicenti sibi cuidam : « Vos solæ Spartanæ vestris viris imperatis, » respondit : « Quia solæ etiam viros parimus. » Ita Plutarchus in *Apophtheg.* Clarius exemplum est in S. Wenceslao duce Bohemiæ, ejusque fratre Boleslao ; ille enim a pia avia Ludmilla pie educatus, pius et sanctus effectus est : hic ab impia matre Dabronucia impie enutritus, impius et fratricida evasit : nam, ut regnum occuparet, S. Wenceslaum occidit, sed Martyrem effecit, uti habet Vita S. Wenceslai, quam ex Ænea Sylvio recenset Surius die 28 septembris. Hoc est quod ait Apostolus : « Quod si delibatio sancta est, et massa ; et si radix sancta, et rami, » *Rom.* XI, 16. Sic Machabæa, S. Symphorosa, S. Felicitas, tres inquam matres et heroinæ, septem filiis suis fuere duces ad martyrium.

Vers. 44. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.— Dices : II *Paralip.* cap. XVII, vers. 6, dicitur ea abstulisse. Respondeo : Non abstulit ea initio regni, ne seditionem populi contra se concitaret; sed in progressu, cum sat regnum suum firmasset. Unde in *Paralip.* additur : « cum sumpsisset audaciam. » Aut abstulit ea, sed non ita, quin rursum succreverint ex nimia populi ad illa propensione, ut insinuatur II *Paralip.* cap. XX, vers. 33. Denique Lyranus et alii respondent Josaphat sustulisse « excelsa » idolis erecta, permisisse vero excelsa Deo vero dicata. Hæc responsio uti planior, ita verior est. Nam cum Scriptura dixisset II *Paralip.* cap. XVII, vers. 6, Josaphat sustulisse « excelsa et lucos, » scilicet idololatricos, postea cap. XX, 33, subjicit : « Verumtamen excelsa, » scilicet Deo vero dicata, sed ab eo vetita, « non abstulit. »

Vers. 46. 46. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est rerum et factorum; est metonymia in hisce libris frequens) JOSAPHAT, etc., NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM JUDA? — Nimirum in Chronicis et Diariis in quibus *verba,* id est gesta regum Juda per singulos dies descripta erant.

Plurima enim heroica facta Josaphat hic brevitatis studio subticentur, e quibus nonnulla recensentur II *Paral.* cap. XVII, vers. 2, ubi celebratur zelus Josaphat in cultu Dei propagando, et in erudiendo populo, ideoque gloria illi in præmium a Deo retributa. Rursum eodem libro, cap. XIX, narratur quod ipse in Juda reformarit tribunalia, ac Judices constituerit Levitas, aliosque viros pios et incorruptos. Ad hæc cap. XX recensetur insignis victoria, quam ipse sua pietate et prece a Deo contra Ammon et Moab obtinuit, ubi inter alia vers. 12, orans ait : « In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. » Quocirca Deus suscitavit prophetam Jahaziel, qui ait vers. 17 : « Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. » Fidens ergo ipse castra præcessit, sed ita ut præmitteret cantores Deum laudantes et concinentes : « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. » Cumque hi cœpissent canere, Deus hostium insidias convertit in ipsosmet, ut se invicem invaderent et mutua se cæde truncarent. Unde ad unum omnes perierunt, ac supervenit Josaphat cum suis ad spolia eis detrahenda.

Vers. 48. 48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM, — quia Idumæa subacta a Davide regebatur ab ejus Præfectis; sed mox, sub Joram filio Josaphat, « recessit Edom, ne esset sub Juda; et constituit sibi regem, » ut dicitur IV *Reg.* VIII, 20.

Vers. 49. 49. QUÆ NAVIGARENT IN OPHIR. — Ubi sit Ophir dixi cap. IX, vers. 28.

CONFRACTÆ SUNT IN ASIONGABER, — quia fœderatæ et junctæ erant classi impii regis Israel, nimirum Ochosiæ filii Achab, ut dicitur II *Paralip.* XX, 37. Unde Ochozias, videns naves suas confractas, petiit a Josaphat ut sui servi irent cum servis Josaphat in ejus navibus; sed id noluit Josaphat, ut sequitur; nimirum quia timebat eamdem vel pejorem Dei vindictam ob societatem cum impio Ochozia.

Vers. 51. 51. DORMIVITQUE JOSAPHAT CUM PATRIBUS SUIS, ET SEPULTUS EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID, — puta in Sion; mausolæum tamen ipsi erectum est in valle, quæ inde dicta est *Josaphat;* quæ sita est inter Jerusalem et montem Oliveti, ubi fiet judicium universale, uti ex Beda et aliis dixi, *Joelis* III, 2.

Hic finitur liber tertius Regum, qui complectitur historiam regum Juda per annos 126. Salomon enim regnavit annis 40, Roboam 17, Abia 3, Asa 41, Josaphat 25; junge hos omnes, habebis annos 126.

Denique quoad synchronismum historiæ Gentilium, hæc tradit Eusebius in *Chron.*, Genebrardus, Salianus et alii. Tempore Josaphat imperavit in Israel Achab et Ochozias illius filius, in Assyria Orphratanes, in Lacedæmone Archelaus, Athenis Mechades, Corinthi Agelas; apud Latinos Capetus Sylvius, et Tiberinus Sylvius, qui fluvio Tibri nomen dedit, cum prius vocaretur Albula; et Agrippa Sylvius; in Ægypto Nepher, Cheras, Amenophis, Osochor, Spinaces.

FINIS.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN LIBRIS JOSUE, JUDICUM, RUTH, ET IN LIBRIS I, II, III REGUM EXPLICANTUR

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : ubi unus est, ad proxime nominatam paginam signum esto.

EX VETERE TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. XXVII, *vers.* 29. Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ, 469, 1.
XXXIII, 10. Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei, 427, 2.
XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, 337, 1.
—, 15. Vidit requiem quod esset bona 97, 1.

EX EXODO.

Cap. XII, *vers.* 40. Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum, 111, 1.

EX LEVITICO.

Cap. XIX, *vers.* 14. Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum, 25, 1.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. XXXIII, *vers.* 18. Et Issachar in tabernaculis tuis; et *vers.* 19. Populos vocabunt ad montem, 115, 2.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. XI, *vers.* 3. Congregatique sunt ad eum (Jephte) viri inopes et latrocinantes, 158, 2.

EX LIBRO RUTH.

Cap. III, *vers.* 9. Expande pallium tuum super famulam tuam, 660, 2.

EX LIBRO III REGUM.

Cap. IV, *vers.* 5. Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis, 470, 1,
XI, 1. Rex Salomon amavit mulieres alienigenas, et filiam Pharaonis, 12, 1.

EX LIBRO I PARALIPOMENON.

Cap. XV, *vers.* 20. In nablis arcana cantabant; et *vers.* 21. In citharis pro octava canebant epinicion ; et *vers.* 22. Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat; et *vers.* 26. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes, 456, 2.
XVII, 18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum, 464, 2 et 465, 1.
XIX, 18. Et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia equitum, 473, 2.
Cap. XX, 1. Percussit Joab Rabba, 485, 2.
—, *vers.* 2. Tulit David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque inde sibi diadema, 486, 1, 2.
XXI, 5. Omnis numerus Israel, mille millia et centum millia virorum, 534, 2.
XXIX, 24. Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi, 584, 2.

EX LIBRO II PARALIPOMENON.

Cap. II, *vers.* 8. Ligna arceuthina, 569, 2.
—, 13. Hiram patrem meum, 593, 1.
III, 3. Longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, 574, 2.
—, 4. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat, *ibid.*
—, 16. Nec non et quasi catenulas in oraculo, 587, 1.
IV, 5. Capiebatque (mare) tria millia metretas, 590, 2.
VI, 41 et 42. Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ : Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem. Domine Deus, ne averteris faciem Christi tui : memento misericordiarum David servi tui, 599, 1.
XIII, 2. Nomenque matris ejus Michaia, filia Uriel de Gabaa, 495, 2.

EX LIBRO JOB.

Cap. VII, *vers.* 5. Induta est caro mea putredine, 153, 2.
XXXI, 26. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum ; et osculatus sum manum meam ore meo, 660, 1.
XXXIV, 30. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, 616, 1.

EX LIBRO PSALMORUM.

Psalm. VI, *vers.* 1. In finem in carminibus, Psalmus David pro octava, 456, 2.
—, 7. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo, 483, 1.
XI, 1. In finem pro octava, Psalmus David, 456, 2.
XVII, 1. Eripuit eum de manu hostium et de manu Saul, 12, 1.
—, 10. Moab olla spei meæ, 468, 1.
LIX, 10. In Idumæam extendam calceamentum meum, 469, 1.
LXXI, 10. Reges Arabum et Saba dona adducent, 604, 1.
LXXXVIII, 5. In æternum præparabo semen tuum, 537, 2.

Psalm. CXVII, *vers.* 22. Factus est in caput anguli, 229, 1.
CXXXI, 17. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo, 492, 2.
CXXXIII, 2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, 598, 2.

EX ECCLESIASTE.

Cap. XII, *vers.* 3. Tenebrescent videntes per foramina, et obsurdescent omnes filiæ carminis, et dissipabitur capparis, 515, 2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. XXXIX, *vers.* 18. Quasi Libanus odorem suavitatis habete, etc., 6, 1, 2.
XLVIII, 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, 659, 1.

EX ISAIA.

Cap. XXI, *vers.* 5. Surgite, principes, arripite clypeum, 437, 1.

EX JEREMIA.

Cap. IX, *vers.* 20. Docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum, 435, 2.
XIV, 2 et seq. Luxit Judæa, etc., et afflicti operuerunt capita sua, 498, 2.

EX EZECHIELE.

Cap. XVI, *vers.* 8. Expandi amictum meum super te, 660, 2.

EX DANIELE.

Cap. XIII, *vers.* 23. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini 535, 2.

EX JONA.

Cap. I, *vers.* 3. Fugeret in Tharsis, 609, 1.

EX ZACHARIA.

Cap. X, *vers.* 4. Ex ipso angulus, 229, 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. VI, *vers.* 34. Sufficit diei malitia sua, 415, 1.
XVI, 23. Vade post me, Satana, 514, 2.
XIX, 7. Moyses mandavit dare libellum repudii, 501, 2.

EX S. MARCO.

Cap. XVI, *vers.* 7. Dicite discipulis ejus, et Petro, 12, 1.

EX S. LUCA.

Cap. IV, *vers.* 25. Cum facta esset fames magna in omni terra, 642, 2.

EX S. JOANNE.

Cap. VIII, *vers.* 44. Ille (diabolus) in veritate non stetit, 15, 1.
XIII, 27. Quod facis, fac citius, 673, 2.

EX EPISTOLA II AD TIMOTHEUM.

Cap. II, *vers.* 19. Cognovit Dominus qui sunt ejus, 465, 2.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. IX, *vers.* 4. In qua urna aurea habens manna, 89, 1.
XI, 30. Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem, 34, 2.

EX EPISTOLA I S. PETRI.

Cap. II, *vers.* 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, 470, 2.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. V, *vers.* 10. Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, *ibid.*

INDEX

RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN LIBRIS JOSUE JUDICUM. RUTH. ET IN LIBRIS I. II. III REGUM CONTINENTUR.

A.

Abela oraculum sapientiæ, 518, 2. erat academia, 44, 2.
Abias rex Juda, quomodo tribus annis regnarit, 632, 1. colit idola, 633, 1. vincit Jeroboam in bello, *ibid.* 2.
Abiathar indirecte amotus a pontificatu per Salomonem, 554, 2. est nomen familiæ, 469, 2.
Abimelech filius legitimus Gedeonis, 168, 2. regnum ambit malis artibus, 171, 1. auspicatur a sacrilegio et fratricidio, 172, 1. non fuit verus princeps nec a toto Israel receptus, *ibid.* 2. ingloria morte juste punitus, 178, 2.
Abisag cur data David, 545, 1. fuit uxor Davidis, 546, 1. significat sapientiam, 545, 1, 2.
Abner non peccavit procurando Isbosetho regnum, 440, 1. sed peccavit provocando milites Joab ad duellum, *ibid.* 2. occisione contumeliæ acceptæ ab Isboseth ejus regnum transfert ad Davidem, 443, 2. juste occidit Asaelem, 441, 1.
Absalom filius Davidis ex Maacha filia regis Gessur, sed proselyta, 443, 1. quare David cor suum verterit ad Absalom, 492, 1. fuit in periculo idololatriæ in Gessur, 493, 1. non debuit occidi propter necem fratris Amnon, 494, 1. semel in anno tondebatur, *ibid.* 2. non tamen erat Nazaræus, sed comæ studiosus, ideoque ex ea suspensus, *ibid.* 2. ducenti sicli pondus sunt, non pretium comæ Absalomi, *ibid.* ejus unica filia Thamar fuit uxor Roboam, vel mater uxoris ejus, *ibid.* 495, 1, 2. ejus ambitio et parricidium, 497, 1. tyrannidem suam tyrannide patris excusat, *ibid.* 2. cur populus eum fuerit secutus, *ibid.* per ingressum ad concubinas patris intendit excludere reconciliationem, 503, 1. ingressus ille fuit publicus, sed non ipse actus turpis, *ibid.* 2. publicus ingressus aggravavit incestum, *ibid.* plectitur in capite, quod contra patrem extulerat, 509, 2. ejus pœna, congrua culpæ, 510, 1. ejus cor congrue transfixum, *ibid.* est damnatus, *ibid.* 2. ejus monimentum exsecrabile, 511, 2. fuit typus Judæ, 498, 1.
Abstinentiæ commoda, 192, 1.
Abulensis opinio de Deo movente ad peccatum veniale, reprobatur, 13. 2.
Academia prima orbis fuit Cariath Sepher in Chananæa, 84, 1.
Achab rex Israel inducit cultum Jovis Beli, 637, 1. ejus tempore homines scelestissimi, *ibid.* 2. ipse est causa famis in Israel, 649, 1. subditum habet Benadad, 663, 1, 2. invadit vineam Naboth occisis omnibus filiis, 667, 2. et prætenso jure fisci, *ibid.* servus peccati et uxoris, 668, 1. ejus pœnitentia fuit attritio tantum, *ibid.* 2. mortem ei prædicit Michæas, 671, 1. punitur mendaciis pseudoprophetarum, 672, 1. mutat vestem territus prophetia Michææ, *ibid.* sagitta casu jacta ab homine dirigitur a Deo ad eum feriendum, *ibid.* 2.
Achan alii damnatum putant, alii salvum, dubitat Augustinus, 44, 2. ejus furtum 400 aurei, 45, 1. primo lapidatus fuit, deinde combustus, *ibid.* 2.
Achitophelis prudentia, sed diabolica, 503, 1. typus Judæ proditoris, 506, 2.
Adad Idumææ rex fugit in Ægyptum, 614, 1. recuperat regnum suum, *ibid.* 2.
Adam protoplastus non fuit gigas, 78, 1, 2. Adam lex quid, 464, 2.
Adeodatus qui Goliath percussit, non est David, 522, 2.
Adonias ambit regnum, 546, 2, et 552, 2. idque ex consilio Joab, *ibid.* contra legem petit Abisag uxorem, ideoque potuit occidi a Salomone, 553, 1. juste occisus est a Salomone, 554, 1.
Adonibesec 70 regulis pollices amputarat, 114, 2. punitus pœna talionis, *ibid.* videtur pœnituisse, 115, 1.
Adrichomius male ponit Sartham juxta Bethbara, 20, 2. item Cariathiarim male ponit in tribu Dan, 222, 1. item male distinguit mare æneum a lutere, 590, 1.
Adulatio aulici Henrici VIII, Angliæ regis, 553, 2. ejus mala, 620, 2.
Adversarius humilitate placatur, 164, 2.
Adversis et prosperis bene utendum, 128, 2.
Affinitas in primo gradu lineæ rectæ impedimentum matrimonii in quo hactenus non dispensatum, 553, 1 et seqq.
Agriculturæ laus, 321, 1.
Ἀλαλάζειν significatio duplex, 38, 2.
Alberici Gentilis impia sententia, quod Turca juste possideat regna quæ Christianis eripuit, 184, 1.
Allegoria quæsita in adulterio Davidis non est propria, 477, 1.
Altare extra tabernaculum licebat ædificare, dummodo non fieret ad sacrificandum, 99, 1; 152, 1.
Amalec ter jussus a Deo deleri, 354, 1, 2. nepos Esau, *ibid.* 2. jussus deleri, quia Hebræos recenter Deo copulatos voluit ab eo avertere, *ibid.* 2. non omnes Amalecitæ interfecti a Saule, 356, 1.
Amalecites mentitur dicens se occidisse Saulem, 434, 1. detulit tamen diadema Saulis ad Davidem, *ibid.* licite occisus est a Davide, 435, 1.
Aman de stirpe Agag, 362, 1.
Amantes cur maxime oderint amatas post copulam, ratio naturalis, 489, 2. ratio providentiæ divinæ, *ibid.*
Amasa cur sollicitatus a Davide per promissa, 514, 1, 2. dat pœnas perfidiæ, 518, 1.
Ambidextri fortes, sed viri tantum, nunquam feminæ, 128, 2.

Ambitio insatiabilis, 70, 1. ambitio excæcat etiam prælatos, 497, 1. item ambitio regnandi, 636, 1.
Ammoniticæ partem quam bello eis ademerat rex Basan, Hebræi occuparunt et licite possederunt, 74, 2; 184, 1.
Amnon quare post copulam, exosam habuerit sororem Thamar quam oppressit, 489, 2. quomodo plus peccarit ejiciendo Thamar quam opprimendo, 490, 1. debebat eum castigare David, sed non necessario morte, *ibid.*
Amor divinus quid possit, 459, 1. amor plus trahit quam timor, 658, 2, amorem debent superiores subditis, 646, 1.
Amphibologia in casu licita, nunquam mendacium, 129, 2.
Amri rex Israel quinque annis pugnavit cum æmulo Thebni, 636, 2. transfert regiam ex Thersa in Samariam, *ibid.* et 637, 1.
Anathemata in templis Deo dicanda, 396, 2.
Andreas Masius in Josue caute legendus, 3, 2. probat Josue non esse libri sui auctorem, 1, 2; 68, 2.
Angelus bonus fuit qui pestem populo Israel inflixit, 536, 1, 2. quomodo eam inflixerit, 537. 1. Angeli custodes præsunt exercitibus fidelium, 32, 1. Angelo viso, hominem moriturum, vulgi opinio apud Hebræos male fundata et falsa, 152, 1. Angeli percellunt Philistæos et juvant Davidem in prælio, 452, 1, 2. et alios multos, *ibid.* Angelorum ope nitantur duces in bello et periculis, 506, 2.
Anima sedendo fit sapiens, 464, 1. Anima similis igni, 492, 2. sit pura instar templi, 593, 2. ejus immortalitas, 647, 2.
Annæ interpretatio, 257, 2. significat Ecclesiam et vitam contemplativam, Annæ votum fuit de filii Nazareatu si ei daretur, 259, 2. quia flens inconditos gestus edebat, ebria reputabatur, 260, 1. ejus modestia, *ibid.* iram omnem quam contra Phenennam conceperat, coram Deo effudit, 260, 1, 2. accipit fiduciam, preces suas exauditas esse, *ibid.* 2. non tenebatur lege puerperii de primogenito redimendo, quia Levita, 262, 1. donum prophetiæ accepit, 266, 1. prima nomen Christi expressit, 274, 2.
Annulus a S. Arnulpho in Mosellam projectus, ei redditus in signum remissionis peccatorum, 156, 1.
Anni vitæ computandi qui bene exacti, 331, 1, 2.
Antagonistas opponit Deus hæreticis, 639, 1.
Antiochus Seleuci filius amans Stratonicem novercam, eam a patre obtinet, 489, 1.
Antipathia inter sanctitatem et iniquitatem, 645, 2.
Antoninus Caracalla Getam fratrem quem occidit, inter divos retulit, 564, 2.
Antonius (S.) de Padua arca Testamenti, 455, 2.
Aod secundus Israelis Judex, 128, 1. fuit ambidexter, *ibid.* et 2. ejus gladius duas habebat acies, *ibid.* Dei instinctu Eglon occidit, 130, 1. evasit per posticum, *ibid.* 2.
Apes libenter mellificant in ore animalium, 199, 1. apis analogia et leonis, 200, 2. apum et ursorum pugna, 347, 2.
Apologus primo propositus a Joatham Sichimitis ante omnes gentium apologos, 172, 2. ejus explicatio, 173, 1, 2.
Apostoli significati per duas columnas, 588, 1. per boves maris ænei, 589, 2.
Arca fœderis ordinarie portabatur a Caathitis, ac in re gravi a sacerdotibus, 17, 2. arca mystice significat Christi humanitatem, 287, 1, arca stetit in medio Jordane, non in ripa, dum Josue cum suis transiret, 19, 1. reverentia Hebræorum erga arcam, 18, 1. significat sanctos, 18, 1. arca cur capta a Philistæis, 287, 1. arca ponitur juxta Dagon tanquam ab eo debellata, 289, 1. illam injuriam vindicat Deus, 290, 2. arcam nudarunt Bethsamitæ, et ideo sunt percussi, 297, 1. arca Dei transfertur e Gabaa ad arcem Sion, 454, 1. vehebatur plaustro errore Davidis vel Levitarum peccato, *ibid.* solis sacerdotibus licebat eam tangere, idque sub pœna mortis, et ideo percussus Oza, *ibid.* 2. est symbolum sacræ Scripturæ et viri in ea eruditi, 455, 2. et B. Virginis, *ibid.* ponitur in domo Obededom, *ibid.* quæ domus ideo benedicitur, 456, 1. unde eam adduxit David in Sion, *ibid.* non tamen iterum in plaustro, sed in humeris Levitarum, *ibid.* Significat Ecclesiam militantem, 458, 2. et Ecclesiam triumphantem, *ibid.* item humanitatem Christi et B. Virginem, *ibid.* arca fuit in castris Joab obsidentis Rabba, 477, 2. David fugiens, eam remittit Jerosolymam ne secum exsulet, 498, 1. arcam posuit Salomon in Sancto sanctorum, 578, 2. solam arcam posuit in templo, cætera vasa templi innovavit Salomon, 593, 2. arca quare vocetur arca fortitudinis, 597, 1. arca quoties et quo translata, 299, 1.
Arcus quem docuit David filios Juda est planctus incipiens, a nomine arcus, 335, 1.
Arduis (in) consulendus Deus et viri docti, 56, 1. in arduis Deo parendum, 346, 1.
Areuna rex Jebusæorum factus proselytus, 537, 2. ejus area cur electa ad sacrificium pro peste avertenda, *ibid.* est symbolum Ecclesiæ gentium, 538, 1.
Arianus thronum S. Athanasii confringens, e fragmento ejus occisus, 293, 1.
Arias non bene affirmat Salmon et Salomon esse idem nomen, 248, 1.
Ariopharnis judicium suspectæ fidei, 564, 1.
Arma Dei sunt fulgura, tonitrua, etc., 116, 2. arma priscorum brachia, ungues, etc., 334, 1. et instrumenta ruralia, 339, 2.
Asa rex Juda pius ex impia matre, 633, 2. eam amovet a sacerdotio Priapi, *ibid.* ejus pietatem remuneratur Deus, 634, 1. fuit in fide perfectus, sed in multis aliis peccavit, *ibid.* 2. regnavit 41 annis propter pietatem, *ibid.*
Astaroth Philistinorum est Venus, 120, 1, 2.
Atbas Hebræorum est alphabetaria revolutio, 327, 1.
Atheismi causa, 276, 1, 2.
Athenis pepercit Sylla, ob idque semper gavisus, 519, 1.
Atria tria Sacerdotum, laicorum et immundorum, 580, 2.
Attributum Dei nobilissimum sanctitas, 266, 2.
Aureliani Imperatoris ira mitigata, 416, 1.
Avaritia difficulter prohibetur, 45, 2. avaritia ficus, 174, 2. ex avaritia Hiel ædificavit Jericho, 638, 1, 2, avaritiæ insatiabilitas, 667, 2. ejus typus Jezabel, *ibid.*

B.

Baal est Jupiter Belus sive Nemrod, 637, 1.
Bacchum coluit Salomon, 613, 1.
Barac non fuit consanguineus Debboræ, sed externus, 134, 1.
Barlaami morientis pulcherrimum monitum datum Josaphato, 551, 1.
Beata Virgo est arca Testamenti, 455, 2; 458, 2. exempla varie punitorum, quod eam inhonorarint, 455, 2. canones tres conciliandi diversa tempora, 632, 1. est cisterna Bethlehem, 530, 1. ejus festum purificationis quomodo institutum, 536, 2. debemus eam orare, quia Christus ei nihil negat, 553, 2. ipsam libere amasse Deum in somnis est probabile, 560, 1. ejus puritas significatur per lilium impositum columnis, 588, 2. significatur per thronum Salomonis, 608, 2. ejus typus Jahel, 136, 2. item Debbora, 139, 1, 2. et vellus Gedeonis, 154, 2. titulus matris admirabilis ei gratissimus, 194, 2. ad eam confugiendum in periculis 346, 2. Abigail ejus typus, 418, 2.
Belli Belgici origo et occasio, 518, 1. eo durante viginti duæ militum regiorum rebelliones ob tardata stipendia, *ibid.* belli duces specie honoris amovendi, *ibid.* belli duces periti, si delicati, non ponendi, 663, 2. bellum pœna peccati, 633, 2. in bello celeritas valet plurimum, 505, 1.
Benadad rex Syriæ, filius Adad rebellis, 662, 1. quo jure petierit aurum, etc., Samariæ, *ibid.* 2 est typus diaboli 664, 1. subdit se Achabo, *ibid.* reus mortis, *ibid.* 2.

Benjamin tribus minima numero et infamis, 311, 1.
Bernardus (S.) sedens meditabatur, 463, 2.
Bethel et Bethaven sunt loca distincta, 50, 2. unica fuit Bethel eaque in tribu Ephraim, 116, 2. est limes regni Israel, 621, 2.
Bethsabee neptis fuit Achitophel, 476, 1. post pœnitentiam fit prophetissa, *ibid.* Eliam ejus pater unus ex fortibus David, 531, 2.
Blasphemia peccatum horrendum, 667, 1. Judæi ne nominabant quidem, *ibid.*
Bona hujus vitæ vana sunt et malis permixta, 494, 1.
Bona temporalia cur data Salomoni, 610, 2. fuerunt ipsi causa lapsus, 613, 1.
Booz castitas, 244, 2. ejus laudes, 247, 1, 2.

C.

Cæcos et claudos quare Jebusæi constituerint in arce Sion, et qui illi cæci et claudi, 449, 2. occisi a Davide, quia eum odiebant, 450, 1. sunt figura Scribarum et Pharisæorum, et infidelium, hæreticorum, et fidelium male viventium, *ibid.* 1, 2.
Cajetani sententia de mendis Scripturæ rejicitur, 521, 2.
Calebi senectus præmium virtutis, 77, 1. ejus pietas, 78. 2.
Calendæ unde dictæ, 391, 2.
Calepinus male confundit scruta et scutra, 592, 2.
Calumnia redit ad calumniantem, et quid operetur in calumniato, 500, 2. quomodo in calumnia considerandum quid intendat Deus, 501, 1. et in memoriam revocanda propria peccata, *ibid.* 2.
Calumniatoribus non facile credant Principes, 500, 2,
Calvini error blasphemus de Deo vitium non imputante ad culpam, 13, 1. alius ejus error de obduratione, 68, 2.
Canones tres conciliandi diversa tempora, 632, 1.
Cantare non decet magnates, 460, 2. sed omnino decet in divinis, *ibid.*
Cantus Ecclesiastici fructus, 316, 2.
Capitella tria ponunt architecti in columnis, 587, 1.
Cardamas currit ad opera charitatis, 441, 1.
Cardines terræ sunt Sancti, 272, 1.
Carmeli duo in Palæstina, 414, 2.
Carmelitarum Ordo ortus ex Elia, 652, 1. ejus laus, *ibid.* patroni Elias et Eliseus, *ibid.* adhuc hodie speluncam Eliæ in Carmelo inhabitant, *ibid.* 2.
Carnifex unius regis, rex alter, 636, 1.
Carolus V Imperator fructum summum cepit ex lectione librorum Regum, 251, 1. omnium nationum hominibus æqualis, 517, 2.
Casinenses aiunt progenies corvi qui S. Benedicto obedivit, 642, 2.
Castitatem (ob) jus primogenituræ datum Josepho, ablatum ob incestum a Ruben, 76, 1. castitas Booz, 244, 2. castitatis studioso, quid facto opus, 475, 1. ob castitatem occisa S. Dymphna a patre, 553, 2.
Castra figendi modus, 55, 1. juxta etymon sint casta, 286, 2.
Catalogus electorum est fasciculus viventium, 417, 1.
Caudati in Anglia ob amputationem caudæ equi quo vehebatur S. Thomas Cantuariensis, 293, 2.
Cedreni error de Schamane judice post Samsonem, 218, 1, 2.
Celeritas necessaria in belli duce, 62, 1.
Cerethi et Phelethi erant milites prætoriani, 469, 2.
Chamos est Bacchus, 613, 1.
Chananæa jure hæreditario erat Hebræorum, 9, 1. ideoque per Jubilæi buccinas expugnata Jericho, 34, 1. Chananæa non omnino tota a Josue subacta, 68, 1, 2. ejus longitudo et latitudo, fuitque minor Belgio, 70, 2. Satrapiæ Philistiim ad Chananæam pertinent; nec eos Hebræi possederunt, nisi forte exiguo tempore, 73. 1, 2. Tyrus et Sidon ad eam quoque pertinent quas Hebræis nunquam possederunt, *ibid.* tota Chananæa Hebræis data quoad dominium, 92, 93, 1.
Chananæorum lingua affinis Hebraicæ, 14, 1. — Chananæi erant Phœnices 27, 1. multi ejus incolæ patriam deserentes ob timorem Josue, varias mundi partes habitarunt, 67, 2. cur a Deo non totaliter ejecti e terra, 601, 2. 124, 1. tempore Salomonis non debebant occidi, 601, 1.
Charitas primo sibi providet, mox aliis, 154, 2. ea vincuntur inimici, 410, 1.
Cherubini Mosaici et Salomonis quales essent, et qualiter collocati, 578, 2; 579, 1, 2.
Chirotheca projiciebatur a regibus obsidentibus in urbem obsessam, 469, 1.
Chramnus propter affectatum regnum cum uxore et filiis a patre Clothario exustus, 510, 2.
Christi passio adumbrata per funiculum coccineum, 15, 2. elevatio clypei Josue fuit signum Christi crucifixi, 51, 2. crucifixus in cruce visibiliter, diabolus invisibiliter, 52, 2. typus Christi Judices Israelis, 125, 1. item Othoniel, 126. 1. clavorum Christi typus, clavus ferreus quo percussus Sisara, 136, 2. Christi typus, petra Gedeonis, 151, 1. item vellus ejusdem, 154, 2; 155, 1. item filia Jephte, 186, 2. in Christo omnia sunt mirabilia, 194, 1, ejus typus leo a Samsone occisus, 199, 2. et ipse Samson. *Vide verbo* Samson. Christus privatim cultus ab Alexandro Severo cum aliis idolis, 219, 1. maleficia Judæorum beneficiis superavit, 386, 1. 2. *Vide verbo* David typus Christi. Ter unctus, 448, 2. rex fuit triplici jure, 449, 1. ejus crux designatur per Geth, 456. 1. ejus judicium adumbratum per David. 468, 1. regnat in carnalibus gentium cordibus, 469, 1. contemptos eligit et exaltat, 471, 2. illusos a diabolo per peccata ad pœnitentiam adducit, 473, 1. ejus corona quæ, 486, 2. Christi typus Jesbaam, 528, 2. ejus passio et resurrectio per labrum maris ænei. 590, 1. est rex Israelis et totius mundi, 616, 1. ejus crux significata, 646, 2. per Eliam. *Vide Ind. verbo Elias.* Crux Christi significata Per juniperum, 655, 2
Christiani omnes sunt sacerdotes, 280, 2.
Chronologia ætatis Josue, 106, 1. chronologia Judicum annorum 356 vel 360, 110, 1, 2. anni servitutis Hebræorum, includendi annis quibus Judices præfuerunt, 126, 2. canon pro chronologia sacræ Scripturæ, *ibid.* et 111, 1, 2. chronologia Israelis ex Ægypto ad templi ædificationem, 480 annorum, singulis principibus partitæ, 126, 1, 2.
Cinæi qui? fuere viri religiosi, 115, 2.
Circumcisio in deserto omissa ob incertitudinem quando castra movenda erant, 28, 2. cur Hebræi cultro lapideo circumcisi, 27, 2. circumcisio secunda quæ, *ibid.*
Clamor utilis in bello, 36, 1, 2.
Clementiæ laus, 619, 1.
Climactericus annus, 475, 2.
Clypeus regum ungi solebat, et quo fine, 437, 1.
Cœlum fortitudine expugnandum, 528, 1. significatum per templum, 577, 1. et per cochleam templi, *ibid.* 2. et per Sanctum sanctorum, 579, 1. cœli gaudia, 605, 2. cœli idea, gloria Salomonis, 610, 2.
Collyrida quid sit, 458, 2.
Columna nubis quæ solebat castra præcedere evanuit, 18, 1.
Columnæ duæ erant in porticu, 587, 2. eorum nomina Bootii et Jachin quid significent, 587, 2; 586, 1.
Communitas tota ob unius peccatum punitur, 349, 1.
Conciliantur diversa tempora tribus modis in Scriptura, 632, 1.
Concionator loquax fructu carebit, 271, 1. vanus, 339, 1.
Concubinarii impœnitentia in Italia, 613, 2.
Conditionalium scientia in Deo, probatur ex Scriptura, 404, 2.
Confessio peccatorum Deum glorificat, 44, 2.
Conjugium puellarum portus, ne castitatis faciant nau-

fragium, 242, 1, 2. an conjugium nurus cum socero sit jure naturæ irritum, 553, 1. conjugia cum infidelibus perniciosa, 630, 1.
Consanguinei in beneficiis postponendi extraneis aptioribus, 619, 2.
Consilia senum bona, non juvenum, *ibid.*
Consilia politica perniciosa, 620, 1.
Constans vultus index animi constantis, 261, 1.
Constantinus Copronymus punitus ob inhonoratam B. Virginem, 455, 2.
Constantius Imperator de tribus in morte doluit, 621, 1.
Contemplatio imperfectiones absumit, 63, 2. ea omissa labitur homo in peccata carnis, 211, 1, 2.
Contemptus mundi, 5, 2; 6, 1.
Contritio delet omnia peccata, 483, 1.
Contumelia juvat nos, ideoque ei gratia debetur, 502, 1, 2; 503, 1. contumelia illata Abner ab Isbosetho occasio translati ab eo regni ad Davidem, 443, 2. contumelia illata Achitophel a David viciante ejus neptem Bethsabee per adulterium, fuit ratio quare conjuravit cum Absalomo, 476, 1; 503, 1.
Conversationis malæ incommoda, 77, 1, 2.
Convicia (ad) surdescendum, 319, 2.
Convivii funebris antiquitas, 444, 2.
Corpora Sanctorum sunt curæ Deo, 626, 1. sunt vivifica, 646, 1, 2.
Correctio sit mixta severitate et lenitate, 277, 2. ejus necessitas, 340, 1, 2.
Corvi attulerunt cibum sanctis, 642, 2.
Crotoniensium 100,000 cæsa a 15,000 Locrensium, hujusque stragis causa, 441, 2.

D.

Dagon Philistinorum est Venus, 290, 1. fatetur se victum ab arca, *ibid.*
Dalila non fuit Samsonis uxor, sed verius ejus concubina, 210, 1.
Dan urbs est Cæsarea Philippi, 221, 1. Danitarum captivitas quando, 223, 1.

De Davide historica.

David vir secundum cor Dei, 337, 2. unctus secreto a Samuele coram patre et fratribus, 366. 1. habuit septem fratres, 365, 1, unctus vigesimo ætatis anno, *ibid.* 2. ex lætitia vultus agnitus, 366, 1. fuit ter unctus, *ibid.* in unctione accepit spiritum fortitudinis bellicæ, animi regii, poeticæ et musicæ, prudentiæ, et spiritum prophetiæ, idque stabiliter et subito, *ibid.* 2. etymon Davidis ab amore, 367, 1. cithara ejus partim naturaliter, partim supernaturaliter curavit Saulem, 369, 1. fuit procerus corpore, 375, 2; 396, 2. instinctu Dei iniit certamen cum Goliath, 377, 1. fuit peritus fundibularius, *ibid.* 2. Goliath suo ipsius gladio occidit, 378, 1. caput per urbes circumtulit, *ibid.* 2. gladium Deo sacravit, *ibid.* percussit totum exercitum Philistinorum, percutiendo Goliath, 380, 2. non potuit psallendo Saulem curare, quia invidus manebat Saul, 382, 1. septies eum persecutus est Saul, *ibid.* ex omni persecutione gloriosior evasit, *ibid.* 2. amovetur ab aula, *ibid.* fit Chiliarcha, 383, 1. duo quæ præstitit ut fieret gener regis sunt cædes Goliæ et 100 præputia Philistinorum, 384, 2. optime instruxit ad se convenientes, 400, 1. quindecim ejus fugæ, *ibid.* 2. non fuit causa occisionis sacerdotum, sed occasio, 402, 2. meretur coronam civicam ob liberationem Ceilæ, 404, 1. nunquam absolute voluit occidere Saulem, 407, 1. conscientia eum mordet propter abscissionem chlamydis Saulis, 407, 2. gloriosior fuit ejus victoria de Saule, quam de Goliath, 408, 1. regius ejus animus, *ibid.* Saulem occidere ei non licebat secundum quosdam, *ibid.* secundum alios licebat, *ibid.* dicendum non decuisse, *ibid.* appellat Saulem ad judicium Dei, 409, 1, 2. Saul se ei submittit, et filiorum suorum facit tutorem, 411. 1. plura præstat quam promiserat, *ibid.* non poterat juste occidere Nabal, 416, 1. Dei erga eum providentia, 426, 1. David non erat omnino certus de regni possessione, 421, 1. exit cum suis aulam regis Geth propter periculum idololatriæ, 422, 1. ut eum tueatur Deus, inadvertentiam immittit regi Achis, 423, 2. nunquam intendit pugnare contra Israelem, 424, 1. Dei erga Davidem providentia, 426, 1. David muneribus devincit sibi animos tribulium, 429, 2. David regnante Saul, plus rexit populum quam ipse Saul, 448, 1. ter est unctus in regem, *ibid.* 2 fuit junior Jonatha, 449, 2. capit arcem Sion anno 38 ætatis, 450, 1; adjuvatur a Deo in prælio contra Philistæos, 451, 2; 452, 1. erravit David vel Levitæ, dum arca Dei imponitur plaustro, 454, 1. illectus benedictione Obededom per arcam, eam ex ejus domo adduxit in Sion, 456, 1. fecit tabernaculum novum pro arca, 458, 2. occupat Geth, et per hoc frenavit Philistæos, 467, 1. per omnes mundi plagas victricia arma circumfert, *ibid.*, 2. debellat Moabitas, *ibid.* 2. juste invasit Sobam, 468, 2. fit famosus per illam victoriam, 469, 1. victor possidet Idumæam, *ibid.* ejus filii quo sensu sacerdotes, 469, 2. rependit Hanon misericordiam quam a patre ejus Naas rege Ammon acceperat, 472, 1, 2. Hanon contra legatos Davidis contumelia afficit, 473, 1. quare David eum bello aggressus, cecidit eum ad octoginta septem millia, 473, 2. chronotaxis gestorum ejus, 485, 1. ex corona Melchom quomodo sibi fecerit diadema, 486, 1. cur fugerit Absalomum, 497, 2. fames triennalis ejus temporis quare immissa, 520, 1. quatuor ejus prælia contra Philistæos, quando contigerint, 522, 2. ejus vires deficiunt: in senio, quare ei succurrit Abisai, *ibid.* David non est Adeodatus, *ibid.* domus ejus illustris et fecunda, 527, 1. omnia ad votum Davidi procedunt, *ibid.* cur recuset bibere aquam de cisterna Bethlehem, 529, 2. eligit pestem, 535, 1, 2. ex visione Angeli et dolore populi percussi incurrit morbum incurabilem, 537, 1. cur ei data Abisag, 545, 1. prima et secunda unctio Davidis non est facta oleo sacro, sed sola tertia, 547, 1. transfert adhuc vivens regnum in Salomonem, 548, 1. non tamen omne jus regium, *ibid.* cur non occiderit Joab, sed id mandarit Salomoni, 551, 1. ejus elogium apud Josephum, 552, 2. infelix in filiis, 554, 1. idque in pœnam adulterii, *ibid.* relinquitur ei lucerna, 615, 2. per contemptum vocatur filius Isai, 620, 1.

Davidis virtutes.

Modestia, 368, 1. humilitas, 384, 1. ejus patientia, 386, 2; 401, 1. pietas, 404, 1. in Deum fiducia, 405, 2. ejus clementia et reverentia erga Saulem, 408, 1. martyrium, 409, 1. charitate fregit duritiem Saulis, 410, 1. David injuriarum immemor inimicum suum honoravit, 437, 2. et etiam ultus est, 447, 1. humilitas ejus coram arca saltantis, 457, 1. eam pulchre ponderat S. Gregorius, *ibid.* et 459, 2. vovit ædificare templum, 461, 1, 2. placuit id votum Deo quoad rem, non quoad personam, 462, 1. cur non permissus id implere, *ibid.* amicitiam amico exhibet post mortem, 470, 1, 2. ejus resignatio, 498, 2. ejus humilitas et ad Deum recursus, *ibid.* gratiam habet Deo in fuga, *ibid.* ejus oratio in monte Oliveti, 498, 2. patienter fert calumniam Semei, 501, 1. ejus pietas erga Absalom patricidam, 509, 1. flet æternam ejus mortem, 511, 2. per clementiam non statim occidit Semei, per justitiam autem jussit a Salomone occidi propter maledicentiam, 514, 2. imitatur exemplum Resphæ, 522, 1. ejus heroica charitas erga inimicum Saul, *ibid.* ejus mortificatio et aliæ virtutes, in effusione aquæ de cisterna Bethlehem, 530, 2. ejus humilitas, pœnitentia et charitas post numeratum populum, 537, 1, 2.

David excusatus a peccato.

Non peccavit fingendo stultitiam in Geth, 398, 1. nec recipiendo oppressos ære alieno, 400, 1. nec abscindendo partem chlamydis Saulis, 407, 2. petens vindictam Saulis, 409, 2. occidens Gessuritas, Gerzitas et Amalecitas dum esset apud Achis, 422, 2. David qua auctoritate occiderit Amalecitam, 435, 1. non peccavit ducendo in uxorem Maacham filiam regis Gessur, 443, 1. quo sensu maledixerit Joab ob interfectum Abner, 444, 1. quare non occiderit Joab, *ibid.* 2. acerbe puniens Ammonitas, excusatur a peccato, 487, 1, 2. non peccavit in judicio Thecuitis deprecantis ne filius suus fratricida occideretur, 492, 2. nec peccavit parcendo Absalomo fratricidæ, 494, 1. nec mandando Salomoni ut occidat Semei, 514, 2. non peccavit tradendo posteros Saul Gabaonitis ad crucifigendum, 521, 1. nec mandando ut corpora remanerent insepulta usque dum plueret, 522, 1.

David peccans et punitus.

Mendacium officiosum, 395, 2. peccat jurando se occisurum Nabal cum tota domo, 416, 1. aliud mendacium, 422, 2. David adulter primo, quia otiosus, 475, 1. secundo, quia aspexit mulierem seminudam, *ibid.* 2. tertio, quia nimis prosper, *ibid.* quarto, quia præsumptuosus, 476, 2. peccavit peccato injustitiæ, dum vult suam prolem supponere Uriæ, 478, 1. et inebriando Uriam, *ibid.* et homicidii curando occidi Uriam, *ibid.* proditorie occidit Uriam, consummat homicidium, *ibid.* 2. causæ lapsus, *ibid.* peccavit ducendo Bethsabee quam polluerat per adulterium, 479, 2. fuit novem mensibus in peccatis sine pœnitentia, 481, 1. ejus peccata Deus publicavit, 482, 1. peccatum quomodo punitum, 483, 2. mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementia, 484, 1. fuit punitus per gravem morbum, *ibid.* punitur ejus adulterium per stuprum illatum Thamar ab Amnon, 489, 1, 2. peccavit non puniendo Amnon propter stuprum, 490, 1. fuit punitus per rebellionem Absalomi, 497, 1, 2. David peccavit temere spoliando Miphiboseth suis bonis, 500, 1, 2. Davidis peccata punita per maledicentiam Semei, 501, 2. adulterium Davidis per violationem concubinarum, 503, 1. auferendo Miphiboseth dimidium bonorum peccavit injustitia, et violavit amicitiam Jonathæ, 515, 1, 2. id factum ex verecundia, *ibid.* peccatum David punitum per seditionem Sebæ, 517, 1. numerans populum peccavit superbia, 534, 1, 2. mordet eum conscientia, 535, 1.

David pœnitens.

Pœnitentia Davidis, 482, 1, 2. fuit continua, *ibid.* 2. magna fuisse probatur ex secuta statim remissione, 483, 1. per eam evasit pœnam talionis, *ibid.* 2. ejus satisfactio pro peccatis, 530, 1. ejus pœnitentia ob numeratum populum, 537, 1, 2.

David typus Christi.

David typus Christi patientis in colore rufo, 366, 1. ejus cithara typus crucis Christi, 370, 1. ejus pugna cum Goliath, pugna Christi contra diabolum, 375, 1. persecutiones ejus a Saule, typus persecutionum Christi a Judæis, 382, 2. benefaciens Sauli, 386, 1, 2. recipiens oppressos ære alieno, 400, 1. fugiens David, 401, 1. ducens Abigail uxorem, 418, 1. David typus est Christi in trina unctione, 448, 2. et in regno quod trigesimo anno auspicatus est, et quadraginta administravit, 449, 1. in translatione regni ad arcem Sion, 451, 1. transferens arcam significat Christum transferentem Evangelium, 458, 2. Christum judicem, 468, 1. Christum regnantem in carnalibus cordibus, 469, 1. Christum contemptibilia mundi eligentem ut confundat fortia, 471, 2. Christum inducentem peccatorem ad pœnitentiam, 473, 1. Christum auferentem regnum diaboli, 486, 1, 2. Christum transeuntem torrentem Cedron, 498, 1. Christum orantem in monte Olivarum, *ibid.* 2. Christum se immolantem pro peccatis nostris, 538, 3. Christum rejicientem Synagogam, et desponsantem sibi Ecclesiam, 546, 1.

Davidis Chytrei commentum de etymo Palladis, 194, 2.

Debbora uxor Lapidoth, non Barac, 133, 1, 2. non fuit judex; lites tamen composuit ex dono prophetiæ, non vi jurisdictionis, *ibid.* 2.

Debellatis civitatibus parcentes laudantur, 518, 2; 520, 1.

Decem tribus licite elegerunt alium regem, 620, 1. idque ex decreto Dei, *ibid.* 2.

Dedicatione (in) templi Salomonis quæ miracula, 599, 2.

Deliciæ unguentorum et odorum cavendæ, 306, 1, 2.

Deliciosi sæpe crudeles, 362, 2.

Derelinquit Deus se derelinquentes, 7, 1.

Desperati milites acerrime pugnant, 441, 1. confirmatur exemplis, *ibid.* 2.

Deus fidelis in promissis servandis, 2, 2; 5, 2. in veteri lege semper per angelos, nunquam per se hominibus apparuit, 5, 1. Angelus vice Dei apparens repræsentabat Filium non Patrem aut Spiritum Sanctum, 6, 2. exigit memoriam beneficiorum 22, 2; 23, 1. non deest in necessariis, nec redundat in superfluis, 30, 1. Deus manifeste Jerichuntem expugnavit, non autem homines, 34, 2. vult homines sibi cooperari, 35, 2. omnia a Deo pendent in sui conservatione, 39, 1. Deus nunquam jubet occidi filios ob peccata parentum mortuorum, 46, 1. Deo duce quævis superamus, 77, 1. Deus pœnam in gloriam convertit, 96, 1. ejus liberalitas in pios, vindicta in impios, 109, 1. peccata permittit, non intendit, 119, 1. tyrannos permittit tanquam lictores ut malos castiget, 125, 1. quomodo confortet tyrannos adversus populum Hebræorum, 126, 1, 2. audit imprecationes justorum contra impios, 176, 1. quomodo immittat spiritum discordiæ, *ibid.* 2. ad eum confugiendum in periculis, 241, 1. sanctitas ejus nobilissimum attributum, 266, 1. semper habendus in memoria, 275, 2. in Deum Scriptura omnia refert, et quare, 278, 1, 2. in solo Deo quies, 299, 2. concedit quod male petitur in vindictam petentium, 307. Ejus omnipotentia ad omnia se extendit, 345, 1. Deo in arduis parendum, 346, 1. peccata servat in memoria, 356, 1. ejus pœnitentia non propria, sed anthropopathos, 356, 2. est cardiognostes, 365, 1. Deus invocatus a David eum juvat in prælio, 405, 2. ædificat David domum, et quam, 462, 2. dilexit Salomonem et ardenter, 463, 1. Dei scientia qualis, 465, 1. permittit homines labi in peccata, et quare, 478, 2. permisit violari Thamar ab Amnon fratre, in pœnam adulterii Davidis, 489, 2. statuit ut peccator sibi ipsi sit pœna, *ibid.* partitur sua bona, dans singulis aliquid, non omnibus omnia, 494, 1. Deo expugnato, exarmatus erat Absalom, 498, 2. variis modis infatuat Deus consilia prudentum, 499, 2. quomodo præcepit Semei ut malediceret David, 501, 2. utitur impiis ad punienda peccata justorum, *ibid.* propter peccata regis punit populum, 520, 1. Deus potest punire patres nocentes in filiis innocentibus, 521, 1. quare voluerit occidi posteros Saulis, *ibid.* honoratur Deus executione justitiæ, *ibid.* 2. quomodo commovit David ut numeraret populum, 533, 1, 2. ignem mittit in signum quod sacrificium ei sit gratum, 538, 2. designat locum templi, *ibid.* ad Deum caligat omnis creatura, 560, 1; 575, 2; 597, 1. Deus in spatiis vacui, 598, 1. Deus poscit totum cor, 601, 1. Deus per se locutus Salomoni, 613, 1, 2. solebat in igne apparere, 649, 2. Deus in sibilo auræ tenuis repræsentat suam longanimitatem, 657, 2. ejus clementia, *ibid.* decipere alienum a Deo, 672, 1. permittit mala, *ibid.*

Diabolus superbus multos capit, 115, 1. est tyrannus suorum cultorum, 121, 1. ei traditur homo ut humilietur, 124, 2. significatur per Madian, 148, 1. est fur, 168, 1.

diabolus generosis formica est, non leo, 98, 2. multos vincit continuando tentationem, 211, 1. aufert bonos concionatores, dum procurat ut vana concionentur, 340, 2. utitur melancholia ad homines tentandos, 367, 2; 368, 1. invidia ei propria, 381, 2. vulneratur hominum clementia, 409, 2. turpia facta quæ suasit, postea revelat, 473, 1. ejus invidia, 650, 1. non permittitur ignem mittere ad bovem paratum a prophetis Baal, *ibid.* 2. decipit pseudoprophetas, 671, 1. ejus officium est decipere, 672, 1, 2. nil potest nisi Deo permittente, *ibid.*
Dies Josuanus 28 horarum, 63, 2. longior Ezechiano, 64, 1.
Dii gentium colebantur sub figura utriusque sexus, 290, 2.
Dii montium unde, 663, 1.
Dionysius Tyrannus irrisor idolorum, 329, 1.
Doctores Ecclesiæ repræsentati per duas columnas, 588, 1.
Dominus vobiscum primus usurpavit Booz pro salutatione, 240, 1, 2.
Domus saltus Libani, 584, 2. non in Libano, *ibid.*
Donatistæ schismatici instar Jeroboam, 621, 1.
Dux belli uni Deo nitatur, 10, 1. præeat in periculis, 24, 1. habere curet a tergo ventum et solem, 63, 2. quomodo hostes fugientes insequi debeat, 64, 2. victoria utatur, 65, 1. præeat exemplo, 383, 1. duces abstinentes a potu exercitu sitiente, 529, 2. *Vide verbum* Principes.
Duellum aliquando licitum, 374, 1.
Duo summi Pontifices Sadoc et Abiathar tempore Davidis, et unde, 469, 2. ita tamen et Sadoc esset primarius, *ibid.*

E.

Ebrietatis mala, 478, 1.
Ebriosi sunt filii Belial, 260, 2.
Ecclesia est specula, et quare, 451, 2. Ecclesia ex gentibus colligenda significatur per aream Areuna Jebusæi, 538, 1. Ecclesiæ sapientia et firmitas significata per duas columnas, 588, 1.
Educatio prolium, 262, 2; 277, 2. permittantur religionem intrare, 263, 2.
Effeminato Salomone Idumæam suam recuperat Adad rex, 614, 1, 2. effeminati, id est, scorta mascula in Judæa sub Roboam, 630, 2.
Eglon roboratus a Deo ad bellum Israeli inferendum, 126, 1, 2.
Eleazar pontifex dignior Josue, 75, 2; 76, 1.
Elementa saluti hominum et Dei gloriæ libenter inserviunt, 642, 1.
Elias missus ad Achab ut impediret idololatriam, 639, 1. ejus elogia, *ibid.* ejus etymon, *ibid.* Elias græce sonat solem, 640, 1. ejus virtutes, *ibid.* fuit typus Christi, *ibid.* 2; 653, 1. igne vestiri videtur, 641, 1. non videtur fuisse sacerdos, *ibid.* habet Deum sibi præsentem, 641, 2. factus dominus aeris, *ibid.*; 642, 1. fugit Achabum, *ibid.* 2. pascitur a corvis pane et carnibus, *ibid.* 2. propter ejus gloriam ægrotat filius Sareptanæ, 645, 1. cur incubuerit mortuo filio, variæ causæ, *ibid.* 2. primus mortuum resuscitavit, 647, 2. ejus libertas in arguendo Achab, 649, 1; 668, 1. ædificavit altare in Carmelo, 650, 1. prædicit Achabo pluviam, 651, 2. ponit faciem inter genua ex humilitate et attentione, *ibid.* ex eo ortus Ordo Carmelitarum, 652, 1. est cum Elisæo patronus Carmelitarum, *ibid.* 2. ipsius castitas et paupertas, *ibid.* honorat regem suum Achab, 653, 2. permittitur timere Jezabelem ad custodiam humilitatis, 655, 2. mortem fugiens a Jezabele infligendam, optat mortem a Deo ut finem miseriarum, et ne occisus a Jezabele, victa putetur Dei religio, *ibid.* et 656, 1. zelotypia ejus, 657, 1.
Eliseus oriundus ex Manasse, 659, 2. in nativitate mugiit vitulus aureus, *ibid.* affecit idololatras morte corporali, *ibid.* erat dives agricola, 660, 1. fuit cælebs, *ibid.* 2. est exemplar Religiosorum, *ibid.*
Emath alia major, alia minor, 468, 2.
Epaminondas laudatur ob vigilias, 446, 1. excusat se ob occisum vigilem dormientem, *ibid.*
Ephod lineum vestis Levitarum, 276, 2.
Episcopi qui se immiscent sæcularibus, similes rhamno, 174, 2.
Epiikia exploratores interpretantur legem Dei de delendis omnibus Chananæis, ut Rahab eximant, 14, 1.
Eremitæ particulariter sunt Deo curæ, 643, 1.
Ερως morbus ex amoris vehementia, 489, 1.
Eucharistia quam pure accipienda, 455, 1. quam reverenter colenda, 457, 1. significata per farinam quam Elias multiplicavit, 645, 1. Eucharistia significata per panem Eliæ, 657, 2. ad Eucharistiam fuge in periculis, 346, 2.
Eucherius et S. Eucherius Lugdunensis non sunt iidem, 446, 2.
Eunuchorum vilitas et vitia, 306, 2.
Examen quotidianum conscientiæ, 326, 1, 2.
Excalceatio duplex, alia in pœnam, alia in signum cessionis juris, 246, 2.
Excæcatio Salomonis, 616, 2. Jeroboam regis Israel, *ibid.* 1; 624, 2. Hielis qui Jericho reædificavit, 638, 2. regum Israel, 636, 1.
Excelsa in Scripturis quid significent, 557, 1. erant duplicia, *ibid.* 2. Excusantur pii reges qui excelsa tolerarunt, 558, 1. fuere illicita post templum ædificatum, *ibid.* 2. excelsa sunt templa ab Hebræis dicata Deo, contra suum præceptum, 634, 1, 2.
Excommunicationis figura, 624, 2.
Excusatio peccati, Deo exosa, 336, 2.
Exedræ, gazophylacia et pastophorea, idem, 581, 1.
Exemplum punitorum superstitum plus movet quam non vivorum, 114, 2. exemplorum vis, major quam verborum, 161, 1, 2. exemplo Saul in posteris puniti, discant patres non peccare, 521, 1, 2.
Exploratoribus utatur dux militiæ, 12, 1. ars detegendi exploratores hostium, *ibid.*

F.

Fabius Maximus a cunctatione laudatur, 505, 2.
Fabrica exhaurit opes regias, 601, 2.
Fabula Rabbinica de Phinees et Caleb exploratoribus Jerichuntis refutata, 11, 2. alia de invisibilitate Sacerdotum, 13, 1. alia de Borea, qui non flarit 40 annis peregrinationis Hebræorum in deserto, 28, 2. alia quod Judæis non licuerit expugnare Jerusalem, 86, 1, 2. error eorum de filia Jephte non immolata, sed facta religiosa, 188, 1. fabula obscena de Samsone molente apud Philistæos, 213, 2; 214, 1. alia de statione solis impetrata ab Elimelech, 234, 1. alia de nomine Samuelis, 262, 1. alia de duobus ultimis filiis Annæ exoratis a Phenenna, 270, 1. alia de Davide in senio non calefacto vestibus, ob abscissionem oræ chlamidis Saul, 407, 2; 545, 1. alia de castitate Phalti et Michol, 418, 2. alia quod Saul seipsum non interfecerit, 430, 1. de occisore Saulis, 434, 1. de freno Isaac, 466, 2. alia de libello repudii dato uxoribus a militibus ad bellum euntibus, 476, 2. alia de Sara, 519, 1, 2. alia de Salomone intelligente voces brutorum, 561, 1. alia de sanguine Janni vermiculi, secante lapides templi, 576, 1, 2. Alia de apertis et clausis portis templi, 599, 2. alia de bove Baalitarum fugiente ad Eliam, 649, 2. alia de aqua manante e manibus Eliæ, 650, 2.
Fabula Argonautarum occasione velleris Gedeonis, 156, 2. fabula Herculis ex historia Samsonis, 196, 2; 215, 2, et 216, 1. sacra Vulpinalia Romanorum, a vulpibus Samsonis, 204, 2. fabula de coma Nisi, ex coma Samsonis, 213, 1. uti et pleræque Gentilium fabulæ, *ibid.* fabula Æaci ex historia Samuelis, 328, 1. item fabulæ

de Heroibus ex historia fortium David, 532, 1, 2.
Fac multa, dic pauca, 175, 1.
Facinorum funestus exitus, 213, 1.
Familiæ etiam regiæ ob peccata eversæ, 627, 2.
Fœminæ cavendæ, 613, 1. propagant idololatriam et hæresim, 630, 1.
Femoralibus non utebantur Judæi laici, sed soli Sacerdotes, 473, 1.
Fenestræ templi quales, 575, 2. significant Doctores, *ibid.* nullæ erant in Sancto sanctorum, et quare, *ibid.*
Ferdinandi II Imperatoris resignatio, 498, 1, 2.
Fervidi exiliunt ad bona opera, 458, 1.
Fervor necessarius ad docendos subditos legem Dei, 7, 2.
Festa corroborant hominem, 596, 1.
Fictio non semper est peccatum, 398, 1, 2.
Fides hostibus servanda, 58. 2. fides vera Reipublicæ fundamentum, ejus neglectus excidium, 109, 1; 251, 1.
Fiducia in Deo habenda, 377, 1.
Filii sæpe parentibus degeneres, 304, 1. vanum in iis gloriari, 498, 1. filius Magistratum gerens, privatum patri, non publicum honorem debet, 553, 2. filius pius Asa ex impia matre, 633, 2.
Fluxus maris cessavit in solstitio Josuano, 63, 2.
Fœdera cum impiis toti regno perniciosa, 671, 1; 673, 2; 674, 1.
Fornicationis tentatio, laboribus vincenda, 375, 2. fornicatio juvenum punitur per uxores molestas, 481, 2.
Fortitudo bellica gratis data, 126, 2; fortitudinis virtus deest peccatori, 435, 2. tentatus eam a Deo petat, *ibid.* ea cœlum expugnandum, 528, 2. fortitudo et prudentia omnibus necessaria, 588, 2; 589, 1.
Fortuna contraria utilior prospera, 613, 1.
Francisci (S.) documentum contra præsumptionem, 476, 2.
Fratricidarum exempla, 172, 1.
Frugalitas priscorum, 241, 1.
Fugiunt dignitates, devoti, studiosi S. Scripturæ et vere humiles, 174, 2.
Fulmina (per) contrivit Deus varios exercitus, 301, 2.
Funiculus cœquans terræ quis, 467, 2.

G.

Gabaonitæ postulantes omnes posteros Saul ad crucem non excusantur ab injustitia, nisi forte per instinctum Dei, 521, 1 et seqq.
Galilæa duplex, 72, 2.
Gaspar (P.) Barzeus Armuzii Samson, 214, 1.
Gaza a Josue capta mox occupata a gigantibus, 66, 1, 2.
Gedeonis fortitudo, 149, 1, 2. licite petit signum ab Angelo, 150, 2. non sacrificavit dum carnes Angelo obtulit, 150, 1. a Deo factus est Sacerdos, 152, 2. accipit donum fortitudinis, 153, 2. non peccavit petendo signum roris in solo vellere, 153, 2; 154, 1. qui instar canum biberunt, manu aquam injicientes, a Gedeone electi in milites, 158, 2. apposite significatus per panem hordeaceum, 159, 2. ejus fides promerita est victoriam contra Madian, 163, 1. typus Christi, *ibid.* 2. placavit Ephraimitas humiliando se, 164, 2. ejus peritia in bello, 166, 1. offertur ei monarchia post debellatum Madian, quam non habebat, 166, 2. sed eam recusat, *ibid.* Ephod quod fecit fuit vestis Pontificalis, 167, 1, 2. Serarius opinatur eum etiam post victoriam per se sacrificasse, *ibid.* non peccavit faciendo Ephod, *ibid.* 2. nisi forte venialiter, ob eamque culpam punitus est deletione posterorum, 168, 1. mortuus in senectute bona, *ibid.* 2.
Gehenna significatur per arborem Absalom, 510, 2.
Geisa dux Hungariæ non permittitur a Deo ædificare ecclesiam, 462, 2.
Gelboe montes ubi siti, 436, 1. eis videtur maledicere David, *ibid.* sed non serio maledixit, *ibid.* sunt multis locis steriles, *ibid.* 2. sed super eos aliquando pluit, *ibid.* significant superba Judæorum corda, *ibid.* item tepidos et irreligiosos, *ibid.*
Genealogiis (in) Scriptura aliquorum generantium nomina sæpe tacet, 248, 2.
Genu utrumque flectendum in oratione, 598, 2.
Germani auspicia observabant olim ex duellis, 440, 2.
Geth, id est, torcular, significat crucem Christi, 456, 1.
Gethei Davidis milites sic dicti non a loco nativitatis, sed a loco habitationis, 421, 2; 422, 1. Judæi erant, non Philistæi, 498. 1.
Gladius in Scriptura quid significet, 536, 2.
Gloria bonorum operum debetur Deo, 486, 1.
Gratiæ agendæ Deo in ærumnis, 499, 1.
Gulæ incommoda, 129, 1, 2. mater aliorum peccatorum, 276, 1.

H.

Harpocrates deus silentii, 222, 2.
Hæreditaria bona posteris transmittenda, 666, 2.
Hæresis incipit a vilibus ministris, 622, 1, 2.
Hæretici designati per vulpes Samsonis, 205, 1. inter eos periculosum habitare, 237, 2. hæretica uxor periculosa, 612, 1. hæretici multi fiunt athei, 622, 2. opponit illis Deus suos antagonistas, 639, 1.
Hai tempore Esdræ reædificata, 52, 2. infideliter ejus excidium narrat Josephus, *ibid.* et 53, 1.
Hamula est vas infusorium, 592, 1.
Hebræi aliqui in deserto manna contenti non fuerunt, sed emptis carnibus vescebantur, 8, 1, 2. præ ignavia neglexerunt occupare aliqua loca sibi debita, 54, 1. Hebræorum verba sæpe actum inchoatum tantum significant, non perfectum, 104, 1. eorum prima servitus sub Chusan propter idololatriam, 124, 2. variis servierunt tyrannis, 111 annis, 126, 2; 127, 1. inermes, armatissimos milites Sisaræ debellarunt, 139, 1. virgines eorum poterant viris alterius tribus nubere, 183, 1. juramentum, 238, 1. tota gens, magnus Propheta, 251, 2. filii eorum triennio lactabantur, 262, 1. vix habebant equites in exercitu, sed pedites, 287, 1. ob quatuor causas petierunt regem, 304, 2. sed peccarunt petendo *ibid.* prisci assidebant mensæ, non accumbebant, 311, 2. cæremoniæ eorum in unctione regis, 314, 2. comburebant regum suorum cadavera, 431, 2. Hebræa uxor septem diebus plangebat maritum mortuum, post quod tempus poterat alii nubere, 479, 1. Hebræa poesis periit, 568, 1. Hebræorum error quod Semei fuerit pater Jeroboam, 615, 1. eorum gnomæ de quatuor bonis, 619, 2. Hebræa nomina multa significant, 592, 2,
Hebron a Josue expugnata, mox recuperata a gigantibus, 65, 2. est locus sanctissimus, 497, 2.
Heli primus pontifex ex stirpe Ithamar, 258, 1. fuit simul princeps Ecclesiasticus et sæcularis, *ibid.* interpretatio nominis, quadrat ejus moribus, *ibid.* peccavit non corripiendo suos filios, 277, 2. promisit Deus successionem pontificatus ejus filiis, sed conditionate, 279, 1. punitus propter peccata filiorum, 283, 1. resignat se in manus Dei punituri, 284. majorem habebat curam arcæ quam filiorum, 287, 2. aliqui asserunt damnatum, 288, 1, melius alii salvatum, *ibid.* et 2. in principatu ei succedit Samuel, in pontificatu Achitob, 288, 2.
Henricus VIII, rex Angliæ, punitus ob incestum cum Bolena, 553, 2.
Herodotus depravat res Judaicas, 291, 2; 292, 1.
Heroica opera, calumniis exposita, 165, 1, 2.
Hethei viri pugnacissimi, 6, 1, 2.
Hiberni aliqui currunt celerius quam equi, 440, 2.
Hieronymus (S.) non temere addidit aliqua verba *Jud.* III, vers. 16, 128, 2. Dum videtur destruere sensum litteralem S. Scripturæ, quomodo explicandus, 545, 1. 2.

Hiram rex Tyri cognovit Deum verum, 569, 1. fuit usufructuarius urbium Galilææ, 601, 1. secundum Josephum urbes non acceptavit, *ibid.* 2.
Hispani rustici justa de causa incedunt gladiati, 131, 1.
Historiæ sacræ et profanæ differentia, 251, 1.
Historici gentiles imperfecte res Judaicas tractant, 642, 2.
Homerus poeta sapientissimus, quando natus, 616, 1.
Homilia *de Absalomo* inter opera Chrysostomi, non videtur ejus, sed Latini auctoris, 497, 2.
Homo a natura inclinatur ad amorem filiorum, ut eos gloriosos post se relinquat, 464, 2. homines ad Deum dirigere finis templi, 597, 2. homo mortuus per peccatum, 646, 2. hominis summum opus sacrificium, 649, 1. non ad hominem, sed ad Deum confugiat, 655, 2. non ponit legem Deo, sed accipit, 656, 1.
Honorum et dignitatum pericula, 304, 1.
Horeb est mons Sinai, 658, 1.
Hospitalitas laudata, 644, 1, 2; 645, 1.
Humanæ vitæ brevitas, 391, 1.
Humilitatis exempla, 94, 1, 2. humilitas vera gloria, 459, 2. humilitas Miphiboseth coram David, 471, 1. humilitas Jesbaam et sanctorum, 528, 2. humilitas B. Juniperi Franciscani, 654, 2. humilitas conservatur in Sanctis a Deo per subtractionem gratiæ, 655, 2.
Hungarorum laus ob invocatum nomen Jesu ante conflictum, 162, 1.

I.

Idololatria maximum peccatum, 147, 1.
Idolorum vanitas, 329, 1.
Ignis a Deo missus in signum quod sacrificium sit gratum, 649, 2. symbolum Deitatis, 651, 1.
Imperfectiones aliquæ manent in homine ad ejus utilitatem, 121, 2.
Impii a sacris non defenduntur, sed puniuntur, 287, 2. sunt lictores Dei ad punienda peccata justorum, 501, 1, 2. pendent a providentia divina, *ibid.* eorum regna brevia, 636, 1, 2.
Imprecationes piorum exaudit Deus, 176, 1.
Impuri sacerdotes, gravissime puniendi, 290, 2.
Incipiendum a Deo, 29, 1. sed bene incipere, non sufficit, nisi bene finiatur, 356, 1, 2.
Inconstantia hominum, 387, 1.
Indi aliqui celerius currunt equis, 440, 1.
Infatuat Deus consilia prudentum, 499, 1, 2.
Infidelitas regum, 616, 1.
Ingloria morte mortui, 178, 2.
Ingratitudinem impiorum sanctis compensat Deus, 410, 2.
Inimici charitate expugnandi, 410, 1, 2.
Initium dissensionis Juda et Israel, 516, 1, 2.
Injuriæ condonatio, vera magnanimitas, 410, 2. Quomodo ferenda, 411, 1, 2; 416, 1. sunt contemnendæ, 319, 2.
Inobediens similis ariolo, 359, 1. propria voluntas ejus idolum, *ibid.* 2.
Inobedientiæ mala, 277, 2.
Inobedientia similis idolatriæ et magiæ, 359, 1. ejus mala, *ibid.* inobedientia punita, 625, 2; 626, 1.
Insidiarum exempla. 50, 1.
Inspirationibus obediendum, 283, 1.
Interrasile opus idem quod sculpturæ, coronulæ et plectæ, 591, 1, 2.
Invidia est malum diabolicum, 381, 2. est comes virtutis, 386, 1. ejus mala, 401, 2.
Ira coram Deo effundenda, 260, 1. est cos virtutis, 322, 1. eam lepide mitigavit Aurelianus Imperator, 416, 1. modi eam placandi, 417, 2.
Isboseth rex Gessuri, 439, 2. non tenebatur regnum cedere Davidi, 440, 1. regnavit annis septem et dimidio, *ibid.*

J.

Jabin rex Asor princeps aliorum Chananææ regulorum, 67, 1. erat nomen commune omnibus regibus Asor. *ibid.* 2.
Jagello Polonos docuit legem Christi, 7, 2, et seq.
Jahel non obstante pace potuit Sisaram occidere, 135, 2. fecit id instinctu Dei, *ibid.* typus fuit Ecclesiæ et B. Virginis, 136, 1, 2.
Jejunii commoda, 300, 2. parit victoriam de hostibus, 347, 2.
Jephte spurius, 183, 1. filius Galaad, *ibid.* accipit donum fortitudinis, 185, 1. vovet immolare primum animal vivens, e domo sua sibi occursurum, *ibid.* votum illud multi censent impium, *ibid.* 2. alii pium, *ibid.* alii votum damnant, sed intentionem excusant, 186, 1. mysteria latent in filiæ Jephte immolatione, *ibid.* 2. animositas filiæ ejus, 187, 1. Jephte typus Christi, 188, 2.
Jericho ob fecunditatem ædificata ab Hiel, 638, 1. Jerichuntis circuitus ad quid, 87, 1. cur Jericho combusta, *ibid.* 2.
Jeroboam non est filius Semei, 615, 1. peccavit rebellando Salomoni, *ibid.* est figura hæreticorum, *ibid.* 2, mira ejus infidelitas, 616, 1. quare Deus ei suum cultum sic inculcet, *ibid.* datus Israeli rex in pœnam peccatorum, *ibid.* ejus consilium politicum de vitulis adorandis sibi et suis perniciosum, 620, 2. ejus stoliditas et impietas, *ibid.* est exemplar Machiavellistarum, 621. 1. cur vitulos colendos proposuerit, *ibid.* 2. ejus idololatria et scandalum, 622, 1. viles constituit sacerdotes, *ibid.* se facit caput Ecclesiæ, *ibid.* 2. ejus obduratio, 624, 2. expellit sacerdotes Aaronicos, 627, 1. ejus familia eversa ob idololatriam, *ibid.* 2. et ejus filius occisus ob idololatriam, 629, 1, 2.
Jerusalem urbis varia nomina, 61, 2. ejus descriptio, *ibid.* pertinet ad tribum Benjamin, sed jure belli occupata est a tribu Juda conniventibus Benjaminitis, 83, 1. 115, 1. aliqua ejus pars vere pertinet ad tribum Juda, sed potior ad Benjamin, *ibid.* fuit expugnata a Josue, sed non ejus arx, 86, 1, 2. combusta ob rebellionem, et ut purgetur ab idololatria, 115, 2. est a Domino electa, 630. 1. capitur a Sesac, *ibid*, 2. diripitur, sed non evertitur, *ibid.*
Jesbaam filius Hachamoni princeps fortium David, 528, 1, ejus sapientia, *ibid.* 2, ejus humilitas, *ibid.* typus Christi, *ibid.*
Jesse alio nomine vocatur Naas, 507, 2. nunquam peccavit mortaliter juxta Hebræos, *ibid.*
Jesu nomen quid possit, 329, 1, 2.
Jerichuntis descriptio laus et etymon, 12, 1, 2.
Jezabel impia et typus avaritiæ, 667, 1.
Joab peccavit acceptando duellum quod ejus militibus obtulit Abner, 440, 2. occidit Abner, ne David eum præficiat exercitui loco suo, 444, 1. pœna quam ideo meretur, *ibid.* primus intravit arcem Sion per scalas, omnesque occidit excepto Areuna; inde confirmatur in principatu militiæ, 450, 1. peritia belli, 473, 2. ejus modestia et fidelitas, 485, 2. peccavit occidendo Absalom, licet aliqui excusent, 510, 2. erat suspectus Davidi, 514, 1, 2. cur occiderit Amasam, 518, 1. in eo tamen peccavit, *ibid.* cur non numeretur inter fortes Davidis, 530, 2. proditorie occidit Abner et Amasam, 555, 1, 2. cur David non per se, sed per Salomonem, eum occiderit, *ibid.* ex ejus consilio Adonias ambit regnum, 552, 2. licite occisus in tabernaculo, 555, 1.
Joannes Lucidus male affirmat Adam fuisse gigantem, 78, 1. 2.
Joannes (S.) Chrysostomus improbabiliter arguit Eliam crudelitatis, 655, 2. item zeli nimii, 657, 2. ipse est martyr, 667, 1.
Joannis Simplicis Belgæ lepida simplicitas, 625, 1.
Jonas propheta non est filius Sarephthanæ viduæ, 645, 1, 2.

Jonathas Philisthæos præsidiarios e Gabaa ejecit, 334, 1. instinctu Dei cum armigero invasit castra Philistiim, 343, 1. eodem instinctu capit omen, 345, 1. ipsius conspectus, hostibus formidabilis, 345, 2. Philistæos unitos agressus est, 346. miraculoso terræ motu eos turbavit Deus, 346, 1. non peccavit comedendo mel, sed patris legem reprehendendo coram populo, 348, 1. voluit Deus ejus comestionem manifestari, ut scandalum cesset, et quia male patris legem reprehenderat, 351, 1. amor ejus in Davidem fundatus in similitudine morum, 380, 1. patri dissimilis, *ibid.* plus dilexit Davidem, quam impium patris mandatum, 386, 1. vaticinatur Davidi regnum, 392, 1. mentitur ut salvet Davidem, 393, 2. est salvatus, 431. 1, 2. typus Christi, 345, 2.
Jonathan unus ex fortibus David secundi ordinis, 529, 2; 530, 2.
Jordanis divisio miraculosa, 19, 1. mons ex aqua natus, visus ad viginti leucarum spatium, 20, 2.
Josaphat rex Juda peccavit, eo quod amicitiam et fœdera, etc., fecerit cum impio Achab, 671, 1. ideoque punitur, *ibid.* non abstulit excelsa Deo dicata, sed idolorum tantum, 674, 1.
Josephi error de altari a Josue facto de lapidibus Jordanis, 25, 1. falso narrat excidium urbis Hai, 52, 2. error chronologicus, 127, 1. ejus mendacium, 323, 1. aliud ejus figmentum, 345, 2. ornat suorum gesta, 351, 1, 2. aliud mendum, 355, 2. Scripturæ contrarius, 434, 1; 494, 2. alius error, 528, 2. iterum alius. 534, 2. alius, 576, 2. alius, 614, 2. alius, 626, 2. male numerat annos ab egressu Israelis ad templum ædificatum, 573, 2. alius error in computu Josephi, 574, 1.
Josue exemplar optimi Imperatoris, 1, 1-2. conscripsit sua diaria, *ibid.* ejus laudes, 1, 2. primus hominum servavit virginitatem, *ibid.* et 107, 1. ejus nomen miraculosum, 2, 1. in nullo culpabilis, in omnibus laudabilis, *ibid.* 2. septem annis debellavit Chananæam, *ibid.* electus immediate a Deo, non ab hominibus, 5, 1. Josue typus Christi, 7, 1. ob virtutes eligitur a Deo dux Israelis, *ibid.* 2. ejus vexillum, exemplum legis, 8, 1. ut Propheta, non ut Princeps, sacerdotibus imperavit, 18, 2. ejus animositas, 31, 1. apparet ei angelus Michael, *ibid.* 2. ejus religio erga Angelum, 32, 2. Dei instinctu Jerichuntem combussit, 37, 2. licite inivit fœdus cum Gabaonitis, 56. 2. mandat soli in virtute Dei, 63, 1. quia solem stitit, sol ejus sepulcro insculptus, 64, 2, et 106, 2. quasi rex cœlorum illis imperat, *ibid.* non ex insolentia jussit suos colla quinque regum calcare, sed ob justas causas, 65, 1. sapienter usus victoria, *ibid.* 2. ejus victoriæ, *ibid.* non omnino totam Chananæam subegit, 68, 1. chronologia gestorum ejus, 77, 1. nihil dedit carni et sanguini, 89, 1. ejus modestia, 94, 1. exemplar principum, *ibid.* 2. chronologia ætatis ejus, 106, 1. miracula duo in ejus memoriam, *ibid.* 107, 1.
Judæi Christo vellentes genas, repræsentantur per Hanon, 473, 1. Judæi et Arabes ex complexione fœtent, 515, 1. Judæi poterant ducere gentiles uxores proselytas, 556, 2, et 557, 1.
Judices Israelis populi vindices, 109, 1. eorum officia in bello præesse, et lites judicare, 109, 1, 2. regimen eorum erat monarchicum, *ibid.* 2. præfuerunt annis 356 vel 360. omnes sancti præter Abimelech, 110, 2. auctor libri incertus, sed tamen aliquis propheta, *ibid.* 2. durante eorum regimine, idololatria in Dan tolerata, 213, 1, 2. typi Christi Salvatoris, 125, 1, 232, 2. eis necessaria vigilantia et fortitudo, 608, 2. judicia Dei alia, alia hominum, 365, 1. sunt justa, 636, 1. judicia varia quæ veritatem manifestarunt, ad exemplum judicii Salomonis de infante meretricum, 563, 2; 564, 1.
Julianus Apostata contemptibile reddidit imperium, 610, 1. occisus a S. Mercurio, 673, 2.
Juniperus est crux Christi, 655. 1.
Juramentum Gabaonitis datum an obligavit, 57, 1.
Jurandi forma quam usus Elias, 641, 2.
Jurantes falsa ad S. Stephanum et Martinum a Deo puniti, 598, 1.
Jus regis iniquum, 305, 2.
Justi patiuntur, ut in virtute perficiantur, 583, 1.
Justitiæ exsecutione honoratur Deus, 521, 2.
Juvenes pro senio sibi comparent sapientiam, 545, 1, 2.
Juvenum concilia fugienda, 619, 2.

L.

Lapides olim positi ut vias indicarent, et locorum distantiam, 393, 1. e lapide cultros acutissimos faciunt Arabes, 27, 2.
Lapsus in peccatum non desperet, sed pœniteat, 478, 2. 479, 1. acrior ad currendum resurgat, *ibid.*
Laqueos Syri se profitentur meritos ab Achab, 663, 2.
Latrocinantes videtur in textum irrepsisse, 183, 2.
Laudatus, defectus suos inspiciat, 238, 2.
Legio fulminatrix, 135, 1.
Leo insigne tribus Juda et Christi, 608, 2.
Lex humana patitur epiikiam, non divina, 625, 1.
Libanus et Antilibanus idem mons, 6, 1. Libani etymon, *ibid.*, 2.
Liber Justorum intercidit, 63, 2.
Librorum Regum ordo cum aliis Scripturis, 250, 1, 2. utilissime leguntur a principibus, 251, 1. eorum auctor, *ibid.* 2.
Libere arguuntur peccatores a sanctis, 649, 1.
Libido acceleravit mortem Salomonis, 485, 2. libido varie punita, 489, 1, 2. libido exsecrabilis Diogenis Cynici, 503, 2. libido fructus idololatriæ et hæresis, 630, 1. *Vide verbo* Luxuria.
Lilium impositum columnis, 588, 2. quid significet, *ibid.*
Litteræ Uriæ, 478, 1. fuerunt occasio fabulæ Bellerophontis, *ibid.*
Litterati portant litteras mortis suæ, qui non faciunt quod docent, *ibid.* 2.
Longanimitatem Dei imitetur vir sanctus, 657, 2.
Luci vetiti et quare, 629, 2.
Lucrum ex qualibet re, 607, 2.
Ludovicus (S.) dat prandium pauperibus, priusquam sibi, 644, 1.
Luteres decem, 592, 1. significant pœnitentiam, *ibid.* 2.
Lutherus hoc sæculo primus negavit pœnitentiam, *ibid.*
Luxuria filia gulæ et inobedientiæ, 277, 1.
Luxuria significatur per caput canis, 443, 1, 2. per consuetudinem roborata pene insuperabilis, 613, 2.

M.

Machabæorum etymon, 651, 1.
Machiavellistarum exemplar Jeroboam, 620, 2.
Madrid in Hispania academia Maurorum, 84, 1.
Magna operatur Deus, per res viles, 207, 2. ad magna destinati prius exercentur, 419, 1.
Magnates quomodo corripiendi, 492, 2.
Malleus auditus in templo Salomonis dum clavi infigerentur, nisi fuerint tornatiles, 576, 2, et 577, 1.
Malogranatum speciem habet regis, 344, 1.
Manna defecit cur. 30, 1.
Manus significat causam instrumentalem, 645, 1. ejus osculatio genus adorationis idolorum, 660, 1.
Mare Æneum quale, 589, 1. significat pœnitentiam, 590, 1.
Marisca ficus insipida et morbus ani, 291, 2.
Mariti olim debebant emere uxores, 334, 2. poterant primo anno ad bellum procedere, sed non poterant ad hoc cogi, 385, 1, 2.
Martinum (ad S.) pejerantes puniti, 598, 1.
Martyres fuere cives Nobe, propter Davidem occisi, 402, 2.

Masphath quatuor in Judæa, 301, 1.
Mater et pater Samuelis Anna, 256, 1 et sepq.
Mater per se debet lactare prolem, 262, 1. ab ea pendet educatio prolium, *ibid.* 2.
Matrimonia cum infidelibus noxia, 198, 1.
Matris admirabilis, titulus B. Virgini gratissimus, 194, 2.
Matthiæ (S.) gnome de exemplo bono dando proximis, 41, 2.
Maximilianus I Imperator ab Angelo in viam reductus, 406, 1.
Melancholicorum varia phantasmata, 367, 2. melancholia utitur diabolus ad tentationes, 368, 1.
Melchior Canus omnes annos servitutis numerans ut chronologicos, impugnatur, 127, 2.
Mendacium subinde esse licitum quidam veteres opinati, 13, 2. sed probatur nullo casu licitum mentiri, *ibid.*
Mensa (a) orandum, 259, 1. et ante iter, 261, 1.
Mentum inter animalia solus homo habet, 518, 1. illud tangendo olim salutabant, *ibid.* 2.
Meretricum regina Maacha, 634, 1.
Michæ idololatria quando contigit, 217, 2.
Michael (S.) est princeps exercitus Domini, 31, 2; 32, 1.
Michol Davidem amat maritaliter, 387, 1. ejus prudentia in procurando spatio ut fugiat David, *ibid.* et 2. mentitur ut salvet vitam mariti, 388, 1. propter superbiam sterilitatis damnata, 460, 1. repræsentat irrisores cæremoniarum Ecclesiæ, *ibid.* 2.
Miles quod facit, dux facit, 523, 2. milites pugnæ præmittant confessionem, 158, 1. sint similes agnis, 355, 2. quo sensu dicantur latrones, 445, 1.
Miphiboseth, quia filius Jonathæ amici David, accipit ab eo agros patris, 471, 1. humiliat se coram David, *ibid.* in qua mensa comederit, *ibid.* excusatur ab affectato regno, uti calumniabatur Siba, 500, 1, et 515, 1, 2. temere spoliatur a David omnibus suis bonis, 500, 2. injuste spoliatur dimidia parte bonorum, 515, 2. non videtur contra Deum murmurasse, *ibid.* significat infirma mundi quæ verus David Christus elegit, 471, 2. orat David Gabaonitas ne occidant Miphiboseth cum suo filio, 521, 1.
Misericordia præit alia opera, 644, 1, 2. varia exempla misericordiæ præstitæ, *ibid.* 645, 1.
Moab mancipium Davidis vilissimum, 468, 1.
Monachi veteris Testamenti, 652, 2.
Mons Olivarum, 498, 2.
Montes terræ umbilici, 177, 2.
Moritur homo sensim, et quo ordine, 434, 2.
Mors cita beneficium peccaturis, 354, 2. ejus memoria, 551, 1. est somnus, 552, 1. justis aliquando contingit mors mala, 626, 2.
Mortariola quid, 593, 1.
Mortificatio Religiosorum quorumdam, 411, 2. Sanctorum, 588, 2.
Moyses in principatus successione prætulit extraneum Josue propriis filiis, 5, 2.
Mulier quam perniciosa, 210, 2.
Mulier Sarephthana præfertur viris, 644, 1, 2.
Mulieres prophetissæ, 133. 1, 2. aliquarum infidelitas, 202, 1, 2. variæ formæ, *ibid.* malitia, 212, 1. epitheta malæ mulieris, 212, 2. origo idololatriæ in Israel, 219, 1.
Munera respuere sanctitatis indicium, 326, 1.
Munsteri hæretici testimonium pro suffragiis defunctorum, 417, 1.
Mures quas clades subinde intulerint, 292, 1.
Musica excitat animi affectus, 368, 2. lethargum ex tarantulæ morsu curat, 369, 1.
Musoritæ hæretici a muribus, 292, 1.

N.

Naas fecit misericordiam cum David fugitivo, 472, 1, 2.
Naboth fuit vir probus, 666, 1, 2. typus Christi, *ibid.* lapidatur et ejus filii occiduntur, 667, 1.
Nathan erravit, quia Deum non consuluit, 462, 1. fuit ita amatus a Davide, ut filium suum ejus nomine vocarit, 481, 1. est alius a Jonatha, 523, 1.
Nationem nationi Princeps non præferat, 517, 1, 2.
Nebula in templo Salomonis Deum tegit et repræsentat, 597, 1, 2. qualis fuerit, *ibid.*
Nestorius blasphemans B. Virginem punitus, 455, 2.
Nilus fluvius turbidus, 72, 2. ratione cujusdam sui rivi est terminus terræ promissæ, 73, 1. fecundat Ægyptum, *ibid.*
Nobiles imitentur Salomonem orantem utroque genu flexo, 598, 1.
Nobilitas omnis ex vili initio, 310, 1.
Noemi quinque virtutes, 235, 2.
Novitios a religione abstrahere, magnum scelus, 354, 2.
Novum altare thymiamatis, mensam propositionis, et candelabrum fecit Salomon pro templo, 578, 1, 2.
Nox signum mali ominis, 560, 1.
Nudipedum Religiosorum laus, 244, 2.
Numerus rotundus assignatur in Scriptura, etiamsi ei aliquid desit vel supersit, 172, 1.

O.

Obdurationis suæ causa Chananæi, non Deus, 68, 2.
Obededom Gethæus fuit Levita, 456, 1. qua benedictione benedictus propter arcam, 456, 1.
Obediendum Deo statim etiam in arduis, 134, 2. et periculis, 140, 2. et ut caro nobis obediat, 337, 2. non obedire Deo stultissimum, 336, 2.
Obedientia melior victimis, 358, 1. ejus fructus, 64, 1.
Obrizum aurum unde, 602, 1, 2.
Occasiones lapsus cavendæ, 478, 2.
Occulta peccata hominis quo fine diabolus manifestet, 473, 1. Deus autem ea manifestat congrua talione, 482, 1.
Oculi ultimum viventis, primum moriens, 434, 2. sunt duces amoris, et custodiendi, aut castitas est impossibilis, 475, 1.
Odollam speluncæ descriptio, 400, 1.
Oleo sacro ungebantur reges Juda, 547, 1. sed non sacerdotali, *ibid.*
Ophir unde aurum habuit Salomon, est India Orientalis, 602, 1, 2. inde aurum dicitur obrizum, *ibid.*
Orandum non certo aliquo situ corporis, sed eo qui aptus est ad excitandam devotionem, 464, 1.
Orationis vis, 64, 1. silens ex intimo corde, 259, 2. ejus fructus, *ibid.*, 260, 1. ut exaudiatur, ne inimici odio obfuscari potest, 329, 2. debet esse assidua, 340. 1. in arduis sit fervens et assidua, 646, 1. oratione sua impetrat Anianus Episcopus liberationem Aureliæ obsessæ, 653, 1, 2.
Ornatus modestus decet matronam honestam, 243, 1.
Ornatus exterior signum internæ deformitatis, 494, 1.
Orpha non erat mater Goliath, 236, 1.
Othoniel fortitudine bellica donatur a Deo, 126, 1. primus princeps Israelis post Josue, *ibid.* typus Christi, *ibid.*
Otium malum, 475, 1.
Oza fuit Levita, 454, 2. quare a Deo percussus, *ibid.* censent aliqui eum mortem æternam evasisse, 455, 1.
Ozæ percussio et divisio quid, *ibid.*

P.

Palmiram munit Salomon, 601. eam postea Hadrianus vocat Hadrianopolim, *ibid.*
Palmus et palma mensuræ sunt, et quomodo differant, 129. 1.

Paralipomenon libri sæpe majorem numerum recensent quam libri Regum, 590, 2.
Parentes permittant filios religionem intrare, 263, 1. ejus fructus Dei benedictio, 276, 2. parentes incesti suo exemplo causa filiorum incestorum, 489, 2. parentum peccata morte filiorum puniunt Japones, 521, 1.
Parochiæ studiosus Thomas Morus, 460, 2.
Parva mandata non contemnenda, 625, 1, 2.
Passionis comes est gloria, 382, 2.
Pastores Ecclesiæ solliciti sint pro filiis spiritualibus, 522, 1.
Pastoritiæ vitæ laus, 321, 2; 322, 1.
Patientia, 258, 2. patientia in convicio, 260, 2. in adversis, 284, 1. exempla ejus, *ibid.* 2. acuitur persecutionibus, 383, 2; 401, 1, 2. patientia in mortificationibus, 411, 2. patientia et pietas Resphæ, 522, 1.
Patres (SS.) dicentes Filium in veteri Testamento apparuisse explicantur, 6, 2.
Patris spes in filiis vana, 168, 1, 2. 222, 2. patris affectus invincibilis, 511, 2; 512, 1. optat superari a filio in gloria, 548, 2. filii patribus degeneres, 619, 1, 2. pater Hebræis multa significat, 593, 1.
Pauci si generosi, multa possunt, 345, 1.
Paupertas spiritus, omnium est domina, 5, 2.
Pauperum oppressio displicet Deo, 521, 1, 2.
Peccata Hebræorum punita, 6, 2. Jericho exusta propter peccata, 37, 2. peccatum Achan punitum, 44, 2. peccati gravitas, 46, 2. peccata Israelis punita per varias servitutes, 109, 1. eorum idololatria punita, 122, 1. eadem punita servitute, 124, 2; 147, 1, 2. Gedeonis Ephod fabricantis inadvertentia, deletione posterorum, 168, 1. ambitio Abimelech, morte ingloria, 178, 2. petulantia linguæ, 190, 2. Samsonis concupiscentia excæcatione, 212, 1. Heli, 279, 1, 2; 284, 1. Philistinorum ponentium arcam tanquam debellatam juxta Dagon, 290, 2; 292, 2. præcipitatio Saulis, 335, 2; 336, 1. ejusdem inobedientia, 337, 2; 359, 1, 2. impietas, 409, 2. peccatum Davidis punitum, et quomodo, 482, 1. mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementia, 484, 1. fuit punitus per morbum gravem, *ibid.* punitur libido varie per totum cap. XIII lib. II *Reg.* comæ studiosus Absalom per comam punitur, 494, 2.
Peccatorum tuorum memmento in injuria, 502, 1. peccatum regis luit populus, 520, 1. peccata patrum puniuntur in filiis, 521, 1. punitur peccatum in loco ubi perpetratum, *ibid.* 2, et 522, 1. peccata populi causæ lapsus Principum, 533, 2. 534, 1. peccatum Salomonis punitum, 613, 1, 2; 614, 1, 2. peccatum Jeroboam eversione familiæ et aliorum regum Israel, 627, 2. quatuor plagæ peccati Jeroboam, 629, 2. idololatria Roboam punita, 630, 1, 2. peccata regum Israel punita, 637, 1, 2. idololatria fame punita, 642, 1, 2. peccatum mors hominis, 647, 1. peccatum Josaphat punitum, 670, 1. peccata Achab punita, 671, 1. peccatum trahit ad peccatum, 478, 1. excæcat, 481, 1. vulnus peccati sentire signum bonæ mentis, 482, 1, 2.
Peccator ex homine fit quasi bestia, 537, 1. ejus miseria; 436, 2, et 477, 1. seipsum punit, 489, 1. ejus scala est pœnitentia, 526, 1. peccatorum interitus, 527, 2. instar spinarum igne comburentur, *ibid.* peccator est cadaver mortuum, 647, 1.
Peccavi alio sensu dixit David, alio Saul et Judas, 482, 1, 2.
Peccandum potius contra homines quam contra Deum, 535, 2.
Perfectionem (ad) via incipit a timore judicii, etc., perducens ad contemplationem, 658, 2; 659, 1.
Persecutione (in) dolendum non propter seipsum, sed propter exitium persequentium, 502, 2.
Pestem cur David elegerit, 535, 1, 2. duravit ea triduo, 536, 1. pestis quomodo sedata a Gregorio Magno, 536, 2. pestis universalis a B. Virgine remedium, *ibid.* et a S. Sebastiano, 537, 1. quid contra pestem egerit S. Carolus Borromæus, *ibid.* 2.
Petrus (B.) Damianus Phineem putat esse Eliam, 100, 1.
Phœnicia pertinet ad terram promissam, sed nunquam fuit subacta, 124, 1, 2.
Philastrii locus restitutus, 292, 1.
Philistinorum quinque Satrapiæ pertinebant ad tribum Juda, 83, 2.
Philo biblicus nugator et erro, 125, 2.
Philosophia, Mathesis, Poesis, etc., necessario subserviunt doctrinæ sacræ contra gentiles et hæreticos, 340, 2.
Phocas malus fit Imperator ob peccata plebis, 307, 2.
Piorum regna prolongat Deus, 636, 2.
Pinedæ opinio de Tharsis improbatur, 609, 2.
Pœna ut auferatur a Deo, prius peccata auferenda per Principes a populo, 43, 1, 2. pœnas immittit Deus, ut ad se recurratur, 148, 2. pœna peccati solvenda post remissam culpam et pœnam æternam, 483, 1. pœna hujus vitæ parva respectu æternæ, 629, 1.
Pœnitentiæ typus Jordanis, 25, 1. ejus vis, 44, 2.
Politica consilia perniciosa, 619, 1, 2.
Politici consiliarii in aulis Principum, 503, 2.
Pollices amputati Adonibesec, 114, 1.
Polonorum laus ob invocatum nomen Jesu ante conflictum, 162, 1.
Poltronis etymon, 114, 1.
Pompeii stratagema, 162, 1.
Pontificatus est onus onerum, 338, 2.
Pontificum Synagogæ series, 279, 1.
Populus et rex quasi una persona, 329, 1.
Porticu (de) sententia Abulensis Titelmani et Jansenii impugnatur, 575, 2.
Possessio adibatur calcando rem possessam, 469, 1.
Præcipitationis mala, 335, 2. 336, 1, 2.
Prædicator est maxilla Ecclesiæ, 207, 1. Prædicator est tropilogice faber, 340, 1.
Prælatum spernens, Deum spernit, 305, 1. ejus est orare pro populo, 329, 2. sit bonus licet subditi sint mali, 341, 1.
Prælaturam nemo ambiat, sed exspectet donec cogatur, 305, 1.
Præsentia Dei, 641, 2.
Præsentia Principis ad multa utilis in bello, 467, 1. confirmatur exemplo Caroli V, *ibid.* præsentia viri magni, virtutis stimulus, 275, 2.
Præsumptionis mala, 476, 2. contra eam monita, *ibid.* ne quidem de virtute præsumendum, 626, 2.
Preto Janes filius Salomonis, 606, 1. ejus tituli, *ibid.* et 2.
Priapi Sacerdotissa Maacha, 630, 1. amovetur a sacerdotio, 633, 2. sacerdotium Priapi augustum, 634, 2. horrendus Priapus, *ibid.*
Primævus spiritus in Religiones et viros Ecclesiasticos revocandus, 156, 1.
Primis (in) statuit Deus exempla, ut sequentes sint cautiores, 338, 2; 339, 1.
Principes peculiariter tenentur servare legem Dei, 7, 1, 2. et plebem docere Dei legem servare, *ibid.* soli Deo nitantur, 10, 1. non stertant in multam lucem, 17, 1. Principes politici sacris se non immisceant, 18, 2. a Deo incipiant, 29, 1. in bellis invocent angelos custodes, 32, 1. suos subditos laboribus exerceant, 35, 2. fidem hostibus servent, 39, 2. publicas calamitates deprecentur, 42, 2. scelera auferant e populo, ut Deus auferat scelerum pœnas, 43, 1, 2. imitentur modestiam Josue, 94, 1. fidem veram tueantur ut basim reipublicæ, 109, 1. inconsulto Deo bellum non suscipiant, 113, 1, 2. diu cum eodem hoste non pugnent, ne artem militarem hostis discat, 122, 2. non se immisceant sacris, 168, 1. quomodo debeant regere, 173, 1, 2. utilissime legunt libros Regum, 251, 1. sunt bases reipublicæ, 272, 1. pu-

niuntur propter peccata subditorum, 283, 2. castra eorum sint casta, 286, 1, 2. quomodo debeant rempublicam administrare, 302, 1, 2. quid injuste usurpent et quid juste eis competat, 305, 2. eminere debent in magnanimitate, 312, 2. eminere debent aliis, 319, 1. norint multa dissimulare, *ibid.* 2. regnum inchoent in clementia, 323 2. eorum potestas debet dirigi a sacerdotali, 336, 1. sciant a Deo dari victoriam, 348, 2. benignitas eorum virtus, 353, 1. pulchritudo arguit eos bene imperaturos, deformitas male, 376, 1, 2. vehementissime desiderant regnare, 381, 1. dedecet eos vindicta, 417, 2. æmulationes nationum sopire debent, 517, 1. omnibus sibi subjectis sint æquales, *ibid.* 2. eorum lapsus propter peccata populorum, 533, 2 *et seq.* imitentur pietatem Salomonis, 597, 2. eorum dos lenitas, 619, 1.
Privata persona sibi potest vivere, non publica, 173, 2.
Probi cæduntur in bello ob tres causas, 229, 1, 2.
Propheta magnus tota gens Hebræorum, 251, 2. Prophetæ erant Religiosi Dei laudes canentes, 316, 1. Propheta missus in Bethel contra idola Jeroboam non est Jadon, 624, 1. verisimilius est Joas, *ibid.* tria facit miracula, *ibid.* 2. præceptum a Deo ei datum de non comedendo in Bethel, obligabat eum ad mortem, 624. 2. mors ejus permissa in testimonium veritatis, 625, 2, et 626, 1. peccavit comedendo, sed venialiter tantum, 625, 2. Propheta in Bethel fuit fidelis, 624, 2, *et sequent.* mentitur officiose, et venialiter tantum, 625, 1; sepelivit prophetam Dei, 626, 2. falso affirmat Josephus eum impedivisse Jeroboami conversionem ad Deum, *ibid.* cur sepultus sit in sepulcro prophetæ Dei, 627, 1. Prophetæ aliqui erant quasi Religiosi laudibus Dei vacantes, non futura prædicentes, 316, 1. subinde errant, et quare, 462, 1.
Prophetia est melodia, et prophetare est laudare, 456, 2. prophetia de Josia 300 annis ante ejus nativitatem, 624, 1. prophetiæ spiritus impiis etiam datur, 389, 1, 2.
Prosperis et adversis bene utendum, 128, 2.
Prosperitas periculosa, 475, 2; 479, 1; 613, 1,
Prudentia mater felicitatis, 551, 2. omnibus necessaria, 558, 2; 559, 1. prudentia diabolica, 503, 2.
Psalmus trigesimus tertius, quando compositus, 397, 1. item quinquagesimus primus, 402, 1. item quinquagesimus tertius, 405, 1. item quinquagesimus quintus, 397, 1. item quinquagesimus octavus, 388, 1. nonagesimus sub noctem recitatur contra dæmones, 62, 2. eorum laus, 526, 2.
Ptisana, quid? 506, 1. ptisanæ medicæ salubritas, *ibid.*
Pueritia (a) Deo serviendum, 264, 1, 2.
Puerorum bona institutio, eorum salus et reipublicæ, 247, 2.
Pulchritudo in rege indicat eum bene imperaturum, deformitas male, 376, 1, 2.
Puniri a Deo satius quam ab hominibus, 535, 1, 2.
Puniti in re qua excellebant, 114, 2.
Purgatorio (e) nuper liberatum Salomonem concionator Italus dixit ex revelatione facta mulieri, 614, 1.
Pusillanimitas est seipsum occidere, 431, 1.

Q.

Quadraginta annis quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto, defuerunt quinque dies, 24, 2.
Qualitas quælibet et gratia in Scriptura significatur per Spiritum, 125, 2; 126, 1.
Quies nusquam, nisi in Deo, 299, 2.

R.

Rabba a Philadelpho capta, dicta est Philadelphia, 475, 1. alio nomine vocatur urbs Aquarum, et quare, 485, 2.
Rabbi Salomonis error quod tribus Simeon non habuerit sortem ut reliquæ tribus, 93, 1. est fabulator, 440, 1.
Rahab fuit meretrix, 12, 2. ejus etymon, *ibid.* fuit a Deo illuminata ut exploratores Hebræos reciperet, etc., *ibid.* ejus mendacium fuit tantum veniale, *ibid.* et 13, 1. ejus fides et conversio, *ibid.* 2. revelatio a Deo illi facta, *ibid.* 2. illuminatur a Deo ut ejus divinitatem cognoscat, *ibid.* cum illa liberati omnes cognati et affines, 14, 1. typus est Ecclesiæ, 15, 2. et exemplum peccatorum, *ibid.* eadem quæ in genealogia Christi, 39. 2. nupsit Salmoni, *ibid.*
Raptus Siluntinarum virginum licuit Benjaminitis, 232, 1, 2.
Razin rex Syriæ, 614, 2.
Rebellio præcavenda ne oriatur : si orta est, remora ei injicienda, 505, 1, 2. in rebellione capita plectenda, multitudini parcendum, 511, 1. statim in ortu comprimenda, 518, 1. in principiis ei obstandum, 662, 2.
Regillianus per lusum fit verus rex, 168, 2.
Regni cupido vehementissima in regibus, 381, 1.
Religio vera fundamentum reipublicæ, 621, 1. Religionis status est holocaustum, 358, 2. Religionis status repræsentatus per Carmelum, 652, 2. Religiosi primi orbis sunt Prophetæ laudibus Dei vacantes, non semper futura prædicentes, 316, 1.
Reliquiæ Sanctorum veneratione dignæ, 414, 1.
Respublica tota ob unius peccatum punitur, 349, 1.
Reum indicare superiori ut corrigatur, est actus sanctitatis, 350, 1.
Revelationes feminis factæ examinandæ sunt, nec iis facile credendum, 614, 1.
Rex deus terrestris, 166, 2. reges Juda typi Christi, 251, 2. regia potestas duplex, finita et infinita, 305, 1. inter reges Saul et David immediate a Deo jus regium nacti non posteri Davidis, 307, 2. rex et populus quasi una persona, 329, 2. sit pastor populorum, 448, 2. ejus dignitas consistit in pompa, 610, 1. aliquorum regum mira infidelitas, 615, 2. abundant omnibus, præterquam veritate, 620, 1. duo præcepta eis danda, 621, 2. regum Israel perversitas et excæcatio, 636, 1. reliqua, *vide verbo* Principes.
Romæ etymon, 532, 1. primitus vocabatur Valentia, *ibid.* Romana fides via ad cœlum, *ibid.* Romam vocatus S. Dunstanus, id est in cœlum, *ibid.*
Romani multos habebant sacerdotes, 470, 2.
Ros in vellere et in area Gedeonis litteraliter Dei opem significat, 154, 1, 2. allegorice Christi humanitatem et B. Virginem, 154, 2. 155, 1.
Rudolphus Habspurgensis caste osculabatur virgines ob sanitatem, 545, 1.
Ruforum laus, 366, 1.
Rustici bello utiles, 131, 1, 2.
Ruth historia contigit tempore Abimelech, 235, 1. ejus conversio ad Judaismum, 237, 2. amor erga Noemi, *ibid.* humilitas, 241, 1. officiositas, *ibid.* 2. projiciens se ad pedes Booz ab aliquibus accusatur, ab aliis excusatur, 243, 1. ejus elogia, *ibid.*; 244, 1. typus Ecclesiæ gentium, 238, 1; 248, 1.

S.

Saba duplex, alia in Arabia, alia in Æthiopia, 604, 1, 2. hæc postea vocata est Meroe, *ibid.* Saba regina venit ex Æthiopia, *ibid.* 2. ejus nomen proprium varium secundum varios, 605, 1. fuit longo tempore apud Salomonem, ex quo filium concepit, 606, 1, 2. fuit legitima uxor Salomonis, *ibid.* 2. filius nascitur in Æthiopia, *ibid.* 1. ad Salomonem vadit ab eoque in regem inauguratur, *ibid.* 1, 2.
Sacchari tota Scriptura nulla mentio, 201, 2; 202, 1.
Sacerdotes Judæorum dispersi per omnes tribus, ut omnes legem docerent et cultum Dei, 96, 1. Sacerdotes impuri gravissime puniendi, 290, 2. Sacerdotum peccatum gravius ratione scandali, 276, 1. difficulter remissibile si

sit contra res sacras, 278, 1. Sacerdotes quomodo fuerint filii David qui erant ex Juda oriundi, 469, 2. et 470, 1. Sacerdotes nudis pedibus ministrabant in templo, 589, 1. Sacerdotes viles non sunt constituendi, 622, 1.
Sacræ res sacrilegos non tuentur, sed puniunt, 287, 2.
Sacrificare licebat Hebræis extra tabernaculum, sanctum locum Angelo indicante, 119, 1.
Sacrilegia punita, 46, 2.
Salii sacerdotes Martis, 457, 2.
Salomonis thronus quomodo sempiternus, 463, 1. ipsum esse damnatum quorumdam sententia, 465, 2. Salomon, id est pacificus, et quare, 484, 1. alio nomine vocatur Jedidia, *ibid.* 2. conceptus est statim post mortem infantis ex adulterio nati, *ibid.* non tam diu vixit quam cæteri propter libidinem, 485, 2. anno vigesimo ætatis creatur rex, *ibid.*; 547, 1, 2. regnat vivente patre, 548. Salomonis pacifici nomen a variis principibus, sua lingua mutuatum, 548, 2. Salomon bis unctus, *ibid.* parcit Adoniæ conditionate, 549, 1. juste eum postea occidit, 554, 1. Salomon auctoritate non sua, sed Dei, amovit Abiathar a pontificatu, 554, 2. cur duxerit filiam Pharaonis, 556, 1, 2. in eo non peccavit, *ibid.* 2. quando eam duxerit, 557. 2. ejus pietas auspicantis regnum, 558, 2. somnium, in quo sapientiam accepit, probabiliter fuit naturale, 558, 1, 2. sed divinum fuisse et exstasin etiam est probabile, 559, est immissum Salomoni per Angelum, 560, 1. quare id factum de nocte, *ibid.* sapientia Salomonis comprehendit scientias naturales, mysteria fidei, donum prophetiæ, etc., 561, 1. sapientior fuit Adamo, David, etc., *ibid.* 2. non tamen B. Virgine et Apostolis in mysteriis fidei, *ibid.* superavit Salomon omnes omnino reges gloria et divitiis, *ibid.* simulate, non serio mandavit dividi infantem, 563, 1. termini regni Salomonis, 567, 1. ejus equorum copia excusatur a peccato, *ibid.* 2. Salomon poeta, 568, 1. ejus scripta de jumentis cur perierint, *ibid.* ex Salomone docti omnes gentium sapientes, *ibid.*2docuit publice physicam, *ibid.* 2. Salomon rex magnus, 569, 1, 2. fecit novum altare thymiamatis, mensam propositionum et candelabrum pro templo, 578, 2. Salomon omnia vasa tabernaculi reposuit, et nova alia fecit pro templo præter arcam, 593, 1. quinque candelabra fabricavit pro templo, *ibid.* 2. orat facie versa ad templum, 597, 2. ejus pietas imitanda a principibus, *ibid.* flexit utrumque genu in oratione, 598, 2. excusatur a peccato fabricans plura altaria in templo, 599, 2. dedit Hiram urbium Galilææ usumfructum, dominium autem dare non poterat, 601, 1. omnes opes expendit in fabricam, *ibid.* 2. munit Palmiram, *ibid.* fecit omnes Chananæos tributarios, nec peccavit non occidendo, *ibid.* quando instruxerit classem pro colligendo auro, 602, 1, 2. ex Ophir, id est India Orientali, habuit aurum, *ibid.* concepit ex eo filium regina Saba, 606, 1. aurum ei allatum, 607, 1. ejus divitiæ, *ibid.* 2. ejus thronus eburneus, 608, 1, 2. gloria tanta ei data ob virtutem, ut eam alii æmularentur, 610, 1, 2. ejus fama versa in infamiam, *ibid.* peccavit ducendo mulieres Chananæas, et gentiles non proselytas, 612, 1. lapsus ejus in sex scelera, *ibid.* vere coluit idola ut suis concubinis morem gereret, *ibid.* 2. Moloch filium immolavit secundum aliquos, *ibid.* coluit Bacchum, 613, 1. Salomonem damnatum alii aiunt, alii negant, *ibid.* 2. nuper e purgatorio liberatum dixit Romæ quidam concionator, ex revelatione mulieri facta, 614, Salomonis excæcatio, 616, 2. ejus forma, *ibid.* 2, ejus epitaphium, 617.

Salomon typus Christi.

Salomon pacificus ædificans templum typus est Christi exstruentis Ecclesiam fidelium, 463, 1; 484, 1. unctus in Gihon significat Christum pacem nostram, 548, 1. ducens Ægyptiam significat Christum desponsantem sibi Ecclesiam, 557, 1. ejus regni felicitas typus Ecclesiæ, 566, 1. sedens in throno significat Christum judicem, 608, 1. gloria Salomonis idea æternæ, 610, 2.
Saltant Christiani in Syria, in solemnitatibus, 457, 2. 458, 1. item Hispani et Indi coram venerabili Sacramento, *ibid.*
Saltus inconditus Baalitarum instar amentium, 649, 2.
Salvius (S.), quid dixerit redivivus, 617, 2.
Samaria fit urbs regia Israelis per Amri, 637, 1.
Samgar tertius Israelis judex, 130, 2. per se solus 600 percussit, 131, 1. typus Christi, *ibid.* 2.
Samson Danita, 192, 1. destinatus a Deo liberator Israelis, *ibid.* 2. fuit Nazaræus tripliciter, non autem in utero sanctificatus, 193, 1. non plene liberavit Israel nisi forte in morte, *ibid.* 2. nomen instinctu Dei accepit, ejusque etymon, 195, 2. dispensante Deo duxit Philistinam, 198, 1. primus actus fortitudinis fuit occisio leonis, 198, 2. juste occidit 30 Ascalonitas, 202, 2. tangendo mortuorum corpora non peccavit contra leges Nazaræatus, *ibid.* ejus calliditas, 204, 1. binis vulpibus singulas faces alligavit, *ibid.* 2. ab hoc ejus facto vulpinalia Gentilium, *ibid.* 2. illustre dedit exemplum justitiæ legalis, 206, 1. a Deo fuit confortatus dum occidit mille Philistæos, uti et maxilla, *ibid.* 2. non arroganter, sed gratias Deo agens cecinit carmen, 207, 1. per fornicationem non perdidit fortitudinem, quæ erat gratia gratis data, 209, 1. Dalila ejus uxor secundum quosdam, 210, 1. verius concubina, *ibid.* fortitudo ei data cum pacto Nazaræatus, 211, 1, 2, 212, 1. inebriatum a Dalila multi affirmant, alii negant, 212, 1. juste punitus in oculis, quibus peccaverat, 213, 1. domus in qua Philisthæos oppressit, erat templum Dagon, 214, 2. non peccavit se occidendo, 215, 1. nec physice nec moraliter se occidit, *ibid.* indirecte se occidendo fortiter egit et pro culpis satisfecit, *ibid.* non tamen fuit martyr, *ibid.* 2. est gentilium Hercules, *ibid.* ejus elogia, 216, 2. figura Christi, 192, 2; 209, 2; 214, 2, resurrectionis. 209. 1. velationis in passione, 213, 1. Christi morientis, 214, 2; 216, 2.
Samuel oriundus ex tribu Levi, non ex Ephraim, 257, 1. ex Dei dispensatione sacrificavit, *ibid.*; 301, 2. etyma ejus nominis, 261, 1. tota vita servivit in templo, 264, 1, 2. non tenebatur voto matris, *ibid.* 2. ejus Ephod lineum vestis Levitica, non Sacerdotalis, 276, 2. ejus sanctitas inter improbos, 277, 1. non fuit summus pontifex, 280, 1. per obedientiam meruit prophetiam, 282, 2. crescit in virtutibus, 284, 2. omnia eveniunt quæ prædicit, *ibid.* et 285, 1. sæpius ei apparuit Dominus in Silo, *ibid.* et 2. idea perfecti judicis, 302, 1. retinuit judiciariam potestatem regnante Saule, *ibid.* 2. vixit ad annum 77 ætatis, 303, 1. filios suos fecit judices, sed non ex carnali affectu, 304, 1. non punitus propter peccata filiorum ut Heli, *ibid.* adest Sauli pugnaturo contra Naas, 322, 2. quasi se abdicat principatu, 325, 1. ejus senectus laboribus accelerata, *ibid.* integritatis exemplum dat populo, 326, 2. ipse et Moyses ex omnibus Sanctis veteris legis pro inimicis orarunt, 329, 2. charitatis speculum pro inimicis orans, *ibid.* separat se a Saule, ut eum ad pœnitentiam flectat, 339, 1. ex zelo occidit Agag, 362, 2. post hæc non amplius invisit Saulem; vidit tamen, *ibid.* luget Saulem quem timet vita æterna privandum, 363, 1. ejus charitas, *ibid.* 2. præest prophetantibus in Naioth, 388, 1. quando mortuus incertum, 414, 1. populi erga eum amor, *ibid.* ossium translatio sub Arcadio Imperatore, *ibid.* vere suscitatus fuit, 424, 2. non tamen per Pythonissam, sed per Deum eam prævenientem, 425, 1. mortem Sauli prædicit, non eumdem statum post mortem, 425, 2. typus Christi, 257, 2.
Sanchez suspicio improbatur, 507, 1.
Sancti cur in bello justo aliquando cædantur ab impiis et

injustis, 229, 1, 2. Tentari permittuntur ne superbiant, 121, 2. sanctorum Doctorum laus, 309, 2. Sanctorum humilitas et fortitudo, 528, 1, 2. Sanctorum ordines significati per fortes David, 529, 1. inter eos, *primo*, Apostoli; *secundo*, Martyres; *tertio*, Confessores, 531, 1 Sanctorum felicitas significatur per lilium, 588, 2.
Sanctitas nobilissimum Dei attributum, 266, 2. sanctitas antipathiam habet cum iniquitate, 645, 2.
Sanctorum ludus est mundo illudere, 459, 2.
Sanctum et Sanctum sanctorum. *Vide* Templum.
Sanitas corporis a paucitate ferculorum, 311, 2; 312, 1.
Sapiens multa dissimulat, 319, 2.
Sapientia quantum Dei donum, 560, 2; 561, 1.
Sarephthana vidua gentilis erat, sed pia, 643, 2. duo ligna quæ collegit significant crucem Christi, 644, 1. panis subcinericius quem coxit, significat satisfactionem pœnitentium, *ibid.* ejus laudes, *ibid.* et 2. meretur farinæ additionem, *ibid.* 2. ejus filius permittitur ægrotare ad gloriam Eliæ, 645, 1. ejus humilitas et spiritus pœnitentiæ, *ibid.* 2. ejus filius est primus resuscitatus, 647, 2.
Saul immediate a Deo jus regium accepit, 307, 1. fuit insigni corporis forma et vir probus, 309, 2. melior singulis e populo, *ibid.* miserandi ejus lapsus causa, *ibid.* nihil unquam de regno cogitarat, 311, 1. ejus humilitas meruit regnum, *ibid.* mutatur in alium virum, 317, 1. in periculis belli monetur se recipere in Galgala, 316, 2; 317, 2. silet de regno præ modestia ut secretum servet, et ne sibi invidiam conciliet, 318, 1. non ex humano affectu a Samuele constitutus rex, 318, 2. præ humilitate fugit regnum, 319, 1. fuit procerus et quasi gigas, *ibid.* publice unctus et rex declaratus, *ibid.* 2. Saul typus Christi tripliciter, 319, 1. rex et arator, 321, 1. quamdiu Samuelis monita secutus est, bonus fuit, eis neglectis reprobus, 322, 2. insignior Samuele non sanctior, *ibid.* boves minatur se occisurum, non homines, ut regnum auspicetur a clementia, *ibid.* ejus prudentia et celeritas, 323, 1. pro tertia vice unctus in regem in Galgalis, *ibid.* 2. quot annis regnavit Saul, 333, 2. peccavit non exspectando Samuelem usque ad finem diei septimæ, 335, 2; 336, 1. ejus præcipitatio, *ibid.* auxit peccatum excusando, *ibid.* 2. ipse et posteri fuissent reges, si fuissent Deo obedientes, 337, 1. mansit rex tota vita sua, *ibid.* 2 et 360, 2. propter inobedientiam privatur regno, 337, 2. jejunii lex dum Philisthæos insequitur, ab aliquibus laudatur, 347, 1. ab aliis damnatur severitatis et stultitiæ, *ibid.* sed licet fuerit dura, fuit tamen justa, *ibid.* hactenus vir pius et bonus, posthac graviter peccavit inobedientia, *ibid.* 2. juramentum ejus de occidendo eo qui causa fuit silentii Dei, arguitur ab aliquibus, 349, 2. ab aliis laudatur, *ibid.* dicendum est fuisse incautum, *ibid.* morti addicens Jonatham, excusatur a peccato, 351, 2. ejus felicitas bellica, *ibid.* pepercit regi Agag, vel ex superbia, vel ex avaritia, vel ex humana commiseratione, 356, 1. ejus secunda inobedientia, *ibid.* miserandus lapsus, *ibid.* 2. si pœnituisset, gratia ei fuisset reddita, non tamen regnum, 357, 1. adulatur Samueli, *ibid.* avaritiam suam velat specie religionis, *ibid.* tenacia judicii eum perdidit, *ibid.* 2. auget inobedientiam, excusando, *ibid.* privatur regno propter inobedientiam, 360, 1. pœnitentia ejus non fuit seria, sed humana, *ibid.* 2. probabiliter anno septimo regni lapsus est, 361, 2. spiritus fortitudinis ab eo recedit, 367, 2. possidetur a dæmone corporaliter, 368, cithara Davidis partim naturaliter, partim supernaturaliter curatur, 369, 1, 2. liberatus fuit a dæmone per citharizationem David, sed mox iterum possessus, 371, 1. timet sibi a Davide de regno, 381, 1. prophetat ut solent energumeni, *ibid.* 2. non curatur per psalterium Davidis, quia permanens in peccato invidiæ, 382, 1. ejus ingratitudo in Davidem, *ibid.* septies eum est persecutus, *ibid.* amovet Davidem ab aula, 382, 2. creat eum chiliarcham, sperans in bello occidendum, 383, 1. proficit in pejus, *ibid.* insidiose despondet filiam David pro centum præputiis, 384, 2. quia per se non potuit, nititur per alios occidere Davidem, 386, 1. ejus inconstantia, 387, vult Davidem coram se occidi, idque per sententiam judicis, *ibid.* prophetans non omnino omnibus vestibus nudavit se, sed tantum regiis, 388, 2. cecidit in terram Deum adorando, *ibid.* ejus crudelitas major aliis peccatis, 401, 2. suam ipsius damnat malitiam et ingratitudinem, 410, 2. colligit Davidem regnaturum, quod videat eum Deo esse curæ, 411, 1. submittit se Davidi, *ibid.* immittit ei Deus soporem, 420, 1. seipsum occidit, 430, 1. idque justo Dei judicio, *ibid.* laudant hoc Rabbini, *ibid.* sed hoc damnat fides orthodoxa, *ibid.* 2. ipse Saul est damnatus, 431, 1. potissima ratio occisionis et mortis acceleratio-nis est consuluisse Pythonissam, *ibid.* 2. pro anima ejus jejunarunt septem diebus viri Jabes Galaad, 432, 2. typus Christi, 309, 1; 319, 1.
שבץ *scabats* quid significet, 434, 1, 2.
Scandali gravitas, 483, 2.
Scandalosa peccata punit Deus, 633, 1, 2.
Scelera auferenda, ut pœnæ auferantur, 43, 1, 2.
Scientia sine praxi parum prodest, 567, 2.
Scissio vestium in luctu usitata et ob sceleris detestationem, 42, 2.
Scorpiones quibus flagellati Martyres, erant virgæ ex spinis, 165, 2.
Scripturæ (S.) divisio secundum Hebræos, 1, 2. numeri perfecti ponuntur in Scriptura, licet aliquid supersit vel desit, 172, 1. in Scripturæ libris aliquæ particulæ compositis libris additæ, 251, 2. S. Scriptura omnia refert in Deum, ut manifestetur ejus providentia, 278, 2. est arca Testamenti, 455, 2.
Scrutarii, quales, 592, 2.
Scutra est vas profundum circulare, *ibid.*
Sebastianus (S.) patronus pestis, 537, 1.
Secretum nulli fidendum, 199, 1.
Sedendo anima fit sapiens, 464, 1.
Sedens orare quomodo quis possit, *ibid.*
Semei non est idem qui Nabath, 501, 1. convicia quinque conjecit in Davidem, *ibid.* ejus stultitia, *ibid.* quomodo Deus ei præcepit ut malediceret David, *ibid.* 2. occisus a Salomone propter maledicentiam in Davidem, prætexuit tamen transitum Jordanis, 514, 2; 515, 1. quinque ejus convicia in Davidem secundum Hebræos, 552, 1. ejus maledicentia non fuit absolute remissa a Davide, *ibid.*
Senectus Caleb virtutis præmium, 77, 1. senectus bona, 108, 2. senectutis mala, 515, 2.
Septenarius numerus sacer ob quietem sabbati, 35, 2.
Septuaginta conciliati cum Vulgata, 6, 1, 2. septuaginta (in) mendum, 29, 1; 54, 2; 99, 2; 100, 2; 103, 1. aliter legunt quam Vulgata, 116, 1. aliud mendum, 140, 1; 288, 2. addunt aliquid, 347, 2. aliud mendum in Complutensibus, 351, 2. aliud mendum, 355, 1, 2. aliud mendum, 393, 2. aliud mendum, 402, 1.
Sepulcris carent superbi quæ sibi exstruxerunt, 511, 1, 2.
Serarius male numerat annos ab egressu Israel ad templum ædificatum, 573, 2.
Servitutes Hebræorum variæ simul ascendunt ad 111 annos, 127, 1, 2. servitutis Dei et hominis differentia, 631, 1, 2.
Sextus Tarquinius primores Gabinorum occidit, 511, 1.
Siba calumniator, 500, 1; 514, 2.
Sidon magna cognomine, non relative ad aliam minorem, 67, 1, 2. ejus etymon, *ibid.*
Simulare fugam in bello licet, 49, 1.
Sion figura Ecclesiæ, 451, 2.
Soba ubi sita, 468, 1. jure divino erat Judæorum, ideoque juste eam invasit David, *ibid.* 2

Societatis bonæ utilitas, 317, 2; 388, 2.
Solem tacuisse, id est, Pythagorice non cecinisse in solstitio Josuano fabulatur R. Salomon, 63, 1, 2. sole stante, steterunt reliqui cœlestes orbes, *ibid.* tempus tunc non fuit, sed duratio, *ibid.* 2.
Solduriorum laus, 437, 1.
Solymani ambitio, 185, 1,
Somnium Salomonis fuit divinum et exstaticum, 559, 1. 2. potest per Deum homo in somniis uti ratione, 560, 1. somnia multa vera in Scripturis, 562, 1.
Somnus matutinus castis periculosus, 475, 1.
Sors triplex, aliquæ licitæ, una illicita, 44, 1.
Spectra audacter invadenda, 31. 2.
Spei efficacia, 5, 2; 62, 2. facit nos contemnere inferiora, 575, 1.
Spiritualia pluris facienda quam temporalia, 321, 1.
Spiritus in Scriptura quamlibet qualitatem significat, 125, 2; 126, 1.
Spirituum (de) apparitionibus multa narrantur fabulosa, 152, 1.
Stellæ pugnarunt contra Sisaram per ventos, fulgetra, etc., 143, 1.
Stephanus (S.) protomartyr apparens Geizæ, vult ejus filium suo nomine nominari, qui fit Hungarorum apostolus et primus rex, 462, 2. ad S. Stephanum pejerantes puniti, 598, 1.
Sterilibus (ex) multi viri magni sunt nati, 192, 2. sterilium quæ ex voto conceperunt exempla, 261, 2; 262, 1.
Stratagemata militaria Hannibalis et aliorum, 160, 1, 2.
Striæ quid, 589, 2.
Stulti dicteria nemo curat, 416, 1.
Stuprum Lucretiæ Tarquinium regno privavit, 492, 1.
Subditi boni malos Prælatos non contemnunt, 408, 2. sed reverentur, 409, patiuntur asperitatem Superiorum, 411, 2. et improbitatem, 419, 1, 2.
Subterranea loca plurima sub templo, 581, 2.
Sulpitii error de Judice Simmichar post Samsonem, 218, 1, 2.
Summus Pontifex solus intrabat in Sanctum sanctorum semel in anno in festo Expiationis, 580, 2.
Superiores puniuntur propter peccata subditorum, 283, 2. superiores mali dantur in vindictam peccatorum populi, 307, 1, 2. superiorum ira a Deo est, quando corrigunt subditos, 322, 2. superiori reum indicare ut corrigatur, est actus sanctitatis, 350, 1. eorum præcepta etiam rigida a subditis debent servari, 351, Deo sint obedientes, ut subditi illis obediant, 353, 2. superiores etiam impios revereri oportet, 408, 2; 419, 1. superiores a subditis non sunt reprehendendi, 455, 2. superioribus debetur obedientia ab inferioribus, ipsi illis debent charitatem, 646, 1.
Suscitatio seminis fratri defuncto fuit in usu ante legem Moysis et post eum observata a Gentilibus, 236, 2, et 327, 1.
Syrus textus ex Græco Septuaginta translatus est, non ex Hebræo, 108, 2.

T.

Tabernaculum Moysis et Davidis, et omnia vasa eo spectantia a Salomone reposita in tabulato templi, 597, 1.
Talenti Hebræi valor, 637, 1.
Talionis pœnæ exempla, 114, 2; 115, 1.
Tamerlanes cur Bajazetum ferreæ caveæ incluserit, 114, 2.
Tarantulæ morsus sola musica curabilis, 369, 1.
Templum Deo ædificare vovit David, 461, 1. placuit id votum quoad rem, non quoad personam, 462, 1. Quare David prohibitus illud ædificare, *ibid.* cur Josue aut quis alius judex id non ædificarit, *ibid.* 2. cur Solomon jussus ædificare, 462, 1. significat Ecclesiam triumphantem, *ibid.*; 573, 1. quo fine fuerit ædificatum, 558, 1; 596, 1, 2. numerus operariorum templi, 570, 1. idea templi, 572, 1, 2. atria templi, *ibid.* templi mensuræ, *ibid.* 2. quid significet mystice, 572, 1. templi magnificentia ex variis capitibus, *ibid.* decem miracula in templo secundum Hebræos, *ibid.* 2. templi ædificatio duravit septem annis et septem mensibus, 574, 1, 581, 2. ædificatum est in monte Moria, in tribu Benjamin, 574, 1. altitudo templi ad primam contignationem, 30 cubitorum, ad summam 120, *ibid.* 2. templum secundum a Judæis reædificatum habuit tantum 60 cubitos altitudinis, *ibid.* 2. templum erat conversum ad Orientem, ut sol oriens æquinoctialis arcam posset perfundere, 575, 1. cellæ circa templum, 576, 1. malleus in templo non auditus, quia lapides dolati in monte, *ibid.* 2. significat cœlum, 577, 1. cochlea templi, *ibid.* parietes templi vestiti cedro, *ibid.* 2. fornix cedrina Sancti sanctorum, 578, 1. pavimentum templi tectum auro, 580, 1. ostia Sancti sanctorum pentagona, *ibid.* tres partes templi descriptæ, *ibid.* 2. atria tria templi, 581, 1. exedræ, gazophylacia, pastophoria sunt idem, *ibid.* 2. sub templo subterranea loca plurima ad varios usus, et magnitudo, 592, 1. multa millia vasorum recenset Josephus præter ea quorum meminit Scriptura, 593, 1. præter arcam Salomon omnia nova fecit pro templo, *ibid.* 2. in templo sola pretiosa videri poterant, *ibid.* templum perfectum mense octavo, et dedicatum mense septimo, 596, 1. templum Dei postulat severam castimoniam, 629, 2.
Temporalium bonorum vanitas, 329, 1.
Tenacia proprii judicii causa lapsus in Saule, 357, 2.
Tentationum omnium remedium, nomen Michaelis, 194, 2. consolatio post eas superatas, 200, 1. semper durant ut sint occasio præmii, 335, 1.
Terra sancta quasi sorte divisa sit, 81, 1.
Terra sancta cur capta a Turcis, 287, 2.
Terræ Promissæ termini secundum omnes mundi plagas, 6, 2. tota Hebræis non fuit data propter eorum peccata, 97, comprehendit Phœniciam, quæ nunquam fuit subacta, 124, 1, 2.
Tertulliani locus explicatus, 23, 2.
Tharsis est mare Mediterraneum, et unde, 609, 1.
Theatrum vitæ humanæ narrat judicium Ariopharnis sine auctore, 564, 1.
Theodoretus sic vocatus, quia a Deo datus, 261, 2. ejus locus restitutus, 293, 2.
Theodosius Imperator explevit pœnitentiam a S. Ambrosio impositam, 483, 1, 2.
Theraphim erant idola domestica, 219, 1.
Thomas Morus, Cancellarius Angliæ, cantat et crucem præfert in processionibus suæ parochiæ, 460, 2.
Thyina ligna quæ, 605, 2.
Timidos a se rejicit Christus, 158, 1.
Timor Dei in veteri Testamento significat omnem Dei cultum, 25, 1. timoris Dei fructus, 327, 1. habere debet admixtam spem, 328, 2.
Torniellus impugnatur scribens Josue transisse Jordanem nona die mensis primi, 24, 2.
Tribus Israel omnes inter se consanguineæ, 448, 1.
Tributa nimia noxia populo et regi, 618, 1. tributi frenum quid, 466, 1. occasio sunt seditionis, 620, 1. tributorum gravitas causa defectionis Israeli, 601, 2.
Triumphus non canendus ante victoriam, 663, 1.
Troja condita sub Aod, 130, 2.
Turcam juste possidere regna Christianorum, est impia sententia Alberici Gentilis, 184, 1.
Tyranni lictores Dei, qui eos confortat, 126, 1. raro senescunt, 637, 1, 2. sunt similes suibus, *ibid.*
Tyrus insula obsessa a Nabuchodonosor per 13 annos fit peninsula, 570, 1.

U.

Unctionis regum antiquitas et causæ, 314, 1.
Unius ob peccatum tota punitur communitas, 349, 1.

Urias Hethæus non erat Chananæus, sed ex Heth in regione Hebron, 476, 1, 2. ejus laus, *ibid.*
Uxores olim emebantur, 384, 2. uxor molesta est pœna peccati, 481, 2. uxor hæretica periculosa, 612, 1. uxores Salomonem fecerunt idololatram, *ibid.* 2. uxor infidelis perniciosa, 630, 1.

V.

Valens Imperator a subditis quos Arianos fecerat, combustus est, 175, 2. filii sui parricida per hæresim, 629, 1.
Valentinianus punitus quia S. Martino non assurrexit, 130, 1.
Vanitas bonorum hujus vitæ ex gloria Salomonis, 610, 1, 2. vanitas omnium terrenorum, 617, 1, 2.
Vasorum millia multa in templo secundum Josephum, 593, 1.
Vellus Gedeonis occasio fabulæ Argonautarum, 156, 2. item institutionis ordinis Velleris aurei a Philippo Burgundo factæ, *ibid.*
Velum templi scissum in passione, 578, 1. velum habebat Sanctum, et Sanctum sanctorum porticus non habebat, 580, 1, 2.
Venialia peccata morte punita, 625, 2.
Veneris stimuli qui, 475, 1. sibi blanda, aliis crudelis, 478, 1, 2.
Veritas alia justitiæ, alia loquelæ, 15, 1. est sanctitas, 350, 1.
Vermis conscientiæ damnatorum, 176, 2.
Vespertinum et matutinum tempus optime ordinanda, 357, 1.
Victorem decet justitia, 469, 1.
Victoria utendum, 65, 2. victoriæ variæ a Deo et Sanctis concessæ fidelibus contra infideles, 142, 2. victoria a Deo, 348, 2; 361, 1. victoria major seipsum vincere quam hostem, 408, 1.
Vilalpandi conjectura de gladio idoli ab Achan sublato levis est et incerta, 45, 2.
Vindicta reges decet, 416, 2. vindicta divina contra Absalom, 509, 1, 2. vindicta sumenda, non de propria, sed de Dei injuria, 624, 1, 2. non ex ira, sed ex amore justitiæ capienda, 658, 1.
Vir secundum cor Dei quis, 337, 2.
Virginius laudatur a Gentilibus eo quod filiam occiderit ne violaretur, 492, 1.
Virginitas olim dedecori, nunc decori, 187, 2. figurata per rhamnum, 655, 1.
B. Virgo est arca spiritualis Christi, 455, 2.
Viri sancti labuntur et reprobantur, 309, 2.
Virtus usque ad finem perseverat, 357, 2. virtutis iter laboriosum, 577, 1.
Vitæ brevitas in Principibus, 130, 2. vita hominis fluxa instar aquæ, 493, 2. vita Sanctorum qualis, 639, 1.
Vitia in nobis supprimi possunt, non tamen moriuntur, 116, 1. vitia hominem enervantia, 612, 1, 2.
Vitulum aureum mugiisse in nativitate Elisei affirmant S. Epiphanius et Isidorus, 659, 2.
Volsæus gratiam Dei perdidit et sui regis, 504, 1, 2.
Voluntas propria est Deus inobedientis, 359, 2.
Voluptas mundi amara in fine, 347, 2.
Vomeris symbola, 131, 1.
Vulgata (in) mendum esse nonnulli suspicantur, 231, 2. Vulgata defenditur, 262, 2. Vulgata versio propugnata, 610, 1, 2.
Wenceslaus (S.) Bohemiæ rex hosti in duello parcit, 374, 1.

X.

Xenophontis error de Cyro inventore falcatorum curruum, 89, 2.

Z.

Zambri, invasor regni Israel, se occidit ne veniret in potestatem hostium, 636, 1, 2.
Zelosus quid facere debeat, 647, 1, 2; 654, 2.
Zelus unius religionis avitæ servandæ inter Judæos, 99, 2. zelus Saulis stultus, 520, 1, 2. zelus Eliæ, 640, 2. Josaphat, 674, 1, 2.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTUR,

ET QUÆ AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM OCCURRENTIUM, VERBA IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM ADAPTANTUR.

DOMINICA I ADVENTUS

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA, ET STELLIS. Signa tempore Josue, 63, 1.

VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM. Veniens Jesus mundum vincit, 35, 1. in secundo adventu se ulciscetur de suis adversariis, 64, 1. et de iis qui neglexerunt pœnitentiam, 354, 1. figura adventus Christi, 452, 1, 2.

COELUM ET TERRA TRANSIBUNT. Vanitas gloriæ mundi, 35, 2.

DOMINICA III ADVENTUS.

TU QUIS ES? Hæc verba sæpe dicenda ab iis quos Deus ex vilibus assumpsit ad magna, 464, 1, 2.

IN NATIVITATE DOMINI.

NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR. Elias adumbravit Christum se homini commensurantem et eum vivificantem, 646, 2.

PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. Nos ab illa plenitudine gratiæ multum distare significatum per arcam, 18, 1.

IN FESTO S. STEPHANI.

QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, QUEMADMODUM GALLINA CONGREGAT PULLOS SUOS SUB ALAS. Ad alas divinæ protectionis confugiendum, 241, 1; 656, 1, 2.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

UT CIRCUMCIDERETUR PUER. Mens a vitiis circumcidenda, 27, 2. in Religione est scientia circumcisionis, 652, 2.

VOCATUM EST NOMEN EJUS. Deus dans alicui nomen, dat simul rem nomine significatam, 149, 2.

JESUS. Nomen Jesus est formidabile dæmonibus, 125, 2. Jesus est nomen magnum, 329, 1, 2.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

CUM FACTUS ESSET ANNORUM DUODECIM SECUNDUM CONSUETUDINEM DIEI FESTI. Agi potest de educatione prolium, de qua vide, 264, 1, 2. 247, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Educatio.

ET ERAT SUBDITUS ILLIS. Sic Deus obedivit Josue, 64, 2.

SUBDITUS. Inobedientiæ mala et pœnæ, 277, 2; 279, 2. 337, 2. — *Vide verb.* Obedientia *et* Inobedientia. Josue electus in ducem Israel propter obedientiam, 7, 1. Hebræi propter inobedientiam exclusi a Terra Promissa, 9, 2.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

VOCATUS EST JESUS AD NUPTIAS. Nuptiæ Catholici cum hæretica periculosæ, 198, 1.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

TANTUM DIC VERBO. Quid possit vox Christi, 39, 1.

FILII AUTEM REGNI EJICIENTUR IN TENEBRAS EXTERIORES. Reprobationis Judæorum figura in vellere Gedeonis, 155, 1, 2.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. Deus immittit hominibus tribulationes ut ad se redeant, 127, 2.

IMPERAVIT VENTIS ET MARI. Similia facit Deus in gratiam Sanctorum, 23, 1, 2.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

CUM AUTEM DORMIRENT HOMINES. Superiores quando possint dormire, quando non, 446, 1, 2.

SINITE UTRAQUE CRESCERE. Potest Deus omnes impios perdere, sed id non sinunt regulæ æternæ providentiæ, 657, 1; 658, 1, 2.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

EXIIT PRIMO MANE. Tempus matutinum optime ordinandum, 357, 1.

IN VINEAM SUAM. Vinea designat humiles, 174, 1, 2.

AN OCULUS TUUS NEQUAM EST? Invidia est scelus diabolicum, 381, 2. invidia multorum malorum mater, 401, 2.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

ALIUD CECIDIT SUPRA PETRAM. Terra dura cordis nostri scindenda vomere pœnitentiæ, 131, 2.

VENIT DIABOLUS ET TOLLIT VERBUM DE CORDE EORUM. Hujus rei figura est Madian devastans segetes Israelis, 148, 1.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

CÆCUS QUIDAM SEDEBAT SECUS VIAM. Samson excæcatus typus excæcationis Judæorum, item de mentis excæcatione, 213, 1.

FERIA IV CINERUM.

Cinis assumitur in signum luctus et pœnitentiæ, 42, 2,

CUM JEJUNATIS. Jejunis parcunt belluæ, devorant non jejunantes, 625, 2; 626, 1. jejunium parit victoriam de hostibus, 347, 2. stricte debet servari, 351, 2.

NOLITE THESAURIZARE VOBIS THESAUROS IN TERRA. Divitum hujus sæculi inexplebilis cupiditas, 666, 1.

FERIA VI POST CINERES.

DILIGITE INIMICOS VESTROS, exemplo Samuelis prophetæ, 329, 2.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

UT TENTARETUR A DIABOLO. Sancti permittuntur tentari ut cognoscant se non suis viribus, sed divina gratia stetisse, 655, 2. homo sæpe tentatur et quare, 335, 1, 2.

CUM JEJUNASSET, etc. Jejunium assumendum ad corpus domandum, 67, 1. reddit hominem inexpugnabilem, 212, 1, 2. ejus commoda, 300, 2.

ACCEDENS TENTATOR. Intrepidus sit homo adversus tentationem, 31, 2. nam Deo duce quævis superamus, 77, 2; 78, 1. — *Vide plura verbo* Diabolus.

ILLI SOLI SERVIES. Deus suos servos ditat, 631, 2. diabolus suorum est tyrannus, 121, 1.

ECCE ANGELI ACCESSERUNT ET MINISTRABANT EI. Post tentationes consolatio, 100, 2; 196, 1.

FERIA III.

EJICIEBAT OMNES VENDENTES, etc. Christi Judæos ejicientis typus fuit Jonathas cædens Philistæos, 345, 2.

FERIA IV.

REGINA AUSTRI SURGET IN JUDICIO. De regina Austri, 606, 1, 2; 607, 1.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS. De Elia, 639 et seq. — *Vide Indicem Rerum, verb.* Elias.

ECCE NUBES LUCIDA. Christus in lege nova apertam attulit veritatem, non umbra vel nube velatam, 18, 1.

FERIA III.

SUPER CATHEDRAM MOYSIS. Prælati honorandi, 305, 1.

FERIA V.

EPULABATUR QUOTIDIE SPLENDIDE. Pœna ventri deditorum, 291, 2.

HABENT MOYSEN ET PROPHETAS, AUDIANT ILLOS. Homo docendus per hominem, 282, 2.

NEQUE SI QUIS EO MORTUIS RESURREXERIT CREDENT. — *Vide verbo* Excæcatio.

FERIA VI.

HIC EST HÆRES, etc. Hujus rei typus Naboth, propter vineam occisus, 666, 1, 2.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

CUM FORTIS ARMATUS, etc. Fortitudine opus contra tentationes, 435, 2.

FERIA II.

SAREPHTHA SIDONIÆ AD MULIEREM VIDUAM. Historia de ea, 548, 2.

FERIA III.

CORRIPE EUM INTER TE ET IPSUM SOLUM. Correptionis fraternæ figura, 340, 1. reum Superiori indicare ut corrigatur, est actus sanctitatis, 350, 1.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

QUINQUE PANES HORDEACEOS. De pane hordeaceo Gedeonis, 159, 2 et seq. de frugalitate primæorum hominum, 241; primorum Christianorum, 311. 2; 312, 1.

UT RAPERENT EUM ET FACERENT EUM REGEM. Quis vere dicendus rex, 138, 1. Gedeon etiam recusat regnum Israelis sibi oblatum, 166, 2. contra Abimelech ejus filius regnum non oblatum invasit, 171, 1. regnum Christi quale, 448, 2.

FERIA VI.

INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM, SED PRO GLORIA DEI. Sic mors filii matris familias tempore Eliæ, 645, 1.

DOMINICA PASSIONIS.

NONNE BENE DICIMUS NOS, QUIA SAMARITANUS ES TU, etc. Injuriæ æquanimiter ferendæ, 319, 1. idque exemplo B. Juniperi Franciscani, 654, 1, 2; 655, 1.

JESUS AUTEM ABSCONDIT SE. Sic Christianus tentatus abscondat se in Christi vulneribus, 335, 2.

DOMINICA PALMARUM.

ECCE REX TUUS VENIT TIBI MANSUETUS. Mansuetudo Deo propria et Christo, 658, 1, 2.

FERIA VI IN PASSIONE DOMINI.

Passionis typus, Coccineus funiculus Rahab, 15, 1.

JESUS AUTEM TACEBAT. Ad contumelias tacendum, 258, 2, et 319, 2.

ACCESSIT AD EUM UNA ANCILLA. Sic timor in Sanctis a Deo permittitur, et quare, 655, 2.

JUDAS, etc. DICENS : PECCAVI. Pœnitentiam non seriam, sed humanam vide in Saule, 360, 1.

CORONAM DE SPINIS POSUERUNT SUPER CAPUT EJUS. Christus qua coronandus corona, 486, 2.

CRUCIFIXERUNT EUM. Christus visibiliter crucifixus, diabolus invisibiliter, 52, 2.

CUM TETIGISSET AURICULAM EJUS, SANAVIT EUM. Christus Judæorum maleficia beneficiis superavit, 386, 1, 2.

QUID EST VERITAS? Veritas est sanctitas quam Christus docet, 350, 1.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

SURREXIT NON EST HIC. Samson figura Christi resurgentis, 209, 1, 2. Christus nos coæquabit suæ gloriæ in resurrectione, 647, 2.

FERIA II.

LOQUEBANTUR AD INVICEM DE HIS OMNIBUS QUÆ ACCIDERANT. Colloquia spiritualia commendantur, 284, 2; 285, 1.

FERIA III.

FAVUM MELLIS. Favus mellis Samsonis, 199, 1, 2; 200, 1.

DOMINICA III.

TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. Gaudium in solo Christo, 266, 2.

IN LITANIIS.

ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Elias.

IN FESTO PENTECOSTES.

FACTUS EST REPENTE DE COELO SONUS. Hujus soni figura, 658, 2.

LINGUÆ TANQUAM IGNIS. Solet Deus in igne apparere, 649, 1, 2.

SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO. Stultissimum est Deo non obedire, 336, 2.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

ECCE EGO VOBISCUM SUM. Deus non derelinquit justificatos, nisi se prius derelinquentes, 7, 1. Deo duce nihil timendum, 8, 1. Deo duce omnia superamus, 79, 1. idque quamvis numero impares, 149, 2. nihil homini deest, cum quo est Deus, 285, 2. adjutore Deo, inermis vincit armatum, 411, 1.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

EADEM QUIPPE MENSURA, QUA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS. Probatur exemplo Zambri, 636, 1, 2. item exemplo Achab possidentis vineam Naboth, 667, 2; 668, 1.

EJICE PRIMUM TRABEM DE OCULO TUO, etc. Mundus sit a crimine, qui alios corrigit, 325, 1, 2; 326, 1.

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

Eucharistia sumenda contra tentationes, 155, 2. digne sumenda, 297, 1.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

JUGA BOUM EMI QUINQUE. Eliseus secutus Eliam duodecim juga boum relinquit : quinque ergo non sint Christianis impedimento, 659, 2; 660, 1.

UXOREM DUXI. Qui Deum propter uxorem deserit servus ejus est, instar Achab, 668, 2.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

GAUDIUM ERIT IN COELO SUPER UNO PECCATORE. Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, 119, 2.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

IN VERBO AUTEM TUO LAXABO RETE. In arduis Deo parendum, 346, 1.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

NON OCCIDES. Exemplum S. Wenceslai, 374, 1. Sancti inimicis parcunt, 410, 1. Deus punit homicidium, 440, 1, 2. 443, 2. punivit etiam David, 483.

OMNIS QUI IRASCITUR FRATRI SUO. Ira coram Deo effundenda, 260, 1. ira cos virtutis, 322, 2. ira bonarum actionum ministra, 651, 2. justam vindictam Reges non negligant, 664, 2.

FRATER TUUS HABET ALIQUID ADVERSUM TE. Adversarius humilitate placatur, 410, 1. injuriarum memoria deponenda, 437, 2.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

MANDUCAVERUNT ET SATURATI SUNT. Sic Elias multiplicavit farinam viduæ, 644, 2.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

NON OMNIS QUI DICIT MIHI : DOMINE, DOMINE, etc. Ne quidem si in nomine Domini prophetaverit, 389, 1. scire Deum non juvat, nisi scientia sit practica, 275, 2.

QUI FACIT VOLUNTATEM, etc. Obedientia Deo grata, 64, 1; 358, 1.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

REDDE RATIONEM, etc. Peccata venialia Deus punit morte, 625, 2; 626, 1.

FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS IN GENERATIONE SUA SUNT. Excæcatio filiorum hujus seculi, 616, 2. Consilium politici prudens, revera imprudens, 619, 1, 2.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

DOMUS MEA DOMUS ORATIONIS EST. Templum hoc fine ædificatum, et ejus sanctitas, III *Reg.* per totum caput octavum, 596, 1, 2 et seq.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

PHARISÆUS STANS HÆC APUD SE ORABAT, etc. Excusatio peccatum auget, 336, 2. pœnitentia debet esse humilis et seria, 360, 1. falsa pœnitentia Deus non movetur, *ibid.* 2; 360, 1.

PUBLICANUS A LONGE STANS. Peccatores sibi appropinquanes Deus adurit, 21, 2.

PERCUTIEBAT PECTUS SUUM. Corde fervido orandum, 259, 2.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

ADDUCUNT EI SURDUM. Surditas aliquando laudabiliter simulatur, 319, 2.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO. Homo debet cor suum conformare cordi divino, 337, 2; 338, 1.

ET PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Currendum ad opera charitatis, 441, 1, 2.

INFUNDENS OLEUM ET VINUM. Oleum et vinum significant modum corripiendi proximum, 277, 2.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

NON EST INVENTUS QUI REDIRET, etc. Deus rigide exigit memoriam suorum beneficiorum, 22, 2. 23, 1. beneficia Dei assidue cogitanda, 318, 2.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. Deliciæ carnis et spiritus se non compatiuntur, 30, 2. virtutes et vitia se non compatiuntur, 290, 2.

NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ, etc. Avaritia insatiabilis, 45, 2. Deus pro suis sollicitus, per corvos aluit 642, 1.

NONNE ANIMA PLUS EST QUAM ESCA. Anima pluris faciend. quam corpus, idque per figuram pulchre explicatur, 162, 2.

NEC SALOMON IN OMNI GLORIA SUA, etc. Gloria mundi fluxa, 25, 2. vanitas gloriæ mundi demonstrata in gloria Salomonis, 610, 1, 2. admonitiones pro eis qui sunt gloriosi in mundo, 613, 1.

QUANTO MAGIS VOS. Stupenda facit Deus in gratiam suorum, 23, 1, 2.

HIS OMNIBUS INDIGETIS. Deus in necessariis non deest, 30, 1.

REGNUM DEI, etc. Regnum terrenum etiamsi debitum sit, non est præripiendum, sed exspectandum, 438, 1; 437, 2. regnum cœleste desiderandum, 666, 2.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. Mortis memoria salubris, 551, 1.

MISERICORDIA MOTUS. Sic Elias motus misericordia erga viduam, ejus filium resuscitavit, 645, 1; 646, 1, 2.

ADOLESCENS. Caducitas vitæ humanæ, 391, 1.

SURGE. Humiliantes se jubet Deus surgere, 43, 1.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

OMNIS QUI SE EXALTAT. Tyranni qui se exaltarant, humiliati, 114. 2. 115, 1. Angeli se exaltantes detrusi ad tartara, 269, 1. Saul superbus misere cecidit, 309, 2.

QUI SE HUMILIAT EXALTABITUR. Exempla pauperum quos Deus ditavit, 272, 2. Saul electus in regem propter humilitatem, 357, 2.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM, etc. — *Vide* Dominicam duodecimam post Pentecosten.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

CONFIDE, FILI. Deus voluit equos ab Hebræis subnervari, ut in solo Deo fiderent, 67, 1. Dei viribus non vero humanis vincitur inimicus, 377. 1.

CUM VIDISSET JESUS COGITATIONES EORUM. Deus omnia novit, adeoque omni loco timendus, 268, 1. præsentia viri magni stimulus virtutis, 275, 2.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

NON EST TIBI CURA DE ALIQUO. Nihil dandum carni et sanguini, sed justitiæ, 89, 1. major cura habenda de rebus sacris quam de propriis filiis, 288, 1. libertas Sanctorum, 649, 1.

REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI. Regibus cura morum incumbit, non sacrorum, 18, 2. impium regem honoravit Elias, 653, 2.

ET QUÆ SUNT DEI DEO. Filii quos Deus dedit, volentes ipsi servire, non sunt impediendi, 193. 1.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

ET IPSI DERIDEBANT EUM. David irrisus typus Christi irrisi, et irrisorum pœna, 459, 1, 2 et seq. usque ad finem capitis.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

SURGENT, etc., PSEUDOPROPHETÆ. Pseudoprophetæ puniti ab Elia, 651, 1, 2. Diabolus decipit pseudoprophetas, 672, 1.

CONCEPTIO B. MARIÆ.

Pro omnibus festis, *vide Indicem Rerum, verbo* B. Virgo.

SALMON AUTEM GENUIT BOOZ DE RAHAB. Quare solæ meretrices feminæ nominentur in Christi genealogia, 12, 2.

GENUIT OBED EX RUTH. Ruth ignobilis a Deo nobilitata, a quo omnis vera nobilitas, 233, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Ruth. De sequentibus Christi progenitoribus, *vide Indicem Rerum ad eorum nomina.*

CONVERSIO S. PAULI.

ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA, ET SECUTI SUMUS TE. Hujus virtutis exemplum habemus in Eliseo sequente Eliam, 660, 1, 2.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS. David recipiens afflictos typus Christi recipientis laborantes, 400, 1. in solo Christo salus, 655, 2.

DISCITE A ME. Exemplorum vis, 161, 1, 2.

IN FESTO S. MARCI.

MISIT ILLOS BINOS. Cœtus electorum charitate constringitur, 417, 1.

NOLITE PORTARE SACCULUM, NEQUE PERAM. Mundani, e contra, nulla re satiabiles, 70, 1, 2.

NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

NON ERAT EI FILIUS, EO QUOD ESSET ELISABETH STERILIS. Viri magni ex sterilibus nati, 192, 2. proles sterilibus datæ, donum Dei, 261, 1, 2.

IPSE PRÆCEDET, etc., IN SPIRITU ET VIRTUTE ELIÆ. Quantus fuerit Elias, 639, 1, 2; 640, 1, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Elias.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

TU ES PETRUS. Deus dans alicui nomen, simul dat rem nomine significatam, 149, 2.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

MULIER, QUÆ ERAT IN CIVITATE PECCATRIX. Peccati libidinis stimuli, et quomodo cavendi, 475, 1, 2. crudelitas libidinis, 478, 1, 2. varia de amore impuro, et quomodo vertatur in odium, 489, 2; 490, 1. mulieres seducunt corda virorum, 612, 1, 2. unguentis ad delicias non utendum, 306, 1, 2.

PEDES EJUS. Conscientia quam calcat pes Jesu efficitur ejus possessio, 5, 2.

IN FESTO S. JACOBI.

DIC UT SEDEANT HI DUO FILII MEI. Beneficia Ecclesiastica non danda carni et sanguini, nec ad instantiam magnatum, sed merentibus, 5, 1.

FILII MEI. Filii sæpe parentibus degeneres, 304, 1.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Assumptio B. Virginis cum gaudio in cœlum figurata per exaltationem arcæ Testamenti, 458, 1.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

NON LICET TIBI HABERE UXOREM FRATRIS TUI. Alii modi corripiendi magnates, quam per manifestam exprobrationem, 492, 2. libertas Eliæ et Sanctorum in arguendis magnatibus, 649, 1.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Christus extensus in cruce, figuratus per elevationem clypei Josue, 51, 2.

IN FESTO S. MATTHÆI.

NON EST OPUS VALENTIBUS MEDICO, SED MALE HABENTIBUS. De medicis animarum, 641, 2

IN FESTO S. MICHAELIS.

S. Michael præest Ecclesiæ Dei, 31, 2; 32, 1. homines Angelorum vitam debent imitari, 156, 1. S. Michaelis nomen mire valet contra omnes tentationes, 194, 2.

NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI. Parvi magnificantur in conspectu Dei, 276, 2; 277, 1.

QUI AUTEM SCANDALIZAVERIT UNUM DE PUSILLIS ISTIS. Deus gravissime punit scandalizantes pusillos, 354, 2. peccatum sacerdotis gravius ratione scandali, 276, 1.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sancti sunt arca continens Deum, adeoque aquæ deliciarum ab eis fugiunt, 19, 2. Sancti sunt cardines mundi, 272, 2.

BEATI PAUPERES SPIRITU. Paupertas spiritus omnium domina, 5, 2; 6, 1.

BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM, etc. Sanctos hic jejunantes satiat Deus deliciis æternis in cœlo, 269, 2.

BEATI ESTIS, etc., CUM PERSECUTI VOS FUERINT. Ex passionibus fit homo gloriosior, 382, 1, 2. per viam persecutionis et crucis eundum ad culmen sanctitatis, 401, 1, 2.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

PRUDENTES VERO ACCEPERUNT OLEUM, etc. Felicitas sequitur prudentiam, ut filia matrem, 8, 1. sapientia magnum Dei donum, 561, 1, 2. sed sine praxi parum prodest, 567, 1.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli sunt salvatores, 125, 1, 2. eorum typus milites Gedeonis, non suis, sed Dei viribus pugnantes, 158, 1, 2; 159, 1. illuserunt mundo, 459, 1, 2.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Virtutis iter laboriosum, sed ad cœlum ducit, 577, 2. discipulus Christi non flectit se ad terrenorum sitim, 158, 2.

ANIMÆ DETRIMENTUM PATIATUR. Anima est tota hæreditas nostra, ideoque nullo pretio vendenda, 666, 2.

IN COMMUNI CONFESSORIS PONTIFICIS.

QUOD VOBIS DICO, OMNIBUS DICO: VIGILATE. Nocte maxime vigilandum contra hostes corporis et animæ, 62, 1, 2.

IN COMMUNI DOCTORUM.

Doctor aliis utilis per doctrinam, sibi per conversationem, 309, 2. debet esse vitæ excelsæ, et infirmis compati, *ibid.* non sapientia verbi, sed operibus debet præire peccatorem, 345, 2. est arca Testamenti, 455, 2.

SIC LUCEAT LUX VESTRA CORAM HOMINIBUS. Debent electi ita se gerere, ut propter eorum bonam vitam, alii abstrahantur a peccando, 41, 1, 2. milites Christi pugnare debent luce suorum operum, 159, 1. Doctores debent esse boni, etiamsi omnes subditi sint mali, 338, 1, 2; 339, 1.

IN COMMUNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

NOLITE TIMERE PUSILLUS GREX. Magna operatur Deus per res viles, 207, 2.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Puritas mentis meretur gratiam prophetiæ, 133, 1, 2.
INVENTA UNA PRETIOSA. Unum pretiosum præstat multis vilibus, 7, 1.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Reverentia Locis sanctis debita, 32, 2. Deus acriter vindicat sacrilegia, 46, 2. templi Salomonis magnificentia, 573, 1. in eo sola pretiosa videbantur, 593, 2.
ECCE NOVA FACIO OMNIA. Renovatio viris Ecclesiasticis necessaria, 156, 1.
INGRESSUS JESUS PERAMBULABAT JERICHO. Jerichuntis descriptio, etymon, et quid symbolice significet, 12, 1, 2.

IN TEMPORE BELLI.

Deo adjuvante, etiam fortissimi debellantur, 7, 1. exercitus fidelium habent suum Angelum custodem, quem dux et milites continuo invocent, 32, 1. juvat Deus suos per grandines, fulmina, etc., 62, 1. item per apes, 133, 1. victoriæ variæ a Deo Sanctis datæ contra hostes fidei, 142, 2. voluit Deus suos in se confidere tempore belli, 287, 1. 2. Angeli pro Davide pugnant contra Philistæos, 451, 2; 452, 1. bellum pœna peccatorum, 633, 1, 2. Aurelia obsessa precibus S. Aniani Episcopi liberatur, 653, 1, 2. Josaphat precibus victoriam insignem impetrat, 674, 1, 2.

FINIS INDICIS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

PER FLANDRO-BELGICAM.

Ego infra scriptus Societatis Jesu per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab admodum R. P. Nostro Goswino Nickel Societatis ejusdem Præposito generali, do facultatem Jacobo Meursio typographo Antuerpiensi typis mandandi *Commentaria R. P. Cornelii Cornelii a Lapide*, ejusdem Societatis sacerdotis, in *Josue, Judicum, Ruth*, IV *libros Regum et* II *Paralipomenon*. In quorum fidem has manu mea subscriptas, et sigillo officii mei munitas dedi Bruxellis 28 aprilis 1653.

JOANNES BAPTISTA ENGELGRAVE.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Commentarii R. P. Cornelii a Lapide Societatis Jesu Theologi, et sacrarum litterarum in Collegio Romano Professoris in libros *Josue, Judicum, Ruth, Regum et Paralipomenon;* quia omnium hominum regimen et moderationem concernunt, quo tam juxta hominis Christiani, quam officii sui debitum quisque vivat ad promptius Deo serviendum in sanctitate et justitia, utiliter lucem videbunt. Actum Antuerpiæ die 23 novemb. 1641.

GASPAR ESTRIX
Plob. et Lib. Censor.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org